



moral pro
239.02
K 837



THEOLOGIA MORALIS

NOVISSIMI ECCLESIÆ DOCTORIS

S. ALPHONSI,

IN COMPENDIUM REDACTA, ET USUI VENERABILIS CLERI AMERICANI ACCOMMODATA,

AUCTORE A. KONINGS, C. SS. R.



BOSTONIÆ.
TYPIS PATRICII DONAHOE.
1874.

2166

Entered according to Act of Congress, in the year 1874,
BY PATRICK DONAHOE,
in the Office of the Librarian of Congress, at Washington.

THEOLOGIA MORALIS.

S. ALPHONSI.

IN COMPENDIUM REDACTA.

APPROBATIO.

Librum, cui titulus: *Theologia Moralis novissimi Ecclesiæ Doctoris S. Alphonsi, in compendium redacta, et usui Venerabilis Cleri Americani accommodata, auctore A. Konings, C. SS. R.;* a duobus Congregationis nostræ theologis, quibus ejusdem examen commisimus, recognitum et approbatum, potestate nobis a R^ssmo^ Patre N. Mauron ejusdem Congregationis Rectore Majore et Superiore Generali facta, in publicam lucem edi permittimus.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, et sigillo officii nostri munitas dedimus.

[L. S.] JOS. HELMPRÆCHT, C. SS. R., Sup. Prov.

Baltimoræ, in Festo Epiphaniæ D. N. J. C. 1874.

APPROBATIO

REVERENDISSIMI ORDINARII.

IMPRIMATUR

✠ JOANNES JOSEPHUS,

Ep. Bostoniensis.

Bostoniæ, 16 Jan., 1874.

MONITUM

NECESSARIO LEGENDUM.

Quæ semper fuit doctrinæ moralis S. Alphonsi universalis ac insignis existimatio, ea apud omnes maxime increvit ex quo inter Ecclesiæ Doctores Sanctus est relatus. Ex hac autem ipsa existimatione desiderium extitit, ut cum *genuinam* ejus doctrinam *tuto* in praxin deducere liceat, hæc non compendiose tantum, sed eâ quoque methodo conscriberetur, quæ publicis prælectionibus foret aptior. Venerabili Clero nostrati illud præterea jam diu in votis fuit, ut in compendiosa hujusmodi et methodica Alphonsianæ doctrinæ expositione ratio haberetur conditionis, quæ Provinciarum nostrarum ecclesiasticarum ac harum regionum est propria. Hujus desiderii expectationem pro viribus meis hac qualicumque opella explere conatus fui. Qua quidem in re compilatoris potius quam auctoris partes me egisse ingenue fateor. Doctrina enim, quam trado et a qua ne latum quidem unguem recedere conatus sum, doctrina est S. Alphonsi ; quæ ad res nostras pertinent, maximam partem desumpsi ex *Actis et decretis Concilii Plen. Balt. II.* et ex *Theologia Morali*, quam bonæ et claræ memoriæ Kenrick conscripsit, difficiliori et aliquoties obscuriori stylo ejus aliquantulum immutato. In plurimis Compendium Theologiæ Mor. P. Gury, cujus præclarissima methodus vix non omnibus theologiæ moralis tum Professoribus, tum alumnis probatur, et quam secutus sum, propemodum exscripsi, illud præ cæteris conatus, ut ad Alphonsianam doctrinam, quam integerrime, illud exigerem. Quæ de Probabilismo scripsi, amico debeo confratri ; quæ de specifica et numerica peccatorum distinctione, itemque plurima de scandalo et cooperatione ad aliena peccata, et de quibusdam contractibus, ex Notationibus habeo Cl^i. Van Egeren. Demum, quæ in opere, cui titulus *Vindiciæ Alphonsianæ*, inveniuntur, ea sedulo ad utilitatem meam convertere studui.

Paucissima igitur sunt, (quanquam sunt aliqua,) quæ ex meo deprompsi penu. Si qua vero ex meî solius aut aliorum quam S. Alphonsi sententia circa puncta quædam, quæ a S. Doctore non attinguntur, scripsi, id sedulo semper notavi, ut ne quis illis eam tribuat auctoritatem, qua Sancti sententiæ in Ecclesia gaudent. Quæ ex legibus nostris civilibus, vernaculo sæpe idiomate, desumpsi, ea judicio subjeci clarissimi Jurisconsulti nostratis, cui debitas hoc loco gratias exsolvo.

Ne textus compendii ingrate interrumperetur atque ut brevitati consulerem, ea Summorum Pontificum et Sacrarum Congregationum Decreta, Declarationes et Instructiones, quæ ad rem moralem pertinent, quæque longiora sunt, nec in Concilii nostri Plenarii Balt. actis exhibentur, itemque facultates Episcopis nostris a S. Sede concedi solitas, operi præmisi, lectorem ad ea suis locis remittens.

Gratum quoque S. Alphonsi discipulo me facturum existimavi, si Compendio præmitterem excerpta quædam ex *Vindiciis Alphonsianis* de præstantia et auctoritate doctrinæ moralis S. Alphonsi, necnon Clavem operum ejus moralium, seu Regulas ad genuinas Sancti sententias discernendas.

Superest ut abbreviationes quasdam declarem, quibus in hoc Compendio usus sum.

L. I. 27. . . .	significat .	Theol. Mor. S. Alphonsi Libro I. n. 27. Editio Mechl. 1845.[1]
H. A. Tr. X. 90. . .	" .	Homo Apostolicus. Tract. X. n. 90.
Vind. Alph. . . .	" .	Vindiciæ Alphonsianæ.
Kenr.	" .	Kenrick Theol. Mor. Ed. Mechl. 1860.
Scav.	" .	Scavini. Theologia Moralis Ed. XI.
Acta	" .	Acta ex iis excerpta quæ apud S. Sedem geruntur.
Kent	" .	Kent. Commentaries. Ed. 1867.
Walker . . .	" .	Walker. Introd. to American Law. Ed. 1869.
Wells	" .	Wells' Every man his own Lawyer. Ed. 1871.

[1] In gratiam eorum, qui editionibus utuntur hâc recentioribus, animadverto:

Qui in hâc editione L. II inscribitur, in prioribus V est.

" " III " " II "

" " IV " " III "

" " V " " IV "

SUMMORUM PONTIFICUM

AC

SACRARUM CONGREGATIONUM

DECRETA, DECLARATIONES AC

INSTRUCTIONES,

AD REM MORALEM PERTINENTES.

I.

SERIES CHRONOLOGICA

PROPOSITIONUM DAMNATARUM

IN MATERIA MORUM,

AB ANNO 1418 CONTRA JOANNEM WICLEFFUM, AD ANNUM 1864 CONTRA RECENTIORES ERRORES.

A.

Articuli Joannis Wicleffi, damnati in Concilio Constantiensi Sessione 45, *anno* 1418.

7. Si homo fuerit debite contritus, omnis Confessio exterior est sibi superflua et inutilis.

10. Contra Scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.

14. Licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei absque auctoritate Sedis apostolicæ sive Episcopi catholici.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, idest ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum eas auferre.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

43. Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandos humanos contractus et commercia civilia.

B.

Articuli. Joannis Hus, damnati ut supra.

16. Divisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa vel vitiosa : quia si homo est vitiosus et agit quidquam, tunc agit vitiose : et si est virtuosus et agit quidquam, tunc agit virtuose : quia sicut vitium, quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.

C.

Propositiones. Magistri Petri Oxomensis, damnatæ in Congregatione Complutensi, et deinde a Sixto IV, anno 1479.

1. Peccata mortalia, quantum ad culpam et pœnam alterius sæculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiæ, non de jure divino.

3. Pravæ cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

4. Confessio debet esse secreta, idest de peccatis secretis, non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ.

Damnatæ ut scandalosæ et hæreticæ.

D.

Errores Martini Lutheri, damnati a Leone X, bulla Exurge Domine, *etc.* 16 Maii 1520.

4. Imperfecta charitas morituri fert secum necessario magnum timorem, qui se solo satis est facere pœnam purgatorii, et impedit introitum regni.

5. Tres esse partes Pœnitentiæ, contritionem, confessionem, et satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura, nec antiquis sanctis christianis doctoribus.

6. Contritio, quæ paratur per discussionem, collationem, et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, hæc contritio facit hypocritam, imo magis peccatorem.

7. Verissimum est proverbium, et omnium doctrina de contritionibus hucusque data præstantius : de cætero non facere, summa pœnitentia : optima pœnitentia, nova vita.

8. Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est ut omnia mortalia cognoscas. Unde primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebatur.

9. Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum.

10. Peccata non sunt ulli remissa, nisi remittente sacerdote credat sibi remitti, imo peccatum maneret, nisi remissum crederet : non enim sufficit remissio peccati et gratiæ donatio, sed oportet etiam credere esse remissum.

11. Nullo modo confidas absolvi propter tuam contritionem, sed propter verbum Christi : *Quodcumque solveris* etc. (Matth. XVI.) Hinc, inquam, confide, si sacerdotis obtinueris absolutionem, et crede fortiter te absolutum, et absolutus vere eris, quidquid sit de contritione.

12. Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret ; si tamen credat se absolutum, verissime est absolutus.

13. In sacramento Pœnitentiæ ac remissione culpæ non plus facit Papa aut Episcopus, quam infimus sacerdos : imo, ubi non est sacerdos, æque tantum quilibet christianus, etiamsi mulier aut puer esset.

14. Nullus debet sacerdoti respondere se esse contritum, nec sacerdos requirere.

23. Excommunicationes sunt tantum externæ pœnæ, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiæ orationibus.

E.

Propositiones. Michaelis Baii. damnatæ a S. Pio V, bulla Ex omnibus afflictionibus *etc.* 1 Oct. 1567, *necnon a Gregorio XIII, bulla* Provisionis nostræ *etc.* 29 Jan. 1579, *et ab Urbano VIII, bulla* In eminenti *etc.* 6 Mart. 1641.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

31. Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

35. Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

38. Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

43. In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum absolutionis, et in catechumenis ante Baptismum, est vera justificatio : separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia et vera legis justitia : non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

46. Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto : *Non concupisces.*

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

56. In peccato duo sunt, actus et reatus : transeunte autem actu, nihil manet nisi reatus sive obligatio ad pœnam.

57. Unde in sacramento Baptismi aut sacerdotis absolutione, proprie reatus peccati duntaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui, pœnitentiam suggerens et inspirans, vivificat eum et resuscitat : ministerio autem sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas aliaque pœnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus, saltem aliqua ex parte, redemptores) : sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, et communicatur.

61. Illa doctorum distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero modo quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum æternum (hoc est ad modum meritorium), commentitia est et explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni æterni eo quod sit a vivo Christi membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed et illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis et in eo charitatem diffundentis, qua divinæ legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item et illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator dum ei pœnitentiæ et vitæ novæ propositum et inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur qui vere justificatur, et palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est et Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus : et gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit et docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem : et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem etiam cum charitate perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut et alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt, pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto : *Non concupisces :* unde homo eos sentiens, et non consentiens, transgreditur præceptum : *Non concupisces :* quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

77. Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam.

F.

Propositiones 5 *Cornelii Jansenii, ex ejus libro cui titulus* Augustinus *excerptæ, damnatæ ab Innocentio X, constitutione* Cum occasione *etc.* 31 *Maii* 1653, *necnon ab Alexandro VII, constitutione* Ad sanctam B. Petri Sedem *etc.* 16 *Oct.* 1665, *tum constitutione* Regiminis apostolici *etc.* 15 *Febr.* 1664, *in qua* formularium *edidit, denique a Clemente XI, constitutione* Vineam Domini sabaoth *etc.* 16 *Jul.* 1705.

1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus et conantibus, secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia : deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. *Declarata et damnata uti* temeraria, impia, blasphema, anathemate damnanda, et hæretica.

2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. *Declarata et damnata uti* hæretica.

3. Ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. *Declarata et damnata uti* hæretica.

4. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei : et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare. *Declarata et damnata uti* falsa et hæretica.

5. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse. *Declarata et damnata uti* falsa, temeraria, scandalosa, et, intellecta eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, et hæretica.

Formularium Alexandri VII.

"Ego N. constitutioni apostolicæ Innocentii X, datæ die 31 Maii 1653, et constitutioni Alexandri VII, datæ die 16 Octobris 1656 summorum Pontificum me subjicio, et quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro cui nomen *Augustinus* excerptas, et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno, et ita juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia."

G.

Propositiones 45 *damnatæ ab Alexandro VII, decretis Congregationis Generalis Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis* Sanctissimus Dominus noster *etc.* 24 *Sept.* 1665, *et* 18 *Mart.* 1666.

Feria V, die 24 Septembris anno 1665.

Sanctissimus Dominus noster audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas et animarum perniciem inferentes, partim

antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate Sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus (cujus verba in æternum permanent) arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari seu verius perverti contingeret, idem SS. D. N., ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa lataque (per quam itur ad perditionem) via pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen *etc.*

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens bullam *Cœnæ* solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 julii in consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evitandi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante : hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit : uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens cappellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis: quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ: ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Feria V, die 18 Martii anno 1666.

Prop. 29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, ut cumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ a Paulo V, hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum sacerdoti (sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali) confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti *donec expurgentur*, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Omnes damnatæ et prohibitæ ut minimum tanquam scandalosæ.

H.

Propositiones 65 *damnatæ ab Innocentio XI, Decreto Congregationis Generalis Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis* Sanctissimus Dominus noster *etc.* 2 *Mart.* 1679.

Feria V, die 2 Martii 1679.

1. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis, aut episcopalis.

2. Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se.

17. Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo et Fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem.

21. Assensus Fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

26. Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid quod revera fecit,

intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis : quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit ; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi quam legatario, contra injuste impedientem ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere : sicut et jus habenti in cathedram vel præbendam, contra earum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum (quamdiu in utero est) carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retrovenditionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram ; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam, falso crimine elidere ?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed dumtaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent ; Concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo ; vel secundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos ; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium : adeoque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Suffieit illa mysteria semel credidisse.

Omnes damnatæ et prohibitæ, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosæ et in praxi perniciosæ.

Summus Pontifex decretum concludit his verbis : Tandem, ut ab injuriosis contentionibus doctores seu scholastici aut alii quicumque imposterum se abstineant, et ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac prædicationibus caveant ab omni censura et nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a Sancta Sede, re cognita, super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Alia propositio damnata sub eodem Innoc. XI, an. 1682.

Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

Revocari hoc potest et decretum Clementis VIII, 26 *Maii an.* 1594.

Tam Superiores pro tempore existentes, quam confessarii, qui postea ad Superioris

gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Quoad sacramentum Pœnitentiæ sub Clemente VIII, 19 *Jul.* 1602. *proscripta est sequens Propositio.*

Licet per litteras seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.

I.

Propositiones 68 *Michaelis de Molinos damnatæ ab Innocentio XI, Constitutione* Cælestis Pastor *etc.* 20 *Nov.* 1687.

1. Oportet hominem suas potentias annihilare, et hæc est vita interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens: et ideo opus est seipsum in Deo totum et totaliter derelinquere, et postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes et veram perfectionem: quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando anima se annihilat, et ad ipsum principium redit et ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet ac divinizata, et Deus tunc in se ipso remanet; quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum, et hac ratione Deus vivit et regnat in nobis, et anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, et non oportet Deum cognoscere, et hoc modo recte proceditur.

7. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione; nec de paradiso, nec de inferno; nec de morte, nec de æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat necne: nec opus est ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, et in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones et ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi: et ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur necne, non opus est reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso: nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio et cura de omni re nostra, et relinquere ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

14. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit ut a Deo rem aliquam petat: quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis et electionis, et est velle quod divina voluntas nostræ conformetur, et non quod nostra divinæ: et illud Evangelii: *Petite et accipietis,* non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem: imo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita: quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, et istud ab amore nostri interessato, nec est Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

17. Tradito Deo libero arbitrio, et eidem relicta cura et cogitatione animæ nostræ,

non est amplius habenda ratio tentationum : nec eis alia resistentia fieri debet nisi negativa, nulla adhibita industria : et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia est natura.

18. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, et propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu et veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre et per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, et semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, et operationibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in Fide obscura et universali, cum quiete et oblivione cujuscumque cogitationis particularis ac distinctæ attributorum Dei ac Trinitatis, et sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum et amandum eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per Fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse : et idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in scala claustralium distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, et contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit. Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat (absque eo quod ipsa id expectet) ad contemplationem infusam : et hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum et in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, et Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia et resignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei : imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus et dormiatur, nihilominus fit oratio et contemplatio actualis : quia oratio et resignatio idem sunt, et dum resignatio perdurat, perdurat et oratio.

26. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, et unitiva est absurdum maximum, quod dictum fuerit in mystica : cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat et amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat nec quærit Deum sed seipsum : et male agit, cum eam desiderat et eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est, siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, et virtutes, frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod exprimitur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, et immundum.

31. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio aut gratiarum actio (pro istis animabus internis), quam permanentia in solida resignatione passiva : quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt et fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse ex impulsu speciali Dei : alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum : quoniam animæ

internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis et lingua gratias agere Deo, non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis : et quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam seu Pater noster recitare.

35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione et activitate ; alias non essent mortuæ. Nec debent elicere actus amoris erga beatam Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi : quia, cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde : quia solus Deus vult illud occupare et possidere.

37. In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore et resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est et infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera et pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, et tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit et vult, ad nos humiliandos et ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia et sine mentis offuscatione, movendo physice illarum manus et alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos : in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris et fœminæ, et ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis sanctos efficiebat tyrannorum ministerio : nunc vero eos efficit sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit ut illi seipsos magis despiciant atque annihilent, et se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, et tamen non peccavit labiis suis : quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est : unde scripsit : *Non quod volo bonum, hoc ago : sed, quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi volentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, et ad eam ad veram transformationem et unionem perducendam, nec alia superest via : et hæc est via facilior et tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo : et etiamsi sequantur pollutiones et actus obscæni propriis manibus, et etiam pejora, non opus est se ipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, et timores : quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, et acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, et sanctissime fit non confitendo : quia hoc pacto superatur dæmon, et acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur : unde ad ejus vires enervandas melius est ea non confiteri : quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat ; eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex capite XVI Job).

50. David, Jeremias, et multi ex sanctis prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos : uti illud de Samsone, qui per violentiam se ipsum occidit cum Philistæis, con-

jugium iniit cum alienigena, et cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, et peccata fuissent : de Juditha, quæ Holoferni mentita fuit : de Elisæo, qui pueris maledixit : de Elia, qui combussit duces cum turmis regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, et de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam de hoc habeo, nedum sunt potestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse quod iis consenserint, et videre quod sint animæ quæ proficiunt in via interna : sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cognitione humana ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine quod talis operatio est violenta : et certus sum quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me provenit conjunctum cum certitudine quod a Deo proveniat, et mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium : eo modo, quo interdum contingit, quod Deus, aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, et anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient et confusos, et cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil : nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges et duæ cupiditates (animæ una et amoris proprii altera) tandiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius : unde quando hic purgatus est et mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges et duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes : quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a confessariis, et a casibus conscientiæ, a theologia, et philosophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, et eo etiam perveniunt ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, et supplet ipse tanta gratia præservante, quantam in sacramento reciperent : et ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est in illis impossibile.

61. Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, et Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum : quin imo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, id est mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, unde sint ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet quam homo rudis ad statum contemplativi : primo quia non habet Fidem adeo puram, secundo quia non est adeo humilis, tertio quia non adeo curat propriam salutem, quarto quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, et speculationibus, et non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, et latitudo voti obedientiæ religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter se res habet, quo solus Deus et director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad inter-

num gubernari debeat ab Episcopo : quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat. Novam dico doctrinam : quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam umquam tradiderunt, nec tradere possunt : quia Ecclesia non judicat de occultis, et anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere quod internum manifestandum est exteriori tribunali præpositorum, et quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio : quia Ecclesia non judicat de occultis : et propriis animabus præjudicant his deceptionibus et simulationibus.

68. In mundo non est facultas nec jurisdictio ad præcipiendum ut manifestentur epistolæ directoris quoad internum animæ : et ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanæ etc.

Damnatæ tanquam, hæreticæ, suspectæ, erroneæ, scandalosæ, blasphemæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, christianæ disciplinæ relaxativæ et eversivæ, et seditiosæ respective.

J.

Propositiones 2 *damnatæ ab Alexandro VIII, Decreto* Sanctissimus Dominus noster *etc.* 24 *Aug.* 1690.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali : formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative : HINC HOMO NON TENETUR AMARE NEQUE IN PRINCIPIO, NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORTALIS.

Declarata et damnata uti hæretica.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi : theologicum vero et mortale est transgressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Declarata et damnata uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, et erronea. *Illam effinxerat pro suo libito Arnaldus, suisque adversariis calumniose de more attribuit.*

K.

Propositiones 31 *damnatæ ab Alexandro VIII, Decreto* Sanctissimus Dominus Noster *etc.* 7 *Dec.* 1690.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum : adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic, ut proinde merito possimus petere : A gratia sufficienti libera nos, Domine.

7. Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio vel mundi : si Dei, charitas Patris est : si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

8. Necesse est, infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex Fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides : et etiamsi videatur credere, non est Fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua pœnitentia seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a Beata Virgine Maria in die purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, et quod Filius (qui offerebatur) etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus : In nomine Patris etc., prætermissis illis : Ego te baptizo.

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit : Non intendo, quod facit Ecclesia.

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.

31. Bulla Urbani VIII, *In eminenti* est subreptitia.

Damnatæ et prohibitæ tanquam temerariæ, scandalosæ, male sonantes, injuriosæ, hæresi proximæ, hæresim sapientes, erroneæ, schismaticæ, et hæreticæ respective.

L.

Propositiones 23 *super amore erga Deum purissimo, damnatæ ab Innocentio XII, Brevi* Cum alias *etc.* 12 *Mart.* 1699.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, et sina ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in amando inveniendam.

2. In statu vitæ contemplativæ sive unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris et spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animæ, est, non aliud facere, quam sequi pe-

detentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, et subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, et nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, et ideo potest illas scandalizare aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria et deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti et beati propter interesse proprium : sed omnem perfectionem ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum : sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam et beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, et quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renuntiatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium. . . Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. . . Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, et quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in cruce, dicens : *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse : sed nunquam amittit in parte superiori, idest in suis actibus directis et intimis, spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, et justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. . . In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca et involuntaria perturbatione ; nam totum, quod est voluntarium et intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. . . Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis adeoque perfectæ, ut fiat habitualis : ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem ejusque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, et reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis. Primo, in fervore nascente earum contemplationis. Secundo, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult ; et amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva et disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio et sua felicitas, sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, et condemnare se, et desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem et liberationem, sed ut rem quam Deus vult, et vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) esset pura et simplex perfectio evangelica in universa traditione designata; antiqui pastores non proponebant passim multitudini justorum nisi exercitia amoris interessati eorum gratiæ proportionata.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem: et tunc evadit unicum principium et unicum motivum omnium actuum, qui deliberati et meritorii sunt.

Damnatæ et reprobatæ tanquam, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerariæ, scandalosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, in praxi perniciosæ, ac etiam respective erroneæ.

M.

Propositiones Paschasii Quesnelli, damnatæ a Clemente XI Constitutione Unigenitus *etc.* 8 *Sept.* 1713.

38. Peccator non est liber nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.

39. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum, ardoris nisi ad se præcipitandum, virium nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.

40. Sine gratia, nihil amare possumus nisi ad nostram condemnationem.

41. Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in philosophis ethnicis, non potest venire nisi a Deo: et sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, et oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, et amoris.

45. Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.

46. Cupiditas aut charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt.

47. Obedientia legis profluere debet ex fonte, et hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, et Dei gloria ejus finis; tunc purum est quando apparet exterius: alioquin non est nisi hypocrisis aut falsa justitia.

49. Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei.

53. Sola charitas christiano modo facit (actiones christianas) per relationem ad Deum et Jesum Christum.

59. Oratio impiorum est novum peccatum: et quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.

60. Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.

61. Timor nonnisi manum cohibet: cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur.

62. Qui a malo non abstinet nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, et jam est reus coram Deo.

63. Baptizatus adhuc est sub lege sicut judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.

64. Sub maledicto legis nunquam fit bonum: quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando.

66. Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem aut per timorem sicuti bestiæ, sed per Fidem et per amorem sicuti filii.

67. Timor servilis non sibi repræsentat Deum nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.

71. Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.

79. Utile et necessarium est omni tempore, omni loco, et omni personarum generi studere et cognoscere spiritum, pietatem, et mysteria Sacræ Scripturæ.

80. Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.

81. Obscuritas Sancti Verbi Dei non est laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.

82. Dies dominicus a christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, et super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle christianum ab hac lectione retrahere.

84. Abripere e christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum istud intelligendi, est illis Christi os obturare.

85. Interdicere christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.

86. Eripere simplici populo hoc solatium, jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi apostolicæ et intentioni Dei.

87. Modus plenus sapientia, lumine, et charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate et sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ et contritionis, et incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.

88. Ignoramus quid sit peccatum et vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, et detrectamus separationis istius ferre confusionem.

Declaratæ et damnatæ tanquam falsæ, captiosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, scandalosæ, perniciosæ, temerariæ, Ecclesiæ et ejus praxi injuriosæ, neque in Ecclesiam solum sed etiam in potestates sæculi contumeliosæ, seditiosæ, impiæ, blasphemæ, suspectæ de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, nec non hæreticis et hæresibus ac etiam schismati faventes, erroneæ, hæresi proximæ, pluries damnatæ, ac demum hæreticæ, variasque hæreses et potissimum illas, quæ in famosis Jansenii propositionibus, et quidem in eo sensu in quo hæ damnatæ fuerunt acceptis, continentur, manifeste innovantes respective.

N.

Propositiones 5 *de duello, damnatæ a Benedicto XIV, Constitutione* Detestabilem *etc.* 10 *Nov.* 1752.

1. Vir militaris, qui, nisi offerat vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis alias sibi debitæ ac promeritæ spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

2. Excusari possunt etiam, honoris tuendi vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

3. Non incurrit ecclesiasticas pœnas ab Ecclesia contra duellantes latas dux vel officialis militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii.

4. Licitum est, in statu hominis naturali, acceptare et offerre duellum, ad servandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

5. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam potest statui civitatis male ordinatæ, in qua nimirum, vel negligentia vel malitia magistratus, justitia aperte denegatur.

Damnatæ ac prohibitæ tanquam falsæ, scandalosæ, ac perniciosæ.

O.

Propositiones Synodi Diœcesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VI, Constitutione Auctorem Fidei *etc.* 28 *Augusti* 1794.

DE POTESTATE ECCLESIÆ QUOAD CONSTITUENDAM ET SANCIENDAM EXTERIOREM DISCIPLINAM.

Decr. de Fide §§. 13. 14.

4. Propositio, affirmans, *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde ;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis.*

Quatenus indeterminatis illis verbis : *extendendo ad res exteriores* notet, velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda ; — HÆRETICA.

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media, quæ pendent a persuasione ;

Quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis cœrcendi atque cogendi :*

Ex Bened. XIV. in brevi *Ad assiduas* anni 1755, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis Regni Polon.

Inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.

JURA EPISCOPIS PRÆTER FAS ATTRIBUTA.

Decr. de Ord. §. 25.

6. Doctrina Synodi, qua profitetur, *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ diœcesis :*

Perinde ac si ad bonum regimen cujusque diœcesis necessariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad Fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes Summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia ; — SCHISMATICA, AD MINUS ERRONEA.

7. Item, in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticæ disciplinæ constitutionem ;* idque, *contra omnes contrarias consuetudines, exceptiones, reservationes, quæ adversantur bono ordini diœcesis, majori gloriæ Dei, et majori ædificationi fidelium :*

Per id quod supponit, Episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quæ in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu Superioris hierarchicæ potestatis, a qua inductæ sunt aut probatæ, et vim legis obtinent ;

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

8. Item, quod et sibi persuasum esse ait, *jura Episcopi a Jesu Christo accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse, et, ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suæ Ecclesiæ ;*

In eo quod innuit, jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate præpediri aut cœrceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suæ Ecclesiæ ;

Inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.

JUS PERPERAM TRIBUTUM INFERIORIS ORDINIS SACERDOTIBUS IN DECRETIS FIDEI ET DISCIPLINÆ.

Epist. convoc.

9. Doctrina, quæ statuit, *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis Diœcesanis ab Episcopo et parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum ;*

Falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Arianæ a Calvino innovatæ.

Ex epist. convoc., ex epist. ad Vicar. for., ex orat. ad Synod. §. 8., *ex sess.* 3.

Orat. Synod. §. 8.

11. Sententia enuntians, veteri majorum instituto, ab Apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones aut sententiæ etiam Majorum Sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et approbatæ a Synodo Diœcesana ;*

Falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et hæresim.

DE DUPLICI AMORE.

De grat. §. 8.

23. Doctrina Synodi de duplici amore (dominantis cupiditatis, et charitatis dominantis) enuntians, hominem sine gratia esse sub servitute peccati, ipsumque in eo statu per generalem cupiditatis dominantis influxum omnes suas actiones inficere et corrumpere ;

Quatenus insinuat, in homine, dum est sub servitute sive in statu peccati, destitutus gratia illa qua liberatur a servitute peccati et constituitur filius Dei, sic dominari cupiditatem, ut per generalem hujus influxum omnes illius actiones in se inficiantur et corrumpantur ; aut opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione fiant, sint peccata ;

Quasi in omnibus suis actibus peccator serviat dominanti cupiditati ;

Falsa, perniciosa, inducens in errorem a Tridentino damnatum ut hæreticum, iterum in Baio damnatum art. 40.

24. Qua vero parte inter dominantem cupiditatem et charitatem dominantem nulli ponuntur affectus medii a natura ipsa insiti suapteque natura laudabiles, qui una cum amore beatitudinis naturalique propensione ad bonum *remanserunt velut extrema lineamenta et reliquiæ imaginis :*

Ex S. August. de Spir. et litt. cap. 28.

Perinde ac si *inter dilectionem divinam, quæ nos perducit ad regnum et dilectionem humanam illicitam, quæ damnatur,* non daretur *dilectio humana licita, quæ non reprehenditur ;*

Ex S. August. serm. 349. de charit., Edit. Maurin. falsa, alias damnata.

DE TIMORE SERVILI.

De pœnit. §. 3.

25. Doctrina, quæ timorem pœnarum generatim perhibet *dumtaxat non posse dici malum, si saltem pertingit ad cohibendam manum ;*

Quasi timor ipse gehennæ, quam Fides docet peccato infligendam, non sit in se bonus et utilis, velut donum supernaturale ac motus a Deo inspiratus præparans ad amorem justitiæ ;

Falsa, temeraria, perniciosa, divinis donis injuriosa, alias damnata, contraria doctrinæ Concilii Tridentini, tum et communi Patrum sententiæ, *opus esse,* juxta consuetum ordinem præparationis ad justitiam, *ut intret timor primo, per quem veniat charitas : timor medicamentum, charitas sanitas.*

Ex S. August. in epist. Jo. cap. 4. tract. 9. num. 4. 5. — In Jo. evang. tract. 41. num. 10. — Enarr. in psal. 127. num. 7. — Serm. 157. de verbis Apostoli num. 13. — Serm. 161. de verbis Apostoli num. 8. — Serm. 349. de Charitate num. 7.

DE SACRAMENTIS, AC PRIMUM DE FORMA SACRAMENTALI CUM ADJUNCTA CONDITIONE.

De Bapt. §. 12.

27. Deliberatio Synodi, qua, prætextu adhæsionis ad antiquos canones, in casu dubii Baptismatis, propositum suum declarat de omittenda formæ conditionalis mentione;

Temeraria, praxi, legi, auctoritati Ecclesiæ contraria.

DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII.

De Euch. §. 8.

30. Doctrina Synodi, qua, dum profitetur *credere Sacrificii oblationem extendere se ad omnes, ita tamen ut in liturgia fieri possit specialis commemoratio aliquorum tam vivorum quam defunctorum, precando Deum peculiariter pro ipsis,* dein continuo subjicit: *Non tamen quod credamus in arbitrio esse sacerdotis applicare fructus Sacrificii cui vult, imo damnamus hunc errorem velut magnopere offendentem jura Dei, qui solus distribuit fructus Sacrificii cui vult, et secundum mensuram quæ ipsi placet*; unde et consequentur traducit velut *falsam opinionem invectam in populum, quod illi, qui eleemosynam subministrant sacerdoti sub conditione quod celebret unam Missam, specialem fructum ex ea percipiant;*

Sic intellecta, ut, præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit a sacerdote, non magis prosit (cæteris paribus) illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino præcepto descendens a Sacra Tridentina Synodo diserte est expressum;

Sess. 23. cap. 1. de reform. — Bened. XIV. constit. *Cum semper oblatas* §. 2.

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

DE CONVENIENTI ORDINE IN CULTU SERVANDO.

De Euch. §. 5.

31. Propositio Synodi enuntians conveniens esse, pro divinorum officiorum ordine et antiqua consuetudine, ut in unoquoque templo unum tantum sit altare, sibique adeo placere morem illum restituere:

Temeraria, perantiquo, pio, multis abhinc sæculis in Ecclesia præsertim latina vigenti et probato mori injuriosa.

Ibid.

32. Item, præscriptio vetans, ne super altaria Sacrarum Reliquiarum thecæ floresve apponantur;

Temeraria, pio ac probato Ecclesiæ mori injuriosa.

Ibid. §. 6.

33. Propositio Synodi, qua cupere se ostendit, ut causæ tollerentur, per quas ex parte inducta est oblivio principiorum ad liturgiæ ordinem spectantium, *revocando illam ad majorem rituum simplicitatem, eam vulgari lingua exponendo, et elata voce proferendo;*

Quasi vigens ordo liturgiæ, ab Ecclesia receptus et probatus, aliqua ex parte manasset ex oblivione principiorum, quibus illa regi debet;

Temeraria, piarum aurium offensiva, in Ecclesiam contumeliosa, favens hæreticorum in eam conviciis.

DE ORDINE PŒNITENTIÆ.

De Pœnit. §. 10. *n.* 4.

35. Propositio his verbis concepta : *Si charitas in principio semper debilis est, de via ordinaria ad obtinendum augmentum hujus charitatis oportet, ut Sacerdos præcedere faciat eos actus humiliationis et pœnitentiæ, qui fuerunt omni ætate ab Ecclesia commendati : redigere hos actus ad paucas orationes aut ad aliquod jejunium post jam collatam absolutionem, videtur potius materiale desiderium conservandi huic sacramento nudum nomen Pœnitentiæ, quam medium illuminatum et aptum ad augendum illum fervorem charitatis, qui debet præcedere absolutionem : longe quidem absumus ab improbanda praxi imponendi pœnitentias etiam post absolutionem adimplendas : si omnia nostra bona opera semper adjunctos habent nostros defectus, quanto magis vereri debemus ne plurimas imperfectiones admiserimus in difficillimo et magni momenti opere nostræ reconciliationis ;*

Quatenus innuit, pœnitentias, quæ imponuntur adimplendæ post absolutionem, spectandas potius esse velut supplementum pro defectibus admissis in opere nostræ reconciliationis, quam ut pœnitentias vere sacramentales et satisfactorias pro peccatis confessis ; quasi, ut vera ratio Sacramenti non nudum nomen servetur, oporteat de via ordinaria ut actus humiliationis et pœnitentiæ, qui imponuntur per modum satisfactionis sacramentalis, præcedere debeant absolutionem.

Falsa, temeraria, communi praxi Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum.

DE PRÆVIA NECESSARIA DISPOSITIONE PRO ADMITTENDIS PŒNITENTIBUS AD RECONCILIATIONEM.

De grat. §. 15.

36. Doctrina Synodi, qua, postquam præmisit, *quando habebuntur signa non æquivoca amoris Dei dominantis in corde hominis, posse illum merito judicari dignum qui admittatur ad participationem sanguinis Jesu Christi, quæ fit in Sacramentis,* subdit, *supposititicias conversiones, quæ fiunt per attritionem, nec efficaces esse solere, nec durabiles ;* consequenter *pastorem animarum debere insistere signis non æquivocis charitatis dominantis antequam admittat suos pœnitentes ad Sacramenta ;* quæ signa, ut deinde tradit (§. 17.), *pastor deducere poterit ex stabili cessatione a peccato, et fervore in operibus bonis ;* quem insuper *fervorem charitatis* perhibet (*de Pœnit.* §. 10.) velut dispositionem, quæ *debet præcedere absolutionem ;*

Sic intellecta, ut non solum contritio imperfecta, quæ passim attritionis nomine donatur, etiam quæ juncta sit cum dilectione, qua homo incipit diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, nec modo contritio charitate formata, sed et fervor charitatis dominantis, et ille quidem diuturno experimento per fervorem in operibus bonis probatus, generaliter et absolute requiratur ut homo ad Sacramenta et speciatim pœnitentes ad absolutionis beneficium admittantur ;

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, tutæ ac probatæ in Ecclesia praxi contraria, Sacramenti efficaciæ detrahens et injuriosa.

DE AUCTORITATE ABSOLVENDI.

De Pœnit. §. 10. *n.* 6.

37. Doctrina Synodi, quæ de auctoritate absolvendi accepta per Ordinationem enuntiat, *post institutionem diœcesium et parochiarum conveniens esse, ut quisque judicium hoc exerceat super personas sibi subditas sive ratione territorii, sive jure quodam personali,* propterea quod *aliter confusio induceretur et perturbatio ;*

Quatenus post institutas diœceses et parochias enuntiat tantummodo *conveniens esse, ad præcavendam confusionem, ut absolvendi potestas exerceatur super subditos ;* sic intellecta tanquam ad validum usum hujus potestatis non sit necessaria ordinaria vel subdelegata illa jurisdictio, sine qua Tridentinum declarat nullius momenti esse absolutionem a sacerdote prolatam ;

Falsa, temeraria, perniciosa, Tridentino contraria et injuriosa, erronea.

Ibid. §. 11.

38. Item, doctrina, qua, postquam Synodus professa est *se non posse satis admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quæ* (ut ait) *ad Pœnitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam*, subjungit, *per timorem perpetuæ exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frænum illis injectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent ;*

Contraria can. 13. Concilii Nicæni I., decretali Innocentii I. ad Exuperium Tholos., tum et decretali Cælestini I. ad Episcopos Viennen. et Narbonen. provinciæ, redolens pravitatem, quam in ea decretali sanctus Pontifex exhorret.

DE PECCATORUM VENIALIUM CONFESSIONE.

De Pœnit. §. 12.

39. Declaratio Synodi in peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones ;

Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatæ contraria.

DE INDULGENTIIS.

De Pœnit. §. 16.

40. Propositio asserens, *indulgentiam secundum suam præcisam notionem aliud non esse, quam remissionem partis ejus pœnitentiæ, quæ per canones statuta erat peccanti ;*

Quasi indulgentia, præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam ;

Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19. Lutheri damnata.

Ibid.

41. Item, in eo quod subditur, *scholasticos suis subtilitatibus inflatos invexisse thesaurum male intellectum meritorum Christi et Sanctorum, et claræ notioni absolutionis a pœna canonica substituisse confusam et falsam applicationis meritorum ;*

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum ;

Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in articulo 17. Lutheri damnata.

Ibid.

42. Item, in eo quod superaddit, *luctuosius adhuc esse quod chimærica isthæc applicatio transferri volita sit in defunctos ;*

Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22. Lutheri.

Ibid.

43. In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc. ;

Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in Summos Pontifices atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

DE RESERVATIONE CASUUM.

De Pœnit. §. 19.

44. Propositio Synodi asserens, *reservationem casuum nunc temporis aliud non esse, quam improvidum ligamen pro inferioribus sacerdotibus, et sonum sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis non admodum curare hanc reservationem ;*

Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.

Ibid.

45. Item, de spe quam ostendit fore, *ut reformato rituali et ordine Pœnitentiæ nullum amplius locum habituræ sint hujusmodi reservationes :*

Prout, attenta generalitate verborum, innuit, per reformationem ritualis et ordinis Pœnitentiæ factam ab Episcopo vel Synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (Sess. 14. c. 7.) declarat Pontifices Maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare ;

Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et Summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.

DE CENSURIS.

De Pœnit. §§. 20. 22.

46. Propositio asserens, *effectum excommunicationis exteriorem dumtaxat esse, quia tantummodo natura sua excludit ab exteriore communicatione Ecclesiæ :*

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans ;

Ex S. August. epist. 250. Auxilio Episcopo. — Tract. 50. in Jo. num. 12.

Falsa, perniciosa, in art. 23. Lutheri damnata, ad minus erronea.

§§. 21. 23.

47. Item, quæ tradit, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem præcedere debeat examen personale ; atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali effectu ;

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea.

§. 22.

48. Item quæ pronuntiat, *inutilem ac vanam esse formulam nonnullis ab hinc sæculis inductam absolvendi generaliter ab excommunicationibus, in quas fidelis incidere potuisset ;*

Falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa.

§. 24.

49. Item, quæ damnat ut nullas et invalidas *Suspensiones ex informata conscientia :*

Falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa.

Ibid.

50. Item, in eo quod insinuat, soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (Sess. 14. c. 1. de reform.), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendæ ;

Jurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ læsiva.

DE ORDINE.

De Ordine §. 4.

51. Doctrina Synodi, quæ perhibet, in promovendis ad Ordines hanc de more et instituto veteris disciplinæ rationem servari consuevisse, *ut si quis clericorum distinguebatur sanctitate vitæ, et dignus æstimabatur qui ad Ordines Sacros ascenderet, ille solitus erat promoveri ad Diaconatum vel Sacerdotium etiamsi inferiores Ordines non suscepisset ; neque tum talis ordinatio dicebatur per saltum, ut postea dictum est.*

§. 5.

52. Item, quæ innuit, non alium titulum Ordinationum fuisse, quam deputationem ad aliquod speciale ministerium, qualis præscripta est in Concilio Chalcedonensi ; subjungens (§. 6.), quamdiu Ecclesia sese his principiis in delectu sacrorum ministrorum conformavit, ecclesiasticum ordinem floruisse ; verum beatos illos dies transiisse, nova-

que principia subinde introducta, quibus corrupta fuit disciplina in delectu ministrorum sanctuarii.

§. 7.

53. Item, quod inter hæc ipsa corruptionis principia refert, quod recessum sit a vetere instituto, quo, ut ait (§. 3.), Ecclesia insistens Apostoli vestigiis neminem ad Sacerdotium admittendum statuerat, nisi qui conservasset innocentiam baptismalem;

Quatenus innuit, corruptam fuisse disciplinam per decreta et instituta:

1. Sive quibus Ordinationes per saltum vetitæ sunt;

2. Sive quibus pro Ecclesiarum necessitate et commoditate probatæ sunt Ordinationes sine titulo specialis officii, velut speciatim a Tridentino ordinatio ad titulum patrimonii; salva obedientia, qua sic ordinati Ecclesiarum necessitatibus deservire debent iis obeundis officiis, quibus pro loco ac tempore ab Episcopo admoti fuerint, quemadmodum ab apostolicis temporibus in primitiva Ecclesia fieri consuevit;

3. Sive quibus jure canonico facta est criminum distinctio, quæ delinquentes reddunt irregulares; quasi per hanc distinctionem Ecclesia recesserit a spiritu Apostoli, non excludendo generaliter et indistincte ab ecclesiastico ministerio omnes quoscumque qui baptismalem innocentiam non conservassent;

Doctrina singulis suis partibus falsa, temeraria, ordinis pro ecclesiarum necessitate et commoditate inducti perturbativa, in disciplinam per canones et speciatim per Tridentini decreta probatam injuriosa.

§. 13.

54. Item, quæ velut turpem abusum notat unquam prætendere eleemosynam pro celebrandis Missis et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolæ*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offertur;

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiæ, qui secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur;

Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.

§. 14.

55. Item, quæ vehementer optare se profitetur, ut aliqua ratio inveniretur minutuli cleri (quo nomine inferiorum ordinum clericos designat) a Cathedralibus et Collegiatis submovendi, providendo aliter (nempe per probos et provectioris ætatis laicos, congruo assignato stipendio) ministerio inserviendi Missis et aliis officiis, velut Acolythi etc., ut olim, inquit, fieri solebat, quando ejus generis officia non ad meram speciem pro majoribus Ordinibus suscipiendis redacta erant;

Quatenus reprehendit institutum, quo cavetur, ut *minorum ordinum functiones per eos tantum præstentur exerceanturve, qui in illis constituti adscriptive sunt* (Concil. Prov. IV. Mediol.); idque ad mentem Tridentini (Sess. 23. c. 17.), *ut sanctorum Ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones ab apostolicis temporibus in ecclesia laudabiliter receptæ, et in pluribus locis aliquamdiu intermissæ juxta sacros canones revocentur, nec ab hæreticis tanquam otiosæ traducantur;*

Suggestio temeraria, piarum aurium offensiva, ecclesiastici ministerii perturbativa, servandæ quoad fieri potest in celebrandis mysteriis decentiæ imminutiva, in minorum ordinum munera et functiones, tum in disciplinam per canones et speciatim per Tridentinum probatam injuriosa, favens hæreticorum in eam conviciis et calumniis.

§. 18.

56. Doctrina, quæ statuit, conveniens videri in impedimentis canonicis, quæ proveniunt ex delictis in jure expressis, ullam unquam nec concedendam nec admittendam esse dispensationem;

Æquitatis et moderationis canonicæ a sacro Concilio Tridentino probatæ læsiva, auctoritati et juribus Ecclesiæ derogans.

Ibid. §. 22.

57. Præscriptio Synodi, quæ generaliter et indiscriminatim velut abusum rejicit quamcumque dispensationem, ut plus quam unum residentiale beneficium uni eidemque conferatur, item, in eo quod subjungit, certum sibi esse, juxta Ecclesiæ spiritum plus quam uno beneficio tametsi simplici neminem frui posse;

Pro sua generalitate, derogans moderationi Tridentini Sess. 7. c. 5., et Sess. 24. c. 17.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.

Libell. memorial. circa sponsalia etc. §. 2.

58. Propositio, quæ statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere qui ad Matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad Sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ;

Falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.

De Matrim. §§. 7. 11. 12.

59. Doctrina Synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia:* quod *jus originarium* præterea dicitur *cum jure dispensandi essentialiter connexum;* subjungens, *supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum Matrimonii;*

Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ Matrimonium non solum impediant sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare;

Canonum 3. 4. 9. 12. Sessionis 24. Concilii Tridentini eversiva, hæretica.

Cit. libell. memorial. circa sponsal. §. 10.

60. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut *e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicæ honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justinianâ;* tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis, ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendæ;*

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis;

Libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.

DE OFFICIIS, EXERCITATIONIBUS, INSTITUTIONIBUS AD RELIGIOSUM CULTUM PERTINENTIBUS

ET PRIMUM DE ADORANDA HUMANITATE CHRISTI.

De Fide §. 3.

61. Propositio, quæ asserit, *adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ;*

Quatenus per hoc verbum directe intendat reprobare adorationis cultum, quem fide-

les dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se et tanquam nuda caro sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio qua Verbum Incarnatum cum propria ipsius carne adoratur ;

Ex Concil. CP. V. Gen. Can. 9.

Falsa, captiosa, pio ac debito cultui humanitati Christi a fidelibus præstito ac præstando detrahens et injuriosa.

De Orat. §. 10.

62. Doctrina, quæ devotionem erga sacratissimum Cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat velut novas, erroneas, aut saltem periculosas ;

Intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata ;

Falsa, temeraria, perniciosa, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa.

De orat. §. 10. *et append. n.* 32.

63. Item, in eo quod cultores Cordis Jesu hoc etiam nomine arguit, quod non advertant, sanctissimam carnem Christi aut ejus partem aliquam aut etiam humanitatem totam cum separatione aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu latriæ ;

Quasi fideles Cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a divinitate, dum illud adorant ut est Cor Jesu, Cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum quo exangue corpus Christi in triduo mortis sine separatione aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulchro ;

Captiosa, in fideles Cordis Christi cultores injuriosa.

DE ORDINE PRÆSCRIPTO IN PIIS EXERCITATIONIBUS OBEUNDIS.

De orat. §. 14., *append. n.* 34.

64. Doctrina, quæ velut superstitiosam universe notat *quamcumque efficaciam, quæ ponatur in determinato numero precum et piarum salutationum ;*

Tanquam superstitiosa censenda esset efficacia, quæ sumitur non ex numero in se spectato, sed ex præscripto Ecclesiæ certum numerum precum vel externarum actionum præfinientis pro indulgentiis consequendis, pro adimplendis pœnitentiis, et generatim pro sacro et religioso cultu rite et ex ordine peragendo ;

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, pietati fidelium injuriosa, Ecclesiæ auctoritati derogans, erronea.

De Pœnit. §. 10.

65. Propositio enuntians, *irregularem strepitum novarum institutionum, quæ dictæ sunt exercitia vel missiones . . . . forte nunquam aut saltem perraro eo pertingere ut absolutam conversionem operentur ; et exteriores illos commotionis actus, qui apparuere, nil aliud fuisse quam transeuntia naturalis concussionis fulgura ;*

Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie ac salutariter per Ecclesiam frequentato et in Verbo Dei fundato injuriosa.

DE MODO JUNGENDÆ VOCIS POPULI CUM VOCE ECCLESIÆ IN PRECIBUS PUBLICIS.

66. Propositio asserens, *fore contra apostolicam praxim et Dei consilia, nisi populo faciliores viæ pararentur vocem suam jungendi cum voce totius Ecclesiæ ;*

Intellecta de usu vulgaris linguæ in liturgicas preces inducendæ.

Falsa, temeraria, ordinis pro mysteriorum celebratione præscripti perturbativa, plurium malorum facile productrix.

DE LECTIONE SACRÆ SCRIPTURÆ.

Ex nota in fine decr. de gratia.

67. Doctrina perhibens, a lectione Sacrarum Scripturarum *nonnisi veram impotenti-*

am excusare; subjungens, ultro se prodere obscurationem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est super primarias veritates Religionis;

Falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, alias in Quesnellio damnata.

DE SACRIS IMAGINIBUS.

De orat. §. 17.

69. Præscriptio, quæ generaliter et indistincte inter imagines ab Ecclesia auferendas, velut rudibus erroris occasionem præbentes, notat imagines Trinitatis incomprehensibilis;

Propter sui generalitatem, temeraria, ac pio per Ecclesiam frequentato mori contraria, quasi nullæ extent imagines sanctissimæ Trinitatis communiter approbatæ ac tuto permittendæ;

Ex brevi *Sollicitudini nostræ* Benedicti XIV, anni 1745.

70. Item doctrina et præscriptio generatim reprobans omnem specialem cultum, quem alicui speciatim imagini solent fideles impendere, et ad ipsam potius quam ad aliam confugere;

Temeraria, perniciosa, pio per Ecclesiam frequentato mori, tum et illi providentiæ ordini injuriosa, quo *ita Deus nec in omnibus memoriis Sanctorum ista fieri voluit, qui dividit propria unicuique prout vult.*

Ex S. August. epist. 78. clero, senioribus, et universæ plebi ecclesiæ Hipponensis.

71. Item, quæ vetat ne imagines præsertim Beatæ Virginis ullis titulis distinguantur, præterquam denominationibus quæ sint analogæ mysteriis, de quibus in Sacra Scriptura expressa fit mentio;

Quasi nec adscribi possent imaginibus piæ aliæ denominationes, quas vel in ipsismet publicis precibus Ecclesia probat et commendat;

Temeraria, piarum aurium offensiva, venerationi Beatæ præsertim Virgini debitæ injuriosa.

72. Item, quæ velut abusum extirpari vult morem, quo velatæ asservantur certæ imagines;

Temeraria, frequentato in Ecclesia et ad fidelium pietatem fovendam inducto mori contraria.

DE FESTIS.

Libell. memorial. pro fest. reform. §. 3.

73. Propositio enuntians novorum festorum institutionem ex neglectu in veteribus observandis, et ex falsis notionibus naturæ et finis earumdem solemnitatum originem duxisse;

Falsa, temeraria, scandalosa, Ecclesiæ injuriosa, favens hæreticorum in dies festos per Ecclesiam celebratos conviciis.

Ibid. §. 8

74. Deliberatio Synodi de transferendis in diem Dominicum festis per annum institutis, idque pro jure, quod persuasum sibi esse ait Episcopo competere super disciplinam ecclesiasticam in ordine ad res mere spirituales; ideoque et præceptum Missæ audiendæ abrogandi diebus, in quibus ex pristina Ecclesiæ lege viget etiamnum id præceptum; tum etiam in eo quod superaddit de transferendis in Adventum episcopali auctoritate jejuniis per annum ex Ecclesiæ præcepto servandis;

Quatenus adstruit, Episcopo fas esse jure proprio transferre dies ab Ecclesia præscriptos pro festis jejuniisve celebrandis, aut inductum Missæ audiendæ præceptum abrogare;

Propositio falsa, juris Conciliorum Generalium et Summorum Pontificum læsiva, scandalosa, schismati favens.

DE JURAMENTIS.

Libell. memorial. pro juram. reform. §. 5.

75. Doctrina, quæ perhibet, beatis temporibus nascentis Ecclesiæ juramenta visa esse a documentis Divini Præceptoris atque ab aurea evangelica simplicitate adeo aliena, ut *ipsummet jurare sine extrema et ineluctabili necessitate reputatus fuisset actus irreligiosus, homine christiano indignus ;* insuper *continuatam Patrum seriem demonstrare, juramenta communi sensu pro vetitis habita fuisse ;* indeque progreditur ad improbanda juramenta, quæ Curia ecclesiastica, jurisprudentiæ feudalis (ut ait) normam secuta, in investituris et in sacris ipsis Episcoporum ordinationibus adoptavit ; statuitque, adeo implorandam a sæculari potestate legem pro abolendis juramentis, quæ in curiis etiam ecclesiasticis exiguntur pro suscipiendis muniis et officiis, et generatim pro omni actu curiali ;

Falsa, Ecclesiæ injuriosa, juris ecclesiastici læsiva, disciplinæ per canones inductæ et probatæ subversiva.

DE COLLATIONIBUS ECCLESIASTICIS.

De collat. ecclesiast. §. 1.

76. Insectatio, qua Synodus Scholasticam exagitat, velut eam, *quæ viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum ;*

Quatenus in Scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt ;

Falsa, temeraria, in sanctissimos viros et doctores, qui magno catholicæ Religionis bono scholasticam excoluere, injuriosa, favens infestis in eam hæreticorum conviciis.

Ibid.

77. Item, in eo quod subdit, *mutationem formæ regiminis ecclesiastici, qua factum est ut ministri Ecclesiæ in oblivionem venirent suorum jurium, quæ simul sunt eorum obligationes, eo demum rem adduxisse, ut obliterari faceret primitivas notiones ministerii ecclesiastici et sollicitudinis pastoralis ;*

Quasi per mutationem regiminis congruentem disciplinæ in Ecclesia constitutæ et probatæ obliterari unquam potuerit et amitti primitiva notio ecclesiastici ministerii pastoralisve sollicitudinis ;

Propositio falsa, temeraria, erronea.

§. 4.

78. Præscriptio Synodi de ordine rerum tractandarum in collationibus, qua, posteaquam præmisit, *in quolibet articulo distinguendum id, quod pertinet ad fidem et ad essentiam Religionis, ab eo, quod est proprium disciplinæ,* subjungit, *in hac ipsa* (disciplina) *distinguendum quod est necessarium aut utile ad retinendos in spiritu fideles ab eo, quod est inutile aut onerosius quam libertas filiorum Novi Fœderis patiatur, magis vero ab eo quod est periculosum aut noxium, utpote inducens ad superstitionem et materialismum ;*

Quatenus pro generalitate verborum comprehendat et præscripto examini subjiciat etiam disciplinam ab Ecclesia constitutam et probatam ; quasi Ecclesia, quæ spiritu Dei regitur, disciplinam constituere posset non solum inutilem et onerosiorem quam libertas christiana patiatur, sed et periculosam, noxiam, inducentem in superstitionem et materialismum ;

Falsa, temeraria, scandalosa, perniciosa, piarum aurium offensiva, Ecclesiæ ac spiritui Dei, quo ipsa regitur, injuriosa, ad minus erronea.

CONVICIA ADVERSUS ALIQUAS SENTENTIAS IN SCHOLIS CATHOLICIS USQUE ADHUC AGITATAS.

Orat. ad Synod. §. 2.

79. Assertio, quæ conviciis et contumeliis insectatur sententias in scholis catholicis agitatas, et de quibus Apostolica Sedes nihil adhuc definiendum aut pronunciandum censuit;

Falsa, temeraria, in scholas catholicas injuriosa, debitæ apostolicis constitutionibus obedientiæ derogans.

DE TRIBUS REGULIS FUNDAMENTI LOCO A SYNODO POSITIS

PRO REFORMATIONE REGULARIUM.

Libell. memorial. pro reform. regularium §. 9.

80. Regula I, quæ statuit universe et indiscriminatim, *Statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitæ pastoralis muneribus; nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principiis;*

Falsa, perniciosa, in sanctissimos ecclesiæ Patres et Præsules, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori Summorumque Pontificum sanctionibus, contraria: *Quasi monachi, quos morum gravitas et vitæ ac Fidei institutio sancta commendat,* non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ *clericorum officiis aggregentur.*

Ex S. Siricio epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. 13.

81. Item, in eo quod subjungit, sanctos Thomam et Bonaventuram sic in tuendis adversus summos homines mendicantium institutis versatos esse, ut in eorum defensionibus minor æstus, accuratio major desideranda fuisset;

Scandalosa, in sanctissimos doctores injuriosa, impiis damnatorum auctorum contumeliis favens.

82. Regula II, *Multiplicationem ordinum ac diversitatem naturaliter inferre perturbationem et confusionem;* item in eo quod præmittit (§. 4.) *regularium fundatores,* qui post monastica instituta prodierunt, *ordines superaddentes ordinibus, reformationes reformationibus, nihil aliud effecisse, quam primariam mali causam magis magisque dilatare;*

Intellecta de ordinibus et institutis a Sancta Sede probatis, quasi distincta piorum munerum varietas, quibus distincti ordines addicti sunt, natura sua perturbationem et confusionem parere debeat;

Falsa, calumniosa, in sanctos fundatores eorumque fideles alumnos, tum et in ipsos Summos Pontifices injuriosa.

83. Regula III, qua, postquam præmisit, *parvum corpus degens intra civilem societatem quin fere sit pars ejusdem, parvamque monarchiam figit in statu, semper esse periculosum,* subinde hoc nomine criminatur privata monasteria, communis instituti vinculo sub uno præsertim capite, consociata, velut speciales totidem monarchias civili reipublicæ periculosas et noxias;

Falsa, temeraria, regularibus institutis a Sancta Sede ad Religionis profectum approbatis injuriosa, favens hæreticorum in eadem instituta insectationibus et calumniis.

DE SYSTEMATE SEU ORDINATIONUM COMPLEXIONE DUCTA EX ALLATIS REGULIS, ET OCTO SEQUENTIBUS ARTICULIS COMPREHENSA,

PRO REFORMATIONE REGULARIUM.

§. 10.

84. Art. I. *De uno dumtaxat ordine in Ecclesia retinendo, ac de seligenda præ cæteris regula sancti Benedicti, cum ob sui præstantiam, tum ob præclara illius ordinis merita;*

sic tamen, ut, in his quæ forte occurrent temporum conditioni minus congrua ; instituta vitæ ratio apud Portum-Regium lucem præferat ad explorandum, quid addere quid detrahere conveniat ;

II. *Ne compotes fiant ecclesiasticæ hierarchiæ, qui se huic ordini adjunxerint ; nec ad sacros Ordines promoveantur, præterquam ad summum unus vel duo, initiandi tanquam curati vel cappellani monasterii, reliquis in simplici laicorum ordine remanentibus ;*

III. *Unum tantum in unaquaque civitate admittendum monasterium, idque extra mœnia civitatis in locis abditioribus et remotioribus collocandum ;*

IV. *Inter occupationes vitæ monasticæ pars sua labori manuum inviolate servanda, relicto tamen congruo tempore psalmodiæ impendendo, aut etiam (si cui libuerit) litterarum studio ; psalmodia deberet esse moderata, quia nimia ejus prolixitas parit præcipitantiam, molestiam, evagationem ; quo plus auctæ sunt psalmodiæ, orationes, preces, tantumdem peræqua proportione omni tempore imminutus fervor est sanctitasque regularium ;*

V. *Nulla foret admittenda distinctio monachos inter sive choro sive ministeriis addictos ; inæqualitas isthæc gravissimas omni tempore lites excitavit ac discordias, et a communitatibus regularium spiritum charitatis expulit ;*

VI. *Votum perpetuæ stabilitatis nunquam tolerandum ; non illud norant veteres monachi, qui tamen Ecclesiæ consolatio et christianismi ornamentum exiterunt ; vota castitatis, paupertatis, et obedientiæ non admittentur instar communis et stabilis regulæ : si quis ea vota aut omnia aut aliqua facere voluerit, consilium et veniam ab Episcopo postulabit, qui tamen nunquam permittet ut perpetua sint, nec anni fines excedent ; tantummodo facultas dabitur ea renovandi sub iisdem conditionibus ;*

VII. *Omnem Episcopus habebit inspectionem in eorum vitam, studia, progressum in pietate, ad ipsum pertinebit monachos admittere et expellere, semper tamen accepto contubernalium consilio.*

VIII. *Regulares ordinum qui adhuc remanent, licet sacerdotes, in hoc monasterium admitti etiam possent, modo in silentio et solitudine propriæ sanctificationi vacare cuperent ; quo casu dispensationi locus fieret in generali regula num. II. statuta, sic tamen ne vitæ institutionem sequantur ab aliis discrepantem, adeo ut non plus quam una aut ad summum duæ in diem Missæ celebrentur, satisque cæteris sacerdotibus esse debeat una cum communitate concelebrare ;*

ITEM PRO REFORMATIONE MONIALIUM.

§. 11.

Vota perpetua usque ad annum 40 *aut* 45 *non admittenda ; moniales solidis exercitationibus, speciatim labori, addicendæ ; a carnali spiritualitate, quæ pleræque distinentur, avocandæ ; expendendum, utrum quod ad ipsas attinet, satius foret monasterium in civitate relinqui.*

Systematis vigentis atque jam antiquitus probatæ ac receptæ disciplinæ subversivum, perniciosum, constitutionibus apostolicis et plurium Conciliorum etiam Generalium tum speciatim Tridentini sanctionibus oppositum et injuriosum, favens hæreticorum in monastica vota et regularia instituta, stabiliori consiliorum evangelicorum professioni addicta, conviciis et calumniis.

P.

SYLLABUS

COMPLECTENS PRÆCIPUOS NOSTRÆ ÆTATIS ERRORES

QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS,

ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII PAPÆ IX.

§. I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

1. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen Divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

4. Omnes Religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Epist. encycl. *Singulari quidem*, 17 Martii 1856. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

5. Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui, qui humanæ rationis progressioni respondeat.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

6. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

7. Prophetiæ et miracula, in Sacris Litteris exposita et narrata, sunt poetarum commenta, et christianæ Fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

§. II.

Rationalismus moderatus.

8. Quum ratio humana ipsi Religioni æquiparetur, idcirco theologicæ disciplinæ perinde ac philosophicæ tractandæ sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi*, 9 Decembris 1854.

9. Omnia indiscriminatim dogmata Religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; et humana ratio historice tantum exculta potest ex suis naturalibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862. — Epist. ad eumdem *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

10. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862. — Epist. ad eumdem *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 Decembris 1862.

12. Apostolicæ Sedis, Romanarumque Congregationum Decreta liberum scientiæ progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

13. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

14. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohærent maximam partem errores Antonii Günther, qui damnatur in Epist. ad Card. Archiep. Colonien. *Eximiam tuam*, 15 Junii 1847, et in Epist ad Episc. Wratislavien. *Dolore haud mediocri*, 30 Aprilis 1860.

§. III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

15. Liberum cuique homini est eam amplecti et profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

16. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Ubi primum*, 17 Decembris 1847. — Epist. encycl. *Singulari quidem*, 17 Martii 1856.

17. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854. — Epist. encycl. *Quanto conficiamur*, 10 Augusti 1863.

18. Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem christianæ Religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849.

§. IV.

Socialismus, Communismus, Societates clandestinæ, Societates biblicæ, Societates clerico-liberales.

Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849; in

Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849; in Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854; in Epist. encycl. *Quanto conficiamur mœrore*, 10 Augusti 1863.

§. V.

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

19. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem jura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam*, 9 Decembris 1854. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 Septembris 1861.

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi, Religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram Religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

22. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti Fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

23. Romani Pontifices et Concilia Œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus Fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

24. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

25. Præter potestatem episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856. — Epist. encycl. *Incredibili*, 17 Septembris 1863.

27. Sacri Ecclesiæ Ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

28. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

29. Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tanquam irritæ, nisi per Gubernium fuerint imploratæ.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

30. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus Clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852. — Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

32. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua Clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montis regal. *Singularis Nobisque*, 29 Septembris 1864.

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 Decembris 1863.

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

35. Nihil vetat, alicujus Concilii Generalis sententia aut universorum populorum facto summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

36. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ* 22 Augusti 1851.

37. Institui possunt nationales Ecclesiæ, ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860. — Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

38. Divisioni Ecclesiæ in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

§ VI.

Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

39. Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

40. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ societatis bono et commodis adversatur.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

41. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitæ competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum jus quod vocant *exequatur*, sed etiam jus appellationis, quam nuncupant *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

42. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea reclamante.

Alloc. *In consistoriali*, 1 Novembris 1850. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus, quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de divinorum

Sacramentorum administratione, et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In consistoriali,* 1 Novembris 1850. — Alloc. *Maxima quidem,* 9 Junii 1862.

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In consistoriali,* 1 Novembris 1850. — Alloc. *Quibus luctuosissimis,* 5 Septembris 1851.

46. Imo in ipsis Clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine,* 14 Julii 1864.

48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica Fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta quæque rerum duntaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine,* 14 Julii 1864.

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus Sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem,* 9 Junii 1862.

50. Laica auctoritas habet per se jus præsentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant dicœcesium procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas Litteras accipiant.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

51. Imo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis, quæ Episcopatum et Episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter,* 10 Junii 1851. — Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852.

52. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis Familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore,* 15 Decembris 1856.

53. Abrogandæ sunt leges, quæ ad religiosarum Familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; imo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem Familias, perinde ac Collegiatas Ecclesias et Beneficia simplicia, etiam juris patronatus, penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum,* 27 Septembris 1852. — Alloc. *Probe memineritis,* 22 Januarii 1855. — Alloc. *Cum sæpe,* 26 Julii 1855.

54. Reges et Principes non solum ab Ecclesiæ jurisdictione eximuntur, verum etiam in quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

55. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia sejungendus est.

Alloc. *Acerbissimum*, 27 *Septembris* 1852.

§. VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

58. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ, quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862. — Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 10 Augusti 1863.

59. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium virium summa.

Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

61. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant *de non interventu*.

Alloc. *Novos et ante*, 28 Septembris 1860.

63. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.

Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846. — Alloc. *Quisque vestrum*, 4 Octobris 1847. — Epist. encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 Decembris 1849. — Litt. Apost. *Cum catholica*, 26 Martii 1860.

64. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriæ amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

§. VIII.

Errores de matrimonio christiano.

65. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem Sacramenti.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

66. Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

67. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi; sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

69. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

70. Tridentini Canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

71. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

72. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851.

73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851. — Lettera di S. S. Pio IX al Re di Sardegna, 9 Settembre 1852. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 Decembris 1860.

74. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*, 22 Augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 Septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de Clericorum cælibatu abolendo, et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur prior in Epist. encycl. *Qui pluribus*, 9 Novembris 1846; posterior in Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 Junii 1851.

§. IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

75. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

Litt. Apost. *Ad Apostolicæ* 22 Augusti 1851.

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849.

N. B. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 Aprilis 1849; in Alloc. *Si semper antea*, 20 Maii 1850; in Litt. Apost. *Cum catholica Ecclesia*, 26 Martii 1860; in Alloc. *Novas*, 28 Septembris 1860; in Alloc. *Jamdudum*, 18 Martii 1861; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 Junii 1862.

§. X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

77. Ætate hac nostra non amplius expedit Religionem catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum*, 26 Julii 1855.

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 Septembris 1852.

79. Enimvero falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. *Nunquam fore*, 15 Decembris 1856.

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 Martii 1861.

ADDENDA

EX ENCYCLICA PII IX,

Quanta cura.

Præter præfatas propositiones, aliæ memorandæ sunt, quas in Encyclica *Quanta cura* confixit Pius IX. Eæ porro sunt hominum qui docent :

1° Optimam societatis publicæ rationem, civilemque progressum omnino requirere ut humana societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad Religionem respectu ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falasque religiones discrimine.

2° Optimam esse conditionem societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ Religionis, nisi quatenus pax publica postulet.

3° Libertatem conscientiæ et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem nulla vel ecclesiastica, vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque manifestare ac declarare valeant.

4° Voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam ; et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere.

5° Auferendam esse civibus et Ecclesiæ facultatem *qua eleemosynas christianæ caritatis causa palam erogare valeant*, ac de medio tollendam legem *qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur.*

6° Societatem domesticam seu familiam totam suæ existentiæ rationem a jure duntaxat civili mutuari ; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandæ.

7° Clerum, utpote vero utilique scientiæ et civilitatis progressui inimicum, ab omni juventutis instituendæ educandæque cura et officio esse amovendum.

8° Ecclesiæ leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate ; — acta et decreta Romanorum Pontificum ad Religionem et Ecclesiam spectantia indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis ; — Constitutiones Apostolicas, quibus damnantur clandestinæ Societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclæ et fautores anathemate muletantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus, ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili Gubernio ; — excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis

Pontificibus latam in eos, qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum duntaxat bonum prosequendum; — Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium; — Ecclesiæ jus non competere violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi; — conforme esse Sacræ Theologiæ, jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quæ ab Ecclesiis, a Familiis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili Gubernio asserere et vindicare.

9° Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia jura potestatis civilis.

10° Illis Apostolicæ Sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura, ac disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicæ professionis jactura.

De quibus propositionibus sic statuit Pontifex:

"Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas singillatim hisce Litteris commemoratas auctoritate Nostra Apostolica *reprobamus, proscribimus* atque *damnamus,* easque ab omnibus Catholicæ Ecclesiæ filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas omnino haberi volumus et mandamus."

II.

RESPONSA
S. SEDIS AD VARIAS QUÆSTIONES MORALES.

Q.

EPISTOLA ENCYCLICA

S. Rom. Inquisitionis ad omnes Episcopos adversus Magnetismi abusus.

FERIA IV. DIE 30 JULII 1856.

"In Congregatione generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita in conventu S. M. supra Minervam, Em. ac RR. DD. Cardinales in tota Republica christiana adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, mature perpensis iis, quæ circa *magnetismi* experimenta a viris fide dignis undequaque relata sunt, decreverunt edi præsentes litteras encyclicas ad omnes Episcopos *ad magnetismi abusus compescendos.*

"Etenim compertum est, novum quoddam superstitionis genus invehi ex phænomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati, posse occulta, remota ac futura detegi magnetismi arte, vel præstigio, præsertim ope mulierc̃ularum, quæ unice a magnetizatoris nutu pendent." (*Relata autem responsione jam data die* 28 *Julii* 1847, *cujus hic erat tenor :* "Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus magnetismi, nempe merus actus adhibendi media physica aliunde licita, non est moraliter vetitus, dummodo non tendat ad finem illicitum aut quomodocumque pravum. Applicatio autem principiorum et mediorum pure physicorum ad res et effectus vere supernaturales, ut physicè explicentur, non est nisi deceptio omnino illicita et hæreticalis." — *S. Congregatio subdit*) :

"Quamquam generali hoc decreto satis explicetur licitudo, aut illicitudo in usu aut abusu *magnetismi ;* tamen adeo crevit hominum malitia, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes magna cum animarum jactura, ipsiusque civilis societatis detrimento, ariolandi, divinandique principium quoddam se nactos glorientur. Hinc somnambulismi et claræ intuitionis, uti vocant, præstigiis mulierculæ illæ, gesticulationibus non semper verecundis abreptæ, se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa Religione sermones instituere, animas mortuorum evocare, responsa accipere, ignota ac longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere ausu temerario præsumunt, magnum quæstum sibi ac dominis suis divinando certo consecuturæ. In hisce omnibus, quacumque demum utantur arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum.

"Igitur ad tantum nefas et Religioni et civili societati infestissimum efficaciter cohibendum, excitari quam maxime debet pastoralis solicitudo, vigilantia ac zelus Episcoporum omnium. Quapropter quantum divina adjutrice gratia poterunt locorum Ordi-

narii, qua paternæ caritatis monitis, qua severis objurgationibus, qua demum juris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adjunctis expedire in Domino judicaverint, omnem impendant operam ad hujusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos, ut Dominicus grex defendatur ab inimico homine, depositum Fidei sartum tectumque custodiatur, et fideles sibi crediti a morum corruptione præserventur.

" Datum Romæ, in Cancellaria S. Officii apud Vaticanum, die 4 Augusti 1856.

" V. *Card.* Macchi."

R.

RESPONSA

CIRCA JEJUNIUM ET ABSTINENTIAM A CARNIBUS.

1° Ad quæsitum : *Utrum in diebus jejunii possit inverti tempus comestionis, sumendo serotinam refectiunculam intra horam decimam et undecimam matutinam, prandium vero differendo ad quartam vel quintam horam vespertinam ?*

S. Pœnitentiaria (*die* 10 *Jan.* 1834) *respondendum censuit :* Si inversionis supradictæ rationabilis aliqua exstet causa, pœnitentes, qui hoc more utuntur, non esse inquietandos.

2° Ad quæsitum : *Utrum patresfamilias, cum in familia adest aliquis a lege abstinentiæ a carnibus dispensatus, dispensationem ad omnes familiæ personas indiscriminatim extendere possint ?* (Ex italico exemplari latina versio.)

S. Pœnitentiaria respondendum censuit : Infirmitatem et aliud quodcumque rationabile impedimentum, de utriusque medici consilio, non vero gulam, avaritiam, sive generatim expensarum compendium eximere posse a præcepto abstinentiæ in diebus esurialibus.

3° Ad quæsitum : *Utrum, cum paterfamilias a lege abstinentiæ a carnibus tempore Quadragesimæ dispensatus non potest aut non vult cibos utriusque generis, esuriales scilicet et carnes, parari, ejus filii aut familiares carnes edere possint ?* (Ex italico exemplari.)

S. Pœnitentiaria (*die* 16 *Jan.* 1834) *respondendum censuit :* Posse personis, quæ sunt in potestate patrisfamilias, cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti uti cibis patrifamilias indultis, adjecta conditione de non permiscendis licitis atque interdictis epulis, et de unica comestione in die pro iis, qui jejunare tenentur. Ratio autem hujus permissionis non est Indultum patrifamilias concessum, sed impotentia in qua versantur filiifamilias observandi præceptum. Sic declaravit S. Pœnitent. die 27 Maii 1863. — *Vide Ephemer. Revue cathol. de Louvain, Juillet* 1863. Item, *Correspondance de Rome,* 17 *Octobre* 1863.

4° Ad quæsitum : *Utrum fideles exempti a lege jejunii ob artes laboriosas, tempore Quadragesimæ, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, possint carnibus et lacticiniis vesci pluries in die, haud secus ac in Dominicis diebus ejusdem Quadragesimæ in quibus non urget obligatio jejunii ?* (Ex italico exemplari.)

S. Pœnitentiaria (*die* 16 *Jan.* 1834) *respondit :* Fideles, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum Indultum concessum est, omnibus diebus Indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis, per idem Indultum permissis, quoties per diem edunt. Hoc autem non valet in diœcesi, cujus Episcopus auctoritate apostolica concedit fidelibus, ut feria 2ª, 3ª, 5ª temporis Quadragesimæ possint semel in die vesci *carnibus* et ovis ; iis vero, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, permittit *ut ovis sæpius in die utantur.* Sic declaravit S. Pœnitentiaria, die 27 Maii 1863. — *Vide Ephemer. Revue catholique de Louvain, Juillet* 1863. Item, *Correspondance de Rome,* 17 *Octobre* 1863.

5° Ad quæsitum : *Utrum ii, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, subjiciantur legi de non permiscendis epulis carnis et piscium, cum per Indultum carnes permittuntur.*

S. Pœnitentiaria (*die* 13 *Februarii* 1834) *respondit :* Consulat (*quisque*) probatos Auctores.

6° Ad quæsitum : *Utrum fideles dispensati a lege abstinentiæ diebus Veneris et Sabbati, decurrente anno, quando non urget obligatio jejunii, vesci possint piscibus simul et carnibus ?* (Ex italico exemplari.)

S. Pœnitentiaria (*die* 15 *Febr.* 1834), *proposito dubio diligentur perpenso, factaque relatione Sanctissimo Domino Gregorio XVI., de ipsius Sanctitatis Suæ mandato, respondit :* Permitti.

7° Ad quæsitum : *Utrum diebus jejunii tempore Adventus, a Pio VI. præscripti, permissis tamen lacticiniis, ei, cui propter infirmitatem licitus est esus carnium, interdicta sit promiscuitas carnis ac piscium ?*

S. Pœnitentiaria (*die* 8 *Jan.* 1834) *respondit :* Affirmative, nempe non licere ejusmodi promiscuitatem.

8° Ad quæsitum : *Utrum lege vetitæ permixtionis cum carnibus, comprehendantur pisciculi sale siccati, seu encrasicholi* (gallice *anchois*, italice *accinghe, alici*, anglice *anchovi, sardin*), *harengi* (gallice *harengs*, italice *aringhe*, anglice *herring*), *aliaque his similia ; an misceri possint ad instar condimenti alterius ferculi ?*

S. Pœnitentiaria (*die* 10 *Jan.* 1834) *respondit :* Pisces sale siccatos . . . vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio vetita est.

9° Ad quæsitum : *Utrum tempore jejunii, ei, cui licitus est esus carnium, liceat miscere testacea marina, quæ improprie* fructus maris *dicuntur, sed vulgo pisces censentur, id est* ostreæ (*gallice* huitres, *italice* ostriche, anglice *oysters*), *cancros* (écrevisses, gambari, granchi, crawfish) ?

S. Pœnitentiaria (*die* 16 *Jan.* 1834) *respondit :* Testacea marina, quæ improprie *fructus maris* dicuntur, sed vulgo pisces, vetari miscere cum carnibus, quoties carnis et piscium mixtio est prohibita.

10° Ad quæsitum : *Utrum dispensati a lege abstinentiæ a carnibus possint, diebus quibus urget jejunii obligatio, valetudinis causa, vesci jure tantum carnibus condito, et de cætero cibos esuriales edere* (*sicut cæteri qui pisces edere queunt*), *ad legem abstinentiæ, in quantum fieri potest, servandam ?* (Ex italico exemplari.)

S. Pœnitentiaria (*die* 8 *Febr.* 1828), *attente consideratis expositis, respondit :* Affirmative.

S.

DECRETA

DE LUCRO EX PECUNIA MUTUO DATA PERCEPTO.

I. *Postulatum Episcopi Rhedonensis.*

Episcopus Rhedonensis in Gallia exponit S. Congregationi Inquisitionis, non eandem esse confessariorum suæ diœcesis sententiam de lucro percepto ex pecunia negotiatoribus mutuo data, ut ea ditescant.

De sensu epistolæ encyclicæ *Vix pervenit* acriter disputatur. Ex utraque parte momenta afferuntur ad tuendam eam, quam quisque amplexus est sententiam, tali lucro faventem aut contrariam. Inde querelæ, dissensiones, denegatio Sacramentorum plerisque negotiatoribus isti ditescendi modo inhærentibus, et innumera damna animarum.

Ut animarum damnis occurrant, nonnulli confessarii mediam inter utramque sententiam viam se posse tenere arbitrantur. Si quis ipsos consulat de istiusmodi lucro, illum ab eo deterrere conantur. Si pœnitens perseveret in consilio pecuniam mutuo dandi negotiatoribus, et objiciat, sententiam tali mutuo faventem multos habere patronos, et insuper non fuisse damnatam a S. Sede non semel ea de re consulta ; tunc isti confessarii exigunt, ut pœnitens promittat, se filiali obedientia obtemperaturum judicio Summi Pontificis, si intercedat, qualecumque sit : nec, hac promissione obtenta, absolutionem denegant, quamvis probabiliorem credant opinionem contrariam tali mutuo.

Si pœnitens non confiteatur de lucro ex pecunia sic mutuo data, et videatur in bona fide; isti confessarii, etiamsi aliunde noverint ab eo perceptum esse aut etiam nunc percipi istiusmodi lucrum, eum absolvunt, nulla ea de re interrogatione facta, quando timent, ne pœnitens admonitus restituere aut a tali lucro abstinere recuset.

Inquirit ergo dictus Episcopus Rhedonensis,

I. Utrum possit horum posteriorum confessariorum agendi rationem probare.

II. Utrum alios confessarios rigidiores, ipsum adeuntes consulendi causa, possit hortari, ut istorum agendi rationem sequantur, donec S. Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat.

Feria IV, die 18 *Aug.* 1830.

SS. D. N. Pius divina providentia Papa VIII, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, audita relatione superiorum dubiorum una cum voto Emm. DD. Cardinalium Inquisitorum Generalium, respondit:

Ad I. — Non esse inquietandos.
Ad II. — Provisum in primo.

II. *Responsum S. Congr. S. Officii, die* 31 *Aug.* 1830, *a S. P. Pio VIII approbatum super sequentibus dubiis.*

1° Utrum confessarius possit, in conscientia, denegare absolutionem presbyteris, qui contendunt legem Principis esse titulum sufficientem percipiendi aliquid ultra sortem absque titulo vel lucri cessantis vel damni emergentis?

2° Utrum debeat?

Resp. ad utrumque: Non esse inquietandos quousque S. Sedes definitivam decisionem emiserit, cui parati sint se subjicere; adeoque nihil obstare eorum absolutioni in Sacramento Pœnitentiæ.

III. *Postulatum Episcopi Veronensis.*

I. An possit eorum confessariorum agendi ratio probari, qui dum tenent uti probabiliorem opinionem contrariam lucro ex pecunia negotiatoribus mutuo data, pœnitentes, eo modo lucrum percipientes ut ditescant, absolvunt, quando nempe isti objicientes sententiam lucro faventem non fuisse damnatam a S. Sede, promittunt tamen obedire judicio Summi Pontificis, si intercedat: et similiter agunt, quando pœnitentes, lucrum percipientes in bona fide, de eo non confitentur, licet aliunde noverint, ipsos percipere lucrum, ut supra, nulla ea de re facta interrogatione, quando timent, ne pœnitentes admoniti restituere aut a tali lucro abstinere recusent.

II. Utrum Episcopus possit hortari rigidiores confessarios, consulendi causa ipsum adeuntes, ut priorum confessariorum agendi rationem sequantur, donec Sancta Sedes expressum ea de quæstione judicium ferat.

Respondetur,

Ad I. — Non esse inquietandos.
Ad II. — Provisum in primo.

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 14 Augusti 1831.

IV. *Postulatum Vivariensis Episcopi.*

In Exposito Episcopi Rhedonensis nulla fit mentio dicti tituli, quem volunt quidam Theologi reperiri in lege principis; sed unice de mutuo data negotiatoribus, et de sensu Encyclicæ *Vix pervenit* circa tale mutuum negotiatoribus factum.

Unde alii dicunt, judicium SS. Pontificis Pii VIII in se solo attendendum esse et separatim a responsis datis ab Emm. Cardinalibus, ita ut sensus istius judicii sit, sententiam faventem mutuo facto negotiatoribus non fuisse damnatam a S. Sede, ea de re non semel consulta : adeoque si pœnitentes promittant, se filiali obedientia obsecuturos judicio SS. Pontificis si intercedat, non esse inquietandos confessarios, qui ipsis absolutionem non denegant. Qui sic judicium SS. Pontificis interpretantur, aures avertunt a Litteris Encyclicis Benedicti XIV, ut I et II de Synodo Diœcesana ejusdem Pontificis, ad quam plures responsiones S. Sedis remittunt, ab Instructione data P. Carolo Felici 17 Aprilis 1749, et a diversis responsis datis a S. Sede Apostolica.

Alii non concipientes, qua via præfatum judicium (Pii VIII) conciliari possit cum dictis decisionibus Benedicti XIV, et aliorum SS. Pontificum circa mutuum negotiatoribus factum, si sic seorsim attendatur, putant, dictum judicium non sic esse intelligendum, sed conjunctim cum Responsis datis ab Emm. Cardinalibus, ad quæ remittere videtur SS. Pontifex . . . ., et judicium esse referendum ab dubia de titulo legis principis, qui titulus damnatus non fuit a S. Sede. . . .

Itaque quæritur,

I. An præfatum judicium SS. Pontificis (Pii VIII) intelligendum sit, ut verba ipsius sonant, separatim a titulo legis principis, de quo Emm. Cardinales loquuntur in his Responsis, ita ut unice agatur de mutuo negotiatoribus facto.

II. An titulus ex lege principis, de quo Emm. Cardinales, sic intelligendus sit, ut sufficiat, legem principis declarare, licitum esse cuique convenire de lucro ex solo mutuo facto, sicut fit in Codice Civili Francorum, quin dicat se concedere jus tale lucrum percipiendi.

Feria IV die 31 *Augusti* 1831.

In Congregatione Generali S. Officii . . . . propositis superioribus precibus Rev. P. D. Episcopi Vivariensis, iidem Eminentissimi et Reverendissimi Domini (*Cardinales*), præhabitis Dominorum Consultorum suffragiis, dixerunt :

Provisum in decretis feriæ IV. 18 Augusti 1830, atque dentur decreta.

Eadem die et feria SS. D. N. Gregorius divina provid. Papa XVI, in audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, resolutionem ab Eminentissimis captam approbavit.

V. *Responsum S. Congr. S. O. sub die* 26 *Martii* 1840.

S. Congr. S. O. sub die 26 *Martii* 1840, proposito dubio, *an ad aliquid reddendum teneatur* N. N., cujus pater magnam pecuniæ summam mutuo dederat cum lucro *decem pro centum*, legali taxæ illius temporis respondente ; et quatenus restitutioni esset obnoxius, *utrum saltem quinque pro centum retinere licite valeat*, rescriptum fuit : " *Quoad usuras in genere, consulat decreta jam lata. Quoad excessivitatem fructuum, consulat R. P. D. Episcopum, qui expendat facti circumstantias, et praxim illius temporis, quæ vigebat apud viros timoratæ conscientiæ et provideat.*"

T.

INSTRUCTIO

S. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE

SUPER BINATIONE.

1. Facultas binandi, qua S. Sedes Ordinarios Missionum munire solet, una cum potestate eamdem communicandi suis Missionariis, non pauca excitavit dubia ab iisdem S. Congregationi proposita. Ratio horum dubiorum desumitur ex ipso rigore clausularum, quæ jussu Alexandri VII. articulo formularum, qui de hac facultate agit, appositæ fuere. Quapropter opportunum visum est, in sequenti instructione colligere principia ac regulas communiores, quæ in usu dictæ facultatis ante oculos sunt habendæ.

2. Nemo ignorat regula generali secundum vigentem Ecclesiæ disciplinam licitum esse sacerdoti S. Sacrificium una tantum vice in die offerre. Sic enim disposuit Innoc. III.[1]: "Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicæ, *nisi causa necessitatis suadeat*, sufficit sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare."

3. In casu ergo necessitatis permittitur sacerdoti iterare Missam eadem die. Quod vero, ut clare ex terminis ipsius formulæ eruitur, debet intelligi de permissione duarum tantum Missarum non obstante gravitate causarum majorem numerum celebrandi. Quæsivit Præfectus Missionis Cappuccinorum Tuniti, num, si, propterea quod sui Missionarii omnes incarcerati essent, posset una eademque die, *si necessitas urgeret*, plures quam duas celebrare Missas. S. Congregatio Generalis Propagandæ d. 7 Augusti 1684 resolvit "non posse vigore facultatum celebrare ultra duas Missas." Quod jam responsum fuerat in Congr. Gener. habita *coram SSmo* d. 17 Februari 1648; exposito enim abusu introducto penes sacerdotes captivos Algeriæ celebrandi tres Missas: "SSmus . . . jussit per dictum Præfectum" (Algeriæ) "præcipi nomine Sanctitatis Suæ sacerdotibus . . . quod quum Sedes Apostolica in facultatibus Missionariorum potestatem seu licentiam concesserit celebrandi bis in die, ubi necessitas id exegerit, ne deinceps ultra duas Missas celebrent." Idem repetitum fuit anno 1818 & 1820 Præfecto Apostolico Tuniti.

4. Necessitas ergo est unicus titulus, quo sacerdotibus permittitur binatio. Expedit vero observare cum Vericelli,[2] "quod hæc necessitas non est desumenda ex parte inopiæ sacerdotum, sed ex parte necessitatis spiritualis populi et raritate sacerdotum." Posito hoc principio, facile ex eodem variæ regulæ negativæ pro usu hujus facultatis deduci possunt:

5. 1° Apertum est, quod falso ratiocinaretur, qui diceret se posse binare in festis suppressis, in quibus populus exemptus est ab obligatione Missam audiendi, ut monuit S. Congr. a. 1837: "Re mature perpensa, ex ipsius formulæ verbis satis clare patuit, non posse facultates ad abrogatas festivitates extendi. Cum enim in memorata formula declaretur facultatem valere si necessitas urgeat, sequitur ex eo unice titulo, quod dies illi festi olim fuerint, non posse Missam bis ab eodem sacerdote celebrari."

6. 2° Pariter prohibitum est binare in commodum eorum, qui præcepto Missæ audiendæ satisfacere vellent in suis privatis oratoriis. Proposuerat a. 1842 Vicarius Apostolicus Limburgensis, consuetudinem illic inolitam permittendi binationem in oratoriis privatis *in castris magnatorum*. Quum autem non putaret hisce in adjunctis verificari necessitatem quæ poscitur a formulis, petiit, ratione tum consuetudinis tum utilitatis moralis ex ea provenientis, licentiam id permittendi. Sed S. Officium judicavit: *juxta exposita non expedire*. Quum autem Vicarius Apostolicus subjunxisset, nonnullos sacerdotes ex facultate prius a prædecessore suo data continuare binationem,

[1] Cap. *Consuluisti* de Celebratione Missarum.
[2] De Apost. Mission. Tit. IV. quæst. 98 Dub. 18 n. 201.

eadem S. Cong. decrevit: "facultatem esse revocandam, quatenus Vicarius Apostolicus Limburgensis prudenter id fieri posse existimet."

7. 3° Ex iisdem resolutionibus deducitur, consuetudinem non esse titulum sufficientem, ut idem sacerdos eadem die duas possit celebrare Missas. Quod etiam conforme est iis, quæ Benedictus XIV. tradit in Const. *Declarasti Nobis* ad Episc. Oscensem in Aragonia die 16 Martii 1746: "Solum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem præscriptionis aut præsumptionis sibi comparavit, et utrumque falsum et alienum judicamus."

Et quoad præscriptionem dicit: "Si etenim juxta civiles leges sanctæ res præscribi non possunt, absonum undique est, asserere fuisse per præscriptionem aliquid obtentum vel requisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiæ, quarum observantiam S. Concilium Trid. in Missarum celebratione sacerdotibus omnibus præcipit." De præsumptione porro adjungit: "Sed cæteris prætermissis subdimus hæc intelligi posse de illis privilegiis, quæ impetrari potuissent a Sede Apostolica, si quis ea postulasset, non vero de iis, quæ, cum postulantur, negari omnino consueverunt, ne præsumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas."

Unde etiam S. Congregatio, quum cognovisset aliquo in loco consuetudinem binandi absque necessitate inolitam esse, non omisit reprobare talem consuetudinem tamquam abusum, excitans zelum Episcoporum ad ipsam eliminandam.

8. 4° Porro etiam multum abest, ut paupertas sacerdotum justificet binationem ut jam ex Vericelli[1] annotavimus. Archiepiscopus quidam Hiberniæ quæsierat a. 1688: "num ex sola causa paupertatis Regulares possent celebrare duas Missas diebus festis, id facientes in domibus privatis, quamquam omnes parochiæ et conventus haberent suas ecclesias et sacella." Responsum S. Congregationis negativum fuit; et quum in duabus Congregationibus particularibus d. 7 Martii 1743 et 28 Jul. 1750 relatum esset, abusum prohibitum adhuc vigere in Hibernia, quod sc. multi sacerdotes uterentur facultate binandi non in alium finem, nisi ut haberent eleemosynas magis abundantes, et se sustentarent commodius; EE. PP. decreverunt: *Graviter moneantur sacerdotes, ne facultate celebrandi bis in die abutantur ut stipendium largius et pinguius habeant.* Et ex Bened. XIV.[2] vocatur *abusus intolerabilis*, concessio facultatis binandi alicui sacerdoti *eum in finem, ut duplici eleemosyna decentius se sustentaret.* Solum ut aliquem morem gereret pauperibus Religiosis illius Regni, qui conquesti fuerant de simili prohibitione facta anno 1817 per Synodum Provincialem Tuamensem, propter damnum exinde emergens, sublatâ sibi eleemosyna, quam occasione Missæ ad portas ecclesiæ percipere solebant, quum ex contributionibus fidelium se sustentarent, voluit S. Congregatio ut monerentur Episcopi, ut "in impertienda de auctoritate Apostolica sacerdotibus licentia celebrandi diebus festis de præcepto duas Missas ob causas necessitatis, ab Apostolicis constitutionibus approbatas, rationem habeant sacerdotum regularium ac præsertim illorum, qui in pauperibus cœnobiis moram trahunt." Cæterum S. Congregatio Conc., declarando: "ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda Missa, etiamsi de illis agatur, qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima Missa nequeunt obtinere, quod eam pro populo applicare teneantur," prout per litteras circulares S. C. Propagandæ d. 15 Oct. 1863 communicavit Ordinariis missionum, sustulit prorsus omnem prætextum abusus binandi propter stipendium. Ratione vero particularium circumstantiarum aliquarum Missionum, S. S. dignata est — ut patet ex dictis litteris — Ordinarios munire facultate permittendi, "ut justa et gravi causa intercedente sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda Missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant."

9. 5° Denique prohibetur sacerdos binare, quamdiu haberi possit alius sacerdos, per quem necessitati populi satisfieri possit, ut expresse docet Bened. XIV. in laudata Const.: *Declarasti Nobis.* Quapropter, antequam detur locus binationi, videndum, num adsit aliquod remediorum, quæ stabiliverunt canones, providendi necessitati spirituali populi; et primo loco ipse parochus tenetur subministrare stipendium alii sacer-

[1] l. c.

[2] Const. *Apostolicum Ministerium.* 30 Maji 1753 § 11.

doti; si nequeat, tenetur populus; denique, si nec populus propter paupertatem id valeat, Ordinarius deberet supplere.[1]

10. Hactenus de casibus, in quibus prohibetur binatio. Casus, in quibus concurrit necessitas per canones requisita, enumerantur in Constitutione: *Declarasti Nobis.* In eâ animadvertitur primo, quod secundum unanimem consensum Theologorum permittitur binare sacerdoti, "qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parocho celebranti per dies festos adesse nullo modo possit ob locorum maximam distantiam." Et hic est primus et communior casus; alter, qui ibidem invenitur, est, "quando una tantum sit Ecclesia in qua Missa celebratur, et ad quam insimul universus populus convenire non potest."

11. In casibus prædictis Missa iterari potest etiam ab iis, qui non muniti existant facultate formularum, quæ a S. Congr. Prop. concedi solent, quia permittitur a jure communi; semper vero permissu Ordinarii, quem penes est judicare, si sit vera necessitas, simulque num sit aliqua possibilitas applicandi remedia canonica (§. 9). Revera Bened. XIV., indicatis hujusmodi remediis, subjungit. "Quæ huc usque dicta sunt, canonicis etiam generalibus sanctionibus innituntur": Concors quoque est opinio Theologorum, ut animadvertit Ben. XIV., in casu unius parochi, sed duarum parochiarum, "parochum nedum posse, sed plane teneri bis eodem die Missam celebrare."[2] Ex quibus facile deducitur, analogum articulum formularum, cum sit facultativus, extendi etiam ad alios casus necessitatis non consideratos in jure communi; alias foret inutilis, ad minimum in locis, ubi parochiæ canonice sunt erectæ, quum his consulat jus commune. Quod concordat cum iis, quæ dicit laudatus Pontifex in opere de *Sacros. Missæ Sacrificio*,[3] ubi, postquam statuit, casum, qui revera contingit, eum esse, cum parochus duas habet parochias etc., prosequitur his verbis: "neque tamen quidquam præjudicatum volumus de aliis casibus, qui accidunt in missionibus, quibus consultum est concedendo Missionariis facultatem plures celebrandi Missas eodem die; itemque de aliis casibus, in quibus vel ob locorum distantiam, vel ob paucitatem sacerdotum, aut hæreticorum aut infidelium persecutionem, ne fideles Missa careant, opus est a Sacerdotibus duas Missas celebrari."

Et de his ipsis casibus, qui eveniunt in Missionibus, et propter quos datur Superioribus ipsarum facultas, agebatur a. 1832 a S. Congr. Prop. in epistola ad Missionarium quemdam Philipopolitanum, qui non celebrabat plures Missas, quamquam plures haberet congregationes. S. Congregatio Generalis, imposita ipsi obligatione binandi, adjungit: "Si quæras, quare in facultate binandi formulis indulti quædam clausulæ rigorosæ additæ sint, in ipsâ formulâ invenies responsum; observabis enim indultum non restrictum esse necessitate populi diebus festis, sed, quum terminis generalibus contineatur, includere in quæstione etiam alios casus, ut necessitatem administrandi viaticum in ambabus parochiis, et in his casibus locum habere cautelas præscriptas."

12. In his ipsis casibus minus obviis non raro anguntur Episcopi et Missionarii quoad usum facultatis, dubitantes imprimis de sufficientia causarum, quæ requiruntur ex *mente* clausularum adjectarum. Ab altera parte tot sunt et tam varii casus, qui possunt contingere hac in materia in Missionibus, ut haud facile prævideri, et multo minus ad regulas determinatas reduci possint, quia decisio subjecta est variis circumstantiis locorum, temporum et personarum, quæ in his concurrunt. Propterea solutio particularium dubiorum, quæ hac de re fuerunt proposita, plerumque prudenti Superiorum Missionum relicta est arbitrio.

13. Et primum sæpius petita est regula super numero fidelium, qui sufficeret, ut Missa iterari posset. In Const.: *Apostolicum Ministerium* dicitur, per Angliam facultatem exerceri posse "cum eorum numerus, qui diebus festivis tenentur Sacris assistere, talem exhibeat necessitatem, ut nisi alicui sacerdoti duas Missas eodem die celebrandi potestas concedatur, Ecclesiæ mandato *plures* non satisfacerent." Quod criterium generale non tollit omne dubium quoad numerum necessarium pro binatione. Idem

[1] Ben. XIV. l. c. Votum. Card. Zelada *Thesaur. resolutionum*, t. 37. in causa Derthus. 26 Aug. 1768.
[2] de Syn. Diœc. L. VI., c. VIII. n. 2.
[3] Lib. III. c. V. n. 4.

dici potest de responso negativo S. Officii a. 1688 ad quosdam Missionarios Cappuccinos Græciæ. Hi quæsiverant: "utrum Missionarius sacerdos solus in loco degens duas Missas diebus Dominicis et festivis pro quindecim seu viginti personis, quæ legitime impeditæ primæ Missæ adesse non valuerunt, celebrare possit"; et S. Congr. d. 28 Jan. ej. a. decrevit: *non licere*. Si ergo numerus viginti est insufficiens ad effectum, ulterius quæri potest, quis sit numerus minimus, qui sufficiat.

14. Sed respectu hujus dubii, sicut et distantiæ, S. Congregatio in more habuit, illius decisionem relinquere prudentiæ Ordinariorum Missionum, a quibus dependet facultas, quum hi soli in facie locorum ponderare possint circumstantias concurrentes in casibus particularibus. Et revera usque ab anno 1688 Præfectus Missionis Tuniti (in Mauritaniâ) petierat in genere, ut declararetur, qualis esse deberet numerus fidelium, qui alias Missa privarentur, et cujus ratione binari posset: et Congr. Gen. Propag. 16 Nov. respondit: *Relinquatur charitati et conscientiæ P. Præfecti.* Similiter Episcopus Sti Ludovici in Statibus Fœderatis Americæ a. 1828, exposito suo et aliorum Episcoporum timore gravandi conscientias suas per clausulas formularum, quæsierat: "utrum quoties triginta aut quinquaginta fideles periculo exponantur Missam de præcepto non audire, bis celebrare valeant." Per litteras de die 13 Martii jussu Leonis XII. ipsi rescriptum est "omnem te anxietatem animi deponere debere et quin commovearis verborum rigore Se" (Sanctitatem Suam) "conscientiæ ac prudentiæ tuæ committere, ut judices, quibus in casibus, ratione habita adjunctorum dicœcsis tuæ, graves adesse causæ censendæ sint, facultatem, de qua sermo est, sacerdotibus impertiendi. Ubi vero has causas graves secundum conscientiam prudentiamque tuam arbitratus fueris, Sanctitas Sua posse te absque ulla dubitatione ea facultate uti benigne declaravit."

15. Simile responsum datum est a. 1851 Vicario Apostolico Limburgensi, qui proposuerat dubium supra distantiam: "In hac regione" (ait) "ex antiqua consuetudine binandi licentia aliquando conceditur ob necessitatem moralem, licet parochia vicinior non distet ultra spatium mediæ leucæ; quæritur num recte." S. C. Propag. per litteras de die 31 Julii respondit: "Præmisso Episcoporum esse muneris pro viribus curare, ut hac uti facultate non sit opus ad succurrendum fidelium necessitatibus, praxis generalis, servanda in singulis casibus, assignari non potest. Quapropter in casibus ut supra particularibus, deficiente presbyterorum copia, aliisque omnibus circumstantiis mature perpensis, prudenti judicio Superioris definiendum, utrum eo in casu concurrant gravia rerum adjuncta, quæ tradunt Doctores necessitatis casum efficere (uti propositus videtur), in quo dispensationi a præcepto universali de non iterando sacrificio ab eodem presbytero eademque die locus fiat, et binandi facultati tribuendæ, qua parce omnino illum uti debere ex Apostolici ipsius indulti verbis apprime perspicitur." Atque eadem instructio iisdem verbis data est Episcopo Trevirensi a. 1853, a quo plura dubia circa binationem proposita fuerant. Ipsi rescriptum fuit d. 28 Sept. quod, consideratis suis quæsitis "censuit S. Congregatio, dandam esse instructionem quam . . . Vicarius Apostolicus Limburgen. obtinuit sub die 31 Julii a. 1851."

16. Ex altera parte inter varia responsa, quæ judicium circa gravitatem causarum relinquunt Superiori, quædam peculiari *mentione* digna sunt, quum ea, quin recedant a regula ordinaria, — ipsum sc. Superiorem judicare debere de causis, — aliquo simul modo indicent qualitatem, seu gradum necessitatis requisitæ ad binationem, ac identidem temperent aliquantum impressionem ac leniant nimiam anxietatem, quam quibusdam Episcopis ac Missionariis creaverant clausulæ, quibus in formulis ipsa facultas restricta est. Talium responsorum unum datum est Episcopo cuidam Statuum Fœderatorum Americæ a. 1848: "Venio ad postulatum tuum" (sic in litteris d. d. 9 Maji) "circa modum interpretandi necessitatem quæ requiritur ad licitum usum facultatis bis in die Missam celebrandi. . . . Noverit ergo Amplitudo Tua necessitatem hujusmodi, de qua sermo est, veram quidem, sed moralem intelligi; non autem absolutam, de qua proinde dijudicare in singulis casibus pendet a prudenti judicio, inspectis circumstantiis. Caveas ergo oportet hac in re ab anxietate nimia in dijudicando, ne frustra concessa aut pene in nullo casu ad actum reducenda facultas prædicta videatur." Notabilior etiam est declaratio data ad Præfectum quemdam Apostolicum in

Antillis Americæ. Dubitans ille Præfectus an tranquille uti possit dicta facultate propter graves conditiones illi annexas, implorat "ampliorem facultatem a Sede Apostolica copiam faciendi presbyteris . . . . ut diebus Dominicis et festis de præcepto Missam bis celebrare possint, cum id postulet necessitas aut spiritualis fidelium utilitas." Facta relatione Sanctissimo in audientia d. 13 Aprilis, ipsi responsum est modo sequenti: "Talis existimatio est virtutis et prudentiæ tuæ, ut SS. D. N. jusserit, omnem deponere te debere anxietatem animi, et si existimaveris necessarium esse, vel fidelibus vehementer utile, ut sacerdotes bis Missam eodem festo die celebrent, verborum, quibus rescriptum contineri videtur, rigore commoveri te non debere. Prudentiæ itaque et conscientiæ D. T. committit de necessitate ista, et causarum gravitate judicare atque in iis rerum adjunctis facultatem per memoratum Rescriptum copiam faciendi sacerdotibus, ut Missam bis celebrent, te habere Sanctitas Sua benigne declaravit."

17. Eadem regula committendi arbitrio seu caritati Superiorum Missionum applicationem principiorum generalium ad casus practicos, etiam observata est, quando in istis, ut erant expositi, non appareret ea vis et gravitas causarum (saltem si hæ causæ considerarentur in se et in abstracto), quæ postulatur per clausulas illius facultatis. Quo iterum confirmatur, in dijudicandis rationibus, quibus usus facultatis nititur, magnam habendam esse rationem conditionum omnium ac status fidelium. Quod patet ex responso dato ab hac Congregatione a. 1688 ad Vice-Præfectum Missionis Tripolitanæ, qui, in dubio de clausulis pluries laudatis, quæsierat: "quanto numero servorum aut liberorum possit præcise celebrare secundam Missam, quum interdum casus accideret, ut in balneo extra civitatem Tripolitanam nec decem vel quindecim servi Sacrificio Missæ præsentes adessent . . . et an in defectu sacerdotum possit pro his solis celebrare alteram Missam. Non obstante decisione minus favorabili data eo ipso anno a S. Officio pro simili casu, ut notatum est § 13 supra, S. Congr. Prop. d. 5 Oct. respondit: "*Relinquatur caritati et conscientiæ P. V. Præfecti.* Nec mirandum, si Propaganda benigniori interpretationi locum dari posse judicavit; agebatur enim de servis, qui ob suam conditionem merebantur indulgentiam particularem, quum forsan unicum illorum esset solatium Sacrificium Missæ. Aliud argumentum propensionis in mitiorem interpretationem seu conniventiam, ratione habitâ circumstantiarum, dedit S. C. Inq. a. 1860; quamvis enim d. 20 Junii responderet Vicario Apostolico regni cujusdam Sinis adjacentis: "desiderium neophytorum bis aut ter in anno SS^mam^ Eucharistiam sumere volentium *per se* non esse urgentissimam causam, in casu de quo agitur," i. e. iterandi Missam secundum facultatem, nihilominus subjunxit: "Sed pensatis omnibus locorum et personarum circumstantiis, relinquendum arbitrio R. P. D. Vicarii Apostolici." Unde sequitur, causas illas quæ per se, ideoque pro multis locis non sunt graves, posse fieri tales in quibusdam aliis propter circumstantias.

18. Hæc sunt principia observata quoad facultatem binandi, et quæ indubie servient ad tranquillandos Ordinarios Missionum in ejusdem usu. Licet vero discretioni prudenti Ordinariorum Missionum deferri soleat, eruitur tamen clare ex dictis, quantopere cauti esse debeant, quum semper conscientia ipsorum gravata remaneat quoad legitimum usum tam extraordinariæ facultatis. Neque tamen (ut concludamus cum monito dato a S. C. a. 1832 Episcopo Nicopolitano in Bulgaria) clausulæ usitatæ in formulis "interpretandæ sunt in *extremo* rigore, cum Sedes Apostolica concedat dictam facultatem in spiritualem fidelium utilitatem, desideretque, ut omnes præceptum ecclesiasticum adimplere possint."

19. Restat nunc, ut agamus de ritu et modo se gerendi in binatione Missæ. Quâ de re non erit necessarium animadvertere, semper esse præscriptum Missionariis a S. Congregatione et ab ipso Bened. XIV., eum, qui binaturus est, sumere non debere solitas ablutiones calicis propter jejunium, ita ut "si in prima Missa post receptionem Corporis et Sanguinis, profusionem acceperit, non debeat secundam Missam in prædictis casibus celebrare,[1]" i. e. etiam in iis casibus, in quibus fideles alias privarentur Missa diebus festivis. — Porro, etiamsi ex decreto S. Congr. Rit. in *Elusitana* d. 16 Sept. 1815 præscriptum esset, unum solum calicem adhibendum esse ab iterante Missam,

[1] Conc. Nem. a 1284 ap. Bened. XIV. de Sacr. Missæ Sacrif. l. III. c. V. n. 4.

quum tamen observatio hujus decreti non leves involveret difficultates, quando celebrandum foret in duobus dissitis ab invicem ecclesiis, dicta Congr. in comitiis habitis d. 12 Sept. 1857 moderans decretum præcedens declaravit: *usum duorum calicum in casu posse permitti.* Instructio annexa,[1] concinnata mandato ejusdem S. R. Congregationis, respicit modum purificationis calicis, qui pro prima Missa inserviit.

E Secr. S. C. de Propaganda, d. 24 Maji 1870.

U.

DE CONFESSIONE

SACRAMENTALI EXIGENDA AB HÆRETICIS

SUB CONDITIONE REBAPTIZANDIS, SI CONVERTANTUR.

Hac de re Angliæ episcopi petierunt a S. Sede:

"*Beatissime Pater:* Inter decreta primæ Synodi Provincialis Westmonasteriensis sub cap. xvi n. 8, ubi sermo est de abjuratione protestantium adultorum, et de Baptismate sub conditione eis conferendo, additur: *Confessio etiam sacramentalis semper in tali casu est exigenda.* In adnotationibus, quas adjecit Pater Ballerini Editioni Romanæ *Theologiæ Moralis* P. Gury, dicitur, hanc confessionem esse conformiorem Instructioni a Suprema S. Officii Congregatione super modo reconciliandi hæreticos editæ, ex qua Instructione deducitur opportunam esse integram peccatorum confessionem. In textu P. Gury tenetur eam esse suadendam in praxi."

"Quum vero hic Auctor tam in *Theologia* quam in *Casibus conscientiæ* citaverit opinionem aliorum auctorum docentium, propter existentiam dubii de primo Baptismate a neo-conversis tempore infantiæ suscepto, (adeo ut si nullum id fuerit, vera Baptismi susceptio sit ea, quæ occasione abjurationis sub conditione traditur) dubiam esse obligationem peccata integre confitendi ante hoc Baptismum conditionatum, nonnulli confessarii in Anglia censuerunt eos auctores secuti, dubiam confessionis integræ obligationem esse nullam obligationem; ac propterea repugnantiam conversorum ad eam faciendam, et propter periculum conversionis imperfectæ vel etiam sacrilegæ, omnino expedire, ut conversi aliqua tantum peccata confessario exponant, ut ab eo absolutionis sacramentalis, si forsan ea opus sit, beneficium impetrent."

"Ex alia parte habetur praxis constans maximæ partis confessariorum Regni integram confessionem tam ante quam post approbationem Concilii Provincialis non modo suadentium, sed etiam exigentium; habetur difficultas conversorum, intellectum ad obsequium Fidei ipsius captivandi, nisi per animi humilitatem et submissionem, quas in Sacramento Pœnitentiæ Christus Dominus reponere dignatus est; habetur etiam impossibilitas sciendi, nisi per integram peccatorum manifestationem, utrum neo-conversus rite sit ad ipsum Baptisma dispositus, velitque v. g. restitutionem famæ vel bonorum, (si ad eam teneri contigerit,) facere, occasionem proximam peccandi vitare, a matrimonio nulliter contracto resilire, etiamsi per S. Sedis dispensationem (uti in casibus quotidie frequentioribus matrimonii post divortium civile contracti) illud sanari nequeat; habetur insuper necessitas suæ saluti per justificationem in Sacramento Pœnitentiæ prospiciendi, a cujus integritate nemo in infantia semel baptizatus possit eximi; attenta præsertim diligentia juniorum e Clero Anglicano circa ritum baptizandi fideles servandum, et attento proinde majori numero eorum, de quorum Baptismatis infantilis valore non licet dubitare."

"Quum vero certum sit, quod post plures annos confessionis integræ obligatio vim suam omnino sit amissura, si in praxi sequi valeant Theologi uti tutam opinionem auctorum præfatorum, Archiepiscopus Westmonasteriensis et Episcopi Angliæ enixe rogant, ut Sanctitas Vestra, pro sua in missiones Angliæ benignitate, dignetur declarare

[1] Invenitur in Act. et Decr. Conc. Plen. Balt. II. pag. 318.

hac super quæstione gravissima mentem Ecclesiæ : *An debeat juxta Synodi Provincialis decretum a S. Sede probatum Confessio sacramentalis a neo-conversis in Anglia exigi, et an ea debeat esse integra ?* "

Feria v, loco iv, die 17 dec. 1868 S. Officii Congregatio respondendum censuit ad utramque dubii partem : *Affirmative ; et dandum esse decretum latum die* 17 *junii* 1715 : quam resolutionem Pius PP. IX. confirmavit eadem Feria."

En Decretum 17 *junii* 1715 : " An plena fides sit adhibenda Carolo Wipperman de Rostoch in ducatu Mecklenburg prædicanti et lectori Theologiæ Lutheranæ Quietisticæ, superintendenti et doctori primario sectæ Lutheranorum Quietistarum, Fidei catholicæ reconciliato, et circa nonnullos errores detectos in ejus Baptismo ; an ipsi credendum sit circa ea quæ enarrat, et quatenus affirmative, tum ut ipsius saluti tum etiam ut cæterorum illius sectæ suæ regionis, præsertim si fuerint ignorantes, saluti pariter consulatur, quæritur : an dictus Wipperman sit rebaptizandus ; et quantenus affirmative, an absolute vel sub conditione ? Et quatenus affirmative, an teneatur confiteri omnia peccata præteritæ vitæ ? Et quatenus affirmative, an Confessio præponenda sit vel postponenda Baptismo conferendo sub conditione ? "

" S. Congregatio Officii dixit : *Carolum esse rebaptizandum sub conditione ; et, collato Baptismo, ejus præteritæ vitæ peccata confiteatur et ab iis sub conditione absolvatur.*

V.

DECLARATIONES

CIRCA CONFESSARIOS SOLLICITANTES.

I. *Declaratio S. Officii* anno 1661.

1. An sit denuntiandus confessarius, qui dat pœnitenti chartam in Confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat ? *Domini Qualificatores censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

2. An confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus, et non præbendo absolutionem pœnitenti, incidat in pœnas contentas in Bulla Gregorii, et sit denuntiandus ? *Censuerunt incidere, et confessarium esse denuntiandum, rejecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.*

3. An confessarius sollicitando, propter parvitatem materiæ sit denuntiandus ? *Cum in rebus venereis non detur parvitas materiæ, et, si daretur, in re præsenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.*

4. An confessarius qui fœminam in Confessione dicentem se velle in crastinum confiteri, illam sollicitat et a Confessione dissuadet, sit denuntiandus ? *Si sollicitatio fiat extra locum Confessionis, et absque prætextu Confessionis, censuerunt negativam opinionem esse probabilem : secus si in confessionario, seu in loco Confessionis.*

5. An sacerdos carens jurisdictione, si sollicitat in Confessione pœnitentem, sit denuntiandus ? *Censuerunt esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem.*

6. An interpres, si sollicitet in Confessione pœnitentem, sit denuntiandus ? *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

7. An mandans confessario, ut in Confessione sollicitet, sit denuntiandus ? *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

8. An quando confessarius et pœnitens invicem se sollicitant, confessarius sit denuntiandus ? *Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem.*

9. An confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consentiat, sit denuntiandus ? *Censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.*

10. An confessarius incidat in pœnas Constitutionis Apostolicæ contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in aliis Sacramentis, scilicet Baptismi, Matrimonii, et sit denuntiandus, et denuntiatus possit ab Inquisitoribus puniri? *Quoad utrumque articulum censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

11. An confessarius, qui sollicitat pœnitentem ad actus illicitos extra actus venereos sit denuntiandus? *Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.*

12. An confessarius, si laudet pœnitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus? *Censuerunt, si laus illa sit seria et nihil pravæ intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem. Si vero secus, non esse probabilem.*[1]

13. An sit denuntiandus confessarius, qui propter sollicitationem alterius abjuravit?[2] *Censuerunt opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum: quod etiam fuit resolutum die* 26 *julii*, anno 1628.

14. An quis teneatur denuntiare confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? *Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.*

15. An sit denuntiandus confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando Confessionem? *Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.*

16. An denuntiandus confessarius, qui audiens Confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitasse? *Idem responderunt quod ad duodecimum.*

Hactenus ex cardinali Albitio (in Opere, *De Inconstantia in fide*, c. XXXVIII, n. 65). Hæc autem omnia et singula decreta Benedictus XIV. in Bulla: *Sacramentum*, confirmavit.

II. *S. Pœnitentiariæ responsum* 1832.

"Canonicus pœnitentiarius Andriensis Ecclesiæ, Marianus, tria sequentia dubia a S. Pœnitentiaria solvenda postulat, nempe: '1° . . . . 2° an confessarius sollicitans ipso facto incurrat in privationem, seu inhabilitationem ad celebrationem Missæ? 3° an qui non denuntiaverit infra mensem sollicitantem, possit, denuntiatione secuta, a quolibet absolvi?'

Ad 1, ...

Ad 2, "Pœnam perpetuæ inhabilitationis ad Sacrificii Missæ celebrationem a Benedicto XIV. contra sacerdotes sollicitantes ad turpia inflictam, non incurri in foro conscientiæ, nisi post juridicam denuntiationem et condemnationem.

Ad 3, "Facta denuntiatione, licet post tempus ab ecclesiastica lege præscriptum, cessare reservationem, et casum cum adnexa censura absolvi posse a quocunque confessario."

III. *Instructio Congregationis S. Officii* 1867 *ad Episcopos.*

"Quæ Supremus Pontifex glor. mem. Benedictus XIV. in Constit. 1 junii 1741 edita, cujus initium est *Sacramentum Pœnitentiæ*, confirmavit ac decrevit, ea ad hæc quatuor maxime capita reducuntur. *In primis*, quemadmodum jam antea sancitum fuerat præsertim a Gregorio XV. Constit., quæ sub die 30 aug. 1622 data, incipit *Universi*, omnes locorum Ordinarii æque ac Inquisitores deputantur judices ad inquirendum et procedendum, et condignis pœnis animadvertendum contra sollicitantes ad turpia in Confessione, quamvis ab ordinaria jurisdictione quomodolibet exemptos. *Itidem* omnes sacerdotes

[1] Illud: *probabile est*, in usu Theologiæ, si cum alia opinione non fiat comparatio, idem est ac dicere, quod opinio illa valida ratione sustinetur, et tuto teneri potest ut dicetur in Tr. *de Conscientia. V.* Giraldi, *Expositio Juris Pontificii.*

[2] Id est qui ob aliam præcedentem sollicitationem comparuit coram Inquisitore et abjuravit, nempe hæresim detestavit; cum enim abjuratio sit detestatio hæresis, aliquis in tantum abjurare debebat, in quantum hæreticus vel de hæresi suspectus, et talis habebatur sollicitator, qui ideo abjurare debebat saltem ad cautelam. Si suspicio de hæresi erat levis, dicebatur abjurare *de levi*; si vehemens, abjurare *de vehementi. V.* Diana, vol. v. *de potest. Inquisitorum.* — Ferraris. V. *Abjurantes.*

ad audiendas sacras Confessiones constituti, sicut antea quoque præscriptum erat, obligantur monere suos pœnitentes ut sollicitantes hujusmodi quam primum poterunt Inquisitoribus aut locorum Ordinariis deferant; eosdemque pœnitentes non absolvere, qui huic adimplendo muneri parere recusent. Præterea *tertio loco* Apostolicæ Sedi reservatur, excepto mortis articulo, eorum casus qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant vel sceleste procurant ut id ab aliis fiat. *Quarto* denique sacerdoti cuilibet omnis facultas et jurisdictio ad sacramentales confessiones personæ complicis in peccato turpi contra sextum decalogi præceptum commisso excipiendas adimitur, nisi extrema prorsus urgeat necessitas, nimirum si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit, qui confessarii munere fungatur, vel sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo vocari aut accedere nequeat (Constit. ejusdem Benedicti XIV., *Apostolici muneris* 8 febr. 1745). Et Apostolicæ Sedi reservatur eorum confessariorum casus qui complicem in peccato turpi absolvere ausi fuerint. .

" Nullum sane dubium est, quin hæ præscriptiones, prohibitiones, reservationes omnes et singulæ in cunctas nationes universim vires suas extendant, et ubique terrarum *inconcusse ac inviolabiliter* observandæ sint. Quod quidem vel legenti Gregorii XV. et Benedicti XIV. Constitutiones evidentissime patet; et idipsum consequentium Pontificum suffragio, prout se dedit occasio, ad hanc usque diem confirmatum est. Et re quidem vera Vicario Apostolico Concincinæ sciscitanti: 1° *an Constitutio Benedicti XIV. adversus sollicitantes obliget etiam missionarios Franciscanos qui ministerium exercent in Concincina?* 2° *an eadem Constitutio restringi possit ac moderari in aliquo casu ob magnam confessariorum penuriam in eodem Regno Concincinæ?* Jussu Pii VI. anno 1775 opportuna Instructione responsum fuit: *ad* 1: *affirmative; ad* 2: *negative.* Et proxime SS. D. N. Pius Papa IX. Decreto hujus Supremæ Inquisitionis sub feria IV, 17 junii 1866 edixit: *In facultatibus, quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent absolvendi ab omnibus casibus Apostolicæ Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV, quæ incipit:* Sacramentum Pœnitentiæ. Hoc Decretum vero omnibus ubique terrarum Ordinariis, prædicta absolvendi facultate donatis, absque ulla exceptione significandum mandavit. Quamobrem omnibus locorum Ordinariis enitendum summopere est, ne eorum vigor, quæ in prædicta Constitutione salubriter providentur, paulatim uspiam elangueat. At Emin. PP. Cardinales Supremi Inquisitores nuper cognoverunt eandem Constitutionem non ubique, sicuti par esset, executioni tradi atque in aliquibus locis nonnullos tum in denuntiationis onere adimplendo, tum in judicio contra sollicitantes instituendo irrepsisse abusus, qui sine justitiæ ac providæ severitatis discrimine tolerari minime possent. Itaque neque inopportunum neque ipsis locorum Ordinariis ingratum fore judicarunt, si quæ contra eosdem abusus ab hac Suprema Congregatione ad tramites Sacrorum Canonum decreta fuerunt, in unum collecta præ oculis habeantur. Ad quem effectum præsentem Instructionem edi mandarunt.

1. Personæ sive mares, sive fœminæ, quæcunque illæ sint, ad turpia sollicitatæ in confessione vel occasione aut prætextu confessionis, quemadmodum enucleate in memorata Constitutione præcipitur, rem ad S. Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent.

2. Denuntiare oportet quemcunque sacerdotem, etiam jurisdictione carentem, sollicitantem in Confessione, vel etiam pœnitentis sollicitationi consentientem, quamvis statim dissentientem de turpi materia loqui, illius complementum ad aliud tempus differentem et non præbentem absolutionem pœnitenti (ex Decreto 11 febr. 1661 confirmato in Constit. *Sacramentum*).

3. Hujusmodi denuntiationes a nemine absque culpa lethali omitti possunt. Qua de re pœnitentes debent admoneri, neque ab iis admonendis instruendisque eorum bona fides excusat.

4. Sacerdotes ad sacras audiendas Confessiones constituti, qui de hac obligatione pœnitentes suos non admonent, debent puniri (ex declarat. 20 martii 1624; 1 oct. 1626 penes Albitium).

5. Pœnitentes admoniti et omnino renuentes nequeunt absolvi; qui vero ob justam

causam denuntiationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam spondent serioque promittunt, possunt absolvi.

6. Denuntiationes anonymæ contra sollicitantes ad turpia nullam vim habent; denuntiationes enim fieri debent in judicio, nempe coram Episcopo ejusve delegato cum interventu ecclesiastici viri qui notarii partes teneat, et cum juramento et cum expressione et subscriptione sui nominis; nec sufficit si fiat per apochas vel per litteras sine nomine et cognomine auctoris (*ex declarat.* 20 *martii* 1624; 1 *octobris* 1626, *penes Albit.*). Ceterum prohibetur, ne in recipiendis denuntiationibus præter judicem et notarium, virum utrumque ecclesiasticum, speciali et scripto exarata Episcopi deputatione munitum, testes intersint. Cavendum quoque ne ex denuntiantibus quæratur num sollicitationi consenserint; et convenientissimum foret, si de hujusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis (*ex Urbano VIII.* 17 *apr.* 1624).

7. Denuntiationis onus est personale et ab ipsa persona sollicitata adimplendum. Verum, si gravissimis difficultatibus impediatur quominus hoc perficere ipsa possit, tunc vel per se, vel per epistolam vel per aliam personam sibi benevisam suum adeat Ordinarium, vel S. Sedem per Sacram Pœnitentiariam vel etiam per hanc Supremam Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, et deinde se gerat juxta instructionem quam erit acceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat juxta consilia et monita sui confessarii. Ast si nullo impedimento detenta denuntiationem omnino renuat, in hoc casu aliisque supra memoratis laudandus est confessarius, qui operam suam pœnitenti non denegaverit, et vel Ordinarium vel S. Sedem pro opportunis providentiis consuluerit, suppresso tamen pœnitentis nomine. Formulas autem hisce in casibus adhibendas tradunt probati auctores, quos inter Pignatelli, t. I: *consult.* 104; Carena, Albitius etc.

8. Non infrequenter occurrit casus, ut confessarius aliusve ecclesiasticus vir ab Episcopis (quorum utique hæc potestas est) deputetur ad denuntiationes recipiendas in re ad sollicitationis crimen spectante absque interventu notarii. Huic instructioni folium adjicitur circa modum quo hisce in casibus confici denuntiatio debet.[1] Qui enim ad hoc gravissimum munus viri maxime idonei destinantur, de actu denuntiationis judiciaria ratione assumendo instrui debent ac moneri, ut statim a recepta denuntiatione eam continuo ad ipsum Episcopum, a quo fuerunt deputati, caute transmittant, neque confecti actus exemplum vel vestigium aliquod sibi retineant. Atque in hunc fere modum haud difficulter denuntiandi munus adimpletur. Profecto a locorum Ordinariis efficiendum est, ne ad loca suæ jurisdictioni subjecta applicare oporteat, quod pro Missionibus Pernambuci in America die 22 jan. 1627 declaratum fuit: *mulieres* videlicet *sollicitatas non teneri ad denuntiationem*, si ministri Inquisitionis et Vicarii Episcopi in longinquis regionibus degentes sine gravi incommodo adiri nequeant.

9. Si in denuntiationibus, quod non raro contingit, aliæ indicantur personæ forte pariter sollicitatæ, vel quæ de hoc crimine testimonium ferre aliqua ratione possint, hæ quoque omnes et seorsim judiciaria forma superius enunciata examinandæ sunt; et primo per generalia, deinde per gradus, quoad ita res ferat, ad particularia deveniendo interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsæ sollicitatæ, vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint.

10. Accepta denuntiatione non illico proceditur, sed a Superiore ecclesiastico inquiri sedulo debet, utrum persona denuntians sit fide digna. Sollicitationis crimen ut plurimum secreto perpetratur; hinc privilegium est, ut in causis, quæ contra hoc crimen instituuntur, ad plenam probationem faciendam attestationes etiam singulares admittantur. At in memoratis SS. Pontificum Constitutionibus præscribitur, ne cum testibus singularibus procedatur, nisi præsumptiones, indicia et alia adminicula concurrant. Pondus igitur cujusque denuntiationis, qualitates et circumstantiæ serio accurateque perpendendæ sunt, et antequam contra denuntiatum procedatur perspectum exploratumque judici esse debet, quod mulieres vel viri denuntiantes sint boni nominis neque ad accusandum vel inimicitia vel alio humano affectu adducantur. Oportet enim, ut testes hujusmodi singulares ab omnibus privatis affectionibus sint immunes, ut ipsis integra fides haberi possit (*Instruct. jussu Pii VI*, 1775).

[1] Hunc afferunt *Acta*, Tom. III. p. 505.

11. Ea est hujus Supremæ Inquisitionis consuetudo, ut post unam alteramve denuntiationem rescribatur, quod denuntiatus *observetur*, ita videlicet super delato crimine suspectus habeatur, ut, quum primum per novas denuntiationes res explorata erit, in judicium vocandus sit. Ut plurimum nonnisi a tertia denuntiatione procedi solet. Ad formale examen vocantur Parochi vel probatæ fidei spectatæque virtutis viri, præsertim ecclesiastici, qui cum juramento de veritate dicenda et de secreto servando, super qualitatibus denuntiantium et denunciati et super mutuis eorum odiis et inimicitiis examinentur. Hisce peractis diligentiis, reus in judicium adducitur et coram judice cum interventu ecclesiastici viri, qui notarii partes agat, super singulis cujusque denuntiationis et examinis adjunctis, juramento dicendæ veritatis obstrictus, respondere debet. Cavetur solertissime ne denuntiantium nomina reo manifestentur et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur.

12. Quando perspecta evaserit patrati criminis veritas, reo ad defensionem prout jura exposcunt admisso, deveniendum erit ad illi interdicendum in perpetuum ne confessiones excipiat, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsa S. Sede impertitas. Hujusmodi sententiam Episcopus ipse et non alius ab eo delegatus proferat; et pro modo culpæ, atque omnibus attentis circumstantiis, cæteras quoque pœnas reo irroget, quæ in supradictis Pontificiis Constitutionibus decernuntur. Præterea, si reus in judicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abjurationem, ut se ita purget ab ea, quam incurrit hæresis suspicione; et hac quoque pœna in ipsa sententia mulctetur. Notandum est pœnas hujusmodi omnes et ipsam inhabilitatem ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum in Decreto Benedicti XIV. 5 aug. 1745 præscriptam esse tantum ferendæ sententiæ. Abstinendum tamen erit ab infligenda degradatione et traditione brachio sæculari; id nimirum a Gregorio XV. statutum fuit: cæterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet, quam ut executioni mandetur (*Albitius* et *Benedictus XIV. Epistola privata* 11 nov. 1743 *ad Azevedo*).

13. Qui nullis omnino super hoc crimine præventi denuntiationibus, conscientia victi, Ordinario loci ejusve delegato se sistunt, patrata a se sollicitationis flagitia sponte confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congrua abjuratione et pœnitentiis dumtaxat salutaribus, adjecto consilio vel præcepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum sacris Confessionibus se abstineant; nec cæteris pœnis antea dictis, accedentibus licet postmodum denuntiationibus, afficiantur. Qui vero judiciaria forma jam præventi, sed nondum citati, sua sponte se sistunt; et ii pariter, quos veritatem non integram sed diminutam in spontanea apparitione confessos esse Ordinarius loci ex acceptis postea denuntiationibus deprehenderit, beneficio impunitatis non gaudent; veruntamen pro ipsius Ordinarii prudentia mitius puniantur.

14. Quod in hisce causis, vel ex commissione Apostolica, vel ex jure Episcoporum proprio tractandis, majorem in modum curari et observari debet, illud est ut eædem causæ, utpote ad fidem attinentes, secretissime peragantur, et postquam fuerint definitæ et executioni jam traditæ perpetuo silentio omnino premantur. Omnes Curiæ ecclesiasticæ administri, et quicumque alii ad has pertractandas vel patroni ad defendendas causas assumuntur, jusjurandum de secreto servando debent emittere: et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur prout in jure cautum est cap. *Statuta* fin. *de hær.*, *in* 6; et in Clement. *Multorum*, § *porro*, *de hæret.* Qui vero denuntiationis oneri satisfaciunt, quique in hisce causis examini subjiciuntur, juramentum ab initio de veritate dicenda, et actu expleto de secreto servando, tactis sacrosanctis Dei Evangeliis, etiamsi sint sacerdotes, præstare tenentur. Hæc si caute sancteque teneantur, nullam invidiæ infamiæque vel aliud quodvis periculum timeri potest, quod vel testes a dicenda veritate, vel competentes judices ab investigando et condignis pœnis animadvertendo sollicitationis crimine contineat.

15. Indultum fuit a Pio VI. in Instruct. de qua antea dictum est, anno 1775 ad Vicarium Ap. Concincinæ data, ut, cum difficillimum sit in illis tam dissitis ac disparatis regionibus ea omnia adamussim servare, quæ in hisce causis servanda sunt; et cum, si aliqua ex his omittantur, justitia non patiatur, ut pœnæ infligantur adversus

reos, de quorum crimine judiciaria ratione adhuc sufficienter non constat, tunc consultius fortasse esset si extra judicii ordinem procedatur ad occurrendum tanto malo mediis et modis magis facilibus et expeditis, quos in casibus particularibus Vicarii Apostolici prudentia cum animarum zelo conjuncta suggeret. Jam vero quisque videt hanc indulgentiam pro locis adeo dissitis ac disparatis factam, neque omnibus esse communem, neque absque Apostolicæ Sedis auctoritate jure posse ubivis induci.

16. Cæterum, si locorum Ordinarii in conficiendis processibus, vel etiam confecto processu, in proferenda sententia contra sollicitantes ad turpia in Confessione gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad hanc Supremam Congregationem, quæ peculiares instructiones singulis casibus accommodatas, ut sæpe fit, tradet, ac definitivam sententiam, si expediens fuerit, ipsa proferet. . . . . Datum Romæ die 20 febr. 1867."

X.

INSTRUCTIO

EDITA JUSSU

SACRÆ CONGREGATIONIS

DE PROPAGANDA FIDE

DE CONJUGIIS.

Romæ 1821.

Venerabilibus Fratribus Episcopis Vicariis Apostolicis in Imperio Sinarum, eique adjacentibus Regnis atque Provinciis.

VENERABILES FRATRES.

Quæstio de inordinatis ac clandestinis apud Sinas conjugiis non modo Vestra, Venerabiles Fratres, ingenia vexavit diu, Sacrorumque Operariorum, qui in difficili isto Dominico excolendo agro adlaborant, verum etiam S. hujus Congregationis studia non mediocriter exercuit. Atque id non eam unice ob causam, qua S. Augustinus Ecclesiæ lumen obscurissimam de Conjugiis quæstionem, ejusdemque sinus fere inexplicabiles esse professus est; sed, quod maxime dolendum, ob hominum corruptelas, honorabilis Nuptiarum fœderis speciem ac pulchritudinem inobscurantes. *Magno* itaque *Sacramento* suus ut restituatur et constet honor, S. C. quæstionem hujusmodi bono in lumine collocare ac definire tandem sollicita, præsentem Instructionem parandam duxit, Vobis, Ven. Fr., inscriptam, uti eam cum Missionariis, Parochis, ac Confessariis communicetis. Sed ordine res explicanda est ab initio.

I. Vestris equidem litteris, ut bene meministis, pluries ad hanc S. C. datis, significastis, — pravum inolevisse morem apud plurimos Christianos, tanto nomine indignos, ut post inita sponsalia, habitamque carnalem copulam cum muliere, cum alia inde Matrimonium contrahant, communibus servatis Imperii, atque usitatis ibi Ecclesiæ ritibus. Qua de re anxie, ac pro charitate, qua erga oviculas flagratis Vestræ sollicitudini commissas, a Matre ac Magistra vestra postulastis invalescenti apud eas gentes morbo me-

delam consentaneam : et percontati estis, utrum primum illud conjunctionis genus, an alterum justi Matrimonii vim haberet quando intra fines Imperii Sinici ac circumjacentium Regnorum ac Provinciarum nondum esset Tridentinum de Matrimonio Decretum promulgatum.

II. Et S. quidem Congregatio Vos atque Operarios Vestros enixe hortata est, omnimodis ut niteremini qua privatis, qua publicis concionibus, ac præsertim in Sacramenti Pœnitentiæ administratione, deterrere Fideles a clandestinis matrimoniis, quæ Sancta Dei Ecclesia justissimis de causis semper detestata est atque prohibuit ; et ex quibus gravia peccata ortum habent : maxime vero admonendos graviter et sub interminatione Divini judicii eos, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, et cum ea in perpetuo vivunt adulterio. Neque his contenta monitis ex limpidis S. Tridentinæ Synodi fontibus deductis, ad propositi Dubii solutionem, ex puris item fontibus Pontificii Juris in omnes Catholicos pervulgatis observandam indixit a Gregorio IX. P. M. acceptam præscriptionem Capitis *Is qui.* 30. *de Sponsal. et Matrim.* Interrogatus enim Pontifex, quid facto opus esset de homine, qui post inita cum muliere sponsalia habitumque concubitum, aliam deinde in facie Ecclesiæ duxerat et cognoverat, hujusmodi responsum dedit. "Is qui fidem dedit alicui mulieri, quod eam in uxorem ducere velit, et si postea illam carnaliter cognoscat, aliamque in facie Ecclesiæ ducat, ad primam redire tenetur : quia licet primum matrimonium præsumptum videatur, tamen contra talem præsumptionem probatio in contrarium non est admittenda. Unde sequitur quod matrimonium postea de facto contractum non verum sit matrimonium sed nullum." Hanc autem præscriptionem S. C. Vestris studiis commendandam suscepit ab anno 1786, eamdemque anno 1804 V. F. Stephanus Borgia, claræ memoriæ Cardinalis, Sacræ item Congregationis nomine ad Vestrûm unum, nempe ad Vicarium Apostolicum Cochinchinæ scribens, explicatius retinendam esse declaravit.

III. Jam vero tali tantoque remedio consilioque a S. C. exhibito, futurum ea sperabat, ut justis illorum Christianorum conjugiis rite constabiliendis clandestinisque cohibendis, opitulante Deo, nihil aut fere nihil superesset, quando post annos non paucos litteras ejusdem Vicarii Apostolici Cochinchinæ accepit, quibus præter cetera significavit : Capitis *Is qui* observantiam eas in regiones vix aut ne vix quidem induci posse ob invincibilem Sinarum illius legis ignorantiam : ex Divini verbi præconibus, qui eruditendæ genti strenuam dant operam, extitisse fere neminem, qui docuerit, ex copula clandestina Sponsalia subsequente validum in Foro externo Matrimonium æstimandum : docere autem id deinceps asperum futurum ob gravissima inde incommoda pertimescenda, ac præsertim ob scandala tum apud Christianos, tum apud Gentiles oritura, quorum firma persuasio est : Matrimonium justum constare nullum, nisi quod in conspectu Ecclesiæ, vel civilis Imperii legis fuerit celebratum.

IV. Acceptis hujusmodi litteris, S. C. non antea definiendum quidquam deliberavit, quam litteris ad Vos omnes, Ven. Fr., missis, quibus, ut nostis, sciscitatum est de origine opinionum apud eas gentes circa nuptias justas et illegitimas : de universa super Matrimoniis doctrina a Missionariis explicata : de ritu Ecclesiastico ac civili nuptiarum : deque incommodis ac periculis extimescendis, si quando memorati Capitis *Is qui* apud Sinas observantia esset inducenda.

V. Et Vos quidem certiorem S. C. fecistis responsionibus fere inter se consentaneis : quæ plene Eminentissimis Patribus satisfacere fortasse potuissent, nisi in re tanti momenti definienda diligentia supra quam dici possit, maturitateque summa sibi opus esse existimassent. Aliæ itaque literæ S. C. nomine pervenerunt ad Vos, a Vobisque novæ responsiones redditæ, ex quibus Dubia, quæ sequuntur, efformata sunt.

Dub. I. (quod in serie propositorum septimum est) — *An in Chinæ, Cochinchinæ, et Tunchini utriusque regionibus, in quibus Tridentinum de Matrimonio Decretum nondum promulgatum est, copula sponsalia subsequens verum Matrimonium inducat, etiamsi Sponsi inter coeundum non maritali affectu, sed libidine moti, existiment, se in illicitum ac fornicarium actum irruisse, Matrimonio justo constituendo imparem, ac propterea non sibi ereptam facultatem existiment ad alia vota transeundi, cum hæc apud eas gentes persuasio vigeat?*

Dub. II. (quod in serie octavum est) — *Quale consilium dandum Missionariis earum regionum circa modum servandum, præsertim in Pœnitentiæ Sacramenti administratione, cum iis Fidelibus, qui, post Sponsalia et copulam habitam cum una muliere, nuptias publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide justas existimant, validasque?*

Dub. III. (quod in serie nonum est) — *Vicariis Apostolicis ac Missionariis remedium flagitantibus aptum ad cohibenda conjugia clandestina, et avertenda damna ex iisdem funestissima suboritura, quid consilii dandum, aut præscribendum sit?*

Ad hæc clarius, atque accuratius enodanda Dubia juverit animadvertere: Eminentissimis Patribus incredibile videri, persuasionem in I. Dubio memoratam tantam vigere apud Sinenses, ut communis existimari possit: nempe ex Sponsalibus et copula clandestine habita non iis ereptam esse facultatem ad alia voti transeundi. Etenim cum S. C. legem eo capite comprehensam explicandam iis gentibus, quoties sese occasio obtulisset, præscripserit; cumque compertum sit, quanto Vos studio ac sollicitudine S. C. consiliis mandatisque morem gerere consueveritis; ac præterea post accepta consilia ac mandata hujusmodi per nonnullos annos nihil a Vobis de persuasione illa renunciatum sit; jure Eminentissimi Patres arbitrantur, Missionarios ac Catechistas doctrinam Capitis *Is qui* non semper quidem, sed pro re nata tradidisse fidelibus nonnullis, hosque aliis atque aliis tradere deinceps potuisse. Ac certe Vestrûm unus narravit — Missionarium quemdam cæteris clarius coram multis hominibus primariis palam docuisse Sponsalia post copulam carnalem inter Sponsos habitam ex legibus Ecclesiæ judicari debere tamquam Matrimonia, nisi contrarium certo demonstretur — Quo quidem facto facile intelligitur, alios Missionarios idem minus clare tradidisse, et primarios illos viros regulam Ecclesiæ gravissimam facile cum aliis fidelibus communicasse. Erunt igitur non multi, sed erunt tamen, apud quos persuasio illa non vigeat; erunt plurimi, apud quos ea vigebit. Stabit ergo persuasio illa pede uno, cadet altero.

Videte igitur, Ven. Fr., utrique Fidelium generi congruis consiliis ac documentis providendum. Quod ut accurate succedat, ob oculos vestros proponite, quæ in elucidando capite *Is qui* affert P. Pirhinghius Sacrorum Canonum explicator probatissimus. Namque ille in *lib. IV. Decretal. Tit.* I. *Sect.* 1. § 5 post memoratam Gregorii IX. regulam, seu præscriptionem, hæc addit "Ratio est, quia Ecclesia ex carnali copula præsumit in sponsis conjugalem consensum ad excludendum peccatum, quod scilicet Sponsus et Sponsa non fornicario, sed affectu maritali se invicem cognoscere voluerint; quia delictum non est præsumendum, et hæc est præsumptio *Juris et de Jure*, id est, omnino certa et indubitata, contra quam non admittitur probatio; et consequenter non audiretur Sponsus asserens, se non cognovisse Sponsam affectu maritali vel animo contrahendi Matrimonium cum illa. Covarr. in Epitome *Lib. IV. Decret. p.* I. *Cap. IV.* § 1 *num.* 1 *et* 2. Confirmatur, quia copula carnalis sequuta post Sponsalia de futuro est sufficiens signum consensus de præsenti in Matrimonium; et Sponsi per eam censentur sibi invicem tradere: quæ præsumptio habet locum in Foro contentioso et judiciali tantum, non autem in Foro conscientiæ et pœnitentiali. Unde si Sponsus vere cognovisset Sponsam non affectu maritali, sed fornicario, non esset verum matrimonium in Foro pœnitentiali, et coram Deo, quia Papa non potest facere, ut sine consensu expresso vel tacito sit verum Matrimonium. *Hostien. hic. col.* 2 *in fine. Fagnan. hic. num.* 6 *et* 7." Hactenus P. Pirhinghius, qui hanc doctrinam exhibens affirmat eamdem esse apud omnes Canonum tractatores pervulgatam. Hic igitur state, hic hærete. Nempe in iis etiam regionibus, in quibus Tridentinum de Matrimonio decretum promulgatum non est, si Sponsus ac Sponsa non maritali affectu, sed fornicario invicem coiverint, non ideo eorum Sponsalia in verum Matrimonium transire coram Deo; ac propterea coram Deo, sive in conscientiæ Foro, iisdem ereptam non esse facultatem ad alia transeundi vota, si se legitima occasio præcedentium Sponsalium dissolvendorum obtulerit.

Cæterum in forum externum ac judiciale deducta si copula sit, possent iidem ab Ecclesiastico judice legitimorum instar conjugum haberi: atque idcirco, quoad alter eorum vixerit, a quovis alio matrimonio prohiberi, quia est hæc præsumptio *juris et de jure*, id est, certa omnino et indubitata, contra quam non admittitur probatio: et con-

sequenter non audiretur sponsus asserens, se non cognovisse sponsam affectu maritali, vel animo contrahendi matrimonium cum illa.

Quæ cum ita sint, septimo Dubio hac ratione S. C. respondendum censet: nempe — Si in præfatis regionibus, ubi publicatum non fuit decretum S. Concilii Tridentini, duo sponsi carnalem inter se deinde habeant copulam, eam tamen non ex affectu maritali, sed affectu illicito ac fornicario; hæc eorum copula minime transire facit præcedentia eorumdem sponsalia in verum matrimonium coram Deo; seu in foro conscientiæ liberi manent, atque poterunt, si prædicta eorum sponsalia ex aliqua legitima causa dissoluta fuerint, nuptias alias licite inire. Nihilominus si eorum copula in foro externo et judiciali probetur, poterunt iidem ex præsumptione *Juris et de Jure*, contra quam non admittitur probatio, per Ecclesiasticam Potestatem adigi ad sese habendos tamquam veros conjuges, quibus, vivente consorte, quodvis connubium interdictum sit. Ex *Cap.* 30 *De Sponsalib. et Matrim.* —

Sed gradus faciendus est ad alterum enodandum Dubium, quod octavum in serie propositorum est; scilicet — quale consilium dandum Missionariis earum regionum circa modum servandum (præsertim in Sacramenti Pœnitentiæ administratione) cum iis Fidelibus, qui post sponsalia et copulam habitam cum muliere nuptias publice cum alia contraxerunt, quas ipsi bona fide justas existimant validasque. — Cum hujusmodi pœnitente hanc esse diligentiam cautionemque observandam Eminentissimi Patres censuerunt. Placide eundem interroget confessarius; utrum cum prima illa muliere concubuerit affectu motus maritali, an affectu illicito ac fornicario. Si pœnitens hoc alterum respondebit, in pace dimittet, nec de validitate matrimonii deinceps contracti dubitationem ullam movebit. Si vero pœnitens respondebit, se cum prima illa muliere affectu coivisse maritali, graviter admonebit, eum non alterius esse maritum, sed primæ, ad ipsamque redire omnino debere juxta sæpe memoratam Capitis *Is qui* præscriptionem. Sed aliam quoque cautionem præ oculis habeant Missionarii: videlicet si accideret pœnitentem hujusmodi in foro externo minime probare posse carnalem copulam ab se cum prima muliere habitam, ac propterea adigeretur Ecclesiastici Præsidis judicio ad nuptias in conspectu Ecclesiæ contractas in honore retinendas; id si accideret, deberet ille quamcumque pœnam etiam excommunicationis tolerare patienter potius quam certus impedimento se irretiri ligaminis cum altera non sine gravi culpa concumbat. Nota enim est Innocentii III. P. M. præscriptio *Cap.* 44 *de Sent. Excom.* expressa — "Si alter Conjugum" (ita ille) "pro certo sciat impedimentum conjugii, propter quod sine peccato mortali non valet carnale commercium exercere quamvis illud apud Ecclesiam probare non possit . . . . debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum mortale operari."

Ex hactenus consideratis Responsum ad hujusmodi II. Dubium S. C. ita complexa est — Si quis Fidelium post sponsalia et copulam dein habitam cum una muliere, cum altera muliere publice matrimonium contrahat: atque in hoc statu ad Missionarium aliquem in Tribunali Pœnitentiæ accedat, debebit eum interrogare; an copulam istam cum illa prima muliere habuerit ex affectu maritali, an vero ex affectu illicito et fornicario. Si alterum hoc respondebit, nullam de validitate præsentis sui matrimonii dubium ei movebit. Sin autem primum respondebit, graviter ipsum commonebit, eum maritum esse non secundæ sed primæ mulieris, ad eamque redire omnino debere. Additur vero ad eorumdem Missionariorum instructionem; quod si forte homo iste probare non valens in foro externo carnalem copulam ab se habitam cum prima illa muliere, cogeretur hinc per Ecclesiasticam Potestatem cum altera muliere remanere, quacum publice matrimonium contraxit, deberet is pœnam quamlibet, ipsamque excommunicationem humiliter potius sustinere, quam cum altera hac muliere carnale commercium exercere non sine lethali culpa. Ex *Cap.* 44 *de Sent. Excom.*

Statuendum nunc, quid consilii dandum Vobis, Ven. Fr., et Operariis, qui in Sinensi Dominico agro adlaborant, quo facilius feliciusque clandestinæ cohibeantur conjunctiones, et præcidantur scandala damnaque funestissima, quæ suboriri ex iis possent: quod erat in III. Dubio propositum. Certe negari non potest, maximam ad clandes-

tinas conjunctiones præcidendas medelam ac præsidium in celebris Tridentini de Matrimonio decreti promulgatione ab Ecclesia collocari: et Apostolica quidem Sedes, quotiescumque conducere ea promulgatio Episcopis atque Apostolicis Vicariis visa est, nihil reliqui fecit, quo facilem iisdem se præberet, atque hujusmodi medicinam tali consentaneam morbo præscriberet, quod fecit in Archiepiscopatu Kioviensi, cujus exemplum Vestrûm unus in suis litteris indigitavit, nempe Ven. Fr. Vicarius Apostolicus Cochinchinæ. Verum de Kioviensi exemplo, quod ad rem nostram maxime facit, legendum est præclarum Benedicti XIV. P. M. opus de Synodo Dioecesana *Lib. XII. Cap. V.* §§. 8. 9. 10. *et* 11.; ac legenda item ejusdem Pontificis Constitutio *Etsi Pastoralis* §. 8. *de Sacram. Matrim. num.* 1. — Curent Ordinarii locorum, ut Decretum S. Concilii Tridentini de Reform. Matrim. in locis et Parochiis Græcorum et Albanensium, quoties expedire viderint, evulgetur et publicetur — Sed certum quoque est, siubi promulgatum id Decreti fuerit, ibique de præsentia Parochi præscriptum observari minime potuisset, quod vel Parochus deesset omnino vel difficile adiri posset, Apostolicam Sedem declarasse iis in locis testium præsentiam satis esse ad valide matrimonia constabilienda: quo si integrum Decretum observari non posset, quoad tamen posset observaretur.

Jam vero Eminentissimi Patres in hujusmodi prudentem Apostolicæ Sedis œconomiam animum intendentes: itemque considerate ac meditato animo perpendentes litteras a Vobis, Ven. Fr., iterato ad S. C. hac super re datas, circumspectantes etiam civiles sacrasque rationes, et faciem ipsam Imperii Sinarum, quæque eidem junguntur provinciarum atque regnorum: censuerunt, si id SSmo D. N. placuerit, ut quibus in locis id expedire maturo consilio judicaveritis, in iis Concilii decretum integrum rite promulgandum curetis, aut saltem quoad fieri licuerit, juxta regulas paulo ante traditas.

Quamobrem omnia et singula matrimonia, quæ posthac celebrari contigerit apud Sinas, ut valida nominentur et sint, ineunda erunt coram Parocho, aut Missionario, aut alio quovis legitime designato, ac duobus vel tribus testibus, iisque quoad licuerit, Christianis. In iis vero locis, in quibus integrum non posset promulgari Decretum, vel, si promulgatum sit, Parochus tamen vel alius rite designatus absit, vel faciles ad eundem aditus non sint, iniri quidem possint conjugia, etsi absque Parocho, coram duobus saltem testibus, iisque si fieri possit Christianis; ita tamen contrahentes, ne Sacramenti dignitas vilescat, obligentur lege sistendi se coram Missionario vel Parocho quandocumque reduci, ut rite ab eo benedictionem accipiant. Missionarius autem vel Parochus redux, quando sibi de consensu conjugum constiterit, antequam conjuges benedicat, eos condocefaciat, ejusmodi benedictionem ad ritum unice, non ad validitatem pertinere conjugii; ac propterea non committet ille ut rursus consensio per nova verba exprimatur.

Tandem ne Decreti Tridentini memoria jusque obsolescat, cupit S. C., ut, quoties se dederit occasio, Missionarii illud popularibus sibi commissis explicent, ac juxta regulas modo expositas declarent. Expedit enim, ut ipsæ maxime adolescentulæ virgines id perceptum habeant, ne in fraudem induci, et occultis vimque nullam habituris nuptiarum promissis se ad ullam pellici turpitudinem patiantur.

Atque hæc via et ratio est, quam retinendo existimat S. C. inordinatas ac clandestinas conjunctiones præfocari, Deo dante, posse, ac *Magno Sacramento* suum honorem, unde apud plures deciderat, redintegrari.

Quam S. Congregationis sententiam SSmo Dno Nostro PIO div. prov. Papæ Septimo relatam per me infrascriptum Secretarium ejusdem Sacræ Congregationis in Audientia habita die 14 Januarii 1821 Sanctitas Sua benigne approbavit, et omnino servari jussit.

Datum Romæ ex Ædibus S. Congregationis die 17 mensis et anni, quibus supra.

C. M. Pedicini Secretarius.

III.

FACULTATES,

QUÆ EPISCOPIS NOSTRIS CONCEDI SOLENT.

FACULTATES—FORM. I.

1. "Conferendi ordines extra tempora et non servatis interstitiis usque ad presbyteratum incl., si sacerdotum necessitas ibi fuerit."

2. "Dispensandi in quibuscumque irregularitatibus, exceptis illis, quæ vel ex bigamia vera, vel ex homicidio voluntario proveniunt; et in his etiam duobus casibus, si præcisa necessitas operariorum ibi fuerit, si tamen, quoad homicidium voluntarium, ex hujusmodi dispensatione scandalum non oriatur."

3. "Dispensandi super defectu ætatis unius anni[1] ob operariorum penuriam, ut promoveri possint ad sacerdotium, si alias idonei fuerint."

4. "Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, et dispensandi ex rationabili causa in votis simplicibus castitatis et religionis."[2]

5. "Absolvendi et dispensandi in quacumque simonia; et in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis injuncta aliqua eleemosyna vel pœnitentia salutari arbitrio dispensantis, vel etiam retentis beneficiis, si fuerint parochialia et non sint qui parochiis præfici possint."

6. "Dispensandi in 3° et 4° consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2°, 3° et 4° mixtis, non tamen in 2° solo quoad futura matrimonia; quod vero ad præterita etiam in 2° solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab hæresi vel infidelitate convertuntur ad Fidem Catholicam, et in præfatis casibus prolem susceptam declarandi legitimam."

7. "Dispensandi super impedimento publicæ honestatis justis ex sponsalibus proveniente.

8. "Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante et restituendi jus amissum petendi debitum."

9. "Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis præterquam inter levantem et levatum."

10. "Hæ vero dispensationes matrimoniales videlicet 6ª, 7ª, 8ª et 9ª non concedantur, nisi cum clausula: *dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat:* et in dispensatione tenor hujusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessæ."

11. "Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti."

12. "Conficiendi Olea Sacra cum sacerdotibus, quos potuerint habere, et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Cœnæ Domini."

[1] V. Fac. 3. inter Extr. C.

[2] *Intrandæ.*

13. "Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missæ necessaria, ubi non intervenit sacra unctio; et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et, in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo."

14. "Largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis ac sacra communione refectis."

15. "Absolvendi ab hæresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam sæculares quam regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur hæreses, deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint,[1] nisi isti nati sint ubi impune grassantur hæreses, et post judicialem abjurationem illuc reversi in hæresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiæ tantum."

16. "Absolvendi ab omnibus censuris in Constitutione '*Apostolicæ Sedis moderationi*,' dd. 12 Oct. 1869 Romano Pontifici etiam speciali modo reservatis, excepta absolutione complicis in peccato turpi."[2]

17. "Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab hæresi atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt."

18. Concedendi indulgentiam plenariam in oratione 40 horarum ter in anno indicenda diebus episcopo bene visis, contritis et confessis et sacra communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione SSmi. Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab hæreticis et infidelibus aut offensionis a magistratibus."

19. "Lucrandi sibi easdem indulgentias."

20. "Singulis feriis secundis non impeditis officio IX lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti, celebrandi missam *de requie*, in quocumque altari, etiam portatili, et liberandi animas secundum eorum intentionem a purgatorii pœnis per modum suffragii."

21. "Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, præterquam ad tempus tamen iis sacerdotibus, quos præcipue idoneos atque honestos esse sciat, libros prohibitos, exceptis operibus Dupuy, Volney, M. Reghellini, Pigault, le Brun, De Potter, Bontham, J. A. Dulaure, Fêtes et courtisanes de la Grèce, Novelle di Casti, et aliis operibus de obscœnis et contra Religionem ex professo tractantibus."[3]

22. "Præficiendi parochiis regulares, eisque suos deputandi vicarios in defectu sæcularium, de consensu tamen suorum superiorum."

23. "Celebrandi bis in die, si necessitas urgeat, ita tamen ut in prima Missa non sumpserit ablutionem, — per unam horam ante auroram et aliam post meridiem, — sine

[1] De hujus vocis significatione V. p. LXI. nota 2.

[2] Hæc facultas comprehendit omnes omnino censuras Constitutionis "*Apostolicæ Sedis*," excepta facultate absolvendi, a) Complicem in peccato turpi.

b) Sacerdotem qui complicem absolvere præsumpserit (Decr. S. C. Inq. 17 Junii 1866), quam tamen facultatem (sc. absolvendi a *censuris* ET *pœnis* in C. Ben. XIV.: "*Sacramentum Pœnitentiæ*" et dispensandi super irregularitate a violatione dictarum censurarum contractâ) S. Sedes concessit "singulis Archiepiscopis, Episcopis ac Vicariis Apostolicis" Fœderatorum Statuum, sed 1° Ad quindecim casus tantum. 2° In propriâ Diœcesi vel Vicariatu exercendam, sive per se, sive per suum Vicarium Generalem, sive per idoneos confessarios a se vel a dicto Vicario 3° ad hoc *specialiter*, et 4° cum expressâ mentione Apostolicæ Auctoritatis deputandos, 5° favore eorum tantum sacerdotum, qui absque evidenti periculo provocandi fidelium scandalum censuras, quas complicem absolvendo incurrerunt, observare non valent, 6° "sub ea tamen lege, ut sic absoluti et dispensati infra duos menses, vel aliud congruum tempus a dispensante decernendum, directe, vel per medium proprii confessarii, suppressis nominibus, ad S. C. de Prop. Fide recurrere, eique explicare, *quot* personas complices in re turpi, et *quoties* a peccato complicitatis absolverint, et mandatis ejusdem S. Cong. desuper ferendis obedire teneantur, sub reincidentia in easdem censuras et pœnas, si contravenerint; 7° injuncta singulis pro modo culparum congruâ pœnitentia salutari, quodque ab audiendis personæ complicis confessionibus omnino abstineant, aliisque injunctis de jure injungendis." (Vide Conc. Pl. Balt II. p. CXLVI. I. Decr.)

c) Ab hæresi, ab apostasia in fide et a schismate in casibus, de quibus supra fac. 15.

d) Personam cujuscumque sexûs falso denunciantis sacerdotem aliquem de sollicitatione in Confessione. Decr. S. C. Inq. 17 Junii 1866.

Quibus sub conditionibus Episcopi nostri a simonia absolvere valeant, V. supra fac. 5.

[3] V. Facult. 2. inter *Extraord.* C.

ministro, — et sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, — etiamsi altare sit fractum vel sine reliquiis sanctorum, — et præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus et excommunicatis, — si aliter celebrari non possit. Caveat vero, ne prædicta facultate seu dispensatione celebrandi bis in die aliter quam ex gravissimis causis et rarissime utatur, in quo graviter ipsius conscientia oneratur. Quod si hanc eandem facultatem alteri sacerdoti juxta potestatem inferius apponendam communicare, aut causas utendi alicui, qui a Sancta Sede hanc facultatem obtinuerit, approbare visum fuerit, serio ipsius conscientiæ injungitur, ut paucis duntaxat, iisque maturioris prudentiæ ac zeli et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus eamdem communicet aut respective causas approbet." [1]

24. " Deferendi SSmum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii."

25. " Induendi se vestibus sæcularibus, si aliter vel transire ad loca eorum curæ commissa vel in eis permanere non poterunt."

26. " Recitandi rosarium vel alias preces, si breviarium secum deferre non poterunt, vel divinum officium ob aliquod legitimum impedimentum recitare non valeant."

27. " Dispensandi, quando expedire videbitur, super esu carnium, ovorum et lacticiniorum tempore jejuniorum et Quadragesimæ."

28. " Prædictas facultates communicandi, non tamen illas, quæ requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur, sacerdotibus idoneis qui in eorum diœcesibus laborabunt, et præsertim tempore sui obitus, ut, sede vacante, sit qui possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quam primum fieri debebit, per delegatos vel per unum ex iis alio modo provideat, quibus delegatis auctoritate Apostolica facultas conceditur, sede vacante et in casu necessitatis, consecrandi calices, patenas et altaria portatilia Sacris Oleis, ab Episcopo tamen benedictis."

29. Et prædictæ facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur et ad decennium tantum concessæ intelligantur, nec illis uti possit extra fines suæ diœcesis." [2]

FACULTATES EXTRAORDINARIÆ C.

1. " Recitandi privatim, legitima concurrente causa, matutinum cum laudibus diei sequentis statim elapsis duabus horis post meridiem eamdemque facultatem ecclesiasticis viris sive sæcularibus, sive regularibus communicandi."

2. " Retinendi ac legendi libros ab Apostolica Sede prohibitos, etiam contra Religionem ex professo agentes, ad effectum eos impugnandi; quos tamen diligenter custodiat ne ad aliorum manus perveniant, exceptis astrologicis, judiciariis, superstitiosis ac obscœnis ex professo; eamdemque facultatem etiam aliis concedendi, parce tamen et dummodo prudenter præsumere possit nullum eos ex hujusmodi lectione detrimentum esse passuros."

3. " Dispensandi cum Diaconis utriusque cleri super defectu ætatis quatuordecim mensium, ut promoveri possint ad Sacerdotium, si alias idonei fuerint."

4. " Permittendi *parochis* sibi subjectis, dummodo justa et legitima causa concurrat, ut iis diebus festis, quibus Fideles Apostolica auctoritate soluti sunt ab obligatione Missam audiendi, ipsi ab applicatione pro populo abstinere valeant, dummodo pro eodem populo in ejusmodi Missa specialiter orent."

5. " Permittendi Catholicis sibi subjectis, ut feriis sextis, sabbatis aliisque diebus, quibus carnium esus vetatur, acatholicis, si in eorum mensa esse contigerit, carnes præbere valeant, dummodo tamen absit ecclesiasticæ legis contemptus et ejusmodi fa-

[1] De hac facultate V. *Instruct.* p. LIV.

[2] i. e. non nisi favore subditorum suorum in diœcesi existentium, non quidem quando *executioni traditur*, sed quando *conceditur* gratia. Acta. Vol. II. p. 670.

cultate sobrie multaque circumspectione utantur, ne scandalum in Catholicos vel heterodoxos ingeratur."

6. " Deputandi aliquem sacerdotem in locis sibi subjectis cum facultate consecrandi juxta formam in Pontificali Romano præscriptam calices, patenas et altarium lapides, adhibitis tamen Sacris Oleis ab Episcopo Catholico benedictis."

7. " Impertiendi quater in anno intra fines suæ diœcesis in solemnioribus festis Benedictionem Papalem, juxta formulam typis impressam atque insertam, cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere pœnitentes, confessi ac Sacra Communione refecti eidem Benedictioni interfuerint, Deumque pro Sanctæ Fidei propagatione et S. R. E. exaltatione oraverint."

8. " Declarandi privilegiatum in qualibet ecclesia suæ diœcesis unum altare, dummodo aliud privilegiatum non adsit, pro cunctis Missæ Sacrificiis, quæ in eodem altari celebrabuntur a quocunque presbytero sæculari vel cujusvis ordinis regulari."

9. " Benedicendi coronas precatorias, cruces, sacra numismata iisque applicandi indulgentias juxta folium typis impressum atque insertum,[1] necnon erigendi Confraternitates B. M. V. de Monte Carmelo, SS^mi^ Rosarii et Bonæ Mortis cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quæ Summi Pontifices iisdem Confraternitatibus impertiti sunt; addita insuper potestate has facultates communicandi presbyteris sacro ministerio fungentibus."

10. " Erigendi in locis suæ diœcesis, in quibus non adsint PP. Franciscales, pium exercitium Viæ Crucis cum applicatione omnium indulgentiarum et privilegiorum, quæ Summi Pontifices ejusmodi exercitium peragentibus impertiti sunt, additâ insuper potestate hanc facultatem communicandi presbyteris sacro ministerio fungentibus."

11. " Promovendi Clericos sibi subditos ad Subdiaconatum aliosque Ordines Majores usque ad Presbyteratum inclusive titulo missionis, præstito tamen ab eisdem Clericis juramento [2] antequam Subdiaconi ordinentur, quo spondeant, ad instar Pontificiorum alumnorum, suæ diœcesi vel missioni se esse perpetuo inservituros."

12. " Delegandi benedictionem campanarum, quandocumque eam ipsi absque gravi incommodo perficere nequeant, sacerdotibus sibi bene visis, servato ritu Pontificalis Romani, atque adhibitis Oleis et aqua ab Episcopo benedictis; necnon sine aqua ab Episcopo benedicta, si gravis causa concurrat."

13. " Et prædictæ facultates gratis et sine ulla mercede exerceantur, nec illis uti possit extra fines suæ diœcesis."

FACULTATES EXTRAORDINARIÆ D.

1. " Dispensandi super impedimento cognationis spiritualis inter levantem et levatum."

2. " Dispensandi in casibus occultis et in foro conscientiæ tantum super primo et secundo gradu simplici et mixto affinitatis ex copula illicita provenientis, in linea sive collaterali sive etiam recta, dummodo, si de linea recta agatur, nullum subsit dubium

[1] Vide Conc. Pl. Balt. II. p. 340. XXX.

[2] Formula juramenti hæc est: " Ego N. filius N. Diœcesis vel Vicariatus N. spondeo et juro, quod, postquam ad Sacros Ordines promotus fuero, nullam Religionem, Societatem aut Congregationem regularem sine speciali Sedis Apostolicæ licentia aut S. Congregationis de Prop. Fide ingrediar neque in earum aliquâ professionem emittam."

" Voveo pariter et juro, quod in hac Diœcesi aut Vicariatu, vel * in Missione, cui S. Sedi vel S. Congregationi de P. F. me destinare placuerit, perpetuo in divinis administrandis laborem meum ac operam sub omnimodâ directione et jurisdictione R. P. D. pro tempore Ordinarii pro salute animarum impendam, quod etiam præstabo, si cum prædictæ Sedis Ap. licentiâ Religionem, Societatem, aut Congregationem regularem ingressus fuero et in earum aliqua professionem emisero."

" Item voveo et juro, me prædictum juramentum et ejus obligationem intelligere et observaturum."

" Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia."

* Juxta hunc alterum modum jurare debent, qui nondum alicui Missioni addicti fuerint.

quod conjux possit esse proles ab altero contrahentium genita, tam in matrimoniis scienter vel ignoranter contractis, quam in contrahendis."

3. " Dispensandi cum subditis, exceptis Italis de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, atque excepto insuper casu matrimonii cum viro vel muliere judæis, super impedimento disparitatis cultus, quatenus sine contumelia Creatoris fieri possit, et dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis ac præsertim de amovendo a Catholico conjuge perversionis periculo, deque conversione conjugis infidelis pro viribus curandâ, ac de universa prole utriusque sexûs in Catholicæ Religionis sanctitate omnino educandâ: servata in reliquis adjecta instructione typis impressa." [1]

4. " Dispensandi cum suis subditis, exceptis Italis de quibus non constat Italicum domicilium omnino deseruisse, super impedimento impediente mixtæ Religionis, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis prout in superiori No. 3." [2]

5. " Dispensandi in matrimoniis mixtis jam contractis, non item in contrahendis, super gradibus consanguinitatis et affinitatis, super quibus Apostolicam facultatem pro Catholicis jam obtinuit, quatenus pars Catholica, prævia absolutione ab incestus reatu et censuris, cum parte acatholica rite et legitime matrimonium contrahere de novo possit, prolesque suscepta ac suscipienda legitima declarari, dummodo cautum omnino sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis prout in sup. No. 3."

6. " Sanandi in radice matrimonia contracta, quando comperitur adfuisse impedimentum dirimens, super quo ex Apostolicæ Sedis indulto dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi à parte innoxia renovationem consensus, monitâ tamen parte conscià impedimenti de effectu hujus sanationis."

7. " Absolvendi contrahentes in omnibus et singulis casibus supra expositis, dummodo opus sit, ab incestus reatibus et censuris, imposita pro modo culparum congrua pœnitentia salutari, prolemque susceptam ac suscipiendam legitimam declarandi."

8. " Subdelegandi præsentes facultates suis Vicariis Generalibus, quoties ultra diem a propria residentia abesse debeat, atque duobus vel tribus presbyteris sibi benevisis in locis remotioribus propriæ diœcesis, pro aliquo tamen numero casuum urgentiorum, in quibus recursus ad ipsum haberi non possit."

" Voluit autem Sanctitas Sua et omnino præcepit ut prædictus Episcopus superioribus facultatibus justis dumtaxat gravibusque accedentibus causis et gratis utatur, injuncta tamen aliqua congrua eleemosyna, in pium opus arbitrio ipsius Episcopi eroganda, atque ut, elapso decennio, de singulis dispensationibus concessis certiorare debeat Apostolicam Sedem."

FACULTATES EXTRAORDINARIÆ E.

" Dispensandi in utroque foro cum Catholicis, ejus jurisdictioni subjectis, in matrimoniis sive contractis sive contrahendis, super sequentibus impedimentis " :

1. " Super impedimento primi gradus affinitatis in linea collaterali ex copula licita provenientis pro " (v. c. decem) " casibus." [3]

2. " Super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis admixti cum primo in linea transversali pro " (v. c. sexaginta) " casibus."

[1] Hanc V. Conc. Pl. Balt. II. p. 311. XIV.

[2] Et dummodo, si de *contrahendis* agatur, aliud non obstet impedimentum dirimens, ut patet ex facultate proxime sequenti.

[3] Numerus casuum, qui singulis Episcopis conceditur, varius est non tantum pro variis diœcesibus, sed etiam pro vario tempore concessionis in eâdem diœcesi eidemque Episcopo; ideo enim Episcopi S. Sedem, elapso decennio, ad quod facultates conceduntur, de singulis hujusmodi dispensationibus certiorare debent, ut pateat quibus facultatibus pro suâ speciatim diœcesi, et quo numero quisque indigeat.

3. " Super impedimento secundi gradus consanguinitatis vel affinitatis in linea transversali æquali pro " (v. c. centum) " casibus."

4. " Super impedimento publico primi gradus affinitatis, ex copula illicita provenientis, in linea sive collaterali sive etiam recta pro " (v. c. triginta) " casibus, dummodo si de linea recta agatur, nullum subsit dubium quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita."

" Insuper Sanctitas Sua prædicto Episcopo facultatem concessit in omnibus et singulis casibus superius expositis absolvendi contrahentes, dummodo opus sit, ab incestus reatibus et censuris, imposita pro modo culparum congrua pœnitentia salutari ac prolem tam susceptam quam suscipiendam legitimam declarandi."

" Voluit autem eadem Sanctitas Sua ac omnino præcepit, ut prædictus Episcopus iisdem facultatibus urgentissimis dumtaxat concurrentibus causis et gratis utatur, injuncta tamen aliqua eleemosyna in pium opus arbitrio ipsius Episcopi eroganda."

" Tandem SS^mus Pater eidem Episcopo potestatem fecit prædictas facultates subdelegandi suis Vicariis Generalibus, quoties ultra diem a propria residentia abesse debeat, atque duobus vel tribus presbyteris sibi bene visis in locis remotioribus propriæ diœcesis, pro aliquo tamen numero casuum urgentiorum, in quibus recursus ad ipsum haberi non possit."

QUADRUPLICIS IGITUR GENERIS SUNT FACULTATES, QUÆ EPISCOPIS NOSTRIS CONCEDI SOLENT:

A *Facultates Ordinariæ*, dictæ *Formulæ* I, quæ a cæteris distinguuntur, quod, 1° omnes, et consequenter etiam *illæ* dispensationes matrimoniales, quæ vi earum conceduntur, *gratis*[1] exercendæ sint; 2° Episcopi eas communicare *possint* omnibus *indiscriminatim* " sacerdotibus idoneis, qui in eorum diœcesibus laborabunt," exceptis tamen, " quæ requirunt Ordinem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur " et facultate celebrandi bis in die, quam " paucis dumtaxat . . . . et qui absolute necessarii sint " subdelegare valent.

B *Facultates Extraordinariæ*, dictæ C. Has quoque Episcopi communicare *possunt* omnibus *indiscriminatim* sacerdotibus in eorum diœcesi laborantibus, exceptis sequentibus: 1° " Consecrandi calices, patenas et altarium lapides . . . . Sacris Oleis ab Episcopo Catholico benedictis, quam ad actum tantum, aut uni alterive sacerdoti in locis sibi subjectis delegare valent. 2° Impertiendi quater in anno in solemnioribus festis Benedictionem Papalem. 3° " Declarandi privilegiatum in quâlibet ecclesiâ suæ diœcesis unum altare, dummodo aliud privilegiatum non adsit." 4° Benedicendi campanas, nisi quando " ipsi absque gravi incommodo " eum actum perficere non valent, et tunc " servato ritu Pontificalis Romani, atque adhibitis Oleis et aquâ ab Episcopo benedictis, nec non sine aquâ ab Episcopo benedictâ, si gravis causa concurrat."

C *Facultates Extraordinariæ*, dictæ D. Hæ, 1° Omnes ad dispensationes matrimoniales pertinent. 2° Subdelegari possunt " solis Vicariis Generalibus," dummodo Episcopi " ultra diem à propriâ residentiâ abesse debeant, atque duobus vel tribus presbyteris sibi benevisis in locis remotioribus propriæ diœcesis, pro aliquo tamen numero casuum urgentiorum, in quibus recursus ad ipsos haberi non possit." 3° Justis dumtaxat *gravibusque* accedentibus causis " exercendæ sunt, ac licet gratis," 4° " Injunctâ tamen aliquâ congruâ eleemosynâ, in pium opus arbitrio ipsius Episcopi erogandâ. 5° " Elapso decennio " (ad quod concedi solent) " de singulis dispensationibus certiorare " debent Episcopi " Apostolicam Sedem."

D *Facultates Extraordinariæ*, dictæ E. Hæ quoque, 1° Omnes ad dispensationes matrimoniales pertinent. 2° Iis tantum subdelegari valent, quibus Facultates Extraordinariæ D. 3° *Urgentissimæ* requiruntur causæ. 4° Episcopis ad certum tantum numerum casuum conceduntur. 5° Servanda sunt, quæ servanda præcipiuntur supra 4° et 5° quoad Facultates Extraordinarias D.

[1] Cfr. Conc. Pl. Balt. II. p. CXLIII. sub 3°.

S. ALPHONSI DOCTRINA MORALIS.

A.

PRÆCIPUA

S. SEDIS TESTIMONIA ATQUE JUDICIA DE MORALI DOCTRINA S. ALPHONSI.

BENEDICTUS XIV.

1. Epistola de die 2 Nov. 1753 ad S. Alphonsum. — "*Tomum primum tuæ Theologiæ moralis, Nobis dedicatæ*, recepimus tibique gratias agimus ob honorem Nobis hac dedicatione exhibitum, necnon ob insertas opportune Operi prædicto Litteras Nostras Encyclicas. Certum te facimus lecturos Nos, cum otium Nobis ad hoc dabitur, Opus tuum, *debitam enim meriti, diligentiæ ac æqui tui judicii existimationem fovemus.*"

2. Alia Epistola, data 15 Jul. 1755. — "Accepimus tuas litteras octavo Junii datas, simul cum *secundo volumine* tuæ Moralis, et cum aliis pluribus libris, qui, licet minoris molis sint, saluti tamen animarum maximæ erunt utilitati. Pro hoc dono gratias agimus, potissimum quod *Nobis* tuum Opus morale *dedicaveris;* hoc cum cursim pervolvissemus, exquisitissimum esse *atque integræ hominum societati certe approbatissimum utilissimumque fore* judicavimus. Sedate illud revolvemus, et legenda lectis digna fore confidimus."

3. Quanto in pretio Benedictus XIV. habuerit Alphonsi *meritum, diligentiam et æquitatem in controversiis dirimendis*, patet ex iis quæ doctissimus Pontifex tradit in aureo Opere *de Synodo diœcesana*.[1] — Constat etiam ex facto a *P. Tannoja*[2] hisce verbis relato: "Tanta erat existimatio, quam de sapientia sua conceperat idem Pontifex Benedictus XIV., ut a docto missionario Neapolitano et insigni Dei servo, D. Josepho Jorio, rogatus sententiam dicere de maledictione mortuorum, ab ea per semetipsum aperienda abstinuerit, responderitque: "*Ligorium vestrum habetis, hunc consulite.*"

CLEMENS XIII.

1. Litteræ in forma Brevis, 4 Aug. 1767 ad S. Alphonsum.[3] — "Librum tuum adversus errores, qui nunc temporis omnem propemodum infecerunt Europam, libentissime excepimus; tum quod tuus est, *cujus probe novimus ex pluribus aliis*

[1] Lib. 11. cap. 2. n. 17.
[2] Vita ed Istituto di S. A., lib. 2. cap. 38. in fine.
[3] Cfr. ibid., lib. 3. cap. 38.

Scriptis tuis et ingenium, et doctrinam, et Dei zelum magnopere flagrantem. . . . Cæterum, Venerabilis Frater, te summopere amamus, quod minime contentus uni Ecclesiæ tuæ prodesse, *quidquid temporis tibi superest* ex episcopali tua procuratione, id perire non pateris, sed *omne consumis in ejusmodi laboribus, quorum utilitas* non circumscribitur finibus tuæ Diœcesis, sed *ad Ecclesiam porrigitur universam.* Deum rogamus, firmam ut tibi tribuat valetudinem, et vitam addat et vires, quo alia complura, quæ forte inchoasti, feliciter possis absolvere. . . ."

2. Ex Actis Beatificationis.[1] — "Romam reversus" (Alphonsus), "a Summo Pontifice peramanter complexus, trium horarum colloquio dignatus est. Quum inter gravissima Ecclesiæ negotia, de quibus ipse a Pontifice consulebatur, retulisset oppugnatum fuisse Librum, quem *de frequentis Communionis utilitate* nuper ediderat, excanduit zelo Pontifex, eamque sanctissimam praxim animabus perquam utilem ostendens, idque sua firmans experientia, ei jussit, ut adversarium confutaret: quemadmodum brevi Romæ fecit, editumque responsum ipsi Pontifici obtulit."

3. Præclara extant Summorum Pontificum *Clementis XIV.* et *Pii VI.* testimonia; attamen, cum ista respiciant quædam S. Doctoris opera dogmatica, ab iisdem recensendis abstinemus. — Sufficiat hic allegare, quæ laudatus P. Tannoia[2] de *Pio VI.* refert: "Cum Advocatus Vincentius Picerni ipsi a° 1798 dedicasset 'Defensionem Systematis Alphonsi,' de ea plurimum se gavisum esse testatus est in Brevi responsorio ad eumdem Picerni dato."

Quibus præmissis, ad graviora judicia exponenda gressum faciamus.

PIUS VII.

1. Decretum super revisione et adprobatione Operum Ven. Alphonsi.[3] — ". . . Facta . . . plena relatione tam præfatorum Operum impressorum, quam aliorum Mss. omnium, . . . nihil *in iis* Censura dignum *repertum fuit.* . . . Quibus SSmo D. N. relatis, Sanctitas Sua benigne annuit. Die 18 Maji 1803."

2. Decretum super Dubio, an constet de Virtutibus in gradu heroico.[4] — ". . . Magna, quæ de castis sanctisque moribus Ven. Alphonsi insedit opinio apud omnes quoscumque . . . semper magis magisque aucta est. . . . Elucescebat . . . *in verbi Dei ministerio* apud rudem derelictam plebem, dum eam *præceptionibus divinæ legis* imbuebat; *in cathedra morum, apud conscientiarum moderatores, dum doctrinæ copiam effundebat;* . . . in pastorali officio apud commissum sibi gregem, dum vigili custodia illum *salutaribus pascuis* enutriebat. . . . Quam optimo autem jure tanti eum facerent homines, hodiernum Apostolicæ Sedis judicium manifestat. Instituta enim inquisitione de ejus peculiaribus actionibus, . . . ac *facta discussione de quibuslibet licet minutissimis exceptionibus,* quæ perfectiori virtutum christianarum exercitio opponi potuerant, iterumque renovata, . . . *ita evanescere omnes difficultates visæ sunt, ut nihil amplius opponi potuerit adhuc perpendendum.* . . . Hoc autem Decretum" (Sanctitas Sua) "evulgari, et in acta S. R. C. referri mandavit, Nonis Maji 1807."

3. Decretum super Dubio, an tuto procedi possit ad Beatificationem.[5] — "Omnipotens Dei sermo, qui vocat stellas, ut in militantis Ecclesiæ firmamento splendeant, Ven. servum suum Alphonsum vocavit, ut apostolicarum virtutum luce coruscaret. Divinæ ille voci respondit, et Apostolo dignas virtutes quasi jubar emisit, . . . cum, *et voce, et scripto in media sæculi nocte errantibus viam ostendit, qua, eruti de potestate tenebrarum, transire possent in Dei lumen et regnum.* . . . *Sed et intelligent profecto Pastores animarum, et divini verbi præcones, pii quoque et docti viri, quantum sibi in Alphonso Maria imitando ornamenti ac præsidii constitutum sit.* Cum hujus igitur lucidissimæ militantis Ecclesiæ stellæ virtutes heroicas habendas esse, SS. D. N. Pius

[1] Positio super Introduct. Causæ, Romæ 1796. Informatio n. 71.
[2] Vita ed Istit. di S. A., lib. 4. cap. 43. in fine.
[3] Cfr. Opusc. cui tit. *Santità e dottrina del B. Alfonso,* Ferentino 1834. p. 45.
[4] Santità e dottrina, pag. 54.
[5] Vid. cit. opusc. Santità e dottrina. pag. 59.

Papa VII . . . edixerit, . . . rite pronuntiavit: Tuto procedi posse. . . . Atque hoc Decretum in vulgus edi . . . jussit, 12 Calend. Jan. 1815."

4. BREVE BEATIFICATIONIS, DE DIE 6 SEPT. 1816.[1] — "Ad excitandam meliorum charismatum æmulationem, semper in Ecclesia instaurat Dominus maxima virtutum exempla. Jam vero, præter tot alios, qui memoria nostra multiplici virtutum apparatu florere visi sunt, mirum in modum claruisse constat Ven. Dei servum Alphonsum. . . . Sicut sagitta in manu potentis, in vitia irruit. . . . *Hinc sane mirum*, quot odia extinxerit, *quot devios ad rectum tramitem, ac etiam ad christianam perfectionem*, verbo, exemplo, ac *multiplicibus Scriptis adduxerit* . . ."

5. Certo etiam constat, Pium VII. suasissse Episcopis Ditionis Pontificiæ, ut in suis Seminariis Theologia moralis B. Alphonsi traderetur.[2]

LEO XII.

1. LITTERÆ AD TYPOGR. HYACINTH. MARIETTI, DATÆ 19 FEBR. 1825.[3] — "Ut minus noceat malorum colluvies librorum, qua, nunquam satis deploranda ætatis nostræ calamitate, regiones omnes redundant, non exiguus facit Scriptorum pietate ac doctrina præstantium numerus, quos Deus *ad Religionis morumque tutelam*, misericordi Providentiæ suæ consilio nunquam perditorum non opponit audaciæ. In quibus, cum *præsertim* Vir sanctissimus idemque doctissimus B. Alphonsus de Ligorio jure optimo numeretur, . . . (cujus scripta) *firmissima sunt adversus omnem pravitatem præsidia:* optime sane de Religione meritus es, et, sua si norit commoda, de universa hominum societate, qui in Scriptoris hujusmodi Operibus colligendis et in lucem edendis operam tuam industriamque collocaveris . . ."

2. Testatur D. Gaume, eodem tempore a Leone XII. similes Litteras in forma Brevis datas fuisse ad Episcopum Massiliensem.[4]

PIUS VIII.

1. EPISTOLA DATA (QUUM ESSET ADHUC PŒNITENT. MAJOR) AD EPISC. MASSIL.[5] — "Est sane cur tuæ Dominationi vehementer gratulor de pientissimo consilio, quo penes gregem tuum venerationem in B. Alphonsum fovere conniteris; quem nedum virtutum splendore illustre Episcopali Ordini decus nostra ætate intulisse, sed *et sana et secundum Deum doctrina præfulsisse suspicimus, tot editis ea de re voluminibus, in quibus nihil dignum censura venerando judicio admonemur.* Id nunc restat, tua hæc in ovium bonum vota, ex ipsius B. Alphonsi præsidio, optato exitu cumulari."

2. DECRETUM SUPER DUBIO, AN CONSTET DE MIRACULIS, 3 DEC. 1829.[6] — "Beato Alphonso Mariæ de Ligorio dedit *scientiam Sanctorum* Deus, et honestavit illum in laboribus, qui . . . *usque ad extremam senectam . . . studuit . . . saluberrimis elucubratis Libris fidelium animos ad fallacis sæculi contemptum, atque æternæ gloriæ amorem accendere. . . . Hujus Beati Viri Nomen*, tum præclaris gestis, tum *voluminibus ipsius pietate et doctrina refertis, ubique gentium diffusum*, et in adversis invocatum (est) . . ."

3. DECRETUM SUPER DUBIO, AN TUTO PROCEDI POSSIT AD CANONIZ., 16 MAJI 1830.[7] — Inter Operarios, quos nullo tempore mittere destitit ad vineam suam excolendam cœlestis Paterfamilias, *plurimum laboravit ad plebem verbo, scriptoque erudiendam B. Alphonsus . . ."*

GREGORIUS XVI.

1. BULLA CANONIZATIONIS, DE DIE 26 MAJI 1839.[8] — "Sanctitas et Doctrina, . . . ex Apostoli gentium sententia, ornare Episcopum quemque debent. . . . *Ad exi-*

[1] Ibid. pag. 61.
[2] Cfr. Morale Sistema del B. Alfonso . . . del Sacerd. Andrea Coppola, Napoli 1824. pag. 144.
[3] Vid. edit. stereotyp. Operum S. A., Torino, Marietti, Vol. 5. in princ.
[4] Manuel des confesseurs, Préface.
[5] Card. Villecourt, Vie de S. Alph. Tom. 4. pag. 250.
[6] Santità e dottrina, pag. 67.
[7] Ibid. pag. 70.
[8] Ex actis causæ.

mium hoc egregii Antistitis exemplum instaurandum, datus divinitus Ecclesiæ superiori sæculo visus est Alphonsus Maria Ligorius, qui, cum . . . *sacris præsertim doctrinis mirifice polleret,* ad Episcopatus munus longe impeditissimum vocatus est. . . . *Illud vero omnino mirandum,* quod, licet in apostolici functione muneris, perpetuis occupationibus detineretur, atque adeo omni cruciatuum asperitate sua membra torqueret, ac debilitaret, tanta nihilominus alacritate in rerum sacrarum studiis versari, ac tantum insumere temporis potuerit, ut *doctis æque ac laboriosis Operibus in lucem editis, rem christianam mirifice juverit.* Enimvero, ut se suasque vitæ rationes omnes divino cultui devoveret, maxime arduum ac novi pene generis votum emisit, ut ne tantillum quidem temporis otiose, verum perpetua in actione traduceret. *Plurimos sane conscripsit libros, sive ad morum doctrinam tuendam, sive ad plenam sacri Ordinis institutionem,* sive ad confirmandam Catholicæ Religionis veritatem, sive ad asserenda hujus S. Sedis Apostolicæ jura, sive ad pietatis sensum in Christianorum animis excitandum. *In iis porro inusitatam vim, copiam, varietatemque doctrinæ, singularia ecclesiasticæ sollicitudinis documenta, exquisitum Religionis studium demirari licet. Illud vero imprimis notatu dignum est, quod, licet copiosissime scripserit, ejusdem tamen Opera* INOFFENSO PRORSUS PEDE *percurri a fidelibus posse, post diligens institutum examen perspectum fuerit.*"

2. DECRETUM DE DIE 10 JAN. 1840.[1] — "*Maxima inter Catholicæ Ecclesiæ lumina atque ornamenta, Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio refulget,* qui, *doctrina et sanctitate insignis,* summaque charitate incensus, miris omnium virtutum exemplis, ac *plurimis doctissimis ac pientissimis Operibus, Dei gloriæ ac spirituali hominum saluti unice serviens,* post vitam sanctissime exactam, jam coronatus possidet palmam, et cum Deo in cœlo triumphat."

3. RESPONSUM S. PŒNITENTIARIÆ, DE DIE 5 JULII 1831.[2]

Consultatio. — "Eminentissime. Ludovicus Franciscus Augustus, Cardinalis de Rohan-Chabot, Archiepiscopus Vesontionensis, doctrinæ sapientiam et unitatem fovere nititur apud omnes diœcesis suæ qui curam gerunt animarum, quorum nonnullis impugnantibus Theologiam Moralem Beati Alphonsi Mariæ a Ligorio, tanquam laxam nimis, periculosam saluti, et sanæ morali contrariam, Sacræ Pœnitentiariæ oraculum requirit, ac ipsi unius Theologiæ professoris sequentia dubia proponit solvenda :

"1°. *Utrum sacræ Theologiæ Professor opiniones, quas in sua Theologia morali profitetur Beatus Alphonsus a Ligorio, sequi tuto possit ac profiteri ?*

"2° *An sit inquietandus Confessarius, qui omnes Beati Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi sacri Pœnitentiæ tribunalis,* hac sola ratione quod a Sancta Sede Apostolica 'nihil in Operibus censura dignum repertum fuerit?' — Confessarius, de quo in dubio, non legit Opera Beati Doctoris, *nisi ad cognoscendum accurate ejus doctrinam, non perpendens momenta rationesve quibus variæ nituntur opiniones ;* sed existimat se *tuto* agere, eo ipso quod doctrinam, quæ 'nihil censura dignum' continet, prudenter judicare queat *sanam esse, tutam, nec ullatenus sanctitati evangelicæ contrariam.*"

Decisio. — "Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, Reverendissimo in Christo Patri S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Vesontionensi, respondendum censuit :

"*Ad* 1^um^ *quæsitum :* AFFIRMATIVE, *quin tamen inde reprehendendi censeantur, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.*

"*Ad* 2^um^ *quæsitum :* NEGATIVE, *habita ratione mentis Sanctæ Sedis circa approbationem Scriptorum Servorum Dei ad effectum Canonizationis.*

"Datum Romæ, in Sacra Pœnitentiaria, die 5 Julii 1831.

A. F. De Retz, S. P. Regens.
F. Tricca, S. P. Secretarius."[3]

[1] Ex copia authent. [2] Cop. auth.

[3] Responsum istud S. Pœnitent. a S. M. Gregorio XVI. approbatum confirmatumque fuit sub die 22 Julii, uti constat ex epistola Emi Card. de Rohan-Chabot ad D. Gousset, ejus Vic. Gen., qui præfata dubia proponi curaverat : "In audientia dd. 22 Julii (1831) Sanctitas Sua Responsum S. Pœn., Sibi a me submissum, confirmavit, approbans tum ipsum Responsum, tum consilium quod ceperam idipsum publicandi ac hisce Litteris pastoralibus fulciendi . . ." (Cfr. Gousset, Justification de la Théol. mor. du B. Alphonse, Besançon 1832 pag. 251.)

4. Aliud Responsum S. Pœnitentiariæ, de 8 Junii 1842.[1]

Consultatio. — " Bñe Pater. Episcopus Cenomanensis . . . humillime repræsentat: Fere omnes juniores sponsi numerosiorem prolem habere nolunt, et tamen ab actu conjugali abstinere moraliter nequeunt . . . Præfatus Cenomanen. Episc., ingentia hinc obventura esse mala prævidens, et anxietate turbatus, a Beatitudine Vestra sollicite exquirit: . . . 2°. Si actus habendus sit ut moraliter malus, an conjuges de illo se non accusantes considerari possint tanquam in ea constituti bona fide, quæ eos a gravi culpa excuset? 3°. An probanda sit agendi ratio Confessariorum, qui, ne conjugatos offendant, illos circa modum, quo juribus matrimonii utuntur, non interrogant?"

Responsio. — " S. Pœnitentiaria, mature perpensis propositis quæstionibus. . . . Ad 2. et 3. respondet: quod præfatus Confessarius revocet in mentem adagium illud: *sancta sancte esse tractanda;* atque etiam *verba perpendat S. Alphonsi de Ligorio, Viri docti et harum rerum peritissimi, qui in Praxi Confessariorum,* §. 4. *n.* 41. *inquit:* 'Circa autem peccata conjugum respectu ad debitum conjugale, ordinarie loquendo, Confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit. . . . De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit.' Necnon alios probatos auctores consulere non omittat."

SS. D. PIUS PP. IX.

1. Litteræ ad P. Hugues, C. SS. R., datæ 25 Nov. 1846.[2] — " Si unquam alias, nunc certe omni studio atque industria curandum, ut salutaribus scriptis vitia profligentur, atque in omniun animis virtus, religio, pietas excitentur, foveantur. . . Itaque pium a te susceptum laborem summopere commendamus, tibique addimus animos, ut majori usque alacritate, tuam operam *in saluberrimis S. Alphonsi scriptis magis in dies promulgandis* impendas, *quorum lectio*, non solum christianæ plebi, verum etiam *ecclesiasticis viris, animarum præsertim curæ et regimini addictis, maxime prodesse potest.* Siquidem illius sanctissimi ac doctissimi Viri libri . . . *optima quæque monita, consilia, præcepta, copiose suppeditant, quæ ad animarum salutem tuendam, procurandam, vel maxime conducunt . . .*"

2. Litteræ de die 7 April. 1847 ad D. Scavini.[3] — " Tibi vehementer gratulamur, quod in hisce Theologicis Institutionibus conficiendis, *nihil antiquius* habueris, quam *salutares* sanctissimi ac doctissimi Viri Alphonsi Mariæ de Ligorio *doctrinas magis magisque propagare, iisque ecclesiasticæ præsertim juventutis animos imbuere.* Itaque susceptum a te consilium summopere commendamus . . ."

3. Litteræ ad Typogr. Marietti, 12 Jul. 1847.[4] — " In tanto pravorum librorum numero, qui prodeunt hoc ævo quotidie in lucem, maxima apud Nos profecto laude dignus videris, dilecte Fili, cujus opera et impensa Typographia istic pluribus ab hinc annis patet, quæ libros edat, aut iterum prælo committat ad Religionem tuendam, et ad fovendam pietatem, vel in primis utiles et opportunos. *In his autem edendis, merito præire cæteris Sanctum Alphonsum de Ligorio censuisti, cui quidem, ut mira fuit in proximos lenitas, ita defessus nunquam zelus salutis animarum.* Laudamus sane, quod novam sancti ejusdem Antistitis Operum editionem publicare jam cœperis . . ."

4. Responsum S. Pœnitentiariæ, de 19 Dec. 1855.

Postulatum. — " Eñe et Rñe Domine. Supplex infrascriptus, ad officium Præfecti publicarum Collationum moralium a suo Episcopo nominatus, ob propriam erga S. Alphonsum a Ligorio devotionem ac reverentiam, *valde optat ejusdem tanti Sancti doctrinam in omnibus tenere, tradere et tueri,* idque in proximo edendo Diœcesano Calendario (sicut etiam prælaudato suo Episcopo, erga S. Alphonsum admodum propenso, placet) palam facere; inhærendo et servando Decisionem hac super re editam sub die 5 Julii 1831 ab hac S. Pœnitentiaria. *Verum quoad id aliquali religione*

[1] Vid. Gury, edit. Rom. 1869. Tom. 2. n. 929.
[2] Cfr. Villecourt, Vie de S. Alph., T. 4. pag. 253.
[3] Vid. Scavini, Theol. mor. Tom. I. in princ.
[4] Vid. edit. stereotyp. Operum S. A., Torimo, Marietti, Vol. 7. in princ.

detinetur, eo quod, cum Gradus academicos jampridem obtinuit, juramentum ut infra præstitit, ejusdem se Universitatis (quæ Probabiliorismum et Probabilioristarum sententias sequitur) doctrinam retenturum. — Quum haec ita sint, et quum insuper clariss. Seavini, qui idem juramentum emisit, in sua Theologia morali SS. D. N. Pio PP. IX. dicata, eundem S. Alphonsum præcipue Ducem habuerit; hinc, pro suæ conscientiæ quiete, humillime ad Eminentiam Vestram recurrit, et instanter supplicat:

"1. *Ut doceatur, an præfato juramento obstet S. Alphonsi a Ligorio doctrinam in omnibus sequi et publice tradere,* ut supra exponitur? *Vel* 2. *ut ab eodem servando juramento dispensetur . . .*"

Responsio. — "Sacra Pœnitentiaria, mature perpensis expositis, dilecto in Christo oratori ad proposita dubia respondendum censuit, prout respondet: *Ad primum, Negative. — Ad secundum, Provisum in primo.*

"Datum Romæ, in S. Pœnitentiaria, die 19 Decembris 1855."

5. Responsum S. Rom. et Univ. Inquisitionis, 18 Jul. 1860.

Postulatum. — "Bñe. Pater. Episcopus N. in Gallia, . . . humiliter exquirit . . . 2° An impediti adire Romam in persona, teneantur adire saltem per epistolam aut procuratorem, ad absolutionem a casibus Sedi Apostolicæ reservatis impetrandam? . . ."

Responsio. — "Feria IV. die 18 Julii 1860. In Congregatione generali S. Rom. et Univ. Inquisit. habita, . . . Eñi ac Rñi DD. mandarunt rescribi: . . . Ad secundum Dubium. *Consulat* probatos Auctores, inter quos *S. Alphonsum Mariam de Ligorio . . .*"

6. Aliud Responsum S. Rom. et Univ. Inquisit. de 18 Jul. 1860.[1]

Postulatum. — "Bñe Pater. Hodiernus Episcopus N. in Gallia, . . . expostulat . . . 2° Utrum" (Episcopus) "saltem habeat præfatam facultatem" (sc. extra Italiam sive per se, sive per delegatum, absolvendi ab excommunicatione occulta, quam Confessarius contraxit, absolvendo extra articulum mortis complicem in crimine turpi) "in casu quo, propter imminens periculum scandali aut alterius gravis mali, recursus ad S. Sedem fieri nequit opportuno tempore? — 3° Utrum, in iisdem circumstantiis, habeat facultatem absolvendi sacerdotem, qui non esset suæ diœcesis? — 4° Utrum, absolvendo a præfata excommunicatione propter urgentem causam, debeat imponere pœnitenti onus recurrendi, cessante impedimento, ad S. Sedem, sub pœna reincidentiæ? — 5° Utrum facultatem præfatam valeat ad tempus præfixum, vel ad præfixum casuum numerum, an tantum pro casu exposito, delegare? . . ."

Responsio. — "Feria IV. die 18 Julii 1860. . . . Ad II. III. IV. et V. Dubium. *Consulat* Decretales Clementis III. . . . et probatos Auctores, inter quos *S. Alphonsum de Ligorio, Lib.* 7 *cap.* 1 *dub.* 5 *de Censuris, n.* 84 *ad* 92 . . ."

7. Responsum S. C. Concilii, de die 29 Aug. 1860.[2]

Postulatum. — "Bñe Pater. Henricus . . . humillime requirit: 1° Utrum sacerdos, qui stipendium solito pinguius accepit, possit in gratiam pii operis, alii sacerdoti ordinarium tantummodo stipendium tradere, retinendo prorsus partem, quæ taxam ordinariam superavit? — 2° Utrum idem sacerdos possit sibi alium sacerdotem substituere, ea lege, ut aliquam partem stipendii ordinarii vel extraordinarii in gratiam pii operis determinati remittat? — 3° Et quatenus negative in utroque casu, utrum sacerdos ita agens ad restitutionem teneatur? — 4° Utrum sacerdos petens ab alio hujusmodi condonationem, debeat prius illi stipendium totum tradere? — 5° Et quatenus affirmative, utrum aliter agens ad restitutionem teneatur?"

Responsio. — "Die 29 Augusti 1860. *Consulat* Theologos, *præsertim S. Alphonsum de Ligorio,* Tract XIII. de Sacr. Euchar. cap. VII." (seu Lib. 6 tr. 3 cap. 3 n. 321 et seqq.) "et Benedictum XIV. . . . *eorumque sententiis sese conformet . . .*"

8. Responsum S. Pœnitentiariæ, de die 10 Dec. 1860.[3]

Postulatum. — ". . . 18. Quomodo se gerere debeant Parochi in celebratione matrimoniorum illorum, qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint?"

[1] Cfr. Ephem. cui tit. *Revue des sciences ecclés.*, T. 3. 1861. pag. 367.
[2] Ibid. pag. 272.
[3] *Memoriale theol. moral.*, auctore Henr. Sarra, Romæ 1869. pag. 501 ad 18.

Responsio. — " Parochus Ordinarium consulat, qui, habita rerum et circumstantiarum ratione, *omnibusque perpensis, quæ* a probatis auctoribus, et *præsertim a S. Alphonso* (*Lib.* 6 *tract.* 1 *cap.* 2 *n.* 54) *traduntur*, ea declaret, quæ magis expedire in Domino judicaverit . . ."

9. Decretum Urbis et Orbis de die 23 Martii 1871, super concessione tituli Doctoris.

" Inter eos qui fecerunt et docuerunt, quosque Dominus Noster Jesus Christus magnos fore vocavit in regno Cœlorum, merito recensendus est S. Alphonsus Maria de Ligorio. . . . Quod autem sancta operatione complevit, verbis etiam et scriptis docuit. Siquidem *ipse errorum tenebras ab Incredulis et Jansenianis late diffusas, doctis Operibus, maximeque Theologiæ Moralis tractationibus, dispulit atque dimovit, Obscura insuper dilucidavit, dubiaque declaravit, cum inter implexas Theologorum sive laxiores, sive rigidiores sententias, tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent . . .*"

10. Litteræ Apostolicæ in forma Brevis de die 7 Julii 1871, super confirmatione tituli Doctoris.

" Qui Ecclesiæ suæ numquam se defuturum spopondit Christus Dominus, quum maxime in rem suæ immaculatæ Sponsæ esse perspexerit, insignes excitat pietate et doctrina Viros, qui, repleti spiritu intelligentiæ, tamquam imbres mittant eloquia sapientiæ suæ. *Neque enim sine providentissimo Omnipotentis Dei consilio factum est*, ut, quum *Jansenistarum* doctrina Novatorum oculos in se converteret, errorisque specie multos alliceret, ageretque transversos, *tunc potissimum extaret Alphonsus Maria de Ligorio*, . . . qui, bonum certans certamen, os aperiret suum in medio Ecclesiæ; *scriptisque doctis et laboriosis istam ab inferis excitatam pestem radicitus evellendam, et ab agro Dominico exterminandam curaret.* — Neque vero has solum sibi partes deposcit Alphonsus; sed in Dei gloriam, spiritualemque hominum salutem unice intendens animum, *plurimos Libros conscripsit, sacra eruditione et pietate refertos, sive, inter implexas Theologorum tum laxiores, tum rigidiores sententias, ad tutam muniendam viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent; sive ad Clerum informandum, instituendum;* sive ad catholicæ Fidei veritatem confirmandam, et contra cujuscumque generis aut nominis hæreticos defendendam; sive ad asserenda hujus Apostolicæ Sedis jura; sive ad Fidelium animos ad pietatem excitandos. Hoc porro prædicari verissime potest, nullum esse vel nostrorum temporum errorem, qui, maxima saltem ex parte, non sit ab Alphonso refutatus. Quid quod ea, quæ tum de Immaculata Sanctæ Dei Genitricis Conceptione, tum de Romani Pontificis ex cathedra docentis Infallibilitate . . . a Nobis sancita sunt, in Alphonsi Operibus reperiuntur et nitidissime exposita, et validissimis argumentis demonstrata?

" Quæ cum ita sint, . . . Auctoritate Nostra Apostolica, tenore præsentium, titulum Doctoris in honorem *S. Alphonsi Mariæ de Ligorio* . . . confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo Ei tribuimus, impertimus; ita quidem, *ut in Universali Catholica Ecclesia semper Is Doctor habeatur. . . . Præterea hujus Doctoris Libros, Commentaria, Opuscula, Opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiæ Doctorum, non modo privatim, sed publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, Lectionibus, Disputationibus, Interpretationibus, Concionibus, Sermonibus, omnibusque aliis Ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari, proferri, atque, cum res postulaverit, adhiberi volumus et decernimus . . .*

" Quocirca universis VV. FF. Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et Dilectis Filiis aliarum Ecclesiarum Prælatis, per universum terrarum Orbem constitutis, per præsentes mandamus, ut, quæ superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Diœcesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis sæcularibus et quorumvis Ordinum Regularibus, ubique locorum et gentium inviolabiliter et perpetuo observari procurent. Hæc præcipimus atque mandamus, non obstantibus Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque."

B.

DE PRÆSTANTIA

ET AUCTORITATE DOCTRINÆ MORALIS

S. ALPHONSI.

I. *Præstantiam* doctrinæ moralis S. Alphonsi hoc sensu intelligimus, quod, si omnes præcellentiæ titulos simul sumpseris, omnium, qui de re morali hucusque scripserunt, sit facile princeps. Nam

1° Inter hos, quos *magnos* Moralistas dicimus, *recentissimus* est. Cæterorum igitur Doctorum præclare dicta et excogitata investigare ac ponderare potuit, ac *diligentissime, patientissime, animo ab omni præjudicata opinione libero*, ac *cælesti*, quod precibus ac virtutibus suis impetravit, *lumine illustratus* investigavit ac ponderavit.

2° Omnium insignium DD., qui de re morali dissertaverunt, opiniones in medium profert, ita ut *cæteros Auctores supplere possit, qui ante illum scripsere.*

3° Vix aut ne vix quidem alius Doctor reperitur, qui de re morali *tam multa, tamque particulatim* scripserit.

4° Sacri ministerii indefessa, ac per multos annos, in missionibus præsertim, quæ varissimorum ac implicatissimorum casuum præbent segetem, protracta praxis scriptionem ejus præcessit, quæ praxis in multis Auctoribus desideratur, vix autem in alio quopiam tam abunde reperitur ac in Sancto nostro.

5° Ingenio erat acutissimo, ita ut sexdecim vix annos natus utriusque juris lauream in patria Universitate assecutus sit.

6° Vitæ sanctitate excelluit maxime, quod quidem in rei moralis scriptore permagni habendum est, cum Sanctis Auctoribus id præ cæteris cordi sit, ut nihil doceant, quod non sit Ecclesiæ tum doctrinæ, tum sensui quam maxime consentaneum, — nihil, quod sive nimia laxitate, sive nimio rigore, gloriæ Dei et saluti animarum, vel leviter possit obesse, — nihil quod non, fervidis ad Deum præmissis precibus, ac (pro ea qua sunt humilitate ac prudentia), consultis aliis, mature et absque concitato aut inordinato affectu, meditati sint. Hanc vitæ sanctitatem dum in Alphonso contemplatur cl. De Wit [1] lectorem suum ita perbelle alloquitur: "Vides, ut totum Opus spiritus sanctitatis intus alat permeetque, et quantam mereantur fiduciam, quæ vir Dei sentiat, doceat, affirmet, utpote qui, cum summa laboris industria perpetuum orationis ac virtutum heroicarum exercitium conjungens, cœlesti etiam lumine fuerit perfusus."

7° Universalis Ecclesiæ Doctor Pontificis oraculo est declaratus; nemo autem Ecclesiæ Doctor declaratur nisi doctrina ejus *eminens* per judices Apostolicos comprobata fuerit.

8° Nullius Auctoris doctrina moralis tot tantisque ac tam multorum R. R. Pontificum laudibus fuit commendata. Vide supra p. LXXVI sq., ubi R. R. Pontificum in S^{i} Alphonsi moralia scripta præconia uno conspectu exhibentur.

9° Nullius doctrina moralis tanta in universo, qua late patet, orbe Catholico fiducia recepta ac in praxin est deducta, idque quia

10° Nullius moralis doctrina tanta per ipsam Ecclesiam donata est auctoritate, ut patebit ex dicendis.

II. *Auctoritas doctrinæ moralis S. Alphonsi in Ecclesia.* — Nullius Auctoris doctrina moralis tanta in Ecclesia gaudet auctoritate quanta S. Alphonsi; nullius enim Auctoris doctrina moralis eo modo ab Ecclesia approbata est quo sua.

Duplicem cum Vittozzi [2] distinguimus approbationem, quæ ab Ecclesia Scriptis cujusdam Sancti dari possit, alteram negativam, positivam alteram. — *Negativa* est

[1] De studio et usu Theol. Mor. S. Alph. pag. 11.

[2] S. Alfonso de Lig. et la teologia morale. dissert. teologico-morale, Napoli 1873, p. 43.

illud Ecclesiæ judicium, quo doctrina alicujus Sancti declaratur *immunis ab omni quacumque censura theologica*, quin tamen aliquid de ejusdem merito præstantiave decernatur. Si vero Ecclesiæ judicium in doctrinæ etiam meritum et præstantiam feratur, *positiva* dicitur. — *Positiva* subdividitur in *tacitam*, seu *usualem*, et *expressam*. *Tacita* seu *usualis* " ea dicitur quæ *longo usu* fit, et *nominis quasi gloria* constat, qua quis orbem implevit Christianum." [1] *Expressa*, quæ et *solemnis* audit, illa est, quæ in actis publicis Ecclesiæ *conceptis verbis* declaratur. — *Expressa* subdividitur in *generalem*, *specialem* et *specialissimam*. *Generalis* " in eo consistit, quod scripta alicujus generatim recipiantur, legique in *Scholis publicis* vel *Ecclesiis* permittantur, et tanquam utilia, vera et catholica fidelibus commendentur. Et in hujus generis scriptorum numero primum locum tenent, qui . . . eximio . . . Doctorum titulo . . . ornati sunt." [2] " Hujusmodi autem *generalis* declaratio *triplicem effectum* habet; primo enim voluntariæ hæresis suspicionem ab auctoribus amovet; secundo eorum, qui tali approbatione potiti sunt, libros legendi facultatem fidelibus concedit, imo etiam laudat lecturam tanquam utilem ac fructuosam; tertio auctores commendat eo gradu, ut, si quis ad sententiam comprobandam ad eos provocaverit, saltem probabilitate quadam tueatur, seclusis " etiam " aliis rationibus, donec probetur contrarium." [3] — *Specialis* in eo sita est quod Sancti cujusdam opera in *certa materia* reliquorum seorsim sumtorum in hoc genere scriptis præferenda, ejusque hac super re doctrina tanquam catholica et erroris expers, licet non tanquam Fidei regula declaretur. Exemplum istiusmodi specialis approbationis præbent S. Augustini scripta de *Gratia* et *Libero Arbitrio adversus Pelagianos et Semipelagianos*, utpote Orbi Christiano sæpius commendata sive a SS. Pontificibus sive a Conciliis, ea vel *diserte* nominantibus, vel *actu* et *exemplo suo* ad dogmata definienda adhibentibus.[4] — *Specialissima* habetur, si opusculum alicujus Patris aut Doctoris ab Ecclesia ut *Fidei regula omnibus tenenda* proponitur. Ita approbata fuit epistola S. Cyrilli Alexandrini cum 12 anathematismis contra Nestorium, et S. Leonis Magni Epistola synodica ad Flavianum contra hæresim Eutychianam.[5] Sunt, qui his aliam præterea adjungunt approbationem, scil. a Paulo III. Brevi " *Pastoralis officii cura* " dd. 31 julii 1548 libro Exercitiorum S. Ignatii datam, qua *omnia* et *singula* in libro illo contenta, auctoritate Apostolica approbantur, collaudantur et communiuntur.

His præmissis,

Quær. 1° *Quænam ex his approbationibus competat Doctrinæ Morali S. Alphonsi?*

Resp. 1° *Negativa*, ut patet ex Decreto S. R. C. dd. 18 maii 1803 a Pio VII. confirmato (p. LXXVII sub 1).

Resp. 2° *Positiva tacita;* nam ob hanc inter alias rationem Pius P. P. IX. permotus fuit causam admittere concessionis tituli Doctoris in honorem S. Alphonsi, quod, ut ait in Decreto dd. 23 martii 1871, " Sapientiam ejus enarrent gentes et laudem ejus enuntiet Ecclesia."

Resp. 3° *Positiva expressa generalis*, ut constat ex concessione tituli Doctoris Ecclesiæ, cujus quidem concessionis causa inter alias a S. Pontifice memoratur, quod " inter implexas Theologorum sive laxiores sive rigidiores sententias tutam straverit viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent " (p. LXXXII. 9, 10).

Quær. 2° *Quid ex variis illis approbationibus, doctrinæ morali S. Alphonsi ab Ecclesia datis,* A) *concludere liceat;* B) *non liceat.*

Resp. ad A). I. Ex *negativa* concludes:

1° Nulla sententia moralis, quam S. Alphonsus tuetur, tempore, quo scripsit,[6] censura aliqua, nisi forte tunc universaliter ignorata,[7] digna fuit. Elenchum præcipuarum censurarum theologicarum, earumque sensum vide, si lubet, apud Scavini.[8]

[1] Permaneder, Bibliot. Patrist. T. I. § 217.
[2] Ib. § 218.
[3] Ib. § 219.
[4] Ib. §§ 220, 221.
[5] Ib. § 222.
[6] Ben. XIV. de Serv. Dei Beat. et Canon. Lib. II. c. 29–31.
[7] Vittozzi, p. 50. 1.
[8] T. II. n. 999.

2° Sententiæ S. Alphonsi non tantum, ut cæterorum Auctorum, quos *Ecclesia* ab omni censura non declaravit immunes, simpliciter *toleratæ* sunt, sed *positive* etiam *permissæ*. Res exemplis illustratur a cl. Grandclaude,[1] et patet ex Decisionibus et Responsis S^ae Pœn. a^is 1831 et 1855 (vide p. LXXIX. 3 et LXXX. 4), quibus declaratur 1) *tutum* esse S. Theologiæ professorem; 2) non esse *inquietandum* confessarium, qui omnes S. Alphonsi sententias, *sola ipsius auctoritate* ducti sequuntur; 3) licitum esse *Professori, doctrinam S. Alphonsi in omnibus sequi et publice tradere, quin indigeat dispensatione a præstito juramento tuendi Probabiliorismum et Probabilioristarum sententias*. Nec quemquam moretur verbum "*inquietandum*" in Resp. 1831; ea enim voce stylo Romano non meram tolerantiam, sed *positivam permissionem* innui, vide apud ipsum S. Alph.[2] et ex ipso Responsi contextu patet. Neque enim severior fuit S. Pœnitentiaria erga confessarium quam erga professorem, quem *tutum* dicit.

3° Exceptis excipiendis in Resp. ad B), "sententiæ illæ, quas S. Alphonsus de Ligorio expresse docuit, tenuit, secutus est, vel simpliciter probabiles dixit, tamquam *vere probabiles* habendæ sunt,"[3] scilicet ad minimum *extrinsece*, i. e. Sancti *auctoritas* tanta est, ut *se sola* opinionem aliquam vere probabilem reddat. Sequitur ex Resp. mox citato S. Pœnit. dd. 5 julii 1831, ubi ad quæsitum: "*An sit inquietandus Confessarius, qui omnes Beati Alphonsi a Ligorio sequitur opiniones in praxi Sacri Pœnitentiæ tribunalis*, hac *sola* ratione, quod a S. Sede Apostolica" nihil in operibus censura dignum repertum fuerit?" Responsum fuit: "*Negative*." Si autem non sit inquietandus, at contra tutus confessarius, qui sequitur omnes opiniones S. Alphonsi, licet intrinsecum earum valorem, seu intrinsecam earum probabilitatem non perspiciat, et eas unice, ob collatam illis ex negativa Ecclesiæ approbatione auctoritatem, liquet ex negativa illa approbatione Sancti opiniones veram, eamque saltem extrinsecam, consequi probabilitatem. Ecclesia enim nemini permittere potest, ut sequatur opiniones, quæ non sint vere, et saltem extrinsece probabiles.

4° Hæc extrinseca saltem probabilitas non ad complexum tantum doctrinæ moralis Sancti extenditur, sed ad omnes etiam *et singulas* ejus opiniones. Confessarius enim, de quo in Resp. mox citato S. Pœnitentiariæ agitur, non complexum doctrinæ moralis S. Alph. in S. Pœnitentiæ tribunali in praxim deducit, sed omnes ejus opiniones *distributive* sumptas.[4]

5° Docere et in praxim ducere licebit etiam eas S. Alphonsi opiniones, quæ forent contrariæ communioribus, vel etiam communibus theologorum sententiis. Clare sequitur ex 3° et 4°.

6° Opinionum S. Alphonsi impugnatio illicita erit, nisi modesta sit ac cum honoris præfatione fiat. Sequitur ex iis, quæ tradit Ben. XIV.[5]

II. Ex *positiva tacita* concludes:

Opiniones S. Alphonsi hodiedum *universim* dicendæ sunt communes, utpote universim in Orbe Christiano receptæ.

III. Ex *positiva expressa generali*, seu ex titulo Doctoris Ecclesiæ Sancto collato, concludes doctrinam ejus esse *eminentem*.[6]

Resp. ad B). 1° *Singulas* Sancti sententias vel a) esse *intrinsece* probabiles; nam approbatio ipsis data non est *specialissima* vel etiam *specialis*; — vel b) esse aut semper remansuras *extrinsece* probabiles. Auctoritas enim Ecclesiæ, qua extrinsece probabiles fiunt, invocari non potest in favorem earum Sancti sententiarum, quibus obstarent Pontificia aut SS. Congregationum Decreta aut Declarationes, quæ iis prædita sint characteribus, quos in Tr. *de Legibus* recensebimus.

2° Sancti auctoritatem esse *exclusivam*; nam in Resp. S. Pœnit. dd. 5 julii (vide p. LXXIX. 3) expresse dicitur, non esse reprehendendos eos, qui opiniones ab aliis probatis auctoribus traditas sequuntur.

[1] Revue des Sciences Ecclés. nov. 1873, p. 478.
[2] L. IV. 765.
[3] Ita doctissimus Annotator anonymus novæ Editionis Compendii Gury. Tom. I. p. 553 (ed. Rom. 1873).
[4] Vittozzi. pp. 48, 49.
[5] De Serv. Dei Beat. et Can. L. II. c. 28. n. 8.
[6] Ib. L. IV. p. II. c. 11. n. 13. sq.

3° Sancti sententiis *nullam* novam vim aut probabilitatem accessisse ex approbatione Ecclesiæ ; nam accessit eisdem

a) Probabilitas extrinseca, et quidem tanta, quanta est Doctorum Ecclesiæ. De Doctorum Ecclesiæ auctoritate vide supra dicta, et cfr. si lubet, Sextum Decret. L. III. T. XXII. c. unic. et Ben. XIV. C. *Militantis Ecclesiæ.*

b) *Præsumptio*, et quidem vehementissima, probabilitatis *intrinsecæ ;* nam probabilitas extrinseca supponit intrinsecam.[1]

c) Cum præsumptio non cedat nisi veritati, nulla Sancti opinio necessario deserenda est, nisi *evidenter* constet de ejus improbabilitate. Cfr. dicta supra de vi approbationis *expressæ generalis.*

d) Probabilitas extrinseca *maxime* insignis accessit *Systemati morali* S. Alphonsi, doctrinæ ejus de *consuetudinariis et recidivis*, et specialibus illis sententiis, ad quas, tanquam *tutas*, a SS. Congregationibus Romanis dubia proponentes remittuntur.

Dico : 1) *Systemati morali* et doctrinæ *de consuetudinariis et recidivis.* Liquet ex Decreto dd. 7 maii, 1807, quo Pius VII. solemniter edixit : "Constare de Ven. Servi Dei Alphonsi Virtutibus theologalibus et cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico." Cujus Decreti significatio ut clarius pateat, sciendum est, lato jam Decreto super "nihil Censura dignum," et discussis modo heroicis Alphonsi virtutibus, *novam*, jussu Pontificis ad instantiam Promotoris Fidei, a. 1806 institutam fuisse Positionem seu disceptationem *super Virtutibus* Sancti, speciatim super ejus *Prudentia*, idque *ob nonnullas regulas morum*, in ejus Operibus contentas. Hinc, præter alias quæstiones particulares, ad severiorem trutinam revocata fuerunt speciatim *Systema Morale*, et doctrina *de consuetudinariis et recidivis.* Hujus vero peculiaris inquisitionis exitum exhibet Decretum mox [2] citatum dd. 7 maii, 1807. Vi ergo hujusce Decreti S. Alphonsus heroice prudens dicendus est non tantum quoad complexum suæ doctrinæ moralis, sed speciatim etiam quoad *Systema morale*, et quoad doctrinam *de consuetudinariis et recidivis*, cum hæc duo puncta Emm. Patrum examini specialius submissa fuerint, nec visa sint heroicæ ejus prudentiæ obstare. Ergo heroice prudens declaratus fuit S. Alphonsus singulatim etiam quoad hæc duo moralis suæ doctrinæ capita.

Dico : 2) et *specialibus illis sententiis*, ad quas, tanquam tutas, a SS. Congregationibus Romanis dubia proponentes remittuntur. Has vide p. LXXX. (*in summa pagina*) et p. LXXXI. sub 5, 6, 7, 8.

Conclusio ex dictis.

Concludimus quemque *licite et tutius* sequi opiniones S. Alphonsi, præterquam si his obstarent ; — vel a) Pontificia aut SS. Congregationum Decreta aut Declarationes, quæ iis prædita sunt characteribus, quos in Tr. *de Legibus* recensebimus ; — vel b) Consuetudo legitima ; — vel c) Statutum aliquod Synodale, præsertim Concilii Provincialis aut Plenarii ; — vel d) Lex civilis *justa ;* — vel e) Scientiarum naturalium et physicarum *certus* et *evidens* progressus ; — vel f) Immutata, justa tamen, mercaturæ ratio ; vel g) Propria, — et ex principio reflexo de præstantia et auctoritate doctrinæ moralis Sancti non mutata, — persuasio opinionem aliquam ejusdem esse falsam ; [3] hoc enim in casu quis contra conscientiam suam ageret, quod nunquam licet. — Dixi tamen : *et ex principio reflexo*, etc. Extra casus autem, in hac conclusione allegatos, persuasionem suam quisque facile mutare poterit ex duplici hoc principio reflexo : 1) Sancti Alphonsi auctoritas, in re morali, a nulla alia auctoritate *privata*, ut mea est, superatur. 2) Si ipse S. Doctor, prudentia licet heroica et eminenti scientia præditus, errare potuit, multo magis ego errare potero in ferendo judicio de majori minorive opinionis cujusdam probabilitate aut etiam falsitate.

Stat igitur propositio, quam probandam assumpsi, scil. : Nullius Auctoris doctrina moralis tanta in Ecclesia gaudet auctoritate, quanta S. Alphonsi.

[1] S. Alph. Dissert. de opinionum probab. a[l]. 1749. § II.
[2] p. LXXVII. 2.
[3] Vind. Alph. p. XLIV. 1. et 904.

C.

CLAVIS OPERUM MORALIUM S. ALPHONSI,

SEU

QUÆDAM REGULÆ AD VERAS IPSIUS SENTENTIAS DISCERNENDAS.

Summopere interest, ut discipulus S. Alphonsi clare cognoscat, *quænam sint opiniones quas ipse S. Doctor profitetur:* siquidem hæ solæ ab Ecclesiâ approbatæ sunt, minime vero aliæ a S. Alphonso quidem recensitæ, quas autem ipse non amplectitur. Hoc insuper eo majoris est momenti, quod nonnulli Scriptores passim S. Doctori plures opiniones falso adscribant, et sic non pauci ejusdem Theologiæ moralis studiosi in errorem inducantur. Itaque operæ pretium esse duximus, *quasdam saltem regulas generales* hic exponere, quarum ope discipulus S. Alphonsi genuinam ipsius sententiam variis in quæstionibus facilius discernere valeat. — Hinc pauca dicemus 1. De variis S. Doctoris *Operibus* moralibus; 2. De *modo*, quo S. A. *propriam suam sententiam* passim enuntiare solet.

§. I.

EXPONITUR, CUINAM EX VARIIS OPERIBUS MORALIBUS S. A. PRÆCIPUE INHÆRENDUM SIT, AD COGNOSCENDUM GENUINUM IPSIUS SENSUM.

I. — Apud omnes in confesso est, veram ac genuinam alicujus Auctoris sententiam non modo quærendam esse, ubi *ex professo* de aliqua materia disserit, sed insuper seduìo inspiciendum esse, quid in *postremis* suis scriptis doceat; ita ut generatim *vera* cujuscunque Auctoris sententia illa tantum dicenda sit, quam *postremò* enuntiavit. — Porro, neminem latet, S. Alphonsum plura, variis temporibus, evulgasse Opera et Compendia moralia. Præter *novem* editiones *Theologiæ moralis*, aliaqua plura *Opuscula*, *Dissertationes* et *Apologias*, de Systemate aliisve materiis tractantia, præcipua Opera moralia S. A. sunt: 1° *Pratica del Confessore per ben esercitare il suo ministerio* (1748); latine: *Praxis Confessarii ad bene excipiendas confessiones* (1760); — 2° *Istruzione e pratica per li Confessori* (1756); latine: *Homo Apostolicus*, cum quatuor Appendicibus (1759); — 3° *Il Confessore diretto per le confessioni della gente di campagna* (1764); — 4° *Istruzione al popolo . . .* latine: *Institutio catechistica ad populum, in præcepta Decalogi et Sacramenta* (1768). Ideo inquirere juvat, quænam sit *ultima*, ac proin *præferenda* S. Doctoris sententia, casu, quo ipse in variis suis Operibus diversas sequi videatur sententias. — Qua de re sequentia breviter exponere liceat.

II. Vera S. Alphonsi sententia *generatim* desumenda est ex Opere majori, inscripto *Theologia moralis*, et, quoad materiarum ordinem, juxta *Busembaumii* textum concinnato. Cum autem hujusce Operis, superstite S. Auctore, novem editiones prodierint, clare patet, præ aliis standum esse *nonæ*, anno 1785 evulgatæ; tum quia *ultima* est, tum quia a S. Sede revisa et tamquam *nihil censura dignum* continens approbata fuit. — Ratio est, quia constat, S. Doctorem pluribus in quæstionibus *Theologiam moralem* ad finem usque vitæ emendasse: quod de aliis Operibus eodem jure dici nequit. — Hæc tamen regula, communiter ab interpretibus S. Alphonsi admissa, nonnullas patitur exceptiones. Etenim

1. In præfata Theologia morali S. Doctor non ad omnes et singulas partes textus

Busembaumii Adnotationes aut Quæstiones, a se elaboratas, adjecit. Ad cognoscendum itaque, utrum ipse ab istius Auctoris sententiis, explicite a se nec rejectis nec approbatis, recedat, vel saltem in modo easdem enuntiandi discrepet, præter Opus majus, inspiciendi sunt textus aliorum Operum (præsertim *Hom. Apost.*), in quibus eamdem materiam tractat. Ista enim Opera minora, utpote ex toto a S. Alphonso exarata, eo in casu, non modo accuratius, sed etiam *positive* ipsius sensum exhibent, dum textus Busembaumii, a S. Doctore non emendatus, illum nonnisi *negative* refert.

2. Constat insuper ex variis inspectis Operibus, S. Alphonsum, decursu temporis, plures opiniones reformasse, aut saltem partim immutasse, iisdem majus minusve pondus tribuendo, vel distinctiones prius non factas adducendo, quin tamen omnes et singulas hujusmodi emendationes, uni alterive Operi insertas, in subsequentibus Theologiæ moralis editionibus, propriis locis, explicite commemoret. Et idcirco diversæ istius Operis majoris conferendæ sunt editiones, præsertim *secunda* a. 1753 – 1755 cum *nona* a S. Sede approbata, ut ex illarum collatione quid et quandonam immutatum sit, evidenter appareat. — Hinc alia regula statuenda est, videlicet: *Quoties textus* NONÆ *editionis Theologiæ moralis perfecte concordat cum* SECUNDA, *quin ulla occurrat emendatio facta in Elencho quæstionum reformatarum eidem Operi adjecto, regulariter præferendus est textus Operum minorum præfatæ editioni secundæ posteriorum, casu, quo ista Opera minora ab hac editione discrepent.* Ratio, quia hoc in casu ultima editio Theologiæ moralis non est nisi mera reimpressio secundæ, ac proin, licet postremum evulgata, revera dici nequit ultimus S. Alphonsi sensus. Hoc saltem valet pro iis quæstionibus, de quibus S. Doctor in præfatis Compendiis expressis verbis testatur, se, re maturius perpensa, aut in aliam devenisse sententiam, aut priorem opinionem partim saltem immutasse.

3. Præterea, ista S. Alphonsi Compendia moralia apprime ad hoc inservire possunt, ut melius cognoscatur, *cuinam sententiæ in praxi adhæreat.* Non raro namque evenit, ut S. Doctor, postquam in Opere majori de quæstione controversa dixerit: *Sapientioribus me remitto*, quin explicite propriam suam sententiam enuntiaverit, in præfatis Compendiis eidem opinioni controversæ determinatam notam majoris minorisve probabilitatis adscribat.

§. II.

PERPENDITUR MODUS, QUO S. ALPHONSUS PASSIM SENTENTIAS SUAS ENUNTIARE SOLET.

Altera nunc quæstio examinanda venit: *Quænam* nempe *sit vera et propria S. Alphonsi sententia*, quando diversas refert Auctorum opiniones, aut plures exponit rationes, *quin, quid in praxi tenendum sit, expressis verbis declaret?*

Quocirca præmittendum est *Monitum*, quo ipse S. A. *Præfationem* Theol. moral. concludit: "Sategi ut plurimum meam exponere sententiam, justum pondus tribuendo majoris, vel æqualis, vel minoris probabilitatis cuique sententiæ, prout meæ imbecillitati visum fuit, *ne ancipitem relinquerem lectorem*, more aliquorum, qui, sententias aliorum tantum referentes, non parum exosos legentibus se præbent. Ubi vero non inveni rationem pro una parte convincentem, non sum ausus oppositam damnare. . . . Cæterum, benigne lector, te admonitum volo, *ne existimes me opiniones illas approbare, ex eo quod non reprobem;* eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus et patronis, ut alii pro sua prudentia, cujus ponderis sint, adjudicent. — Deinde advertas, quod cum aliquam opinionem *veriorem* voco, tunc *contrariam non habeo ut probabilem*, etsi non expresse ut improbabilem damnem. Insuper, quando unam ex sententiis *probabiliorem* appello, *nullo judicio dato de probabilitate alterius*, aut utor hoc verbo: *non audeo damnare; non propterea intelligo eam probabilem dicere*, sed judicio prudentiorum remittere . . ."

Hæc iisdem fere verbis S. Doctor confirmat *Lib. II. n.* 76. *in fine*, dum dicit: "Et hic rursus repeto id quod sub initio protestatus sum, nempe, quod cum aliquam opinionem unice *probabiliorem* appello, non ideo contrariam dicere probabilem intelligo.

Sicut pariter, cum dico de aliqua opinione: *non audeo damnare*, sive *improbabilem dicere*, non ideo admitto ut probabilem; sed de ejus probabilitate dubito. Item, cum aliquam sententiam *veriorem* voco, intelligo oppositam non solida probabilitate mihi pollere, licet omnino non reprobem."

Porro, ex præfatis Monitis S. Alphonsi, sequentes determinari possunt præcipuæ regulæ:

1. Generatim ea sola opinio S. Doctori probabilis est, quam *ipsemet* probabilem vocat. — Quocirca attendendus est ejus loquendi modus. Quando nempe ait: "*Probabiliter dicunt Auctores*," tunc regulariter ejusmodi sententiam probabilem censet. Dum autem scribit: "*Dicunt Doctores, probabiliter licere*," exinde non liquet, hanc sententiam ab ipsomet ceu probabilem haberi; sic enim loquendo, generatim mere refert illorum Auctorum judicium.

2. Si de aliqua opinione loquens, dicit: "*non videtur improbabilis*," aut: "*non improbabiliter dicitur*," tunc ipsam regulariter habet ut *satis probabilem*, saltem casu, quo eidem nihil certo vel notabiliter probabilius opponat. — Circa hujusmodi vero sententias, operæ pretium erit alia S. Doctoris loca inspicere.

3. Opinionem, quam *neque probabilem, neque improbabilem* vocat, generatim aliorum judicio relinquit. — Videndum tamen est, quid sive antea, sive postea dicat; *si enim nihil omnino opponat*, et Auctor allegatus sit gravis, regulariter opinio illa ut satis probabilis habenda erit; uti v. gr. quando in fine quæstionis subjungit: "*Lugo addit, advertit . . .*"

4. Si de aliqua sententia expresse ait: "*non audeo damnare*," vel: "*non audeo eam improbabilem dicere*," eo ipso declarat, illam esse, suo judicio, dubie probabilem, aut se illam prudentiorum judicio remittere. — Attamen videndum est, an alio in loco vel Opere judicium suum de ipsa proferat, necne.

5. Sententia, quam solam vocat *probabilem*, eidem nihil opponendo (qui tamen casus raro contingit), *ordinarie fundat pro praxi* certitudinem moralem.

6. Cum aliquam opinionem dicit *veriorem*, vel *multo* aut *absolute probabiliorem*, vel *probabiliorem simulque communem aut communissimam*,[1] tunc oppositam *non judicat solide probabilem*, saltem *respectu alterius*, etiamsi ceu improbabilem expresse non rejiciat, aut quamvis eam in genere, seu *in se*, ante institutam utriusque ponderationem, forsan probabilem censeat.

7. Idem etiam dicendum est, quando unam ex sententiis *probabiliorem* aut *communiorem* nuncupat, *nullo a se judicio dato de opposita;* hoc enim scribendi modo S. Alphonsus significare intendit, illam opinionem adeo probabiliorem sibi videri, ut oppositam vere probabilem non agnoscat.

8. Sententia, quam simpliciter *communen* dicit, nullo de opposita lato judicio, regulariter sua dicenda est.

Quocirca notare juverit, verba: "*sententia communis*," aut: "*communiter dicunt*," per se loquendo plus exprimere quam hæc alia: "*sententia communior*," vel: "*communius dicunt*." Etenim vox *communior*, cum sit comparativa, solummodo denotat, *plures* stare Auctores pro ista sententia, quam pro altera. E contra, vox *communis*, utpote positiva, declarat, Auctores *generatim* pro hac sententia stare. — Cum autem dicitur: "*communissima est sententia*," vel: "*communissime docent*," eo ipso affirmatur, consensum Auctorum fere esse unanimem. — Tandem monet S. Alphonsus, sedulo advertendum esse, quod auctoritas Scriptorum non ex multitudine, sed ex eorum *gravitate* æstimanda sit, uti patet ex textibus in Dissert. procem Vindiciarum Alph.[2] allegatis, ubi etiam ostenditur, plerasque saltem sententias, quas tenet S. Doctor, hodiedum evasisse *communes*, easque generatim, ex præcellenti ipsius auctoritate, merito dicendas esse probabiles, vel etiam probabiliores.

[1] Vid. e. gr. Lib. IV. 716, 717, 261. etc. [2] p. LIII.

PROLEGOMENA
AD THEOLOGIAM MORALEM.

I. *Quid sit Theologia Moralis?* Si *nomen* spectes, est illa Theologiæ pars, quæ circa mores versatur; si *rem*, illa scientiæ theologicæ pars, quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit in ordine ad vitam æternam.

Dicitur: 1° *illa scientiæ theologicæ pars*, quibus verbis *genus proximum* definitionis exprimitur.

Dicitur: 2° *Quæ humanas actiones ad morum honestatem dirigit*, quæ verba *differentiam ultimam* definitionis, ac scientiæ nostræ *objectum* tum *materiale*, tum *formale* exhibent. — a) *Differentiam ultimam*, a cæteris scilicet disciplinis theologicis, a *Dogmaticâ* præsertim, quæ de fide disserit et de rebus divinis universim, ut *regulas credendi* statuat et firmet, dum Theologia Moralis de virtutibus agit et vitiis, ut statuat et firmet *regulas agendi*, in foro præsertim interno. — b) *Objectum*, tum *materiale*, seu actiones humanas in se spectatas; tum *formale*, seu rationem, sub qua objectum materiale spectatur, i. e. ipsarum actionum humanarum dirigibilitas ad honestatem.

II. *Qui sint Theologiæ Moralis loci, seu fontes, ex quibus regulæ desumantur, juxta quas actiones humanæ ad honestatem dirigendæ sint?* Iidem fere sunt qui Theologiæ Dogmaticæ, nimirum Sacra Scriptura; Sancti Ecclesiæ Patres; Summorum Pontificum Decreta; Concilia; Traditio constans et firma; Jus tum canonicum, tum civile; Auctoritas Theologorum; Ratio tum naturalis, tum theologica. De singulis hæc pauca, — quæ maximam partem ex Dissertatione ad S. Alphonsi Moralem Theologiam prolegomena, quam Fr. Ant. Zacharia conscripsit, desumsi, — teneto:

A) *Quoad Sacras Scripturas.*

1° Ad confirmandam conclusionem quampiam Scripturis in *litterali* tantum vel *mystico* sensu utere, numquam vero in *accommodatitio*, et ne in mystico quidem, nisi constet hunc esse vere sensum mysticum.

2° Historias, in quibus Scriptura Sacra narrat, viros justos quidpiam præstitisse, quod vel malum revera sit, vel mali speciem habeat, casuum solvendorum regulas ne putato. Cave igitur ne ex facto Noë maledicentis posteris Cham concludas licere parentibus filiis maledicere.

3° *Singularia* exempla, quæ in Scripturis leguntur, ad *universalem* legem confirmandam ne assumito. Sic veram hanc propositionem: *Quatuor requiruntur conditiones in eo, qui absolvit a censuris:* 1) *debet esse clericus;* 2) *debet habere jurisdictionem contentiosam;* 3) *debet certa scientia absolvere;* 4) *debet absolvere sponte, et non coacte*, ridicule quispiam hoc argumento probaverit: *Paulus, qui absolvit Corinthium incestuosum, quatuor prædictas habebat conditiones;* esset enim ratiocinatio hujus similis: *Paulus, qui incestuosum absolvit, fuit apostolus: apostolus igitur sit oportet, qui absolvit à censuris.*

4° Præcepta moralia, quæ in Veteri Testamento sanciuntur, ne sumito in ea restrictione, qua videntur in Exodo exprimi, nec juxta falsam Scribarum interpretationem, aut popularem Hebræorum traditionem; sed juxta eam additionem, quam vel Moses, vel alii Scriptores Canonici apposuere, illamque potissimum explanationem, quam tradit Christus in Evangelio. Sic licet Judæi putaverint solos actus externos a lege prohiberi, minime vero cogitationes, desideria, etc., nefas tamen est ita sentire, Christo oppositam doctrinam prædicante.

5° Videndum ne Scripturæ verbis, quibus pium aliquod *consilium* proponitur, *præceptionis* vim inesse incauti velimus.

B) *Quoad Sanctos Ecclesiæ Patres*, seu *veteres scriptores ecclesiasticos ab Apostolico ævo ad medium XII sæculum*, quorum agmen claudit Mellifluus Claræ-vallensis Abbas Bernardus.

1° Si qua in quæstione, quæ ad mores spectet, definienda Patres *omnes* idem doceant, id veluti certum habendum est.

2° *Unius* aut *duorum* Patrum auctoritas in his, quæ ad doctrinam morum pertinent, *probabile* quidem argumentum subministrare *potest*, *firmum* vero non potest.

3° Etiam *plurium* Patrum auctoritas, reliquis, licet paucioribus reclamantibus, ea argumenta Theologo sufficere et præstare non valet, quibus refragari nefas sit.

4° Quæ ex Patrum homiliis, asceticis libris, et orationibus, idque genus lucubrationibus habentur, non eam Theologo fidem faciunt, quam ea, quæ in Dogmaticis instructionibus, epistolis, etc. leguntur, facere possunt. Nam multa in ejusmodi libris exaggeratius proferuntur: neque id mirum, cum oratoribus omnibus id solemne sit: multa quoque consilium potius spectant, quam præceptiones.

5° Inconsultum est ea Patrum loca seligere, ubi Patres, aliud omnino tractantes, aliquid occasione acceptâ de alterâ re paucis indicent, iis neglectis, ubi hanc materiam ex professo examinent.

6° In Patrum sensu investigando hæ maximè regulæ servandæ. a) Quæ in libri vel capitis contextu sunt, consideranda diligenter. b) Similes et dissimiles loci ejusdem Patris conferendi. c) Tempus, quo liber ille editus a Patre quopiam fuit, attendendum. Nam facile ex occasione scribendi libri mens auctoris innotescet: intelligemus etiam, num fortasse eo tempore Pater ille præconceptâ aliquâ opinione occupatus fuerit, quam postea ipsum exuisse probabile, aut etiam certum sit. d) Alios Patres huic, de cujus mente quærimus, synchronos consulemus; quid enim hoc vel illo sæculo ea vel ista vox significarit; quo spectare possit hujus vel alterius moris notatio, facilius comperiemus. Exemplum esto illud Cypriani,[1] ubi permittit, ut, absente sacerdote, infirmi *apud diaconum quoque* exomologesim *facere delicti sui possint*. Neque enim hinc fit diaconum fuisse tunc Sacramentalis Confessionis ministrum; nam non hæc solum exomologesis nomine denotatur, sed etiam canonica reconciliatio publicæ pœnitentiæ, quam Tertullianus[2] *prosternendi et humilificandi hominis* disciplinam appellat. e) Ex dubiis Patrum Operibus ipsorum mentem expiscari imprudentis est, ubi certa atque ab omnibus recepta eorumdem opem suppetant.

C) *Quoad Summorum Pontificum Decreta.*

1° Videndum, an quæ citantur, genuina sint. Hinc frustra quidquam efficies ex falsis Pontificum decretalibus usque ad *Siricium*, quas critici omnes explodunt.

2° Cave, ne, quod meræ disciplinæ præceptum fuit, id ad morales quæstiones decidendas trahas. Sic ex responso Nicolai I. ad consulta Bulgarorum, in Quadragesima esse a conjugibus *omni voluptati renunciandum*, male *nunc* quis inferret, non licere Quadragesimæ tempore opus conjugii.

3° In iis quæstionibus, in quibus de *valore* alicujus rei agitur, puta matrimonii clandestini, frustra Pontificum decreta citantur, quæ solum *illicitum* aliquid statuunt.

4° Pontificis decreto aliquid universim permittenti non derogatur per subsequentia

[1] Epist. 12. [2] Lib. de Pœnit. Cap. 6.

decreta, quæ in specialibus quibusdam casibus illud limitant. Innocentius III.[1] e. g. permittit clericis cohabitare cum illis, *in quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari.* Contra Nannetense Concilium, cujus constitutio inserta fuit Decretalibus Gregorii IX., etiam *matrem, amitam, sororem* a clericorum domibus excludit, scilicet cum de hoc aut illo agitur, cujus depravati sunt mores, et cum qualibet prorsus muliere consuetudo suspecta.

5° Pontificis aliquid permittentis verba non licet ad sensum trahere catholico dogmati repugnantem, aut ab obvio verborum, quibus decretum illud editum est, sensu alienum. Exemplum affert Bened. XIV. in Libro de Syn. Diœc.[2]

6° Si Pontifex aliquid concedat, quod prius negaverat, ex priore illa negatione, quid per ipsum deinde licuerit, optime intelligitur. Exemplum iterum habes apud eumdem Bened. XIV.[3]

7° In Pontificiis constitutionibus, quæ aliquid faciendum præcipiunt, notandum est cumprimis quos illæ afficiant, tum quæ ad illud præcipiendum rationes Pontificem impulerint. Sic quod *Latinis* sacerdotibus prohibetur, non item semper *Græcis* prohibitum censendum est.[4] Sic pariter ex eo, quod summus Pontifex Pius IX. Constitutionem "*Apostolicæ Sedis,*" qua censuras latæ sententiæ moderatus est, ubique, et non obstante quacumque consuetudine, vim habere voluerit, perperam quis inferret leges *omnes et singulas,* ad quas censuræ illæ pertinent, puta e. g. legem quæ dirigit alienationem bonorum ecclesiasticorum, nunc ubique, et non obstante quacumque consuetudine contraria, obligare : *rationes* enim cur censuras ubique et non obstante quacumque consuetudine contraria obligare voluerit, non eædem militant pro ipsis legibus, ad quas censuræ illæ referuntur.

8° Ubi Pontifices aliquam propositionem damnant, in sensu potissimum, quo ab Auctoribus edita est, damnasse illam censendi sunt. Sic v. g. quid damnaverit Alexand. VIII. dum propositionem confixit, ajentem non licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam, ex *Sinnicchio,* ex cujus libro excerpta est, potissimum est desumendum.

9° Ex alicujus propositionis pontificia damnatione non licet inferre damnationem alterius, quæ alteri omnino rationi innititur. Exemplum habes apud Ben. XIV.[5]

11° Si quid Pontifices prohibuerint, videndum num vivæ vocis oraculo mentem suam ita explicuerint, ut prohibitio in quadam suî parte sit restringenda. Exemplum habes in *Tract. de Censuris* quoad facultates laudata mox Constitutione : "*Apostolicæ Sedis*" revocatas.

12° Videndum præterea est, num posteriores Pontifices latam a decessoribus suis prohibitionem restrinxerint.

13° Demum et illud animadvertendum, num pontificia Constitutio aliquid prohibens alicubi recepta non sit.

D) *Quoad Concilia.*

1° Concilia omnia, quæ Romani Pontificis auctoritate nec congregata, nec confirmata sunt, errare in doctrina morum possunt, atque adeo certam fidem facere nequeunt eorum, quæ agenda sunt aut fugienda.

2° Concilia *quæcumque,* — sed Generalia præsertim, — quæ Pontificia auctoritate confirmata sunt, certissimam doctrinæ regulam præbent Morali Theologo.

3° Ex conciliis, quæ probata quidem non sunt à Romano Pontifice, sed nec damnata quidem ab ipso fuerunt, *probabile* argumentum sumitur uti ad fidei dogmata suadenda, ita et ad doctrinas, quæ ad mores spectant, stabiliendas. Hujus rei vel illud abunde magnum argumentum est, quod ex innumeris Conciliis ejusmodi paucissima reperiantur, quæ a recta doctrina declinarint.

[1] L. III. Decr. T. II. c. 9.
[2] L. VIII. C. IV. n. 3.
[3] Ib. L. VII. C. VII. n. 5.
[4] Vide Ben. XIV. de Syn. Diœc. L. VII. Cap. IX. n. 3.
[5] Ib. Cap. XIV. n. 8.

4° Conciliorum decreta, quæ ad disciplinam spectant, cave cum iis, quæ ad mores, confundas. Nam Canones morum varietati obnoxii non sunt: contra Canones disciplinæ pro locorum ac temporum diversitate mutari possunt. Hinc claudicat argumentatio ex disciplina ecclesiasticâ regionis cujuspiam, aut vetustioris sæculi, si aut ubique illa recepta non sit, aut contraria lege abrogata fuerit. — Item aliquid in quapiam diœcesi illicitum esse potest, quod in aliis liceat.

5° Conciliorum Decreta ex sensu et more temporum, quibus condita sunt, interpretabimur.

6° Formulæ ipsæ conciliorum ad stylum et barbariem sæculi, quo celebrata sunt, exigendæ erunt; neque enim communio, impositio manuum, aliaque id genus sexcenta idem omnibus sæculis significarunt. Quamobrem *Glossarium Du Cange* usui maximo esse poterit Morali Theologo.

7° Non omnia, quæ in Conciliis repereris ad mores spectantia, *præcepta* fuisse credito, sed eorum multa ex pio consilio prodiere, atque adhortationem magis sapiunt, quam præceptionem. Hujus rei exempla plura invenire est in Concilio Plen. Balt. II. Sic v. c. art. 149 hujus Concilii dicitur: "Iis" i. e. sacerdotibus, "etiam vehementer *commendamus*" (quod verbum non *præcipientis* est, sed *exhortantis*) "ut vestem talarem constanter, quatenus fieri possit, gerant."

Quoad reliquos Theologiæ Moralis locos lectorem remittimus ad ea, quæ Dogmatica docet de *Traditione*, necnon ad ea, quæ ipsi in *Tractatibus de Conscientia et de Legibus* de Jure Canonico et Civili deque auctoritate Theologorum et usu rationis trademus.

III. *Quomodo universa Theologia Moralis dividatur?* Ad *praxim* accommodatior nobis visus est sequens tractandarum rerum ordo. Prima erit nobis disputatio *de natura actuum humanorum*, prout bonitatem vel pravitatem moralem spectat; hæc enim veluti fundamentum erit aliarum disputationum. — Inde gradum faciemus ad duplicem *actuum humanorum regulam;* alteram quidem *internam*, quæ est *conscientia*, *externam* alteram, quæ est *lex*. — Deinde de actibus humanis loquemur, prouti huic duplici regulæ consentiunt aut dissentiunt, seu *de peccatis* et *virtutibus*. Et hæc quidem Theologiæ nostræ partem quasi generalem constituent. — In parte, quæ *specialis* vocari posset, ordine sese excipient variæ leges et præcepta, *Decalogi* nimirum et *Ecclesiæ*, disceptationem de Septimo Decalogi præcepto, quod amplissimam quæstionem implicat *de Justitia et Jure* necnon *de Contractibus*, speciali loco tractaturi. Subsequentur leges, quibus *varii hominum status* ac *Sacramentorum administratio ac susceptio* reguntur. Demum, quum legum observantia pœnarum inflictione juvetur, de *pœnis ecclesiasticis*, seu *de censuris et irregularitatibus* sermonem habebimus, totum hoc opus *Appendice de Indulgentiis* conclusuri.

IV. *Quanta sit Moralis Theologiæ necessitas?* Confessionum audiendarum munus obeunti aut aliquando obituro tanta est Theologiæ Moralis addiscendæ necessitas, quanta salvandi animam. "*Cæcus*" enim "*si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*"[1] Cœcus autem est confessarius, qui, licet zelo emineat ac ingenio polleat et practico etiam judicio, principia ignorat ac regulas practicas, quibus et ingenium ac judicium dirigendum, et zelus moderandus est. Apposite Scavini[2]: "Non omnes," inquit, "ecclesiasticos oportet esse magnos oratores, præclaros doctores, eruditos historicos; omnes tamen de clero Morali Theologia valde instructi esse debent." Et doctus Mabillon[3] "Moralis Theologiæ studium *præ aliis* excolendum; . . . huic *quamdiu vivitur*, omnino danda erit opera."

[1] Math. 15. 14. [2] Tom. I. n. 4. p. 16. [3] De Studiis monast. P. III. c. 2.

COMPENDIUM THEOLOGIÆ MORALIS.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Cum Theologia Moralis tota versetur circa actus humanos dirigendos, exordium tractationis nostræ, prouti rerum ordo et communis consuetudo exigit, ab ipsis *humanis actibus* ducendum est. Agendum igitur hic nobis est 1° de notione, 2° de principiis, 3° de moralitate actuum humanorum.

CAPUT I.

DE NOTIONE ACTUUM HUMANORUM.

1. *Definitio.* — Actus *in genere* est determinatio potentiæ, seu est facultas agendi in exercitio posita, vel etiam est exercitium facultatis agendi.

Actuum, qui ab homine fiunt, multiplex est genus. — Alii enim 1° dicuntur *naturales*, uti vivere, vegetare, crescere, etc., et hi homini communes sunt cum plantis, — alii 2° *animales*, etiam brutis communes, uti comedere, ambulare, etc., — alii 3° *hominis*, qui fiunt *in* homine, vel *ab* homine, quatenus a belluis distinguitur, sed absque ulla deliberatione, quales sunt absque ulla mentis advertentia ridere, loqui, itemque motus *primo-primi*, vel actus hominis penitus distracti, somniantis, delirantis, amentis, ebrii, aut usu rationis quomodocunque destituti, — alii denique 4° *humani*, qui a *deliberata* voluntate procedunt. *Deliberata* autem voluntas ea est, quæ se libere determinat ad aliquem actum cum advertentia ad ejus bonitatem vel malitiam. In actu igitur *humano* intellectus se habet ut conditio, libera autem voluntas ut causa ; unde actus humanus idem est ac *moralis* seu *imputabilis*, et de hoc solo quæstio est in theologiâ morali, cum hic solus ad mores referatur.

2. *Divisio.* — Actus humanus multipliciter distinguitur :

1° *Elicitus*, qui nempe perficitur et consummatur in ipsa voluntate, absque adminiculo alterius facultatis, uti sunt volitiones et nolitiones pure internæ, vel *imperatus*, qui, imperante voluntate, perficitur ab aliâ potentiâ voluntati subjectâ, eâque vel internâ, ut actus cogitandi de re quadam particulari, vel externâ, ut actus ambulandi, scribendi.

2° *Internus*, qui tantum internis animæ potentiis perficitur, qualis est actus cogitandi, amandi, vel *externus*, quem voluntas per corporis organa perficit, e. g. deambulatio.

3° *Bonus*, qui rectæ rationi est conformis, vel *malus*, qui non est illi consentaneus. Bonus etiam *licitus*, malus *illicitus* audit. Bonus vero vel est *naturalis*, qui solis naturæ viribus perficitur, uti amor parentum, miserorum commiseratio, vel *supernaturalis*, qui auxilio divinæ gratiæ producitur, uti actus theologici fidei, spei, charitatis. Hic, supernaturalis scilicet, est vel *meritorius de condigno*, vel *meritorius de congruo*, prout nempe ipsi retributio aliqua vel ex justitiâ, vel ex merâ benignitate Dei rependitur.

4° *Validus*, qui gaudet omnibus requisitis ad effectum proprium, v. c. translationem dominii in actu venditionis, producendum essentialibus, vel *invalidus*, qui vel uno quopiam ex essentialibus caret, ut v. g. quod in actu venditionis res non sit vendentis propria, et est tanquam si ille minime esset positus.

CAPUT II.

DE PRINCIPIIS ACTUUM HUMANORUM.

3. — Tria actuum humanorum principia numerantur: 1° *cognitio*, 2° *voluntas*, 3° *libertas*. Hæc enim sunt eorundem constitutiva atque adeo ad quemlibet actum propriè humanum requisita, ut patet ex definitione actus humani et ex ipsâ rei naturâ. Voluntas namque cognitionem præviam necessariò supponit; nihil enim potest esse objectum voluntatis, quin prius ope intellectûs apprehensum fuerit. Hinc axioma: *Nihil volitum, quin præcognitum*. Utrumque autem supponit libertas; libertas enim est facultas eligendi, seu ad actum aliquem sese determinandi; electio autem fieri nequit, nisi voluntate seipsam in præcognitam hanc vel alteram partem movente.

Cognitio idem hìc est ac conscientia, de qua in tractatu sequenti. Hic igitur tantum de voluntate et de libertate, seu de voluntario et de libero, necnon de utriusque impedimentis dicemus.

ARTICULUS I.

DE VOLUNTARIO.

§ I. *De voluntario in genere.*

4. *Definitio.* — Juxta Aristotelem[1] et S. Thomam[2] "Voluntarium est id, quod procedit a principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio." Dicitur 1° *a principio intrinseco*, i. e. ab ipsa voluntate prævîâ intellectûs cognitione; ea ergo quæ ex principio *tantum* extrinseco procedunt, ex vi e. g. et coactione, voluntaria non sunt. 2° *cognoscente singula, in quibus est actio*, quæ singula sunt: objectum, finis et circumstantiæ actionis; nam voluntas non fertur in incognitum. Hinc si qua actionis circumstantia ab agente prorsus ignoretur, actio relate ad circumstantiam illam non erit voluntaria, eo ipso quod sit incognita. Sic, si quis percusserit hominem ignorans eum esse sacerdotem, reus quidem erit injustitiæ, non vero sacrilegii, quum sacram illam sacerdotis qualitatem in homine percusso ignoraverit. Sic pariter, ubi nulla est advertentia ad præceptum, nullum relate ad illud est voluntarium *proprie* dictum, et proinde nulla præcepti voluntaria transgressio, atque adeo nullum peccatum.

Ex hac definitione patet voluntarium differre a spontaneo, a volito et a libero: 1° a *spontaneo*, quia spontaneum est quidem a principio intrinseco et cum aliqua cognitione finis, sed materiali, imperfectâ et sine advertentiâ ad media illa, quibus finis ipse obtinetur. Sic ebrio spontanea est vini potatio, cujus finis ipsi aliquatenus quidem innotescit, non tamen uti talis, cum cæco quodam impetu tendat in vinum. 2° a *volito;* volitum enim non dicitur de *actu* voluntatis, sed de *objecto*, in quod voluntas tendit: et hoc contingere potest, licet objectum a voluntate, tanquam effectus a suâ causâ, non pendeat. Sic pluvia in aridam terram effusa quoad agricolam dicetur volita, non autem voluntaria. 3° a *libero*, quod a voluntate procedit seipsam determinante ad agendum cum potentia non agendi. Omne igitur voluntarium et spontaneum est et volitum, at non contrà. Pariter omne liberum est voluntarium, sed non vice versâ. Sic Beati in cœlo Deum voluntariè quidem, sed non liberè diligunt; idem dic de homine viatore, qui voluntariè quidem, at necessario felicitatem prosequitur. Voluntarium tamen in scholis regulariter sumitur pro libero, cum in actibus, quibus homo *viator* ad finem suum tendit, reapse non distinguantur. Ratio est ex S. Thoma[1] quia voluntas "in hoc solo determinationem" habet, "quod felicitatem naturaliter appetit, at non determinatè in hoc vel illo."

5. *Divisio.* — Multiplex est voluntarium, scilicet

1° *Necessarium* vel *liberum*, quorum alterum ab altero differt ut *voluntarium* et *liberum* (n. 4).

2° *Perfectum*, quod plenam illam intellectus cognitionem, quâ ratio boni et mali innotescat, et plenum voluntatis consensum supponit, qualis est in eo, qui perfecte sciens et volens carnes manducat die vetito, vel *imperfectum* seu *semivoluntarium*, quod à voluntate procedit cum imperfectâ illâ cognitione, quâ ratio boni et mali subobscure tantum innotescit, et in qua multiplex haberi potest gradus. Actus autem imper-

[1] L. 3. Ethic. [2] 1. 2. qu. 6. a. 1. sq.

[1] 2. Dist. 25. u. 1. art. 2. o.

lecte seu semivoluntarius in gravis quoque præcepti violatione non excedit peccatum veniale, prouti in semisopitis aut ad alia distractis evenit.

3° *Voluntarium simpliciter*, quod procedit à plenâ voluntatis inclinatione sine ullâ repugnantiâ, ut e. g. in adolescente, qui ad animi sui solatium vult ludum, cum aliud possit oblectamenti genus, v. c. deambulationem, sibi eligere; vel *secundum quid*, quod provenit quidem a voluntatis consensu, sed cum aliquâ repugnantiâ, seu quâpiam voluntatis inclinatione in oppositum; quapropter, si quis timore humano aut minis sociorum inductus præceptum violat, quod graviter et cujuscunque mali metu non obstante obliget, actum ponit *simpliciter voluntarium* (nisi metus ejusmodi sit, ut rationem plane perturbet), et quidem graviter peccaminosum; agit enim cum plena voluntatis determinatione, etsi ægre agat, et mallet non agere. Attamen ejusmodi actus est etiam involuntarius *secundum quid*, et proinde minus culpabilis evadit.

4° *Actuale, virtuale, habituale, interpretativum.* Dicitur *actuale*, si voluntas hic et nunc ac immediate et directe fertur in volitum. Sic actualiter voluntaria mihi est v. g. hæc mea responsio ad quæsitum propositum, vel contritio dum hic et nunc pœnitentiæ actum elicio. *Virtuale* est actus voluntatis jam quidem præteritus, sed qui in aliquâ re, quæ humano modo fiat, moraliter perseverare censetur, tanquam in suo effectu, et ideo illius est causa. Sic v. g. in viatore, qui "*cupit optatam cursu contingere metam*," passus singuli, quos ponit ad illam, sunt ipsi *virtualiter* voluntarii, licet ad singulos non attendat, imo iter agens de rebus omnino diversis cogitet. Ratio est, quia passus illi proficiscuntur à voluntatis actu, quo viator ab initio voluit iter ad metam illam suscipere. Idem resolve de absolutione a confessario distracto impertitâ. *Habituale* est actus voluntatis præteritus et non retractatus, sed qui non sit causa ejus, quod postea fit: sic v. g. heri volui, ut missa, quam hodie celebraturus sum, applicetur et prosit Titio defuncto. Si hodie immemor hujus specialis applicationis eam celebro, prout quotidie soleo, hæc illi defuncto proderit vi intentionis habitualis, i. e. voluntatis præteritæ non retractatæ, quæ ideo dicitur habitualiter permanere, licet non sit causa, cur missam celebraverim. *Interpretativum*, quod neque physice, neque moraliter est habitum, sed prudenter præsumi potest habendum fore, si de eo cogitaretur, aut cogitari posset. Sic, si quid tollam de facultatibus amici mei animo restituendi, et probe sciens, si ipse adesset, certe mihi commodaturum, quod sumo, hæc acceptio esset amico meo voluntaria interpretativè. Sic quoque infirmus sensibus destitutus, si christiane vixerit, censetur Extremam Unctionem velle suscipere.

Non solum voluntarium actuale, sed etiam mere virtuale in actus moralitatem aut validitatem satis ita influit, ut sit bonus vel malus, validus aut invalidus; secus vero dicendum de habituali et interpretativo, ut ex eorum definitione manifestum fit.

5° *Expressum*, quod externe (verbis aut signis) manifestatur, e. g. si Episcopus rogatus ut jurisdictionem ad audiendas confessiones alicui concedat, respondeat: concedo, aut capitis nutu annuat, — vel *tacitum*, quod non declaratur externe, sed satis ex facto aliquo, aut facti alicujus omissione, adesse colligitur. Sic facto Episcopus concedit jurisdictionem, si quem rogat, ut confessiones excipiat. Sic quoque peccata subditorum sunt superiori voluntaria et imputabilia, si omittat se iis opponere, cum alioquin id possit ac debeat. Hinc regula juris 43 in 6°: "*Qui tacet, consentire videtur.*"

6° *Directum*, seu *in se*, quod in se ipso seu *per se* intenditur, i. e. quod immediatum est objectum voluntatis, ut furtum a fure patratum, vel occisio a malevolo homine intenta, — vel *indirectum*, seu *in causa*, quod non est volitum *in se*, sed *in alio* directe volito, ex quo prævidetur seu cernitur secuturum, sive ut effectus ex causa, v. g. ebrietas ex potatione excessivâ, sive ut aliquid ipsi connexum, v. c. homicidium ex temerariâ lapidis projectione. *Utrumque* voluntarium et simul involuntarium haberi potest in eodem actu. Exemplum: *Titius* quærens *Cajum* inimicum ad mortem, eum aggreditur, cum periculo lædendi etiam ejus socium, quem cernit illi associatum; sed glande, præter utrumque, ferit quoque *Sempronium*, quem neque videbat, neque ibi adesse suspica-

batur. *Cajus* percutitur ex voluntario directo *Titii*, socius ex voluntario in causa, et *Sempronius* præter omne voluntarium.

Sunt qui voluntarium præterea dividunt in *positivum*, quod sit à voluntate reipsa agente, seu quod actionem positivam requirat, puta, lectionem, — et *negativum*, quod procedat ex omissione actus à voluntate dependentis, ut esset omissio Missæ in eo, qui ad instantem ejus celebrationem advertens, nihilominus studio domi vacare pergeret. Sed hæc divisio practice ad unam ex præcedentibus semper referri poterit, nec omnino recta est cum nulla omissio voluntaria sine actu *positivo* voluntatis cogitari possit.

§ II. *De voluntario in specie.*

Cum in cæteris voluntarii speciebus nulla specialis difficultas occurrat, solum dicemus

De voluntario indirecto, seu in causâ.

6. *Prænotanda.* — Voluntarium indirectum, seu in causa, ut dictum est, non intenditur *in se*, sed ex alio directe volito, velut effectus ex causa, cernitur secuturum. Nihilominus est verum voluntatis objectum, licet indirectum; qui enim vult causam, vult quoque effectum ex eâ sequentem, si effectum hunc prævideat. Hinc effatum: *Qui est causa causæ, est causa causati.* Sic, quando quis peccat coram aliis, scandalum ex ejus peccato proveniens, ratione voluntarii indirecti, ipsi imputatur. — Et quidem qui scienter ponit causam actionis vel omissionis, in eo instanti malitiam coram Deo contrahit, etsi actio vel omissio reipsa non sequatur; et proinde eam ut volitam confiteri tenetur. Sic, qui breviarium projicit in mare, eo ipso momento tot peccata committit, quot sunt dies, quibus prævidet se omissurum officium[1]. Causa autem multiplex distinguitur, scilicet

1° *Physica*, vel *moralis*. *Prior* est, quæ physicè agendo effectum producit, ut ignis incendium, sol lucem. *Posterior*, quæ aliam causam liberam ad agendum efficaciter movet. Sic homicidium jubens causa moralis est occisionis.

2° *Immediata*, vel *mediata*. *Prior* est, quæ effectum producit, nullâ aliâ intercedente causâ, v. g. si quis transfodiat pectus alterius, erit causa immediata ejus mortis. *Posterior*, quæ effectum non producit, nisi aliâ causâ interpositâ. Hinc causa moralis est semper causa mediata.

3° *Proxima*, vel *remota*. Dicitur *proxima*, quæ habet connexionem necessariam vel ordinariam cum effectu. *Remota* vero, quæ licet effectum producere valeat, vim tamen *magnam* in illum non habet, nec in ipsum *notabiliter* influit; vel ea est, ex qua effectus ut *plurimum* non evenit. Sic vini potatio ebrioso *proxima*, sobrio *remota* erit ebrietatis causa.

4° *Causa per se*, vel *per accidens*. *Prior* est, quæ ex naturâ suâ tendit, seu ordinatur, ad effectum producendum. Sic potus excessivus est causa *per se* ebrietatis. *Posterior* vero, quæ licet non sit ex naturâ suâ ordinata ad quempiam effectum, attamen aliquando, accedente sc. aliquâ circumstantiâ, illum producere valet. Sic homicidium ex ebrietate sequi potest. Plerumque hæc ultima divisio in præcedentem recidit.

7. — Effectus malus sequens ex voluntario indirecto, id est ex directâ volitione causæ, non semper est ad culpam agentis imputandus, sed attendum est ad sequentia.

Principia. — I. Triplex conditio requiritur, ut effectus agenti, seu ponenti causam, imputari queat, scilicet

1° Ut agens effectum, saltem in confuso præviderit. Ratio est, quia effectus, nullo modo prævisus, nullatenus potest esse voluntarius: *nihil enim volitum, quin fuerit præcognitum.* Hinc ebrietas voluntaria non est, nec ei imputanda, qui inebriatur ex modico vino, cujus vim ignorabat. Non ergo, ut quidam contenderunt, sufficit ad culpam, ut malus effectus *potuerit*, aut *debuerit prævideri*; nam negandum est suppositum, scilicet, posse prævideri effectum, si de facto non prævideatur, *saltem in confuso*: prima enim alicujus rei idea non est in hominis potestate. Hinc etiam, ne indirecte quidem, voluntaria est omissio actuum, de quibus homo nullatenus cogitat, ut e. g. omissio Vesperarum in eo, qui totus studiis immersus duodecimam nocturnam, ante quam eas absolvere statuerat, appropinquantem non advertit. Voluntariæ tamen in causa, et ad peccatum imputabiles, sunt blasphemiæ, impudicitiæ,

[1] L. V. n. 149.

rixæ, quæ ab aliquo in ebrietate fieri *solent*. Sufficienter enim prævidentur ex *consuetudine* talia in hoc statu peragendi.

2° Ut agens potuerit non ponere causam; secus enim, deficiente libertate, necessario deficeret voluntarium. Aliunde obligatio dari nequit quando adimpleri non potest. Hinc axioma: *Nemo ad impossibile tenetur*. Sic non est reus sacrilegii sacerdos, qui porrigit communionem peccatori occulto publicè petenti; causam enim sacrilegii, quod hic committet, in iis adjunctis non potuit non ponere.

3° Ut adsit lex, vi cujus agens teneatur causam non ponere, aut positam tollere; *ubi enim non est lex, nec prævaricatio*. Nemo autem tenetur causam non ponere aut positam tollere, si illius ponendæ jus habeat repositum in necessitate, utilitate vel honestate; nam ex juris regulâ: *prosequenti jus suum non imputatur effectus præter intentionem secutus*. Hinc motus inordinati non sunt voluntarii, nec proinde imputabiles, medico vel chirurgo in exercitio artis suæ, aut theologo in studio Moralis, dum non sunt in periculo proximo iis consentiendi; quia *isti* artem suam, *hic* studium ad hunc effectum præcavendum omittere non tenentur; sed e contrario justam habent rationem iis operam dandi. Sic etiam mulieri honestè se ornanti nullimodò mala curiosorum desideria imputantur.

8. II.—Licet ponere causam bonam aut indifferentem ex quâ immediate sequitur duplex effectus, alter bonus, alter malus, si adsit causa proportionatè gravis, et finis agentis sit honestus, pravum scilicet effectum non intendat.[1]

Ratio hujus principii est, quia, si id non liceret, agens peccaret, *vel* ex intentione pravi effectûs, *vel* ex positione causæ, *vel* ex prævisione effectus mali. Porro nullum ex his dici potest. Non 1^{um}; finis quippe supponitur honestus; non 2^{um}; causa siquidem supponitur bona, vel saltem indifferens; non denique 3^{um}; nam in hypothesi pravus effectus non intenditur, sed mere permittitur; eum autem permittendi causa adest proportionatè gravis et justa.

Quinque autem conditiones, quæ in hoc principio directe vel indirecte enuntiantur, omnino requiruntur, scilicet ut 1° honestus, i. e. non inordinatus, sit finis agentis; 2° causa, quæ ponitur, vel posita non tollitur, sit bona, vel saltem indifferens; 3° effectus bonus sit immediatus; 4° adsit ratio gravis ponendi causam, vel positam non tollendi, nec teneatur agens ex justitia, aut ex officio, aut ex caritate eam omittere, aut positam tollere, et 5° adsit judicium prudens agentem effectui illicito non consensurum.

Itaque 1° requiritur finis bonus, i. e. causam ponens vel positam non tollens malum effectum intendere non debet, quia secùs inordinatum quid intenderet, et proinde peccaret. Sic in exemplo mox allato medici, chirurgi, theologiæ alumni, mulieris se honeste ornantis, peccatum foret, si præter finem honestum ab iis quæreretur et inhonestus. 2° Requiritur, ut causa, quæ ponitur, aut posita non tollitur, sit bona, vel saltem indifferens, scilicet ut actus non opponatur cuidam legi, quâ hic et nunc tenear malum effectum præcavere. Ratio evidens est. Etenim si causa non foret ejusmodi, *per se* reatum induceret. Hinc graviter peccat puella, quæ ex delicto gravida abortum procurat ad vitandam infamiam; causa enim non est indifferens, et deficit præterea conditio 3^{a} et 4^{a}. 3° Requiritur, ut bonus effectus æque immediatè ex causâ sequatur. Ratio est, quia si causa directè et immediatè pravum habet effectum, et nonnisi mediante illo pravo effectu bonus effectus existit, tunc bonum ex malo quæritur: porro nunquam fas est malum, quantumvis leve, patrare ad bonum quodcunque procurandum; nam juxta pervulgatum axioma, ex Apostolo depromptum,[1] *nunquam sunt facienda mala, ut eveniant bona*. Sic mentiri tibi non licet, etiam ad vitam hominis salvandam. 4° Requiritur ut adsit ratio proportionatè gravis ponendi causam, nec teneatur agens ex aliâ obligatione eam omittere; quia lex naturalis nos obligat ad vitanda mala, et præcavenda proximi damna, quando id sine damno proportionatè gravi possumus.

Porro in hisce casibus eò major ratio requiritur ad agendum, quò propinquiùs causa malum effectum attingit; quo probabilior est malus effectus, et quo minus

[1] S. Thom. 2. 2. qu. 64. art. 7.

[1] Rom. 3. 8.

juris ad actionem in se spectatam habetur. Hinc non peccat belli dux, qui tempore obsidionis ad arcendum hostem incendat agros, etc., etsi exinde patiantur incolæ innocentes. Item si incendat arcem, in quâ simul cum hostibus fortè peregrini, bello extranei, includuntur. Nec peccat, qui pecuniâ egens, nec aliunde habere valens, mutuum petit ab usurario, lucrum injustum exacturo. Adsunt enim in his casibus omnes conditiones requisitæ, sc. finis bonus, causa indifferens, bonus effectus æque immediate ex causa sequens et ratio proportionate gravis. Hinc pariter, si causa remote tantum et leviter influat in effectum malum, et ex ea etiam sequatur aliquis effectus bonus, quamvis non præponderet aut non æquivaleat malo, non est obligatio auferendi causam; quia minor ratio requiritur ad ponendam causam leviter tantum et remote influentem in malum, quam si graviter et proxime influeret. Hinc non teneris abstinere a colloquio honesto et utili propter carnales motus inde exurgentes.[1]

Si vero causa, remote et leviter influens, sit in se venialiter mala, aut ex ea nullus sequatur bonus effectus, obligatio aderit eam auferendi, sed levis, et sub veniali tantum, nisi in hoc et præcedenti casu agatur de gravi proximi damno; ratio, quia ista obligatio æstimanda est juxta quantitatem influxus causæ. Cum enim effectus non sit voluntarius, nisi in causâ, et leviter ac remote contineatur in causâ, leviter est in ea voluntarius, adeoque leviter ad culpam imputabilis, et idcirco levis obligatio auferendi causam ob illum effectum.[2]

Hinc teneris sub veniali abstinere a conversatione honestâ, sed inutili, vel a lectione curiosâ, ex quâ prævides secuturos motus inhonestos et inordinatos. Demum, quamvis aliqua causa sit graviter mala, effectus tamen ex illa prævisus etiam in materia alias notabili peccatum veniale tantum constituere potest, si scilicet illa causa est remota tantum dispositio ad effectum, et effectus ipse sub his circumstantiis malum grave dici nequit.

5° Requiritur ut adsit judicium prudens agentem effectui illicito non consensurum; eâdem enim obligatione, quâ teneor effectum illicitum non velle antequam sequatur, teneor eidem, cum sequitur, non consentire et hujus consensûs causam non ponere. Hinc medicus et chirurgus arti, confessarius officio suo, renuntiare tenentur, si motibus turpibus, qui ex exercitio artis vel officii exurgunt, *soleant* consentire, licet eos non intendant.

[1] Billuart, diss. 1. art. 1. [2] Id. ib.

ARTICULUS II.

DE LIBERO.

9. *Definitio.* — Liberum dicitur, quod procedit a voluntate se ipsam determinante cum potentiâ non agendi. Libertas vero est facultas agendi vel non agendi; seu facultas unum eligendi præ alio. Hinc omne liberum est voluntarium, sed non vice versa. V. supra n. 4.

Divisio. — Multiplex distinguitur libertatis species.

1° Libertas *à necessitate*, seu libertas indifferentiæ, vel electionis, quæ est immunitas ab omni necessitate intrinsecâ antecedente; et hæc est propriè et strictè dicta libertas.

2° Libertas *a coactione* seu libertas spontaneitatis, quæ est immunitas ab omni violentiâ extrinsecùs illatâ.

3° Libertas *contradictionis*, quæ est facultas se ferendi ad contradictoria, v. gr. studendi aut non studendi.

4° Libertas *contrarietatis*, per quam eligere aliquis unum quid potest, aut hujus contrarium, v. gr. diligere vel odio habere.

5° Libertas *specificationis*, quæ est facultas se ferendi ad diversa, v. gr. ambulare, ludere, etc.

ARTICULUS III.

DE OPPOSITIS VOLUNTARIO ET LIBERO.

Quatuor opponuntur, scilicet ignorantia, concupiscentia, metus et vis seu violentia.

§ I. *De ignorantiâ.*

10. *Definitio.* — Ignorantia generatim sumpta est carentia scientiæ.

Divisio. — Distinguitur ignorantia:

1° *Positiva*, vel *negativa*, prout est carentia scientiæ debitæ, vel indebitæ, v. gr. ignorantia juris canonici in rustico.

2° *Juris* vel *facti*, prout versatur circa legis, vel facti particularis existentiam.

3° *Vincibilis* vel *invincibilis*, prout, adhibitâ diligentiâ, vinci potest, vel non. — Invincibilis autem est *physicè* talis, si nullo modo vinci possit; *moraliter* vero, si adhibitâ morali diligentiâ tolli nequeat. Moralis autem censetur ea diligentia, quam viri prudentes, pro rei gravitate, adhibere solent. Porro non datur ignorantia vincibilis, nisi cognoscatur, saltem *in confuso*, obligatio ulterius inquirendi, quia prima alicujus rei idea non est in hominis potestate.

4° Ignorantia *antecedens* ea est, quæ præcedit omnem voluntatem; *consequens* vero, quæ eam aliquo modo subsequitur. Hic mentio quoque facienda ignorantiæ concomitantis, quâ quis ignorat quid agat, sed tamen ageret, licet non ignoraret. Ipsa in actum nullatenus influit.

Ignorantia vincibilis triplex distinguitur, scilicet, 1° *simpliciter talis*, quando ad eam depellendam diligentia aliqua, non tamen sufficiens, adhibetur; 2° *crassa* seu *supina*, quando nullum, aut vix ullum, in veritate indagandâ studium ponitur; 3° *affectata*, quando quis media ignorantiam deponendi voluntarie refugit, ne à suo proposito retrahatur.

Ad ignorantiam invincibilem referenda est oblivio perfecta, et inadvertentia plena. Hæ autem, si non sint perfectæ, vel ex negligentia culpabili procedant, ad ignorantiam vincibilem spectant.

11. Principia. — I. Ignorantia invincibilis penitus tollit voluntarium, tum quia ipsa non est voluntaria, tum quia nihil esse potest voluntarium, ubi nulla est cognitio. Nullus igitur actus, ex ignorantia invincibili procedens, imputari agenti potest. Sic pariter de oblivione et inadvertentiâ perfectâ statuendum, cum eadem ratio currat.

II. Ignorantia vincibilis non tollit voluntarium. Talis enim ignorantia sive directe, sive indirecte, est verè voluntaria. Attamen voluntarium minuit, quia est causa illud volendi, quod, eâ absente, quis nunquam velle supponitur. Idem quoque, ob paritatem rationis, de oblivione et inadvertentia imperfecta dicito.

III. Ignorantia crassa et ignorantia affectata multò minus minuunt voluntarium, ac proinde peccatum. Ratio est, quia priòr ex gravi oritur negligentia, posterior verò de industria ad liberius peccandum retinetur.

Resolves. — 1° Conjux peccans cum muliere, quam invincibiliter ignorat esse sororem uxoris suæ, reus est adulterii, non tamen incestûs, utpote invincibiliter ignorati.

2° Pueri, qui egerunt de se illicita sine ullo angore conscientiæ vel suspicione malitiæ, reipsa *formaliter* non peccarunt, etsi usum rationis adepti jam fuerint, et proinde postea non tenentur ea confiteri, dum ea illicita esse intelligunt, quum peccata *materialia* non sint materia confessionis.

3° Si confessarius vel judex advertat sibi deesse sufficientem scientiam ad fungendum, uti par est, officio suo, et negligat scientiam acquirere, aut antequam illam acquisierit, pergat munus suum exercere, tenebitur de erroribus, quos aliquo saltem modo prævidit, quia ipsi, saltem in causâ, sunt voluntarii.

4° Qui culpâ suâ sacrum diebus Dominicis audire non solent et de servandis festis et jejuniis, prout ejusmodi consuevcrunt, parum sunt solliciti, non excusantur a peccato, si festa et jejunia non servant, eo quod illa ignorant; ignorantia enim est vincibilis, quum voluntarie negligant media adhibere, quibus ea cognoscere possint. Si vero semel tantum aut iterum sacrum sive cum, sive sine culpâ suâ omiserint, et diem festum aut jejunii, infra hebdomadam occurrentem, ne suspicati quidem fuerint, a peccato excusantur, quum ignorantia eorum invincibilis sit; non enim dici potest voluntarie negligens in adhibendis mediis depellendæ ignorantiæ, qui de iis adhibendis nequidem cogitat. Peccant pariter qui ruri degentes, procul ab ecclesiâ, ex libris, vel si legere nesciant, ex aliis, v. c. vicinis catholicis, in festa et jejunia inquirere neglexerint; excusantur vero, qui legendi imperiti et inter acatholicos versantes, neminem habent, qui eos de iis moneat. Utriusque ratio eadem est ac illa, quæ mox allata fuit.

5° Si negligentia in deponendâ ignorantiâ sit tantum venialiter culpabilis, factum ex eâ sequens ad culpam tantum venialem erit imputabile. Ratio, quia ejusmodi actus sunt voluntarii atque adeo culpabiles tantum in causâ; cum ergo causâ, ignorantia scilicet, ad gravem cul-

pam non pertingat, effectus levem culpam excedere non potest.

De ignorantia plura alia vide alibi passim, inprimis in tractatu de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, et de Contractibus in genere, ubi de errore.

§ II. *De concupiscentiâ.*

12. *Definitio.* — Concupiscentia communiter definitur: *motus appetitus sensitivi*, seu motus, qui operatur non tantum in animâ, sed etiam in aliquâ sensibili corporis parte, saltem in corde, illud nempe intensiùs movens ad bonum reale vel apparens, aut ab eo, quod repræsentatur uti malum, intensiùs retrahens. Hoc ut plenius intelligatur, sciendum est, sæpe nos in corpore nostro quasdam commotiones pati, quæ ad aliquid nos vehementer impellunt et excitant: hæ porro *passiones* dicuntur, quæ absit ut in se malæ sint; sunt enim ab auctore naturæ, et esse possunt incitamenta virtutum: sic v. g. miles desiderio veræ gloriæ incensus fortius dimicat. Quia tamen in præsenti naturæ corruptæ statu passiones hominem ultra limites, intra quos stat virtus, abripiunt, ideo *vulgari* sensu ipsæ, quemadmodum et concupiscentia, uti motiones malæ habentur, et ideo concupiscentia, quatenus est opposita voluntario et libero, definitur: *Motus* INORDINATUS *appetitus sensitivi, quo voluntas fertur ad bonum sensibile.*

13. *Divisio.* — Duplex distinguitur: alia *antecedens*, alia *consequens*. *Prior* est, quæ ordine causalitatis quamlibet *præcedit* voluntatis deliberationem seu consensum, eam tamen ad consensum allicit ac trahit: sic v. g. viso inimico, statim excitatur appetitus vindictæ. *Posterior* vero est, quæ ordine causalitatis actum voluntatis sequitur, sive quia vehemens voluntatis motus redundat in inferiorem appetitum, ut contingere solet iis, qui habitum habent alicujus peccati, v. c. libidinis, sive quia hunc ipsum voluntas directe et de industria excitat, ut, v. g. cum quis libros obscœnos legit ad libidinem excitandam, — aut apposite de inimico, acceptisve injuriis cogitat, ut in se odium accendat aut vindictæ augeat cupidinem, — aut eos reprehensurus, quos tenero diligit affectu, semet ad reprehensionem serio adhibendam quodammodo excitat.

14. PRINCIPIA. — I. Concupiscentia *antecedens*, atque adeo non voluntaria, quo major est et vehementior, eò magis peccatum imminuit, imo à peccato omnino excusare potest. Ratio, quia motus appetitus sensibilis turbat, minuit, seu etiam impedit judicium rationis; causæ autem, quæ diminuunt judicium rationis, diminuunt et voluntarium. Cum igitur actus in tantum sit peccatum, in quantum est voluntarius, eo ipso concupiscentia, dum voluntarium imminuit, minuit et peccatum; atque adeo ubi intensior atque fortior est concupiscentia, ibi minus est peccatum; imo penitus cessabit ratio peccati, si concupiscentiæ motus totaliter usum rationis impediat.[1]

II. Concupiscentia *consequens*, ideoque voluntaria, non diminuit peccatum, sed magis auget, *seu potius est signum magnitudinis ejus, in quantum demonstrat intensionem voluntatis ad actum peccati.*[2]

Prob. prior pars, quia peccatum consistit in actu voluntatis rationalis, qui ex hypothesi antecedit motum concupiscentiæ, sicut causa præcedit effectum. Subsequens ergo rationis perturbatio, quam concupiscentia inducit, non potest afficere actum peccandi, qui jam præcessit, ideoque nec voluntarii et peccati rationem minuere.

Prob. posterior pars, quia ut habet S. Th.[3]: "*Quando ex forti motu voluntatis commovetur appetitus inferior ad passionem . . . . passio addit ad meritum vel demeritum, quia est signum passio, quod motus voluntatis sit fortior: et hoc modo verum est, quod ille, qui cum majori compassione facit eleemosynam, magis meretur, et qui cum majori libidine facit peccatum, magis peccat: quia hoc est signum, quod motus voluntatis sit fortior.*"

§ III. *De metu.*

15. *Definitio.* — Metus est trepidatio mentis ob aliquod periculum instans vel futurum sibi aut proxime conjunctis.

Divisio. — Metus sic communiter dividitur, scilicet:

1° Metus *gravis* vel *levis*, prout timetur malum vel *grave*, uti mors, mutilatio, dura

[1] S. Th. 1. 2. q. 73. art. 6; et q. 77. art. 2, 6 et 7.
[2] S. Th. 1. 2. q. 77. art. 6.
[3] De mal. q. 3. art. 11.

carceratio, notabile famæ detrimentum, magna bonorum jactura, etc., — vel *leve* e contrario, seu mediocre incommodum, uti amissio rei levis momenti, exiguum famæ detrimentum, vel etiam *grave*, sed ex levi causa, aut quod facile averti possit, etc.

Metus autem gravis est *absolute* vel *relative* talis. Metus dicitur *absolute gravis* cum mala in se vere gravia timentur; *relative* autem *gravis* quando, licet levis in se, gravis tamen est respective ad quasdam personas: sic pueri, mulieres, senes timore majori in eodem periculo affici solent, quam viri ætate maturi.

2° Metus ab *intrinseco*, vel ab *extrinseco*, prout provenit à causâ intrinsecâ, v. gr. a morbo, ab infirmitate mentis, etc., vel à causâ extrinsecâ sive liberâ, nempe ab homine, sive necessariâ seu naturali, ut ex elementis, contagione, etc.

3° Metus *juste*, vel *injuste* incussus, prouti ex causa vel *justa*, v. gr. pœnarum promeritarum, vel *injusta*, hoc est per injuriam, infertur.

Addendus etiam metus *reverentialis*, qui habetur, quando quis timet ne parentes suos, aut alios Superiores habeat offensos. Ad metum justum aut injustum refertur, prout justa vel injusta est ejus causa. Potest autem esse gravis, si prudens timor sit, ne diu vel graviter offensi habeantur, qui metum incutiunt.

16. Principia. — I. Actus, ex metu, quantumvis gravi, positus, est *simpliciter et absolute voluntarius et liber*. Ratio est, quia per metum neque tollitur cognitio ex parte intellectûs, nisi penitus mens perturbetur, — neque electio ex parte voluntatis, quæ semper gaudet facultate se determinandi in oppositum. Hinc semper ut apostatæ illi habiti sunt, qui metu tormentorum victi Fidem negarunt.

II. Quæ ex metu fiunt, etiamsi simpliciter voluntaria, tamen *regulariter* sunt etiam involuntaria *secundum quid*; unde et culpæ gravitas minuitur. Ratio est, quia ex hypothesi cum quis *solo* metu ad agendum impellitur, ita agit, ut absente metu ab agendo refugeret; atque adeo opus ex *solo* metu factum sociatam quamdam voluntatis tristitiam ac repugnantiam, licet inefficacem, habet. Dicitur *regulariter*; quia dolor peccatorum, qui ex metu divinæ ultionis elicitur, omnem veri *involuntarii* rationem, seu omnem affectum *deliberatum* erga peccatum excludit.

III. Si metus rationis usum auferat, actus, uti patet, voluntarius nullo modo esse potest. Si autem non auferat quidem usum rationis, sed illum notabiliter impediat, actus erit imperfecte voluntarius ob imperfectam rei cognitionem.

IV. Metus sub omni respectu levis, in foro saltem externo, non censetur actuum causa efficax. Præsumitur enim, ejusmodi timorem contemni facile potuisse, atque adeo hominem sua prorsus sponte egisse.

17. *Resolves.* — 1° Metus levis nunquam à peccato gravi excusare potest, ubi materia præcepti violati gravis est.

2° Metus gravis *per se* non excusat a peccato mortali, nec de mortali veniale facit, quoties violatio præcepti cedit in contemptum Fidei vel Religionis, et generatim quoties lex propter grave aliquod incommodum non cessat, ut infra dicetur in *Tract. de Leg.* Cæterum, remoto ejusmodi periculo, metus gravis excusat à lege *humanâ*; quia non censetur legislator cum tanto incommodo obligationem legis urgere velle.

3° Metus, si rationem perturbet, excusat a mortali, ut supra dictum est, ubi de *Concupiscentia*, n. 14.

4° Metus ab intrinseco vel a causis naturalibus proveniens, non impedit, quominus actus ex illo elicitus sit simpliciter voluntarius, et possit esse validus: sic valet votum ex metu mortis in medio naufragio, aut in gravi morbo emissum.

§ IV. *De vi, seu violentia.*

18. *Definitio.* — Vis seu violentia est coactio, quæ a causâ extrinsecâ et liberâ alicui infertur, repugnante ejus voluntate.

Divisio. — Duplex distinguitur violentia, scilicet, *absoluta* et *secundum quid*, prout coactio alicui *omnimode*, vel *aliquatenus tantum* repugnanti infertur. Dupliciter autem contingit quempiam aliquatenus tantum repugnare, scil. 1° cum vis non est ejusmodi, quæ contumaci resistentia frangi aut debilitari non possit, aut 2° cum vim allatam, quæcumque demum ea sit, quis non patitur invitus.

19. Principia. — I. Actus eliciti voluntatis nullatenus cogi possunt, quia voluntati vis inferri nequit. Proinde S.

Anselmus.[1] *Invitus* (inquit) *nemo potest velle, quia nemo potest nolens velle.*

II. Cæteri actus, ex violentiâ *absolutâ* positi, nullatenus sunt voluntarii aut liberi, nec proinde peccaminosi aut demeritorii; actus autem externi, qui ex violentiâ *secundum quid* tantum ponuntur, plus vel minus sunt liberi pro majori vel minori resistendi difficultate, aut pro majori vel minori affectu, quo quis vim patitur.[2] Porro, non solum exteriora corporis membra, sed etiam interiores facultates, uti sunt phantasia, appetitus sensitivus, etc. vi aliquâ extrinsecâ, v. g. angeli tum boni, tum mali, aut alterius causæ naturalis, voluntate nequicquam reluctante, ad aliquos actus moveri possunt, puta ad distractiones, ad imaginationes obscœnas, etc.

20. *Resolves.* — 1° Mulier, quæ omnimode resistit violentiæ, quæ ipsi infertur, nullo modo peccat, etiamsi stuprum patiatur; nemo enim peccat omnino invitus.

2° Peccant graviter fœminæ vim patientes, si pusillanimitate, aut vano timore, v. gr. offendendi aggressorem, etc., non resistant quantum possunt, etiam secluso periculo consensûs; quia etiamsi non consentiant in sensualem delectationem, tamen, dum minus, quam par est, resistunt, æquivalenter in suî violationem consentiunt, et crimini alterius cooperantur. — An peccet mulier vi oppressa, si ob metum mortis clamare omittat, controvertitur. — Probabiliter negandum videtur, secluso consensûs periculo. Imo valde probabiliter, secluso prædicto periculo, non tenetur mulier ad clamandum, stante periculo cujuslibet notabilis damni, sive infamiæ, vel nimiæ verecundiæ; nam si alioqui jam resistat, quantum potest, non tenetur cum tanto incommodo vim repellere. Sic expresse S. Alph.[3] In *praxi* tamen suadenda est opposita agendi ratio, ob consensûs periculum.[4]

3° Aliquando non requiritur resistentia omnino absoluta et continua illatæ coactioni, quando scilicet ex unâ parte inutilis foret, ex alterâ autem agitur de materiâ minus periculosâ. Sic martyres ducti ad templa paganorum non peccabant, quamvis ambularent. At in omni casu resistendum est quantum ad avertendum periculum scandali, vel Religionis injuriam requiritur.

[1] De libero arbitrio. c. 6.
[2] S. Alph. Tr. Præamb. n. XVII. XVIII.
[3] S. L. IV. 430. [4] Ib. 368.

CAPUT III.

DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

Dicetur 1° De essentia moralitatis; 2° de ejusdem fontibus.

ARTICULUS I.

DE ESSENTIA MORALITATIS.

21. — Ut supra n. 1. dictum fuit, theologis actus *humanus* idem est ac *moralis* seu *imputabilis*. Theoretice tamen uterque distinguendus est; duplex enim *esse* in quolibet actu humano reperitur, *physicum* nempe et *morale*. Actus humanus spectatus secundum *esse physicum*, sive in genere naturæ, est actus, qui a libera hominis voluntate proficiscitur. Actus vero humanus secundum suum *esse morale*, sive in genere moris, est idem ille actus prout congruit vel repugnat regulæ morum, ideoque actuum humanorum moralitas in genere est *eorum convenientia cum regulâ morum*, vel *ab eâdem discrepantia*. Missis obscurioribus quibusdam scholarum loquendi formulis,[1] essentia moralitatis dici potest consistere *in habitudine seu relatione actus humani ad regulam morum.*

22. — Regula autem morum unica est *recta ratio*, cui si actus humanus fuerit conformis, dicetur *moraliter bonus;* sin autem deformis, *moraliter malus*. Cum autem recta ratio duplex distinguatur, una increata, quæ in mente divinâ existit, et lex æterna dicitur; altera creata, quæ est lumen à Deo creaturæ rationali impressum, seu ipsa legis æternæ cognitio; ideo

I. Essentia moralitatis primario consistit in habitudine seu relatione actûs humani ad legem æternam, quæ est ratio divina, seu voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens et perturbari vetans. Ratio est, quia sola lex æterna potest esse primaria morum regula. Et sane hujuscemodi regula debet esse infallibilis, indefectibilis et valens obligare in conscientiâ;

[1] L. II. Tr. Præamb. n. XXXIV.

atqui talis est sola lex æterna, e quâ solâ cæteræ leges vim obligandi accipiunt: ergo. Sic ex St. Th.[1]

II. Essentia moralitatis secundario consistit in habitudine actûs humani ad rectam rationem. Ratio, quia sola recta ratio potest homini manifestare legem æternam, seu primariam morum regulum. Ergo rectæ rationis est actus voluntatis ad Deum tanquam ad finem ultimum dirigere. Ergo recta ratio est regula subjectiva primariam manifestans. Ergo essentia moralitatis consistit secundario in conformitate vel deformitate actûs humani cum rectâ ratione.[2]

23. *Resolves.* — 1° Ens igitur morale illud omne et solum est, quod subest regulæ morum, seu legi Dei præcipienti, aut vetanti, aut permittenti. Per illud enim solum ordinamur ad finem nostrum ultimum, vel ab eo deordinamur. Ergo ut actus nostri sint boni, debent esse aliquo módo conformes voluntati divinæ, cum hæc sit summa et primaria morum regula.

2° Libertas præexigitur ad fundamentum moralitatis; secus enim actus non esset humanus, atque adeo omnia peccata et merita de medio tollerentur.

3° Falsum est, essentiam moralitatis reponendam esse in solâ libertate. Etenim moralitas actûs humani complectitur ipsius imputabilitatem ad laudem vel vituperium, ad præmium vel pœnam; atqui actus non est tantum dignus laude aut vituperio, quia liber est, sed etiam, et maximè, quia conformis vel deformis est regulæ morum, seu divinæ voluntati.

4° Falsum est a fortiori moralitatem consistere in solo voluntario. Voluntarium enim sine libertate neque laude neque vituperio dignum est, quippe homo sine libertate non est actus sui dominus.

5° Duplex est bonitas vel malitia moralis, *objectiva* nimirum seu *materialis*, et *subjectiva* seu *formalis*. Illa est ipsa actionis conformitas vel discrepantia cum regulis morum in se et in ipso objecto considerata, independenter ab agentis voluntate; hæc vero eadem est conformitas vel discrepantia, quatenus liberè volita ab agente.

24. Quæsita. — Quær. 1° *An dentur actus propriè indifferentes, seu moralitate carentes, sive in specie, sive in individuo?*

Resp. 1° Certum est dari actus indifferentes *in specie* seu actus, qui in suâ specie expertes sunt moralitatis. Sunt enim actus, qui in se spectati, abstrahendo a fine et circumstantiis, nullam habent cum lege aut rectâ ratione convenientiam aut repugnantiam, ideoque nec boni, nec mali reputandi sunt. Sic ambulare, scribere, et innumera similia, sunt actus *per se* indifferentes.

Resp. 2° Controvertitur autem quoad actus *in individuo*, seu in agente spectatos. Negat cum S. Th. sententia communior et probabilior, quam his verbis probat S. Alph.: "Non potest contingere, quod aliquis actus singularis ex deliberatâ voluntate procedens, fiat sine circumstantiis: aut igitur illæ circumstantiæ sunt rationi consentaneæ; ita nimirum, ut actus fiat, *quando, ubi, quomodo*, et *propter quod* deceat fieri, et sic est bonus; aut non sunt consentaneæ rectæ rationi, saltem omnes, sed aliqua deficit, et sic est malus: nullus igitur actus in individuo, et secundum omnes circumstantias consideratus, potest esse indifferens."[1]

25. — Quær. 2° *An actus externus addat moralitatem actui interno?*

Resp. 1° *Per se* actus externus nullam moralitatem addit actui interno, atque adeo neque auget, neque minuit meritum aut demeritum substantiale actus interni. — Ratio est, quia omnis moralitas ab intrinseco, seu a voluntate, desumitur; nec actus externus ullam habet imputabilitatem ad meritum vel demeritum sibi propriam et distinctam ab imputabilitate actûs interni. Quocirca actus externus non est formaliter, sed tantum materialiter honestus vel inhonestus.

Constat etiam ex Scripturâ Sacrâ, quæ sæpe voluntatem pro ipso facto reputat. Sic quoad bonitatem et meritum patet ex Gen. 22. v. 16, 17, ubi Deus dixit Abrahæ, qui filium immolare tantum voluit; "Quia *fecisti* hanc rem, *nec pepercisti* filio tuo .... *benedicam* tibi." Et quoad malitiam, ex Matth. 5, 28, ubi Christus: "Qui viderit mulierem *ad concupiscendam* eam, jam *mœchatus* est eam in corde suo." — Nec obstat obligatio declarandi actum externum in confessione; declarari enim debet, quia ex interno actu voluntatis et

[1] 1. 2. q. 71. art. 6.
[2] S. Th. 1. 2. q. 19. art. 4.

[1] Tr. Præamb. n. XLIV.

externo operis unus idemque exurgit actus moralis. Nec etiam obstat *aureola*, quæ martyribus, doctoribus, virginibus tribuitur, et non conceditur iis, qui interne parati sunt eadem pati et facere quæ illi fecerunt et passi sunt; aureola enim est præmium seu gaudium quoddam *accidentale;* in responsione autem nostrâ agitur de merito *substantiali*. Nec demum obstat, quod *realis* susceptio Sacramenti majores effectus conferat, quam *sola voluntas* illud suscipiendi; in quæstione enim agitur non de æquali *effectu* actus interni et externi, sed de æquali eorundem *moralitate* et *imputabilitate*. Præterea effectus realis susceptionis Sacramenti provenit ex privilegio Christi, qui voluit, ut ea valeat *ex opere operato;* non vero ratione majoris bonitatis in suscipiente.

Resp. 2° *Per accidens* plerumque actus externus auget moralitatem, quia sæpissimè est occasio, cur augeatur bonitas vel malitia actûs interni, v. g. ut protrahatur, aut multiplicetur, etc. Actus enim internus adaugetur propter arduitatem boni operis externi vel ob delectationem mali, aut propter longiorem temporis moram in opere externo perficiendo necessariam. Aliunde sæpe adest in opere externo scandalum aut damnum proximi, aut è contrario ejus ædificatio, ex quibus augetur etiam actus interni moralitas. Ita *communiter Theologi*.

ARTICULUS II.

DE FONTIBUS MORALITATIS.

Fontes moralitatis nuncupantur ea, ex quibus actus humanus suam distinctam desumit bonitatem vel malitiam.

Tres moralitatis fontes numerantur, scilicet 1° objectum; 2° circumstantiæ ejusdem; 3° finis agentis. Tria hæc omnino ad actum bonum requiruntur; si vel unum malum sit, actus malus evadet. Hinc pervulgatum axioma: *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quocumque defectu.*

§ I. *De objecto.*

26.—Objectum est res illa, circa quam actus versatur, nempe quam actus prosequitur aut fugit. Sic in furto objectum materiale est res, quæ subripitur; in actu justitiæ est res aliena, quæ redditur; in peccati detestatione est mala actio, quæ perpetrata fuit. Jam vero hoc objectum potest esse aliquid sive bonum, ut venerari parentes, — sive malum, ut aliena surripere, — sive indifferens, uti ambulare, loqui, dormire. Rursus aliquid potest esse vel malum ex naturâ suâ, uti ebrietas, — vel malum tantum, quia est prohibitum, ut manducare carnes die Veneris sine licentiâ. Objecta autem intrinsece mala sunt triplicis classis, scilicet

1° Quædam talia sunt *absolutè*, et independenter ab omni circumstantiâ; quia *ex se* involvunt repugnantiam cum recto ordine *absolute necessario*, ut est odium Dei, blasphemia, etc.

2° Alia sunt *intrinsece* mala, non præcise *in se*, sed ratione adjuncti aut conditionis alicujus, quæ pendet à *dominativâ* potestate Dei aut hominis: talia sunt ablatio rei alienæ, læsio corporis vel famæ, et similia quæ aliquando licita evadunt.

3° Alia tandem mala sunt tantum ratione periculi, quod *ordinarie* adjunctum habent, ut aspectus objecti turpis, lectio pravi libri, etc. . . . . Hæc, datâ justâ causâ, et semoto proximo peccandi periculo, licita fieri possunt.

Actum humanum ab objecto suam distinctam moralitatem desumere, ex hoc patet quod ab illo habeat ut sit talis actio moralis et non alia, i. e. bona aut mala; justitia aut religio; luxuria aut blasphemia.

§ II. *De circumstantiis.*

27. — Circumstantiæ, sic dictæ, quasi actum circumstantes, definiri possunt: "Determinationes accidentales, seu accidentia quædam actûs, sine quibus hic posset quidem quoad substantiam existere, sed quæ tamen ipsi addunt moralitatem aliquo modo aliam ab eâ, quam ille actus jam participat de objecto et fine." Requiritur ergo, ut circumstantia aliquam *moralitatem* actui conferat, ut, e. g. malitiam sacrilegii actui luxuriæ confert circumstantia loci sacri, in quo patratur; at nihil moralitatis confert furto quod dextrâ vel lævâ manu illud fuerit commissum.

Septem numerantur circumstantiarum classes, hoc versiculo expressæ:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

Scilicet: *Quis*, seu qualis sit agens, ut in luxuriâ voto castitatis obstrictus, uxo-

ratus, etc.? — *Quid*, seu quæ accidentalis qualitas aut quantitas objecti, e. g. rei furatæ? — *Ubi*, seu quonam in loco, sacro an profano, commissum sit peccatum, e. g. homicidium? — *Quibus auxiliis*, i. e. quibusnam mediis, instrumentis, etc. usus fuerit agens, v. c. an ope dæmonis malum quis proximo intulerit? — *Cur*, seu ex quali fine, nempe extrinseco, de quâ circumstantiâ seu potius moralitatis fonte, § III. — *Quomodo*, nempe an malitiose, vel bonâ fide; an modo intenso, vel remisso; an advertenter, necne; et quali advertentiâ, plenâ scilicet, an semiplenâ? — *Quando*, i. e. quali tempore, festo, e. g. solemniori, an die feriali popinas quis frequentaverit, vel quanto, odium e. g. perduraverit.

Dico: Actus humanus veram moralitatem desumit ex circumstantiis. Ratio est, quia circumstantiæ actum determinant ut moralem, nimirum ut habentem relationem convenientiæ aut disconvenientiæ cum ratione et recto ordine; imo ejusmodi convenientiam aut disconvenientiam interdum solæ circumstantiæ in actum inducunt, ut contingit in actibus ex objecto indifferentibus. Hinc circumstantiæ *aliæ* in eâdem specie morali objectum relinquunt, ut quantitas pecuniæ furto sublatæ vel in eleemosynam tributæ; species enim malitiæ in furto, aut bonitatis in eleemosynâ, non mutatur quantitate pecuniæ sublatæ vel tributæ; — *aliæ* speciem ipsam mutant, seu novam superaddunt: sic malitiæ furti novam speciem, sacrilegii scilicet, superaddit circumstantia quod res ablata sit sacra.

Ex prioribus aliæ malitiam aggravant, aliæ vero minuunt, idque graviter vel leviter. Sic major vel minor pecuniæ quantitas furto sublata, vel in eleemosynam tributa, majorem vel minorem reddit aut furti malitiam, aut eleemosynæ bonitatem, idque vel graviter vel leviter minorem, prout pecuniæ quantitas notabiliter aut non notabiliter major est vel minor.

Si vero circumstantiæ transferunt peccatum de veniali in mortale, aut vice versâ, tunc dicuntur mutare speciem non *objectivam*, quam tantummodo augent vel minuunt, sed *theologicam* seu *demeritoriam*. Sic furtum unius centesimæ non differt quoad virtutem, cui opponitur, a furto nummi aurei; differt tamen quoad culpam, nempe theologicè, quia furtum unius centesimæ, utpote leve peccatum, non meretur gratiæ et gloriæ privationem, uti furtum nummi aurei, utpote mortale.

Quær. *An circumstantia leviter mala totum actum bonum semper corrumpat?*

Resp. Neg. Etenim substantia actûs boni, non obstante ejusmodi circumstantia, illæsa manere potest; unde actus ille nonnisi ex parte inficitur. Sic v. gr. agens non amittit totum meritum boni operis, nec præcipuam ejus partem, licet alicui tentationi vanæ gloriæ *incidenti* consensum præstiterit.[1] *Vide dicenda infra de fine.*

§ III. *De fine.*

28. — Finis in genere est id, cujus gratia aliquid vel per se est, vel ab agente fit.

Hinc duplex est, sc. *finis operis* et *finis operantis*. *Prior* dicitur, qui operi ipsi intrinsecus est, et ad quem opus per se, et independenter ab arbitrio et voluntate operantis, dirigitur, qui inde finis *proprius* et *intrinsecus* dicitur. Sic levamen pauperis est finis eleemosynæ. *Posterior* vocatur ille, qui est extrinsecus operi, et ad quem agens ad libitum intentionem suam dirigit, seu quem agens sibi præstituit. Sic finis medici medicinam suppeditantis potest esse vel ægroti sanitas, vel pecuniæ aut gloriæ consecutio. De solo fine operantis dicendum nobis est, quippe qui solus proprie finis dicitur.

Hic autem est 1° vel *primarius*, qui influit in actum uti causa efficiens, ita ut sine illo actus non fieret, vel *secundarius*, qui allicit tantum ad agendum, quin tamen sit actionis causa efficiens. Sic sacerdos celebrando missam primario intendit Dei cultum, secundariè stipendium.

2° *Intermedius* vel *ultimus*, prout ad alium finem refertur, vel voluntas in eo quiescit. Iterum finis ultimus, est vel a) *positive* aut *negative* ultimus, prout intenditur, vel non intenditur cum exclusione alterius finis; vel b) *explicite* aut *implicite* intentus, prout agens *expresse* aut *virtualiter* tantum hujusmodi fine impellitur. Sic media quibus avarus augere studet opes, in quibus collocat suam beatitudinem seu *ultimum* finem, dici possunt totidem fines *intermedii*. Quodsi in opibus volun-

[1] Billuart, diss. 4. art. 4.

tas ita quiescit, ut Deum excludat, hæ finem *positive*, alias *negative* ultimum constituent. Rursum, si Deum expresse excludat, erunt illæ finis ultimus *explicite* intentus; si non expresse, sed ita agat, ut dici debeat eum facto suo excludere, — ut si ad augendas opes mortalia in materia justitiæ committat, — erunt illæ finis ultimus *implicite* intentus; Deo enim per mortale peccatum renuntiat.

Dico: 1° Actus humanus veram moralitatem a fine desumit. Ratio, quia finis potest dicere ordinem conformitatis, vel deformitatis ad rectam rationem. Sic rectæ rationi conforme est non solum dare eleemosynam, sed etiam eam dare in peccatorum remissionem; sicut pariter rectæ rationi repugnat non solum furari, sed etiam furari ad se inebriandum.

Dico; 2° Peccat qui agit propter *solam* delectationem. Ratio est, quia ille agit inordinate, perverteus ordinem rerum, ab auctore naturæ institutum. Etenim juxta ordinem, ab auctore naturæ institutum, delectatio est propter operationem, et non vice versâ: scilicet delectatio, v. g. in comedendo vel bibendo, est sicut sal et condimentum quoddam, quod inservit ad alliciendum ad actiones vitæ necessarias, vel utiles. Igitur delectatio est tantum medium ad actiones illas facilius, melius, constantius efficiendas, non autem finis ultimus actionis. Sic enim S. Thomas: *Divinus intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes apposuit propter operationem.*[1] Confirm. ex propos. 8. ab Innocent. XI. damnata. — Attamen hæc deordinatio *per se* non est gravis, et proinde peccatum veniale non excedit; quia *ordinarie* finis ultimus non excluditur, ne implicite quidem, nisi agatur de iis, "*Quorum,*" ut ait Apostolus, "*Deus venter est.*"[2]

29. *Resolves.* — 1° Omnis electio mali medii est mala, sed non e converso omnis electio boni medii est bona. Sic nemo laudatur ex eo, quod abstineat a potu ex avaritiâ: reus autem habendus est, qui furatur pecuniam ad eleemosynam faciendam.

2° Qui eligit medium honestum ad finem honestum, ponit actum duplicis honestatis, si utraque honestas sit intenta. Item duplicis malitiæ reus est, qui eligit medium malum ad finem malum, puta si quis pecuniam furetur, ut se inebriet.

3° Qui adhibet medium malum ad finem bonum, contrahit tantum malitiam medii, v. g. si quis mentiatur ad proximum è periculo liberandum. Item vice versâ qui adhibet medium honestum ad finem malum, contrahit tantum malitiam finis.

4° Qui adhibet medium indifferens ad finem bonum vel malum, contrahit tantum bonitatem vel malitiam finis. Sic v. g. si iter arripias, ut peregrino viam indices, habes tantum meritum finis; item si canas, ut alteri molestiam facias, habes tantum finis reatum.

30. QUÆSITA. — Quær. 1° *An finis quilibet malus totam actûs bonitatem corrumpat?*

Resp. 1° Finis graviter malus semper actum omnino inficit, quantumvis bonum sit objectum in se. Actus enim ille nullâ ex parte bonus esse potest, si quidem agens, peccando mortaliter, à Deo totaliter recedit. Sic si quis puellæ egenti eleemosynam dat, ut eam ad peccatum alliciat, licet etiam ut paupertatem ejus sublevet, actus omnino inficitur a fine malo.

Resp. 2° Finis leviter malus etiam totum actum corrumpit, si sit finis *totalis*, vel saltem *primarius* agentis. Etenim si sit *totalis*, totum objectum complectitur, et proinde totum inficit, quia agens malo fine vult bonum sub ratione mali, et ideo, prout est volitum ab ipso, est malum.[1] — Constat etiam ex verbis Christi:[2] "*Si .... oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.*" Hinc dona Cain, licet in se bona, Deo displicuerunt, utpote a malo fine provenientia. Si vero duplex habeatur finis, et malus sit *primarius*, eodem modo est resolvendum, quia actus ille adhuc eligitur, ut sit instrumentum ad malum, et proinde substantialiter vitiatur, ut si quis eleemosynam dat ex misericordiâ et ex vanâ gloriâ, non daturus si non expectaret hominum laudes.

Resp. 3° Si autem finis, leviter malus, sit mere *secundarius, probabilius* non cor-

[1] S. Thom. 1. 2. q. 4. art. 2.
[2] Philip. 3. 19.

[1] S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 7.
[2] Matth. 6. 23.

rumpit totum actum, qui est partim bonus, partim malus. Ratio est, quia actus ille bonitatem suam ex objecto retinet; finis autem malus se habet tantum *concomitanter*, nec in ipsam actionis substantiam influit. Si secus esset, pauciores actus boni reperirentur. — Exemplum habes in eo, qui ex sincero misericordiæ affectu pauperi velit dare eleemosynam, sed quia pauper publice petit, subintrat etiam stimulus vanæ gloriæ, qui non repellitur.

31. — Quær. 2° *An omnes actiones, ut moraliter bonæ sint, motivo caritatis informari debeant?*

Resp. Neg. Actus enim ex motivo aliarum virtutum eliciti sunt per se boni, ut sunt actus Fidei, Spei, etc. . . . . Constat etiam ex *Conc. Trid. S. XIV. c.* 4. ubi declaratur, attritionem esse donum Dei et disponere pœnitentem ad justificationem. Item *S. VI. can.* 31. ubi dicitur: "*Si quis dixerit justificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit.*"

Quær. 3° *An omnes actiones nostræ, ut honestæ sint, ad Deum referri debeant ex motivo supernaturali, seu quod per Fidem apprehendatur?*

Resp. Neg. Secus enim omnia opera infidelium essent peccata, quæ doctrina ab Ecclesiâ damnata est.

Quær. 4° *An omnes actiones nostræ ad Deum referri debeant, juxta verba Apostoli:*[1] "*Omnia ad majorem Dei gloriam facite*"?

Resp. Communius cum S. Thoma docent D. D.[2] verbis Apostoli reipsa præceptum contineri, cui tamen satisfacit per *virtualem* omnium operum relationem ad Deum. Per se patet præter hanc virtualem relationem, ex parte agentis, requiri etiam, ut actus ipse aptitudinem habeat, ut possit in Deum referri, i. e. nullam inordinationem culpæ mortalis aut venialis contineat, quâ impediatur, ne sit in Deum referibilis. — Ut vero præceptum Apostoli *perfectiore et salubriore modo* adimpleatur, sæpius in die, saltem mane, actus generaliter Deo offerre oportet: verumtamen hoc sufficit, et non requiritur, imo ne quidem expedit, ut omnia, sive verba, sive opera, actualiter ad bonum honestum referamus, utpote onus intolerabile et res sexcentis implexa scrupulis.[3] Unde quamvis aliquis accedens ad mensam, non cogitet de conservatione vitæ, sed solum de cibi delectatione, ut ait Gonet, non propterea peccat, quia talem delectationem, saltem virtualiter vult propter conservationem vitæ, sicque non inordinate appetit. Cfr., si lubet, *Vind. Alph.*[4]

[1] 1. Cor. 10. 31.
[2] L. II. Tr. Præamb. n. XLIV.
[3] S. Alph. l. c.
[4] p. 127 sq. 145 sq.

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

32. *Definitio.* — Conscientia est dictamen practicum rationis, seu judicium practicum, quo judicamus aliquid posse vel debere fieri, quia bonum vel præceptum, aut omittendum esse, quia malum.

Hinc differt a *synderesi*, quæ est *judicium habituale speculativum* principiorum generalium, v. g. *peccatum esse vitandum, virtutem esse diligendam*, etc. Conscientia vero est *judicium actuale practicum*, quo principium generale applicatur actioni peculiari, v. g. *non debeo condiscipulum meum hac injuria lacessere; debeo hac in re superioribus meis tamquam Deo ipsi obtemperare*, et hinc conscientia recte vocatur *præco legis*, aut ut S. Bonaventura[1] loquitur, "præco Dei et nuntius"; nam "quod dicit, non mandat ex se, sed mandat quasi ex Deo; sicut præco cum divulgat edictum regis." Differt pariter a *conscientiositate* (*conscientiousness*), quæ est *habitus* dictamen conscientiæ prompto animo exsequendi.

Divisio. — I. Ratione objecti, circa quod judicium practicum versatur, alia est *vera*, alia *erronea* (seu *falsa*), alia *perplexa*.

II. Ratione assensus in ipso agente, alia est *scrupulosa* vel *laxa*; alia *certa* vel *dubia*; alia *probabilis* vel *improbabilis*.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIA VERA, FALSA ET PERPLEXA.

33. *Definitio.* — Conscientia *vera* ea est; quæ ex veris principiis recte concludit aliquid esse licitum vel illicitum, quod revera tale est, ut si quis ex vero hoc principio: parentibus peccatum præcipientibus non licet obedire, inferret: ergo illicitum est mihi hoc furtum patrare quod mihi præcipiunt. — Conscientia vera, stricte loquendo, non eadem est ac conscientia *recta*, quanquam nonnunquam promiscue usurpentur; nam *verum* dicitur juxta quod est, *rectum* autem juxta quod apprehenditur. Nempe *verum* est illud, quod revera in se tale est; *rectum* vero est illud, quod fit juxta prudentiæ regulas. Unde conscientia recta prædicari potest etiam de eo, qui laborat conscientia invincibiliter falsa; nam iste prudenter operatur, cum operetur ex intima persuasione insuperabili. Exemplum habes in eo, qui ex invincibili errore putat non esse jejunium, quando revera est. Hujus conscientia non est quidem vera, sed tamen recta.

34. — Conscientia *falsa* (seu *erronea*) ea est, quæ dictat tanquam verum et licitum, quod tamen in se falsum est et illicitum.

Duplex distinguitur: *invincibilis* et *vincibilis*. Invincibilis est, quæ moraliter vinci non potest, cum nulla cogitatio neque dubium erroris, ne in confuso quidem, veniat in mentem operantis, dum ponit actionem vel ejus causam. Vincibilis vero ea est, quam operans potest quidem et debet vincere, quia a) errorem jam advertit, vel saltem de eo dubitat, atque b) simul advertit ad obligationem illum vincendi; attamen c) vincere negligit. Sic invincibiliter erronea est conscientia in eo, qui ne in confuso quidem advertens esse diem Veneris, carnes manducat; vincibiliter vero in eodem, si suspicans esse diem jejunii, advertit ad obligationem de re inquirendi, et tamen inquirere negligit.

35. PRINCIPIA. — I. Conscientia vera, *præcipiens*, semper sequenda est. Conscientia enim est præco legis, seu Dei, in casu vere præcipientis; ergo qui conscientiæ veræ obedire recusat, ipsimet Deo obedire recusat.

II. Conscientia invincibiliter erronea

[1] II Sent. d. 39. a. 1. q. 3.

præcipiens pariter in omni casu sequenda est; quia omnino æquiparanda est subjective conscientiæ rectæ, et quia, juxta Apost. *Omne . . . . quod non est ex fide* (seu juxta conscientiam) *peccatum est.*[1] Sic, qui putat esse jejunium, quando non est, ob erroneam conscientiam peccat contra præceptum, si non jejunet.

Item si quis mentiatur ad liberandum proximum e periculo vitæ, putans inculpabiliter se ex charitate ad id teneri, actum bonum ponit, et, si non mentiatur, contra caritatem peccat.

III. Conscientia invincibiliter erronea *permittens* eximit ab omni peccato, quia ibi nullum potest esse peccatum, ubi nulla malitia apprehenditur. Sic, ut in eodem exemplo maneamus, non peccat mentiens ad liberandum proximum e periculo vitæ, putans invincibiliter id sibi in casu licere.

IV. Non licet sequi conscientiam vincibiliter erroneam sive permittentem, sive præcipientem, quia, cum ex hypothesi error sit vincibilis, quisquis agit cum tali conscientia, errat voluntarie. Nec licet agere contra eam præcipientem, quia sic agens illud facit, quod judicat prohibitum, ideoque peccat. Proinde ante actionem illa conscientia per inquisitionem veritatis deponenda est. Sic, qui cum aliquo dubio putat sibi mentiendum vel furandum esse, ut proximo succurrat, non potest talem conscientiam sequi nec contra eam facere; sed debet, si possit, inquirere, eam deponere, et postea operari; talis enim error est vincibilis.

Agens tamen contra conscientiam vincibiliter erroneam non incurrit pœnas latas in transgressores illius legis, contra quam ex errore putat se agere; quia pœnæ infliguntur transgressoribus legis veræ, non putativæ. Sic, v. g. qui percutit laicum putans illum esse clericum, non incurrit excommunicationem.

36. — Conscientiam sui pœnitentis confessarius facilius judicare poterit fuisse invincibiliter erroneam:

1° Si res ignorata non sit circa prima principia moralia, vel circa conclusiones iis proxime connexas; hæc enim a natura ipsa in omnium cordibus insculpta sunt. Hinc si quis fateatur se in anteacta vita aperte inhonesta perpetrasse, sed illa non habuisse uti peccata, ne facile illi credas, nisi agatur de peccato a puero aut rudi, vel cum circumstantia aliquâ apparenter cohonestante commisso, nec per longius tempus protracto.

2° Si non sit circa obligationes proprii status: hæc enim ignorantia ordinarie est culpabilis in causa. Hinc docet S. Thomas non excusari judicem qui in sententia ferenda errat, propterea quod leges ignorat, quas ratione sui officii didicisse tenebatur.[1]

3° Si pœnitens satis diligens sit et accuratus in iis adimplendis, quæ ab aliis hominibus ejusdem conditionis peragi solent; vel, si advertens, se per ignorantiam violasse præceptum, doleat atque tristetur: per hæc enim recte præsumitur illius bona fides.

37. — Conscientia *perplexa* dicitur ea, qua quis putat se peccare, tam si hanc, quam si illam contradictionis partem elegerit. Talis conscientia esset v. g. in illo, qui assistens infirmo, putat se peccaturum esse, tam si infirmum deserat, ut Missæ intersit, quam si ex adverso Missam omittat, ut in cura infirmi domi moretur.

Qui laborat conscientia perplexa, si potest actionem sine gravi damno suspendere, tenetur illam suspendere, quousque peritos consuluerit; nam quisque vitare debet illud, quo putat Deum offendi. Si vero actionem suam suspendere non potest, ut ordinarie evenit, tenetur minus malum eligere; alioquin peccat in excessu, quia in eo liber est. Quod si nequeat discernere utrum sit minus malum, tunc utramvis partem eligat, non peccat; quia est quidem liber physice ratione actus, liber tamen non est moraliter ratione peccati: neque enim peccatum esse potest *in eo quod nullo modo caveri valet.*

CAPUT II.

DE CONSCIENTIA SCRUPULOSA ET LAXA.

38. — Conscientia scrupulosa ea est, quæ levibus fundamentis innixa formidat; seu potius judicat talem actionem esse peccatum, cum tamen non sit; vel esse

[1] Rom. 14. 23.

[1] Quodlibet. q. 17. De consc. a. 4.

peccatum grave, cum tantum sit leve. Ex his patet, quis sit homo vere scrupulosus; errant enim toto cœlo qui scrupulosum vocant christianum illum, qui salutis suæ sollicitus et filiali in Deum suum amore ductus scrutatur omnia opera sua, ne forte in Deum ipsum offendat in aliquo: iste non scrupulosus, sed timoratus appellandus est.

Dicemus breviter de scrupulorum *causis, signis, damnis, remediis*, necnon de *regulis* pro pœnitentibus scrupulosis, eorumque confessariis.

I. *Causæ Scrupulorum.*

39. — Aliæ *intrinsecæ* sunt, aliæ *extrinsecæ*. Intrinsecæ sunt: *indoles* admodum disposita ad suspiciones et timores, uti est melancholica; *infirma capitis valetudo*, præsertim in mulieribus; *ingenii tarditas*, qua quis Dei et Ecclesiæ præcepta non bene percipit; *superbia occulta*, qua quis nimis proprio fidit judicio; *nimia abstinentia* et *vigiliæ immoderatæ*, quibus, capite debilitato, facile conturbatur animus.

Extrinsecæ vero sunt:

1° *Deus*, qui scrupulos permittit in *justis*, ut purgati magis proficiant; in *tepidis*, ut christianæ pietatis officia ferventius obeant; in *pœnitentibus*, ut præteritorum pœnam luant. Porro a Deo scrupuli esse censentur, si iis exagitati meliores evadant.

2° *Dæmon*, qui, *Deo permittente, movere potest melancholicos humores in homine, per quos imaginatio vel errare potest vel turbare ad timorem inordinatum.*[1] Scrupuli a dæmone provenire existimantur, si scrupulosus ad teporem adduci, a virtute retrahi et præcipue ad desperationem inclinari se sentiat.

3° *Societas scrupulosorum*, præsertim si horum consiliis scrupulosi regantur et frequenter de rebus spiritualibus cum iis confabulentur: quibus enim sociamur, hos facilius imitamur.

4° *Lectio librorum*, qui nimis rigidi sunt, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere[2]; sensim enim sine sensu iis assentimur opinionibus, quibus studemus.

[1] S. Antoninus, p. 1ª., A. III. *apud Scavini.*
[2] S. Ambrosius, in Ps. 118.

II. *Signa conscientiæ Scrupulosæ.*

40. — Plurimum interest, ut animarum moderatores discernant veros scrupulosos a falsis. Sæpe enim scrupulosi putantur qui non sunt, et vice versa; et exinde ingentes in directione errores profluunt cum non modico damni spiritualis periculo: multa igitur hic circumspectione opus est. Signa autem præcipua scrupulorum sunt:

1° *Pertinacia judicii*, qua quis renuit parere consiliis confessarii, vel sapientium; et dum varios consulit, nullius judicio acquiescit; imo quo plures audit, eo magis implicatur.

2° *Frequens mutatio judicii* ex levibus motivis, unde frequens inconstantia in agendo, mentisque continua perturbatio.

3° *Timor peccandi in omnibus*, conjunctus cum mentis pertinacia contra judicium confessarii, prudentium, vel etiam contra proprium judicium; unde sequitur frequens interrogatio circa confessarii responsa, et repetita inquisitio, an in agendo juxta consilium datum conscientia immunis à culpa esse possit.

4° *Reflexiones impertinentes* circa circumstantias, quæ in actione adfuerunt vel adesse potuerunt, et *certitudo* in omnibus anxie quæsita.

5° *Obstinatio ad idem peccatum semper repetendum* in confessione, vel ad illud habendum ceu peccatum, quod tale non esse jam pluries a confessario declaratum fuit.

6° *Anxietas continua circa confessiones præteritas*, non obstante judicio confessarii, vel confessionum repetitione.

7° Si excutiendæ conscientiæ non faciat finem, et minutissima explicet.

8° Si signis ridiculis, gestibus, aliisque similibus utatur ad tentationes pellendas: v. g. oculos subito claudat, contrahat supercilia, annuat et renuat capite, secum mussitet: *nolo; recede, diabole.*

Non potest autem, saltem statim, judicari scrupulosus, 1° qui moderate est sollicitus, aut anxius, ne Deum offendat; 2° qui post vitam in peccatis traductam adhuc angitur, nec post confessionem videtur obligationi suæ satisfecisse, sed iterato vult confiteri et peccata expiare; 3° qui deliberate etiamnum consentit in peccata gravia, quamvis post commissum peccatum valde angatur, et anxie confiteatur, nam

justa est anxietatis, saltem moderatæ, causa: potest tamen etiam in hoc haberi verus scrupulosus; 4° qui in uno tantum vel altero casu habet scrupulum transeunter.

Cæterum subinde contingit, ut confessarius non possit post pœnitentem prima vel altera vice auditum statim decernere, an sit scrupulosus, etiamsi hic anxius circa multa appareat; quippe anxietatum justa aliqua ac rationabilis causa adesse potest. Multo autem minus confessarius scrupulosus facile judicare potest, num pœnitens scrupulosus sit, an tantum meticulosus.[1]

III. *Damna Scrupulorum.*

41. — Scrupuli generatim gravia incommoda et damna spiritualia, et sæpe etiam corporalia secum trahunt, modo non sint a Deo immissi, verum ex culpa hominis perseverent. Præcipua autem hæc sunt:

1° Nocent corpori; per continuos enim angores cor constringunt, sanguinem corrumpunt, spiritus vitales consumunt, et caput debilitant.

2° Scrupulosum ineptum efficiunt ad fructuose agendum cum proximo; plerique enim scrupulosi tetrici sunt, et erga domesticos non minus ac erga extraneos morosi.

3° Nocent obedientiæ, aut etiam eam totaliter impediunt; quippe scrupulosus potius nugas et phantasiæ suæ ludibria sectatur, et sic ad agendum impellitur contra Dei voluntatem, quæ illi per patrem spiritualem aut moderatorem manifestatur.

4° Orationis studium et amorem debilitant, aut etiam de medio penitus tollunt; quia vim mentis enervant, ad nugas perducendo distrahunt, anxietatibus animum implent, eumque ineptum ad unionem cum Deo faciunt. Hinc sequitur non solum lucrum spirituale *cessans*, sed etiam ingens *damnum emergens*.

5° Fortitudinem infringunt: quid enim magni audeat, qui totus in nugis occupatur, et neglecta passionum suarum impugnatione tam facile animo dejicitur?

6° Spem valde imminuunt, aut etiam perimunt, quia res demum eo adducitur, ut, amissa in Deum fiducia, in laxitatem declinet. Quomodo enim Deo debite fidet, qui illum ut severissimum exactorem semper intuetur? Scrupulosus igitur, nisi fortiter contra scrupulos pugnet, iis vexatus in desperationem brevi agetur, et cupiditatibus suis fræna laxabit, vel saltem vitam miserrimam et cum magno damnationis periculo ducet.

Si scrupulositas in confessario reperiatur, magis etiam noxia est; quod enim quis sit scrupulosus cum se ipso, *infirmitas* est: quod cum aliis, *contagio* est. Id præterea esse non potest sine ministerii irrisione ac desperatione pœnitentium. Caveat ergo quam maxime confessarius a scrupulis, si velit utiliter muneris sui partes exercere: unde *si* illi proveniant ex ignorantia, studiis vacet; *si* ex nimia subtilitate, ne plus sapiat quam necesse est, sciens se non mathematicum agere, sed moralistam; *si* vero ex quadam, ut ita dicam, pervicacia, qua vult, ut omnes idipsum sentiant quod ipse, sciat unumquemque suum donum habere, et alium quidem *sic*, alium vero *sic*, et ideo quærat quod justum est, non quod suum est.[1]

IV. *Remedia Scrupulorum.*

42. — I. Instanter et confidenter se Deo commendare, *qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.*[2]

II. Scrupulorum causas, quæ in hominis potestate sunt, oppugnare, ut illorum effectus cesset. Superbus ergo suæ prudentiæ ne innitatur; pertinax frangat suum judicium; rudis instruatur; otiosus operetur; timidus Dei bonitatem meditetur; melancholicus solatium capiat; infirmus curetur; aliquando enim ex sanguine incenso malum procedit, etc.

III. Proprii directoris judicio se totum committere; nam scriptum est: *vir obediens loquetur victorias.*[3] Imo hoc unicum dici debet scrupulorum remedium. Cum enim scrupulosorum ratio plane impotens sit, aliud non restat, nisi ut per rationem alienam gubernentur. In hoc nullum temperamentum admittatur.

V. *Regulæ pro Scrupulosis.*

43. — 1° In rebus moralibus non est certitudo in omnibus quærenda. Hoc

[1] Lacroix, Lib. 1. n. 517., etc.

[1] Ita libellus anonymus a S. Alph. ac Benedicto XIV. laudatus. *Istr. per i nov. conf.*

[2] 2. Cor. 1. 4. [3] Prov. 21. 28; L. I. 12.

omnibus, sed præcipue scrupuloso applicandum est.

2° Obedientia summa et cæca confessario præstanda est, et cum magna humilitate et fiducia in omnibus procedendum.

3° Dubium, quod in aliis rationabile videri posset, in scrupulosis omnino spernendum est.

4° Licitum est, imo sæpe obligatorium, et interdum sub gravi, adversus scrupulos decertare.[1]

5° Nunquam iteranda confessio, nisi *certo* invalida fuerit; nec postremæ confessionis examen unquam innovandum est, etiamsi dubium de peccato gravi omisso suboriri videatur.

6° Scrupuli contemnendi sunt; nec unquam secum de his disputandum est a scrupulosis.

VI. *Regulæ pro confessario.*

44. — I. Cum scrupulosis sit *patiens, discretus, prudens, brevis.*

1° *Patiens* ac charitate plenus; cum enim scrupulosorum cura longa sit et ardua, ac miserrima eorum conditio, et nisi fidum amicum nanciscantur, tot tantisque periculis obnoxii sint, commiserationem nostram quam maxime merentur.

2° *Discretus*, adeo ut rite cognoscat quænam sit in pœnitente scrupulorum origo; item scrupulosusne sit in omnibus, an in uno tantum, ut malis congruenter mederi valeat.

3° *Prudens*, in regulis videlicet præscribendis, quæ quidem generales sint oportet; regulis enim particularibus scrupulosi fere nunquam se valent accommodare, quia eas sibi applicare nequeunt. Imo semper dubitant, utrum casus fuerit satis bene explicatus atque perceptus, et an regula sibi præscripta casui illi sit bene accommodata.

4° *Brevis* et dictatorius in suis responsis, et omnia, quoad fieri potest, prompte definiat ac firmiter; secus pœnitens auctoritate ipsius confessarii in sua anxietate confirmaretur.

II. Pro variis scrupulorum objectis sequentia præ oculis habeat.

1° Scrupulosus circa missæ auditionem a) Non angatur de *intentione*; hæc enim adest, quousque non aperte constet se ecclesiam unice adiisse ex alio fine; nec b) de *attentione*, cum sufficiat externa illa, quæ voluntarie nihil admittat, quod sit incompossibile cum advertentia ad illa, quæ in altari geruntur; c) caveat confessarius ne ei permittat aliud Sacrum eum in finem audire, ut scrupulo suo de missa jam audita satisfaciat, idemque caveat cum eo qui

2° Scrupulosus est circa orationes ex obligatione recitandas, ut officium divinum et pœnitentiam sacramentalem. Scrupuloso quoad officium divinum, — si a) de *intentione* sit anxius, dicatur non requiri intentionem satisfaciendi legi ecclesiasticæ, sed sufficere intentionem recitandi, etiam implicitam et virtualem, quam jam habet ille qui breviarium manu suscipit et officium de facto recitat. — Si b) de *attentione*, aperte dicat cum S. Alphonso,[1] ipsum non teneri ad aliquid repetendum, nisi certus sit se *intentionem* orandi abjecisse. — Si c) *de accurata verborum enunciatione*, suadendum, ne inter recitandum hæreat, sed pergat sine ulla anxia sollicitudine, sine compressione vocis, oris aut pectoris, absque motibus impatientiæ vel tristitiæ. Demum quademumcunque de causa angatur, ei prohibeat repetitionem, et si graves anxietates patiatur, etiam recitationem officii.[2] Quoad pœnitentiam sacramentalem, idem, servata proportione, teneto. Juverit præterea faciliores tantum pœnitentias illi imponere eique dicere mentem suam (confessarii nempe) semel pro semper esse, ut preces impositas materialiter tantum et mechanice recitet, ita ut satisfaciat licet eas cum voluntaria distractione pronuntiet.

3° *Scrupulosus circa præteritas confessiones.* Si anxietas respiciat — a) præparationem ad sacramentum, tutum eum reddat docens non requiri nisi diligentiam et præparationem ordinariam. — Si b) ipsam confessionem, quod videlicet nesciat an quædam confessus aut ea integre confessus sit, jubeat de præteritis omnino tacere, præsertim si confessionem generalem jam peregerit; omnia enim peccata innocenter prætermissa *indirecte*, vi absolutionis jam datæ, esse ablata, neque teneri quem cum tanto suo incommodo scrutari præterita, ut singula peccata remittantur *directe*. Quodsi nihilominus angi pergat, affirmet-

[1] L. I. 17.

[1] L. V. 177. in fine. [2] Ib.

que se certo scire aliquid oblitum se fuisse, jubeat eum juramento confirmare hæc tria 1° Peccatum certo fuisse commissum; 2° in mente sua mortale fuisse dum commisit; 3° certo eum illud in confessione oblitum fuisse. Si prompte juret, audiat; secus, si cunctetur. — Si c) contritionem ac consequenter efficaciam absolutionis, doceat eum non esse repetendas confessiones, nisi certo constet eas fuisse invalidas.

4° Scrupulosus circa consensum pravis cogitationibus contra castitatem, fidem aut charitatem præstitum, jubeatur has cogitationes velut mera phantasmata despicere, et nisi jurare possit, se eisdem certo et vere consensisse, ab earundem confessione abstinere.

5° Scrupulosis, qui in *omnibus* fere actionibus anguntur timore peccandi, injungendum est, ut strenue contra scrupulos agant, ab iisque confitendis abstineant, nisi *certissimi* sint ibi adesse peccatum. Quamvis enim sic agendo interdum materialiter peccent, non peccabunt formaliter, ratione obedientiæ, quam confessario præstare debent.[1] Nec refert ipsos cum actuali timore peccandi operari; neque enim ideo contra *dictamen* conscientiæ, sed contra vanam tantum *apprehensionem* agunt, quæ vana apprehensio tollere nequit judicium de actionis honestate, antea ex confessarii judicio vel alio modo formatum.

45. — Conscientia *laxa* ea dicitur, quæ ex leviori ratione id, quod illicitum est, licere judicat; vel veniale tantum peccatum ibi reperit, ubi est mortale: ea videlicet, quæ absque sufficienti ratione judicium in favorem libertatis inflectit, vel ad legem vitandam, vel ad minuendam culpæ gravitatem.

Quam maxime periculosa est ejusmodi conscientia, ut facile patet attendenti; nam animas injicit in *viam latam, quæ ducit ad perditionem.*

Tripliciter distingui potest, scilicet 1° conscientia *laxa simpliciter*, quæ tendit ad libertatem plus æquo extendendam; 2° conscientia *cauteriata*, quæ ex diuturno peccandi habitu peccata gravia, quin etiam gravissima, nihili pendit; 3° conscientia *pharisaica*, quæ magna parvi, et vicissim parva magni facit. Nomen ducit ex Pharisæis, qui gravissima legis mandata spernebant, dum non lotis manibus manducando, inanesve traditiones prætereundo, se magni peccati reos existimassent.

46. — Quæ ad conscientiam laxam generatim pertinent, his paucis complecti licet.

I. Graviter ille peccat, qui scienter laxæ conscientiæ obsequens, legem aliquam in re gravi transgreditur. Et sane hujusmodi ignorantia, utpote voluntaria, facile superari potest: ergo ipsius ignorantiæ prætextu a peccato lethali excusari nequit.

II. Imo graviter in re levi peccare potest, si sua illum temeritas ad agendum, quovis dictamine prætermisso et contempto, impellat.

Quær. *Quænam sint conscientiæ laxæ causæ, effectus et remedia?*

Resp. ad primum. Causæ sunt omissio orationis; animi tepor; sollicitudo nimia temporalium; familiaritas cum hominibus peccaminosis; peccandi consuetudo, quæ peccati horrorem tollit; vita mollis, quæ cor enervat et a rebus spiritualibus avertit.

Resp. ad secundum. Effectus sunt cæcitas mentis; durities cordis, quod vix ullis mediis moveri solet; obduratio in malo, quæ summum salutis periculum inducit, juxta illud Apost. [1] *Secundum duritiam tuam, et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.*

Resp. ad tertium. Remedia sequentia inter alia proponi possunt: humilis et assidua oratio; sacra exercitia; pia novissimorum meditatio, juxta illud: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis;* [2] frequens piorum librorum lectio; quotidiana conscientiæ discussio; recursus frequens ad Pœnitentiæ sacramentum; malorum fuga et conversatio cum bonis.

[1] L. I. 17.

CAPUT III.

DE CONSCIENTIA CERTA ET DUBIA.

ARTICULUS I.

DE CONSCIENTA CERTA.

47. *Definitio.* — Conscientia certa ea est, qua quis firmiter et absque errandi formidine judicat aliquid esse bonum vel malum.

[1] Rom. 2. 5. [2] Eccli. 7. 40.

Divisio. — Certitudo triplex distingui solet:

1° *Metaphysica*, quæ competit iis propositionibus, in quibus attributum subjecto essentialiter convenit, atque adeo immutabilis est.

2° *Physica*, quæ fundatur in ordine constanti, quo mundus regitur; hæc firma consistit, quatenus leges physicæ constantes sunt, et constantes fuisse censentur.

3° *Moralis*, quæ nititur legibus, quibus homines in suis actibus reguntur.

Iterum certitudo moralis subdividitur in *perfectam* et *imperfectam*. *Prior* ea est, quæ ita fundatur legibus moralibus, ut clare percipiatur, propositionem falsam esse non posse. Hæc ad certitudinem metaphysicam mediate reducitur. *Posterior* ea est, quæ competit iis propositionibus, in quibus errorem esse *absolute* non repugnat, quamvis *rarissime* contingere id possit. Hæc varios gradus admittit.

Item certitudo alia est *directa*, quæ obtinetur per certa argumenta materiæ intrinseca; alia *indirecta*, quæ habetur ex principio aliquo extrinseco, ex hoc, v. gr. quod illud sit licitum, quod non probatur esse illicitum.

PRINCIPIA. — I. Sola conscientia certa est recta regula morum. Ratio est 1° quia omne quod non est ex fide, peccatum est.[1] Fides namque hoc loco est conscientia. 2° quia agens cum conscientia non certa violat obligationem de veritate inquirendi, et ideo peccat formaliter.

II. Sufficit conscientia moraliter certa, etiam imperfecta. Ratio est, 1° quia agens cum tali conscientia vere ex fide agit; 2° quia certitudo absoluta plerumque haberi nequit; 3° quia constat ex sententia communi Doctorum, et ex praxi universali.

Ex dictis evidens fit conscientiam posse esse certam, quin tamen sit vera, uti est conscientia invincibiliter erronea: certa videlicet *subjective*; non tamen vera *objective*. Certa igitur eadem est ac recta.

ARTICULUS II.

DE CONSCIENTIA DUBIA.

48. *Definitio.* — Conscientia dubia est suspensio judicii circa bonitatem vel malitiam alicujus actus in particulari. Id nempe evenit, quando conscientia assensum suum suspendit pro utraque parte dubii, et remanet anceps et hæsitans circa actionis suæ moralitatem. Cum porro conscientia sit judicium rationis practicum, et hic non habeatur nisi judicii suspensio, patet, conscientiam dubiam non esse conscientiam veri nominis et proprie, sed improprie tantum et usu Scholarum acceptam.

Divisio. — Dubium dividitur:

1. In *positivum* et *negativum*. Positivum est quando pro utraque parte stant rationes æquales, aut ferme æquales. Negativum est cum ex neutra parte suppetunt rationes, vel non suppetunt nisi admodum leves. Sicut statera stat in suspenso sive in æquilibrio, tam si nulla, quam si æqualia in utraque lance pondera ponantur, ita a pari homo dubius hæret in sua inquisitione, tam si nullas habeat rationes, quam si habeat æquales pro duplici contraria opinione.

2. In *dubium juris* et *dubium facti*. *Dubium juris* est quando dubitatur *vel* de lege, v. g. an jejunium tali die revera in lege præceptum sit? *vel* de ejus obligatione, v. g. an lex jejunii in tali casu obliget, necne? *vel* de legitima legislatoris auctoritate, v. g. an possit in tali casu jejunium præscribere? *Dubium facti* est quando dubitatur circa aliquod factum, v. g. an medicina, quam sumpturus sum, sit salutaris an venefica; an, qui latet in sylva, sit homo an potius fera?

3. In dubium *speculativum* et *practicum*. *Speculativum* est quando dubitatur de bonitate vel malitia actionis *in se*, abstrahendo a præsentibus circumstantiis: v. g. an pingere die festo sit opus servile, necne? *Practicum* est quando dubitatur an actio singularis, cum circumstantiis suis et in ordine ad finem agentis, sit licita an illicita? v. g. an liceat mihi in his circumstantiis constituto facere opus servile die festo? an liceat mihi famulo hac in re domino meo præcipienti obtemperare? Quare inter utrumque dubium idem intercedit discrimen (quod intercedit sane latissimum), ac inter verum et licitum. Dubium nempe *speculativum* licet in obliquo et secundario, seu consequenter, respiciat etiam licitum; in recto tamen et principaliter respicit verum. Dubium vero *practicum* respicit directe, immediate et primario

[1] Rom. 14. 23.

ipsum licitum. Pro duplici hac dubii specie etiam ipsa conscientia dubia potest, imo debet, cum S. Alphonso dupliciter dividi, nempe in conscientiam *dubiam speculative* et conscientiam *practice dubiam*.

49. PRINCIPIA. — I. Dubium mere negativum pro nihilo habendum est, quia ratione prorsus nulla, aut valde levi fundatur: proinde, etsi illud maneat, urget tamen obligatio, vel stat libertas, prout antea existebat; nec efficere potest, ut moralis certitudo oppositi subvertatur. Verum, si tibi prudens suspicio de errore oriatur, ad inquirendum teneris. Itaque cum posthac casus dubii negativi occurrent, eos, ista regula semel statuta, facile dilues, et idcirco ad solum dubium positivum attendemus.

II. Nunquam licet operari cum conscientia *practice dubia*, sed pars tutior est sequenda. Ratio patet ex modo dictis *de conscientia certa, principio I. n.* 47. — Licet autem quandoque operari cum conscientia speculative dubia, cum scilicet, deposito dubio practico ex dictamine practice certo, seu ex principiis reflexis certis, conscientia efformatur, ut mox agendo de Probabilismo dicemus.

50. *Resolves.* — 1° Quoties quis dubitat, utrum actus, quem hic et nunc est posturus, sit licitus necne, diligentiam veritati inquirendæ, pro rei gravitate et personæ locique conditione congruam, adhibere tenetur; probos nempe et peritos consulere, eorum praxim investigare, rationesque solo veritatis studio perpendere: secus enim periculo legis violandæ ex inquisitionis negligentia se exponit, et in eo ipso peccat.

2° Si inquirere non possit, nec per se rationes utriusque partis perpendere valeat, nec alia ratione, v. g. per principia reflexa, a dubio se expedire, tutiorem partem amplectatur; quia secus ageret in dubio *practico*, id est, cum conscientia vere dubia, ac sine ullo *certo* de actionis honestate judicio.

3° Qui diligenti ac sufficienti inquisitione peracta etiamnum dubitat, an adsit lex præcipiens aut prohibens, huic obtemperare non tenetur; quia efformare sibi conscientiam potest ex principio *reflexo*, scilicet non posse obligare legem, quæ inveniri non potest, ut infra, ubi de *Probabilismo*, dicetur.

4° Inepte agunt, qui post actum jam commissum vel omissum apud doctores vel a confessario inquirunt, utrum peccaverint; nam peccatum præteritum non pendet a sequenti judicio doctoris aut confessarii, sed a dictamine practico, quod quis in agendo habuit. — Prudenter tamen facit qui interrogat, ut veritatem cognoscat, quo pacto scilicet in futurum in simili casu se gerere possit aut debeat.

51. QUÆSITA. — Quær. 1° *An graviter peccet operans cum dubio practico de peccati gravitate?*

Resp. Affirm. Qui enim agit cum conscientia practice dubia, secundum communia principia peccat eâ peccati specie tum morali, tum theologicâ, de qua practice, dum agit, dubitat. Ratio est, quia obligationem sane gravem violat præcavendi, ne per ignorantiam aut inadvertentiam voluntariam incidat in legis transgressiones, quæ graves esse possint.

Quær. 2° *An peccet graviter, qui scit actionem suam esse malam, sed ad ejus gravitatem non attendit?*

Resp. Alii censent hunc peccare graviter, vel leviter, prout objectum peccati in se est grave vel leve; alii vero semper graviter; alii demum, quorum opinionem S. Alph.[1] satis probabilem habet, venialiter tantum, dummodo tamen, addit S. Doctor, 1° periculum graviter peccandi, aut obligationem rem investigandi, non saltem in confuso apprehendat; 2° objectum non sit *per se* mortale; 3° sit timoratæ conscientiæ.

CAPUT IV.

DE CONSCIENTIA PROBABILI ET IMPROBABILI, DEQUE PROBABILISMO MODERATO S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO.

ARTICULUS I.

NOTIO PROBABILITATIS.

52. — Opinio probabilis dicitur, quæ gravi nititur fundamento, sive intrinseco rationis, sive extrinseco auctoritatis, ita ut valeat ad se trahere assensum viri prudentis licet cum formidine erroris.

Probabilitas igitur, 1° aliquid opinioni

[1] L. I. 23.

addit, motivum nempe solidum, sed non tollit formidinem, eamque prudentem, ne contradictoria sit vera. — 2° Inter opinionem probabilem et *certam* hoc discrimen intercedit, quod hæc omnem prudentem falsitatis formidinem excludit, ita ut opposita sententia reputetur omnino improbabilis.[1]

Variæ probabilitatis species. Probabilitas varie distinguitur.

1° Ratione *objecti*, alia est *speculativa* sive *facti*, quæ versatur circa opinionis veritatem, v. g. an pingere die festo sit opus servile vel liberale; an contractus cum tali conditione initus sit usurarius necne; an sacramentum cum tali materia collatum sit validum aut nullum; — alia *practica* sive *juris*, quæ versatur circa licitum usum opinionis probabilis, seu circa actionis honestatem formalem, v. g. an liceat die festo pingere; an contractum cum tali conditione inire; sacramentum cum tali materia conferre. Cfr. n. 48. 3.

Probe itaque, ut supra jam diximus, distinguendum est *verum* a *licito*; dubium enim speculativum, quamvis *mediate* et *consequenter* respiciat licitum, prout ex allatis exemplis liquet, *immediate* tamen et *principaliter* respicit verum; dubium autem practicum omnino respicit licitum.[2]

2° Ratione *fundamenti*, a) — alia est *intrinseca*, quæ nititur ratione gravi, petita ex ipsa natura rei, — alia *extrinseca*, quæ nititur auctoritate gravium Doctorum; b) opinio est *certe* probabilis, quando nititur motivo certe gravi, — *dubie* probabilis, quando dubie gravi, — *tenuiter* probabilis, quando levi, ejusmodi nimirum quod non valet assensum viri prudentis ad se trahere.[3]

Tenuis probabilitas non est *vera* probabilitas, ut patet ex ipsa definitione; quemadmodum tenuis fortitudo aut tenuis peritia dici nequit *vera* fortitudo et *vera* peritia, sed potius dicenda est imbecillitas et imperitia. Æquivalet ergo meræ possibilitati, quæ non est æstimanda, quia parum pro nihilo reputatur, ac consequenter tenuiter probabile æquiparatur improbabili.[4]

3° Ratione *gradus*, distinguitur *solitaria*, *unica* sive *non impedita*, cui nulla opinio aut ratio probabilis opponatur, — et *comparativa*, cui opponitur opinio æque, minus, aut magis probabilis, prout nempe hæc rationibus æque, minus, aut magis solidis nititur quam opposita.

Porro opinio *probabilior* alia est *paulo probabilior* sive simpliciter *probabilior*, quæ nititur fundamento paulo graviori quam contradictoria, sed simul cum prudenti formidine oppositi, ita ut contradictoria etiam probabilis censeatur. Hujusmodi ergo duæ opiniones sunt fere æque probabiles; parum autem pro nihilo reputatur, siquidem modicus excessus fallax est. Alia est *evidenter et notabiliter probabilior*, cujus fundamenta sunt multo graviora, — aut *probabilissima*, cujus fundamenta sunt gravissima, ita ut sententia hisce opposita censeatur *dubie* aut *tenuiter* probabilis. Notabiliter probabilior et probabilissima practice æquiparantur, quia parum inter se distant.[1]

53. — *Comparatio probabilitatis opinionum oppositarum, juxta mentem S. Alphonsi.* — Postquam varios probabilitatis gradus recensuimus, non abs re erit schema subjungere, quo lector uno intuitu perspiciet, quomodo juxta S. Alphonsum diversæ opiniones sibi invicem opponantur. Opponuntur autem:

1° Sententiæ *moraliter* aut *quasi moraliter certæ* — opinio vel *absolute* vel *simpliciter improbabilis*.

2° Opinioni *certe et notabiliter probabiliori* — *certe et notabiliter minus probabilis*, et ideo *tenuiter* aut *saltem dubie* probabilis.

3° Opinioni *probabilissimæ* — *dubie* probabilis.

4° *Parum probabiliori* — *vere, certe, solide, graviter* aut saltem *satis* seu *sufficienter probabilis*.

5° *Vere* et *certe* probabili — *æque* et *fere æque* probabilis.[2]

54. — Notandum hoc loco est, valde differre *probabilitatem* et *securitatem* opinionum. Probabilitas petitur ex apparentia veritatis; securitas vero ex remotione periculi peccandi; prout autem periculum illud vel omnino vel plus minusve removet, dicitur opinio *tuta*, *tutior* aut *minus tuta*. Potest porro hic considerari periculum peccati *materialis* et periculum peccati *formalis*, et hac ratione opinio minus tuta respectu periculi peccati materialis

[1] L. I. 40.
[2] Ib. 21. 25. 41.
[3] Ib. 40.
[4] Ib. 54. 82.

[1] L. I. 40. 54.
[2] Vind. Alph. p. 8.

(prout generaliter in hac quæstione spectatur), potest esse omnino tuta respectu periculi peccati formalis, quod solum imputatur ad culpam, ut infra probabimus. Demum cùm opinio, quæ stat pro lege, sit tutior, quæ vero stat pro libertate, minus tuta, patet opinionem probabiliorem non esse semper tutiorem; siquidem major probabilitas potest esse in favorem libertatis.

ARTICULUS II.

REGULÆ AD DIJUDICANDAM PROBABILITATEM OPINIONUM.

55. — Sola ratio probabilitatem opinionum constituit. Attamen auctoritas Doctorum tanti roboris est, ut æquiparetur aliquando probabilitati intrinsecæ; quatenus præsumuntur Doctores opinionem, quam tenent, diligenter perpendisse et propter bonas rationes docuisse. Unde probabilitas extrinseca magis æstimanda est ex Doctorum merito et eruditione, necnon ex studio et diligentia ipsorum in rei veritate indaganda, quam ex eorum numero.[1]

Quapropter ad dijudicandum opinionum probabilitatem, sequentes attendantur regulæ.

56. — *Quinam de opinionum probabilitate judicare possint.*

1° De probabilitate *intrinseca* soli viri docti et in re morali versati. Pluries enim viris ingeniosis quidem, sed in scientia morali parum eruditis, videbitur evidens quod periti falsum æstimant.[2]

2° De probabilitate *extrinseca* vir mediocriter doctus, si, statum quæstionis rite intelligens, opinionem assertam inveniat ut probabilem a Doctoribus omni exceptione majoribus, i. e. inter theologos omnino probatis.

3° Indocti, qui per se ipsos Doctores consulere non valent, stare possunt testimonio prædicatorum et confessariorum, quos probos, prudentes et doctos reputant.[3]

57. — *Quandonam opinio ut probabilis habenda sit.*

1° Nisi ratio certa et convincens contra opinionem aliquam militet, certe probabilis habenda est tum ea, quæ, tolerante Ecclesia, communiter vel a plerisque theologis ut probabilis asseritur; tum ea quam simpliciter docent quinque Doctores auctoritate pollentes, aut quam tenet aliquis Ecclesiæ Doctor; tum ea demum, quam aliquis magnus theologus testatur esse probabilem. Magnus autem theologus æstimatur, qui maxima pollet auctoritate apud theologos propter egregiam suam doctrinam, prudentiam et probitatem. Tales sunt: Suarez, Soto, Azor, Cano, Sylvius, Cajetanus, Bannez, Navarrus, Paludanus, Toletus, Sylvester, Lessius, Sanchez, Angelus, Vasquez, Armilla, Valentia, Laymann, Molina, de Lugo, Castropalaus, Bonacina, Emmanuel Sa, Pontius, Cabassutius, Collet, Roncaglia, Salmanticenses, Petrocorensis, Abelly, Cardenas, Coninck, Gamachæus, Isambert, et aliorum, quorum scientia quanta sit undique perspecta est; præter D. Thomam, D. Bonaventuram, D. Antoninum, aut Scotum, quorum auctoritas aliis equidem præponi debet.[1] Quibus postremo loco commemoratis addendus est S. Alphonsus, cujus solius auctoritas tanta est, ut opinio, quam probabilem habet, *extrinse* talis sit habenda.

2° Auctoritas paucorum DD., qui ex professo quæstionem aliquam discutiunt, præferenda est dictis aliorum plurium, qui obiter de illa scribunt. Imo nonnumquam, licet raro, auctoritas unius Doctoris poterit constituere opinionem probabilem, quin etiam probabiliorem, contra communem aliorum, si auctor ille sit valde doctus, probus, prudens, a partium studio liber, nec novitatum amans, validamque afferat rationem, quam alii non consideraverint aut non satis solverint, ipse autem contra commode solvat rationes oppositas.

3° " Casuistarum, qui post damnatas propositiones scripsere, major habenda ratio est, quam antiquorum, in iis quæ ad ipsas confixas sententias spectant, vel cum illis affinia sunt." [2]

4° Circa casus particulares, a theologis non discussos, viro docto ac timorato illa opinio est sufficienter probabilis, quam ipse scit se diligenter examinasse, tum rationes sedulo perpendendo, tum doctos consulendo, quamque sine inordinato affectu judicat esse talem: probabilitas namque non est restringenda ad dubia publica.

Regulas ad dignoscendum S. Alphonsi

[1] Dissert. de usu mod. opin. prob. a° 1763. n. 83. 87.
[2] Dissert. cit. n. 84. [3] L. I. n. 24.

[1] Cfr. Diss. a° 1763. n. 87.
[2] Zachar. Diss. P. II. C. V. Can. VII.

judicium de valore sententiarum, vide, p. lxxxviii. sq.

ARTICULUS III.

MATERIA AD QUAM SE NON EXTENDIT CONTROVERSIA DE USU LICITO OPINIONIS PROBABILIS.

58. — Controversia theologorum de usu licito opinionis probabilis tum tantum moveri potest, quum agitur de solâ actionis *honestate,* minime vero ubi intervenit periculum secuturi alicujus mali, ab actionis honestate distincti. Theologi namque omnes, saltem recentiores, conveniunt illicitum esse opinionem probabilem sequi, quoties ex ejus usu malum aliquod secuturum timetur, quod per dictamen conscientiæ averti non potest quodque vitare tenemur.

Ad hujus dicti intelligentiam animadvertendum est, malum, quod ex actione quadam secuturum esse timetur, posse vel unicum esse vel multiplex, scil. vel solam læsionem honestatis seu peccatum, vel præterea aliud quoddam malum temporale aut spirituale a priori distinctum. Sic v. g. homicidium complectitur tum malum morale seu peccatum, tum malum physicum, seu grave damnum proximi per privationem vitæ.

Priusquam igitur theologorum systemata exponamus de delectu opinionum, quas licite sectari possumus, seponamus oportet materiam, quæ illorum objectum non est.

59. *Propositio.* — Ubi adest periculum mali, quod a conscientia haud pendet et vitare tenemur, semper in dubio pars tutior sectanda est.

Probatur. Quando homo tenetur vitare malum quodpiam, tenetur quoque vitare periculum ejus : hoc quippe perinde est in moralibus. Atqui in dubio speculativo de sola honestate actionis periculum peccati tolli quidem potest : in ejusmodi verò dubio de malo ab actionis moralitate distincto hujus mali periculum removeri nequit. Ergo in priori casu, sublato periculo, cum dubio speculativo agere licet, non autem in posteriori.

Prob. min. In priori enim casu conscientia est principium proximum et formale honestatis actus : atqui in dubio principia reflexa Probabilismi formant conscientiæ dictamen ultimum certum de actionis honestate, ut infra probabimus : ergo periculum peccati formalis tunc omnino sublatum est. Contrarium autem obtinet in casu posteriori. Etenim malum hujusmodi a dictamine conscientiæ nullatenus pendet, sed ab eo quod a parte rei verum est. Proin æque accidere potest, qualiscumque sit agentis conscientia. Ergo nisi sequamur viam certam aut securiorem, non vitamus periculum.

Dictum est : *quod vitare tenemur ;* quandoque enim justa est causa permittendi malum, atque adeo ejus periculum, sive quia inter duo mala minus est eligendum, sive quia via tutior censetur moraliter impossibilis. In ejusmodi ergo casu licebit relinquere viam tutiorem, et minus tutam eligere.

60. *Corollaria.* — Ex probata propositione sequitur, prohiberi præcepto tum religionis, tum charitatis ac justitiæ, usum opinionis, quantumvis probabilis, — sequendam vero esse sententiam tutiorem, vel moraliter certam, ubi agitur de valore sacramenti, de propriæ animæ periculo, aut de damno proximi spirituali vel temporali.

Itaque illicitus erit usus opinionis probabilis :

I. *In administratione et susceptione sacramentorum,* quoad essentialia ; præceptum enim religionis prohibet ne sacramenta periculo frustrationis exponantur. Periculum autem illud timendum haud est, si, vel 1° urgeat necessitas administrandi sacramentum, modo tunc sacramentum conferatur sub conditione ; vel 2° Ecclesia possit et rationabiliter præsumatur supplere, quo casu potest absolute conferri : quod quidem in duobus sacramentis fieri potest, scil. a) in sacramento Pœnitentiæ, si ex justa causa conferatur cum jurisdictione probabili de jure ; b) in sacramento Matrimonii, si adsit impedimentum ecclesiasticum dubium dubio juris.[1]

Hinc damnata est ab Innoc. XI. Prop. 1ª " Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore."

II. *In periculo damni proprii vel proximi :*

1° *In necessariis ad salutem necessitate*

L. I. 48 – 51. L. VI. 57. 573. 901.

medii; ideo v. g. in materia fidei sequenda est religio tutior. Etenim in absolute necessariis ad salutem dictamen conscientiæ non aufert periculum damnationis: ergo in hisce sequendum est axioma: "Nulla nimia securitas, ubi periclitatur æternitas." Accedit quod hic inquirenti veritas certo certius se offeret. Idcirco damnata fuit ab Innoc. XI. Prop. 4ª "Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili."

Similiter nefas est sequi plures opiniones speculative quidem probabiles, sed quæ in praxim traductæ, attenta *communi* vel *speciali* operantis fragilitate, certo conjunctæ sunt cum probabili periculo lapsus in peccatum, ut postea latius dicemus.

Pariter, ob proximi scandalum, servanda quandoque est lex, quæ probabiliter non existit.[1]

2° *In periculo vitæ. In medendo* medicus tenetur adhibere remedia tutiora. Verumtamen, quando desperatur de salute infirmi, licet adhibere medium periculosum probabiliter profuturum, sed et probabiliter nociturum; quia in illa rerum desperatione aliqua spes vitæ præferenda est periculo accelerandi mortem. Non vero licet, experiendi tantum gratia, incerta prorsus et inexplorata remedia applicare infirmis, etiam desperatis, cum periculo graviter nocendi: hoc enim est, ut quidam ait, medicamenta per neces quærere.[2]

Idem valet in aliis casibus similibus. Propterea v. g. illicitum est bellum offensivum in dubio juris; illicita ejaculatio glandis in dubio facti an id, quò collimatur, sit fera vel homo, etc.[3]

3° *In materia justitiæ. In judicio civili ubi neutra pars bona fide possidet,* judex sequi tenetur opinionem probabiliorem, ferendo sententiam in favorem illius partis, pro qua stat opinio probabilior. Ratio est, quia justitia judicem obligat ad tribuendum cuique jus suum secundum merita causæ et pondus rationum, quæ cuique favent. Unde damnata fuit ab Innoc. XI. Prop. 2ª "Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem minus probabilem."

Quodsi utriusque partis litigantis causa æque probabilis sit, tenetur judex componere partes per transactionem, rem controversam inter partes dividendo. Ratio est, quia in judiciis non est habenda acceptio personarum, quæ haberetur, si in tali casu uni potius faveret quam alteri. Hinc damnata fuit ab Alexandro VII. Prop. 26ª "Quando litigantes pro se habent opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio."

Dixi: 1° *ubi neutra pars bona fide possidet;* quia possesio facit rationes præponderare pro possidente, ita ut melior evadat hujus conditio; 2° *in judicio civili;* quia in causis criminalibus, ubi agitur de infligenda pœna, præsertim capitali, inter oppositas sententias probabiles semper sequenda est opinio favens reo, etiamsi minus probabilis sit, juxta regulam Juris Can. 11. in 6° "Cum sint partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori."

Idem valet in aliis casibus similibus, quoties proximus est in certa possessione juris sui. Idcirco v. g. illicita est occulta compensatio, nisi debitum sit certum.[1]

ARTICULUS IV.

VARIA SYSTEMATA CIRCA USUM OPINIONIS PROBABILIS.

61. — Quoniam in dubio practico de actionis honestate honeste agere non possumus, dubium autem illud per rationes singulis casibus proprias sæpissime vinci directe nequit, debet profecto aliunde dari aliquod dubii deponendi medium, ut conscientia certa innixi recte agere possimus. Manifestum est autem, non posse hoc medium consistere nisi in aliquo principio certo.[2] Status itaque quæstionis hic est:

In concursu duarum opinionum de honestate actionis, quarum altera, minus tuta, favet libertati, — altera, tutior, favet legi, — quænam sit in hoc dubio regula universalis *certa* sequenda ad recte agendum?

Quæstio hæc tanti est momenti, ut ab ejus solutione totum Theologiæ Moralis systema, quodcumque eligatur, dependeat. Hujusmodi namque dubia in singulis Theologiæ Moralis materiis plura occurrunt, quum in ea præcipue tractetur de

[1] L. I. n. 97. [2] L. I. n. 44–46.
[3] L. I. n. 52.

[1] L. I. 47. L. V. 210.
[2] L. I. 69. 78 in fine.

legum ad casus particulares applicatione, quæ sæpe anceps est.

Jam vero ad celebrem hanc quæstionem solvendam theologi variam iniere viam. Alii nempe nimii rigoris in favorem legis; alii nimiæ benignitatis in favorem libertatis; alii demum viam tenuêre mediam inter utrumque extremum. Hinc plura prodierunt systemata, quæ hic breviter recensemus:

62. *Systemata.* — I. *Rigorismus* seu *Tutiorismus strictus* juxta quem non licet sequi sententiam faventem libertati, nisi sit moraliter certa; alias semper pars tutior sectanda est. Est systema damnatum.

II. *Tutiorismus mitigatus*, juxta quem non licet sequi sententiam minus tutam nisi sit probabilissima.

III. *Probabiliorismus* (alter Tutiorismus mitigatus) juxta quem prohibetur sequi opinionem faventem libertati, nisi sit probabilior quam opposita pro lege.

IV. *Probabilismus moderatus*, juxta quem in concursu duarum opinionum æque vel fere æque probabilium, stante dubio circa legis existentiam, licet sequi opinionem faventem libertati; in dubio vero circa cessationem legis certæ, sequenda est opinio legi favens. Est hoc systema S. Alphonsi.

V. *Probabilismus simplex*, juxta quem fas est sequi opinionem minus probabilem libertati faventem in concursu etiam notabiliter probabilioris pro lege; licetque opinionem probabilem minus tutam promiscue sequi, etiam in dubio circa legis certæ cessationem.

VI. *Laxismus*, juxta quem licet sequi sententiam libertati faventem, etiamsi dubie aut tenuiter tantum probabilis sit. Est quoque hoc systema damnatum.

Exceptis igitur stricto Rigorismo et Laxismo, reliqua systemata citra Ecclesiæ damnationem sustineri possunt. Inter ea tamen Probabilismum moderatum, qui S. Alphonsum sibi vindicat auctorem, mediam tenere viam atque idcirco verum esse censemus.

ARTICULUS V.

PROBABILISMUS MODERATUS S. ALPHONSI.

§ I. *Præviæ Notiones.*

63. — Ad clariorem rerum in hoc articulo tractandarum intelligentiam notiones quasdam præmittere juvabit. Et quidem:

I. *Circa libertatem et legem.*

1° Duplex distinguitur libertas, altera *physica*, estque vis eligendi suas actiones, de quâ n. 4. 8 et 9 egimus; *moralis* altera, involvens jus et potestatem aliquid licite faciendi vel omittendi. Unde libertas physica seu arbitrii dicitur etiam libertas a necessitate; libertas vero moralis vocatur libertas a lege. Hoc loco, ut patet, disceptatur de libertate morali.

2° Lex est vinculum libertatis, ad certos quosdam actus illam obligans et ab aliis quibusdam prohibens.

64. — II. *Circa legem dubiam.*

Lex potest esse dupliciter dubia: 1° *Simpliciter*, i. e. *quoad existentiam*, quando scilicet dubitatur num lata fuerit; an promulgata; an tempus obligationis jam inchoaverit; an talem casum aut tale onus comprehendat; an ad tales personas se extendat; utrum quid præcipiat an suadeat tantum.

2° *Secundum quid*, i. e. *quoad cessationem*, quando certa est legis existentia, et dubium tantum supervenit num desierit ejus obligatio; num quis habeat causam excusantem; num dispensatus sit; num legem impleverit et sic porro.[1]

65. — III. *Circa possessionem legis et libertatis.*

Quum S. Alphonsus libertati ac legi applicet notum juris principium: "In dubio melior est conditio possidentis," explicemus oportet quid sibi velit illa libertatis et legis possessio.

Possessio hæc idem prorsus hic significat, servata proportione, quod in materia justitiæ; ab hujus nempe virtutis materia *per analogiam* ad aliarum virtutum materiam extenditur. Ad cujus rei intelligentiam explanandum nobis est principium *præsumptionis*: "In dubio standum est pro eâ parte, pro quâ stat præsumptio," utpote ex quo principium possessionis vim suam haurit. Præsumptio a jurisperitis definitur: anticipata rei dubiæ probatio ex validis argumentis et indiciis desumpta. Dicitur: *anticipata*, quia præsumptio ante omnem legitimam (i. e. a lege ut sufficientem habitam) probationem aliquid pro vero sumit; quamdiu nempe non probatur

[1] L. I. 27.

contrarium, pro vero habetur quod præsumitur. Indicia porro pro diversâ rerum naturâ varia distinguuntur. Unum ex illis, quod ad præsentem materiam spectat, hoc modo enucleare juvat: quoties aliquid esse scitur, quod natura sua perseverat donec facto aliquo contrario tollatur, in sua conditione perseverare censetur quamdiu de contrario non constat, ita ut hoc judicium *sufficienti* dumtaxat cedat *probationi*, cujus onus alteri, quæ hoc impugnat, parti incumbit. Non autem *orienti dubio* cedit, imo nec dubium efficit, ut et ipsa præsumpta certitudo in dubium adducatur; quare, quod esse sciebatur, id, stante etiam exorto dubio, pergere et integrum manere censetur. Sic, v. g. termini confinium ibi præsumuntur esse ubi erant antea, nisi mutati probentur. Demum, præsumptionis principium plane generale est, et permultis accommodatur casibus particularibus, quorum præcipuos enarrare juvat.

1° Quum de cujuspiam crimine suspicio habetur, antecedens probitas ejus, stante dubio, perseverare censetur, quamdiu de nequitia non constat; unde adagium: "Quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus."

2° Si quis possidet prædium, quod alter dubio jure suum esse contendit, possessor in possessione manet, usque dum competitor suum jus comprobet; quia possessio parit præsumptionem dominii; unde axioma: "In dubio melior est conditio possidentis."

3° Lex vel præceptum, de quo dubitatur num justum sit, justum habetur, donec injustitia probetur; unde principium: "In dubio obsequendum est Superiori."

Hisce præmissis, sequentem tradere licet possessionis notionem. Quemadmodum in materia *justitiæ* possessio audit — præexistens apud quempiam dominii exercitium in certam rem, respectu alterius de dominio contendentis, ex qua possessione præsumitur rem esse possidentis donec contrarium demonstretur, — ita pari modo, in materia *honestatis*, possessio libertatis nihil aliud est, quam antecedens hujus, respectu legis dubiæ, jus certum: possessio vero legis est antecedens hujus, respectu liberationis dubiæ, certa obligatio; quæ prioritas efficit ut in dubio superveniente illa, quæ prius certa est, pro se habeat præsumptionem juris, adeoque onus probandi transferat in alteram. Possessio igitur in hac materia analogice sumitur pro quovis jure certo dubium præcedente; unde consequitur vim ac sensum principii possessionis hoc modo reddi posse: "Jus certum præcedens non tollitur dubio superveniente, sed perseverat usquedum probetur ejusdem cessatio."

Ex data notione sequenti modo concludimus: quemadmodum in materia justitiæ, ubi duo litigant de alicujus rei proprietate, ille qui, exorto dubio, possidet rem, præsumitur esse ejus dominus, et idcirco servat jus in rem, donec probetur contrarium; — ita in materia honestatis, quoties dubium est inter hominis libertatem et legis obligationem, illa, quæ prius certa est, dicitur manere in possessione, donec probetur contrarium.[1]

66. IV. — *Circa principia reflexa.*

Alia sunt pro dubiis *juris*, alia pro dubiis *facti*. Præcipua sunt quæ sequuntur.

Pro dubiis juris. 1° *In dubio melior est conditio possidentis.* Porro id, quod prius certum est, possidet et præsumitur. Unde, ubi prius certa est libertas, dubia vero oritur obligatio, ibi possidet libertas; ubi contra prius certa est obligatio, dubia vero liberatio, ibi possidet lex, juxta modo dicta. Quo spectat aliud illud principium juris: "In dubio standum est pro ea parte, pro qua stat præsumptio"; præsumptio namque gignit moralem certitudinem, saltem latam seu imperfectam. Cfr. n. 47.

2° *Lex dubia non obligat.* Intelligitur lex *simpliciter* dubia, i. e. quoad existentiam, non vero dubia quoad legis certo existentis cessationem; tunc enim lex pergit obligare, eo quod, sicut certa libertas non tollitur per dubium superveniens, ita nec lex certa. Hoc ergo casu principium convertendum est et dicendum: "Dubia libertas non liberat."[2]

Hinc v. g. in dubio an sint confitenda peccata dubie mortalia, aut mortalia dubie commissa; an explicandæ circumstantiæ notabiliter aggravantes, nulla est obligatio. Contra, qui certus de mortali commisso dubitat an illud jam sit confessus, debet confiteri. Pari modo dubitans num sibi sit excusatio sufficiens ab observatione jejunii, dum nequit commode adire Supe-

[1] L. I. 26. [2] Ib.

riorem pro dispensatione, legem servare tenetur, nisi prudenter judicet, causam excusantem in casu probabiliter adesse, nulla stante probabilitate in contrarium; tunc enim habetur certitudo moralis imperfecta.[1]

Quod principium attinet: "*In dubio pars tutior est eligenda*," applicatum dubio speculativo circa solam actionis honestatem, rigoristarum proprium est atque prorsus falsum, ut infra luculenter probabitur. Hoc solo casu verum est, quo dubium practicum non deponitur aut deponi nequit, ut suprà Art. III. ostendimus.

67. — *Pro dubiis facti.* 1° *In dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet.* Principium illud procedit, quando dubitatur de facto principali, v. g. an votum emiseris, an confessus fueris, etc.

Hinc dubium juris, ex dubio facti resultans, pro diversitate facti probandi resolvendum est juxta sequentes regulas.

a) *In dubio facti fundantis legem*, i. e. quo posito lex vel obligatio nascitur, *possidet libertas*. Hinc v. g. in dubio num tempus adsit, quo lex incipit obligare, lege non teneris; num quis sit jejunus, potest communicare; utrum necne mortaliter peccaverit, communicare potest non confessus, elicita tantum contritione. Item in dubio an consilium ad damnum datum sit, aut si de eo quidem constet, dubitetur an damnum ex illo fuerit secutum, nulla, post debitam utique inquisitionem, facienda est restitutio.[2]

b) *In dubio facti supponentis legem*, i. e. quo posito lex desinit aut impleta est, *possidet lex*. Hinc v. g. in dubio an tempus, quo lex obligat, effluxerit, lege teneris. Item si dubitas num legem impleveris, puta num horas recitaveris, pœnitentiam persolveris, obligaris, nisi ex prudenti ratione, cui alia non opponatur, probabiliter judicare valeas te implevisse; tunc quippe oritur probabilis certitudo, quæ, ubi de debito legali agitur, sufficit, ut excuseris. Hoc modo intelligenda sunt quæ dicit S. Alphonsus L. I. 29 – 99 in fine L. V. 112. 9. 3. Secunda sent.[3] Confirmatur ex Quæst. I. recent. reform., ex quâ liquet doctrinam reformatam restringendam esse ad casum, quo adsit probabilitas pro et contra. Quantum ad L. I. n. 99. in fine, locus ex mente S. Alph. reformandus videtur secundum laudatam Quæst. I. rec. reform., utpote ex oblivione a S. Doctore non correctus.

Item quando debitum certum est, factum vero solutionis dubium, debitor solvere tenetur, vel facienda est inter partes compositio pro rata dubii.[1]

c) *In dubio facti inducentis legum juriumve conflictum, prævalet lex potior.* Hac ratione, v. g. excusatur a jejunio sexagenarius, quia jus naturale servandi vitam præponderat præcepto ecclesiastico. Item qui prudenter dubitat an missæ auditio in ecclesiâ die festo, aut officii recitatio, aut jejunium non forte graviter nocitura sint sanitati, si nequeat commode petere consilium aut dispensationem, excusatur.[2]

2° *In dubio standum est pro valore actus*, seu: *In dubio omne factum præsumitur recte factum.* Hoc principium valet quando constat de facto principali et de solo accessorio aliquo facto dubitatur, puta de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, aut de debito modo, utrum adfuerit. Tunc sc. hujusmodi factum accessorium, jure debitum vel fieri solitum, adfuisse præsumitur, ejus defectus econtra demonstrari debet; quod per sequentia axiomata enunciari solet: *In dubio præsumitur factum, quod de jure faciendum erat*, aut *quod ordinarie fieri solet;* et hoc alterum: *Delictum vel defectus non præsumitur, sed demonstrari debet.*[3]

Nonnullis exemplis axiomata hæc dilucidare lubet, ut pateat quibus casibus ea accomodari possint, quibus vero non possint.

Si quis v. g. vere vovit, dubitat autem num vovendo noverit aut adverterit voti obligationem, vel an non defuerit plena deliberatio, an non voverit metu coactus, an is fuerit gravis, — standum est pro valore actus. Secus vero est, si dubitatur de ipsa voti emissione, vel an id, quod quis voverit, sit materia voti capax, vel an non fuerit simplex propositum. Item in dubio num confessio sacramentalis fuerit valida; si dubitetur utrumne defuerit aliqua ex

[1] L. VI. 468. 473. 474. 477. L. I. 195. item Vind. Alph. p. 901. 5.
[2] L. I. 32. 38. 39. L. VI. 475. L. IV. 562.
[3] Cfr. Vind. Alph. p. 901. 5.

[1] L. I. 29. 32. 34.
[2] L. IV. 325. 1036. L. V. 154. not. 3.
[3] L. I. 26.

conditionibus ad valorem requisitis, standum est pro valore actus, quia tunc præsumitur factum quod de jure faciendum est. Contra vero, si *certum* sit aliquid defuisse, licet ad valorem sacramenti *probabiliter* tantum requisitum, puta scientiam mysteriorum SS. Trinitatis et Redemptionis, aut propositum explicitum, standum non est pro actus valore, sed iteranda confessio. Etenim tunc certo factum non est quod de jure faciendum erat; nempe suscipiendum erat sacramentum cum omnibus ad valorem etiam *probabiliter* tantum requisitis. Unde ex ipsis principiis reflexis liquet S. Alphonsum minime secum pugnare in Theol. Mor. L. III, 2. in fine. L. VI. 450 collato cum n. 505.[1]

3° *Ex communiter contingentibus prudens fit præsumptio.* Unde in dubio an pueri, qui ante septennium certo pervenerunt ad usum rationis, teneantur legibus mere ecclesiasticis, non tenentur; quia Ecclesia præsumitur non obligare nisi secundum communiter contingentia. Post septennium vero, in dubio rationis adeptæ, tenentur; quia tunc ex communiter contingentibus præsumitur obligatio. — In dubio voluntariæ inhæsionis in delectatione venerea, si dubitet pius et timoratus qui consentire non solet, præsumi debet non consensisse, saltem haud plene; sin autem dubitet, qui solet facile in mortalia prolabi, consensisse præsumitur. — In dubio de valore confessionum recidivorum, si recidivus post confessiones suas ut plurimum cito et sine aliqua resistentia relapsus sit, præsumendus est nullum vel nimis tenuem habuisse dolorem vel propositum. Aliter vero dicendum, si per aliquod tempus perseveraverit, vel ante lapsum aliquam saltem resistentiam præstiterit.[2]

§ II. *Expositio Systematis.*

68. — In concursu duarum opinionum æque vel fere æque probabilium, quarum una favet libertati, altera legi, stante dubio circa legis existentiam, licet sequi opinionem libertati faventem; in dubio autem circa cessationem legis certæ, sequenda est opinio legi favens.[3]

Conditiones servandæ. Usus opinionis probabilis libertati faventis sequentibus conditionibus moderandus est.

1° *Ordinaria saltem diligentia adhibenda est,* ut veritas detegatur; hæc enim investigatio necessaria est, ut ignorantia sit invincibilis et bona fide servetur libertatis possessio.

2° *Opinio vere probabilis sit,* i. e. fundata in ratione ex se et comparative gravi, etiamsi paulo minus probabilis sit quam ejus opposita. Quamobrem opinio non est solide probabilis, quoties opposita *notabiliter probabilior* est. Etenim notabilis excessus probabilitatis tollit intellectûs suspensionem, ac consequenter parit probabilem certitudinem, ut infra probabimus. Atqui in rebus moralibus, quippe quæ moraliter æstimandæ sunt, postulari nequit stricta certitudo et evidentia, verum sufficere debet probabilis certitudo (i. e. lata seu imperfecta), quemadmodum docet D. Thomas. Ergo notabilis probabilioritas elidit comparativam probabilitatem sententiæ oppositæ, ita ut hæc aut tenuiter aut dubie tantum probabilis sit; consequenter opinio multo probabilior jam non est stricte dubia, sed moraliter aut quasi moraliter certa.[1] Præ oculis igitur semper habeatur S. Alphonsi Systema procedere solummodo in casu *veri dubii;* seu in conflictu *æqualis vel fere æqualis probabilitatis;* nam hujusmodi æquilibrium producit veram intellectus suspensionem inter utramque partem, adeoque verum dubium, nonnisi per principia reflexa resolvendum, secundum doctrinam D. Thomæ:[2] "Intellectus noster . . . . quandoque non inclinatur magis ad unum quam ad aliud, vel propter defectum moventium, sicut in illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter *apparentem æqualitatem* eorum quæ movent ad utramque partem: et ista est *dubitantis* dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis." Systema vero non procedit, quando vel una opinio est notabiliter probabilior alterâ, vel adest unica opinio probabilis. Eo enim casu non adest strictum dubium, sed sufficiens motivum, in rebus moralibus determinans intellectum ad præstandum assensum tali opinioni, eamque sequendam ut satis certam, quin opus sit principiis reflexis.

[1] L. IV. 196. 201. qu. 3.
[2] L. IV. 270. L. VI. 476. 505.
[3] L. I. 26–39. 97–99. 57–59.

[1] L. I. 54. 56. [2] De Verit. q. 14. art. 1.

Deinde quando opinio una est *certe* et *sine ulla hæsitatione* probabilior, ea non potest esse nisi notabiliter probabilior.[1] Nemo ergo opinionem amplecti tenetur, quamdiu de majori ejus probabilitate vel minime dubitat.

3° *Libertas sit in possessione contra legem*, i. e. juxta dicta supra n. 65, jus certum libertatis præcedat legem dubiam.

69. — Juvat hoc loco duas locutiones S. Alphonsi dilucidare.

1° S. Doctor modo dicit legem, ut obliget, debere esse *certam ac manifestam*,[2] modo vero ait illam obligare, quamvis *omnino certa* non sit, dummodo sit notabiliter probabilior.[3] Nullatenus tamen sibi contradicit; duplex namque distinguenda est moralis certitudo, de qua hîc loquitur S. Doctor, nempe *stricte dicta*, seu perfecta, quæ a certis morum principiis evidenter deducitur, et *late dicta*, seu imperfecta, cujus argumenta, etsi evidentiam non pariant, ita tamen convincunt, ut oppositum nonnisi dubie aut parum probabile remaneat. Prior in rebus moralibus non requiritur, sed sufficit posterior. Unde sensus verborum ejus est, legem, ut obliget, debere quidem certam esse et manifestam, at sufficere certitudinem latam, quin opus sit stricta. Eodem modo dicimus opinionem notabiliter probabiliorem esse moraliter certam.

2° Interdum distinguit *dubium* a *probabilitate*, et dicit, in dubio circa legis cessationem legem servandam esse, secus vero, si adsit probabilitas. Hæc ambiguitas evanescit, si attendatur S. Doctorem intelligere in priori casu dubium *strictum*, quando nempe duæ sunt opiniones fere æque probabiles juxta doctrinam D. Thomæ jam relatam n. 68; in posteriori vero casu opinionem, quæ sola sit probabilis, seu cujus opposita nulla nititur ratione.[4]

Expositum systema esse genuinum S. Alphonsi systema luculenter probant "*Vindiciæ Alphonsianæ*" p. 1–125.

§ III. *Probatio Systematis.*

Claritatis ordinisque gratia subjectam materiam tripartimur, demonstrando Systema 1° per partes, argumentis intrinsecis et extrinsecis; 2° totum simul, ex approbatione Ecclesiæ; 3° refellendo systemata opposita.

[1] L. I. 56. [2] L. I. 63.
[3] L. I. 67. [4] L. I. 67 in fine, et 71.

I.

Probatio Systematis per partes.

70. — Moderatus S. Alphonsi Probabilismus, ut ex ejusdem explanatione liquet, ex una parte Probabiliorismo adversatur, quatenus docet, in concursu opinionum æque vel fere æque probabilium, fas esse minus tutam sequi, quoties dubium vertitur, quod ut plurimum contingit, de legis existentia. Ex altera vero, et gemina quidem suî parte, simplicem et communem Probabilismum excludit, quatenus docet illicitum esse opinionem minus tutam sequi in concursu tutioris, quando 1° hæc notabiliter probabilior est, aut 2° dubium est de legis certæ cessatione. Totam rem tribus propositionibus absolvimus.

PROPOSITIO I.

71. — *Non licet sequi opinionem minus probabilem pro libertate in concursu notabiliter probabilioris pro lege.*

Prob. I. Ex ratione. — Etenim in posito casu, ex una parte opinio pro libertate vere probabilis non apparet; ex altera autem lex non est vere dubia: unde consequens est applicari hic non posse principia reflexa Probabilismi, quippe quæ in solo dubio procedunt; sunt enim: "Lex *dubia* non obligat — In *dubio* melior est conditio possidentis."

Dico: 1° *Opinio pro libertate vere probabilis non apparet.* — Illa sententia vere et expedite probabilis est, cujus motiva ita gravia et solida sunt, ut sufficiant ad obtinendum viri prudentis assensum. Atqui motiva sententiæ minus probabilis in concursu multo probabilioris non sufficiunt ad obtinendum viri prudentis assensum, sed tantum ad ingerendam aliquam formidinem oppositi. Ergo ejusmodi sententia vere et expedite probabilis non est.

Prob. min. Etenim 1° vis et efficacia istorum motivorum enervatur et eliditur motivis multo fortioribus, quandoquidem, ut inquit S. Alphonsus,[1] "sententia certo aut notabiliter probabilior habet pro se certum fundamentum quod vera sit, quo fundamento caret opposita."

[1] Lib. I. 56.

2° Nemo prudens assentire potest opinioni, quam multo probabilius falsam quam veram judicat. Assensus quippe est actus mentis quo judicamus aliquid verum aut verisimile : atqui, quum una opinio est multo verisimilior, hanc necessario judicamus *multò probabilius veram*, oppositam vero non tantum non probabiliter veram, sed econtra *multò probabilius falsam*. Huic ergo prudenter assentiri haud possumus.

Quamvis igitur opinio minus probabilis *seorsim spectata* possit probabilis apparere, *comparata* tamen cum opposita multo probabiliore, desinit certe probabilis esse. Quare apposite scribit S. Alph.[1] "Opinio vere probabilis ea sola est, quæ habet fundamenta intrinseca et extrinseca æque vel fere æque valida ac opposita pro lege, ita ut lex certe ac stricte dubia appareat."

Dico : 2° *Lex vere dubia non est.* — Dubium enim est suspensio assensûs inter opposita. Atqui in casu propositionis nequit assensus pro lege suspendi. Ergo lex vere dubia non est.

Prob. min. Tum solum intellectus fluctuat inter duas partes oppositas, quum motiva pro utraque parte vel nulla adsunt, vel æqualia apparent. Hæc est doctrina D. Thomæ, quam n. 68 retulimus. Atqui in casu motiva æqualia minime sunt, sed pro lege multo fortiora apparent quam pro libertate. Ergo assensum legi negare intellectus nequit, esto cum aliqua formidine oppositæ partis.[2]

72.—*Prob. II. Ex auctoritate D. Thomæ.* S. Alphonsi doctrinæ omnino favet Doctor Angelicus, quandoquidem ex una parte tradit dubium tunc evenire quando rationes ad utramque partem æqualiter vel quasi æqualiter movent, ut supra notavimus; — unde ultro sequitur, quod, si rationes ad unam partem multo fortius moveant, extra dubitationis statum versemur : — ex altera vero parte affirmat in actibus humanis non postulari certitudinem strictam, verum probabilem sufficere, quemadmodum ostendimus n. 68 sub 2. Quæ duo cum thesi S. Alphonsi perfecte congruunt.

73. — Ex prædictis concludimus : si, iis non obstantibus, *voluntas* partem libertati faventem eligat, eliget *ex sola affectione* ad illam, non ex rationis dictamine; eliget ergo temere et imprudenter, quia electio, quæ ratione non ducitur, imprudentia et temeritate vacare non potest.[1]

Merito proinde affirmat S. Doctor : "Hanc sententiam" (quod possit quis licite sequi opinionem etiam minus probabilem pro libertate, licet opinio pro lege sit certe probabilior) "elapsi sæculi auctores quasi communiter tenuere ; sed nos dicimus, eam esse laxam et licite amplecti non posse.[2]

PROPOSITIO II.

74. — *Concurrentibus opinionibus fere æque probabilibus, in dubio de legis existentia, licet sequi opinionem libertati faventem.*

I. *Probatur ex ratione.*

Obligatio sectandi partem tutiorem, si qua adesset, proveniret vel ex parte libertatis jure suo destitutæ, vel ex parte legis virtute obligandi præditæ. Atqui neutra ex parte prædicta obligatio oriri potest. Ergo non datur obligatio sectandi partem tutiorem.

Prob. min. per partes. I. *Non ex parte libertatis quasi jure suo destitutæ.* Eruitur ex principio possessionis : "*In dubio melior est conditio possidentis,*" quod aliis verbis significat : Jus certum tolli nequit superveniente jure incerto opposito. Inde sic ratiocinor : in dubio vincit possessor; atqui libertas est in possessione contra omnem legem dubiam (intellige dubiam quoad existentiam); ergo in dubio de existentia legis vincit libertas. — Idem ratiocinium ita proponi potest : in dubio nemo privandus est re sua vel jure suo, quod legitime possidet; atqui libertas est jus legitime possessum; ergo ob legem dubiam homo libertate sua non privatur.

Prob. maj. assumpt. In dubio vincit possessor. — Veritatem hujus axiomatis proclamat ratio naturalis. Quisquis enim certo et bona fide rem aliquam possidet, nequit hac re privari, nisi ob rationes certas, quæ probant illi non amplius esse jus possidendi, quum omnis qui possidet, præsumatur jure possidere, donec contrarium

[1] Dell' uso moderato a° 1765. cap. 5. n. 25.
[2] L. I. 67.

[1] L. I. 56.
[2] H. A. Tr. 1. 31.

monstretur, sicut nemo præsumitur malus nisi probetur. Donec igitur certis rationibus id probatum fuerit, præsumptio, orta ex possessione, jus certum tribuit possessori juxta principium juris: "In dubio standum est pro ea parte, pro qua stat præsumptio." Insuper illud principium ab omnibus semper admissum fuit in materia justitiæ apud cuncta tribunalia, tum civilia, tum ecclesiastica.

Prob. min. assumpt. Libertas est in possessione contra omnem legem dubie existentem. Stabit minor assumpta, si sequentia duo probaverimus: 1° Principium possessionis etiam valere in materia simplicis honestatis. 2° Hominem possidere libertatem contra legem dubiam.

Quoad 1^m Tum principium præsumptionis: "In dubio standum est pro ea parte, pro qua stat præsumptio"; tum illud: "Contra jus certum præcedens nequit dubium subortum prævalere," principia plane universalia sunt et de jure naturæ. Atqui principium possessionis analogice sumptum prorsus idem est ut supra n. 65 explicavimus. Ergo principium possessionis valet in quacumque materia simplicis honestatis.

Insuper, apposite advertit S. Alph. "*Possessio*, ait Sanchez,[1] *est titulus universalis omnibus virtutibus, eo modo quo aliqua pars potentialis justitiæ, ut obedientia Deo, transcendit omnes virtutes.* Etenim cum essentia justitiæ sit, unicuique jus suum tribuere, hoc omni virtuti competit; prout religio tribuit suum jus Deo, charitas proximo, temperantia sibi ipsi, et sic de aliis; et ideo merito dicitur, quod ratio justitiæ sit omnium virtutum pars potentialis, sive generica, in qua cæteræ virtutes inter se conveniunt. Qua de re, si contra justitiam esset privare in dubio possidentem jure suo, pariter contra justitiam est in dubio legis hominem sua possessa libertate spoliare." [2]

Adde quod valor hujus principii in materia simplicis honestatis communiter a Probabilistis admittitur, quorum præcipui præter S. Alphonsum sunt Suarez,[3] Lugo,[1] Sanchez,[2] Croix,[3] Salmantic,[4] Roncaglia,[5] Bonacina,[6] Sporer[7] etc.

Illud advertisse hoc loco juvabit, principium possessionis strictiorem admittere applicationem in materia justitiæ, quam in materia aliarum virtutum; quia justitia cæteris virtutibus rigidior est. Ad differentiam enim aliarum virtutum, medium justitiæ est medium rei, id est, æqualitatis rei ad rem, necnon jus, quod justitia respicit, jus strictum seu rigorosum est. Unde fit ut lites de justitia strictiores exposcant probationes.[8]

Quoad 2^m Deus ex beneplacito suo hominem creavit liberum et postea præcepta ipsi imposuit quibus ejus libertas restringatur, juxta illud Eccli.[9] "*Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata et præcepta sua.*"

Exinde in dubio circa existentiam cujuspiam legis, sequens argumentatio adhiberi potest. Certa voluntas divina incertæ præferenda est; atqui quòd Deus hominem libertate donaverit, nolitque ut libertate sua privetur in quantum non aliquod præceptum ejus restrictionem exigat, (illud enim, ex S. Thoma, dicitur licitum, quod nulla lege prohibetur,) dispositio divina certa est. Utrum autem Deus velit, ut in casu legis dubiæ libertati suæ homo renuntiet, incertum est. Ergo tuta conscientia in possessione libertatis, qua Deus illum donavit, persistit, donec contraria ejus voluntas sibi innotescat.[10]

Conclusio. — Ex probatis sequitur: 1° Quum libertas sit certa et lege anterior, homo præsumitur liber in omni casu ubi non constat de lege. Unde sponte fluit hæc regula: "Quod non est certe prohibitum, licitum est."

2° Falsa est regula Anti-Probabilistarum: "Nihil est licitum, nisi quod moraliter constet fuisse a Deo permissum." Si enim hoc verum esset, Deus non debu-

[1] Dec. L. 1. c. 10. n. 11.
[2] Dissert. a° 1763. n. 19.
[3] In 1. 2. D. Thom. tr. 3. de bonit. et malit. act. human. Disput. 12. Sect. 5. n. 7. 8. — De Relig. tr. 6. l. 4. c. 5. n. 7. et seqq. — De Censur. Disp. 40. Sect. 5. n. 14. 15.

[1] De Justit. Disp. 17. n. 87. Disp. 23. n. 110.
[2] Decal. l. 1. c. 10. n. 10. 11.
[3] Lib. 1. n. 502.
[4] Tr. 20. c. 6. n. 7.
[5] Tr. 1. c. 3. qu. 3.
[6] De Peccat. qu. 4. p. 7. n. 13.
[7] Tr. 1. n. 75.
[8] Cfr. S. Alph. L. I. 36 — L. VI. 905.
[9] 15. v. 14. 15.
[10] L I. 77. 78. Dissert. a° 1763. n. 6. 18.

isset legem promulgare, sed ea omnia quæ nobis operari permittit.[1]

75. — II. *Non datur obligatio ex parte legis, quasi virtute obligandi prædita.* — Ut assertum pateat, stabiliendum est principium: "Lex dubia non obligat."

Præmonendum vero enunciatum principium, in sensu nimis generali usurpatum, esse falsum. Ex probatis namque et adhuc probandis in Prop. III. constat illud esse intelligendum de lege simpliciter dubia, i. e. dubie existente. Eodem modo principium intelligit S. Alphonsus; semper enim illud adhibet ad probandum legem dubiam, utpote insufficienter promulgatam, adeoque dubie *existentem*, non obligare.

Principium illud probatur: 1° *Ex defectu promulgationis et ignorantia invincibili.* Promulgatio legis in subditis essentialiter requiritur, ut lex habeat vim obligandi. Atqui ubi lex est dubia, deest vera ejus promulgatio. Ergo lex dubia non obligat.

Prob. maj. Lex non potest esse regula agendi enti libero, nisi ipsi innotescat; atqui deducitur in ejus notitiam per promulgationem; promulgatio ergo est de essentia legis.[2]

Prob. min. Lex, invincibiliter ignorata a subditis, non est sufficienter promulgata; atqui dubium legis, humano studio invincibile, est ignorantia invincibilis; ergo lex dubia est lex non promulgata.

Prob. minor assumpt. Invincibiliter dicimur ignorare ea, de quibus non habemus sufficiens fundamentum affirmandi potius quam negandi. Atqui in æquali probabilitate oppositâ res ita obtinet; quia, quemadmodum si nullæ adessent utrinque rationes, haberetur ignorantia invincibilis, ita pariter ista habetur, ubi rationes sunt utrinque fere æquales, quum in utroque casu intellectus æqualiter dubius maneat et suspensus.[3] Ergo.

Confirmatur. Ignorantia invincibilis legis excusat operantem ex ea, ut patet ex Prop. 2ª damnata ab Alexandro VIII.: "Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ea non excusat a peccato formali." Atqui illa ignorantia est invincibilis, quæ humano studio vinci nequit, uti docet S. Thomas;[1] talis autem supponitur ignorantia legis dubiæ. Ergo lex dubia non obligat.

2° *Ex principio causalitatis.* Lex dubia, vel certe, vel dubie, vel nullo modo obligat. Atqui primum est impossibile, quia effectus nequit esse major sua causa. Secundum est absurdum; voluntas namque sequitur intellectum, adeoque nisi intellectus convincatur, voluntas non ligatur; atqui nulla cognitio dubia necessitat intellectum ad assentiendum; ergo nulla lex dubia ligat voluntatem ad obsequendum. Restat igitur tertium.

3° *Ex præsumpta voluntate Divini Legislatoris.* Deus legitime præsumitur nolle obligare lege dubia, dum finis creationis perinde obtineatur. Atqui ita res se habet. Ergo.

Prob. min. Finis creationis est gloria Dei et salus hominum. Atqui utrumque obtinetur, etiam dum leges dubiæ non servantur. Ergo.

Prob. min. assumpt. Gloria Dei æque ac salus hominum existit ex perfecta hominum obedientia legibus divinis præstita. Atqui dum leges certæ observantur, dubiis, quæ non obligare creduntur, etiam non servatis, Deo æque perfectum præstatur obsequium. Ergo absque illarum observatione perinde obtinetur finis creationis.

Prob. hujus min. Quamvis lex objective existat, Deus tamen non vult eam proxime et subjective obligare, nisi simul subjective in conscientia existat, morali diligentia sufficienter cognita. Atqui dum leges dubiæ ex hominum conscientia non obligare creduntur, ex sola certarum legum observantia homines Deo perfecte obsequuntur.[2]

76. — Lubet hoc loco annotare, illicitum esse duabus opinionibus probabilibus *simul* uti in eodem actu, si inde una lex certo violetur: v. g. testamentum, forma legali destitutum, probabiliter est validum; probabilius quoque non est validum. Non licet igitur sequendo priorem sententiam, adire hæreditatem, ac simul, sequendo posteriorem, non solvere legata in eodem contenta. Hoc facto unius vel alterius legis observantia necessario eluditur et agens sibimet in eodem actu contradicit.[3]

[1] L. I. 77.
[2] S. Thom. 1. 2. qu. 90. a. 4.
[3] L. I. 71.

[1] 1. 2. qu. 76. a. 2. L. I. 60 — 76.
[3] Lugo. de Euchar. Disp. 15. n. 46 – 54. — Croix. Lib. I. n. 370 – 374. — Sporer. Tr. I. n. 35.

II. *Probatur ex Auctoritate.*

77. — *Notio historica.* Disputationes de delectu opinionum in praxi, post medium sæculum XVI. exortæ sunt. Tunc primum prodiit Systema Probabilismi, cujus auctor reputatur Bartholomæus Medina, ex Ordine Prædicatorum, quod Systema illico communissime receptum fuit, ut ipsi adversarii fatentur. (Si igitur, observat S. Alphonsus, sententia rigida, ut gratis asserunt ejus sectatores, inde ab initio Ecclesiæ ad illud usque tempus in possessione fuisset, quomodo fieri potuit, ut tam cito communiter a D. D. respueretur, et benigna reciperetur sententia?) Tempore Corn. Jansenii prodierunt varia Systemata Anti-Probabilismi, inter quæ Probabiliorismus, ex influxu jansenisticæ fraudis, communius ad nostrum usque sæculum fuit receptus. Ast, ut plerumque in hujusmodi controversiis accidere solet, a neutra parte extrema vitabantur. Quemadmodum enim quidam Probabilistæ in doctrinas nimis laxas lapsi sunt, quas SS^mi Pontifices proscripserunt, ita quoque eorum adversarii in extremum rigorem impegerunt, qui a S. Sede pariter reprobatus fuit. De cætero, usum opinionis probabilis in materia solius honestatis semper in Ecclesia viguisse, pluribus testimoniis, quorum aliqua proferemus, contra Anti-probabilistas probari, nullo autem certo refutari potest. Præterea Probabilismus magni nominis theologos inter suos patronos numerat. Hodie demum ubique in Ecclesia recipitur.

78. — I. *Ex testimonio SS. Patrum.* Ex illis evidenter evincitur, in dubio non semper tutiorem partem sequendam esse. Ita D. August: "Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse *convincitur*, indifferenter est habendum." [1] S. Greg. Nazianz: "Aut rem ita se habere proba, aut si id nequis, ne condemnes; quodsi res dubia est, vincat humanitas et facilitas." [2] S. Leo Magnus: "In his, quæ vel dubia fuerint vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum *inveniatur* adversum." [3] S. Bernardus: "Sane ibi unusquisque in suo sensu securus abundat, ubi aut *certæ* rationi, aut non contemnendæ auctoritati, quod sentitur, non obviat." [1]

79. — II. *Ex consensu Doctorum.* Princeps theologorum, S. Thomas, sic loquitur: "Ita se habet imperium gubernantis ad ligandum in rebus voluntariis illo modo ligationis, qui voluntati accidere potest, sicut se habet actio corporalis ad ligandum res corporales necessitate coactionis. Actio autem corporalis agentis numquam inducit necessitatem in rem aliam, nisi per contactum coactionis ipsius ad rem, in qua agit: unde nec ex imperio alicujus domini ligatur aliquis, nisi imperium attingat ipsum, cui imperatur: attingit autem ipsum per scientiam. Unde *nullus ligatur per præceptum aliquod nisi mediante scientia illius præcepti.* . . . . Sicut in corporalibus agens corporale non agit, nisi per contactum, ita in spiritualibus præceptum non ligat nisi per *scientiam.*" [2] S. Isidorus: "Erit autem lex manifesta." [3] Ad hæc præstantissimi theologi sunt Probabilistæ, ut Suarez, Lugo, Sanchez, Sylvius, Toletus, Lessius, Laymann, Bonacina, Salmanticenses, Amort et multi alii.[4]

80. — *Ex approbatione Operum S. Alphonsi.* Recole dicta p. lxxix., et animadverte ipsius S. Sedis judicio Systema S. Alphonsi *tutum* esse, ac hujusmodi authentico testimonio carere quodvis aliud systema, v. g. Probabilismi *simplicis* et *communis.*

PROPOSITIO III.

81. — *Concurrentibus opinionibus fere æque probabilibus, in dubio de legis certæ cessatione, sequenda est opinio legi favens.*

Est consectarium logicum præcedentis propositionis. Etenim, 1° Si lex dubia, libertati certæ superveniens, hanc non ligat, eadem ratione e converso libertas dubia, legi certæ superveniens, hanc non solvit. 2° Si ignorantia invincibilis de existentia legis excusat ab ipsa, similiter ignorantia invincibilis de legis cessatione illi adstringere debet. 3° Si in dubio invincibili de legis existentia præsumitur libertas, pariter in dubio invincibili de

[1] Epist. 54. ad Januar.
[2] Orat. 39.
[3] Ep. 167.

[1] Ep. 77. ad Hug.
[2] Quæst. de Verit. q. 17. a. 3.
[3] Dist. 4. can. 2.
[4] Cfr. S. Alph. L. I. 59. Dissert. a° 1755. n. 4 – 12. 81 – 101.

legis cessatione præsumitur obligatio; jura namque legis et libertatis in pari causa æqualia sint oportet. Ob has præcipue causas Probabilismus S. Alphonsi *vere* moderatus prædicari meretur, nempe quod non solum veræ probabilitatis limites rectissime indicet, sed æqua quoque lance legi ac libertati faveat, æqualia utrique jura tribuens iisdem in circumstantiis, non utens pondere et pondere.[1]

II.

Refelluntur Systemata opposita.

82. — I. *Rigorismus strictus.* Systema hoc damnatum fuit, damnata ab Alexandro VIII. Prop. 3ª: "Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam." Propositio hæc aperte falsa est; nam si opinio pro libertate est probabilissima, opinio pro lege erit tenuiter aut dubie tantum probabilis: ob debile autem motivum libertatem jure suo certo spoliare est aperte contra jus naturale. Ergo Systema falsum est.

83. — II. *Laxismus.* Damnatus est, damnata ab Innoc. XI. Prop. 3ia: "Generatim dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca quantumvis tenui modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus," et Prop. 27ª, damnata ab Alexandro VII.: "Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse a Sede Apost. tamquam improbabilem." Merito et hæc doctrina damnata est; vere namque dubia censeri nequit lex tam gravi ratione fundata, ut contra ipsam nulla solida, sed tenuis tantum ratio vel auctoritas afferri possit.

84. — III. *Tutiorismus mitigatus.* Ut talis non diu vixit. Refellitur hac argumentatione. Si opinio minus tuta est notabiliter probabilior, opposita pro lege fit tenuiter aut dubie probabilis; atqui ob motivum tenuiter aut dubie tantum probabile libertatem jure suo spoliare est certo contra jus naturale; ergo .... Præterea notabilis probabilioritas pro aliqua opinione fundat probabilem ejus certitudinem; atqui in actibus humanis sufficere debet certitudo probabilis; ergo .... Recole dicta n. 68 sub 2.

[1] L. I. 26. Dissert. aⁱ 1763. n. 25.

85. — IV. *Probabiliorismus.* Istud Systema obligationibus certis superaddit incertas, sicque, aucto numero obligationum, numerum auget peccatorum; atqui ex principiis Probabilismi moderati demonstratum est juri naturali libertatis repugnare obligationes incertas; ergo Probabiliorismus libertati debitam denegat justitiam.

86. — V. *Probabilismus simplex.* Hoc systema *duplici* vitio laborat. *Primo* quidem, limites probabilitatis plus æquo extendit, contendendo opinionem posse solida probabilitate gaudere, licet opposita sit multo probabilior, quod admitti non posse satis ostendimus n. 71 – 73. *Deinde* Probabilismum principio possessionis haud temperat; unde jus possessionis legis violat et libertati plus æquo indulget. Etenim patroni hujus Systematis, tuendo semper partes libertatis, ubicumque probabilis est opinio, utuntur pondere et pondere; argumenta siquidem, quibus probant libertatem lege dubia non ligari, non convertunt contra libertatem, ubi eadem prorsus valet ratio pro lege certo existente. Si enim sequens valet ratiocinium in favorem libertatis, ubi dubia est lex: — lex dubia non obligat, quia ille non est obligatus, qui invincibiliter ignorat se esse obligatum, — necessario facienda est ejusdem conversio in favorem legis, quando dubium de libertate subsequitur.

Demum hic advertendum est, plerosque Probabilistas falsum sustinuisse principium, videlicet: "Qui probabiliter agit, prudenter agit." Vitium hujus principii in eo est, quod ad certum de actionis honestate judicium ferendum, nitatur probabilitate, ac proin dubio, *tanquam motivo*, non autem *tanquam mera conditione*, qua posita, principium reflexum certum adhibetur ad certam formandam conscientiam. Etenim quando duæ opiniones oppositæ æque circiter probabiles sunt, motiva utriusque invicem suum robur elidunt ad determinandum assensum intellectus uni potius quam alteri; quantum enim motiva unius nituntur ad obtinendum assensum, tantum motiva alterius nituntur in oppositum; unde intellectus neutri præ altera prudenter adhærere potest, sed necessario immotus et suspensus manet, sicut bilanx manet suspensa in æquilibrio, dum in utraque lance æqualia sunt pondera, vel sicut lapis, tractus in partes oppositas a duplici vi æquali, immotus quiescit.

Ergo, qui in tali casu imperat assensum opinioni faventi libertati, *ex eaque* format dictamen ultimum conscientiæ, imprudenter et culpabiliter agit.[1]

Conclusio circa Praxim Probabilismi.

87. — Huscusque probavimus *licitum* esse usum moderatum opinionis probabilis. Ulterius jam hic quæritur, utrum etiam *expediat* pro salute animarum sequi opiniones benignas potius quam rigidas. Quocirca sequentes traduntur regulæ.

Regula. — I. *In genere:* 1° Regulariter confessarius debet sequi opiniones benignas, quia communiter magis removent pœnitentes a periculo peccati formalis. — 2° Ubi vero opiniones benignæ proximius reddunt periculum peccati formalis, tenetur confessarius, tamquam *medicus* animarum, sequi opiniones tutiores, quæ pœnitentes ad se servandos in statu gratiæ conducunt. Quoad modum tamen hanc servet distinctionem: ubi probabile periculum peccati *dubie* tantum subest, tenetur omnino opiniones tutiores suadere; ubi vero tale periculum *certo* subest, tenetur omnino ad illas sequendas obligare. — Hujusmodi porro sunt nonnullæ opiniones probabiles, sed in praxi periculosæ, in materia sexti præcepti de tactibus, osculis, choræis, comœdiis, de reprimendis motibus sensualibus, de vitandis occasionibus proximis, lectionibus periculosis quoad fidem vel mores, et similibus.[2]

II. "Insuper, sedulo advertendum est, in eligendis pro praxi opinionibus, *attendendam esse variam variarum quæstionum naturam.* Quamvis enim S. Alphonsus doceat, principia Æquiprobabilismi applicari posse in omni lege, etiam naturali; ipse nihilominus eumdem omnino rigorem non adhibet, respectu *legis humanæ*, sicuti pro lege *divinâ*, quia hæc est ordinis superioris et majorem expostulat reverentiam, et revera, mitius procedi ac facilius admitti posse causas excusantes respectu legis mere ecclesiasticæ aut civilis, quis umquam negaverit?"[3]

III. "Præterea notandum est, quod S. Doctor specialem adhibet severitatem non solum ubi benignitas periculum augeret peccati formalis, sed etiam quando agitur *de bono communi procurando.* — Hinc minus benigne se habet erga sacerdotes, illosque omnes *qui aliis præsunt:* tum quia isti tenentur, vi officii, bonum subditorum promovere, tum quia in istis generatim non admittitur ignorantia excusans."[1]

IV. *Quoad perfectionem.* Perfectius sane est opiniones sequi tutiores, ubicumque contineant actus majoris virtutis, nec ansam præbeant anxietatibus et scrupulis. Hinc, generatim loquendo, debemus usum hujusmodi opinionum tutiorum suadere, sicut consiliorum, dum pœnitentes paratos se ostendunt ad sequenda tutiora, et prudentia dictat id ipsis profuturum.[2]

Solvuntur objectiones.

88. — *Objectiones antiprobabilistarum.* — *Obj. I.* Ut dicatur legem quamdam esse dubiam, dubitandum foret an vel ne existat; atqui leges tam divinæ quam humanæ, quas observare tenemur, omnes certo existunt, et promulgatæ sunt; dubium vero cadit tantum in casus particulares, utrum comprehendantur in lege generali necne; ergo lex semper possidet.

Resp. Dist. min. Certo existunt *in genere; Conc.; in specie*, id est, respectu talis casûs particularis; *Subdist.* Si talis casus illa lege certo comprehendi cognoscatur, *Conc.;* secus vero, *Nego.* Et idcirco nego consequentiam. Idem enim est dicere, — dubium esse utrum lex generalis certa v. g. non furandi, hunc vel illum casum comprehendat, — ac dicere legem generalem certam, respectu talis casûs particularis, esse dubiam; unde dicimus legem, si sit dubia quoad talem casum, consequenter respectu illius casûs non obligare.[3]

Inst. Promulgata lege, promulgata sunt simul omnia consectaria, quæ ex eâ necessario fluunt, et dubium circa ea non potest impedire quin sit promulgata.

Resp. Dist. Promulgata sunt omnia consectaria certo cognita; *Conc.;* invincibiliter dubia; *Nego*, ut abunde probavimus.

89. — *Obj. II.* Non licet se exponere

[1] L. I. 58, 69. 71. 80. Dissert. a[i] 1773. n. 21. 23.
[2] L. I. 84. L. II. 63. L. VI. 605. Prax. Conf. n. 69. 192. H. A. App. IV. 21. Dissert. a[i] 1755. n. 107. Vind. Alphons. p. 24. 3.
[3] Vind. Alph. p. 903.

[1] Vind. Alph. p. 903.
[2] L. VI. 605. Dissert. a[i] 1755. n. 107.
[3] L. I. 74.

periculo peccati, ut patet ex Eccli.:[1] "Qui amat periculum in illo peribit"; atqui Probabilistæ sequendo sententiam probabilem minus tutam, sese periculo peccati exponunt; ergo illicite agunt.

Resp. 1° *Retorq. argumen.* in Probabilioristas: sequendo enim opinionem probabiliorem faventem libertati, quæ et ipsa falsa esse potest, datur idem periculum; confugiendum igitur foret ad Rigorismum strictum.

2° *Dist. maj.* Non licet se exponere periculo peccati *formalis; Conc.;* peccati *materialis; Nego:* quia peccatum mere materiale non est imputabile, neque Deum offendit, eo quod nihil aliud sit, nisi materia peccati, segregata ab omni voluntatis malitia; ubi autem nulla prava voluntas intervenit, nullum adest peccatum. Propterea damnata fuit Prop. 46ª Baji: "Ad rationem et definitionem peccati non pertinet voluntarium."[2] Eodem modo *dist. min.* Probabilistæ versantur in periculo peccati *materialis*, non autem *formalis;* ex principiis enim reflexis Probabilismi plane certi sumus, legem dubiam, etiamsi objective forte adesset, subjective non obligare, seu non esse legem *quoad nos*, adeoque ejusdem materialem transgressionem ad culpam imputari non posse.

3° Objectio adversariorum vel probat, principium possessionis ne in materia quidem justitiæ posse applicari, vel nihil probat. Etenim in materia justitiæ, si quis, post dubium exortum, perseveret in usu juris quod possidet, se exponit periculo legis naturalis violandæ; atqui, adversariis fatentibus, hoc periculum violandæ legis naturalis in materia justitiæ non impedit, quominus in dubio vincat possessor; ergo idem valet pro libertate in quacumque alia materia. — *Prob. maj.* Nam simul ac dubium ortum est circa proprietatem rei, quam quis possidet, adest periculum exercendi jus, quod fortasse non possessori sed alteri competit, et percipiendi fructus, qui fortasse non sunt possessoris, sed alterius jure suo spoliati: quæ duo manifeste adversantur legi naturali.

90. — *Obj. III.* In dubio circa legem standum est principio juris canonici: "In dubio tutior via est eligenda."

Resp. 1°. Præfata regula valet a) in dubio practico de actionis honestate formali; b) in dubio facti, quocum conjunctum est periculum mali, quod a conscientia haud pendet et vitare tenemur, de quo disseruimus n. 58–60. Talia namque erant dubia, quibus Canones regulam illam applicant; in casibus enim illis semper agebatur de dubio practico, vel de malo quodam vitando, a conscientia independente, ut clare probat S. Alphonsus,[1] singulos dictos casus discutiendo. Theologi insuper fere communiter docent præfatam regulam Canonum quoad dubia speculativa esse de consilio, non de præcepto.

2° Regulæ citatæ opponimus Regulam 30ᵐ: "In obscuris minimum est sequendum," et 65ᵐ: "In pari delicto vel causâ melior est conditio possidentis," et hunc Canonem: "Nisi de mandato Sedis Apostolicæ *certus* extiteris, exequi non cogeris quod mandatur."[2]

91. — *Obj. IV.* In dubio melior est conditio possidentis in materia justitiæ, quia possessio dat præsumptionem proprietatis; atqui in materia aliarum virtutum hæc ratio non currit; possessio enim libertatis non dat præsumptionem legem non exstare, quum ista possessio impertinens sit ad existentiam legis; ergo principium possessionis non valet in materia aliarum virtutum.

Resp. Ante responsum adverte, proprietatem actu positivo acquirendam esse; idcirco in possidente actus legitimus præsumitur et probanda est injustitia: libertas autem in homine antecedenter certa est; idcirco ipsa præsumitur et probanda est lex. — Hoc præmisso respondeo *Negando minorem;* in utroque enim habetur paritas. Nam sicut in materia justitiæ præsumitur proprietas in possidente rem, et probanda est injustitia, eodem modo in materia honestatis præsumitur libertas in homine possidente illam, et probanda est lex.

92. *Objectiones eorum qui sequuntur Probalismum communem seu simplicem.* — *Obj. I.* Quoties lex non probaverit suam existentiam, nulla est pro voluntate humana; ergo etiam quoties lex cessat probare suam existentiam, cessat quoque lex illa extare pro humana voluntate: quemadmodum enim obligatio pendet a notitia

[1] 3. 27. [2] Dissert. a° 1763 n. 31.

[1] L. I. 79.
[2] L. I. Decr. T. xxix. c. 31.

certa legis, ita etiam continuatio obligationis pendet a continuatione notitiæ certæ ejusdem.

Resp. 1° *Retorq. conclus.* Ergo etiam quoties libertas cessat probare suam existentiam cessat quoque libertas existere; ergo etiam, quoties quis cessat suam innocentiam probare, cessat quoque innocentia existere; ergo etiam, quoties superior cessat probare suam potestatem, cessat quoque potestas ejus existere pro humana voluntate. Jam vero hæ conclusiones certo falsæ sunt. Ergo et conclusio objectionis, quum omnes eodem nitantur fundamento.

2° Est purum sophisma. *Nego paritatem.* Cognita enim semel legis existentia et obligatione, ea pergit existere et obligare, donec cessatio probetur; est enim, de ratione *legis* permanere, sicut de ratione *præcepti* est ad unum aut paucos actus determinari. Unde sequenti modo arguendum esset: Quoties non probatur existentia legis, nulla est pro conscientia; ergo etiam quoties non probatur cessatio legis certæ, nulla est cessatio pro conscientia; quemadmodum enim obligatio pendet a certa legis notitia, ita quoque obligationis cessatio pendet a certa cessationis notitia.

93. — *Obj. II.* Si lex dubia quoad cessationem obliget, sequitur legem dubiam æque certo obligare ac legem certam; atqui hoc non videtur rationabile; ergo non obligat.

Resp. 1° *Retorq. argum.* Si lex dubie existens non obliget, sequitur libertatem dubiam æque certo liberare ac certam, quod non magis rationabile videtur.

2° *Dist. maj.* Sequitur legem, quæ dubie desiit, *directe* seu vi sua æque certo obligare ac legem certam, *Nego; indirecte*, seu vi principii reflexi, *Conc.* — *Nego minor.* Hoc enim omnino rationabile est, quum principium istud in dubio conscientiam reddat practice certam.

94. — *Obj. III.* Probabilistæ moderati, innixi principio possessionis, docent quod certus de debito, sed dubius de ejusdem solutione, teneatur totum debitum solvere. Atqui nimis durum et irrationabile videtur talem debitorem obligare ad totum debitum solvendum cum periculo bis solvendi et sic grave damnum subeundi. Ergo principium possessionis tanquam regula generalis admitti nequit.

Resp. 1° *Retorq. argum.* Id non magis durum et irrationabile videtur, quam præscriptio facta a possessore, qui bona fide acquisivit rem notabilis valoris, postea vero invincibiliter dubitat an non sit alterius; et nihilominus juxta communem sententiam theologorum et omnium tribunalium potest rem illam totam retinere, cum periculo retinendi rem alienam et graviter damnificandi tertium, i. e. verum dominum. Pariter dubius de debito nihil obligatur solvere, non obstante eodem periculo graviter damnificandi alium, forte verum creditorem. Scriptores moderni qui in casu objecto volunt solvendum esse pro rata dubii, si sibi constare vellent, deberent quoque, in casu allegato præscriptionis, possessorem obligare ad dividendum pro rata dubii, et similiter, in casu dubii debiti, debitorem obligare ad solvendum pro rata, quum in utroque casu prorsus eadem militet ratio; quinimo deberent penitus rejicere principium possessionis in materia etiam justitiæ, quod tamen non faciunt.

2° *Nego min.* Resolutio Probabilistarum moderatorum nihil habet æquitati adversum, quum certo nitatur principio, et, si spectetur ut debet, in genere, ante omnem eventum, cuilibet potest æqualiter prodesse, sicut nocere. In hujusmodi dubiis unusquisque debet pariliter, modo pro se, modo contra se dubium resolvere, et vice sua periculum damni subire ac spe lucri frui: in dubio debito, incertus creditor periculum sustineat; in dubia solutione debiti, incertus debitor. — Quid non rationabile in hac solutione? Neuter in hoc casu *certo* injustum patitur damnum aut injustum accipit lucrum. Contra, si debitor in præfatis dubiis cogatur semper solvere pro rata, alteruter *certo* damnum injustum subibit. Etenim in dubio debito, si debitum non existat, cogitur quis solvere quod non debet; sin autem existat, creditor non accipit totum quod suum est, et sic pariter in dubio solutionis factæ. Nonne hoc multo minus rationabile?

95. — *Obj. IV.* Qui probabiliter alicui obligationi satisfecit, ad nihil ulterius tenetur. *Probo:* 1° Probabilitas enim gravi et prudenti judicio fulcitur; quisquis ergo probabiliter satisfecit obligationi, illud agit quod prudenti judicio sufficit ad præceptum implendum. Atqui neque æquitas patitur, ut plus exigatur quam quod pru-

denter creditur sufficiens ad implendum præceptum; neque plus aliquid velle merito censetur prudens et æquus legislator. Ergo.

2° Quælibet exactio ultra id, quod probabiliter sufficit ad implendum præceptum, contra se habet prudentis hujus judicii probabilitatem. Atqui exactio, contra se habens judicium probabile, evadit, quoad hoc, obligatio seu lex incerta, quæ vim obligandi habere non potest. Ergo.

3° *Ab absurdo.* Si enim obligationi certæ itidem certam satisfactionem postules, nedum per probabilem aut probabiliorem, sed ne per probabilissimam quidem satisfactionem præceptum dici poterit impletum; nam semper locus superest reponendi, certam esse obligationem, satisfactionem vero incertam seu minus certam. Atqui hoc recta via ad damnatum Tutiorismum adducit. Hinc etiam Billuart,[1] et alii licet Probabiliorismum tenerent, censuere tamen sufficere, si legi probabiliter satisfacias. Ergo.

Resp. I. Si adsit *unica* seu solitaria probabilitas (n. 52 sub 3.) aut præsumptio quod quis satisfecerit, libenter concedimus. Recole dicta n. 67 1° b)

II. Si *utrobique* probabilitas sit, prout supponit objectio; *Nego.* Idcirco ad 1^{m} et 2^{m} *retorq. argum.*

1° Probabilitas gravi et prudenti judicio fulcitur; quisquis ergo probabiliter *non* satisfacit obligationi, illud agit, quod prudenti judicio *non* sufficit ad præceptum implendum. Atqui æquitas postulat ut id exigatur, quod prudenter creditur requiri ad implendum præceptum, idque velle merito censetur prudens et æquus legislator. Ergo.

2° Exactio illius, quod probabiliter requiritur ad implendum præceptum, pro se habet prudentis hujus judicii probabilitatem. Atqui exactio, pro se habens judicium probabile, evadit, quoad hoc, exactio prudens atque adeo vim obligandi habet. Ergo.

Nemo non videt miserrima ejusmodi argumenta, quibus contradictoria eodem jure probare quis posset, nullius prorsus momenti esse, quandoquidem se mutuo penitus elidunt; ita ut hæc arguendi ratio assimulari possit venefico illi colubro, qui immani haustu ipse sese devoravit, ita ut præter caudam nihil superesset. Liquet porro præfata argumenta non alio fundamento inniti, quam falso illo multorum Probabilistarum principio: "Qui probabiliter agit, prudenter agit."

Ad 3^{m} *Nego conseq.* Si satisfactio notabiliter probabilior est, ea moraliter certa est, ut ostendimus n. 71–73; consequenter ne minimum quidem damnati Tutiorismi periculum subest, sed inter moderati Probabilismi fines constanter consistimus. Illa porro, quam impugnat objectio, doctrina, S. Alphonsi est, necnon Billuartii;[1] quæ si *recta via* ad damnatum Tutiorismum conduceret, damnanda et ipsa foret, errassetque propterea S. Sedes, dum S. Alphonsi doctrinam ab *omni censura* immunem declaravit. Objectio itaque ab absurdo exploditur. — Addo allata potius adversariorum argumenta recta via ad laxismum conducere; siquidem eo tendunt, ut *e dubio* ultimum conscientiæ dictamen efformet.

96. — *Obj. V.* Vera opinionis probabilitas consistit in eo, quod pro se habeat motivum grave, et contra se nihil *certi.* Atqui hæc conveniunt etiam minus probabili in concursu multo probabilioris; siquidem omnis probabilitas essentialiter incerta est. Ergo potest opinio vere probabilis esse in concursu notabiliter probabilioris.

Resp. 1° *Dist. maj.* Quod contra se nihil *certi* habeat, certitudine *lata,* quæ relinquit aliquam formidinem erroris; *Concedo;* secus, *Nego.* In rebus enim moralibus, ut diximus cum D. Thoma, non exposcitur certitudo stricta, sed probabilis sufficit, quæ in pluribus veritatem attingat, etsi in paucioribus a veritate deficiat. Si ita non esset, nec etiam liceret sequi opinionem *unice* seu solitarie probabilem, quam tamen sequi licitum esse concedunt vel ipsi Probabilioristæ.

2° *Nego min. et conclus.* In concursu opinionis manifeste et notabiliter probabilioris, probabilitas opposita necessario evadit *comparative* levis aut saltem dubia. Atqui hujusmodi probabilitas non continetur intra limites probabilitatis stricte ac theologice acceptæ, quippe quæ nititur fundamento *vere ac comparative gravi.*

[1] De Sacram. Pœnit. dissert. 7. art. 2. §. 4.

[1] De act. hum. dissert. 6. art. 4.

Ergo notabilis probabilitatis præponderantia fundat certitudinem latam, quæ contra se nihil *grave* habet.

3° Admisso objectionis ratiocinio, non apparet quomodo caveri possit Laxismus. Si namque comparativa opinionis probabilitas tum solum tollitur, quum contra se aliquid *certi* habeat, dico: atqui hæc conveniunt etiam minus probabili in concursu probabilissimæ, siquidem *omnis* probabilitas essentialiter incerta est; ergo potest opinio vere probabilis esse in concursu etiam probabilissimæ.

Merito igitur S. Alphonsus contendit simplicem Probabilismum verum sapere Laxismum.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

Lex est regula *externa* et *remota* actuum humanorum, sicut conscientia, seu dictamen practicum rationis, est eorumdem regula *interna* et *proxima*. *Agendum*, 1° de legibus in genere, 2° de præcipuis legum speciebus.

PARS PRIMA.

DE LEGIBUS IN GENERE.

Dicemus de legis natura. — Auctore. — Objecto et subjecto. — Promulgatione et acceptatione. — Obligatione. — Interpretatione. — Dispensatione et cessatione.

CAPUT I.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS LEGIS.

97. — *Definitio.* Lex a S. Thoma[1] definitur: "Quædam rationis ordinatio" (stabilis) "ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata."

Dicitur: 1) *ordinatio*, i. e. præscriptio, et in hoc differt lex à consilio; 2) *stabilis*, quia lex non extinguitur cum legislatore; 3) *rationis*, i. e. secundum rectam rationem; alioquin non esset homine digna, utpote deficiens a rectitudine. Imo tunc non haberet rationem legis, sed violentiæ potius; 4) *ad bonum commune*, e. g. societatis conservationem, pacem publicam, delictorum coercitionem, litium extinctionem et similia, quibus bonum commune continetur. Bonum videlicet commune est finis *directus* et *immediatus legis*; particulare vero *præcepti*, licet *mediate* et *indirecte* lex ad privatum cujusque bonum, præceptum vero ad bonum commune tendat, quatenus scilicet et commune omnium bonum in bonum redundat singulorum, et vice versa; 5) *ab eo qui curam communitatis habet*; cum enim leges ferre sit actus jurisdictionis, illæ ferri non possunt, nisi ab eo, qui tali auctoritate potiatur, seu a communitatis superiore; 6) *promulgata*, quia promulgatio pertinet ad legis naturam, vel saltem est ejus necessaria conditio: secus frustra lex constitueretur, cum impleri non possit, quod nullimode innotescit.

[1] 1. 2. q. 90. a. 4.

98. — Hinc multiplex intercedit discrimen *legem* inter et *præceptum*, etsi passim indistincte usurpentur, ut cum leges divinas, Moysi in monte traditas, præcepta Decalogi nuncupamus. Differunt nimirum:

1° Ratione *finis*, quia finis legis est bonum commune; præcepti privatum, sensu tamen supra declarato.

2° Ratione *jubentis*; nam lex fertur a persona publica pro tota communitate; præceptum vero a persona quidem superiore, sed *vel* privata in personas privatas, uti à domino in servum; *vel* etiam publica, sed agente cum personis privatis et singularibus, uti Princeps cum aliquo e suis subditis, aut cum aliquo particulari cœtu.

3° Ratione *subjecti*; lex enim etiam ad futuros extenditur, præceptum e contrario non complectitur nisi præsentes. Ratio est, quia lex lata est pro communitate, quæ semper durat, licet membra ejus mutentur; unde patet etiam futuros lege obligari, nempe statim ac incipiant esse partes communitatis. At cum præceptum adhæreat personæ singulariter determinatæ, personâ extinctâ, et præceptum extingui oportet.

4° Ratione *stabilitatis*; nam lex *per se* perpetua est, et vivit etiam legislatore defuncto; præceptum vero expirat morte præcipientis. Sequitur ex dictis sub 3°. Hinc si superior alicui particulari prohibuisset egredi sine licentia e diœcesi, superiore mortuo, cessaret in posterum hæc contra illum lata prohibitio. Econtra, si

per legem generalem id omnibus subditis prohibuisset, etiam superiore mortuo, lex in suo primo robore permaneret.

5° Ratione *extensionis;* quia lex, cum feratur pro communitate qua tali, si communitas illa sit localis, non obligat extra ejus territorium; præceptum vero, cum detur personæ, eam ubique comitatur, eique firmiter adhæret, quocumque discesserit. Ita, si sacerdos fuerit a suo superiore suspensus, hæc pœna eum comitatur etiam in aliena diœcesi, neque potest in ea celebrare. E contrario, si per edictum generale in sua Synodo Episcopus clero suo prohibuisset ingredi liquorum officinas sub suspensione latæ sententiæ, hanc pœnam non incurreret clericus, qui eas ingrediatur extra diœcesim suam.

99. — *Divisio.* Lex distinguitur:

Divina, vel *humana*, prout Deum aut hominem auctorem *immediatum* habet. Dico: *immediatum;* humana enim, licet immediate feratur ab homine, fertur tamen auctoritate a Deo, sive *immediate*, sive *mediate* communicata.

Divina subdividitur in *æternam*, *naturalem* et *divinam positivam*, de quibus suo loco. Humana, quæ et simpliciter *positiva* audit, dividitur:

1° ratione *originis*, in *ecclesiasticam*, quæ a potestate ecclesiasticâ, et *civilem*, quæ a civili fertur.

2° ratione *modi*, *quo præcipit* vel *prohibet*, a) in *præceptivam*, quæ et *moralis* dicitur a quibusdam, et jubet aut prohibet, quin pœnas in transgressores infligat, — et *pœnalem*. Hæc autem *vel* solam pœnam imponit, quin præcipiat quidquam aut prohibeat, et *pure pœnalis* aut *pœnalis* sine addito vocatur, ut si dicat: "qui talem mercem importaverit, persolvet pœnam scutorum triginta"; *vel* pœnam imponit, aliquid simul præcipiendo aut prohibendo, ut si dicat: "prohibetur talium mercium importatio sub pœna scutorum viginti, et nominatur *pœnalis mixta* aut etiam *lex mixta*. b) In *prohibentem*, quæ actum illicitum tantum, et *irritantem*, quæ invalidum reddit (n. 2. 4°).

3° Ratione *modi*, *quo fertur*, in *scriptam*, quæ scripto datur, et *usu servatam*, quæ sola consuetudine introducitur.

100. — *Proprietates* seu *conditiones* legis *humanæ*, prout ex ipsa legis definitione patet, sunt sequentes; scilicet debet esse *possibilis*, *honesta*, *utilis*, *justa*, *permanens* seu *stabilis*, et *promulgata*. — Ita ex Dist. 4. cap. 2.

1° *Possibilis*, accommodata scilicet moribus et circumstantiis personarum, etc.

2° *Honesta*, nihil nempe statuens, quod inhonestum sit, ac bonis moribus seu rectæ rationi aut divinæ legi positivæ repugnans; neque enim ad actus malos et ultimo hominis fini adversos obstringere lex potest.

3° *Utilis*, bono sc. communi, idque notabiliter, 1° quia bonum communitatis est finis essentialis et primarius legis; 2° quia lex est actus publicæ potestatis, quæ in solum bonum commune instituta est.

4° *Justa*, i. e. secundum normam justitiæ distributivæ, adeo ut alii non magis quam cæteri graventur, sed subditis cum æqualitate proportionis, spectatis eorum viribus et facultatibus, onera imponantur: secus in conscientia non obligat.

5° *Permanens* seu *stabilis*, ita ut semel lata, — nisi abrogetur, vel noxia evadat aut inutilis, — tamdiu duret, quamdiu stat communitas, cui imponitur, vel quamdiu perseverant circumstantiæ, pro quibus lata est.

6° *Promulgata*, quia lex est regula generalis et publica actionum, dirigens et obligans communitatem. Regula autem dirigere et obligare nequit communitatem, quam regit, nisi sit ei per promulgationem applicata.

CAPUT II.

DE AUCTORE LEGIS SEU DE LEGISLATORE.

101. — Legislator dicitur Superior, cui sive independens ac suprema, sive subordinata potestas inest leges ferendi pro communitate, in quam habet jurisdictionem.

PRINCIPIA. — I. Deus solus est legislator supremus et universalis, a quo necessario cæteri legislatores, quicunque sint, omnem suam potestatem accipiunt, sive *immediate* sive *mediate*. Deus enim est regula summa et essentialis cujuslibet ordinis, et ipse solus gaudet supremo dominio in creaturas rationales, quarum est principium et finis ultimus. — Con-

stat etiam ex Scriptura: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt; per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.*[1] — *Non est potestas, nisi a Deo.*[2]

II. Ecclesia potestatem habet condendi leges, quæ ad finem sibi propositum conducunt. Principium probatum vide apud Theologiæ Dogmaticæ scriptores.

III. Potestas civilis leges, quæ ad finem temporalis felicitatis conducunt, condere potest.

Constat 1° ex Scriptura Sacra: *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.*[3] *Subditi estote, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis.*[4]

Constat 2° ex ratione. Lex enim, seu *ordinatio ad bonum commune* est medium necessarium ad conservandum promovendumque finem Communitatis civilis, seu temporalem illius felicitatem; ergo facultas illud medium adhibendi, seu potestas leges ferendi, debet esse in eo qui curam debet habere communitatis (n. 100, 3°).

IV. Semper obtemperandum est legitimis Superioribus aliquid justa lege præcipientibus, sive immediate a Deo, sive mediante populo eos auctoritatem recepisse existimes. — Ratio est, quia in utraque sententia sunt æque a Deo societati gubernandæ præpositi, ac propterea auctoritate pollent ab eo accepta. Hinc nullius momenti est in praxi controversia, utrum Principes sæculares *mediate*, an *immediate* potestatem a Deo habeant. — Dixi: *aliquid justa lege præcipientibus.* Censenda autem est justa lex, quoties de ejus injustitia apud viros doctos et probos communiter non constat: quia rectus ordo requirit, ut in dubio præsumptio faveat Superiori.

102. Quæsita. — Quær. 1° *Quinam in Ecclesia leges condendi facultate polleant?*

Resp. 1° *Papa* pro tota Ecclesia.

2° *Concilium generale* item pro tota Ecclesia.

3° *Episcopi pro sua diœcesi* et Abbates et Prælati exempti pro suo territorio. Eorum tamen ordinationes præcepta tantum, non leges *censentur*, nisi vel a) in Synodo diœcesana latæ sint, vel b) extra illam quidem, sed capitulo *audito*, eoque, si de rebus agitur, quæ in capituli aut cleri præjudicium, i. e. juris jam acquisiti violationem cederent, *consentiente.*[1] Ubi vero nulla etiamnum Capitula existunt, uti apud nos, vel ubi jus Capituli contraria consuetudine abrogatum est, Episcopus illud audire, ut per se patet, non tenetur. — Archiepiscopi vero et Patriarchæ leges ferre nequeunt pro diœcesibus suffraganeorum, quia non sunt earum Superiores proprie dicti, quamvis lites ex eis ad se delatas dirimere possint.

Sed neque Episcopus, neque Archiepiscopus, neque Patriarcha leges aut præcepta dare potest contrarias sive generali totius Ecclesiæ consuetudini, quæ juris communis vim habet, sive legibus latis a potestate sibi superiore, cum inferior in superiorem jurisdictionem non habeat.

4° *Concilia particularia pro diœcesibus, quas repræsentant.* Etenim, si Episcopi seorsim sumpti leges pro diœcesibus statuere valent, similiter et in Concilio, sive nationali, sive provinciali leges pro natione vel provincia constituere poterunt. Attamen Provincialium ac Nationalium Conciliorum decreta ad S. Cong. Conc. Trid. mitti debent, ut recognoscantur. Sic ex antiquo jure a Sixto *V.* confirmato in Bulla *Immensa æterni*, ubi de S. Congreg. Concilii dicitur: "*Provincialium vero*" (*Conciliorum*), "*ubivis terrarum illa celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet, eaque singula expendet et recognoscet.*" "*Non semel tamen,*" ait Ben. XIV.,[2] "*accidit provincialia non solum a sacra Congregatione Concilii recognosci, et, si opus fuerit, emendari, verum etiam a Summo Pontifice, ita petentibus Metropolitanis, a quibus sunt celebrata, per apostolicas litteras confirmari.*" Confirmatio vero Synodorum per Apostolicam Sedem duobus modis, sedulo distinguendis, fieri potest: in forma sc. communi, vel in forma specifica. In forma *communi* confirmari dicuntur statuta, quæ non singulatim examinantur, neque approbantur a Pontifice *motu proprio* et *ex certa scientia* . . . et talis confirmatio nihil novi juris aut efficacitatis illis tribuit. In forma *specifica* fieri confirmatio dicitur, cum præmittitur causæ cognitio, et singula statuta diligenter expenduntur, ac deinde, nulla adjecta conditione, aucto-

[1] Prov. 8. 15. 16. [2] Rom. 13. 1.
[3] Prov. 8. 15. [4] I. Petri. 2. 13.

[1] L. I. 104. Coll. H. A. Tr. II. 33.
[2] De Syn. Diœc. L. XIII. c. 3.

ritate Apostolica cum clausula, *motu proprio atque ex certa scientia*, confirmantur.... Statuto confirmato in forma *specifica*, cum induerit naturam legis pontificiæ, nulli inferiorum fas est derogare; immo ab hac confirmatione tantas accipit vires, ut prævaleat juri communi, cui foret contrarium. Ita Ben. XIV.[1]

103. — Quær. 2° *An leges condere possint Capitulum Cathedralis, Sede vacante, Prælati Regularium, et Abbatissæ, seu Monialium Superiorissæ?*

Resp. 1° *Capitulum*, Sede vacante, nihil innovare aut abrogare potest; sed diœcesim juxta leges existentes gubernare debet.[2] Altamen statuta, quæ pro circumstantiis necessaria essent, ferre posset. Capituli loco hac in re apud nos est Administrator diœcesis.[3]

Resp. 2° *Prælati Regularium* veras leges condere valent, sive in Congregatione generali Ordinis, sive alio modo intra limites suæ jurisdictionis juxta proprias Ordinis constitutiones. Habent enim statuta a Summo Pontifice approbata, quæ illis hanc tribuunt facultatem.

Resp. 3° *Abbatissæ vel Superiorissæ Monialium* non possunt leges proprie dictas ferre, cum jurisdictionem ecclesiasticam non habeant. Possunt tamen exigere in conscientia obedientiam circa res in regulâ præscriptas, vel circa ea, quæ ad profectum monialium, juxta regulas, conducunt. Habent enim jus præcipiendi tum ex voto obedientiæ a subditis emisso, tum ex necessitate disciplinæ, quæ in communitate servari debet.

Nota: De auctore legis civilis agetur infra.

CAPUT III.

DE OBJECTO ET SUBJECTO LEGIS.

ARTICULUS I.

DE OBJECTO LEGIS.

104. Principia. — I. Objectum legis sunt omnes et soli actus, quorum positio vel omissio ad bonum commune conferre potest; hoc enim bonum est ratio seu finis legis (n. 100, 3°). Hinc

II. Omnes actus indifferentes *distributive* sumpti objectum legis esse possunt; nam cum actus ejusmodi conferre ad bonum commune possint, eo ipso possunt præcipi aut vetari.

Hinc distinctio inter ea, quæ prohibentur, quia mala sunt, et ea, quæ mala sunt, quia prohibentur. Porro postrema hæc e numero sunt actuum *per se* indifferentium.

105. Quæsita. — Quær. 1° *An actus heroici sub legem cadant?*

Prænotandum. Virtutes ratione exercitii distinguuntur in *communes* et in *heroicas*. *Communes* sunt, quæ ab hominibus exercentur secundum illam rationem, quam ordinarie solent servare, qui virtutem profitentur. *Heroicæ* vero quæ, habita ratione circumstantiarum, admirationem pariunt, arduitatem includunt, promptitudinem exigunt,[1] ut e. g. si puer rigorose jejunaret. Hoc posito,

Resp. distinguendo. 1° Lex *divina*, tum naturalis, tum positiva, obligare *potest* ad istiusmodi actus, seu cum vitæ etiam discrimine. Ita SS. Martyres mortem, eamque acerbissimam, non ex *supererogatione quadam*, sed ex obligatione subierunt. Ita pariter cum vitæ etiam discrimine baptismum administrare teneris infanti de vita periclitanti. Licet enim lex possibilis esse debeat, sufficit tamen ut sit possibilis *moraliter*, seu in casibus *communiter* occurrentibus; actus autem, de quibus agitur, *rarissime* ponendi sunt; ideoque in responsione dicitur *obligare potest*.

2° Lex *humana* ejusmodi actus *generatim* invitis præcipere nequit; ad finem enim legis humanæ, seu ad bonum commune, eorum positio generatim non est necessaria. Dixi: a) generatim *præcipere nequit;* nam aliquando ad vitandum Dei vel religionis contemptum, aut ad bonum commune necessaria est eorum positio, et sic milites vigiles non possunt stationem deserere, etiam imminente periculo vitæ, si detrimentum inde respublica captura sit. Dixi: b) *invitis*, ut ne leges comprehendam, quæ feruntur ex hypothesi alicujus status particularis, quem quis voluntarie sit amplexus, et sic

[1] De Syn. Diœc. L. XIII. c. 5. n. 11.
[2] L. II. 104. — Gousset, n. 129.
[3] V. Conc. Plen. Balt. II. art. 96 – 99.

[1] Ben. XIV. De Serv. Dei, etc. Lib. III. c. 21.

Ecclesia monialibus perpetuam præcipit clausuram.

106. — Quær. 2° *An lex humana possit præcipere, itemque prohibere actus internos?*

Prænotandum. Actus internus præcipi potest et prohiberi tum directe sive in se, uti Scholæ loquuntur, tum indirecte seu ratione actuum externorum, quibus ipse necessario conjungitur. Potest autem actio interna cum externa conjungi, — *vel* tamquam forma constituens actum ipsum externum in esse suo morali, ut v. g. consensus in matrimonio; — *vel* tamquam causa effectum suum producens, ut v. g. voluntas occidendi in homicidio voluntario; — *vel* tamquam conditio necessaria, ut e. g. contritio in confessione. His præmissis,

Resp. Si sermo est de illis internis actibus, qui cum externis necessario conjunguntur, certum est legislatorem humanum præcipere et prohibere posse indirecte actus internos, quatenus nempe per se conjuncti sunt cum actibus ipsis externis, vel tamquam forma, vel tamquam causa, vel tamquam conditio necessaria. Si enim legislator humanus cogere potest ad actum externum validum,—v. g. ad validum contractum, ad validam confessionem, — obligare etiam poterit ad ea, quæ cum validitate illa necessario conjuncta sunt, et, quibus omissis, actio externa frustra præciperetur.

Si vero sermo est de iis internis actibus, qui cum externis non necessario conjunguntur, consentiunt omnes, legislatorem civilem eos non posse præcipere vel prohibere; nam etiam sine his obtinet finem suum, tranquillitatem nempe reipublicæ, quæ facile habetur, si actus externi, qui præcepti sunt, ponantur, et omittantur, illi, qui sunt prohibiti.

Diximus: *legislatorem civilem;* nam de ecclesiastico disputatur. S° Alphonso [1] probabilior est sententia S. Thomæ [2] et Suarezii,[3] qui negant. Cum enim Ecclesia actus *mere* internos cognoscere non possit, neque judicialiter eorum potest urgere executionem, vel omissionem punire; ergo neque illos præcipere vel vetare; nam de ratione veræ societatis est, ut, quos imperat actus, eos ipsa *per se*, ex natura nempe ipsorum actuum, cognoscere valeat, etsi nonnunquam *per accidens* impediri possit a tali cognitione ex causa aliqua extrinseca.

Confessarius pœnitenti actus mere internos, ut v. g. pias aspirationes, imponens, non humani, sed divini legislatoris personam gerit, aut, si mavis, ut minister Sacramenti agit, ideoque non minus extra thesim objiceretur ac Ecclesia aut prælatus regularis dum religiosis meditationem præcipit; ejusmodi enim leges non dantur invitis, seu feruntur ex hypothesi status, quem quis voluntarie suscepit aut actionis, quam ponit.

107. — Quær. 3° *An lex humana præcipere possit actus externos occultos?*

Resp. Affirm. Quia potestatem habet dirigendi quidquid externum est. Actus enim occulti natura sua ab aliis non differunt; quod autem puniri nequeant, id per accidens contingit.[1]

108. — Quær. 4° *An lex se extendat ad actus præteritos?*

Resp. Negative: neque ratione culpæ, cum non sit prævaricatio ubi nondum erat lex; neque ratione pœnæ, cum hæc tantum lata sit in culpæ vindictam: neque ratione rescissionis, actuum, nisi in aliquo casu a lege expresso. Unde axioma: "*Lex non habet vim retroactivam.*" — Consonat Constitutio nostra, quæ expressis verbis habet: "*No . . . ex post facto law shall be passed,*" [2] et "*No state shall . . . pass any . . . ex post facto law, or law impairing the obligation of contracts.*" [3]

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO LEGIS.

109. Principia. — I. Omnis homo nascitur et remanet subjectus legi naturali. Cum enim lex naturalis sit ipsamet divina voluntas præscribens rectæ rationi consentanea, in mente cujusvis hominis indelebili charactere imprimitur. Igitur per accidens fit, ut, nondum evolutâ ratione, aut eâ obvolutâ non statim agnoscatur, vel aliquando cognosci desinat. Itaque homo nunquam censetur a lege naturali exemptus, sed tantum a reatu excusatur, ubi in ea violanda desit volun-

[1] L. I. 100. [2] 1. 2. q. 91. a. 4; q. 100. a. 9.
[3] De Leg. L. IV. c. 12. 13. n. 14.

[1] S. A. ib.
[2] Art. I. Sect. IX. 3.
[3] Ib. Sect. X. 1. et Kent. Vol. I. n. 407–422.

tarium. Unde non licet provocare infantes aut amentes ad blasphemias, turpitudines, etc.

110. — II. Omnes et soli subditi rationis habitualiter compotes sunt legi humanæ subjecti. — Ratio primi est, quia lex ferri nequit nisi in subditos. Ratio secundi est, quia homines, habitualiter usu rationis carentes, legibus dirigi non possunt.

Ex priori hujus principii parte sequitur infideles, seu non baptizatos, legibus ecclesiasticis non obligari, quia Ecclesiæ jurisdictioni nondum subjiciuntur. Tenentur tamen Ecclesiam ingredi, cum legi divinæ, in casu Evangelicæ, subjiciantur. Sequitur econtra hæreticos, schismaticos et quoscumque alios baptizatos, etsi non catholicos, legibus ecclesiasticis *per se* teneri, quia, quamvis sint rebelles, non cessant esse Ecclesiæ subditi.[1] Dixi: *per se*; quia 1° nesciunt fere, se ad illas teneri, etiamsi forte necessitatem, i. e. obligationem ingrediendi catholicam Ecclesiam jam cognoscant; quo casu in praxi non peccant, et 2° adsunt aliquando circumstantiæ, quibus concurrentibus censendum sit Ecclesiam nolle legibus suis, vel certa aliqua lege, hæreticos obligari; quando nempe lex gravissima gignit incommoda.[2] Verbo: aliud est Ecclesiam *posse*, aliud eam *velle* obligare hæreticos omnibus suis legibus. In praxi, hæretici ad gremium Ecclesiæ redeuntes in confessione non sunt cogendi ad se accusandos de non audita missa de præcepto aut de non servata lege jejunii.[3]

Sequitur pariter Ecclesiæ legibus adstringi excommunicatos, quamvis de Ecclesia ejecti fuerint; secus enim ex malitia sua commodum reportarent. Præterea per ipsos stat ut ab excommunicatione solvantur.

Ex posteriori principii parte patet infantes et perpetuo amentes non esse legi humanæ subditos. Licet igitur eis dare carnes edendas diebus, quibus illæ ab Ecclesiâ prohibentur. Non tamen id *expedit* cum puerulis, qui ante septennium aliqualem, licet valde imperfectum usum rationis habere incipiunt. Interest enim quam maxime, ut ab unguiculis jugum Domini portare assuescant. Amentes tamen ad breve tempus, vel qui *multa* lucida habent intervalla, ebrii et dormientes, sunt legi subjecti, quia sunt in statu habituali usus rationis. Hinc non licet eis dare carnes diebus prohibitis.[1]

111. — III. Soli homines actualiter ratione utentes possunt legem moraliter violare, quia, deficiente cognitione, nemo peccare potest.

112. QUÆSITA. — Quær. 1° *An clerici teneantur legibus civilibus?*

Resp. Affirm., quoad vim earum directivam, iis tamen exceptis, quæ repugnant immunitati ecclesiasticæ, etiamnum vigenti. Omnes enim partes communitatis politicæ legibus politicis obligantur; atqui clerici sunt partes communitatis politicæ. Ergo.

Dixi: 1° *iis tamen exceptis, quæ repugnant immunitati ecclesiasticæ.* Hæc vero triplex distinguitur, scilicet *personalis, localis et realis.*

Personalis comprehendit exemptionem clericorum 1) a foro laicali in causis tum civilibus, tum criminalibus;[2] 2) a tributis, quibus non subjacent eorum bona tam ecclesiastica, quam quocumque alio modo acquisita;[3] 3) ab iis oneribus, quæ vilia seu sordida existimantur, ut reparatio viarum et pontium; 4) a servitio militari, a receptione militum et aliis præstationibus causa militiæ; 5) a tutela et curatela, et generatim ab iis, quæ vel status sui sanctitati non conveniant, vel cum officiis eidem annexis componi nequeant.

Localis in duobus præcipue consistit, scilicet 1) in prohibitione, ne in locis sacris peragantur certi actus, profani nempe, maxime tales, qui eorum sanctitatem magis dedeceant;[4] 2) in jure asyli, quo cavetur ne confugientes ad loca sacra aut domos religiosas ex his extrahantur, nisi sub certis conditionibus.[5]

Realis, seu bonorum ecclesiasticorum immunitas a tributis et oneribus, a potestate sæculari impositis. Hæc quousque se extendat, vide, si lubet, apud *Craisson.*[6]

[1] L. I. 155.
[2] Tarquini, Jur. Eccl. Publ. Instit. n. 64. 65.
[3] Frassinetti, Compendio della Theologia Morale, note 7.

[1] L. I. 155.
[2] S. Alph. de Privil. n. 19. [3] Ib. n. 20.
[4] Craisson, Manuale, n. 4828 – 4837.
[5] Craisson, n. 4838 – 4840 et S. Alph. de Priv. n. 25 – 28.
[6] Ib. n. 5288 – 5291.

Ad immunitatem ecclesiasticam pertinent P.P. in Syll. damnatæ 30. 31. 32. V. p. XLIII.

Dixi: 2° *Quæ repugnant immunitati ecclesiasticæ* ETIAMNUM VIGENTI; Ecclesia enim vel *expresse*, ut concordato, vel *tacite* juri suo quoad hanc illamve immunitatem renunciare potest; tacita autem renunciatio non est facile præsumenda, cum ordinarie nitatur factis, coacte, non voluntarie positis. Hinc

113. — Quær. 2° *Quid agere debeant* 1° *Episcopus;* 2° *Clericus;* 3° *Officialis civilis, ne jus immunitatis ecclesiasticæ lædere videantur, dum servare coguntur leges eidem adversas?*

Resp. I. Generatim 1° Contra ejusmodi leges protestari tenentur, si, omissa omni protestatione, scandalum timendum foret; quod tamen timendum haud est, ubi fideles norunt impossibilitatem adesse aliter agendi. 2° Vi cedendum, quin provocentur apertæ violentiæ, quæ non inserviunt nisi ad multiplicandas Dei offensas et ad injurias Ecclesiæ inferendas.[1]

Resp. II. ad singula. Ad 1ᵘᵐ. "Suo muneri satis abunde facturum se credat," ait Ben. XIV.,[2] si curet 1° "Ne princeps sæcularis sibi umquam arroget jus Sacrorum, hoc est, ne . . . se immisceat in causis . . . *mere* . . . spiritualibus et ecclesiasticis." 2° "Ne judex laicus," aut potestas sæcularis "eam quoque partem jurisdictionis" aut immunitatis "invadat, quæ hactenus perseverat intacta."

Ad 2ᵘᵐ. 1° Nisi de casu agatur, in quo *vel* periculum sit in mora, *vel* consuetudo contraria jam inoleverit, ad Episcopum recurrat.

2° "Ubi cum homine etiam sæculari et de rebus temporalibus difficultas oritur, ne quemquam in jus vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi res aliter componi nequeat."[3]

3° "Ecclesiæ honorem temnit et sacros canones conculcat, quicumque personæ Ecclesiasticæ vel Religiosæ . . . de re juris stricte ecclesiastici . . . coram profano judice litem intenderit,"[4] nimirum ut actor ("*plaintiff*") et non simpliciter ut reus ("*defendant*)."

[1] Frassinetti, Comp. della Theol. Mor. n. 136.
[2] De Syn. L. IX. c. 9.
[3] Conc. Pl. Balt. II. a. 155. [4] Ib. et a. 156.

Ad 3ᵗᵘᵐ. Agat ut de clerico ad 2ᵐ sub 1° dictum est; neque enim sine gravi damno suo vel etiam Religionis, seu sine periculo jacturæ officii, alias forsan acatholico aut pravo catholico committendi, aliter agere potest. Plura de officiali civili suo loco.

114. — Quær. 3° *Quibusnam immunitatibus Ecclesia in Fœderatis nostris Statibus uti possit, quin legum civilium pœnis obnoxia fiat?*

Resp. a) Quoad *personalem* clerici a cæteris civibus non distinguuntur, nisi quoad tutelam et curatelam in Louisiana.[1] Cœterum in reliquis Statibus nemo ullus ad eam cogitur. Ita pariter non tenentur esse de numero juratorum ("*members of the jury*"). b) Quoad *localem*, sola illa SS. Canonum prohibitio, qua cavetur, ne in locis sacris peragantur certi actus, urgeri potest; non vero jus asyli. c) Quoad *realem*, vide dicenda in Tract. *de Jure et Just.*

115. — Quær. 4° *An pueri teneantur ad leges ecclesiasticas statim ac usum rationis adepti sint, licet septennium nondum expleverint?*

Resp. Duplex est sententia. Qui affirmant, nituntur principio II. (n. 110), juxta quod omnis homo, ratione utens, eo ipso legibus subditus est; qui negant, hanc rationem afferunt, quod Ecclesia censeatur attendere ad ea, quæ communiter contingunt. Utraque S. Alphonso[2] probabilis est, excepto quando de pueris agitur, qui mortaliter peccarint; hi enim ad præceptum annuæ confessionis tenentur, quo obligantur omnes, qui ad annos *discretionis* pervenerunt.

116. — Quær. 5° *An peregrini teneantur legibus sui territorii?*

Resp. Neg., nisi fictione juris in proprio territorio adhuc esse censeantur. Ratio est, quia *lex*, hoc ipso quod respicit communitatem, est territorialis, et in hoc differt a *præcepto*, quod lex non afficit personas nisi per territorium (n. 98, 5°); atque id valet etiam de lege juris communis, quando peregrinus ibi versatur, ubi hæc non viget. Sic, si in tuo territorio sit jejunium, et eadem die pergas ad locum, ubi non est jejunium, poteris vespere cœnare. Pariter mane existens in loco, ubi non est

[1] Civ. Code of Louisiana, art. 292. ad 7.
[2] L. I. 155. IV. 270. 1012.

jejunium, poteris jentare et vesci carnibus, etsi circa meridiem reversurus sis domum, ubi est jejunium. Domi tamen certo teneris abstinere a carnibus, non vero a secunda aut ulteriori etiam comestione; præceptum enim abstinentiæ est dividuum, unicæ autem comestionis individuum.[1] Ob eamdem rationem, si exiturus sis e loco, ubi est jejunium, eadem die perventurus in locum, ubi non est jejunium, in loco, unde abis, poteris jentare, non tamen carnibus vesci.[2] Ita quoque, si in tuo territorio sit speciale festum, et in alium locum, ubi non sit festum, profecturus sis, non teneberis audire Sacrum ante discessum, modo perventurus sis extra locum, ubi viget præceptum, ante illam horam, qua ibi ultima Missa celebrabitur. Ratio est, quia ex una parte præceptum non obligat sive ut expectes, sive ut ex pluribus Missis, quæ celebrantur, aliquam audias, quæ ante ultimam dicetur; ex alia vero, dum extra territorium tuum pervenisti, ejus legibus non amplius teneris. Sin autem unica tantum Missa celebretur in tuo territorio, et post eam sis discessurus, hanc audire teneris.[3]

Dixi: *nisi fictione juris in proprio territorio adhuc esse censeantur.* Sic pastor non residens delinquere censetur in proprio territorio, et pœnas ibidem contra non residentes statutas incurrit.

Excipiunt etiam quidam peregrinum e proprio territorio ideo egredientem, ut se legi subtrahat, quia, aiunt, ageret in fraudem legis; "*nemini autem,*" ut habet juris adagium, "*fraus sua debet patrocinari.*" Sed S. Alphonsus,[4] cum aliis, hanc exceptionem non admittit; et recte quidem, cum *nullus videatur dolo facere, qui utitur jure suo*, ut habet aliud juris adagium; at peregrinus ille utitur jure suo; lex enim non prohibet *exire* e proprio territorio, sed prohibet tantum præcepta sua violari ab iis, qui sunt in peripheria legis, seu in territorio, in quo viget. Nec ad rem facit quod qui e territorio exit, eo præcise animo, ut matrimonium clandestine contrahat in loco, ubi decretum Tridentinum de necessaria parochi et duorum testium præsentia non viget, invalide contrahat; vel quod a peccatis in territorio suo reservatis absolvi nequeat, qui in locum, ubi ea non sunt reservata, principali hoc fine tendit ut ab iis absolvatur; in utroque enim casu vere agit in fraudem legis id expresse prohibentis; in priori scilicet in fraudem Constitutionis Urbani VIII., in posteriori in fraudem Constitutionis Clementis X.

117. — Quær. 6° *An et quibus legibus teneantur peregrini in loco, in quo versantur?*

Resp. I. Tenentur 1°, ut per se patet, lege naturali vitandi scandali; lex enim naturalis ubique obligat. Peccaret ergo qui legem particularem cujusdam loci iis in adjunctis violaret, in quibus violatio illa scandalum causaret. Sic e. g. peccaret sacerdos, qui cum scandalo populi non servaret legem pro clero diœcesis, per quam transit, latam.

2° Legibus Juris Communis, licet in territorio suo non vigentibus; ratio enim privilegii, vel legitimæ consuetudinis, cur in territorio suo non vigeat, hoc tantum territorium afficit et per territorium personas in eo versantes, cessatque proinde territorio derelicto. Hinc Neo-Aurelianensis Baltimoræ festo Circumcisionis Domini tenetur Sacro assistere.

3° Legibus contractuum, idque ut confusio evitetur. Hinc illud: "*locus regit actum.*"

4° Legibus delicta punientibus; delinquens enim sortitur forum loci, ubi delinquit. Hinc qui homicidium committit in Marilandia damnatur mortis, licet in territorio, cujus incola sit, mitior pœna foret statuta.

5° Juxta S. Alphonsum,[1] lege particulari loci, in quo versantur, si eadem lex particularis vigeat in territorio suo; puto, quia manent sub influxu ejusdem legis, seu in territorio moraliter eodem.

Resp. II. Cœteris legibus loci, in quo versantur, probabilius non tenentur, quia leges non obligant nisi subditos, quales non sunt peregrini. Nam ex jure nemo subditur alterius potestati, nisi ratione *vel* delicti, *vel* contractus, *vel* domicilii aut quasi domicilii, *vel* ratione rei sitæ in territorio, *vel* demum in quibusdam casibus ratione originis.

[1] L. I. 157 ad 4. [2] Ib. ad 5.
[3] Ib. ad 6. [4] Ib. n. 157.

[1] L. I. 156.

CAPUT IV.

DE PROMULGATIONE ET ACCEPTATIONE LEGIS.

ARTICULUS I.

DE PROMULGATIONE LEGIS.

Promulgatio est publicatio legis, facta a legitima auctoritate, ad obligationem in subditos inducendam.

118. PRINCIPIA. — I. Promulgatio publica legis *necessaria* est ut ipsa obliget. Sequitur ex definitione (n. 97), et probat Angelicus [1] ex eo quod lex, utpote regula et mensura, per solam promulgationem applicari possit subditis per eam regulandis (n. 100, 6°). Quare, licet quis sciret legem jam esse conditam et mox promulgandam, non tamen teneretur eam implere, antequam promulgata fuerit; nam "*leges instituuntur, cum promulgantur.*" [2]

II. Promulgatio *sufficit*, nec ad legis valorem requiritur ejus aut divulgatio, aut notitia; nam si aliter esset, vix ulla haberetur lex humana obligandi vi prædita, cum ferme semper sint aliqui, ad quos notitia minime pervenit, nisi post tempus longissimum ab ejus promulgatione. Quare, qui legis promulgationem invincibiliter ignorant, excusantur a culpa ex defectu voluntarii (n. 11), non vero ex defectu legis, quæ, utpote promulgata, vi obligandi potitur. In foro externo autem legis rite promulgatæ notitia generatim præsumitur, tum quoad pœnas ejus violatoribus statutas, tum quoad valorem aut nullitatem contractuum.

III. Ex natura rei sufficit ut lex promulgetur in aliqua præcipua civitate, seu in tali loco, unde ad notitiam communitatis pervenire possit, et statim obligat ac promulgata fuerit.

Dixi: *ex natura rei:* liberum enim est legislatori specialia determinare tum quoad locum vel loca, in quibus promulganda sit ut obliget, tum quoad tempus, quod post promulgationem elabi necesse sit antequam obliget. Hinc

119. — Quær. 1° *An sufficiat, ut leges episcopales promulgentur in civitate episcopali? — et papales Romæ?*

Resp. Affirm., nisi vel Pontifex vel Episcopus aliud significet, aut agatur de illis legibus Pontificiis, quæ *absolute*, et non tantum defectu alicujus solemnitatis, infirmant contractum suapte natura validum, aut jurisdictionem auferunt, v. g. in Sacramento Pœnitentiæ. Ratio est quia hoc sufficit, ut populo christiano innotescere possint. Præterea modus promulgationis est in potestate legislatoris. — Porro in praxi Episcopi obligare volunt per promulgationem in urbe episcopali, vel, si de legibus agatur, quæ *solum* respiciunt *clerum*, in ipsa synodo [1] factam, et Pontifices per eam quæ Romæ fit; alioquin enim SS. Pontifices in suis Constitutionibus frustra apponerent clausulam, qua declarant se intendere eas "sic publicatas ab omnibus, ad quos spectant, perinde habendas esse ac si unicuique illorum personaliter intimatæ fuissent vel exhibitæ." [2] Consonat declaratio S. Pœnitentiariæ 8 Nov. 1821 data Archiepiscopo Neapolitano circa Bullam: "*Ecclesiam*" Pii VII. contra societates clandestinas, quæ sic sonat: "Ad II. Per Constitutionis promulgationem, quæ Idib. Sept. Romæ evenit, eam adeptam esse legis dignitatem et vim obligandi." [3]

Dixi: *aut agatur de illis, etc.*, idque ob incommoda alias secutura, quæ Pontifex haud præsumendus est voluisse.

120. — Quær. 2° *An leges Pontificiæ obligent statim ac promulgatæ sint?*

Resp. Nisi Pontifex aliter determinaverit, tantum requiritur temporis spatium, quantum sufficit, ut legis notitia ad *omnes moraliter* perveniat, i. e. bimestre. Ita S. Alph.[4] contra alios.

121. — Quær. 3° *Quandonam obligare incipiant leges nostræ civiles?*

Resp. Kent [5] "A statute is to operate from the very day it passes, if the law itself does not establish the time."

ARTICULUS II.

DE ACCEPTATIONE LEGIS.

122. — Acceptatio legis est submissio, qua subditi, saltem quoad majorem et

[1] l. 2. q. 90. a. 4.
[2] Dist. IV. c. 3.

[1] Ben. XIV. de Syn. diœc. L. XIII. c. 4. n. 1.
[2] L. I. 96. H. A. Tr. II. 6. sq.
[3] Apud Scavini. Tom. IV. n. 177.
[4] H. A. Tr. II. 8. Th. Mor. L. I. 96.
[5] V. I. n. 457. 458.

saniorem partem, formaliter vel virtualiter legem acceptant.

PRINCIPIA. — I. *Per se* lex quoad vim obligandi nullo modo pendet ab acceptatione populi; secus enim simul cum Superioris potestate corrueret omnis legum auctoritas, atque adeo totius ordinis socialis subversio sequeretur. Constat etiam ex propositione 28. ab Alexandro VII. damnata (V. p. XIV.).

II. *Per accidens* quandoque lex non acceptata non obligat, ratione taciti vel expressi consensus Superioris, aut ratione privilegii vel consuetudinis toleratæ. Constat ex praxi in variis casibus, atque ex consensu communi theologorum.[1]

123. QUÆSITA. — Quær. 1° *In quibus casibus* per accidens *non obliget lex non acceptata?*

Resp. 1° Si tempus, quod a non-acceptatione effluxit, sufficiens sit ad inducendam legitimam consuetudinem contrariam.

2° Si *sanior* et *major* pars legem non observet, et ex adjunctis præsumatur, principem, cum non instet pro observantia nec transgressores puniat, nolle aliquem obligare.

3° Si lex sit contraria consuetudini vigenti, valde difficilis, — et ejusmodi præterea sint circumstantiæ, ut, si a legislatore prævisæ fuissent, legem certo non tulisset.[2]

Ratio est, quia in omnibus his casibus adest consensus legislatoris, saltem tacitus.

124. — Quær. 2° *An obliget lex in dubio an sit acceptata?*

Resp. Affirm., quia præsumi debet acceptata, nisi de contrario constet. Præsumitur enim factum, quod de jure faciendum erat, juxta regulam supra relatam (n. 67. 2°).[3]

Quær. 3° *An obliget Ecclesiæ lex, quæ, civili aliquo gubernio prohibente, acceptata non fuerit?*

Resp. Affirm. per se, quia Ecclesia accepit potestatem suam a Christo, non vero a potestate civili; et proinde est ab ea omnino independens. Ipsi enim, non potestati civili, a Christo dictum est: "*Quodcumque ligaveris, . . . erit ligatum*, etc.[4]

[1] L. I. 138.
[2] H. A. Tr. II. 13. Th. Mor. L. I. 139.
[3] L. I. 97.
[4] Matth. 16. 19. S. Alph. L. I. 138.

Quær. 4° *An Episcopi possint leges pontificias non admittere?*

Resp. Neg. Etenim Episcopi, licet Principes sint in suis Ecclesiis, Romano tamen Pontifici, immediato Christi in terris Vicario, totiusque Ecclesiæ capiti et gubernatori subjiciuntur. Ei igitur parere debent, et sic exemplum obedientiæ propriis subditis præbere, legem pontificiam promulgando et ejus observantiam in diœcesi sua procurando. Excipe tamen si graves obstent rationes; tunc enim non tantum possunt, sed debent Episcopi has rationes S. Sedi exponere, deinde vero ejus definitioni acquiescere tenebuntur. — Vide Bened. XIV.[1]

CAPUT V.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

Agendum 1° de vi obligationis; 2° de modo obligationi satisfaciendi; 3° de causis ab ea excusantibus.

ARTICULUS I.

DE VI OBLIGATIONIS.

125. PRINCIPIA. — I. Lex quælibet veram inducit obligationem, saltem ad pœnam; in hoc enim a consilio lex differt, quod hanc impune pro lubito suo posthabere subditus non possit. — Ita *omnes*.

II. Lex humana quælibet in conscientia coram Deo *per se* obligare potest. Ratio est, quia Superiores a Deo constituti sunt cum potestate præcipiendi. Hinc: "*Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*[2] Ita *omnes*.

Dicitur: *obligare potest*, non vero, obligat; ratio, quia lex non obligat ultra mentem legislatoris; ergo si is intendat sub sola pœna obligare, lex per se ad culpam non obligabit. Et hoc quidem tum de legibus civilibus, tum de canonicis valere, tradunt DD. communiter.

III. Lex obligat sub gravi aut sub levi pro gravitate materiæ aut circumstanti-

[1] De Syn. l. 9. c. 8. [2] Rom. 13. 2.

arum, vel finis a Superiore specialiter intenti.

IV. Lex affirmativa obligat semper, sed non pro semper; lex negativa vero obligat tum semper, tum pro semper, id est, pro singulis momentis; id enim differt lex negativa ab affirmativa, quod hæc actum *ponendum*, illa *omittendum* præcipiat; impossibile autem est homini actum quemdam, e. g. amoris Dei, *semper* ponere; sed nulla prætexi potest impossibilitas *semper* ab actu aliquo prohibito, e. g. odii Dei, abstinendi.

V. Lex divina positiva, et humana, non obligant generatim cum incommodo valde gravi, seu cum gravi nocumento, quod *per accidens* observationi legis conjunctum sit. Constat ex jure naturali et canonico, ex praxi Ecclesiæ et ex consensu omnium.

126. QUÆSITA. — Quær. 1° *An legislator possit præcipere sub levi in materia gravi, et vice versa?*

Resp. ad 1^um^. *Affirm.*, saltem probabilius, quia obligatio pendet ab ejus voluntate, sicut lex ipsa. — Ita *communiter*.[1]

Resp. ad 2^um^. *Neg.*, quia deest proportio inter obligationem gravem et materiam levem. Excipe si materia non sit undequaque levis, sed gravis ex fine, etc. — Ita *communiter*.[2]

Quær. 2° *Quænam materia legis censenda sit gravis vel levis?*

Resp. Colligendum id est:

1° Ex *verbis* ipsis legis. Sic gravis est ejus obligatio, si in ea dicitur: *præcipimus sub gravi*, vel *sub indignatione Dei*, vel *sub interminatione divini judicii*, vel *in virtute sanctæ obedientiæ*, vel *ex tota potestate*.

2° Ex ipsa *materia*, quæ gravis erit ratione, vel *quantitatis*, v. g. in furto, vel *qualitatis*, ut hostia consecrata, vel alterius *circumstantiæ* majoris momenti.

3° Ex *fine*; nam si finis legis sit prorsus magni momenti, et ad hunc finem lex multum conducat, materia erit gravis, etsi illud, quod præcipitur aut prohibetur, *de se* sit quid leve; secus, materia censebitur levis. Sic grave est pro celebrante Missam, si omittat infundere in Calicem aliquot guttulas aquæ. Non autem erit grave, si die jejunii unam alteramve unciam panis manduces extra refectionem.

4° Ex gravitate *pœnæ* transgressoribus legis *mixtæ* impositæ; cum pœna culpæ proportionetur. Esset v. g. pœna carceris perpetui; excommunicationis, si sit *latæ* sententiæ; nam aliter dicendum probabilius, si sit tantum *ferendæ* in materia non gravi, cum ex una parte non sit tam magna illa pœna, quæ illico non incurritur; ex alia vero, materia, quæ levis supponitur, id per se non ferat.

5° *Ex communi prudentum judicio* ac probata consuetudine, quæ quidem *optima* est *legum interpres*.[1]

127. — Quær. 3° *An lex humana possit aliquando impedire, ne obligatio, alioquin valida, contrahatur?*

Resp. 1° *Affirm.* pro foro *externo*. Ratio est, quia aliquando bonum commune id exigit; nec prohibet lex naturalis, ut, bono communi id postulante, præscribantur conditiones, quibus non servatis invalidentur actus alioquin validi. Ita leges civiles irritant testamenta præscriptis solemnitatibus destituta.

Resp. 2° *Affirm.* etiam generatim pro foro interno, si agatur de lege ecclesiastica. Ita Synodus Tridentina irritat matrimonia clandestina, ex mero jure naturæ alioqui valida.

Resp. 3° Quoad leges civiles et quasdam ecclesiasticas, quæ fundantur in præsumptione fraudis, disputatur. Qui negant, dicunt illas leges fundari in præsumptione *solius* fraudis, quæ dum non adest, ante sententiam judicis, actus a lege irritatus rescindibilis tantum erit. Qui affirmant, dicunt eas fundari non solum in præsumptione fraudis, sed et in *illius periculo*, quod nunquam non adest. Utraque sententia est probabilis, sed posterior probabilior. Unde pro praxi ante sententiam judicis applicanda est regula juris. "*In dubio melior est conditio possidentis.*" Ita e. g. quis rem ex testamento, legis solemnitatibus destituto, debitam retinere potest, donec ea a judice spolietur.[2]

128. — Quær. 4° *An gravis sit violatio legis in re levi ex contemptu?*

Resp. 1° *Affirm.*, si contemptus afficiat *directe* legislatorem *formaliter* talem, quia contemnitur ipsa auctoritas, ex qua leges vim obtinent, et consequenter ipse Deus, a quo auctoritas dimanat, juxta illud Christi:[3] "*Qui vos spernit, me spernit.*"

[1] L. I. 143. [2] Ib.

[1] L. I. 144. [2] Ib. 151. IV. 711. 927.
[3] Luc. 10. 16.

Resp. 2° *Neg.*, si contemptus respiciat, *vel* non ipsum legislatorem, sed materiam tantum ut *in se* levem, *vel* legislatorem quidem, at non qua talem, sed qua personam particularem contemptibilem, v. g. imprudentem, vilem, idiotam, rudem, indoctam. Per se etiam patet non graviter peccari, si actus, quo præceptum contemnitur, non sit satis deliberatus, sed subitus. Hinc raro aderit peccatum mortale ratione contemptus.[1]

129. — **Quær.** 5° *An obliget in conscientia applicatio legis seu sententia, quæ fundatur in falsa facti præsumptione?*

Resp. 1° *Neg.*, si applicatio legis fundetur tantum in præsumptione facti particularis, culpæ, fraudis, vel damnificationis; ratio est, quia si deficit factum, eo ipso deficit totum obligationis fundamentum. Hinc si condemneris ad pecuniam solvendam pro damnis, quæ ab asino tuo illata falso existimentur, non obligaris ad solvendum, nisi per accidens, v. gr. ratione scandali; sed tunc potes te compensare, etiam post latam sententiam.[2]

Resp. 2° Si lex fundetur in præsumptione periculi universalis culpæ, fraudum, etc., . . . ejus applicatio semper obligat in conscientia, etiam seclusa omni culpa; quia bonum commune requirit, ut omnes stabiliter obligentur; secus mala non impedirentur efficaciter; et lex alioquin intendit præcavere periculum hallucinationis, necnon reddere homines cautiores. Hinc teneris ad solvendam mulctam, ad quam condemnaris pro damno vere illato ab animali tuo, etsi damnum illud absque tua theologica culpa evenerit.[3] — V. dicenda in Tract. *Jure et Just.*, ubi de injusto damnificatore. — Consonant universim leges nostræ.

ARTICULUS II.

DE MODO SATISFACIENDI OBLIGATIONI LEGIS.

130. PRINCIPIA. — 1. Ad satisfaciendum obligationi cuilibet requiritur intentio faciendi id, quod præceptum est, si lex sit *affirmativa*, cadens in *actionem* potius quam in effectum aliquem obtinendum, v. gr. lex auditionem Missæ die festo præcipiens. Ratio est, quia lex præcipiens actionem non potest præcipere nisi actionem humanam, quæ non potest poni nisi modo humano. — Minime vero, si vel *negativa* sit, ut lex prohibens diebus festis opera servilia, vel *affirmativa* quidem, sed cadens in *effectum aliquem obtinendum* potius quam in actionem, ut lex, quæ exigit debiti solutionem vel rei alienæ restitutionem, quam implet qui solvit vel restituit in ebrietate. Ratio est, quia lex negativa non plus intendit, quam operis omissionem; affirmativa autem, de quâ agitur, non plus exigit quam ut effectus obtineatur, æqualitas scil. rei ad rem.

Hinc non poterit dici satisfecisse præcepto audiendæ Missæ, qui eidem ebrius aut dormiens interfuit; at vero qui tota die dormierit sine esu aut potu, dici non potest legem jejunii violasse. Sic pariter præcepto non satisfacit, qui vadit ad ecclesiam, *tantum* ut oculos pascat, cum alio colloquatur, amicum expectet, amasiam euntem aut redeuntem comitetur, musicam audiat, Missæ corporaliter tantum assistens; quod idem dic de puero metu *tantum* parentum, aut de alio quocumque coacte ad ecclesiam se conferente; his enim deest intentio faciendi id, quod præceptum est; secus, si, licet coacti, aut ex metu aut alio motivo *principaliter* inducti ecclesiam adierint, Missæ tamen debito modo assistant; hoc ipso enim quod Missæ *ita* assistunt, intentionem habent faciendi id quod præceptum est. Peccare tamen solent ejusmodi ob malam voluntatem contrariam, videlicet non assistendi, si vel coactio, vel metus, vel aliud illud motivum principale non adfuisset.

131. — II. Non requiritur intentio implendi præceptum, seu agendi ex motivo formalis obedientiæ; quia legislator præcipit tantum operis positionem, vel omissionem.[1]

Hinc satisfacit, qui audit Missam, ignorans illam hac die esse præceptam, vel qui cognoscit quidem obligationem, sed intendit tantum hic et nunc devotioni satisfacere, cum proposito aliam Missam audiendi.[2] — Nec obstat quod actus non operetur ultra intentionem agentis; nam id valet solum in iis, quæ pendent a sola potestate operantis. Hinc non satisfacit, qui

[1] L. I. 142. [2] Ib. 100. 150.
[3] Ib. n. 100.

[1] L. I. 163. [2] Ib.

opus vi voti, vel juramenti, vel pœnitentiæ sacramentalis ponendum, ponit *expresse* intendens non satisfacere.

132. — III. Non requiritur, ut lex impleatur ex motivo caritatis, aut in statu gratiæ, nisi præcipiatur ipse caritatis actus, vel status gratiæ, ut in sumptione Eucharistiæ. Ratio est, quia opus præcipitur, non vero motivum. Constat etiam ex propositione 16 Baii a Pio V. damnata (p. X.).

IV. Non requiritur intentio implendi finem præcepti, nisi finis ille præcise per se præcipiatur; quia ordinarie legislator finem non præcipit, nec præcipere intendit, sed solam actus positionem. Hinc axioma: *Finis præcepti non cadit sub præcepto.* — S. Thomas.[1] Aliis verbis: intentio legislatoris est de duobus; de uno quidem, quod non intendit præcipere, sed ad quod intendit per præceptum legis inducere; et hoc est virtus, quæ est finis legis. Aliud est, de quo intendit præceptum ferre: et hoc est quod, tanquam medium, inducit vel disponit ad virtutem. Posteriori porro intentioni oportet satisfieri, ut lex impleatur, non priori.

133. Quæsita. — **Quær.** 1° *An satisfaciat obligationi legis, qui in ea implenda peccat?*

Resp. Affirm., modo actus sit honestus in se, et tantum malus ex circumstantia extrinseca, ita ut substantia rei præceptæ ponatur. Ratio est, quia præceptum imperat solam actus substantiam, non autem modum. Hinc satisfacit, qui inter Missam audiendam cogitationibus vanæ gloriæ vel luxuriæ occupatur, vel qui audiens Missam intentionem habet furandi. Non satisfit tamen præcepto Confessionis vel Communionis per Confessionem vel Communionem sacrilegam, quia tunc ipsa substantia actus peccato inficitur. Constat etiam ex prop. 14 damnata ab Alexandro VII. (p. XIII.). — S. Alph.[2] et alii *communiter* contra *paucos*.

134. — **Quær.** 2° *An diversa præcepta a) unico actu; b) diversis actibus, eodem tempore positis, adimpleri possint?*

Resp. ad a) Affirm., dummodo 1° unico illo actu totum illud ponatur, quod per diversas leges præcipitur; 2° alia non sit legislatoris mens.

[1] l. 2. q. 100. a. 9. ad 2.
[2] L. I. 162.

Dicitur: 1° *totum illud ponatur quod*, etc. Totum vero poni censetur, si diversa hæc præcepta cadant in eamdem materiam idemque habeant motivum, ut si jejunium vigiliæ incidat in Quatuor Tempora; secus autem, si cadant in diversam materiam, vel in eamdem quidem, sed ob motivum diversum, ut jejunium ex pœnitentia, et ex lege ecclesiastica debitum.[1]

Dicitur: 2° *alia non sit*, etc. Mens autem legislatoris colligi potest ex natura operis præcepti, ex circumstantiis, communi piorum sensu, etc. Sic non potes plures Missas tibi a confessario impositas audire simul, dum simul in pluribus altaribus celebrantur, quia talis non præsumenda est intentio confessarii; nisi confessarius ad fructum Sacrificii respexerit.[2] Qui vero tenetur audire Missam singulis diebus ex pœnitentia per unum mensem, satisfacit unicam audiendo die Dominica, quia rationabiliter præsumitur, confessarium noluisse pœnitentem obligare ad duas Missas eodem die audiendas, nisi id expresserit.[3]

Resp. ad b) Affirm., si actus isti sint sociabiles, id est, si tales poni possint, quales exiguntur, quia tunc totum ponitur, quod exigitur. Sic potes inter audiendum Sacrum recitare Horas canonicas, vel exsolvere injunctam pœnitentiam, etc.[4]

135. — **Quær.** 3° *Quid agendum in concursu duorum præceptorum insociabilium?*

Resp. Cæteris paribus, servandum est majus præ minori, quod tunc obligare desinit. Hinc prævalet 1) negativum affirmativo, adeoque non licebit furari ad subveniendum pauperibus; 2) naturale positivo et divinum humano, ideoque omittendum est Sacrum in festo, ne graviter ægrotans deseratur; 3) lex superioris, v. g. Papæ, legi inferioris, v. g. Episcopi; 4) lex ecclesiastica civili; 5) innixa virtuti strictiori, v. g. justitiæ, innixæ virtuti minus strictæ, v. g. charitati, ideoque qui non potest et eleemosynam dare et debitum solvere, tenetur non dare eleemosynam. Dixi tamen: *cæteris paribus;* quia semper habenda est ratio aliarum circumstantiarum, quæ forte vel ordinem invertere præcipiunt, vel casum mutant.

[1] L. I. 166.
[2] H. A. Tr. XVI. 57.
[3] H. A. Tr. II. 31.
[4] L. I. 166.

Sic pauperi in extrema necessitate succurrendum est priusquam debitum solvas creditori, non in eadem necessitate versanti.

136. — Quær. 4° *An cesset obligatio, cui tempore determinato non fuerit satisfactum?*

Resp. 1° *Affirm.*, si determinatio temporis facta fuerit ad finiendam obligationem. Sic v. gr., si non jejunasti die vigiliæ, peccasti, sed a lege liberaris; quia onus est diei ipsi affixum.

Resp. 2° *Neg.*, si tempus non fuerit determinatum nisi ad sollicitandam, seu urgendam obligationem. Sic non liberatur a communicandi obligatione, qui tempore paschali eidem non satisfecit.[1]

ARTICULUS III.

DE CAUSIS A LEGE EXCUSANTIBUS.

1° De natura eorum, quæ deobligant.— 2° De appositione voluntaria causarum deobligantium.

§ I. *De natura eorum, quæ deobligant.*

137. — Causæ deobligantes sunt vel eximentes, vel impedientes. Priores eæ sunt, quæ quem totaliter subtrahunt dominio legis, puta, si quis extra locum, quem lex afficit, se recipiat. Posteriores eæ sunt, quæ subditum, sub lege remanentem, ab ejus impletione impediunt, seu excusant. Hæ autem causæ impedientes ad ignorantiam et impotentiam reducuntur.

PRINCIPIA. — I. Causæ eximentes totaliter liberant a legis obligatione; nemo enim præceptum imponere potest homini non sibi subjecto. Porro ubi adest causa aliqua eximens, ille, qui legi subjiciebatur, cessat esse eidem legi subditus vel ratione territorii, a quo abest, vel ratione privilegii. Ergo.

II. Ignorantia invincibilis ab observanda lege excusat, quia nemo obligari potest ad aliquid sibi prorsus incognitum. — Ignorantia autem vincibilis non excusat a culpa, cum potuerit, aut possit seria diligentia deponi.[2]

III. Impotentia physica semper ab observanda lege excusat, ut habet pervulgatum axioma: "Nemo ad impossibile tenetur." Excusat itidem impotentia moralis; quia non censetur legislator obligationem urgere cum incommodo, quod juxta communem doctorum interpretationem pro gravi haberi possit (n. 125. V.).

Hinc metus gravis, secluso damno Societatis aut Religionis, a lege humana excusat; quia lex humana non obligat cum gravi nocumento. Excusat etiam quandoque, etsi difficilius, a præcepto divino positivo, v. gr. ab integritate Confessionis; imo et a præcepto naturali affirmativo, v. gr. servandi depositum cum vitæ periculo, cujus tamen tunc potius non adest casus; neque enim ad depositum etiam cum periculo vitæ servandum te obligare voluisti. Nunquam tamen excusat a præcepto naturali negativo, quia hujus objectum est intrinsece malum. Nec dicas, licere furari in extrema necessitate; tunc enim furtum esse desinit.[1]

Dixi: metum gravem a lege humana excusare, *secluso damno Societatis aut Religionis;* potius enim hoc quam privatum vitandum est; subintrat præterea in utroque hoc casu præceptum naturale de damno Societatis et Religionis cavendo. Sic miles excubias agens mori potius debet, quam, hoste adventante, silere (n. 105. 2°). Hinc etiam, si in contemptum vel in læsionem potestatis Ecclesiasticæ directe compellaris communicare cum vitando, laborare die festo, cibis vetitis vesci die jejunii, cum gravi etiam damno tuo renuere debes, nisi protestando contemptum avertere possis. Sic, si paterfamilias incredulus vel hæreticus filiis suis catholicis diceret: "*volo ut die Veneris carnes manducetis, idque in contemptum Papæ et Ecclesiæ,*" filii non peccarent, si reponerent: "*Pater, scias nos carnes manducare, quia alios cibos nobis apponere recusas; hoc enim in casu licet nobis illas edere.*"

138. — Quær. *An teneatur ad partem qui ad totum est impotens?*

Resp. Affirm., quando materia legis est divisibilis, et in singulis partibus remanet ratio præcepti. Constat insuper ex prop. 54 ab Innoc. XI. damnata (p. XVII.). Excipe si pars possibilis sit adeo tenuis, ut nullo modo ad finem præcepti condu-

[1] L. IV. 220. [2] H. A. Tr. II. 43.

[1] L. I. 175 et H. A. Tr. II. 44.

cat, — vel si incertum sit an adsit potentia etiam quoad illam præcepti partem, ut v. g. in infirmis quoad Breviarium, ac in debilibus et in convalescentibus quoad jejunium; vix enim, aut ne vix quidem determinari valet, quid possint et usquequo. Unde ne periculum anxietatis aut detrimentum notabile sanitatis subeant, supponenda non est benigna Mater Ecclesia eos vel ad partem velle obligare.[1]

Hinc 1° Qui non potest jejunare in Quadragesima, debet abstinere a carnibus, si possit. Item qui non potest omnibus diebus jejunare, tenetur diebus quibus potest sine gravi incommodo.

2° Si quis carens Breviario pauca ex Horis memoriter sciat, non tenetur ea recitare; secus si partem notabilem, v. g. Vesperas, vel Completorium memoria teneat.

3° Qui vovit piam peregrinationem, nec valet totum iter complere, illud inchoare non tenetur, quia finis præcepti obtineri nequit.[2]

§ II. *De appositione voluntaria causarum deobligantium.*

139. — Causæ deobligantes a servanda lege apponi possunt vel directe, vel indirecte, prout scilicet agentem movet *aut* finis sese legis obligationi subtrahendi, *aut* alia causa, præviso tamen legis servandæ impedimento.

Insuper ejusmodi causæ possunt esse vel *præsentes*, vel *proximæ*, vel *remotæ*, prouti lex urget eo ipso tempore, quo causa deobligans ponitur, aut brevi post, aut solum post notabile temporis intervallum.

PRINCIPIA. — I. Nisi specialis obstet prohibitio, semper causas EXIMENTES, etiam *proximas* et *præsentes*, easque *directe*, licet apponere. Rationem n. 137 allegavimus.

II. Nunquam licet *directe* apponere aut non tollere causas IMPEDIENTES, etsi *remotas* tantum. Ratio, quia quousque legi quis subjacet, non potest *velle* eam infringere, quin talis voluntas sit ipsiusmet legis violatio. Peccant igitur excommunicati, qui non quærunt absolutionem, ideo præcise, ne absoluti ad Communionem paschalem teneantur, aut illi, qui hac intentione in locum abeunt, ubi tempore paschali communicare non poterunt.

III. Imo ne *indirecte* quidem impedientes causas proximas aut præsentes (quæ in moralibus æquiparantur) apponere aut non tollere licebit, nisi proportionata adsit aliunde necessitas; secus eluderetur omnis lex. Sic peccat qui somno se tradit aut iter ingreditur tempore, quo audiendum est Sacrum, aut paulo ante, — vel qui die jejunii sine justa causa laborem aliquem assumit, quo impotens redditur ad jejunandum, — vel excommunicatus, qui non quærit absolutionem ut præcepto Communionis paschalis satisfacere possit, — aut qui, incœpto tempore paschali, non communicat antequam abeat in locum, ubi communicare non poterit. Peccant pariter sartores et sutores, qui pridie diei festi non parant vestes et calceamenta necessaria, si id possint sine gravi incommodo.

IV. Probabilius autem licet, etiam sine ratione, indirecte causas impedientes remotas apponere. Ratio est, quia non censetur legislator velle libertatem adeo coarctare. Esset enim onus nimis grave, si quisque, multo ante obligationem legis, ad omnia opera, cum illa obligatione insociabilia, derelinquenda, tempusque obligationis expectandum adstringeretur.

Quando autem causa censenda sit impediens proxime, quando tantum remote, norma quapiam generali statui vix, aut ne vix quidem potest. Et remote quidem impediens fere haberi solet, quæ tempus præcepti implendi aliquot dierum spatio præcedit; at præ oculis semper habenda erunt tum mens legislatoris ac rei præceptæ gravitas, tum etiam prudentum judicium ac proborum praxis.

CAPUT VI.

DE INTERPRETATIONE LEGIS ET EPIKEIA.

§ I. *De Interpretatione legis.*

140. *Definitio.* — Interpretatio est definitio sensus, quem in lege habent verba quædam obscuriora. Dixi: *obscuriora;*

[1] L. V. 154.
[2] H. A. Tr. II. 45.

nam ubi verba legis clara sunt, interpretationi proprie dictæ, ut per se patet, locus esse nequit, sed tantum epikeiæ.

141. — *Divisio.* I. Ratione *causæ*, a qua fit, est vel 1° *authentica*, quæ et *juridica* et *auctoritativa* audit, et fit *vel* a legislatore (ejusve superiore aut successore), pro omnibus subditis, *vel* a judice inter partes litigantes, — vel 2° *usualis*, quæ ex consuetudine legitima existit, — vel 3° *doctrinalis*, quæ fit a viris doctis. Sic Papa vel ab eo ad hoc deputatæ Congregationes Romanæ quascumque leges ecclesiticas; — Episcopus sua aut prædecessorum suorum statuta; — cœtus legislatorii apud nos leges civiles interpretantur, et judex causas dubias. Exemplum *usualis* habes in quantitate cibi, quæ ex consuetudine permittitur die jejunii ad collationem vespertinam; *doctrinalis* vero in opinionibus Canonistarum et Moralistarum circa sensum variarum legum ecclesiasticarum.

142. — II. Ratione *modi*, quo fit, est 1° *stricta* vel *lata*, prout fit stricte juxta naturalem verborum proprietatem, aut large juxta sensum benigniorem; 2° *simplex* seu *comprehensiva*, quando scilicet sensus declaratus a verborum propria et usu recepta significatione non recedit, vel *extensiva*, quando ultra id, quod verba proprie et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedit, prohibet, dispensat, etc. Exemplum interpretationis *strictæ* et simul *comprehensivæ* habes, si voce patris intelligatur ille solus, a quo quis proxime nativitate descendit; *largæ* vero et *extensivæ*, si in favorabilibus etiam avus. Interpretationis comprehensivæ signum fere est vox *declaramus;* extensivæ *decernimus.*[1]

143. PRINCIPIA. — I. Interpretatio *authentica* et *usualis* habet vim legis, cum fiat *vel* ab ipso legislatore, *vel* ejus auctoritate, si a judice detur, *vel* ejus consensu, si de usuali sermo sit.

II. *Authentica*, quæ fit a legislatore ejusve superiore aut successore, omnes subditos obligat; quæ a judice, *de se* solas partes litigantes. Dico: DE SE *solas partes litigantes;* fieri enim potest, ut tanquam *doctrinalis* etiam alios obliget.

III. Authentica *extensiva* nullam vim habet, nisi legitime promulgetur; eo ipso enim quod verbis legis non contineatur, nova quædam est lex, atque adeo more legum promulgari debet; *comprehensiva* vero, cum nova lex non sit, promulgatione non indiget, nisi fiat a successore. Dico: *nisi fiat a successore*, cum enim mens legislatoris successori non sit tam clare cognita ac ipsi legislatori, ad eam indagandam ad argumenta et interpretationes recurrere debet, quæ, cum novam quasi legem inducant, nova indigent promulgatione.[1]

IV. Doctrinalis tantum valet, quantum rationes a DD. allegatæ. Cfr. dicta n. 55.

144. *Regulæ interpretationis doctrinalis.*

A. Verba legis accipienda sunt juxta propriam et usu receptam significationem, nisi quid absurdum aut injustum inde sequatur. Cum enim lex debeat esse clara, præsumendus est legislator eo loqui sensu, quem verba ex communi hominum acceptione habent. Sic lex, qua excommunicantur, qui *violentas manus* injecerint in clericum, merito censetur eos etiam complecti, qui *pede* eum percusserint.

B. Lex generatim loquens omnia significata propria complectitur, seu "*ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus,*"[2] præterquam si, ut mox dictum fuit, aliquod absurdum aut injustum sequeretur, nisi distingueretur.

C. In dubio de vero sensu, attendendum est ad mentem legislatoris, ad finem legis, et ad circumstantias vel antecedentes vel consequentes. Finis autem legis ordinarie ex ipso legis proœmio dignoscitur.

D. Lex pœnalis et odiosa in dubio est stricte interpretanda; lex vero favorabilis large. Hinc axioma: *Favores sunt ampliandi et odia restringenda.* Sic, si pœna excommunicationis feratur in homicidam, hæc non afficiet eum, qui grave vulnus, licet animo interficiendi, intulerit, si mors non fuerit revera secuta. Lex autem indulgens fidelibus commercium cum iis, qui non fuerint nominatim excommunicati, latissime explicatur.

E. In lege non licet argumentari a pari, imo nec a fortiori: non enim ratio legis, sed legislatoris voluntas, subditis intimata, vim legis habet. Hinc illud: *ratio legis non est lex.* Sic suspensio, quæ

[1] Barbosa, Dict. usufreq. Dict. 79. 80.

[1] L. I. 200.

[2] Lege VII. de public. in rem actione.

statuto diœcesano intentatur clericis ebrietatis reis, non afficit eos, qui castitatem violaverint, licet gravius sit delictum, — et excommunicatio, lata in secretæ societatis membra, non potest extendi ad eos, qui in cœdem innocentis conspiraverint.

145. — Excipe, si non solum eadem, sed eadem *et* adæquata simul in pari casu currat ratio, adeo ut, si ad parem casum lex non extenderetur, legislator accusandus foret injustitiæ vel imprudentiæ ; tunc enim valet illud juris : *ubi eadem est ratio, ibi eadem currit legis dispositio.* Id autem evenit :

1° In *correlativis*, v. g. inter sponsum et sponsam ; hinc cum sponsa liberetur a sponsalium obligatione ob longam sponsi absentiam, sponsus pariter ob sponsæ absentiam liberatur.

2° In *æquiparatis*, ut sunt ova et lacticinia quoad legem abstinentiæ.

3° In *connexis*. Sic v. g. cum testamentum sit natura sua revocabile, iis, quibus lex permittit conficere testamentum, permittit etiam illud revocare.

4° In *contentis*. Quocirca qui potest testari, etiam legare potest.[1]

Has et alias quasdam interpretationis regulas, legibus nostris applicatas, vide apud Kent.[2]

§ II. *De Epikeia* (Ἐπιείκεια).

146. — Epikeia est benigna, sed æqua legis interpretatio, qua lex ad quempiam casum, quamvis in verbis legis non exceptum, sese extendere non censetur, quippe illum legislator aut non prævidisse aut sub lege comprehendere non voluisse prudenter creditur. Differt igitur ab interpretatione proprie dicta, quod hæc verba *obscuriora*, illa *perspicua* supponat.

Alia est *authentica* seu *publica*, quæ fit ab ipso legislatore, cujus exemplum habes in celebri declaratione Ben. XIV. super dubiis respicientibus matrimonia in Fœderatis Belgii Provinciis,[3] — alia *doctrinalis* seu *privata*.

Ut epikeiæ locus detur, oportet, ut lex, si servanda foret, fieret damnosa aut nimis onerosa. *Damnosa :* ita v. g. si lex prohibeat gestare arma, gestare ea potero, si exire debeam et inimicum meum ad mortem me quærentem sim offensurus. *Nimis onerosa :* hinc licet lex divina positiva vetaret *panes propositionis* dare laicis, Summus Sacerdos recte judicavit se illos Davidi, præ lassitudine deficienti, dare potuisse.

Quær. *An Epikeia locum habeat, si Superior facile interrogari possit ?*

Resp. Affirm., si observantia legis fieret damnosa ; secus in aliis casibus.

[1] L. I. 200. [2] Vol. I. n. 460. sq.
[3] Conc. Pl. Balt. II. p. 314.

CAPUT VII.

DE DISPENSATIONE LEGIS.

147. — *Definitio.* Dispensatio est relaxatio a legis obligatione, ab eo, qui legitimam habet auctoritatem, facta, pro aliquo casu, in quo lex cæteroquin obligaret.

Dicitur : 1° *relaxatio a legis obligatione.* Differt igitur a) a privilegio, quod non *necessario* eximit a lege, cum dentur privilegia *præter jus ;* b) a licentia, qua legis obligatio non relaxatur, uti in dispensatione ; sed solum apponitur conditio, qua posita, legi non amplius locus est : sic Episcopus potest cum causa dare licentiam ingrediendi monasteria monialium, non tamen *per se* ab hac lege dispensare.

Dicitur : 2° *pro aliquo casu, in quo lex cæteroquin obligaret.* Hinc differt a) a legis *abrogatione et cessatione*, quibus lex pro *omnibus* obligare desinit, seu desinit esse lex ; b) *excusari* a lege et ab ea *dispensari ;* causa enim, ob quam a lege dispensari valeam, non ejusmodi requiritur, ut suâ ipsius vi lex obligare desinat, quod vocant excusari a lege ; alioquin enim dispensatio nihil operaretur, et esset simplex declaratio. Sic, qui graviter infirmatur, excusari dicitur a jejunio ; qui vero aliquod incommodum in jejunando experitur, sed non ita grave ut hoc ipso a jejunio excusetur, dispensari quandoque ab eo poterit.

148. — *Divisio.* Dispensatio esse potest.

1° *Licita* vel *illicita*, prout fit justa de causa, vel non.

2° *Valida* vel *invalida*, prout vel eximit a legis observatione, vel non eximit.

[1] S. Th. 2. 2. q. 120. art. 1.

3° *Absoluta* vel *conditionata*, prout simpliciter, vel adjecta aliqua conditione conceditur.

4° *Subreptitia* vel *obreptitia*, prout tacetur in petitione aliquid manifestandum, vel e contrario aliquid falsum asseritur.

5° *Totalis* vel *partialis*, prout a totâ lege vel a parte ejusdem liberat.

6° *Expressa* vel *tacita*, prout vel verbis expressis conceditur, vel ex aliquo facto deducitur.

7° *Necessaria* vel *libera*, prout in jure, tali extante causa, decernitur a superiore tribuenda, vel ejus arbitrio relinquitur.

Agendum 1° de potestate dispensandi; 2° de causis ad dispensandum requisitis; 3° de cessatione dispensationis.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE DISPENSANDI.

Prænotanda. — Ut dicenda rite intelligantur, juvat hic præmittere quædam de jurisdictione ecclesiastica, quæ fundamentum est potestatis dispensandi.

149. — Jurisdictio ecclesiastica definitur: Potestas gubernandi subditos in ordine ad vitam æternam.

Dividitur: 1° In jurisdictionem *fori interni* et *fori externi*.

Jurisdictio *fori interni* est illa, quæ *primario et directe refertur ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem.* — Subdividitur in jurisdictionem *fori pœnitentialis*, quæ intra tribunal pœnitentiæ tantum, et in jurisdictionem fori interni *extrapœnitentialis*, quæ extra illud exerceri potest, quando, v. g. superior dispensat in voto, etc. . . .

Jurisdictio *fori externi* est illa, quæ *primario et directe publicam corporis fidelium utilitatem respicit:* ut, leges ferre, decidere controversias circa doctrinam vel disciplinam, et similia.

2° In *universalem*, quæ nullo arctatur limite, nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias: talis fuit jurisdictio Apostolorum, et nunc talis est jurisdictio Summi Pontificis, — et *particularem*, quæ restringitur aliquo ex illis tribus modis, nempe vel quoad personas, vel quoad loca, vel quoad materias.

3° In *voluntariam* et *contentiosam* seu in *extrajudicialem* et *judicialem*. *Voluntaria*, quæ etiam vocatur *extrajudicialis*, illa est, quam superior exercere potest etiam erga invitos, absque formis pro judiciis a jure præceptis. — *Contentiosa* vero seu *judicialis* illa est, quæ juxta formas pro judiciis a jure præscriptas exercetur.

Contentiosa jurisdictio a Prælato extra territorium suum nec licite, nec valide exerceri potest, quia tale exercitium *sine strepitu* fieri nequit.[1] — Voluntaria vero potest etiam extra territorium exerceri, nisi ministerium ordinis Episcopalis exigat ut intra diœcesim exerceatur, quemadmodum contingit in Pontificalibus.

4° In *ordinariam* et *delegatam*. *Ordinaria* dicitur ea, quæ alicui, jure proprio, ratione officii aut dignitatis suæ, ex lege, consuetudine, aut privilegio vim legis habente competit: talis est jurisdictio Parochi, Pœnitentiarii, Episcopi, Capituli, Abbatis, S. Pontificis in tota Ecclesia, Legati, etc. Qui possident jurisdictionem ordinariam in foro externo sunt Ordinarii; quo nomine vocantur non solum Episcopi, sed eorum etiam Vicarii Generales, et Prælati, qui in certis locis jurisdictionem quasi-episcopalem exercent. Sed dicto nomine non designantur Parochi, quia non habent jurisdictionem in foro *externo*.[2]

Jurisdictio *delegata* est ea, quam quis non habet jure proprio, id est, non ratione sui officii aut dignitatis, a lege, consuetudine, aut privilegio vim legis habente, sed solum per commissionem alterius; quæ tamen commissio dari potest non tantum ab homine, sed etiam a jure, prout potestas absolvendi in articulo mortis, quæ ex consuetudine data reputatur omnibus sacerdotibus.

Duplicis generis est jurisdictio *delegata*, alia *particularis*, alia ad *universitatem causarum*. *Particularis* est, quando una causa vel altera committitur. Est vero *ad universitatem causarum*, quando causæ omnes, vel saltem certum genus causarum, sub uno collectivo nomine committuntur, quamvis delegatio restringatur sive quoad tempus, sive quoad loca.

Delegatus ad *universitatem causarum* dicitur *quasi-Ordinarius*, et potest subdelegare, non quidem totam suam juris-

[1] C. Ut animarum, 2. de Const. in 6°.
[2] Trid. Sess. 24. c. 1. de Rf. Matrim.

dictionem, sed unam vel alteram causam. Secus est de delegato ad causam particularem, qui non potest subdelegare, nisi sit delegatus a Supremo Principe,[1] et hic in delegato non elegerit industriam personæ, ut n. 150 dicetur.

Delegari potest quis vel ab homine vel a jure: delegatur ab homine, qui suam delegationem immediate accipit ab Ordinario, vel ab alio facultatem delegandi habente. Delegatur a jure, qui delegatam jurisdictionem habet ex commissione juris communis, vel etiam ex consuetudine. Exempla habes in Trid.[2]

5° In *immediatam* et *mediatam*. *Immediata* jurisdictio illa est, quæ potest exerceri generaliter et independenter a casu necessitatis. S. Pontifex in tota Ecclesia, Episcopus in sua diœcesi, Parochus in sua parochia jurisdictionem immediatam possident. *Mediata* vero est, quæ exerceri non valet nisi in certis casibus determinatis a jure: talis est potestas Archiepiscoporum in suffraganeorum subditos.

Dixi: *in subditos:* nam secus est dicendum de ipsis Episcopis suffraganeis, in quos Metropolitanus immediatam habet jurisdictionem.

150. Quæsita. — Quær. 1° *Quis possit delegare?*

Resp. 1° Generatim quicumque habet ordinariam potestatem.[3]

2° Quoad delegatos, vel a Papa delegati sunt, vel ab aliis. Si a Papa vel a Sacris Congregationibus quis sit delegatus, subdelegare potest.[4] Excipe a) nisi præsumptio sit electam fuisse a principe seu a Papa industriam ipsius delegati.[5] Quandonam autem censeatur electa fuisse industria personæ, sic explicat Monacelli.[6] "1° Quando ratione confidentiæ alteri committitur; 2° quando conscientia oneratur et proprium nomen exprimitur; 3° quando præstatio consilii requiritur in certo actu ad certum tempus; 4° quando mandatur negotium non determinatum; 5° quando delegatus esset datus ad partis instantiam; 6° quando agitur de re et controversia, quæ ingenium et hominis peritiam respicit." 7° juxta Bouix, si in rescripto dicatur: *per seipsum*, vel *personaliter*. Excipe b) nisi facultas delegata sit *nudum ministerium*, seu simplex executio, ut quando datur Vicario Generali potestas dispensandi in matrimoniis vel aliis. Attamen etiam in hoc casu potest Vicarius subdelegare informationem et testium receptionem quoad quæstionem: *an preces veritate nitantur*.[1]

Quoad delegatos ab aliis quam a Papa vel Sacris Congregationibus, si sint delegati *ad universitatem causarum*, ipsi possunt delegare juxta communissimam sententiam, dummodo delegatio facta sit tanquam per officium, aut delegetur alicui jurisdictio, uti privilegium, perpetuò suo officio sive dignitati annexum.[2]

Si vero delegati sint *particulares* seu ad certas causas tantum, non possunt subdelegare, nisi eis a delegante fuerit concessum.[3]

Nec superior ordinarius, nec delegati ad universitatem causarum, qui habentur ut Quasi Ordinarii, possunt, inconsulto Principe, totam suam jurisdictionem alteri committere, quia, inquit Reiffenstuel[4] loquendo de Judice ordinario: "Judex inferior principe non potest, propria auctoritate, loco suî alium Judicem ordinarium constituere."

151. — Quær. 2° *Quotuplici modo cessare possit jurisdictio delegata?*

Resp. 1° *Renuntiatione* delegati, a superiore acceptata.[5]

2° *Revocatione* delegantis, quæ tamen effectum non sortitur, nisi notificetur delegato.[6]

3° *Exhausto numero casuum*, ad quem delegatio concessa est, ut in Fac. Extr. E. p. LXXIV.

4° *Lapsu temporis* determinati, necnon finito negotio, pro quo fuit concessa.[7]

5° *Morte* delegati, si delegatio fuerit *personalis;* vel officii aut dignitatis amissione, si fuerit *realis;* delegatio enim instar privilegii est; privilegium autem

[1] C. Cum causam, 62. de Appell.
[2] Sess. 5. c. 1; Sess. 6. c. 2. de Rf. etc.
[3] More. ff. de Jurisd. et regula juris 68 in 6°.
[4] C. Pastoralis, 28. de Off. Jud. Deleg.
[5] C. ultim. § Is autem, de Off. Jud. Deleg.
[6] Anal. Jur. Pont. 27ª livr. col. 863.

[1] C. Quoniam, 43. de Off. Jud. Deleg.
[2] Lege, 1. § Ab eo, ff. Quis et a quo, et Sanchez, de Matrim. Lib. 3. disp. 31. n° 2. S. Alph. qu. rec. retr. IV.
[3] C. Cum causam, 62. de Appell.
[4] Lib. 1. tit. 29. n° 56.
[5] C. Licet, 7. de Procur. in 6°.
[6] C. Audita, 4. de Restit. Spol.
[7] C. In litteris, 9. de Off. Jud. Deleg.

reale seu officio annexum transit ad successores in officio; personale vero, quemadmodum personam sequitur, licet officium amiserit, ita et extinguitur cum persona, licet huic aliquis in officio succedat.

Dico: *licet officium amiserit.* Pone e. g. parochum accepisse privilegium *personale* benedicendi rosaria cum applicatione indulgentiarum, — is, licet cesset esse parochus professionem emittendo in aliqua religione, privilegium non amittet.

Utrum vero delegatio fuerit personalis an realis, discernendum est: a) ex verbis, quibus usus est delegans. Sic realis erit si dicatur: *Sedi Baltimorensi,* vel *tibi et successoribus tuis delegamus;* personalis vero, si delegans his vel similibus verbis uteretur: *tibi, de cujus prudentia in gerendis ejusmodi negotiis multum confidimus:* b) ex subjecta materia. Sic ex praxi personalis censetur delegatio facta parocho absolvendi a quibusdam casibus reservatis, etiam modo indefinito; item facultates a S. Sede ad tempus concessæ Episcopis dispensandi in certis impedimentis, necnon delegatio transitoria a Papa facta Episcopo pro aliquo negotio particulari: c) si neque ex verbis, neque ex subjecta materia aliquid certo definiri possit, realis habebitur, si sola dignitas, ut *Archiepiscopo Neoboracensi;* personalis si solum nomen, aut, juxta Sanchez,[1] nomen et simul dignitas delegati exprimitur, ut si dictum fuisset: *Joanni N. N.,* vel etiam *Joanni N. N., Archiepiscopo Baltimorensi.*

6° *Morte vel qualibet amotione delegantis.* Distinguendum vero in hoc casu est inter forum contentiosum et gratiosum. In primo, expirat jurisdictio delegata, si, re adhuc integra, e vivis excedat delegans, aut aliquo alio modo suum officium amittat.[2] Res vero desinit esse integra per citationem, ut communius tenetur,[3] vel saltem per litis contestationem. — In secundo, non expirat morte aut mutatione delegantis,[4] si delegatio alicui data habenda sit ut gratia *facta,* nisi concessa sit cum clausula: "*donec nobis placuerit,*" vel "*ad arbitrium aut beneplacitum nostrum,*" et res adhuc sit integra. Clausulis vero: *donec revocetur; ad revocationem nostram; ad arbitrium Sedis Apostolicæ, vel Episcopi; donec voluero,* ea vis non inest.[1] — Si vero habenda sit ut gratia *facienda,* re integra, cessat jurisdictio per delegantis mortem aut mutationem.

Delegatio vero habetur ut gratia facta, quoties alicui datur pro personis indeterminatis;[2] quia sic habere potestatem conferendi aliis gratiam, est vera prærogativa. Si autem persona, in cujus favorem jurisdictio est exercenda, determinatur, tunc jurisdictio adhuc quidem est censenda gratia facta, si delegatus haberi debeat velut necessarius executor, prout contingit quando a S. Sede obtinetur dispensatio super impedimento matrimonii; facta enim est tunc gratia ei, cum quo est dispensandum; unde delegatio tunc non cessat morte Pontificis. — Si vero delegatus non sit necessarius executor, si videlicet possit pro arbitrio personæ determinatæ impertiri vel denegare gratiam, delegatio tunc non est gratia facta, sed potius facienda, et, re integra, per mortem vel mutationem delegantis cessat.

Res fori gratiosi habetur integra, si delegatus primum actum exercere nondum cœpit, ut si nondum *vocaverit* partem ad inquirendum de veritate precum.

152. — **Quær.** 3° *An, delegato Episcopo, censeatur etiam delegatus Vicarius Generalis, et vice versa?*

Resp. 1° *Negative,* cum in causis *delegatis* non faciant unum tribunal, nisi delegans utatur verbis: *Committimus Ordinario;* nam sub nomine *Ordinarii* veniunt omnes illi, qui, ut Vicarius Generalis, habent jurisdictionem ordinariam.

His prænotatis, sint hæc de dispensandi potestate

153. PRINCIPIA. — I. Legislator dispensare potest: 1° in legibus suis, quia tantam habet potestatem ad solvendum, quantam habet ad ligandum; 2° in legibus prædecessorum suorum, quia pari cum iis gaudet potestate; 3° in legibus suorum inferiorum, quia horum potes-

[1] De Matr. Lib. 8. disp. 27. n. 20.
[2] C. Licet, 30. de Off. Jud. Deleg.
[3] C. Relatum. 19. eod. tit.
[4] C. Si gratiose, 5. de Rescriptis in 6°, et regula 16 juris in 6°.

[1] L. I. 197 et de Privil. n. 13.
[2] C. Si cui, 36. de Præbend. in 6°.

tas aut ab ipso est, aut certe ipsi subordinata est.

Hinc a) Papa dispensare potest in omni lege ecclesiasticâ tam universali, quam particulari: imo in iis etiam Apostolicis Constitutionibus, quas constat ab Apostolis ipsis fuisse editas, prout erant Ecclesiæ Præsides. Tales sunt, quæ respiciunt jejunium Quadragesimale, observantiam diei Dominicæ, ac similia.

b) Episcopus dispensat in omnibus statutis diœcesanis, nisi tamen statutum *vel* confirmatum fuerit a Papâ in forma *specifica* (n. 102. 4°) *vel* abierit *in contractum*, qui non solvitur, nisi prævio illius, cujus interest, consensu.

c) Cœtus nostri legislatorii in suis respective legibus.

154. — II. Inferior non potest dispensare in legibus Superioris sui, nisi ex potestate delegata. Ratio, quia inferior in legem sui superioris jurisdictionem non habet. — Ita omnes.

Dicitur: *nisi ex potestate delegata.* Vi hujus potestatis Episcopus,

A) tanquam a jure delegatus in generalibus Ecclesiæ legibus dispensat:

1° Si in ipsa lege, a Papa vel a Concilio Œcumenico latâ, Episcopis *expresse* conceditur hæc facultas, aut (excepta potestate dispensandi, de qua sermo est Trid. Sess. 24. c. 5. de Ref. Matr.) in ea dicatur, *posse in ea dispensari:* hæc enim verba, ne superflua sint, non de Papa, sed de solis Episcopis intelligi debent; quippe, ut Papa possit dispensare, non est necesse, ut id in lege exprimatur.

2° Si *urgeat* necessitas (sub qua in moralibus venit etiam magna utilitas), *et* periculum sit in mora; nam merito S. Pontifex censetur tunc concedere facultatem dispensandi.

3° Si cubi adsit legitima consuetudo, ut Episcopus in hac illave lege universali dispenset; consuetudo enim ut *legem* inducit, ita et *jus* (in casu jus jurisdictionis) largitur.

4° Si dubitetur, an casus dispensatione indigeat: tunc enim communiter dicunt DD., Episcopum posse declarare dispensationem non esse necessariam, aut eam ab ipso *ad cautelam* et pro quiete animarum impertiri posse.

5° Cum *singulis* tantum, et in solis casibus *particularibus*, quoad levia (i. e. sub veniali tantum obligantia) aut frequenter accidentia; ut in jejunio, abstinentia, observantia festorum, Officio divino; præsumi enim non potest, voluisse S. Pontifices onus illud nimis grave fidelibus imponere, ut pro hujusmodi levibus vel frequenter accidentibus ad ipsum recurrant.

Dixi: *cum singulis;* neque enim Episcopus *generali* quadam ratione relaxare potest legem superioris, nisi in casibus de quibus 2°. 3°. 4°.

B) Solent præterea Episcopi ad tempus definitum a S. Sede donari facultatibus specialibus, vi quarum in aliis etiam quam in prædictis dispensare possunt. Eas, quæ Episcopis nostris concedi solent, vide p. LXX. sq.

155. — III. Cum dispensatio sit actus jurisdictionis, qui non nisi in subditos exerceri potest, patet eos tantum posse dispensari, qui dispensanti sunt subjecti.

Hinc peregrini juxta sententiam, quam S. Alph.[1] vocat communissimam, et cui subscribit, non possunt ab Episcopo, in cujus diœcesi domicilium vel quasi domicilium non habeant, dispensari in votis, juramentis, jejunio, circa opera servilia ac cætera, quæ n° superiore allegavimus. Opposita tamen etiam sententia S° Doctori merito probabilis videtur, quia prudenter Ordinarii ipsorum consensus præsumitur. *Certum* autem est a) vagos ab Episcopo, in cujus diœcesi hic et nunc versantur, dispensari posse; secus enim nullum haberent, a quo dispensarentur. b) Legislatorem ac illos, qui facultatem universalem obtinuerunt dispensandi cum aliis, dispensare etiam posse cum seipsis; potestas enim dispensandi ad jurisdictionem voluntariam pertinet, quam quis etiam in seipsum exercere potest.[2]

156. — IV. An, quando et quomodo facultas delegata dispensandi; 1) subdelegari possit; 2) cesset, — ex iis concludendum est, quæ supra diximus de jurisdictionis delegatæ subdelegatione ac cessatione (n. 150. 151).

157. — V. Potestas dispensandi, etiam delegata, maxime generaliter concessa, cum sit favorabilis, large interpretanda est; ipsa vero dispensatio, cum sit odiosa ac veluti vulnus legi, a cujus obligatione

[1] L. I. 158. L. IV. 262. 332.

[2] L. I. 183 et Bouix, De Episc. p. V. c. VIII.

liberat, inflictum, stricte, nisi sit necessaria (n. 148. 7°), vel data ex motu proprio, vel inserta in Corpore Juris, vel concessa communitati, vel ob bonum commune; nam tunc habetur ut favor.[1]

158. QUÆSITA. — Quær. 1° *An Papa, — cum inferior non habeat jurisdictionem in legem superioris, — dispensare possit in lege divina?*

Resp. Potest dispensare ex justa causa in iis, in quibus jus divinum oritur a voluntate humana, ut in votis et in juramentis. Num in cæteris, ex gravissima causa, vere dispensare possit, an tantum declarare jus divinum tunc cessare, controvertitur. Sententia negativa S. Alphonso probabilior est; licet ipsi etiam valde probabile sit, Papam *declarare* posse *in aliquo casu particulari* legem divinam non obligare.[2]

159. — Quær. 2° *An Episcopus in sua diœcesi dispensare possit a legibus latis in Concilio Provinciali vel Nationali?*

Resp. Affirm., modo non agatur de legibus, quarum dispensationem Concilium sibi specialiter reservavit. Ita S. Alph.[3] et Ben. XIV.[4] contra alios. Ratio a S. Alphonso allegata est, quia id valde expedit ad bonum fidelium; ex una enim parte possunt esse casus, in quibus utilis, imo necessaria sit ejusmodi dispensatio; ex alia vero æquum videtur, ut Episcopi tunc habeant facultatem in hujusmodi decretis dispensandi, ut non sit expectandum aliud Concilium Provinciale, vel recurrendum ad Sedem Apostolicam. Excipe, si Concilium confirmatum fuit in formâ specificâ, quo casu iis tantum in casibus dispensare poterit, in quibus id valet in lege Pontificia (n. 154).

160. — Quær. 3° *An parochi in aliquibus dispensare valeant?*

Resp. De jure ordinario, ratione consuetudinis, possunt dispensare cum subditis, pro casibus particularibus, in jejuniis, in abstinentia, in operibus die festo prohibitis, et aliis hujusmodi, quæ frequenter occurrunt, et indigent prompta dispensatione, ita ut non sit facilis recursus ad Episcopum.[5] Sacerdotes nostri ab Episcopis habere solent facultates ampliores; quisque vero consulat litteras jurisdictionis suæ.

161. — Quær. 4° *An Episcopi facultates dispensandi vel alias, quas a S. Sede obtinere solent, cum potestate eas sacerdotibus idoneis in sua diœcesi laborantibus communicandi, subdelegare possint ultra tempus, ad quod S. Sedes eas ipsis delegavit?*

Resp. Neg. speculative loquendo; nemo enim plus juris in alium transferre potest quam ipse habeat. Secus, ut mihi quidem videtur, si res *practice* consideretur; cum enim has facultates antequam tempus, ad quod concessæ fuere, elapsum fuerit, iterum a S. Sede Episcopi impetrare soleant, voluntatis suæ actu eas de novo concedere noscuntur hoc ipso, quod eas antea, v. c. ad revocationem usque, concesserint.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS AD DISPENSANDUM REQUISITIS.

162. PRINCIPIA. — I. Ad liceitatem dispensationis semper aliqua causa requiritur. Ratio est, quia secus Superior non erit fidelis dispensator, aut erit imprudens.[1]

Idcirco peccat, qui in tali casu dispensationem petit; inducit enim dispensatorem ad rem illicitam, atque adeo peccat eodem peccati genere in petendo, quo legislator in concedendo.

II. Ad validitatem vero nulla causa requiritur ex parte concedentis, si dispenset in sua aut in inferioris lege. Ratio est, quia ille, qui potest ligare, etiam solvere potest; secus autem, si in lege sui Superioris dispenset, quia non præsumitur accepisse potestatem temere dispensandi.

III. Ad validitatem, ex parte petentis, requiritur, ut nulla sit in petitione obreptio aut subreptio essentialis, seu quæ cadat in causam motivam, quia Superior non dispensat nisi sub tacita conditione: *si preces veritate nitantur.*[2]

Hinc 1° Invalida est dispensatio, quo-

[1] L. I. 187.
[2] L. I. 189 et H. A. Tr. II. 56.
[3] L. I. 190.
[4] De Syn. L. XIII. c. 5. n. 8. sq.
[5] L. I. 190 et H. A. Tr. II. 59.

[1] S. Thom. 1. 2. q. 97. a. 4.
[2] L. I. 185.

ties in postulato irrepsit error circa causam motivam, aut circa objectum ipsum dispensationis, sive oratoris aut alterius culpa, sive etiam ex mera inadvertentia id evenerit; si v. gr. ponas in petitione impedimentum affinitatis pro impedimento consanguinitatis, vel 3^{um} gradum pro 2°; secus tamen si ponas 2^{um} pro 3°, quia minor gratia in majori ejusdem generis continetur.

2° Valet dispensatio, si error irrepserit in rescripto Superioris, v. gr. incuria secretarii, quia concessioni jam factæ supervenit.

3° Valet dispensatio ex justa causa concessa alicui improbo, quem probum reputavit Superior, etsi, cognita improbitate, non fuisset dispensaturus; ratio, quia probitas non reputatur causa motiva, sed mere impulsiva. — Valet etiam, si causa falsa tempore petitionis, vera fiat tempore concessionis; sed non vice versa. Excipe, nisi superior motus fuerit ob probitatem dispensandi. Valet etiam, etsi concedatur in mala fide, ut cum putat dispensator causam non adesse, quæ revera adest; nam valor non pendet a cognitione, sed ab existentia causæ.

4° Valet dispensatio, licet plures causæ falsæ, etiam motivæ, cum causis veris et sufficientibus expositæ sint; quia ubi causa aliqua motiva vera adest, sufficiens suppetit dispensationis fundamentum.

5° Valet dispensatio in dubio utrum causa obreptitia vel subreptitia sit finalis an impulsiva; vera an falsa; sufficiens an insufficiens; nam in dubio standum est pro valore actus.

6° Valet dispensatio concessa a Superiore, licet ab inferiore jam fuerit negata, nec hujus negationis facta mentio. — Imo probabiliter valet, etiamsi a Superiore negata, ab inferiore concedatur; quia potestas inferioris non est restricta per negationem Superioris, nisi hic expresse eam restrinxerit.[1]

7° Valet dispensatio pro aliquo inscio aut etiam invito obtenta, quando necessitas hoc exigat. — Quæ vero a Pœnitentiaria obtinentur non valent, nisi vel a confessario, vel a pœnitente, vel a consanguineis ad 4^{um} usque gradum postulatæ fuerint.[2]

[1] L. I. 182. 185. — Suarez, de Leg. L. 6. c. 22. et Lacroix, n. 811.
[2] L. I. 186.

163. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quænam sint justæ a lege dispensandi causæ?*

Resp. Tres vulgo assignantur: 1) *pietas:* sic dispensatur ab operibus servilibus in festo, qui laboribus incumbit ad divinum cultum pertinentibus; 2) *utilitas:* sic dispensatur a simplici castitatis voto, qui versatur in magno periculo illud violandi; 3) *difficultas:* sic dispensatur a jejunio, qui illud servare nequit absque satis gravi incommodo.

Quær. 2° *An peccet* GRAVITER *Superior dispensans sine causa in re gravi?*

Resp. 1° *Neg.* probabiliter *per se*, quoad legislatorem; quia præciso scandalo vel aliorum damno non apparet in hoc tanta deordinatio.[1]

Resp. 2° *Affirm.* quoad inferiorem, quia non censetur delegatus ad dispensandum nisi justa de causa: atque adeo, si aliter faciat, concessa sibi potestate graviter abutitur.[2]

Quær. 3° *An liceat uti dispensatione tacita vel præsumpta?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, modo ex aliquo signo prudenter colligi possit.

Resp. ad 2^{um} *Neg.*, quia scire debet Superior id, de quo agitur; attamen *licentia* facile præsumi potest, cum agitur de rebus minoris momenti, et est juxta, non vero contra legem.[3]

Quær. 4° *An liceat petere, vel concedere dispensationem in dubio, an causa sufficiat?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, quia non pertinet ad subditos de sufficientia causæ judicare, sed tantum rem sincere Superiori exponere.[4]

Ad 2^{um} *Affirm.* pariter. Ratio est, quia secus onus Superioribus impositum intolerabile evaderet, et innumeris scrupulis tum quoad dispensantem, tum quoad petentes esset obnoxium.[5]

Quær. 5° *Quid in dubio, an casus indigeat dispensatione?*

Resp. 1° Non requiritur dispensatio in dubio sive positivo, sive negativo an casus sub lege comprehendatur, ut patet ex dictis de probabilismo; extensio enim legis ad illum casum incerta manet. Excipe dubium *facti* circa existentiam impedimenti dirimentis matrimonii, cum in solis

[1] L. I. 178. [2] L. I. 180.
[3] L. I. 187. [4] L. I. 178.
[5] L. I. 178.

impedimentis ecclesiasticis, quæ dubia sunt dubio *juris*, Ecclesia præsumatur supplere (n. 60. I.).[1]

2° In dubio vero, an causa sit sufficiens ad excusandum a lege sine dispensatione, distinguendum. In dubio scil. *positivo* (n. 48. sub. 1) petenda est dispensatio (n. 66. 2°), nisi simul adsit dubium an legis observatio non forte graviter sit nocitura (n. 67. 1°. c).—In dubio autem, fundante opinionem *solitarie* probabilem pro libertate, non est petenda (n. 66. 2°).

Quær. 6° *An sit valida dispensatio metu extorta?*

Resp. Affirm., modo existat causa dispensandi, nec constet in Superiore omnino dispensandi animum defuisse, ac alioquin quævis alia absit nullitatis causa.

Quær. 7° *An valida sit dispensatio data bona fide, cum causa quæ putabatur adesse et sufficiens esse, quæ tamen revera non sit?*

Resp. Si agatur de dispensatione ab inferiori data, S. Alph. loquens de dispensatione in votis,[2] sequitur sententiam eorum qui negant, idque ab principium certum quod inferior sine sufficienti causa invalide dispenset (n. 162. II.). Hæc autem ratio valet etiam quoad leges humanas. Dispensatus tamen dispensationi acquiescere potest, quamdiu non est certus de non existentia vel insufficientia causæ.

ARTICULUS III.

DE CESSATIONE DISPENSATIONIS.

Dispensatio multiplici ratione cessare potest, nimirum 1° cessatione causæ; 2° revocatione; 3° renuntiatione.

164. PRINCIPIA.— I. Cessatione causæ cessat dispensatio, si cessaverit; 1) causa finalis, et non impulsiva tantum; idque 2) totaliter; 3) certo; et 4) antequam dispensatio effectum fuerit sortita. Quodsi effectum jam fuerit sortita, *absolute* concessa non cessat; secus si sub conditione expressa vel tacita: *si causa perduret*.[3]

Probatur et explicatur principium.

Dicitur: *si cessaverit;* 1) *causa finalis et non impulsiva tantum;* illa enim, non hæc, est ratio dispensationis.

[1] L. I. 192. L. VI. 901. 902.
[2] L. IV. 251.
[3] L. I. 196. H. A. Tr. II. 66.

Dicitur: 2) *totaliter*. Non enim tunc preces ullimode veritate nituntur. Secus, si causa motiva cesset ex parte tantum, quia causa dispensationis adhuc superest. Hinc cessat dispensatio a jejunio concessa ob infirmitatem, ubi plene convalueris; secus, si infirmitas ex parte remaneat.[1] Hinc pariter, si causa finalis v. g. dispensandi in impedimento matrimonii, sit legitimatio prolis et reparatio scandali vel damni; — si proles moriatur, vel fœtus ejectus fuerit, adhuc sustinetur dispensatio ad reparandum scandalum vel damnum.

Dicitur: 3) *certo*. In dubio enim standum est pro dispensatione, quæ possidet.

Dicitur: 4) *antequam dispensatio*, etc. Ille enim, cui litterarum executio demandatur, muneri suo non potest satisfacere, nisi sub tacita conditione: *si preces veritate nitantur:* quæ conditio exigit, ut causa finalis persistat tempore, quo dispensatio sortitur executionem. Titius v. g. petit dispensationem ab impedimento consanguinitatis, exponens pro sola causa finali et totali prolis jam a consanguinea susceptæ legitimationem; obtinet dispensationem, et dispensatoriæ litteræ jam sunt expeditæ; sed antequam litteræ executioni dentur a delegato (seu nondum fulminata dispensatione) proles moritur: — dispensatio cessat.

Additur: *Quodsi effectum jam*, etc. Absoluta vero S° Alphonso[2] ea est, quæ datur ob causam *de se* perpetuam, qualis v. g. in dispensatione super irregularitate censetur parentum paupertas, inopia ministrorum, honestas morum; secus habetur conditionata, qualis *communiter* censetur infirmitas, ob quam dispensatur a jejunio, abstinentia, officio divino.

II. Dispensatio omnino cessat revocatione expressa Superioris, quia obligatio vel deobligatio a Superioris voluntate pendet. Illicita tamen foret revocatio sine justa causa. — Non cessat autem ob revocationem inferioris sine justa causa, quia revocandi facultas in ejus arbitraria potestate non est.[3]

III. Ad validitatem renuntiationis requiritur acceptatio Superioris, quia solus Superior voluntatem ligare potest, sicut et a legis vinculo solvere. Petrus v. g.

[1] L. I. 196. H. A. Tr. II. 66.
[2] L. I. 196. [3] L. I. 197.

obtinuit dispensationem ad contrahendum cum Lucia; si, posthabita hac dispensatione, ducat Cajam, hâc mortuâ, Luciam sine nova dispensatione ducere potest.

CAPUT VIII.

DE CESSATIONE LEGIS.

165. — Lex variis modis cessare potest.

1° Per *abrogationem*, vel *derogationem*, prout omnino aut tantum ex parte abolетur: quemadmodum enim Superior legem ferre, sic eamdem vel tollere vel coarctare potest. Triplici autem modo utraque fieri potest. a) Per legislatoris vel superioris revocationem, quæ tamen, ut *licita* sit, justam requirit causam. b) Per legitimam desuetudinem aut contrariam consuetudinem, de qua infra. c) Per legem posteriorem universalem priori legi item universali contrariam et *quatenus* eidem contraria sit. Diximus: *item universali*; nam jure statutum est speciali legi non derogari per generalem, nisi vel fiat specifica legis illius mentio, vel aliter constet talem esse legislatoris mentem, vel dicatur: *nostra certa scientia.*

2° Per *cessationem causæ motivæ* adæquatæ, seu finis totalis, ob quem lata est respectu totius communitatis; cessante enim causa legis, eam amplius urgere legislator rationabiliter nequit.

Dico: 1) *adæquatæ, seu finis totalis*; quare si oratio fuerit imperata ad pacem obtinendam, pace obtenta, ab oratione recitanda abstinebis sine ulla Superioris declaratione; sin autem tum ad pacem obtinendam, tum ad epidemiam fugandam, indicta fuerit oratio *pro quacumque necessitate*, pace obtenta, sed epidemia etiamnum grassante, ejus recitandæ obligatio non cessabit.

Dico: 2) *respectu totius communitatis*; aliud enim est, si cessat tantum in casu particulari, i. e. respectu *aliquot* personarum; tunc enim distinguendum est; nam vel cessat *contrarie*, nimirum redditur nociva vel saltem valde difficilis, ut cum quis die jejunii non habeat nisi carnes ad vescendum, et non obligat, vel cessat *privative* tantum, i. e., pro illo casu particulari aut illa persona fit inutilis, seu ad finem, quem intendit, non amplius conducit, et hoc in casu S. Alphonso,[1] licet fatenti oppositam a *pluribus gravibus* DD. teneri, magis arridet sententia communior, quæ negat ordinarie cessare legem, cum fere nunquam non adsit periculum hallucinationis, quâ quisque in propria causa facile decipi possit. Unde tunc lex æquiparatur legi fundatæ in præsumptione juris, quæ semper obligat. (n. 129. 2°). Hinc a bannorum proclamatione non eximuntur sponsi, etsi prudenter judicent nullum subesse matrimonii impedimentum.

Dixi: *negat* ORDINARIE *cessare legem*; nam licet raro, aliquando tamen, si nempe id clare colligi possit ex legislatoris mente, cessabit, etsi finis legis cesset tantum privative. Hinc cessat lex correctionis fraternæ, si nulla sit emendationis spes; nam ex una parte finis totalis et solus hujus præcepti est emendatio delinquentis; ex alia Scriptura nos monet: *ubi non est auditus, ibi non effundas sermonem.*[2]

[1] L. I. 199. H. A. Tr. II. 69.
[2] Eccl. 32. 6.

PARS SECUNDA.

DE SPECIEBUS PRÆCIPUIS LEGUM.

Agendum 1° de lege naturali et divina; 2° de lege ecclesiastica et civili; 3° de lege pœnali et irritante; 4° de lege non scripta, seu de consuetudine; 5° de lege favorabili.

CAPUT I.

DE LEGE NATURALI ET DIVINA.

ARTICULUS I.

DE LEGE NATURALI.

166. — Lex naturalis est divina voluntas, naturali lumine manifestata, præcipiens ea, quæ ad rectum ordinem servandum sunt necessaria.

Hinc lex naturalis nihil aliud est, quam lex æterna naturæ rationali per lumen naturale intimata, sive habitualiter per rectam rationem, sive actualiter per ejus dictamen.

Objectum legis naturalis est id omne, quod rationali naturæ ita vel convenit, vel disconvenit, ut ab ipsius naturæ Conditore præcipi vel interdici necesse sit: omnia ea videlicet amplectitur, quæ legi æternæ sunt conformia. — Hinc versatur lex naturalis 1° circa prima morum principia, v. gr. bonum est faciendum; malum est vitandum; alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis; 2° circa principia secundaria morum, sive immediatas primorum principiorum conclusiones, ut sunt pleraque præcepta Decalogi; 3° circa conclusiones mediatas, vel magis remotas.

167. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An objectum legis naturæ interdum ignorari possit?*

Resp. 1° Primaria morum principia a nemine ignorari possunt.— 2° Item conclusiones proximæ, ita ut in iis dari non possit ignorantia invincibilis, nisi in pueris vel rudibus et ad breve tempus, vel nisi addita aliqua circumstantia apparenter cohonestante. — 3° Ignorari autem possunt, et sæpe ignorantur conclusiones remotæ. Hinc circa eas tot controversiæ inter Doctores etiamnum agitantur.[1]

Quær. 2° *An dari possit ignorantia invincibilis circa malitiam pravorum desideriorum in eo qui cognoscit malitiam actus?*

Resp. Neg., saltem quoad desideria efficacia. Ratio est, quia velle quod malum est, et quidem cognitum ut tale, est velle quod Deo displicere noscitur, et proinde est velle ipsi displicere.[1]

Quær. 3° *An lex naturalis sit mutabilis?*

Resp. Neg., et casus, qui contrarii videntur, ejusmodi sunt, in quibus vel sua legi naturali materia, Dei voluntate, substrahitur, vel lex naturalis non obtinet.

Dixi: 1) *in qua sua legi naturali*, etc. Duplex nimirum rerum ordo distinguatur, oportet. Alter ita in ipsis rerum naturis fundatur, ut eum mutare ne Deus quidem possit, nisi dicatur se ipsum negare posse. Proinde blasphemia, perjurium, etc. non possunt non esse mala, et se ipsum Deus negaret, si hunc ordinem inverteret. At alter ordo est, qui ratione dominii, quod Deo in universas creaturas competit, divinæ subest potestati; atque adeo, cum non sit absolute necessarius, potest illum Deus immutare. Exinde cum et vitæ et jurium hominis, et creaturarum omnium, quas utendas hominibus concessit, Deus sit Dominus, potest de vita, de juribus, rebusque hominum auferendo, transferendo, etc. disponere, prout ipsi placet; quævis ergo cessabit malitia in vita aut substantiis alicujus tollendis, si Deus hoc jus alteri potestatemque fecerit. Et hoc quidem est, quod quidam aiunt, Dei voluntate fieri, ut legi naturali materia subtrahatur. Hoc modo legi naturali materia subtracta fuit, quando Deus Abrahæ præcepit, ut filium suum immolaret, vel Hebræis concessit Ægyptiorum spolia, aut præceptum eis dedit exterminandi omnes Chananæos. Idem dic, si judex reum ad supremum supplicium damnat; id enim agit ex potestate sibi a Deo tributa; vel si ecclesiastica potestas in voto

[1] L. I. 8. 170.

[1] L. I. 9.

aut juramento dispensat; id enim agit vice Dei (n. 158).

Dixi: 2) *vel lex naturalis non obtinet.* Sic secretum ex jure naturæ servandum est, quod tamen prodere oportet, si innocenti vel reipublicæ grave damnum, eo servato, immineat: secretum enim jus naturæ eo tantum casu servari præcipit, quo id sine gravi innocentis aut reipublicæ damno servari possit. Sic quoque non obtinet obligatio fraternæ correctionis, ubi nullus ex ea speratur fructus.

ARTICULUS II.

DE LEGE DIVINA POSITIVA.

168. — Lex divina positiva duplex est, vetus scilicet et nova.

I. Lex vetus, seu veteris Testamenti, continebat præcepta triplicis generis.

1° Moralia, quæ spectabant rectitudinem moralem, et id statuebant, quod lege naturali jam præscriptum erat. Talia sunt Decalogi præcepta.

2° Cæremonialia, quæ referebantur ad Dei cultum, et statuebant cæremonias et sacrificia.

3° Judicialia, quæ ad politicam et œconomicam administrationem, seu ad rectam gubernationem populi pertinebant.

Lex vetus a Christo abrogata fuit, utpote "*posita donec veniret semen, cui promiserat,*" ut ait Apost.[1] Sola igitur pars legis veteris, quæ ad mores spectabat, in lege nova servata est et confirmata.

II. Lex nova seu evangelica, quæ dicitur lex gratiæ, vel libertatis, vel novum Testamentum, continet documenta triplicis generis, scilicet 1° præcepta moralia circa virtutes, præsertim theologicas; 2° præcepta cæremonialia circa Sacramenta et Missæ Sacrificium; 3° mera consilia, sed magno præmio digna.

Lex nova differt a lege veteri, præsertim in sequentibus: 1° Vetus fuit umbra et figura; nova est lux et veritas; — 2° Vetus lex timoris erat; nova vero lex gratiæ et amoris est.

Lex vetus dicitur imperfecta, non quidem in se, sed relative ad perfectiorem. Erat enim perfecta in se, cum Deum auctorem haberet, et Deus per illam attingeret scopum, quem sibi præstituerat.

[1] Galat. 3. 19.

Lex nova pro omnibus lata est, ideoque obligat omnes, quibus nota est. Sic enim Christus: "*Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, etc. . . . docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*"[1]

CAPUT II.

DE LEGE ECCLESIASTICA ET CIVILI.

ARTICULUS I.

DE LEGE ECCLESIASTICA.

169. — Lex ecclesiastica dicitur, quæ pro recta Ecclesiæ gubernatione et æterna animarum salute a potestate ecclesiastica fertur.

Collectio variarum legum ecclesiasticarum Jus Canonicum vocatur; harum autem legum Collectio triplex distinguitur: *antiqua, nova, novissima* et exinde divisio Juris Canonici in *antiquum, novum, novissimum.* Attamen Juris *antiqui,* quod ab Apostolorum ætate extenditur usque ad sæculum XII., hodie nulla fere habetur ratio; nam illius ætatis leges in recentiori Jure magna ex parte habentur insertæ. Vel igitur sermo est de Jure *novo,* quod a sæculo XII. extenditur usque ad Tridentinum; vel de Jure *novissimo,* quod extenditur a Tridentino usque ad ætatem nostram: 1[m] continetur in Corpore Juris Canonici; 2[m] in ipso Tridentino, in Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificum post clausum Corpus Juris editis; item in Declarationibus Romanarum Congregationum et in Regulis Cancellariæ Apostolicæ.

170. — Corpus Juris Canonici sex constat partibus, tria volumina constituentibus. Sunt autem: Decretum Gratiani, Decretales, Sextus, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII., et Extravagantes Communes.

I. Volumen continet Decretum a Gratiano, monacho Benedictino, collectum, et anno 1151 publicatum sub titulo: *Concordantia discordantium Canonum.* Opus distribuitur in tres partes, quarum prima de personis ecclesiasticis tractat, secunda de actionibus seu de materia et forma judiciorum, et tertia de rebus sacris.

[1] Matth. 28. 19. 20.

Prima pars dividitur in centum et unam distinctiones, quæ subdividuntur in capita seu canones. Sic indicari solet: cap. *Jejunium* 7. dist. 76; vel etiam dist. 76. cap. 7.

Secunda pars dividitur in triginta et sex causas; causæ autem dividuntur in quæstiones, et quæstiones in capita. Citatur modo sequenti: cap. *Qui viderit* 13. quæst. 5. causa 32; vel caus. 32. qu. 5. c. 13. — Tract. de Pœnitentia, septem habens distinctiones, sic citatur, v. gr. cap. *Mensuram* 86. dist. 1. de Pœnitentia, vel de Pœnitentia, dist. 1. c. 86.

Tertia pars constat quinque distinctionibus, quæ in varia capita dividuntur. Citantur: cap. *Est unitas* 49. dist. 4. de Consecrat. vel: de Consecrat. dist. 4. c. 49. Hæc enim pars de consecratione Ecclesiarum, altarium, etc. tractat.

II. Volumen continet Decretales a Gratiano omissas, vel post ipsum editas, a S. Raymundo de Pennafort, Ordinis Prædicatorum, jussu Gregorii IX. collectas et anno 1230 publicatas. In quinque dividitur libros, qui habent titulos et capita; hoc autem modo citantur: cap. *Pervenit* 28. de Appellationibus, vel Decretal. lib. 2. tit. 28. c. 28. Caput posteriori hoc modo indicatum multo facilius invenitur.

III. Volumen continet librum Sextum, Clementinas, et Extravagantes tum Joannis XXII., tum Communes.

Sextus, vel liber sextus Decretalium, sic appellatur, quia quinque libris Decretalium Gregorii IX. adjicitur, et Decretales a Gregorio IX. usque ad Bonifacium VIII. editas habet. Prodiit anno 1298 auctoritate Bonifacii VIII.: dividitur in quinque libros, qui etiam habent titulos et capita. Eodem modo citatur, sed additur: *in Sexto*, vel *apud Bonifacium*.

Clementinæ, sic dictæ a Clemente V., qui eas colligi jussit post Concilium Viennense, cui anno 1311 præfuit, sunt Constitutiones ab ipso Clemente vel a Concilio Viennensi editæ. Eas Joannes XXII. promulgavit anno 1317, in quinque libris, qui non secus ac Decretales et Sextus titulis et capitibus constant. Eodem modo pariter citantur, sed additur: *in Clementinis*.

Extravagantes Joannis XXII. sunt Constitutiones, quas ipse prioribus annis pontificatus sui edidit. Sic vocantur, quia extra Corpus Juris hucusque collectum vagantur. Sic indicari solent: Extrav. Joannis XXII., tit. 4. c. 1.

Extravagantes Communes, ita vocatæ quia a Joanne XXII. et a pluribus aliis Pontificibus editæ sunt, et ipsæ in quinque dividuntur libros, qui habent capita cum titulis, sed non numeratis. Sic ordinarie citantur: cap. *Vas electionis*, de Hæreticis; Extravag. communib., seu Extrav. comm. lib. 5. de Hæreticis, c. 2.

Integrum Juris Canonici Corpus diligenter emendatum Romæ edendum curavit Gregorius XIII., Bulla "*Cum pro munere pastorali.*" At certum est librum septimum Decretalium ac Institutiones Lancellotti, quæ in fine Canonici Juris habentur appositæ, non habere vim; cum privatorum sint collectiones, nulla Pontificia confirmatione donatæ. Pariter Decretum Gratiani, etsi pluries Romanorum Pontificum cura emendatum, et licet passim citetur, tamen "*inter omnes receptum est,*" ait ipse Benedictus XIV., "*quidquid in ipso continetur, tantum auctoritatis habere, quantum ex se habuisset, si nunquam in Gratiani Collectione insertum foret.*"[1] Cæteræ autem partes Juris Canonici universim obligant, nisi contraria lege, vel legitima consuetudine abrogatæ sint.

Juris *novissimi* leges in Corpus Juris nondum fuerunt collectæ.

171. Quæsita. — Quær. 1° *Quid tenendum* 1) *de Regulis Juris;* 2) *de Decretalium titulis;* 3) *de Superinscriptionibus et Summariis Capitulorum;* 4) *de Glossis et Notis, quæ in Corpore Juris habentur.*

Resp. ad 1). Sub Titulo: *de Regulis Juris*, ad calcem Lib. V. Decretalium, et in fine *Sexti* Decretalium insertæ sunt quædam sententiæ generales, quæ de rebus diversis, eamdem rationem habentibus, jus constitutum compendiose complectuntur. Exemplo sit hæc: "*Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur,*" quæ de *variis* obligationibus enunciat eas iisdem causis cessare, quibus inductæ sunt, et applicari e. g. potest tum *legi*, quæ eadem causa efficiente, legislatore videlicet, quâ nata est, dissolvitur, puta si in ea dispenset, eam abroget, — tum *contractibus*, qui sicut mutuo con-

[1] De Syn. Diœc. L. VII. c. 15. n. 6.

sensu existunt, mutuo quoque consensu solvuntur.—Vim legis habent quoad casus non exceptos. Sic a mox citata Juris Regulâ excipitur matrimonii contractus, qui licet e mutuo consensu nascatur, eodem tamen non dissolvitur. Inde axioma: *Non est regula sine exceptione.* Exceptiones illæ a DD. *fallentiæ* vocantur, et vel ex natura rei, vel ex ipso jure, vel ex consuetudine generali innotescunt.

Resp. ad 2). Decretalium *Tituli*, ut Regulæ Juris, in libris authenticis authentici sunt, cum ab ipso legislatore sint; at vim legis, seu Regulæ Juris, non habent, nisi sensum completum referant, quales sunt v. g. "*Ut, lite non contestata, non procedatur ad judicium,*" et "*Ne, Sede vacante, aliquid innovetur.*" Cum Tituli Decretalium primitus rubris litteris exarati fuerint, et compendio exhibeant materiam Capitulorum, quæ sub iis continentur et quæ nigro caractere scribebantur, axioma invaluit: "a rubro ad nigrum valet illatio"; et contra: "a nigro ad rubrum non valet illatio," seu quod dicitur in titulo, dicitur in singulis capitulis, quæ sub eo continentur; at multa dicuntur in capitulis, quæ non dicuntur in titulo, sub quo collocantur.

Resp. ad 3). *Superinscriptiones* sunt illa verba, quæ indicant, unde textus capituli desumptus sit, vel ad quem sit directus. In libris authenticis authenticæ sunt, et ex his validum deducitur argumentum. — *Summaria* sunt verba, quibus privati doctores capitula summarunt; non sunt authentica, sed inserviunt ad legentium commoditatem.

Resp. ad 4). *Glossa* est uberior explanatio canonum ab auctoribus facta; *Nota* vero brevior illustratio vel additio citationum. Neutra habet vim authenticam, sed doctrinalem tantum.

172. — **Quær.** 2° *Quænam sint præcipuæ Romanæ Congregationes, earumque officia varia?*

Resp. Præcipuæ sunt: 1° *Congregatio Concilii* (Tridentini) seu *Cardinalium.* Tota constat ex Cardinalibus, qui *Patres S. Concilii Tridentini interpretes* dicuntur, et quorum unus titulo Præfecti Congregationis insignitur. Pius IV. pro Concilii Trid. observantia hanc primum instituerat; postea vero, rerum exigentiis motus Sixtus V., decreta Concilii, in iis quæ ad morum aut disciplinæ reformationem pertinent, et dubia videntur, etiam interpretandi potestate donavit.

2° *Congregatio Episcoporum et Regularium.* Tota et ipsa ex Cardinalibus coalescit. Duo, ut nomen indicat, suscipit tractanda: ea nempe quæ respiciunt bonam dicœceseon totius orbis catholici administrationem, et quæ ad Regularium utriusque sexus controversias, litesve, secundum Sacros Canones cognoscendas et dirimendas pertinent.

3° *Congregatio de Propaganda Fide.* Instituta fuit a Gregorio XV. per Const.: *Inscrutabili.* 22 jan. 1622.

Munus ejus est distribuere terras evangelizandas inter diversos missionarios, et eos eò transmittere cum amplissimis facultatibus; proponere S. Pontifici aliquos eorum ut creentur Episcopi, vel solum Vicarii aut Præfecti Apostolici; decernere de variis negotiis, quæ nonnunquam exurgunt inter missionarios variorum Ordinum et Ordinarios locorum.

Insuper resolvit quæstiones, vel casus conscientiæ, qui proponuntur a missionariis, et ad eos mittit instructiones, ordinationes, etc., prout exigit bona rerum administratio.

Huic adjecit Urbanus VIII. *Collegium* seu Seminarium speciale sub eodem nomine *Propagandæ Fidei,* in quo educantur adolescentes variarum gentium infidelium vel hæreticarum, qui deinde in suas regiones fidem disseminent.

Suis Litteris Apostolicis 6 jan. 1862, Pius IX. Congregationem de Propaganda in duas divisit partes: unam pro ritu Latino, et aliam pro ritu Orientali.

4° *Congregatio sacrorum Rituum.* Præter Cardinales, etiam Consultoribus Prælatis vel Regularibus constat. Liturgiam Sacram, et quæ ad eam pertinent, definit et ordinat. Examen quoque causarum Beatificationis et Canonizationis Sanctorum inter ejus officia commemoratur.

5° Congregatio *Indicis,* a S. Pio V. instituta. In ea locum habent Cardinales et alii plures docti viri. Unicum munus, magni autem momenti pro bono societatis tam ecclesiasticæ quam civilis, exercet: curam nempe gerit librorum, qui in lucem eduntur, ne quid per eos contra Religionem et bonos mores inter Christianos valeat propagari: quos existimat fidelibus noxios,

hos accurate notat, vetat ac refert in Indicem, qui ideo dictur *Index librorum prohibitorum*, ut ab eorum lectione, tamquam a venenatis pascuis, fideles abstineant. Aliquando tamen libri tum a Congr. S. Officii, tum ab ipso Pontifice peculiaribus Brevibus ac dogmaticis Constitutionibus prohibentur, præsertim si hæresim sapiant.

6° *Congregatio S. Officii*, seu *Sacræ Universalis Inquisitionis. Suprema* dicitur, et constat tum Cardinalibus, tum Prælatis atque Theologis.

Illius est cognoscere de hæresi, necnon de hæresis suspicione, aut de aliis irreligiositatibus. A Paulo III. instituta, et a Sixto V. confirmata fuit.

7° *Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum.* Habet facultatem et munus dirimendi omnes difficultates ac dubitationes circa SS. Reliquias et Indulgentias. Constat ex numero Cardinalium a S. Pontifice determinando, et ex aliis Prælatis et Theologis.

8° *Congregatio Immunitatis* quæ ex Cardinalibus, paucisque aliis coalescit. Causas de Immunitate ecclesiastica sive reali, sive personali, sive locali inspicit et cognoscit.

Præter *Congregationes* habentur etiam sacra tribunalia, tum gratiosa, tum contentiosa. Unum memoramus gratiosum tribunal, *S. Pœnitentiariæ*, cum cætera ad res et adjuncta nostra vix pertineant. Pœnitentiaria autem est tribunal institutum ad gratias quasdam in foro interno elargiendas. Illius munus est concedere facultates absolvendi a peccatis et censuris Papæ reservatis, dispensationes in votis et irregularitatibus, necnon generatim in impedimentis matrimonii occultis, ut suo loco fusius dicetur. Ad ipsam pertinet etiam solvere dubia practica, seu dirimere difficultates, quæ ipsi proponuntur.

173. — **Quær.** 3° *Quam vim habeant SS. Congregationum Declarationes et Decreta?*

Resp. 1° Inspecto fonte, ex quo derivantur, eamdem vim habent ac si a R. Pontifice immediate processissent; dummodo tamen sint authentica, i. e. subscripta a respectivæ Congregationis Præfecto et Secretario ac ejusdem sigillo munita.

2° Vim illam habent, etsi a S. Pontifice non explicite confirmentur.

3° Infallibilia tamen non sunt, nisi a S. Pontifice, eoque ex Cathedra loquente, confirmentur.

Probatur 1^{um}. Apostolicæ enim auctoritatis commissione dantur. — 2^{um}. Ex eadem ratione, et præterea ex Resp. S. C. R. dd. 23 maii 1846. — 3^{ium}. Infallibilitas enim non est delegabilis, cum sit personalis et propria R. Pontificis.

Quær. 4° *An SS. Congregationum Declarationes et Decreta vim universalem semper habeant?*

Resp. 1° *Affirm.*, si, *vel* tamquam universalia a SS. Congregationibus edantur; *vel* auferendo juris ambiguitatem sensum legis universalis comprehensive interpretantur. Ratio per se patet ex dictis h. n. sub quæsito 3°.

Resp. 2° *Neg.*, si dentur in casibus omnino particularibus, ob specialia rerum adjuncta, vel singularis loci conditiones, quod ex casus expositione et ex facto colligendum est. Patet ex Resp. S. C. R. 8 apr. 1854. Utrum vero ad casus similes ejusmodi responsa particularia necessario extendenda sint, utrinque probabiliter disputatur;[1] certum autem est ea generatim vim doctrinalem in casibus omnino similibus habere, cum sint responsa virorum in rebus illis versatissimorum.[2]

Quær. 5° *An Declarationes et Decreta universalem vim habentia promulganda sint, ut obligent?*

Resp. Affirm., si extensiva; *neg.*, si comprehensiva sint. Ratio patet ex dictis n. 143. III. Sufficienter autem promulgata censentur, si jam in Ecclesia universaliter divulgata sint *vel* usu plurium annorum, *vel* relatione auctorum, ea communiter referentium.[3]

Quær. 6° *Sitne aliqua authentica SS. CC. Declarationum et Decretorum collectio?*

Resp. Neg., si excipias collectionem Gardellinianam Decl. et Decret. S. C. Rituum.

Quær. 7° *Unde fiat, ut nonnullæ SS. Congregationum responsiones sibi contradicere videantur?*

Resp. Id triplici de causâ fieri solet. Nam in iis agebatur *vel* de casibus singularibus, qui ob diversa locorum rerumque adjuncta diversimode resolvenda erant; *vel* de quæstionibus dubiis nondum discussis, ad quas si illico respondendum sit,

[1] L. I. 106. [2] H. A. Tr. II. 34.
[3] Id. Quæst. II. inter Retr. Recent.

Congregationes communiori sententiæ, non decisive, sed doctrinaliter adhærere solent;[1] *vel* de decisionibus, ut vocant, *a posteriori*, — non *a priori*, — quæ dantur, non secundum jus strictum et nude consideratum, sed habita ratione illius casûs specialis, et tunc decisio dari solet cum aliquo addito, v. g. *affirmative* vel *negative, prout in casu, prout jacet*, etc.

174. — **Quær.** 8° *Quis sit sensus quarumdum clausularum, quæ in responsionibus SS. Congregationum sæpe occurrunt?*

Resp. Occurrere præsertim solent sequentes.

a) *Dilata*, id est, differtur responsio, ut res maturiori examini subjiciatur, utpote difficilis solutionis.

b) *Affirmative et amplius*, — *Negative* et *amplius*, id est, cum res fuerit in S. C. satis superque discussa, et plenis votis prout jacet decisa, non amplius admittitur tale quæsitum.

c) *Nihil*, hoc est, non admittitur petitio, utpote incongrua.

d) *Relatum* vel *Lectum*, id est, cum relatum, vel lectum fuisset in S. C. postulatum, non fuit admissum.

e) *Reponatur*, seu non datur responsio, sed petitio reponitur in Archivis S. Congregationis.

f) *Detur decretum generale*. Obtinet quando agitur de re gravi, quæ a pluribus negligitur.

g) *Spectare ad Episcopum*, vel *Orator adeat Episcopum*, ut nempe ipse provideat juxta canonicas ordinationes, non autem juxta libitum suum.

h) *Non congruere*, — *Non expedire*, i. e. Congregatio non putat convenire, ut concedatur, quod rogatur; ideo impetratam gratiam non vult elargiri, nec elargitur.

i) *Orator rem deferat ad Ordinarium et ejus judicio se dirigat*, seu a S. Pœnitentiariâ non concedi postulatum, sed remitti Ordinario, ut, si facultatem habeat, rei pro prudentia sua provideat; secus vel impetret facultatem, vel, si id non expedire judicaverit, quod injungendum est, injungat.

j) *In decretis*, — *In decisis*, seu preces, non exauditas et ab oratore iteratas, non esse audiendas.

[1] Ben. XIV. de Syn. L. VI. c. VI. n. 4. Perrone. de Matr. Christ. L. II. S. II. c. 3. a. 1. Tom. II. p. 468. sq.

k) *Ad mentem*, seu præter dubii solutionem aliquid aliud a S. Congregatione animadverti vel declarari, quod, si secretum fuerit, illis tantum manifestatur, ad quos responsio dirigitur; secus scriptis publice exaratis additur his verbis: *mens est*, etc.

l) *Facto verbo cum Sanctissimo*, vel: *Ad Dominum Secretarium cum Sanctissimo*, seu Congregationem gratiæ concedendæ facultatem non habere, ideoque Secretario injungi, ut Rescriptum S. Cong^nis^ referat Summo Pontifici, qui judicium Cong^nis^ approbare solet et gratiam concedere.

m) *Providebitur in casibus particularibus*, seu casum, qui generice et indeterminate propositus fuit, determinate proponendum esse.

n) *Gaudeat impetratis*, seu oratorem contentum esse debere gratiâ obtentâ, et ejusdem extensionem, vel aliam, quæ de novo postulatur, non concedi.

o) *Sanctissimus annuit pro gratia, arbitrio et conscientiæ Episcopi*, seu gratiam esse concessam et nihil deesse, ut plenum habeat effectum, nisi executionem, quam denegare nequit delegatus, nisi forsan subsit causa aliqua canonica, S. Sedi non exposita, quæ eam de jure impediat.

175. — **Quær.** 9° *Quid de Bullis, Brevibus et Rescriptis Pontificiis?*

Resp. 1° *Bullæ* sunt quædam Romanorum Pontificum Constitutiones, quæ graviora, ut plurimum, negotia respiciunt, et in Cancellaria Apostolica membranis subfuscis et crassioribus, charactere Longobardico, seu Teutonico exaratæ expediuntur. Bullæ dicuntur a sigillo vel plumbeo vel aureo, exhibente hinc SS. Apostolorum Petri et Pauli imagines, illinc vero nomen Pontificis, quod inhæret funiculo serico vel cannabis.

Varia nomina ex variis objectis sortiuntur. Aliæ sunt *gratiosæ*, quæ gratiæ collationem continent. — Aliæ *justitiæ*, quæ justitiæ administrationem respiciunt. — Aliæ *consistoriales*, quæ in Consistorio expediuntur. — Aliæ *dimidiæ*, quæ a Pontifice nondum consecrato feruntur, et in sigillo non exhibent ejusdem nomen. Bullæ citantur vocabulis quibus incipiunt; Bullaria dicuntur Bullarum collectiones.

2° *Brevia* dicuntur quædam Romanorum Pontificum Constitutiones pro negotiis ut plurimum levioribus. Per Secreta-

rium Brevium, in membranis albis atque subtilibus latino, eoque nitido charactere conscriptæ, expediuntur. Sigillum habent ceræ rubræ, in quo impressa est imago S. Petri piscationem exercentis, et ideo dicuntur expediri sub Annulo Piscatoris.

3° *Rescripta* vocantur rogatorum Pontificum responsa. Duplex illorum genus. Alia instar Epistolarum familiarium feruntur, quæ dare solent Summi Pontifices sive cum orantur ab iis quibuscum habent peculiarem amicitiæ relationem, sive cum de consilio tanquam viri docti et pii rogantur; nec iis ulla vis obligandi inest, utpote quæ magis ex animi comitate quam ex vera auctoritate procedant. — Alia instar Decretorum a Pontificibus, tanquam S. Petri successoribus, et Ecclesiæ universalis Pastoribus atque Magistris feruntur; ac proinde illis vis inest maxima, cum per ea jus pontificium et suprema jurisdictio exerceatur.

176. — Quær. 10° *An vim legis habeant Epistolæ pontificiæ, et responsa in corpore Juris non inserta?*

Resp. Affirm., si de earum authenticitate constet, et casu, quo juxta dicta n. 143. III. promulgatione indigeant, sufficienter promulgatæ sint, scilicet si eo modo publicentur, quo leges publicari solent, vel si ex usu et sensu Ecclesiæ universalis jam a pluribus sæculis habeantur pro authenticis, et sufficienter promulgatis.[1]

ARTICULUS II.

DE LEGE CIVILI.

177. — Ut singulæ nationes seu communitates politicæ, ita et Status nostri Fœderati proprias habent leges, quibus reguntur.

Harum, a) aliæ a Congressu (*Congress*); b) aliæ a cœtibus legislatoriis singulorum Statuum (*Legislature*); c) aliæ a collegiis municipalibus (*city councils*) proficiscuntur; d) aliæ ad jus commune (*the common law*); e) aliæ ad jus statutorum (*the statute law*); f) aliæ ad jus Romanum (*the civil law*) pertinent.

Ad singulas pauca juvat notare.

Ad a). Congressus leges fert circa negotia omnium Statuum consensu et fœdere sibi commissa. Quæ hæc sint, vide, si lubet, apud Kent[1] et in Constitutione Statuum Fœderatorum.[2]

Ad b). Quilibet ex Fœderatis Statibus *gentis* instar est, et Respublica independens dici debet (*Commonwealth*), suprema legum ferendarum potestate gaudens, quæ potestas illis tantum legibus coarctatur, quas Congressus fert circa negotia omnium Statuum consensu et fœdere sibi commissa.

Ad c). Collegia municipalia leges ferre possunt, quæ non sint contrariæ legibus sui Status vel Congressus.

Ad d). Jus commune (*the common law*) vocant "those principles, usages and rules of action, applicable to the government and security of person and property, which do not rest for their authority upon any *express* and *positive* declaration of the will of the legislature."[3]

Ad e). Jus Statutorum (*the statute law*) "is the express *written* will of the legislature."[4]

Ad f). Jus Romanum, quod jurisperiti nostri vocare solent "the civil law," magno in honore semper habitum est et quasi *ratio scripta* laudatur. — Continetur in celeberrimo Codice, seu Corpore Juris Civilis, edito Justiniani jussu. Hoc volumen in quatuor partes distribuitur.

In 1ª parte sunt Institutiones Justiniani, quæ, quasi rudimenta et elementa pro tironibus Juris Civilis, quatuor libris continentur.

In 2ª parte sunt Digesta seu Pandectæ, quæ in 50 libros distribuuntur.

In 3ª parte est Codex, vocatus Repetitæ prælectionis, in 12 libros divisus.

In 4ª parte continentur 68 Authenticæ seu Novellæ, quæ numerico ordine designantur.

Plerique Status (qui illi generatim sint V. Kent[5]) jus *commune*, quatenus ante libertatem adeptam (4 julii 1776) vigebat, ac *Statutorum*, ante id tempus a Cœtu legislatorum Angliæ conditorum, sequuntur, exceptis tamen iis utriusque hujus juris dispositionibus, quæ vel conditioni re-

[1] L. I. 106. et H. A. Tr. II. 34.

[1] Vol. I. n. 236. sq.
[2] Sect. VIII. X. Amend. art. I. X. XIII. XIV. XV.
[3] Kent, Vol. I. n. 472. p. 514.
[4] Ib. n. 447. p. 484.
[5] Ib. n. 472. 473. p. 515. 516.

gionis, vel legibus Congressus aut singulorum Statuum repugnant.

Quo sensu Louisiana jure Romano, imo et Gallico ac Hispanico utatur, vide, si lubet, apud Kent.[1] In omnibus præterea Statibus judices causas ad se delatas juxta Jus Romanum dirimere solent, dum eas juxta leges scriptas et jus commune, utpote de iis silentia, decidere nequeunt.

CAPUT III.

DE LEGE PŒNALI ET IRRITANTE.

ARTICULUS I.

DE LEGE PŒNALI.

178. — Lex pœnalis ea est, quæ non obligat ad actum, vel ad omissionem, nisi sub pœna temporali, id est, ad acceptandam pœnam, ut justam.

PRINCIPIA. — I. Nequit dari lex pure pœnalis, quæ nullo modo in conscientia obliget, quia omne præceptum Superioris aliquatenus obligare debet; secus enim non esset verum præceptum.

II. Potest autem dari lex mere pœnalis, ad alterutrum in conscientia obligans, nempe vel ad legem implendam, vel ad pœnam, si lex violata fuerit, subeundam. Ratio est, 1° quia ad legis essentiam sufficit, ut imponat aliquam obligationem in conscientia, nec necesse est, ut obligatio actum vel omissionem determinate respiciat; 2° quia lex vim non habet nisi ex voluntate legislatoris: legislator autem ad solam pœnam obligare potest, si id communi bono procurando sufficiat.[2]

Quæstio vero, an dentur aliquæ leges mere pœnales, minime potest speculative resolvi, cum dari possint hic, et non alibi. Soli igitur in sua regione aut natione docti et periti de hoc judicare valent.

Non immerito tamen forte quis contenderet hodiedum in plerisque regionibus civiles leges omnes mere pœnales esse, earumque proinde violationem universim sine peccato fieri, *nisi* eas violando simul vioies legem vel divinam vel ecclesiasticam; ea enim est ætatis nostræ ubique fere gentium tristissima conditio, ut de conscientia obliganda cœtus legislatorii, qua tales, non tantum non curent, sed, paganis pejores, Deum etiam, omnis obligationis auctorem, ne agnoscant quidem, et omnem legum ferendarum auctoritatem in summa numeri[1] constituant.

Nec dicas: 1) legem *vi sua* obligare in conscientia, id enim falsum est; nam ut mox cum S. Alph.[2] diximus, vim non habet, nisi ex voluntate legislatoris.

2) Bonum commune postulare, ut obliget in conscientia. Ubi enim bonum commune id exigit, eam violando simul violabis legem divinam naturalem prohibentem, ne communi bono noceas; ideo addidi: "*nisi eas violando*, etc."

3) Hoc principium esse subversivum ordinis socialis; neque enim illud probo, dum memoro, seu non laudo legislatorem ita agentem, sed ex facto legislatoris, conscientiam non ligantis, concludo eam non ligari. Cfr. de hac quæstione *Acta*.[3]

179. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quotuplex sit pœna, — et an obliget lex pœnam decernens in conscientia ad illam subeundam ante sententiam?*

Resp. ad 1[um] 1) Alia est *activa*, quæ nequit executioni dari sine aliqua delinquentis actione: uti pecuniæ solutio; alia *privativa*, quæ consistit in merâ privatione alicujus rei, uti suspensio, quæ sacerdotem privat facultate munia sacra obeundi.

2) Alia est *latæ sententiæ*, quæ *ipso facto*, uti Scholæ loquuntur, i. e. sola criminis patratione incurritur, per legis verba; alia *ferendæ sententiæ*, quam nempe lex non infligit, sed infligendam decernit per judicis sententiam.

3) Alia non incurritur nisi per sententiam judicis *condemnatoriam;* alia non nisi per *declaratoriam*, criminis videlicet; per eam enim judex declarat aliquem in illud incidisse crimen, propter quod pœna a lege jam statuta ipso facto incurritur.

4) Alia est *conditionalis*, quæ privat aliquo jure sub data aliquâ conditione; alia *inhabilitans*, quæ inhabilem facit aliquem ad aliquid obtinendum.

Resp. ad 2[um] 1° *Neg.*, si sit *ferendæ*

[1] Vol. I. 473. p. 516. 517 b).
[2] L. I. 145.

[1] Syll. pp. 60. p. XLV.
[2] L. I. 147.
[3] Vol. VII. pp. 219. 220.

sententiæ, ut per se patet. 2° Si *latæ sententiæ*, distinguendum. — *Neg.*, si sit *activa et gravis* simul, idque licet in lege dicatur; *nulla declaratione* (intellige: criminis patrati) *secuta;* nimis enim arduum id foret, et patet ex jure,[1] quo declaratur hæreticos, licet ipso facto bonis suis priventur, *ante* sententiam non teneri se iis expoliare. — Secus *affirm.*; saltem ordinarie.

Dico: *saltem ordinarie;* nam pœna *privativa*, quam quis sine infamia in seipsum exsequi nequit, æquiparatur *activæ*, ideoque ante sententiam judicis, saltem declaratoriam, non est subeunda. Sic v. g. sacerdos, qui aliquem ad turpia sollicitavit in confessione, ipso facto incurrit inhabilitatem ad celebrandum; a celebratione tamen non tenetur abstinere ante sententiam; cum id sine gravi suî infamia fieri non posset.

180. Quær. 2° *An ignorantia excuset a pœna per legem lata?*

Resp. 1° *Affirm.*, pro foro *interno*, si ignorantia excuset a culpa: in foro autem *externo* non excusat, quatenus nunquam licet publicæ auctoritati resistere.

Resp. 2° *Neg.*, si ignorantia non excuset a culpa aut circa solam pœnam versetur.[2] Ipsa namque ratio naturalis dictat, malum juxta naturam suam esse puniendum.

Excipe: 1) si pœna sit improportionata, nempe gravissima, meritum criminis excedens; 2) si pœna sit censura aliqua ecclesiastica, quam non incurrit, qui eam invincibiliter ignorat;[3] 3) si superior ad contrahendam pœnam requirat dolum, contumaciam, ausum, aut temeritatem. Eo enim in casu non excusat quidem ignorantia affectata, quæ in jure scientiæ æquiparatur; sed excusat ignorantia crassa et supina.[4]

ARTICULUS II.

DE LEGE IRRITANTE.

181. — Lex irritans ea est, quæ statuit aliquem actum a principio *invalidum* esse, vel judicis sententia *invalidandum*. Hinc dantur leges ipso facto irritantes, aliæ vero post sententiam tantum. Aliæ sunt irritantes *absolute*, aliæ *conditionate*, si nimirum deficiant requisitæ conditiones. Insuper aliæ *immediate* irritant actum ipsum, ut impedimentum matrimonii ob clandestinitatem; aliæ *mediate*, personas ipsas inhabiles reddendo, ut impedimentum consanguinitatis.

Principia. — I. Omnis legislator leges irritantes condere potest; ratio, quia hoc ad bonum commune requiritur; secus enim fraudes et pericula societatis humanæ propulsari satis nequirent.

II. Leges, quæ statuunt, actus rescindi posse, eos ante judicis sententiam non irritant, ut ex terminis patet, et proinde ante ejusdem sententiam vim non sortiuntur.

III. Sententiæ autem judicis irritantis standum est in iis omnibus, quæ intrinsece ex irritatione nascuntur, quia auctoritati præcipienti obtemperandum est.

182. Quæsita. — Quær. 1° *An lex irritans obliget in conscientia ad actum vitandum?*

Resp. Affirm., si sit simul irritans et prohibens, ut sunt leges matrimonii impedimenta statuentes; secus, si sit irritans tantum, quia tunc finis legis sola actus irritatione sufficienter obtinetur, ut in pluribus contractibus civilibus.

Quær. 2° *An ignorantia invincibilis effectum irritationis impediat?*

Resp. Neg. per se, quia ignorantia non supplet defectum rei essentialiter requisitæ, nec tollit gravia incommoda, quæ sequerentur, si lex in omni casu non irritaret. Sic mulier violata a viro incognito, invalide nubit cum ejusdem fratre, non obstante ignorantia invincibili impedimenti affinitatis.

Excipe tamen, si lex irritet *unice* in pœnam et odium delicti; quia tunc solam malitiam punire intendit, et proinde, cessante causa, effectus etiam cessare debet.

Quær. 3° *An lex irritans, non obstante incommodo valde gravi, irritet?*

Resp. Affirm., nisi agatur de damno communi; ratio, quia lex irritans actum potius quam personam afficit, nec agitur de obligatione conscientiæ, sed de bono communi; secus enim homines facilius

[1] C. cum secundum. 19. de hæret. in 6°.
[2] L. I. 169.
[3] Ex c. 2. de Const. in 6°.
[4] L. I. 169. et L. VII. 47. 48.

sibi fingerent incommoda, et lex totum robur suum amitteret. Hinc non valeret matrimonium cum consanguinea, etiam metu mortis, sine dispensatione initum.

CAPUT IV.

DE LEGE NON SCRIPTA, SEU DE CONSUETUDINE.

183. *Definitio.* — Consuetudo alia est *facti* et definitur: "Similium alicujus communitatis actuum frequentia." Alia est *juris*, et definiri potest: Jus per similium alicujus communitatis actuum frequentiam acquisitum."

Dicitur: 1° *Frequentia*, quia actus per plures vices debent esse repetiti juxta prudentium arbitrium.[1]

Dicitur: 2° *Alicujus communitatis;* non tamen cujuscumque, sed quæ sit capax potestatis legislativæ pro seipsa, vel saltem sufficiens ut vera lex illi possit imponi.

184. *Divisio.* — Consuetudo 1° Alia est *secundum jus*, quæ aut legem dubiam interpretatur, aut certam confirmat et adjuvat deducendo in opus. Alia *præter jus*, quæ aliquid statuit, ubi deficit lex. Alia *contra jus*, quæ legem abrogat, vel non sinit illam obligare, quando nondum est acceptata.

2° In *generalissimam* quæ vim habet in toto christiano orbe; *generalem*, quæ in tota aliqua provincia; et *specialem*, quæ in aliqua tantum urbe, pago, etc.

3° Non *juris* quidem (cum mala consuetudo nequeat jus facere), — sed *facti* consuetudo dividitur: in *bonam* et *malam*, seu rationabilem et irrationabilem. Malam esse consuetudinem duplici modo contingere potest: *intrinsece* quidem, quando est contra legem naturalem aut divinam; *extrinsece* autem, quando ipsius actus prohibentur per legem, vel mali sunt propter adjunctam circumstantiam pravam, quæ cessare potest.

Consuetudo, mala *intrinsece*, dicitur *abusus* seu *corruptela*, et nunquam in jus transire potest; mala *extrinsece* potest evadere bona per ablationem sive prohibitionis, sive pravæ circumstantiæ adjunctæ.

4° In consuetudinem *a jure non repulsam*, et consuetudinem *a jure abrogatam, prohibitam* et *reprobatam;* quæ tria non sunt confundenda. Nam quando lex consuetudinem *abrogat*, abrogatur consuetudo ante legem existens, sed hæc non ideo declaratur mala aut irrationabilis. Quando vero *prohibet*, prohibet etiam consuetudinem, in futurum introducendam, quæ tamen non ideo declaratur mala vel irrationabilis. Quando tandem *lex reprobat*, eo ipso consuetudo declaratur *mala* et *irrationabilis*.

Abrogans censetur clausula: *non obstante quacumque consuetudine.* Prohibens vero: *Nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere.* Reprobantes denique habendæ sunt clausulæ sequentes: *consuetudinem illam penitus improbantes: cum non tam consuetudo quam corruptela merito sit censenda.*

185.— *Conditiones*, ut vim legis habeat consuetudo, aliæ requiruntur ex parte Communitatis, aliæ ex parte ipsius Consuetudinis, aliæ ex parte Principis.

I. *Ex parte communitatis.*— Consuetudo induci debet a communitate, cui saltem vera lex possit imponi, — a majore ipsius parte, — ex certa scientia, — per actus publicos et liberos, non vero ex vi aut timore elicitos, — cum intentione se obligandi, si agatur de consuetudine præter jus, — et actibus ante consuetudinis constitutionem non interruptis.

Dicitur: 1° *A communitate cui saltem*, etc., ut jam diximus supra n. 183. 2°.

Dicitur: 2° *A majore ipsius parte:* quia obligatio inducitur a communitate, consentiente principe; sed a communitate revera non induceretur, si minor tantum pars consuetudinem servaret.

Dicitur: 3° *Ex certa scientia.* Communiter auctores requirunt illam conditionem, quia princeps non intendit acquiescere consuetudini, nisi communitas velit se eximere a lege, vel legem sibi imponere; neutrum autem fieri potest, ubi adest error ex parte communitatis falso existimantis, vel non adesse legem, contra quam agit, vel se teneri ad legem, quam per consuetudinem sibi imponit.

Dicitur: 4° *Per actus publicos:* ut omnes de populo, vel major pars in præ-

[1] L. I. 107.

stando consensu possit convenire, et talis consuetudo possit esse nota Principi: ideoque actus debent esse publici, saltem notorietate facti.[1]

Dicitur: 5° *Per actus liberos*, etc. Quia aliter non censetur consentire superior: præsumi enim nequit velle subditos injusto metu cogi ad sibi imponendas obligationes, ad quas non tenentur, vel ad se eximendos ab obligationibus, quibus juste obstriguntur.

Dicitur: 6° *Cum intentione se obligandi*, etc. Nam si ex mera devotione agat populus, vim legis non habebit consuetudo: ut v. g. consuetudo cineres recipiendi initio Quadragesimæ, etc. — In dubio utrum ex mera devotione, an etiam ex voluntate se obligandi introducta fuerit consuetudo, præsumendum est quod potius ex devotione: item in dubio an sub gravi vel levi; ad culpam vel ad pœnam, benignior pars est tenenda. Animus se obligandi cognoscitur ex circumstantiis, nempe si consuetudo constanter observetur et cum non levi incommodo, v. g. consuetudo jejunandi in vigilia Pentecostes; si transgressores puniantur, etc.[2]

Dicitur: 7° *Et . . . non interruptis.* Est sententia communis: quia aliter consuetudo non legitime foret præscripta.

Interrupta autem, etiam per unum actum contrarium, positum a populo, ex certa scientia, — vel per punitionem a superiore inflictam, — de novo inchoanda est.

Si vero fuerit jam completa et firmata, non revocatur per unum actum populi contravenientis, saltem si consuetudo esset præter jus. Si vero esset contra jus, vide infra dicenda de abrogatione consuetudinis per contrariam consuetudinem.

II. *Ex parte ipsius consuetudinis.* — Consuetudo debet esse bona et rationabilis.[3] Ratio est, quia objectum legis debet esse bonum et utile communitati, quod non esset, si consuetudo non esset rationabilis vel bona.

Porro bona et rationabilis habenda erit consuetudo, quando tale erit ipsius objectum ut potuisset esse objectum justæ legis. Unde nec debet adversari juri naturali aut divino, nec a jure canonico reprobari, nec præbere licentiam vel occasionem peccandi, nec esse communi utilitati perniciosa, nec rumpere nervum ecclesiasticæ disciplinæ.

Hinc non valeret consuetudo, 1° non servandi ulla interdicta vel excommunicationes, vel non se subjiciendi visitationi Episcopi; quia sic rumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ.[1]

2° Non acceptandi decreta S. Pontificis, nisi antea probata fuerint ab Episcopis, etiam in casu, quo aliter præscribit S. Pontifex; quia talis consuetudo rumpit nervum ecclesiasticæ disciplinæ, et adversatur ordinationi a Christo statutæ.

3° Ut Legati S. Sedis non recipiantur, quia est contra libertatem ecclesiasticam.[2]

III. *Ex parte principis.* — Ex hac parte requiritur, ut consentiat S. Pontifex, si agatur de legibus Ecclesiæ communibus: consuetudo enim est lex; ergo ab eodem fonte dimanare debet ac leges; proinde a S. Pontifice, quando de legibus communibus Ecclesiæ agitur.

Triplici modo consentire potest S. Pontifex: *expresse*, *tacite* et *legaliter*.

1° Consensus *expressus* satis intelligitur, et de eo nulla difficultas moveri potest.

2° *Tacitus* consensus locum habet, quando Pontifex, videndo consuetudinem, ei non contradicit, quamvis commode posset. Merito enim tunc præsumitur consentire, si rationabilis sit consuetudo. In eadem hypothesi, si dubitetur utrum consuetudo sit rationabilis, concludi legitime potest illam esse rationabilem ex eo quod taceat Pontifex. Si enim illam irrationabilem judicaret, certe contradiceret, cum ex hypothesi facile possit contradicere. Si vero Pontifex destituatur commoditate reclamandi, tunc concludi nequit ipsum ideo silere, quia acquiescit consuetudini *contra legem:* cum ratio ipsius silentii sit forsan timor majoris detrimenti orituri ex ipsius reclamatione, ut, e. g., schismatis ex parte populi, vel persecutionis ex parte potestatis civilis. In hoc ergo casu consuetudo non præscribit *contra legem*, cum legislator censendus sit velle, ut lex sua servetur,

[1] Suarez, de Leg. L. 7. c. 10. n. 5.
[2] L. I. 107. IV.
[3] C. cum tanto. 11. de Consuetud.

[1] C. cum inter. 5. de Consuet. et c. Irrefragabili. 13. de Offic. Jud. Ordin.
[2] Extrav. c. Super gentes. 1. de Consuet. et Brev. Pii VI. Super Nuntiaturis.

quando legitime non potest præsumi illius abrogationi consentire. Merito tamen tunc præsumi potest Pontifex consentire, ut suspendatur obligatio legis, donec mentem suam libere manifestare possit.

3° Consensus *legalis* seu generalis ita dicitur, quod præstatur per legem illam generalem, qua approbantur omnes consuetudines rationabiles et legitime præscriptæ: unde ad talem consensum non requiritur, ut Pontifex cognoscat consuetudinem.[1] — Probabilis autem est S. Alphonso[2] sententia docens eam etiam consuetudinem, quæ est *contra jus*, decennio legitime præscribi, nec bonam fidem ad hoc requiri.

186. *Vis consuetudinis.* — 1° Legem interpretatur, et quidem *authentice*, si fuerit legitime præscripta; alias tantum *conjecturaliter*.

2° Legem inducit.

3° Legem abrogat. Illam vero abrogare potest vel totaliter, vel quoad pœnam tantum; imo quoad obligationem tantum, remanente pœna, modo pœna non supponat necessario culpam, qualis esset v. g. censura.

4° Irritat actus in contrarium gestos.[3]

An autem consuetudo abrogare possit legem, quæ prohibet consuetudinem in futurum inducendam? Quæstio est controversa, ut mox videbitur.

187. *Abrogatio consuetudinis.* — Fieri potest *vel* per legem supervenientem; *vel* per legem consuetudini anteriorem, qua scil. consuetudo prohibetur antequam sit orta; *vel* per consuetudinem contrariam.

1° Per *legem supervenientem*. Lex superveniens necessario abrogat consuetudinem *universalem* Ecclesiæ, sibi contrariam, etiamsi immemorialis sit et quamvis de ea lex mentionem non faciat: alioquin, ut patet, lex inutilis efficeretur.[4]

Consuetudinibus *particularibus*, quæ non sunt immemoriales, seu centenariæ, sufficienter derogatur per clausulam generalem: *nulla obstante consuetudine:* nam illa clausula non requiritur, ut aboleantur consuetudines generales Ecclesiæ; ergo inutilis esset, si consuetudinibus localibus non derogaret. Est sententia communis.

[1] L. I. 107. V. [2] Ib. et n. 139.
[3] Bouix, de Princ. p. 362.
[4] C. 1. de Constit. in 6° et Suarez, de Leg. L. 7. c. 20. n. 7. 8.

Episcopi tamen, inquit S. Alph.,[1] per suas leges "abrogant quamcumque consuetudinem particularem; quia præsumuntur ipsi plenam habere notitiam consuetudinum suarum diœcesium."

Ad abrogationem consuetudinum particularium *immemorialium* specialis mentio requiritur, v. g. per clausulam: — *etiam immemorialis*. Ratio est quia hujusmodi consuetudo est instar tituli, imo *qua non potest allegari melior titulus de tato mundo*, ut loquitur Fagnanus; et habet semper vim privilegii a principe concessi. Ita communiter contra aliquos. Excipe 1° si lex contrarias consuetudines declararet irrationabiles; 2° si ratio legis militet æque contra consuetudines immemoriales ac contra alias; 3° si legislator omnia contraria abroget, uno casu excepto.

2° Per *legem anteriorem, qua consuetudo prohibetur antequam sit orta*. Disputatur utrum consuetudo possit prævalere contra talem legem prohibentem: 1ª sententia negat, quia alioquin inutiliter apposita fuisset hujusmodi clausula prohibens; 2ª sententia affirmat: quia ex cap. *Cum tanto*,[2] ad legitimam consuetudinem requiritur solum ut sit *rationabilis* et *legitime præscripta;* ex hoc autem quod consuetudo fuerit prohibita, non ideo semper *irrationabilis* est reputanda, ut jam diximus supra n. 184. 4°. — Ad rationem oppositam respondetur quod non inutiliter dicta clausula apponatur: tum quia ex illa in dubio concludi potest, consuetudinem esse irrationabilem; tum quia per illam princeps significat se non consentire tacite hujusmodi consuetudini, quamvis ab ipso sit cognita; ac proinde in hoc casu, requiritur longa præscriptio, etc. — Hanc posteriorem sententiam ut probabiliorem amplectuntur Suarez,[3] et S. Alph.[4]

3° Quoad abrogationem consuetudinis *per aliam consuetudinem contrariam*, certum est eam fieri posse, et in hoc casu, si agatur de consuetudine *præter jus*, sufficit decennium; si vero agatur de consuetudine *contra jus*, iterum multi DD. decennium requirunt, et dicunt illud tempus sufficere, quia in hoc casu fit reditus ad jus; ac proinde non agitur *contra jus*.

[1] L. I. 109.
[2] Decr. L. 1. T. IV. c. 11.
[3] De Leg. L. 7. c. 19. 20. 21.
[4] L. I. 108.

Sed videtur sufficere quod *major pars communitatis* non amplius servet consuetudinem contra jus, quia merito præsumi debet Pontifex non consensisse tali consuetudini, nisi cum hac restrictione : *donec ita optabit populus, cui displicere nolo.*[1]

188. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *Quid de consuetudine contraria decretis Tridentinis de Reformatione ?*

Resp. Disputatur utrum aliquando legitima sit.[2] Placet nobis sequens animadversio Ephemeridis : " *Acta ex iis, quæ apud S. Sedem,* etc." [3] "Non multo post Tridentinum apud Canonistas incœpit invalescere dictio : *contra Tridentinum nulla admittitur consuetudo.* Hæc dictio, quæ nec grave habuit ab initio fundamentum, admissa merito fuit a S. Congregatione Concilii. Dixi : grave non habuit fundamentum ; nam ea generalis clausula neque a Patribus Tridentinis apposita fuit decretis, neque explicite ab aliqua Constit. Romani Pontificis. Attamen a variis auctoribus persæpe repetita fuit usque ad nostra tempora ; nihilominus hæc dictio decursu sæculorum pedetentim amisit suam veritatem ; et reapse modo videmus multas invaluisse consuetudines contra Tridentinum, quæ irrationabiles, præsertim pro locorum adjunctis, non reputantur. Nemo autem mirabitur, cum agitur de legibus disciplinaribus, quæ natura sua rationales admittunt consuetudines ; nam mutationi obnoxiæ sunt. Nec refert, si forte præ se ferant clausulam ; *exclusa quavis contraria consuetudine in futurum ;* valor hujus clausulæ non alius esse potest quam difficiliorem reddendi consuetudinem novæ legi contrariam, ac vigilantiam particularem auctoritatis excitandi, ne consuetudo adversa invalescat. Habemus autem exempla solemnia in ipsis *Decretalibus* quoad hanc mutationem per consuetudines inductam."

189. — **Quær.** 2° *Quid de hujus regionis consuetudinibus ?*

Resp. " Legibus ecclesiasticis," ait Kenrick,[4] " in hac regione plura solent fieri haud consentanea, quæ utrum vim consuetudinis assecuta sint vix audemus dicere. Plura autem ex indulto Pontificio, seu facultatibus Episcopis concessis orta verosimile est, necessitate etiam cogente ; quæ idcirco retineri posse videntur, donec aliter Præsulibus, vel Sedi Apostolicæ visum fuerit. . . . Cæterum in aliis plurimis ea est morum discrepantia, quæ consuetudinem tollit, vel infirmat : ideoque quamvis non damnemus eos qui usus receptos sequuntur, quousque eos aboleverit Præsulum auctoritas, vehementer tamen commendandos censemus, qui universalis Ecclesiæ, et Romanæ præcipue disciplinam, a primo Concilio Baltimorensi valde commendatam, contrariis quarumdam provinciarum usibus postpositis, quatenus rerum adjuncta patiuntur, in omnibus imitantur."

[1] Bouix, de Principiis, p. 381 et seq.
[2] Craisson, Elem. Jur. Can. n. 109.
[3] T. IV. p. 26.
[4] Tr. IV. P. I. 42.

CAPUT V.

DE LEGE FAVORABILI, SEU DE PRIVILEGIO.

190. *Definitio.* — Est lex privata aliquid speciale concedens contra vel præter jus. Appellatur *lex privata,* non quidem respectu personæ privilegiatæ, cui nulla imponitur lex, imo gratia confertur ; sed respectu communitatis, cui imponitur obligatio non impediendi privilegii usum.

191. — *Dividitur* 1° in *reale* et *personale. Reale* dicitur quod directe conceditur alicui rei, muneri vel conditioni distinctæ a persona, e. g. altari cuidam, ut indulgentia plenaria, applicabilis defunctis, a celebrante in eo impetretur ; item Episcopo qua tali, seu ejus vel Sedi vel Officio, aut communitati cuidam. — *Personale* est, quod immediate datur personæ ratione suî, ut privilegium absolvendi a reservatis confessario cuidam concessum.

2° In *gratiosum* et *remuneratorium,* prout sine ullo respectu ad merita privilegiati vel aliorum v. g. parentum, vel propter ea conceditur.

3° In *conventionale* et *purum,* prout pacto aliquo interveniente, aut eo non interveniente obtinetur.

4° In *perpetuum* et *temporale.*

5° In privilegium *contra jus,* et *præter jus,* prout per illud alicui legi derogatur

vel non. Sic exemptio a jurisdictione Ordinarii est privilegium contra jus.

192. PRINCIPIA. — I. *Acquiritur* privilegium, — *vel* per concessionem habentis potestatem, — *vel* per legitimam consuetudinem, si de communitate, — *vel* per præscriptionem, si de privata persona agitur.[1]

193. — II. *Interpretandum* est 1° ita ut privilegiato neque inutile sit, neque onerosum; 2° authentice vel doctrinaliter ad normam legis (n. 141); 3° large. vel stricte, prout favorabile vel odiosum est (n. 144. D). *Odiosum* autem dicitur privilegium, si juri communi, aut statutis, quæ juri communi non sint contraria, aut consuetudinibus derogat, vel in aliorum cedat detrimentum; secus *favorabile*. Odiosum autem favorabili æquiparatur et large interpretandum est, si, vel a) insertum sit in Corpore Juris; vel b) reale sit; ob suam enim perpetuitatem censetur in Corpore Juris insertum; vel c) concessum sit cum clausula: *ex certa scientia*, vel *ex motu proprio;* vel d) sit privilegium absolvendi, dispensandi aut communicandi aliis; vel e) concessum sit alicui ordini, conventui, communitati, aut ad aliam piam causam; privilegia enim communitatibus concessa præsumuntur omnia esse remuneratoria servitiorum præstitorum, et ideo omnia habentur tanquam favorabilia.[2]

194. — III. *Uti* privilegio suo nemo *per se* tenetur: aliquando tamen *per accidens*, scilicet, si, non utendo, aut grave damnum bono communi vel proximo inferas, aut, eo utendo, impedimentum servandi præcepti facile tollere possis. Hinc Episcopi, Clerici ac Regulares tenentur uti privilegiis statui suo concessis, si, non utendo, statui suo detrimentum afferrent. Item facultatem habens absolvendi a reservatis peccatorem, reservata habentem, jam confessum et rite dispositum absolvere, aut in gravi necessitate positum audire teneris. Pariter sacerdos, facultatem habens celebrandi in quocumque loco decenti, extra ecclesiam celebrare tenetur, si commode et decenter possit, et alias præcepto audiendi Missam satisfacere non valeat.[3]

195. — IV. Privilegiati Ordinariis locorum privilegium suum aut transumptum ejusdem fide dignum exhibere tenentur. 1) *Licet non requisiti*, et priusquam iis uti possint, si agatur de privilegiis cum clausula: *certioratis locorum Ordinariis*, vel de *novis* indulgentiis publicandis. 2) *Requisiti*, at quin interim usu privilegii interdici possint, si agatur de privilegio exemptionis instituti cujusdam religiosi, ubi illud non foret satis notorium.

196. — V. *Cessat* privilegium 1° generatim eodem modo, quo jurisdictio delegata (n. 151). *Renuntiatione* tamen non cessant, quæ non tam personæ, quam conditioni seu statui conceduntur; unde religiosus non potest renuntiare privilegio exemptionis. — *Revocatio* etiam fit per novam legem, quamvis non adsit clausula revocatoria, quando aliter non potest nova lex suum effectum sortiri; neque enim dici debet conditam fuisse legem inutilem. Ad revocationem autem ordinarie sufficit clausula generalis: *non obstantibus privilegiis*, nisi hæc sint justitiæ, vel qualificata, vel inserta in Corpore juris. Si vero revocatio dicatur facta *ex certa scientia, ex motu proprio, de plenitudine potestatis*, vel si certo constet de mente legislatoris, tunc revocatur quodcumque privilegium, exceptis onerosis, nempe concessis ob pretium a privilegiato tributum, vel ob onus ei impositum.[1] — 2° Cessatione causæ finalis ad modum dispensationis (n. 164). — 3° Conditione, sub quâ concessum fuit, non servatâ. — 4° Exhausto numero casuum, ad quem datum fuit. — 5° Per *non usum* spatio temporis ad præscriptionem sufficienti, si privilegium sit odiosum, et se obtulerit occasio illo utendi; — quia in hoc casu censetur adesse tacita illius renuntiatio. Si non sit odiosum, non amittitur per præscriptionem; quia nemo est, qui habeat jus querelam de eo movendi. — Diximus: *et se obtulerit occasio illo utendi;* nam secus privilegium non amittitur. Sic qui usus non est privilegio ducendi aquam de fundo alieno in fundum proprium, quia fons exaruit, dici non poterit privilegium amisisse.[2] — 6° Per *usum* privilegio *formaliter contrarium*, si privilegium sit odiosum, ob præsumptam nempe privilegii renuntiationem; sic qui

[1] Suarez, de Leg. L. VIII. c. VII. n. 8.
[2] S. Alph. de Priv. n. 6 – 8.
[3] Ib. n. 3.

[1] Ib. 16.
[2] C. 6. de Priv. et L. XXXIV. Unus ex sociis § ult.

habet privilegium non solvendi decimas, et eas tamen scienter et libere solvit, privilegium amittit. Si vero non sit odiosum, illud, ob contrariam rationem, non amittit : sic qui habet privilegium non jejunandi tempore Quadragesimæ et tamen jejunat, privilegium suum non amittit ; quia jejunare præsumitur tantum ex devotione, non vero ex voluntate privilegio renuntiandi.[1] — 7° Per *abusum ;* quia privilegium meretur amittere, qui eo abutitur. Ad id tamen requiritur sententia declaratoria, nisi privilegium datum sit sub conditione illud ipso facto abusûs amittendi.[2]

1 Arg. c. cum accessissent 8. de Const. Arg. L. II. ff. de via publ.

2 C. 24. de Priv. et S. Alph. de Priv. n. 14.

TRACTATUS DE PECCATIS.

Agendum, 1° de peccatis in genere, 2° in specie.

PARS PRIMA.

DE PECCATIS IN GENERE, SEU DE NATURA, GRAVITATE ET DISTINCTIONE PECCATORUM.

CAPUT I.

DE NATURA PECCATI.

197. *Definitio.* — Peccatum est: Libera transgressio cujuslibet legis in conscientia obligantis.

Dicitur: 1) *libera*, seu debet esse in potestate voluntatis agentis actum ponere vel non ponere (n. 9).

Dicitur: 2) *legis;* etenim *ubi non est lex, nec prævaricatio.*

Dicitur: 3) *in conscientia obligantis*, seu cui nihil desit eorum, quæ ad essentiam legis pertinent (n. 100).

198. *Divisio.* — Dividitur in *originale*, de quo in theologia speculativa, et *personale. Personale* patratur propriâ et physicâ peccatoris voluntate, et

Subdividitur in *actuale*, quod est ipsamet actio peccaminosa, e. g. blasphemia hic et nunc prolata, et *habituale*, quod est macula animæ ex actuali peccato inhærens, eamque deturpans, donec pœnitentia deleatur; utrumque autem est vel *mortale*, vel *veniale*, prout amicitiam Dei solvit vel non solvit.

Actuale est 1° *Commissionis* vel *omissionis*, prout fit positione actus prohibiti, aut omissione actus præcepti.

2° Contra *Deum, proximum* vel *seipsum*, prout specialiter et immediate Deo repugnat, vel justitiæ et caritati proximo debitæ adversatur, aut speciatim temperantiam et passionum moderationem respicit.

3° *Malitiæ*, vel *ignorantiæ*, vel *infirmitatis*, prout vel ex mera malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel ex mera fragilitate committitur.

4° *Formale*, quando lex libere et scienter violatur; *materiale*, quando transgressio legis est prorsus involuntaria.

199. Principia. — I. Ad peccatum formale, præter malitiam objectivam actus, requiritur advertentia mentis et consensus voluntatis. Ac 1° quidem requiritur advertentia mentis ad malitiam, quia malitia peccati non potest esse objectum voluntatis, nisi ope intellectus aliquo modo cognoscatur: *ignoti* enim *nulla cupido;* 2° requiritur consensus ex parte voluntatis; peccatum enim voluntate perficitur, juxta illud Matth.:[1] *De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria*, etc.

II. Ad peccatum actuale requiritur necessario vel advertentia actualis, vel advertentiæ neglectus sive directe, sive indirecte voluntarius. Repugnat enim hominem peccare, quin aliquo modo vel hic et nunc, vel in causa, saltem *in confuso*, ad peccatum advertat. *Nihil* enim *volitum, quin fuerit præcognitum.*

Advertentiæ autem neglectus *directe* voluntarius habetur e. g. in eo, qui, ut ait S. Thomas,[2] "studiose vult nescire aliqua, ut liberius peccet"; itemque in eo, qui aut *penitus*, aut *sufficienter* advertere negligit, dum advertit, *saltem in confuso*, se aut advertere debere, aut non illam adhibere advertentiam, quam res agenda mereatur. — *Indirecte* vero voluntarius erit advertentiæ neglectus in eo, qui vel passionem aliquam deliberate vult sequi, vel pravum habitum non retractat, vel, ut

[1] 15. 19.
[2] 1. 2. q. 76. a. 3.

ait idem S. Thomas,[1] "propter laborem vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod a peccato retraheretur." His igitur etiam imputantur ad culpam sive "omnis pravus effectus tali passioni connexus," sive "actus mali, qui ex malo habitu proveniunt," sive peccata ex ignorantia illa causata, licet actualiter ad hæc, dum sequuntur, non advertant, dummodo tamen ea in confuso saltem præviderint.[2] Cfr. n. 5. 7.

Resolves. — 1° Ignorantia vincibilis circa præceptum aliquod est peccatum, et in re gravi potest esse grave, si negligentia notabilis fuerit: ratio quia omnis lex obligat primo ad suî notitiam, et proinde violatur præceptum non solum per actum ipsi oppositum, sed etiam per voluntariam ejus ignorantiam.

2° Actus mali eam habent malitiam, quæ apprehenditur. Unde si incidat cogitatio de malitia tali, seu taliter specifica, hæc vere per actum voluntatis contrahitur.

3° Si quod peccatum prævisum in causa fuerit, et dein cum advertentia ponatur, duplex habebitur peccatum, nempe 1° in causa voluntaria, 2° in se ipso.

4° Si ignorantia, culpabilis in principio, invincibilis evadat, actus malus non est peccatum in se, sed ratio peccati a sola causa repetenda est. Porro invincibilis evadet, si nulla amplius de negligentia præterita, aut de actuali ignorantia cogitatio subeat, quia tunc deficit potestas proxima et expedita ad ignorantiam depellendam. Evadit etiam invincibilis ignorantia, si suboriens de ea dubium depelli non possit.

5° Obcæcati et consuetudinarii, quamvis ob defectum clarioris tunc cognitionis forte peccent quandoque minus graviter in actu quam alii, non tamen excusantur, quia status ejusmodi, ubi nulla est emendationis cura, est illis voluntarius et culpabilis.

6° Ægre admittendus est advertentiæ sufficientis defectus in consuetudinariis et in iis generatim, qui secundum suas passiones operantur,[3] quia saltem in confuso peccati malitiam advertunt.

[1] 1. 2. q. 76. a. 3.
[2] L. II. 4. H. A. Tr. III. 27–31. et cfr. Vind. Alph. p. 910. ad 14 et 15.
[3] L. II. 4.

CAPUT II.

DE GRAVITATE PECCATI, PRÆSERTIM DE PECCATO MORTALI ET VENIALI.

200. *Definitiones.* — *Gravitas peccati* est quantitas seu mensura malitiæ, quâ peccatum est magis vel minus Dei offensivum, et proinde majori vel minori pœna dignum.

Peccatum mortale est transgressio legis graviter obligantis, seu gravis offensa Dei, privans amicitia divina et gratia sanctificante, et peccatorem reddens æterna pœna dignum.

Peccatum veniale est levis offensa Dei, quæ nec privat amicitia divina, nec gratia sanctificante, nec proinde ab æterna beatitudine excludit.

Quædam peccata sunt mortalia *ex toto genere suo*, quando eorum objectum seu materia, quæcumque ea demum sit, gravem semper continet deordinationem, ut in luxuria, blasphemia, perjurio, hæresi, etc. contingit. — Mortalia dicuntur *ex genere suo* (*non toto*), quando eorum materia in eadem specie manens potest esse gravis, quamvis et levis esse possit, cujusmodi sunt peccata contra justitiam. — Venialia vero *ex genere suo* dicuntur peccata, quæ, spectata objecti materia seu natura, non admittunt gravem reatum, et ideo quousque manent intra suam speciem, i. e. alia species non accedat ex genere suo mortalis, nequeunt mortalia esse.

201. QUÆSITA. — Quær. 1° *Undenam repetenda sit major, minorve peccatorum gravitas?*

Resp. Repetenda est generatim 1° ex objecto, fine et circumstantiis, prout magis vel minus naturæ rationali, vel legi repugnant; 2° ex duratione actus mali, vel ex ejus intensitate; 3° ex advertentia majori vel minori ad malitiam actus, vel ex diverso gradu consensus actui pravo præstiti; 4° ex præstantia virtutum vel præceptorum, quibus peccata opponuntur; 5° ex variis modis, quibus virtutes aut leges violantur.

Quær. 2° *Quænam ad peccatum mortale requirantur?*

Resp. Tria necessario requiruntur, scilicet 1° materia gravis vel in se, vel ob circumstantias; — 2° advertentia plena ad malitiam gravem actus; — 3° consensus plenus voluntatis in prævaricationem.

Itaque 1° requiritur materia gravis; secus enim non distingueretur peccatum mortale a veniali ratione materiæ, cum materia levis per se non possit hominem dissolvere ab amicitia divina.

2° Requiritur etiam plena advertentia, plenusque consensus, quia, cum per peccatum mortale homo totaliter recedat a Deo, ut creaturis adhæreat, id fieri non potest, nisi peccator deliberate objectum peccati Deo præferat, et sic suum finem ultimum in creatura constituat. Insuper a bonitate divina prorsus alienum est, hominem æternæ damnationi addicere sive propter transgressionem levem, sive propter actum non perfecte liberum et voluntarium. — Ita *omnes*.[1]

. Porro advertentia plena et sufficiens censetur, si cogitatio expressa, vel saltem implicita malitiæ mortalis consensum vel actum peccaminosum præcedat. Et hoc quidem etiam unico instanti fieri potest per simplex judicium de malitia, quin mens per discursum pluries in seipsam speciali actu reflectat; attamen semper vera et plena mentis deliberatio, et objecto pravo plena adhæsio requiritur.

Quær. 3° *Quænam requirantur ad peccatum veniale?*

Resp. Ad peccatum veniale requiruntur et sufficiunt advertentia aliqua, quantumvis exigua, ad actus malitiam, et aliquis voluntatis consensus quantumvis imperfectus: *requiruntur* ista quidem, quia hisce sublatis nulla mali cognitio et volitio, et proinde nullum peccatum esse potest; *sufficiunt* vero, quia illis positis mali cognitio et volitio, quæ ad peccatum constituendum necessariæ sunt, aliqua ratione habentur.

202. — **Quær.** 4° *Quomodo peccata possint dignosci mortalia ratione materiæ?*

Resp. Triplex regula assignatur.

I^a *Regula.* — Recurrendum est *ad Scripturam Sacram.* Quæ enim sint gravia, vel quæ levia, non humano sed divino sunt pensanda judicio, ait S. Aug.[2] Porro ea sunt mortalia existimanda, quæ in S. Scriptura declarantur digna morte, aut excludere a regno cœlorum; vel quæ enuntiantur cum particula: *væ*, quæ sane deformitatem vere gravem denotat. Sic Apost.[3] de operibus carnis, ait: *Quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria . . . prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* — Recole etiam longam seriem peccatorum mortalium, quæ recenset Apost.[1]

II^a *Regula.* — Recurrendum est *ad Ecclesiam*, seu ad definitiones SS. Pontificum, ad Decreta Conciliorum Generalium, etc., in quibus plura declarantur mortalia, vel tantum venialia. Ecclesia enim est columna veritatis, et proinde ab ejus doctrina regula et mensura morum repetenda est.

III^a *Regula.* — Recurrendum est *ad SS. Patres, ad Ecclesiæ Doctores*, necnon *ad communem Theologorum doctrinam.* Etenim SS. Patres et Doctores fuerunt a Deo in medio Ecclesiæ positi tanquam lucernæ ardentes ad depellendas erroris tenebras, et ad fideles in via veritatis illuminandos. Theologi vero melius norunt, quam cæteri, Scripturæ ac Patrum testimonia et Ecclesiæ Decreta interpretari, atque casus non definitos cum definitis, non declaratos cum declaratis conferre, atque ex paritate vel similitudine opportunas deducere conclusiones. Quæ igitur ab ipsis unanimiter tanquam mortalia habentur, ut talia æstimanda sunt; Doctorum enim consensus veritatis indicium est.

203.— Deficientibus præmissis regulis, valde difficile est determinare, quandonam peccatum sit grave vel leve. Generatim autem gravia censentur

1° Omnia peccata, quæ sunt directe contra Deum, vel aliquam ejus perfectionem. Item omnia peccata, quæ vergunt in grave præjudicium generis humani, ut sunt variæ luxuriæ species.

2° Omnia peccata, quæ graviter repugnant fini magni momenti per legem intento, ut omissio jejunii, Missæ, Confessionis annuæ, Communionis paschalis, etc.

3° Omnia peccata, quibus graviter læditur proximus in bonis vitæ, fortunæ, famæ, etc., ut homicidium, detractio proximo valde noxia, furtum notabile, etc.

Cæterum limites inter peccatum mortale et veniale sæpe sæpius nullo modo determinari possunt, ut constat ex innumeris Doctorum ea de re controversiis. Non est autem adstruendum mortale, nisi de eo certo constet, ut recte notat S. Alph.[2]

204. — **Quær.** 5° *Quomodo peccatum ex genere suo mortale fiat veniale, et vice versa?*

[1] L. II. 5. 6. 53. [2] Ench. c. 78.
[3] Gal. 5. 19.

[1] 1 Cor. 6. 9. 10.
[2] Syst. mor. ad finem, et L. VI. 604. 605.

Resp. 1° Peccatum *ex genere suo* mortale fieri potest veniale quadruplici modo, ratione scilicet 1° parvitatis materiæ; — 2° imperfectæ advertentiæ; — 3° imperfecti consensus; — 4° conscientiæ erroneæ. — Ita S. Thom.[1] et S. Alph.[2]

Resp. 2° Peccatum autem *ex genere suo* veniale fieri potest mortale 1° ratione conscientiæ erroneæ; — 2° ratione scandali; — 3° ratione pravi finis graviter mali; — 4° ratione contemptus *formalis* legis, seu auctoritatis præcipientis; 5° ratione pravi affectus in rem alioqui leviter malam, adeo ut vel præceptum graviter obligans transgredi quis sit paratus; — 6° ratione periculi seu occasionis proximæ in peccatum mortale labendi. — Ita *omnes*.

205. — Quær. 6° *An graviter peccet, qui* PROPONIT *committere omnia venialia, et sola vitare mortalia?*

Resp. Neg., probabilius per se loquendo, quia tale propositum *per se* remote tantum conducit ad mortale. Dixi: *per se loquendo*, seu secluso contemptu et periculo proximo labendi in mortale, habita ratione præteritæ experientiæ.[3]

Quær. 7° *An sit peccatum grave, periculo labendi probabiliter in mortale semet sine causa exponere?*

Resp. Affirm., ut per se patet. Vide dicta n. 87. I.

206. — Quær. 8° *An peccet graviter, qui sine causa sufficienti ponit actionem, ex qua turpes motus passurus sit?*

Resp. Non peccat graviter, si 1) actio non sit *per se* et graviter influens in pravos effectus; 2) eos non intendat; 3) absit periculum proximum consentiendi in pravam delectationem (n. 8).

Quær. 9° *An peccet graviter, qui deliberat de consensu rei graviter illicitæ præstando, si tandem non consentiat?*

Resp. Solutio quæstionis pendet e qualitate deliberationis. Si enim hæc imperfecta sit, nempe si non sit nisi quædam hæsitatio, seu resistentiæ omissio ex torpore, pigrita, aut negligentia, peccatum veniale non excedet. — Lacroix.[4] Si vero deliberatio sit plena, erit peccatum mortale, quia voluntas paratam se ostendit ad Deum peccato postponendum. — Lacroix.[5]

[1] 1. 2. q. 88. a. 1. 2. 6. [2] L. II. 54.
[3] L. V. 12. [4] n. 226.
[5] n. 229.

Quær. 10° *An peccata venialia multiplicata peccatum mortale efficere possint?*

Resp. Peccata venialia quantumvis multiplicata, per se loquendo et ratione multiplicationis, nunquam in mortale coalescere possunt, quia singula in specie inferiori manent. Quandoque tamen ratione materiæ coalescentis ad mortale deveniunt, ut v. g. in materia justitiæ accidit.

207. *Resolves.* — 1° In praxi ad distinguendum peccatum veniale a mortali, sedulo attendendum est 1) ad naturam actus; 2) ad ejus gravitatem ex parte objecti, finis, et circumstantiarum; 3) ad gradum deliberationis.

2° Ubi clarum non est aliquod peccatum esse mortale, non debet esse præceps confessarius in judicando, illud esse reapse grave tum objective, tum subjective, quia in dubio pro minima parte standum est, vel saltem res est divino judicio relinquenda. — S. Alph.[1]

3° In dubio de perfecto consensu judicabis in favorem pœnitentis, 1) si sit timoratæ conscientiæ et habitualiter paratus mori potius, quam Deum offendere; 2) si advertens plenius ad tentationem territus fuerit, eamque statim repulerit; 3) si nesciat, an vigilans vel dormiens, an sui plane compos quidpiam mali fecerit aut voluerit. — S. Alph.[2]

4° Confessarius non satisfacit muneri suo, si nullam curam adhibeat, ut pœnitentem a frequentia peccatorum venialium, eorum præsertim, quæ plena cum advertentia committuntur, removeat. Quippe qui nihil prorsus satagit vitare venialia, paulatim in mortale aliquod prolabi demum solet.

CAPUT III.

DE DISTINCTIONE PECCATORUM.

Agendum 1° de distinctione specifica; 2° de distinctione numerica.

ARTICULUS I.

DE DISTINCTIONE SPECIFICA.

208. *Prænotandum.* — Peccata formalia, qualiacumque sint, in hoc conveniunt

[1] L. II. 52. [2] L. VI. 476.

omnia, quod moralem continent malitiam seu repugnantiam cum lege Dei æterna. Verumtamen, quum lex Dei æterna, licet in se una, per ordinem ad rectitudines, quas exigit, *specifice distinctas*, æquivalenter diversa sit ac multiplex (æquivalenter nempe alia est in quantum exigit rectitudinem justitiæ, alia in quantum requirit rectitudinem charitatis, religionis, etc.); hinc etiam malitia seu repugnantia cum lege æterna, per ordinem ad easdem rectitudines specifice distinctas, penitus diversa evadit ac multiplex (plane siquidem alia erit v. g. malitia furti a malitia blasphemiæ, cum furtum repugnet legi æternæ, in quantum hæc exigit rectitudinem justitiæ, blasphemia vero, in quantum requirit rectitudinem religionis); atque ideo ipsa quoque peccata formalia inter se omnino differre possunt, et reapse differunt, pro differentia sive diversitate moralis malitiæ, in iis contentæ.

Exinde intellige, quam merito in Theol. Mor. agatur de peccatorum distinctione specifica; eo vel magis, quia, ex Conc. Trid.,[1] stricta datur obligatio juris divini ad exponenda, in Sacramentali Confessione, omnia peccata mortalia, post Baptismum commissa, secundum speciem et circumstantias speciem mutantes.

Hoc prænotato, de peccatorum distinctione specifica sit quæstio triplex. Itaque

209. — **Quær. 1°** *Quæ peccata specie differant inter se?*

Resp. Ea peccata specie differunt, quæ ex objecto, circumstantiis aut fine operantis habent malitiam seu repugnantiam cum lege æterna *specifice diversam.*

Dicitur: 1° *quæ ex objecto, circumstantiis aut fine operantis;* quia hæc tria constituunt principia moralitatis, i. e., fontes, e quibus actus humani bonitatem vel malitiam suam, ejusdemque bonitatis vel malitiæ specificam diversitatem desumunt; uti latius expositum est n°. seq.

Dicitur: 2° *repugnantiam specifice diversam;* quia repugnantia hoc sensu tantum diversa, quod sit notabiliter *major* vel *minor*, peccata non reddit specie distincta, ut expresse docet St. Thomas[2] "*magis* et *minus* non diversificant speciem. . . . Unde tollere alienum in magna vel in parva quantitate non diversificat speciem peccati. . . . Sicut quod differt in albedine secundum magis et minus, non differt secundum speciem coloris." — Equidem repugnantia *major*, ubi peccatum de veniali in mortale transferat, dicitur causare speciem *theologicam* seu *demeritoriam*, quatenus nempe peccatum veniale non meretur privationem gratiæ et gloriæ, sicut peccatum mortale; verum, ejusmodi differentia theologica, quæ sumitur *penes reatum*, ut observat Angelicus[1] non potest esse differentia constituens diversitatem speciei *moralis*, de qua hic agimus; reatus enim, sive pœna, tamquam effectus sequitur culpam, in sua specie morali jam constitutam.

Nota. — Ad dignoscendam igitur specificam distinctionem peccatorum, accurate dignoscatur necesse est specifica eorum repugnantia cum lege æterna. Quum vero repugnantia ista, in tam multiplici peccatorum varietate, non raro sat obscure latescat, hinc per sese:

210. — **Quær. 2°** *Undenam discerni possit repugnantia specifice diversa, ac per consequens specifica distinctio peccatorum in particulari?*

Resp. Pro solutione hujus quæstionis quatuor assignamus regulas, a Theologis communiter receptas, iisque singulis practicas quasdam addimus resolutiones.

Regula prima. — Peccata, quæ repugnant diversis virtutibus, distinguuntur specie; sicuti enim quælibet virtus specialem ac propriam habet bonitatem, ita et peccatum ei repugnans specialem ac propriam habet malitiam.

Resolves. — Ergo specie distinguuntur: hæresis, desperatio, odium Dei, perjurium, fornicatio, furtum, mendacium, etc.; quia peccata hæc repugnant diversis virtutibus, scil. hæresis fidei, desperatio spei, odium Dei charitati, perjurium religioni, fornicatio castitati, furtum justitiæ, mendacium veracitati.

211. *Regula secunda.* — Peccata, quæ repugnant eidem quidem virtuti, sed *modo contrario*, unum nempe per excessum et alterum per defectum, distinguuntur specie; contrarietas enim, ut ex Philosopho notat St. Thomas[2] "est differentia secundum formam" et ideo "contraria differunt secundum speciem." Nec refert, quod contraria

[1] Sess. 14. de Pœnitentia. c. 5. et can. 7.
[2] 1. 2. q. 18. a. 11.

[1] 1. 2. q. 72. a. 5. [2] 1. 2. q. 72. a. 8.

opponantur *eidem* virtuti, quæ est in medio inter ea; nam virtutis ad unum extremorum est aliqua similitudo, sicut inter fortitudinem et audaciam, inter prodigalitatem et liberalitatem; sed inter vitia extrema est omnimoda dissimilitudo.

Resolves. — Ergo specie distinguuntur: *desperatio* et *præsumptio*, quæ repugnant quidem eidem virtuti spei, sed contrario modo, desperatio scil. per defectum, præsumptio per excessum; pariter *avaritia* et *prodigalitas*, quæ opponuntur eidem virtuti liberalitatis, sed prodigalitas per excessum, avaritia per defectum; similiter *adulatio* et *nimia asperitas*, quarum prima per excessum, altera per defectum recedit ab eadem virtute affabilitatis; — item *pigritia* in addiscenda scientia debita, quæ per defectum, et *nimia curiositas*, quæ per excessum repugnat eidem virtuti studiositatis.

212. *Regula tertia.* — Peccata, quæ repugnant eidem quidem virtuti et etiam eodem modo v. g. per defectum, sed *sub diverso respectu*, i. e., secundum varia bona specifice distincta, quæ sub eadem virtute continentur, distinguuntur specie; una enim eademque virtus respective ad diversa, quæ sub se continet, bona, diversas habere potest rectitudines, et ita v. g. una eademque virtus justitiæ diversam omnino sortitur rectitudinem, prout tuetur bona fortunæ, vel bona famæ, vel bona vitæ, etc.; cum ipsa hæc bona in æstimatione morali specifice diversa sint; ergo et peccata, licet eidem virtuti eodem modo opponantur, respective tamen ad diversas hujus virtutis rectitudines, diversas habere possunt malitias.

Resolves. — a) Ergo specie distinguuntur: furtum, rapina, detractio, contumelia, homicidium, quæ quidem omnia eodem modo repugnant eidem virtuti justitiæ, sed sub diversa ratione; furtum scil. in quantum ea virtus tuetur bona fortunæ; rapina, in quantum tuetur bona seu inviolabilitatem personæ; detractio, in quantum tuetur bonum famæ; contumelia, in quantum tuetur bonum honoris; homicidium, in quantum tuetur bonum vitæ. — b) Item specie differunt sacrilegium locale, reale, et personale, quamvis eidem virtuti religionis eodem modo sint opposita; nam res sacra, persona sacra, et locus sacer sunt bona in æstimatione morali specifice diversa. — c) Sic etiam specie distinguitur violatio jejunii ecclesiastici per esum carnis, et violatio ejusdem jejunii per multiplicem refectionem; quia prior violatio repugnat virtuti temperantiæ, quatenus cibi qualitatem; posterior vero, quatenus cibi quantitatem moderatur. — Tandem ex regula tertia adhuc deduci potest, peccata *commissionis* et peccata *omissionis* non quidem semper, sed ut plurimum esse specie distincta, licet ab eadem virtute eodem modo recedant; ordinarie enim lædunt diversa ejusdem virtutis bona seu officia; et ita specie differunt hæresis (peccatum commissionis) et omissio actus fidei præcepti (peccatum omissionis); desperatio et omissio actus spei; odium Dei et omissio actus charitatis.

Nota. — Quandonam diversitas bonorum alicujus virtutis sit sufficiens, ut ratione hujus peccata censeantur specie distincta, peti debet tum ex singulorum bonorum natura, tum ex communi Theologorum judicio.

213. *Regula quarta.* — Peccata, quæ repugnant pluribus legibus ex *diverso motivo formali* latis, distinguuntur specie; quum enim leges, ex diverso motivo formali latæ, pro fine habeant diversam virtutis honestatem; ideo et peccata illis opposita habent diversam specie malitiam. — Ubi tamen peccata repugnent pluribus quidem legibus, sed ex *eodem* motivo formali latis, specie non distinguuntur; plures enim leges, ex *eodem* motivo formali latæ ac proinde ex solo numero legislatorum diversæ, juxta communem æstimationem moraliter *unam* tantum legem constituunt.

Resolves. — a) Ergo omittens Sacrum in die festo, qui simul est Dominica, non ideo committit duo peccata specie distincta; quia auditio Missæ ab utraque lege præcepta est ex eodem motivo formali religionis. Similiter dicendum de non jejunante in aliqua vigilia, incidente in feriam Quatuor temporum Quadragesimæ; quia triplex ista jejunii lex iterum lata est ex eodem motivo formali temperantiæ. Pariter statuendum de eo, qui violat votum aut juramentum pluries iteratum; vel etiam de eo qui committit homicidium aut furtum, licet singula hæc repugnent

pluribus legibus, nempe legi naturæ, legi positivæ divinæ, legi ecclesiasticæ, et legi civili; nam diversæ hæ leges homicidium aut furtum prohibent ex eodem motivo formali justitiæ, ideoque moraliter censentur quasi lex una.

b) Econtra, qui in die Sabbati jejunare tenetur ex voto, ex præcepto confessarii, et ex lege ecclesiastica; hic, si non jejunet, tria committit peccata specie distincta: primum contra religionem vi voti, secundum contra virtutem pœnitentiæ vi præcepti confessarii, et tertium contra temperantiam vi legis ecclesiasticæ; triplex enim præceptum hoc voti, confessarii, et Ecclesiæ latum est ex diverso dictarum virtutum motivo formali.

Nota.—Ad rite discernendum, utrum leges, numero plures, ex eodem, an ex diverso motivo formali latæ sint, ante omnia inquiri debet, quid a singularum legum auctore *proxime et immediate* intendatur; idipsum enim motivum formale — forma sive anima — legis est; ita quidem ut leges, numero plures, *numerice tantum* vel *formaliter* diversæ sint, prout ab earum auctore proxime et immediate intenta sit eadem, vel diversa virtutis honestas. Per se autem præsumere licet (nisi aliud constet ex legis contextu, circumstantiis aut interpretatione), legislatorem *proxime et immediate* intendere illud ipsum, quod *motivum* legis *intrinsecum* sive finis operis dicitur, i. e. illud ipsum, ad quod legis materia, attentis circumstantiis, ex natura sua tendit, sicut v. g. jejunium, a confessario impositum *post audita peccata*, attenta hac circumstantia, ex natura sua pertinet ad virtutem pœnitentiæ; jejunium naturale *ante S. Communionem* ad virtutem religionis; jejunium ecclesiasticum ad virtutem temperantiæ. . . . Unde *motivum* legis *intrinsecum* sive finis operis per se censetur coincidere cum *motivo* legis *formali;* atque ideo, si aliud etiam motivum legi accedat quod *extrinsecum* dicitur sive finis extrinsecus operantis, puta, si legislator exprimat, se ad legem ferendam etiam motum esse ex motivo alterius honestatis, ad quam nempe materia legis aliquo quidem modo referri potest, non tamen ex natura sua tendit; motivum istud extrinsecum *secundarium* tantum ac *remotum*, sed non *immediatum* ac *formale* censetur, modo ex legis contextu, etc. non constet de contrario. Exemplo hic sint lex jejunii quatuor temporum, et lex jejunii in vigilia Assumptionis B. M. V. Utraque lex *idem* habet motivum *intrinsecum* (scil. honestatem temperantiæ), et proinde *idem* motivum *formale;* licet enim Ecclesia ad ferendam legem primam etiam mota sit ex motivo extrinseco impetrandi a Deo dignos Ministros, et ad alteram ex motivo extrinseco honorandi B. M. V., tamen recte judicamus, idem pro utraque lege manere motivum *formale;* quia motiva ista extrinseca per se secundaria tantum ac remota sunt, nec ullibi significavit Ecclesia, se jejunia præfata immediate ac proxime ex iis motivis præcepisse, aut observari velle.

Nota.— Possunt tamen transgressores talium legum *per accidens* novam contrahere malitiam specificam, ratione scandali vel ratione finis aut affectus perversi, v. g. si eas violant ex contemptu motivi earum extrinseci, sacerdotii, B. Mariæ V. etc., ex gravi acedia, etc. Idem observetur in resolutionibus n^ri^ sequentis.

214. — Quod vero attinet ad *præcepta stricte dicta* (cf. n. 97. 98) nimirum: præcepta, quæ parentes liberis, aut heri domesticis suis imponunt; hæc omnia regulariter non ex diverso, sed ex eodem motivo *formali* obedientiæ imponi censentur, licet eorum materiæ de se ad diversas virtutes spectent, puta: si parens filio præcipiat frequentationem scholæ, orationem, auditionem Missæ, etc. Unde filii, transgrediendo parentum præcepta, pluries quidem peccant contra obedientiam; sed per se non committunt peccata specie distincta; ideoque per se etiam non tenentur in Confessione declarare, in qua præcise materia parentibus inobedientes fuerint.— Idem ordinarie judicandum esse videtur de ordinationibus Superiorum Regularium, qui, teste Reuter,[1] non solent religiosis sibi subditis imperare, nisi ex eodem *formali* motivo obedientiæ. Idem quoque regulariter resolves de votis, quæ sunt quasi præcepta particularia, a vovente sibi imposita ex eodem motivo *formali* religionis, ita ut frangens duo vota, v. g. unum jejunii et alterum orandi rosarium, non committeret peccata specie distincta, et proinde in Confessione satisfaceret

[1] Tom. I. n. 346.

dicendo: "bis fregi votum in materia gravi."

215. — Quær. 3° *An in uno et eodem actu reperiri possint plura peccata specie distincta.*

Resp. Cum actus physice unus idemque, tum ex objecto, tum ex circumstantiis et fine operantis repugnare possit diversis virtutibus, vel eidem virtuti modo contrario aut sub diverso respectu, vel etiam pluribus legibus formaliter diversis; hinc per sese manifestum est, in uno eodemque actu reperiri posse plura peccata specie distincta, seu plures malitias specifice diversas et ita v. g. occisio clerici in ecclesia est triplex peccatum specie distinctum, unum contra justitiam, et duo altera contra religionem, scil. secundum duo hujus virtutis bona diversa, quæ violantur: locus sacer et persona sacra. — Pariter quatuor peccata specie distincta committit, qui, ligatus voto castitatis, peccat cum consanguinea conjugata; quia violat quatuor virtutes diversas nempe: justitiam, pietatem, religionem et castitatem. Recolantur hic antea tradita in Tract. *de Act. Hum.* quoad singula moralitatis principia.

ARTICULUS II.

DE PECCATORUM DISTINCTIONE NUMERICA.

216. *Prænotandum.* — Dissertatio jam instituenda de numerica peccatorum distinctione non minorem sibi attentionem vindicat, quam disquisitio articuli præcedentis de eorum distinctione specifica; cum, ex Conc. Trid.,[1] omnia et singula peccata mortalia, post Baptismum commissa, quorum post diligens conscientiæ examen memoria habetur, in Confessione Sacramentali declaranda sint, non solum secundum speciem, sed etiam secundum numerum. — Dicuntur autem peccata *secundum numerum* seu *numerice* distincta, si sunt numero plura, v. g. duo homicidia, tria furta, etc; et hinc totum argumentum præsentis articuli reduci potest ad unicam hanc quæstionem generalem: Quandonam peccata censeri debeant esse numero plura; sive, quod in idem recidit: unde petenda sit eorum distinctio numerica? Adverte tamen, in quæstione hac agi tantum de peccatis *solo numero* diversis, i. e. de peccatis ejusdem speciei, quæ numero plura sunt; si enim agatur de peccatis specie distinctis, per se apertum est, ea etiam numero distincta esse; nam quæ specie differunt, eo ipso non sunt unum, sed plura ideoque numerice diversa.

[1] Sess. 14. c. 5. et can. 7.

Hoc prænotato, de numerica distinctione peccatorum ejusdem speciei sint §§ tres.

§ I. *Undenam petenda sit numerica distinctio peccatorum ejusdem speciei.*

217. — Juxta mentem St. Alphonsi,[1] distinctio ista desumenda est ex duplici radice, scil. 1° ex multiplicitate actuum ejusdem speciei, qui non coalescunt in unum actum peccati, et 2° ex multiplicitate objectorum ejusdem speciei, quæ non coalescunt in unum objectum; atque ideo, duce eodem Sancto, recte statui poterunt hæc duo principia generalia.

PRINCIPIA. — I. Plures actus ejusdem speciei, qui non coalescunt in unum actum peccati, constituunt tot peccata, quot sunt actus.

II. Unus actus, habens plura objecta ejusdem speciei, quæ non coalescunt in unum objectum, continet tot peccata, quot objecta.

Quo melius hæc principia intelligantur, et usui practico accommodata fiant, in duobus §§ seq. investigabimus 1° cum respectu ad principium primum: quandonam plures actus censeri debeant non coalescere in unum actum peccati; 2° cum respectu ad principium secundum: quandonam plura objecta censeri debeant non coalescere in unum objectum.

§ II. *Quinam actus non coalescant in unum actum.*

218. — Non coalescere censentur a) actus, qui inter se sunt disparati, et b) actus, inter quos intercedit moralis interruptio.

Punctum I. De actibus disparatis.

Disparati dicuntur actus illi, qui non concurrunt tamquam media, inchoationes, aut complementa ad idem opus in sua specie consummandum. Quapropter

[1] L. II. 36.

1° Inter se disparati sunt omnes actus in se completi i. e. in sua specie consummati.

2° Similiter actus præambuli i. e. non consummati, qui ponuntur sine intentione perveniendi ad actum consummatum, disparati esse censentur ab actu consummato, si hic deinceps, mutata et aucta voluntate, sequatur.

3° Pariter actus non consummati, qui ponuntur quidem cum intentione perveniendi ad actum consummatum, sed per accidens ad eum non pertingunt, iterum ab hoc actu, ex intentione consummando at per accidens non consummato, recte habentur tamquam disparati.

4° Econtra, quoties hujusmodi actus non consummati ponuntur cum intentione perveniendi ad idem opus consummatum, et ad hoc etiam reapse pertingunt, — toties ab opere consummato disparati non sunt, sed cum eo coalescunt in unum actum peccati, modo tamen inter illos non intercedat moralis interruptio, de qua infra *Puncto secundo*.

219. *Resolves ex* 1°. — Ergo duæ fornicationes, duo homicidia, etc. sunt actus disparati, ideoque numerice duo peccata, quia singulæ fornicationes, singula homicidia sunt actus completi. Unde hujusmodi actus completi, sive in sua specie consummati, semper secundum numerum eorum exponi debent in Confessione Sacramentali, etiamsi forte procedant ex eadem intentione aut ex eodem impetu voluntatis; puta si quis ex eodem voluntatis impetu plures successive occidat, aut ex eodum æstu libidinis pluries fornicetur, etc. Item si sacerdos in statu peccati mortalis tres Missas successive celebret in die Nativitatis Domini; singulæ enim Celebrationes, in æstimatione morali, sunt actus in se completi, ideoque inter se disparati. — Eodem modo S. Alph.,[1] juxta sententiam veriorem, resolvit de sacerdote, in peccato mortali, plures successive absolvente; quia singulæ absolutiones sunt singula sacramenta, et proinde actiones inter se disparatæ. Aliter tamen opinatur idem Sanctus[2] de sacerdote, in statu peccati mortalis, uno tractu successivo Sacram Communionem pluribus distribuente. Equidem talis sacerdos, distribuendo SS. Eucharistiam, ex sententia, quam tuetur Alphonsus[1] contra Lugonem, peccat mortaliter peccato sacrilegii, sed non committit peccata numerice plura, quia, ejusmodi distributio, unico tractu pluribus facta, in morali æstimatione censetur una actio, unum convivium, quamvis ex multis constet convivis, et ideo singulæ distributiones, in casu, non erunt actiones inter se disparatæ.

220. *Resolves ex* 2°. — Ergo verba obscœna, tactus, oscula, etc., habita cum altera persona, sine intentione perveniendi ad actum luxuriæ consummatum, puta ad fornicationem, sunt actus disparati ab ipsa fornicatione, si hæc deinde ob libidinem auctam sequatur; et propterea ejusmodi oscula, etc., seorsim a fornicatione postea secuta, in Confessione declarari debent. Similiter graves vulnerationes alicui illatæ, sine voluntate eum occidendi, ab ipsa occisione, si postea ob iram magis succensam contingat, disparatæ sunt et qua tales in Confessione explicandæ. Cf. S. Alph.[2]

Nota. — Si quæras hic: Utrum ipsi illi actus non consummati, ut oscula, etc. in casu primo, et vulnerationes in casu secundo, etiam inter se invicem disparati sint, ita ut in Confessione dici oporteat, quoties locum habuerint? Respondeo affirmative; quia actus isti, ut supponitur, ex intentione peccantis minime ordinantur ad actum consummatum, sed unice fiunt ob propriam eorum delectationem, et hinc communis est Doctorum sententia, quod in Confessione declarari debeat *quoties*. — Una tamen admittenda est exceptio, nimirum: si actus isti ex eodem impetu, licet cum brevi quodam intervallo, procedant; nam tunc moraliter æstimari possunt tamquam unus actus continuatus, ideoque tunc sufficiet, ut in confessione simpliciter exponatur id quod factum est, v. g. inhoneste egi cum altera persona per tactus et oscula; proximum læsi vulnerando eum graviter. — Idem merito judicabis de locutionibus, quæ, manendo in eadem materia et persona, pluries unico tractu ex eadem affectus vehementia proferuntur, et sic moraliter evadunt quasi una locutio continuata, puta si quis in eadem materia, ex eodem impetu, pluries maledicit eidem personæ, pluries blasphemat vel pejerat, etc.

221. *Resolves ex* 3°. — Ergo collo-

[1] L. II. 50. [2] Ib.

[1] L. VI. 35. [2] L. II. 43.

quia prava, tactus, oscula, etc., habita cum alia persona ex intentione perveniendi ad actum consummatum fornicationis, ab hac ipsa fornicatione intenta, si per accidens non consummetur, disparata et consequenter seorsim ab ea in Confessione aperienda sunt. — Quapropter recte omnino notat St. Alph.,[1] quod seorsim a peccato intento explicandi sint tamquam peccata, ab eo numerice distincta, actus non consummati, positi ut media ad peccatum consummandum, si postea peccatum non consummetur, ut docet Viva, asserens ita habere sententiam communem. Et hoc non solum, si actus prædicti per se sint mali, ut sunt tactus et sermones inhonesti; sed etiam, juxta sententiam valde probabilem, si sint de se indifferentes, ut carpere viam, parare arma ad homicidium, etc.: "quia tunc peccatum non manet tantum internum, sed externatur in illis actionibus quæ omnes malæ deveniunt, cum a malitia pravi finis informentur."

Nota. — Si hic iterum quæras: utrum actus isti non consummati, in casu supposito, etiam inter se invicem disparati, et qua tales secundum singulorum numerum in Confessione declarandi sint? Respondeo negative; quia ex intentione peccantis ordinantur ad idem opus in sua specie consummandum; et hinc pro confessione sufficiet, ut, seorsim a peccato intento, simpliciter declaretur id quod factum est, non addendo de singulis actibus *quoties;* nisi forte inter eos intercesserit moralis interruptio, de qua in *Puncto secundo.*

222. *Resolves ex* 4°. — Colloquia prava, tactus, oscula, etc., habita cum altera persona ex intentione fornicandi, et reapse etiam ad fornicationem pertingentia, non sunt ab ipsa fornicatione disparata; sed unum cum ea constituunt actum peccati, modo non interveniat moralis interruptio. Unde libidinosus, si ex intentione fornicandi, voluntate non interrupta, puellam impudice allocutus, deinde osculatus, ac tandem cum ea fornicatus fuit, confessionis obligationi satisfacit dicendo: commisi fornicationem; actiones enim præviæ, in casu, cum peccato consummato uniuntur in unum peccatum totale; et insuper ex communiter contingentibus per se intelliguntur, intellecto semel ultimo earum termino,[2] ex quo præterea bene notetur, ejusmodi actiones prævias, sicut et complacentiam de fornicatione consummata, quando statim post fornicationem habentur et minime ad novam fornicationem intenduntur, probabiliter non esse nova peccata, in Confessione explicanda; quia tunc adhiberi videntur tamquam fornicationis obtentæ complementum.

[1] L. II. 42. [2] L. II. 41.

Punctum II. *De actibus moraliter interruptis.*

223. — Actus in eadem specie mali, et circa idem objectum versantes, dicuntur *moraliter interrupti,* quando inter eos intercedit abruptio voluntatis malæ, ita ut actus subsequentes ex novo voluntatis decreto proveniant. — Ut autem accuratius determinetur, in quibus actibus interruptio moralis reapsa locum habeat, — attento discrimine inter actus *internos* et *externos:*

Quær. 1° *Quandonam* ACTUS INTERNI *moraliter interrumpantur?*

Resp. Moraliter interrumpuntur:

1° Si prima voluntas *expresse* revocetur per voluntatem contrariam; hæc enim impedit, ut actus posterior dici possit continuatio prioris, cum reapse proveniat ex novo voluntatis decreto. Unde, si tibi complaceas in delectatione mala, ac deinde elicias actum displicentiæ, sed postea ad eamdem redeas, — delectatio tua erit moraliter interrupta, et peccatum duplex. Adverte tamen cum Reuter,[1] paululum hæsitare nondum esse revocare; et ideo voluntas tua non censetur moraliter interrupta, si v. g. voluisti legere librum obscœnum et, alio dissuadente, brevi suspensus hæres quid agas, deinde vero voluntatem resumis et lectioni incumbis.

2° Si prima voluntas *virtualiter* seu *tacite* revocetur, — quod fit per voluntariam cessationem ab actu, sive per voluntariam applicationem mentis ad aliquid, cum priore voluntate incompatibile; tunc enim, inquit S. Alph.,[2] si iterum redeatur ad malam voluntatem, aderit novus actus moraliter diversus a primo, cum a primo non dependeat, et ideo erit novum peccatum. Unde, si quis, viso objecto turpi, morose delectetur, eamque delectationem sponte deserat, sese deliberate et adver-

[1] De Pecc. p. I. Tr. 5. q. 9.
[2] L. II. 38.

tenter convertendo ad aliud; deinde autem, viso eodem vel simili objecto, iterum morose delectetur, delectatio ejus moraliter interrupta est, et duplex peccatum.

3° Si prima voluntas cesset *naturaliter* i. e. per cessationem non libere electam, sed causatam a naturali distractione, inadvertentia aut oblivione, durante per tempus plus minusve notabile pro diversorum actuum natura. Verum, circa tertium hunc modum interruptionis moralis valde dissentiunt Theologi. Aliqui putant, actus internos nullatenus interrumpi moraliter per solam cessationem naturalem, saltem ordinariam, puta per communes distractiones, per somnum, etc. Alii ex adverso opinantur, quoslibet actus internos interrumpi moraliter per quamlibet cessationem naturalem, etiam ordinariam. Inter hos autem medium tenuit S. Alph., cujus sententia, practice tuta, sic paucis exponi posse videtur:

224. *Sententia S. Alphonsi.* — In controversia hac de morali interruptione actuum internorum *per cessationem naturalem*, imprimis, juxta S. Doct. distinguendum est inter peccata *mere interna* i. e. ea, quæ vel interne omnino in sua specie consummantur, ut odium, hæresis, invidia (peccata *cordis* stricte dicta), vel saltem interne tantum committuntur, quin efficaciter tendant ad peccatum externum, ut delectatio morosa et desiderium inefficax; — et peccata *non mere interna* i. e. ea, quæ efficaciter tendunt ad peccatum externum oris aut operis, ut desiderium efficax seu propositum blasphemandi aut furandi. Præmissa autem hac distinctione, ex mente ejusdem S. Doct. ita statuere licebit:

A. *Peccata mere interna* per cessationem naturalem, etiam ordinariam, puta per communes distractiones, per somnum, etc. moraliter interrumpuntur, ita ut toties sint numero distincta, quoties post ejusmodi cessationem iterantur. — Attamen attendi hic debet ad vehementiam affectus, qua voluntas in objectum fertur; data enim resolutio cum hoc moderamine intelligenda est: nisi plures hujusmodi actus ex eadem affectus vehementia, vel ex eadem passionis impulsione procedant; nam tunc unum tantum peccatum constituunt, etsi brevis quædam distractio inter actus intercedat. — Ex hisce infertur pro Confessione: ergo pœnitens, circa peccata mere interna, si non ex eadem affectus vehementia, etc. processerint, explicare debet, quot vicibus mala voluntas per communes distractiones, etc. moraliter interrupta, et deinde reassumpta fuerit. Quodsi ita explicare non valeat, — uti ordinarie contingit, si pravus animus fuerit diuturnus, — tunc sufficit fateri tempus, in quo cum tali animo perseveravit, indicando simpliciter, utrum interruptiones fuerint notabiliter raræ vel frequentes.[1]

B. *Peccata non mere interna*, nimirum desideria *efficacia* seu *firma* proposita mala circa peccatum externum oris vel operis, probabilius non interrumpuntur moraliter per solam cessationem naturalem ordinariam, sive per communes distractiones aut somnum; sed tantum per intercessionem *temporis diuturni*, quale tempus diuturnum, ordinarie loquendo, adesse judicatur a S. Doctore, quoties inter proposita intercedit plus quam duo aut ad summum tres dies, quum tanta unico voluntatis actui non inesse videatur vis, ut ultra illud tempus efficaciter perdurare valeat. Quapropter, si pœnitens ultra duos aut tres dies in malo proposito perseveravit, in Confessione explicare debet tempus (dicendo v. g. per totum mensem vel hebdomadam perstiti in proposito furandi; quod toties circiter renovavi ante furti consummationem); ut sic a confessario intelligatur moraliter numerus peccatorum internorum circa peccata externa.[2] Sedulo tamen hic animadverti debet, utrum forte vi propositi mali jam productus sit aliquis effectus externus, conducens ad peccatum externum consummandum; tunc enim primum propositum non moraliter interrumpi, sed perseverare censetur, quamdiu duret iste effectus externus; et hinc præfata resolutio: quod propositum malum moraliter interrumpatur per intercessionem temporis diuturni, — cum hoc moderamine accipienda est: nisi tamen efficacitas primi propositi in aliquo effectu externo virtualiter perseveret; nam tunc proposita mala, per qualecumque tempus durent, unum tantum peccatum constituunt. Unde, si quis proponit occidere hominem, et ideo arma præparat, viam carpit, et tandem occidit, unum numero peccatum committit, licet per multos dies

[1] L. II. 37. [2] L. II. 39.

illum quæsierit, et interim etiam de aliis rebus cogitaverit, centies propositum renovaverit, etc. Similiter, si quis proponit non restituere rem alienam, et in hoc proposito manet, — etiam per annum, — unum tantum peccatum committit; quia in ipsa retentione rei alienæ virtualiter perseverat efficacitas propositi primi. Ubi tamen fur redderetur impotens ad restituendum, et deinde iterum factus potens, non restituat, novum peccatum committit; quia tempore istius impotentiæ nihil est, in quo efficacitas primi propositi virtualiter perseveravit.[1]

225. — **Quær. 2°** *Quandonam* PECCATA EXTERNA *moraliter interrumpantur.*

Resp. Non est, quod hic sermo fiat de peccatis externis *disparatis*, quæ per se moraliter disjuncta, ideoque numerice distincta sunt, uti latius explicatum est *Puncto* 1° n° 218 seq. Unde quæstio proposita intelligenda est de peccatis externis, secundum se *non disparatis*, v. g. de osculis aut tactibus, quæ de se et ex intentione agentis tendunt ac pertingunt ad fornicationem. Hujusmodi autem peccata externa moraliter interrumpuntur in triplici casu, videlicet:

1° Quando inter ea intercedit expressa vel tacita mali propositi revocatio; de quo casu vide antea tradita n° 223.

2° Quando inter ea intercedit simplex mali propositi cessatio ultra duos vel tres dies, quin productus sit *talis* effectus externus, in quo propositum moraliter perverare censetur; de quo casu vide supra notata n. 224. B.

3° Adhuc moraliter interrumpuntur, sive, ut accuratius dicam, latiori quodam sensu disparata et numerice plura evadunt, quando inter ea, manente etiam proposito physice eodem, *tantum* intercedit *temporis intervallum*, ut ipsi actus externi non amplius dici possint concatenati i. e. ut actus præcedens non amplius sit proxima dispositio aut quasi inchoatio subsequentis, licet remote ad eum tendat. Quandonam autem talis concatenatio, ob temporis intervallum, reapse deficiat, dijucandum erit ex ipsorum actuum natura et circumstantiis, habita præsertim ratione *sensus communis* ac naturalis æstimationis hominum. — Generatim dici posse putaverim: eam sat facile deficere in peccatis *oris*, præsertim si ex levitate aut consuetudine fiant, puta in maledictionibus, blasphemiis, perjuriis, non ex eodem impetu prolatis; — atque tunc eam deficere in peccatis *operis*, quando intercedens temporis mora nullo modo *ut brevis* apprehendi solet. Si vero communiter *ut brevis* apprehenditur, peccata *operis*, non obstante tali temporis intervallo, adhuc concatenata ac moraliter unita esse videntur. — Exinde resolvo: a) Qui ex intentione furandi cumulum tritici, quem totum unica vice surripere non valet, repetitis vicibus *eadem nocte* furatur partem, unum tantum peccatum committit; qui vero ex eadem intentione *alternis noctibus* partem furatur, tot committere videtur peccata, quot sunt actus. b) Peccant pluribus peccatis juvenes, qui ex intentione fornicandi, temporibus ex communi sensu notabiliter dissitis, accedunt ad alteram personam, cum actibus libidinosis, et sic tandem ad fornicationem perveniunt; quia actus isti externi, in casu, non amplius concatenantur; cum non sint proxima dispositio aut quasi inchoatio quædam copulæ fornicariæ subsequentis. Econtra, peccarent uno tantum peccato, si, in eodem moraliter accessu, inter actus libidinosos intercederet aliqua mora v. g. ob colloquium cum tertio. c) Similiter, si quis, in die Dominica serviliter laborans, par umvelit quiescere ideoque somno occupetur; deinde vero expergefactus, iterum laborare incipit, unum tantum peccatum committit. — Pariter uno peccat peccato, qui carnis comestionem, in die jejunii, parum interrumpat v. gr. ad suscipiendum hospitem, etc.

[1] L. II. 39. 40.

§ III. *Quæ objecta ejusdem speciei non coalescant in unum objectum.*

226. — Plura objecta in eadem specie mala, circa quæ unus idemque actus versatur, non coalescere censentur, quando unum objectum non est pars alterius, vel aliis verbis: quando plura ista objecta non constituunt, tamquam partes, unum objectum totale. Talia autem præcipue sunt: plurium hominum vitæ sive corporis sive animæ; — et plurium hominum honores, vel famæ, vel bona temporalia, nisi forte possideantur dominio communi.

Resolves cum S. Alph.[1] Ergo plura numero peccata committit: 1° Qui unico actu plures homines occidit; vel pluribus scandalum præbet; vel plures contumelia afficit. 2° Qui unico discursu pluribus detrahit, etiam ejusdem familiæ aut communitatis; excepto forsan, juxta Dens, casu, quo fama esset propria alicui communitati, præcise *qua tali*, ut, si quis de aliquo monasterio injuste diceret, quod disciplina regulæ in eo non observetur. 3° Qui unico actu pluribus malum aliquod imprecatur; vel etiam a pluribus furatur, nisi tamen bona, furto ablata, ab istis pluribus possideantur communi dominio, puta ratione hæreditatis indivisæ, ratione communitatis, etc. 4° Qui unico actu desiderat committere plures fornicationes, sive cum diversis personis, sive cum eadem. — Ex his autem facile patebit resolutio pro aliis casibus similibus.

227. Quæsita. — Quær. 1° *An, qui alicui detrahit coram pluribus, tot committat peccata, quot sunt personæ, apud quas alter infamatur?*

Resp. Probabiliter non committit plura peccata *detractionis;* quia non lædere videtur plura objecta sive jura, cum jus ad famam (quæ præcipue consistit in opinione multitudinis), tam apud omnes, quam apud singulos, unum sit et non multiplex. Unde ratione talis detractionis sufficiet, ut in confessione dicatur: alicui detraxi coram pluribus.[2] Attamen idem detrahens, in casu, committit plura peccata *scandali;* et ratione hujus, numerus personarum exponendus est.[3]

Quær. 2° *An, qui unico discursu alicui detrahit in materiis distinctis, dicendo v. gr. eum esse injustum, luxuriosum et hominem sine religione, tot committat peccata, quot sunt materiæ diversæ?*

Resp. Probabiliter affirmative, saltem *per se;* quia talis detractor violat jus multiplex ad famas diversas, quæ non coalescunt in famam unam; qui enim diffamatus est in uno crimine, non ideo diffamatus est in alio. *Per accidens* tamen ejusmodi detractio non raro unum tantum peccatum constituit, nimirum: quando circumstantiæ, in quibus diversa ista convicia proferuntur, tales sunt, ut audientes facile intelligant, ea proferri ex iracundia, ideoque iis fidem non attribuant. Unde mulierculæ et plebeii, qui simul rixantes, ex eodem impetu, diversis contumeliis se invicem onerant, unum tantum peccatum committunt. Quinimo hujusmodi rixantes, ut plurimum, excusantur a mortali, nisi forte aliquod particulare factum adversario improperent.[1]

Quær. 3° *Quid de eo dicendum, qui uno actu continuo alicui exoptat mala diversa, ut infamiam, paupertatem, etc?*

Resp. Ex sententia satis probabili, unum specie et numero committit peccatum, quoties, uti frequentius contingit, mala ista apprehendantur sub ratione mali in genere. Secus vero, si voluntas feratur advertenter ad optanda ei illa mala diversa, ut sunt distincta; et secus etiam a fortiori, si cupiat diversa ista mala alteri reapse inferre.[2]

Quær. 4° *Quot peccatorum reus sit, qui unico actu negat plures fidei articulos?*

Resp. Unius tantum; quia formale fidei objectum non est multiplex, sed unicum, videlicet: veracitas Dei revelantis; et hinc, qui negat plures fidei articulos, non magis infidelis est, quam qui negat unum.[3]

[1] L. II. 46. [2] Ib. 49.
[3] Prax. Conf. n. 45.

[1] L. II. 48. [2] Ib. 50. q. 5.
[3] Ib. 50. q. 4.

PARS SECUNDA.

DE PECCATIS IN SPECIE.

Agendum 1° de peccatis internis ; 2° de peccatis capitalibus.

CAPUT I.

DE PECCATIS INTERNIS.

228. — Triplex eorum classis distinguitur, scilicet

1° *Delectatio morosa*, seu libera complacentia in re mala per imaginationem exhibita ut præsente, sine desiderio.

2° *Gaudium*, seu deliberata complacentia rei malæ præteritæ, seu operis mali peracti sive a se, sive ab alio.

3° *Desiderium*, seu actus voluntatis rem malam exoptantis. Dicitur *efficax*, si adsit intentio seu absolutum propositum id exequendi ; secus *inefficax* vocatur.[1]

Quænam autem sit horum malitia, et quænam species, his paucis teneto :

I. *Desiderium etiam inefficax* est vere peccatum, et induit species tum objecti, tum circumstantiarum.

Ac 1° est *vere peccatum*. Constat ex præcepto : *Non concupisces*, quod generatim et indefinite intelligi debet de prohibitione cujuslibet pravi affectus. Insuper omne rei prohibitæ desiderium rectæ rationi repugnat : turpe enim et inhonestum est desiderare, nempe sibi id exequendum aut absolute aut conditionate proponere, quod exequi non licet.

2° *Induit speciem objecti sui*. Quodlibet enim desiderium respicit actum externum, uti executioni mandandum, vel absolute, si desiderium sit efficax, vel saltem hypothetice, si inefficax ; necessario igitur fertur in illum secundum omnes conditiones et circumstantias, quæ illum afficiunt, sive ad ipsum necessario prærequirantur, sive illum inseparabiliter comitentur, sive ex illo sponte sua consequantur. Constat etiam ex verbis Christi :[2] *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Mœchari autem in Scriptura ubique pro adulterio intelligitur. Ergo . . .

3° *Induit etiam species circumstantiarum objecti*. Patet ex ratione mox sub 2° allata. Hinc in confessione v. g. desiderii fornicandi, declarandæ sunt circumstantiæ consanguinitatis, affinitatis, vinculi matrimonialis, aut voti castitatis, quæ personam desideratam afficiant.[1]

229. — II. *Gaudium* itidem est peccatum, et quidem ejusdem speciei ac actio mala, circa quam versatur, induitque pariter species circumstantiarum ipsi adnexarum, non secus ac ipsum desiderium. Ratio, quia *gaudium*, ut supra diximus, est mali præteriti approbatio ; hæc igitur actum peccaminosum amplectitur, qualis in se extitit, suis nempe circumstantiis vestitum. Ergo etiam harum totam malitiam induit. — Hinc qui in peccatorum præteritorum recordatione sibi complacet, eaque approbat, in confessione explicare debet objectum hujus complacentiæ, atque circumstantias speciem mutantes, perinde ac si denuo opere peccasset.

Ad gaudium revocanda est jactantia de peccato commisso, dolor de malo non patrato, necnon tristitia de bono peracto.

230. — III. *Delectatio morosa* 1° est certum peccatum ; 2° certo etiam variat gravitatem et speciem pro varietate objectorum menti exhibitorum.

Ratio primi est, quia naturæ rationali et legi divinæ repugnat voluntatem gratum habere id, quod rectæ rationi dissentaneum est, et Deo displicet. Insuper delectatio deliberata de objecto malo affectum in illud arguit ; atqui affectus in objectum malum est affectus malus, ut patet. Ergo . . . Hinc Oseæ :[2] *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*. Et Prov.[3] *Abominatio Domini cogitationes malæ*.

Ratio secundi est, quia quisquis delectatur de objecto in se malo, illud approbat, eique affectu suo adhæret. Ergo quo gradu ac specie objectum sit malum,

[1] L. II. 15.
[2] Matth. 5. 28.

[1] L. II. 12.
[2] 9. 10.
[3] 15. 26.

eodem plane erit mala ejusdem delectatio. Ergo . . . St. Thom.[1] et S. Alph.[2]

Utrum vero *delectatio morosa* induat etiam malitiam specificam circumstantiarum, ut *desiderium* et *gaudium*, controvertitur. *Neg. probabiliter speculative loquendo.* Ratio est, quia simplex delectatio non tendit in objectum ut ponendum, sed in eo quiescit ut repræsentato per intellectum. Porro intellectus abstrahit ab aliis objecti proprietatibus præter illam, quæ delectationem movet. *Practice* vero rem consideranti valde placet S. Alph.[3] opinio opposita, cum, licet ratione delectationis non contrahatur malitia specifica circumstantiarum, contrahatur tamen ratione *periculi proximi* concupiscendi, seu desiderandi, inefficaciter saltem, objectum, de quo quis voluntarie delectatur.

231. QUÆSITA. — Quær. 1° DE DESIDERIO. *An liceat desiderare malum sub conditione, si licitum sit?*

Resp. Dist. Affirm. per se si conditio apposita totam rei malitiam tollat; ratio, quia talis affectus nullam involvit deordinationem neque in se, neque in objecto, a quo per conditionem malitia omnino excluditur. *Neg.* vero in alia hypothesi; ratio, quia talis affectus tendit in objectum malum, et quidem absolute, cum conditio non tollat malitiam ab objecto, etiam ut repræsentato, et proinde tota malitia objecti in actum voluntatis refundatur. Et quidem sunt quædam objecta, circa quæ conditio, utcumque apposita, malitiam tollere nequit. Etenim quæ intrinsece mala sunt, mutari nequeunt, et proinde inutiliter conditio apponeretur, siquidem talia optare, per se foret desiderare ut lex et ordo naturæ immutetur.[4]

Attamen *probabiliter* a peccato gravi excusandus ille esset, qui tali desiderio nollet certe, ut id quod malum est intrinsece, fieret licitum, sed tantum propensionem suam in illud objectum ostenderet. — S. Alph.[5] cum aliis. Cæterum nemo non videt, quam periculosa sint hujusmodi desideria, etiamsi apposita conditio totam malitiam auferret, præsertim in prohibitis jure naturali, licitis tamen in aliquo casu vel statu, v. g. occiderem inimicum, si Deus mandaret; uxorem acciperem, si non essem sacerdos aut voto ligatus; libens nuberem Caiæ, nisi haberem uxorem; quæ desideria Caietanus merito appellat tentationes fatuas et diabolicas; quippe, quamvis licitum sit ejusmodi desiderium, illicita tamen est præsens de illo objecto delectatio, quæ in re venerea facile cum desiderio conjuncta reperietur. Imo dissuadenda sunt etiam alia desideria conditionata circa res, solo jure positivo prohibitas, quia ut plurimum otiosa sunt, et aliquando affectu aliquo inordinato laborare possunt.

Hinc confessarius sponsis prohibere debet, ne morentur in desiderio copulæ habendæ in futuro matrimonio; "*magnum*" enim "*subest periculum delectationis præsentis,*[1] quæ mala est cum actu desit conditio, illius objectum cohonestans. Sæpe tamen sponsi et vidui sunt in bona fide, non putantes esse mortale delectari de objecto licito, ut est copula in matrimonio, et ideo confessarius prudenter tacebit de peccato mortali, nisi ex illa complacentia videret sequi pollutionem.

232. — Quær. 2° DE GAUDIO. *An liceat gaudere* 1) *de ipso opere malo ob bonum effectum inde secutum;* 2) *de bono effectu operis mali?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, et licet opus materialiter tantum malum fuerit. Ratio est, quia objectum est malum. Patet etiam ex propositione 15^a^ inter damnatas ab Innoc. XI. "Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se" *nota* "in ebrietate perpetrato" (adeoque materialiter tantum malo) "propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas." Hinc peccant, qui delectantur de esu carnium, jejuniive fractione ex ignorantia aut oblivione, etiam involuntariâ, aut de pollutione nocturna *non pure* naturali, i. e. ex alia *etiam* causa proveniente, quam a natura se exonerante, ex turpibus nimirum phantasmatibus dormientis imaginationi propositis, vel ex tactibus omnino involuntariis.[2]

Resp. ad 2^um^ *Affirm.*, dummodo absit periculum probabile peccati formalis; hoc enim in casu non gaudes de malo. Dixi tamen: *dummodo absit*, etc. Ratio est, quia, ut n. 37. I. dictum est, sine causa sufficienti nemini licet se exponere

[1] 1. 2. q. 74. a. 8. [2] L. II. 15.
[3] L. II. 15.
[4] Ib. 27 et H. A. Tr. III. 50.
[5] II. A.

[1] H. A. Tr. III. 51. [2] L. II. 20.

ejusmodi periculo. Licebit igitur per se loquendo, seu seposito illo periculo, gaudere de exoneratione causata a pollutione, etiam voluntariâ, vel de consecutione hæreditatis ex homicidio.[1] — Quod hic de gaudio diximus, valet etiam de desiderio et delectatione.

233. — Quær. 3° DE DELECTATIONE. *An liceat delectari de rei malæ* 1) *cogitatione ;* 2) *modo.*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.*, dummodo absit periculum proximum delectationis de ipsâ re mala, ut S. Thomas [2] explicat sequentibus verbis : " Aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari : uno modo de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata ; . . . cogitatio autem ipsa secundum se non est peccatum mortale, imo quandoque est veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de ea ; quandoque autem sine peccato omnino, puta cum aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cum vult de ea prædicare vel disputare," etc. — Periculum vero delectationis de ipsa re mala practice dimetiendum est, — ex modo cogitandi, — ex qualitate personæ cogitantis, — ex materia cogitata, — ex causa, ob quam cogitatur. Sic, si quis librum minus honestum legat, consideranda sunt : modus, quo legit, v. g. *avide ;* — qualitas legentis, ad venerem forte proclivis ; — liber, qui legitur, ex professo e. g. obscœnus ; — causa legendi, utrum nimirum sufficiens sit, ut se periculo probabili delectationis de ipsa re mala exponat.

Resp. ad 2^um^ *Affirm.*, dummodo 1) modus per se non sit malus, et 2) absit periculum, de quo mox diximus. Res per se patet. Sic non peccat ridens de modo, quo ebrius pede ob vinum vacillante procedit ; quia modus per se malus non est ; peccat econtra qui delectatur de fraudibus et mendaciis, quibus usus est ad puellam seducendam ; quia fraudes istæ et mendacia mala sunt. — Ob periculum vero delectationis de re mala facile peccare poterit qui e. g. frequenter et libenter audiunt quædam turpia, quæ non videntur narrari, nisi ad modum ingeniosum, quo peracta sunt, manifestandum ; si enim sermo haberetur de actionibus honestis, etiam ingeniosius peractis, plerumque multo minorem delectationem perciperent.

234. — Quær. 4° *An et quando peccet qui non resistit motibus concupiscentiæ ?*

Resp. Per concupiscentiam hoc loco non intelligimus passionem appetitûs sensitivi, ad bonum vel malum indifferentem, quatenus consideratur uti minuens aut etiam penitus auferens voluntarium (n. 12 – 14), sed *pravarum* cupiditatum fomitem, seu propensionem ad malum, non in inferiori solum, sed in superiori etiam appetitu residentem. De hujus concupiscentiæ motibus hæc teneto

PRINCIPIA. — I. Utcumque pravi fomitis stimulis animus pulsetur, nulla unquam aderit peccati labes, nisi aliquo modo voluntas aut eis consentiat, aut ipsos, cum potest et debet impedire, non impediat. *Communis et certa.* — Vid. S. Thom.[1]

II. Voluntatis motus *primo-primi*, nempe qui præveniunt quamlibet rationis deliberationem, et eliciuntur, antequam attendatur ad objecti convenientiam cum regula morum, prorsus culpa carent. Ratio, quia quatenus deliberationem rationis et advertentiam ad moralem malitiam præveniunt, nec voluntarii sunt, nec liberi, et consequenter formalis peccati sunt expertes. Ita Theologi *omnes.*

III. Motus voluntatis *secundo-primi*, qui scilicet ad aliqualem rationis usum consequuntur, eliciuntur tamen cum tenui tantummodo, obscura, et imperfecta ad regulam morum advertentia, in qualibet, etiam gravi, materia sunt solum peccatum veniale. Ratio, quia ejusmodi actus sunt imperfecte liberi et solum semi-deliberati ; adeoque propter imperfectionem actus a gravi culpa excusantur. Ita pariter *communis* Theologorum.

Resolves. — 1° Motus utcumque pravi, quousque voluntati displicent, etiam post advertentiam ad regulam morum, omni culpa vacant. Ratio, quia ubi est ejusmodi displicentia, nullus est consensus. " *Nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus* " (concupiscentia), " *non valet,*" ut docet Synodus Trid.[2]

2° Motibus concupiscentiæ, post rationis advertentiam, resisti debet saltem per displicentiam virtualem, animum scilicet

[1] L. II. 20.
[2] 1. 2. q. 74. a. 8. S. Alph. L. II. 17.

[1] 2. dist. 34. q. 3. a. 1 ; et Quodlib. 4. a. 21.
[2] Sess. 5.

ad alia distrahendo, nec sufficit se negative seu neutraliter tunc habere, etiamsi periculum consensus abesse videatur. Ita *communiter* Theologi.

3° Potissime vero id valet quoad motus concupiscentiæ in re venerea, qui ne prætextu quidem luctæ et exercitii virtutis retineri debent.

4° Necessaria tamen non est resistentia *materialis*.

5° Non modo quoad carnales motus, sed etiam quoad motus contra fidem et caritatem resistentia mere indirecta per distractionem mentis consulenda est, potiusquam directa aliqua oppugnatio.[1]

6° Nec item tenemur ad positivam resistentiam adversus quamlibet tentationem, quæ diu protrahatur; hoc enim nimis molestum, et innumeris scrupulis obnoxium foret.

7° Quando absit periculum consensus, in motibus concupiscentiæ mere negative se habere juxta veriorem sententiam peccatum tantum veniale est, licet de objecto gravi agatur, nec alia adsit causa a resistentia excusans. "Quando" vero "hujusmodi motus sunt *vehementes*, plerumque, si positive non repellantur (saltem per actum simplicis displicentiæ) trahunt secum consensum voluntatis."[2]

235. — Quær. 5° *Quid agendum cum pœnitente se de aliqua prava cogitatione accusante?*

Resp. Ne tempus inutiliter et per interrogationes tibi et pœnitenti molestas, vel etiam periculosas, teras, non inquiras de specie vel numero, nisi prius tibi satis certo constiterit de consensu. Hunc vero ut internoscas, interrogandus est, an adverterit esse peccatum; et si respondeat se eam detestatum fuisse statim ac cognovit turpem esse, judicandus est omnino a peccato immunis. — Si respondeat, se habuisse per aliquod tempus aliquam confusam cognitionem malitiæ, eique adhæsisse, sed non plene advertendo ad ipsius gravitatem, tunc facile quidem a gravi peccato excusandus est, sed non a veniali. Quod si nesciat se expedire ab his interrogationibus, ordinarie præsumendum est, eum non consensisse, vel saltem defuisse in eo plenum consensum, vel perfectam advertentiam, maxime si timoratæ sit conscientiæ. Contra qui peccatis assuetus est aut parum ab iis abhorret, in dubio præsumendus est consensisse; in dubio enim prudens præsumptio petitur ex communiter contingentibus. Communiter autem contingit, ut vir pius non consentiat, quin dignoscat se revera peccato consentire; vir autem pravus non resistat peccato sine pugna, quæ quidem tollit dubium circa consensum aut dissensum.

Qui dubitat vigilans ne an dormiens; suî compos an non quidpiam fecerit, judicatur non sat advertisse nec consensisse; qui enim vigilat, satis sentit se vigilare.

Si ætatis defectus adsit, puta si septennium nondum sit completum, tunc perfecta saltem advertentia et plenus consensus non præsumitur, nisi malitia certo suppleat ætatem. Demum *sola* pravæ cogitationis continuatio non est indicium consensus; cum diuturna possit esse, et tentatio, et resistentia.

[1] L. II. 6. [2] Ib. 7.

CAPUT II.

DE PECCATIS CAPITALIBUS.

Peccata capitalia sic vocantur, quia sunt veluti capita, seu fontes aliorum peccatorum. Unde vitia potius, quam proprie peccata nuncupanda sunt, si in genere considerentur.

Septem numerantur, nimirum 1° Superbia; — 2° Avaritia; — 3° Luxuria; — 4° Invidia; — 5° Ira; — 6° Acedia; — 7° Gula. — Pauca de singulis.

I. *De Superbia.*

236. — *Superbia* est amor inordinatus propriæ excellentiæ.

Distinguitur superbia *perfecta*, seu in suo genere completa et consummata, et superbia *imperfecta*. — Perfecta quidem dicitur, quando homo adeo in se sistit et sibi complacet, ut versetur in dispositione legem potius graviter transgrediendi, quam mandatis Superioris obtemperandi. Hæc autem eo ipso peccatum mortale semper in se includit. — In cæteris vero casibus imperfecta nuncupatur, et tunc *per se* peccatum veniale tantum inducere

solet, nisi accedat injuria gravis proximi, v. g. si graviter contemnatur, etc.[1]

Filiæ superbiæ sunt ambitio, vana gloria, præsumptio, jactantia, ostentatio, et hypocrisis.

Remedia sunt consideratio propriæ infirmitatis, vanitatis gloriæ humanæ et humilitatis Christi.

II. *De Avaritia.*

237. — *Avaritia* est inordinatus appetitus bonorum temporalium. Opponitur justitiæ vel liberalitati. Si prius, in peccatum mortale facile prodibit, nempe quoties ad injustitiam gravem erga proximum impellet. — Si posterius *per se* venialia tantum pariet. Cæterum nimius erga res terrenas affectus in alia peccata, etiam gravia, propellere potest, imo et solet.

Filiæ avaritiæ sunt: durities cordis erga miseros, inquietudo animi, seu sollicitudo inordinata de terrenis, perfidia, dolus, etc. . . .

Remedia: consideratio vanitatis terrenarum rerum, turpitudinis, infelicitatis et periculorum hujus vitii.[2]

III. *De Luxuria.*

238. — *Luxuria* est inordinatus appetitus rei venereæ. Luxuria gravis est ex *toto* genere suo.

Filiæ: cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, odium Dei, fidei languor, imo et amissio, etc.

Remedia: oratio frequens et humilis, sensuum custodia, occasionum et otii fuga, carnis mortificatio, temperantia, Sacramentorum frequentatio.[3]

IV. *De Invidia.*

239. — *Invidia* est tristitia de bono alterius, quatenus æstimatur ut malum proprium, aut saltem minus bonum. Ad eam revocatur gaudium de alterius malo, quod boni proprii augmentum censeatur. Est autem directe contra charitatem, et ex genere suo gravis.

Filiæ: detractio, calumnia, susurratio, contumelia, etc.

Remedia: consideratio malorum ex invidia provenientium, officia caritatis erga proximum, oratio frequens, humilitatis exercitium.[1]

V. *De Ira.*

240. — *Ira* est excandescentia animi, motusque inordinatus in aliquem vel aliquid; vel est inordinatus appetitus vindictæ. Iracundia est habitus iræ. Ira mortalis est ex *genere suo*, si sit appetitus vindictæ; venialis autem, si sit tantum motus animi inordinatus.

Filiæ: indignatio, rancor, clamor, convicia, blasphemiæ, etc.

Remedia: consideratio malorum iræ, et mansuetudinis Christi.[2]

VI. *De Acedia.*

241. — *Acedia* in genere idem sonat ac pigritia; strictius vero est torpor mentis, ac debilitas voluntatis, ex quibus spiritualium rerum fastidium ob laborem et molestiam ipsis adjunctam profluit. Si tanta sit, ut ex ea obligationes graves omittantur, gravis habenda est; si secus, levis est æstimanda. — Ita *communiter*.

Filiæ: torpor, evagatio mentis, nausea in oratione, etc.

Remedia: consideratio laborum Christi, mercedis æternæ, et periculorum acediæ; pia lectio, frequens Confessio, etc.

VII. *De Gula.*

242. — *Gula* est inordinatus appetitus cibi vel potus.

Quinque præcipue modis vitium istud committitur: 1° si edas ante tempus; 2° si nimis exquisita; 3° si plus æquo; 4° si voraciter; 5° si majori industria præparata. Hæc in sequenti versu continentur:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Est peccatum veniale ex genere suo. Fit autem grave, si graviter noceat sanitati, aut si quem ad officia ineptum reddat. Peccat qui manducat aut bibit usque ad satietatem ob *solam* voluptatem, ut constat ex prop. 8ª ab *Innoc.* XI. damnata, p. XV.; attamen per se veniale non excedit. — Ita *communiter*.

Filiæ gulæ sunt ebrietas, de qua mox fusius, hebetudo mentis, scurrilitas, multiloquium, et immunditia cujuslibet generis.

[1] L. II. 66. [2] Ib. 69.
[3] Ib. 71.

[1] L. II. 72. [2] Ib. 80 sq.

Remedia : considerare pessimos gulæ effectus quoad corpus et animam ; — mortificare carnem præsertim in refectione corporis ; — recordari frequenter mortem, seu corruptionem corporis mox futuram.[1]

APPENDIX.

DE EBRIETATE.

243. — Ebrietas est voluntarius excessus in potu usque ad rationis privationem. — Ita *communiter*.[2]

Ebrietas perfecta, nempe usque ad rationis privationem pertingens, peccatum grave est *per se*. Constat 1° ex ratione ; voluntarie enim se usu rationis privare, illam modo violento et innaturali perturbando, saltem sine gravi causa et ad voluptatem, graviter naturæ rationali repugnat. Homo enim sic ad brutorum statum se dejicit, Deique imaginem in se deturpat.[3]

Constat 2° ex Scriptura Sacra :[4] *Neque ebriosi . . . regnum Dei possidebunt.* — Et Isaiæ :[5] *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. . . .* Porro particula *væ* in Scriptura Sacra gravissimum denotat malum.

Probabilius autem est *per se* peccatum veniale tantum, si ebrietas sit imperfecta. Dico : *per se ;* quia sæpe sæpius per accidens est mortale, ratione scilicet *vel* 1) scandali, quod e. g. sacerdos daret, licet semel tantum imperfecte ebrius foret, aut paterfamilias, si sæpe ; *vel* 2) pravi finis intenti, ut si quis biberet ad vehementiorem in se libidinem excitandam ; *vel* 3) damni sanitati vel familiæ inferendi ; *vel* 4) gravis tristitiæ uxori, filiis, parentibus causandæ ; *vel* 5) aliorum peccatorum, quorum ebrietas sit causa voluntaria, ut mox n. 245. q. 5° dicemus.

244. Quæsita. — Quær. 1° *Quænam sint signa ebrietatis perfectæ ?*

Resp. Perhibentur sequentia, scilicet 1° nescire distinguere bonum a malo ; 2° non recordari de dictis aut factis in ebrietate ; 3° agere omnino insolita, quæ scilicet nunquam alias sana mente agi solent, . . . etc. — Non autem sunt signa certa, hæsitatio linguæ, titubatio pedum, visus objectorum duplicium, aut in gyrum se vertentium.[1]

Quær. 2° *An liceat se inebriare ad morbum depellendum ?*

Resp. S. Alph. " Valde DD. laborant in hac quæstione, licet videatur casus vix umquam accidere posse ; "[2] et re quidem vera, ut proponitur, practicus dici nequit ; at vero non omnino speculativa foret quæstio hoc modo proposita ; an liceat copiam notabilem vini generosi, v. g. Campaniæ, sumere ad morbum, v. g. choleram, depellendum, licet prævideas te ex ea inebriandum. Quæstioni vero sic propositæ respondendum ; *probabilius affirm. ;* tunc enim *directe* et *per se* intenditur ille effectus potus, quo morbus depellatur, in casu proposito cholera : i. e. calor visceribus reddendus ; *indirecte* autem et *per accidens* evenit privatio rationis, ad quam igitur ægrotus permissive se habere potest.[3]

Omissa quæstione : an licita sit ebrietas ad operationem chirurgicam subeundam, quæ ad praxin hodie vix facit, cum alia media faciliora in eum finem suppetant, de his mediis

Quær. 3° *An sit licitus ad hunc finem usus opii, ætheris, chloroformi et similium ?*

Resp. Affirm, cum horum virtus primaria sit soporifera aut nervorum sedativa, non inebriativa. Vitanda tamen pericula.

245. — Quær. 4° *An liceat aliquem ad ebrietatem inducere, ut a malo majori avertatur ?*

Resp. S. Alph. :[4] " Sententia " affirmativa " satis probabilis videtur mihi et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis, sive formalis, ob rationem . . . quia licitum est inducere alium ad minus malum, ut impediatur a majori."

Quær. 5° *An sint imputabilia omnia mala in ebrietate facta ?*

Resp. 1° *Neg.*, si prævisa non fuerint, ne in confuso quidem, quia quæcumque prævisa non fuerint, prorsus involuntaria sunt habenda.

Resp. 2° *Affirm.* ob rationem oppositam, si prævisa fuerint, saltem quoad

[1] L. II. 74. [2] Ib. 75.
[3] Ib. 75. [4] 1 Cor. 6. 10.
[5] 5. 11.

[1] L. II. 78. [2] Ib. 76.
[3] Ib. 76. [4] Ib. 77.

mala operis, sive commissionis, sive omissionis.

Dixi : *saltem quoad mala operis ;* nam quoad mala oris seu verba aut etiam facta meré contumeliosa, *probabiliter* non sunt imputabilia, si contra homines proferantur ; quippe nullam contumeliam ex communi æstimatione inferre censentur. Secus tamen si in Deum proferantur, ut blasphemiæ, etc. . . . quia hæc intrinsece mala sunt, et proinde in contumeliam honoris divini vergunt ; alioquin autem, utpote prævisa, in ipsa causa voluntaria sunt. Ita S. Alph,[1] qui tamen contrariam sententiam improbabilem dicere non audet, licet priori magis adhæreat.

246. *Resolves.* — 1° Peccant graviter, qui diu noctuque potantes, scienter ebrietatis periculo se exponunt. Item qui alios jussu consiliove inducunt ad ebrietatem ; vel qui ad æquales haustus provocant cum prævisо ebrietatis periculo.

2° Peccant graviter, qui per experientiam scientes se inebriari in his vel illis consortiis nihilominus in iisdem versantur. Item qui inter bibendum ad periculum ebrietatis advertentes, nihilominus bibere pergunt.

3° Peccant etiam graviter, qui adeo bibunt ut sequi debeat ebrietas, quamvis somno se committant antequam sensibus et ratione destituantur, quia in somno non habent potentiam proximam ad usum rationis.

4° Nec excusantur a peccato gravi, qui prætextu patrii moris, aut boni affectus, vel urbanitatis, convivas urgent et quasi necessitant ad bibendum usque ad ebrietatis periculum ; secus autem, si tantum liberalior potus offeratur et sæpius propinetur, in moderata tamen quantitate.

5° Non peccant graviter *per se*, qui adeo validi, vinoque assueti sunt, ut nunquam inebrientur, etsi largius aliis bibant, nisi adeo temperantiam excedant, ut sanitatis grave detrimentum timeri merito possit.

[1] L. II. 78.

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS.

247. — Virtus est *habitus* agendi honeste seu juxta rectum ordinem.

Dicitur: 1° *Habitus*, seu, ut S. Thomas [1] docet, *bona qualitas mentis*. Neque enim idem est *virtuosum* esse, ac *actum* virtutis ponere, quod sine habitu fieri potest. — Habitus autem ille dupliciter considerari potest, nempe in statu perfecto vel imperfecto, prout omnibus contrariis *facile* resistere possit, vel non. Inde virtus *perfecta* et *imperfecta*.

Dicitur: 2° *agendi honeste seu juxta rectum ordinem*. Rectus autem ordo inter cætera etiam hoc postulat, ut *medium virtutis* servetur, defectum scilicet et excessum in virtutis exercitio vitando. Medium autem illud est vel *rei*, vel *rationis*. Medium *rei* ita determinatum fixumque est, ut semper unum sit et indivisibile, nec proinde variatur pro loco, tempore et persona. In justitia *commutativa* hoc servandum est. Sic e. g. si 100 tibi debeam, 100 etiam tibi dare debeo, et a virtute justitiæ deficio, si 99¾ tibi tantum tribuam; econtra si 110 tibi reddidero non justitiæ solummodo, sed et liberalitatis actum ponam. — Medium autem *rationis*, quod in cæteris virtutibus servandum est, divisibile est, variaturque pro loco, tempore et persona, juxta *prudentis æstimationem*, ideoque *rationis* vocatur.

Virtutes variæ speciei distinguuntur, scilicet.

1° *Naturales* vel *supernaturales*, prout viribus naturalibus, vel supernaturalis gratiæ auxilio acquiruntur et conservantur.

2° *Infusæ* vel *acquisitæ*, prout a Deo ipso in cor infunduntur, vel actibus repetitis agentis acquiruntur.

3° *Theologicæ* vel *morales*, prout Deum immediate respiciunt, vel pro objecto immediato naturalem honestatem actionis habent. Inde facile deducitur, virtutes theologicas moralibus esse perfectiores.

Quatuor sunt virtutes morales cardinales, ad quas cæteræ reducuntur, scilicet *prudentia*, *justitia*, *fortitudo* et *temperantia*. Cum de virtutibus moralibus in tota fere theologia morali sermo sit, hic speciatim agemus de virtutibus theologicis, nempe de *Fide*, *Spe* et *Caritate*.

[1] 1. 2. q. 55. a. 4. 0.

CAPUT I.

DE FIDE.

248. — Fides in genere est assensus propter auctoritatem loquentis. Pressius ad rem nostram, Fides, in quantum est *virtus*, definitur: Habitus supernaturalis, infusus, inclinans intellectum ad firmiter assentiendum veritatibus a Deo revelatis, et ab Ecclesia propositis, propter auctoritatem Dei revelantis. In quantum vero est *actus*, dicitur assensus firmissimus rebus a Deo revelatis propter Dei revelantis auctoritatem præstitus.[1]

Fides est 1° *habitualis* vel *actualis*, prout est habitus vel actus.

2° *Explicita* vel *implicita* ratione objecti, prout hoc in se est expressum et evolutum, aut tantum in alio contentum. Sic v. g. si dicas: Credo in SS. Trinitatem, elicis actum Fidei explicitum in illud mysterium. Si vero dicas: Credo omnia, quæ docet Ecclesia esse credenda, elicis actum Fidei implicitum in singula dogmata revelata.

3° *Formalis* vel *virtualis*, prout fides vel est actualiter elicita, vel in mente perseverans inadvertenter vi sua in actiones influit.

4° *Formata* seu *viva*, vel *informis* seu

[1] L. III. 1.

mortua, prout conjungitur, vel non, cum operibus Caritatis.

Peccata Fidei opposita sunt 1° infidelitas, seu carentia Fidei in hominibus non baptizatis; 2° hæresis, seu error pertinax in baptizato contra veritatem Fidei ab Ecclesia propositam.

Infidelitas, sive hæresis, dicitur *negativa*, seu *materialis*, in eo, qui ignorantia invincibili laborat, seu cui vera Fides non fuit sufficienter proposita.

Agendum præcipue 1° de necessitate, 2° de objecto Fidei.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE FIDEI.

I. *Quoad actum internum.*

249. — I. Actus internus Fidei omnibus adultis ad justificationem necessarius est *necessitate medii*. Constat ex Epist. ad Hebr.,[1] ubi Apostolus dicit: *Sine Fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* — Et ex Conc. Trid.,[2] "*sine fide nulli umquam contigit justificatio.*"

II. Necessarius est etiam necessitate præcepti quandoque in vita. Constat ex Scriptura Sacra. Dicitur enim in Epist. 1. Joann:[3] *Hoc est mandatum ejus, ut credamus in nomine Filii ejus Jesu Christi.* Item ex propositionibus damnatis scilicet 1ª. ab Alexand. VII. (p. XIII.), et 6ª. 16ª. 17ª. ab Innoc. XI. (p. XV.)

250. Quæsita. — Quær. 1° *Quandonam urgeat præceptum Fidei eliciendæ?*

Resp. 1° Urget *per se* 1° post usum rationis completum ad incipiendam vitam christianam; 2° item quando infideli adulto Fidei nostræ veritas sufficienter proposita est; 3° in articulo mortis, ad proximius tendendum ad Deum; 4° sæpius in vita, saltem semel in anno.[4]

Resp. 2° Urget *per accidens* 1° urgente gravi tentatione, quæ aliter vinci nequeat; 2° quando adimplendum est præceptum, quod Fidem requirit circa articulum, qui dirigit præcepti implementum, v. g. circa præsentiam Christi in Eucharistia, si accedas ad communionem; 3° post lapsum in hæresim, aut Fidem negatam. — Ita *omnes*.

Quær. 2° *An actus expliciti requirantur ad præceptum Fidei adimplendum?*

Resp. In illis, qui veritates fide tenendas jam didicerunt et crediderunt, generatim sufficiunt actus impliciti. Hinc præcepto satisfacit qui devote audit Missam, adorat Crucifixum, orat, Crucis signum format, Sacramenta recipit, etc. — Ita *communiter*.[1]

II. *Quoad actum externum.*

251. — I. Datur præceptum negativum prohibens veram Fidem negare, falsamve profiteri. Negare enim Fidem est Deum ipsum negare. Hinc Christus[2] ait: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.*

II. Datur etiam præceptum affirmativum, obligans aliquando ad Fidem etiam cum vitæ periculo confitendam. Christi enim honor aliquando exigit, ut fideles ad ipsum confitendum etiam vitam spernant. Constat ex verbis Christi ipsius,[3] *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Et[4] *Qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in majestate sua.* Item Apost.[5] *Corde creditur ad justitiam; ore autem confessio fit ad salutem.*

Præceptum autem exterius Fidei confitendæ jure naturali tunc obligat, quando secus honor Deo debitus, vel utilitas spiritualis proximi modo notabili subtraheretur: puta, si Deus afficeretur magna injuria, vel proximus magno malo spirituali; vel si ex omissione confessionis sequeretur contemptus Religionis, scandalum, aliorum perversio; vel etiam si cessaret magnus honor in Deum, vel magna utilitas in proximum. Ratio est, quia id exigit caritas quam Deo vel proximo debemus. — S. Thom.[6] S. Alph.[7]

252. Quæsita. — Quær. 1° *An liceat quandoque dissimulare Fidem?*

Resp. 1° Nunquam licet simulare falsam, quia perinde id esset, ac veram exte-

[1] 11. 6. [2] Sess. 6. c. 6.
[3] 3. 23. [4] L. III. 7. H. A. Tr. IV. 13.

[1] L. III. 7. H. A. Tr. IV. 13.
[2] Matth. 10. 33. [3] Matth. 10. 32.
[4] Luc. 9. 26. [5] Rom. 10. 10.
[6] 2. 2. q. 3. a. 2. [7] L. III. 11.

rius negare, quod intrinsece malum est. — Aperte autem hoc constat ex verbis Christi modo relatis.

Resp. 2° Licet ex gravi causa dissimulare seu occultare Fidem veram, secluso scandali periculo. Ratio est, quia non semper urget præceptum Fidei confitendæ.[1]

Quær. 2° *An interrogatus de Fide possit uti verbis ambiguis?*

Resp. 1° *Neg.*, quando tergiversatio vel silentium æquivalet negationi, aut erubescentiæ seu formidini, quæ in iis adjunctis necessario honori Dei, vel utilitati proximi detrahant. Tunc enim locum habent conditiones in *Princip.* II. expositæ. Confirmatur id ex constanti Ecclesiæ praxi, et communi Patrum doctrina.[2]

Resp. 2° *Affirm.*, quando nullum præsentibus creatur scandalum, ac nulla apparet Fidei negatio, aut formido, aut erubescentia; quia tunc nulla adest obligatio Fidem confitendi.[3]

253. — Quær. 3° *An liceat uti signis aut vestibus infidelium?*

Resp. 1° *Affirm.*, si sint vestes aut signa propria alicujus *regionis*, licet regio hæc tota sit infidelis; quia hæc ad Religionem *per se* non referuntur.

Resp. 2° Si vero sint vestes et signa *Religionis*, subdistinguendum est: *probabilius* adhuc *affirm.*, si fiat gravi de causa, et vestes non sint *unice* aut *primario* distinctivæ sectæ a secta, quia tunc usus primarius earum est ad corpus tegendum, et secundarius tantum ad sectam distinguendam. — Secus autem, si vestes vel signa sint *unice* aut *primario* instituta ad sectam profitendam, ut sunt vestes et ornamenta, quibus sacerdotes in exercitio functionum suarum utuntur.[4]

254. *Resolves.* — A. *Ex principio* I.

1° Graviter quis peccat contra Fidem, etsi externe tantum genua flectat coram idolo, aliave signa Religionis falsæ exhibeat, v. g. cœnam hæreticam sumeret; — matrimonium hac in regione contraheret coram ministello hæretico, cum hic apud nos non sit testis civiliter necessarius, adeoque non possit non adiri nisi tamquam minister sacer; — Quakerorum vestes indutus, vel eas etiam non indutus (nam hodiedum ipsi Quakeri vestes distinctas vix induunt) in eorum cœtu silens ac veluti meditabundus aliorum instar consideret; — ad loca, in quibus excipiuntur qui sic dictam conversionem in cœtibus Presbyterianorum, Methodistarum vel aliorum profitentur, accederet, et inter cæteros sederet vel genua flecteret, veluti oraturus; — interrogatus utrum sit *Romanista* aut *Papista*, responderet se non esse, nisi tamen ex adjunctis colligi facile possit eum negare ob voces illas tamquam invidiæ et contumeliæ plenas. Idem hodie post Syllabum et Decreta Concilii Vaticani dicendum videtur, si quis negaret se esse *Ultramontanum*.

2° Non peccat contra Fidem, qui templa hæreticorum vel infidelium ex mera curiositate visitat, seclusis tamen scandalo, perversionis periculo, aut lege hæc interdicente. — Item qui interest convivio nuptiali aut sepulturæ hæreticorum; quia hæc proprie ad Fidem non spectant, et ut conventus mere civiles habentur. Idem dicit Kenrick[1] cum aliis de adstantibus nuptiarum coram hæretico præcone contractarum celebrationi, cum id plerumque non ut ritus hæretici approbatio æstimetur, sed ut obsequii erga sponsos indicium. Utrum vero idem dici possit de iis, qui paranymphi officio hac occasione funguntur, sapientioribus decidendum relinquo; multum hac in re tribuendum est communi æstimationi in populo vigenti, quæ in variis locis et temporibus varia est; quod enim civile tantum obsequium censetur, falsæ religionis professio haberi nequit. Ubi vero catholicus nuptias init coram ministello, non *decet*, ait idem Kenrick,[2] catholicos, præsertim parentes et sanguine conjunctiores, præsentia suâ id probare. Hæc vero celebratissimi Theologi resolutio paulo mitior videtur; equidem id non solum non *decere*, sed nec generatim (v. infra, n. 308) *licere* arbitramur, parentibus saltem et iis, qui ex officio id improbare tenentur.

3° Licet famulis infantes baptizandos deferre et brachio sustinere, dum a ministello baptizantur; id enim ut ad famulatum pertinens, et non ut cultus consortium habetur.[3] Idem dic de assistentia ejusmodi baptismo et a fortiori convivio

[1] L. III. 11. 12. [2] Ib. 13.
[3] Ib.
[4] Salm. Tr. 21. c. 2. n. 110.

[1] Tr. XIII. 33. [2] Ib.
[3] L. III. 16. ad. 12.

baptismali, ubi illa civile censetur obsequium. Declaratio enim Pii VI., illicitum nimirum esse adsistere baptismo ab intrusis, Gallis scilicet, collato, non CERTO dici potest casum nostrum comprehendere. Assistentia enim, de qua agit Pius VI., *spectatis specialibus tunc obtinentibus adjunctis*, non poterat non esse, aut saltem non censeri approbatio ipsorum intrusorum; nulla autem in casu nostro approbatio ministelli communiter apprehenditur. Casus casui, ad quem Pii VI. declaratio pertinet, similis foret, si ageretur de assistentia baptismo a Germano aliquo sic dicto *Old Catholic* collato. Cfr. S. Alphonsum,[1] non corrigentem Busembaum, dum hic testatur suo tempore in Germania non haberi ut signum falsæ fidei professivum patrinum agere in baptismo hæretico, quod tamen apud nos nullibi obsequium unice civile æstimaretur.[2]

4° Paulus V. Brevi 22 sept. 1606[3] Anglis declaravit non licere obtemperare legi catholicis præcipienti, licet sub gravissimis pœnis, ut hæreticorum templa adirent, cœtus eorum frequentarent, illorum concionibus interessent. Jam vero in navibus Gubernii nostri, sicut et in arcibus et aliis publicis plerumque locis, in ergastulis et in carceribus nonnullis, coguntur omnes precibus assistere et concioni, vapulantibus qui recusant. *Quæritur* igitur, utrum Catholicis in hac regione, ubi per leges cautum est, ne potestas sæcularis ullum usurpet jus sese in rebus sacris immiscendi, liceat ejusmodi assistentiam præbere?

Resp. Quum *ordinis potius causa*, quam sectæ favore, hæc assistentia exigatur, et nemo *cogatur* cultum reapse præstare, casus diversus dici debet ab illo, de quo in Brevi citato, et excusandi sunt, qui ad pœnam declinandam, vel aliâ de causâ satis gravi se præsentes sistunt, dummodo tamen alias aperte profiteantur fidem catholicam, et omne cultus consortium vitent.[4] Res tamen periculo, perversionis nimirum, haud caret. Cfr. Conc. Plen. Balt. II.[5]

[1] L. III. 16. sub. 11.
[2] Kenr. Tr. XIII. 33.
[3] Apud Ken. Tr. XIII. 33.
[4] Ib. 34.
[5] a. 400.

5° "Cum hæreticis orantibus," ait Kenrick,[1] "sive publice, sive privatim, genua flectere, non videtur esse fidei negatio; intelligitur enim fieri humanitatis causa," dummodo (adderem) illud aliquoties tantum fiat. Porro subjungit ipse Kenrick: "Cæterum omnino improbandus est *mos*; favet enim hæresi, et perversionis periculum et pravum exemplum habet. Idcirco famulis, quos domini solent ad id *urgere*, haud ullatenus est permittendum." Idem resolvo de famulo, qui juberetur domino cæcutienti aut infirmo biblia protestantica prælegere. "Possunt autem," pergit Kenrick, "illi dominos ad templa hæreticorum vehere, vel filiæ vel uxori dominorum ad ea, protectionis causâ, comitari, quin ritibus eorum interveniant." Idem dicerem licere marito catholico respectu uxoris hæreticæ, prout ruri communiter fieri solet, quin catholici exinde scandalizentur.

6° Quod eos attinet, qui in templis protestantium concionem, aut in cœtibus mixtis, in quibus ministellus præsidet aut etiam preces fundit, orationem (*speech*) habent, aut aliter assistunt, hoc fere modo distingue.

Vel a) agitur de sacerdote in sectarum templo concionaturo, et tunc attendenda erit sequens responsio S. Pœnitentiariæ, quæ interrogata: an Catholici Missionarii ac presbyteri, a schismaticis rogati, in horum ecclesiis prædicare possint, a° 1674 resolvit: "vel invitantur ad effectum ut ibi prædicetur veritas catholica indefinite et etiam contra errores eorumdem schismaticorum, et tunc affirmative; vel tantum ut sermo fiat de virtutibus et vitiis, quæ communiter tam a catholicis, quam ab acatholicis amplecti et vitari debent, et negative."[2] Ex hac responsione nostris regionibus applicatâ concludo, culpandum non esse sacerdotem, qui, licet non invitatus, quin et licentiam hanc expostulans, in loco quodam, ubi deest catholica ecclesia aut alius locus opportunus e. g. curia, *veritatem catholicam* in sectariorum templo annuntiaret. Extra hunc casum, *præstat* abstinere, ut omnis species consortii in rebus religionis vitetur, et ne fideles quâlibet de causâ ecclesias sectarum adeant.[3]

[1] Tr. XIII. 33.
[2] Apud Scav. L. II. n. 1017. q. 5.
[3] Kenr. Tr. XIII. 35.

Vel b) agitur de laico, in iisdem sectarum ecclesiis de temperantiâ, de libertate aut aliis hujusmodi, pro more hujus regionis, orationem (*speech*) habituro. Id sane vehementer dissuadendum, præsertim si acatholici eâ occasione etiam orationem sint habituri; nam hi in ejusmodi materiis vix non extra justos limites excurrere et plurima fidei contraria immiscere solent, quibus vel contradicturus erit catholicus orator vel non. — Si *prius*, res speciem habebit publicæ disputationis de fide, quæ laico interdicitur.[1] Laicus præterea vix non adibit periculum haud recte objectionibus respondendi. — Si *posterius*, silentium catholici facile approbationis loco habebitur, aut certe religioni, tamquam defendi non possit, nocebit.

Vel c) agitur de oratione *aut* in ecclesia sectarum *aut* in loco profano vel sub dio habenda, *præsidente ministello, aut eo saltem ante vel post orationem preces effusuro*. Si *prius*, vix licebit catholico orationem habere, quum in ejusmodi adjunctis videretur quodammodo religionis inire societatem; si *posterius*, licebit, dum v. g. oratio habenda est occasione festi nationalis vel cujusdam solemnitatis civilis, ut, e. g. dedicationis novæ curiæ municipalis, vel anniversarii cujusdam prœlii ad sepulcra occisorum, licet ministellus aliorum rogatu preces fundat; neque enim iis in adjunctis consortium religionis inire censetur, qui suas partes agit orationem habendo; alias culpandi quoque forent oratores in cœtibus legislatoriis; nam initio singularum sessionum ministellus preces fundere solet. Quod de iis, qui in hoc posteriori casu orationem habent, dictum est, idem resolve de assistentibus, sive individua sint, sive, dum de festo aliquo nationali aut solemnitate civili agitur, societates catholicæ (*societies*), dummodo tamen illæ sine insigniis exclusive sacris, puta vexillis, quæ ad *solos* usus sacros inserviant, casu, quo ministellus præest aut preces fundit, adsistant.

7° Qui extra templa, aut saltem extra omnem occasionem et speciem cultus publice canunt, prout fieri solet in concentu plurimorum, non videntur contra fidem peccare, licet carmina quædam de rebus *sacris* protestanticos habeant auctores, dummodo tamen nihil fidei adversum habeant; nam iis in adjunctis nonnisi ad oblectamentum aurium ea referuntur. Peccarent autem, si suam operam præstarent, ut pecunia inde colligenda in protestanticos usus cederet.[1]

8° Non peccat contra Fidem, qui per loca hæreticorum transiens, timore periculi gravis, carnes comedit die abstinentiæ, ne catholicus agnoscatur; quia hoc per se non est signum hæreseos; secus autem, si carnes manducaret, etiam metu mortis, ad id in odium Fidei impulsus.

9° Nec peccat contra Fidem, qui fugit tempore persecutionis; imo generatim fuga est aliquo modo præcepta, ut patet ex verbis Christi:[2] *Cum autem persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*. Hoc vero præsertim valet, si cujuspiam salus ad utilitatem fidelium sit necessaria, aut quispiam lapsum timeat.

255. *Resolves.* — B. ex principio II.

1° Recte quidem damnata est ab Innoc. XI. propositio hæc (18[a]): "*Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri, ut Deo et Fidei gloriosum, consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.*" Inde tamen *non recte* concluderes semper et ubique respondendum esse potestati publicæ de fide interroganti. Cum enim ille, qui *contra juris ordinem* a judice, licet alias legitimo, interrogatur, nulla respondendi obligatione teneatur; leges autem nostræ nullam religionis aut fidei civium rationem haberi velint, nulla ejusmodi interrogationi *de se* debetur responsio. Multo magis poterit quis *curiositati* privatorum nolle satisfacere.[3]

Dicitur: *de se*, et *curiositati*. Nam responsio sane debetur, si, juxta principium supra enunciatum, honor Deo debitus aut utilitas spiritualis proximi non respondendo, tergiversando aut æquivocando notabiliter minuerentur aut etiam cessarent, ut, e. g. si taciturnitas, tergiversatio aut æquivocatio esset aut præsentibus videretur fidei negatio, aut cederet in fidei contemptum vel in grave scandalum.

2° Licet fides aliquando publice profitenda sit, *publica* tamen de rebus fidei cum hæreticis concertatio Decreto S. C. Conc. d. d. 6. martii 1625 prohibetur, præ-

[1] Decr. L. V. T. II. c. 2 in 6.° Cfr. Luisi. Codex Can. Eccl. n. 295.

[1] Kenr. Tr. XIII. 39. [2] Matth. 10. 23.
[3] Kenr. Tr. XIII. 30.

terquam cum venia S. Pontificis. Utrum vero hoc decretum in *viridi*, ut aiunt, apud nos sit observantia, dubitari merito potest. Cæterum, in casu necessitatis et dum periculum est in mora, Ordinarius loci juxta dicta n. 154. 2° hanc licentiam concedere poterit.

Nota. — Alias cum præcepto fidei connexas resolutiones vide infra, ubi de cooperatione ad Sacra hæreticorum.

ARTICULUS II.

DE OBJECTO FIDEI.

256. — Objectum *formale* Fidei, seu ratio propter quam creditur, est auctoritas Dei loquentis, utpote infinita tum sapientia, tum veracitate prædíti.

Objectum vero *materiale*, de quo hic tantum agitur, constat ex rebus cognoscendis et credendis. Hinc agendum de sciendis et credendis tum necessitate medii, tum necessitate præcepti.

§ I. *De necessario sciendis et credendis necessitate medii.*

257. — Certum est, duo scienda et credenda esse necessitate medii: 1° quod Deus sit: *Oportet accedentem ad Deum credere quia est.*[1] — 2° quod sit remunerator: *Oportet . . . credere quia est, et inquirentibus se remunerator sit.*[2] — An vero alia sint credenda explicite de necessitate medii ad salutem, controvertitur: hinc de iis

258. QUÆSITA. — Quær. 1° *An requiratur Fides explicita mysterii SS. Trinitatis et Incarnationis de necessitate medii?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis.

I[a] SENTENTIA omnino affirmat. Ratio est

1° *Quoad Incarnationem*, quia non datur salus nisi per Christum; medium ergo illud necessario *explicite* cognoscendum et credendum est.

2° *Quoad SS. Trinitatem*, quia Fides hujus mysterii est fundamentum salutis nostræ; nam Baptismus, qui est Sacramentum Fidei, conferri debet *in nomine Patris*, etc. . . . Porro quod est salutis fundamentum, debet esse objectum primarium Fidei, et proinde *secundum se et explicite* credendum. — Ita Collet,[1] — Antoine.[2] — De hac sententia S. Alph.[3] dicit eam esse communiorem et videri probabiliorem.

II[a] SENTENTIA, quæ S. Alph.[4] etiam satis probabilis videtur, negat. Ratio est, quia ante Christum sufficiebat Fides implicita horum mysteriorum; ergo etiam post ejus adventum sufficere debet. Christus enim media non mutavit. — Ita Suarez,[5] — Lugo.[6] Neque obstat, aiunt, propositio damnata ab Innoc. XI. sub n. 64, quæ sic sonat: *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia mysteriorum SS. Trinitatis et Incarnationis D. N. I. C.*; non obstat, inquiunt; merito enim, aiunt, damnari potuit ratione primæ partis, in qua asseritur absolutionis capax homo, quantumvis generatim laboret ignorantia mysteriorum Fidei.

Sunt, qui utramque sententiam hoc modo conciliari putent. Docent nempe fidem explicitam mysterii SS. Trinitatis et Incarnationis *nunc*, i. e. post Christi adventum, requiri de necessitate medii hypothetice, seu secundum quid; omnibus scilicet, quibus sufficienter annuntiatum est Evangelium et qui non ita hebetes sunt, ut nullomodo ea percipere valeant, necessitate medii absolute necessariam esse fidem *explicitam* horum mysteriorum; illis vero, quibus non est prædicatum Evangelium, necessitate medii necessariam esse fidem eorum *implicitam*, quam fidem implicitam agnoscunt in eo, qui credit Deum homines salvaturum esse per media sibi nota, quæ fides, aiunt, certo includit Christum Redemptorem, ac consequenter SS. Trinitatem. Et hac quidem cum distinctione intelligenda esse dicunt verba Act.[7] "*In omni gente, qui timet eum et operatur justitiam, acceptus est illi.*" Eâdem distinctione adhibita, nulla, aiunt, est necessitas miraculi ad salvandos observatores legis naturalis, explicita horum mysteriorum scientia carentes, nec ulla ratione dici poterit generis humani conditionem post Christum non in melius,

[1] Heb. 11. 6. [2] Ib.

[1] Decal. c. 1. a. 1. [2] C. 1.
[3] L. III. 2. [4] L. III. 2.
[5] De Fide D. 12. sect. 4.
[6] De Fide D. 12. n. 91.
[7] 10. 35.

sed in pejus fuisse mutatam, quippe quod ante Christum implicita eorum mysteriorum fides sufficeret.

Quær. 2° *An possit absolvi, qui ea ignorat, quæ sunt* certo *de necessitate medii?*

Resp. Neg. Nec licite, nec valide. Ita *omnes.* Ratio est, quia ille ob defectum medii simpliciter necessarii incapax est justificationis; ergo etiam incapax est absolutionis. Aliunde nemo potest habere spem salutis, quin Deum *remuneratorem* credat.

259. — **Quær.** 3° *An possit absolvi ignorans mysteria Trinitatis et Incarnationis?*

Resp. 1° Non potest *licite* extra *casum necessitatis*, v. g. periculi mortis; ratio quia confessarius hunc absolvens Sacramentum periculo nullitatis exponit, ut patet ex Quæst. 1ª præc. — Hinc confessarius debet pœnitentem vel prius instruere, vel dimittere, donec sufficienter sit instructus.[1] Animadverte tamen cum S. Alph.[2] hæc S. Leonardi a Portu Mauritio verba: " Bonum non est consilium dimittere similes ignaros, ut ab aliis hæc doceantur, quia nullus alius sperabitur fructus, nisi ut sic ignari remaneant; ideoque expediens est, breviter eos docere prædicta mysteria principalia, efficiendo pariter, ut secum eliciant actus fidei, spei, charitatis et contritionis, obligando tamen eos, ut in posterum perfecte instrui se faciant circa cætera mysteria scitu necessaria de necessitate præcepti."

Quodsi de ejusmodi pœnitentibus agatur, quibus magno rubori vel offensioni esset de his interrogari, decebit confessarium ea mysteria iis simpliciter et clare proponere, et deinde actum fidei cum eis elicere.

Resp. 2° Speculative dubitari potest, utrum *valide* absolvi possit, qui versatur in ignorantia invincibili horum mysteriorum. Ratio deducitur ex dictis in IIª Sententia *Quæsiti primi.* Practice vero repetendæ erunt confessiones, licet in bona fide cum tali ignorantia peractæ (vide dicta n. 67. 2°). Utrum vero in casu necessitatis *licite* absolvi possit, dubitari potest, cum S. C. Officii 10 maii 1703 declaraverit, " missionarium," antequam " adulto, etiam moribundo, qui incapax omnino non sit," baptismum conferat, teneri eidem " explicare fidei mysteria, quæ sunt necessaria necessitate medii, ut sunt," ait, " præcipua mysteria Trinitatis et Incarnationis." Absolvendus tamen, in necessitate, at sub conditione, ille de quo dubitatur, an illa percipiat et percipere possit,[1] ac moribundus, qui omnino incapax sit ea hic et nunc percipiendi; si autem non constet de *præsenti* ejus incapacitate, et mors non sit *omnino* proxima, breviter instruendus erit; quodsi post absolutionem, ob mortem, quæ omnino proxima putabatur, absque prævia instructione collatam, supervivat, post brevem instructionem, iterum erit absolvendus.

[1] L. III. 2. [2] Prax. conf. n. 22.

§ II. *De necessario sciendis et credendis necessitate præcepti.*

260. — Quilibet fidelis, ut vitam instituat christianam, cum ad usum rationis pervenerit, præter ea, quæ scire debet necessitate *medii*, tenetur etiam, necessitate *præcepti*, credere explicite ac scire, crasso saltem modo, summatim et quoad substantiam, — ita quidem ut, qui illa eo modo non sciret, mortaliter peccaret, nisi invincibilis ignorantia aut impotentia eum excuset; — 1) *Symbolum Apostolorum:* ut exigit vel ipsa professio christiana, quia in eo compendiose continetur quidquid de Deo, de Christo et de Ecclesia est præcipue credendum: confirmat praxis fidelium et *Catechismus Romanus;* — 2) *Orationem Dominicam;* hæc enim a Christo præcepta est, continetque omnia a Deo petenda. Addunt *Salutationem Angelicam* ex usu fidelium, sed sub levi ex communi sententia; — 3) *Præcepta Decalogi* et *Ecclesiæ:* ut enim singula observentur, singula cognoscenda sunt; — 4) *Sacramenta* maxime necessaria, ut sunt Baptisma, Eucharistia et Pœnitentia; reliqua, cum quis ea suscepturus est, ut rite illa suscipiat.

Dixi: 1° *Crasso saltem modo, summatim et quoad substantiam* ex S. Carolo Borr.;[2] neque enim omnes tenentur sub mortali prædicta scire memoriter, aut eo ordine et iis verbis, quibus proponuntur in Catechismo; sed quoad *Symbolum, præcepta Decalogi* et *Ecclesiæ*, ac *Sacramenta* sufficit, ut rogati ad singula sufficienter respondeant. — Quoad *Orationem*

[1] Benger. Past. Theol. III. 504.
[2] Instr. ad confessarios et S. Alph. L. II. 3.

Dominicam sufficit, si sciant omnia bona petenda esse a Deo; aiunt enim DD., non esse nisi veniale ea memoriter non tenere, modo interrogati sciant in genere respondere.

Dixi: 2° *Nisi invincibilis ignorantia aut impotentia excuset;* sic excusantur ii quibus aut defuit doctor, aut nunquam venit in mentem obligatio similia addiscendi, aut qui ita rudes sint, ut nullimode possint eadem comprehendere vel memoria retinere; nam impossibilium nulla obligatio.

Dixi: 3° *Cum ad usum rationis pervenerit;* tunc enim incipit obligatio ea addiscendi, cum incipit obligatio se per ea ad finem ultimum dirigendi.

261. — *An absolvi possint qui ea ignorant, quæ scienda sunt necessitate præcepti?*

Resp. Affirm. Si doleant — casu quo ignorantia fuit graviter culpabilis — cum proposito ea discendi, neque alias moniti ea addiscere neglexerint, — quo casu tractandi sunt ut recidivi, — poterunt statim absolvi. Si secus, prius ea addiscant quam absolvantur.

ARTICULUS III.

DE VITIIS FIDEI OPPOSITIS.

262. — Unaquæque virtus vitia habet sibi opposita; ideo et fides. Porro vitia eatenus virtuti fidei adversantur, quatenus vel impediunt quominus acquiratur, et est *infidelitas;* — vel acquisitam extinguunt, sive in parte, et est *hæresis;* — sive in toto, et est *apostasia*, quæ etiam *perfidia* dicitur.

§ I. *De infidelitate.*

263. *Definitio.* — Infidelitas, generatim sumpta, est carentia Fidei in homine non baptizato. Infideles enim dicuntur illi, qui per Baptismum habitum Fidei non susceperunt.

Divisio. Triplex distinguitur infidelitas, scilicet positiva, negativa et privativa.

1° Infidelitas *positiva*, seu *formalis*, est carentia Fidei in eo, cui sufficienter ipsa proposita est, et qui eam positive respuit.

2° Infidelitas *negativa*, seu *materialis*, est carentia Fidei in eo, qui nunquam de vera Religione quidquam audivit, aut cui revelatio aliquatenus quidem proposita fuerit, nondum tamen ita sufficienter, ut ad credendum jam teneatur, licet fortassis teneri possit ad inquirendum.

3° Infidelitas *privativa* est carentia Fidei in eo, qui sibi notitiam Fidei, data occasione, comparare negligit.

Præcipuæ infidelitatis species sunt: *Paganismus*, *Judaismus Mahumetismus*, et aliæ sectæ, quibus adjungi possunt *Deismus*, *Atheismus Pantheismus* et *Rationalismus*, qui nostris temporibus tam late grassatur.

264. PRINCIPIA. — I. *Infidelitas* tum *positiva*, seu *formalis*, — tum etiam, si post suspiciones saltem de inquisitionis necessitate, negligentia graviter culpabilis adfuerit in inquirendo, *privativa*, — est gravissimum peccatum. Ratio est, quia illa explicite, hæc virtualiter continet gravem injuriam et contemptum primæ veritatis, seu auctoritatis Dei revelantis.

II. *Infidelitas* autem *negativa*, seu pure *materialis*, in se non est peccatum, sed tantum pœna peccati. Ratio est, quia non potest esse peccatum, ubi est ignorantia invincibilis. — Insuper constat ex damnatione propositionis 68ae Baii, a Pio V. et Gregorio XIII. proscriptæ. Vide p. XII. — Miserrimi tamen sunt infideles etiam negativi, cum a via salutis longe aberrent. Non tamen præclusam iis viam esse, quæ per *flaminis baptismum* patet, egregie innuit S. Thomas.[1]

§ II. *De hæresi.*

265. *Definitio.* — Hæresis, *proprie sumpta*, est error voluntarius ac pertinax contra aliquam Fidei veritatem ab Ecclesia propositam, in eo qui Fidem recepit.[2]

266. *Divisio.* — Distinguitur hæresis

1° *Formalis*, quæ est hæresis proprie dicta, seu in stricto sensu, vel *materialis*, qua quis adhæret errori sine pertinacia.

2° *Interna*, vel *externa* seu *manifestata*, vel pure *externa*, prout *interne*, aut *externe* tantum, aut utroque modo habetur.

3° *Occulta*, vel *notoria*, prout nemini aut paucis tantum, vel multis nota est.

[1] 1. 2. q. 89. a. 5.
[2] Dist. 15. c. 2. Decr. L. V. T. VII. c. 7.

Ad hæresim refertur apostasia, quæ est totalis defectio a Fide christiana. De ea igitur, sicut de hæresi formali, statuendum.

267. PRINCIPIA. — I. Hæresis *formalis* est semper gravissimum peccatum, sicut ipsa infidelitas. Ratio est, 1° Quia virtus Fidei, utpote theologica, est una ex præcipuis virtutibus, et proinde peccatum ipsi directe oppositum unum est ex gravissimis. 2° Fides est fundamentum justitiæ, sine qua *impossibile est placere Deo;* ergo hæresis, expellendo Fidem, privat hominem omni justitia. 3° Quia hæresis est contemptus auctoritatis Dei revelantis; et sic est directe et immediate contra Deum.

II. Hæresis *pure materialis* vacat omni culpa. Ratio patet ex ejus definitione: supponitur enim quispiam hic et nunc errare ex ignorantia invincibili veritatis: peccatum autem cum tali ignorantia est impossibile. Ergo, etc.

268. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quænam sint signa hæresis materialis et formalis?*

Resp. ad primum. Censendus hæreticus materialis tantum, 1° Qui paratus est se submittere judicio Ecclesiæ, quando errorem agnoverit. — 2° Qui de vera Fide nihil cognovit et de sua Religione nunquam dubitavit. — 3° Qui dubitans, cognoscere studuit veritatem, quantum potuit.

Resp. ad secundum. Hæreticus formalis reputandus est; 1° qui, agnita veritate, adhuc contradicit Ecclesiæ; — 2° qui dubitat, nec vult inquirere, aut avertit malitiose intellectum a motivis auctoritatis; — 3° qui ita comparatus est, ut, etiamsi veritas menti ejus affulgeat, obfirmatum tamen animum gerat in falsâ sectâ suâ perseverandi. — Quodsi quis catholicus animo non ita comparatus est, sed ignorantiam affectet, quia non auderet alioqui se auctoritati Ecclesiæ opponere, et interim vult ignorare, ut sine obstaculo suæ opinioni adhæreat, peccat sane, at hæreticus non erit, cum habeat voluntatem credendi, si doctrina revelata sufficienter ipsi proponatur.[1]

Quær. 2° *An sit hæreticus formalis, qui dubitat de aliquo fidei articulo?*

Resp.; *vel* 1° dubitat de fidei articulo, quia culpabiliter negligit inquirere, utrum sit ab Ecclesia propositus, et, juxta dicta in quæsito præcedenti, peccabit vel etiam erit hæreticus, si nimirum animo ita comparatus sit, ut etiamsi veritatem nosceret, errori vellet adhærere; *vel* 2° dubitat, licet noscat propositionem Ecclesiæ; et tunc iterum distinguendum: *vel* enim a) Romanam Ecclesiam ut divinam ignorat, ut plerique protestantes, et, pro majori minorive culpabilitate ignorantiæ, gravius vel levius peccabit, vel etiam erit hæreticus formalis, si dispositus sit ut supra; *vel* b) est catholicus, et erit hæreticus formalis. Ratio est, quia sic dubitans judicat esse *incertum*, quod Deus jubet credere *ut certum;* ergo æque negat summam Dei veritatem ac ille, qui judicat falsum, quod Deus jubet credere ut certum.

Quær. 3° *Quid judicandum de iis, qui opinionibus adhærent ab Ecclesia leviori censura, quam hæresis notatæ?*

Resp. Per se non sunt *hæresis* rei; at certe mortaliter peccant.[1] — Dixi: *per se;* nam ejusmodi opinionibus adhærentes *virtualiter* Ecclesiæ infallibilitatem negant, cujus negationis si sibi conscii sint, hæresis rei sunt.

[1] L. VII. 301.

CAPUT II.

DE SPE.

269. — Spes est virtus supernaturalis, per quam certa cum fiducia ex Dei promissione expectamus futuram beatitudinem, et media ad illam consequendam.

Objectum *materiale* Spei primarium est Deus possidendus, juxta illud:[2] "*Ego ero merces tua magna nimis.*" Objectum vero secundarium sunt omnia media ad beatitudinem consequendam necessaria, ut remissio peccatorum, gratia Dei per merita Christi, etc. . . .

Objectum autem *formale* Spei est bonitas et fidelitas Dei cum ejusdem omnipotentia conjuncta.

Actus autem, in Spe inclusi, sunt desiderium beatitudinis æternæ, firma fiducia ad illam perveniendi, et erectus contra occurrentes difficultates animus.

[1] Dublin Review, January, 1872, p. 16. S. Alph. L. I. 104. Scavini, Tom. II. n. 999. 1063.

[2] Gen. 15. 1.

Peccata vero Spei opposita sunt desperatio et præsumptio. Prior est diffidentia voluntaria obtinendi beatitudinem, et media ad eam assequendam necessaria. — Posterior vero est inordinata fiducia beatitudinis obtinendæ sine mediis a Deo ordinatis.

270. PRINCIPIA. — I. Spes in adultis requiritur de *necessitate medii* ad justificationem. Homo enim ad Deum finem suum ultimum consequendum pervenire nequit, nisi propriis actibus in ipsum tendat: hoc autem sine spe fieri non potest. Constat etiam ex Conc. Trid.[1]

II. Spes necessaria est etiam *necessitate præcepti;* siquidem datur verum præceptum eliciendi actus Spei aliquoties in vita. Constat ex propositione 1ª ab Alexandro VII. damnata (v. p. XIII.), et ex communi DD. sententia.

Obligat autem hoc præceptum *per se,* sicut præceptum fidei; 1) *initio usus rationis,* quando nempe æterna beatitudo sufficienter proposita sit tanquam finis, ad quem unusquisque tendere debeat; — 2) *in periculo mortis,* ut videlicet contra tentationes tunc exurgere solitas roboretur, et in Deum, ultimum finem mox consequendum, feratur; 3) juxta S. Alph.[2] saltem semel quolibet anno; difficile enim est sine actu spei tanto tempore in gratia perseverare. Sufficit tamen, ut fides, ita et spes virtualis (n. 248. 3°).

Obligat sicut præceptum fidei *per accidens;* 1) quando *ex præcepto* eliciendus est actus aliarum virtutum, v. g. orationis, quæ sine actu spei exerceri nequit; 2) quando *urget tentatio,* et adsit periculum consentiendi, nisi spes animum erigat; 3) quando christianus in *mortale lapsus est,* et ad justificationem eniti tenetur;[3] 4) quando versatur in periculo desperationis; ad hoc enim periculum superandum medium necessarium est spes.

271. QUÆSITA. — **Quær. 1°** *Quot modis committatur peccatum præsumptionis?*

Resp. Præcipue 1° Si præsumas vitam æternam propriis viribus obtinere; 2° si eam exspectes sine labore, ex sola Dei misericordia.[4]

Quær. 2° *An possit dari materiæ parvitas in peccatis contra Spem?*

Resp. 1° *Affirm.,* quoad præsumptionem, etsi gravis sit ex genere suo.

Resp. 2° *Dist.,* quoad desperationem; *Neg.,* si sit perfecta et proprie dicta; *secus,* si sit imperfecta, ut sæpe in tristitia et impatientia accidit.

272. — **Quær. 3°** *An sit peccatum contra Spem cupere perpetuo in hoc mundo vivere, aut e contrario ex tædio mortem exoptare?*

Resp. ad primum. Affirm., quia qui illud cupit, sistit in vita temporali, tanquam in fine ultimo. — Ita *communiter.*[1]

Resp. ad secundum. 1° Non est contra Spem *per se,* quia non est recedere a fine ultimo; 2° nec generatim excedit peccatum veniale, nisi adsit rebellio expressa contra ordinem divinæ Providentiæ.

Quær. 4° *An sit præsumptio* 1) *ob spem veniæ;* 2) *cum spe veniæ,* a) *peccare facilius,* b) *in peccato perseverare,* c) *peccatum iterare?*

Resp. ad 1ᵐ *Affirm.,* si illud: *ob spem veniæ,* ita intelligas, ut spes veniæ *causa* sit cur quis facilius peccet, aut in peccato perseveret, aut peccatum iteret. Non est tamen confundendum peccatum, ob spem veniæ iteratum, cum peccato, ideo præcise iterato, quia tam facile pluries quam semel commissum in confessione accusatur, quamvis hæc sit prava dispositio, Deo maxime injuriosa.

Resp. ad 2ᵐ *Neg.,* si illud: *cum spe veniæ,* hoc sensu accipias, ut spes veniæ, per media propria aliquando obtinendæ, *comitetur tantum* peccantem dum peccat, aut in peccato perseverat, aut peccatum iterat, quin tamen sit ratio seu motivum ad peccandum influens. Ejusmodi tamen homines, *si perseverent in peccato,* difficulter excusantur a peccato gravi contra caritatem erga seipsos, cum ex communi DD. consensu magno periculo damnationis se exponant.[2]

273. — **Quær. 5°** *Quænam sint remedia desperationis?*

Resp. Præcipua sunt sequentia: 1° consideratio bonitatis et misericordiæ infinitæ Dei; — 2° frequens recordatio eorum hominum, qui post plurima et gravissima peccata veniam consecuti sunt; — 3° meditatio parabolarum Sancti Evangelii, præsertim *ovis perditæ;* — 4° devotio specialis erga B. Virginem refugium peccato-

[1] Sess. 6. c. 6. [2] H. A. Tr. IV. 13. [3] Trid. Sess. 6. c. 6. [4] L. III. 21.

[1] L. III. 20. [2] Ib. 21.

rum; — 3° fiducia in Christum pro nobis cruci affixum, etc.

274. *Regulæ practicæ.* — *Prima.* Dispiciat confessarius, ex qua potissimum radice desperatio in pœnitente oriatur, ut congrua remedia pro diversa causa applicare possit. — Plerumque autem nasci solet proxime ex apprehensione certæ damnationis. Remote vero 1° ex *acedia*, qua quis media salutis nimis gravia putat, et proinde ab iis adhibendis deterretur; 2° ex *luxuria* aut aliis inveteratis peccatis, quæ mentem a cœlestibus avertunt, et ob difficultatem emendationis ad desperationem adducunt; 3° ex *melancholia*, quæ inclinat ad tristitiam, et avertit a fiducia, quæ gaudium animi generare solet; 4° ex *scrupulis*, quibus anima dejicitur et opprimitur.

Secunda. Pœnitentes desperationi dediti a confessario cum magna circumspectione, prudentia et patientia sunt moderandi, juxta diversitatem ingeniorum et varium desperationis genus. Alio enim modo dirigendi sunt, qui ex malitia, vel ex peccatorum pondere et flagitiosa vita in desperationem acti sunt; alio, qui ex pusillanimitate, vel ex diabolica tentatione ad eam impelluntur.

Tertia. Non statim prima fronte judicandi sunt velut desperatione abstracti pœnitentes, qui se tales exhibent, præsertim si christiane vivant. Inveniuntur enim animæ etiam devotæ, quæ tentationibus desperationis prope continuis exagitantur; nec facile credendum est, eas peccasse, præsertim graviter, quamvis putent se illis consensum præbuisse; sicut nec nimius timor de periculo salutis cum desperatione proprie dicta confundendus est.

CAPUT III.

DE CARITATE.

275. — *Caritas* est virtus, qua diligimus Deum tanquam summum bonum propter seipsum, et proximum propter Deum. — Caritas est omnium virtutum præstantissima, quia Deum modo perfectissimo attingit. Hinc,[1] "*Nunc manent Fides, Spes, Caritas, tria hæc; major autem horum est Caritas.*"

Objectum *formale* Caritatis est bonitas divina. *Materiale* vero primarium Deus, secundarium nos ipsi et proximus.[1]

Distinguitur 1° Amor Dei *intensive* vel *appretiative* summus; 2° Amor *benevolentiæ*, qui proprium bonum amati respicit; amor *amicitiæ*, qui est amor benevolentiæ mutuus; et amor *concupiscentiæ*, qui intendit primario bonum proprium amantis.

Agendum 1° de amore Dei, 2° de amore proximi.

ARTICULUS I.

DE AMORE DEI.

1° Datur præceptum *speciale* diligendi Deum super omnia tum affectu interno per veram cordis dilectionem, tum etiam opere externo. — Constat ex verbis Christi,[2] "*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo . . . hoc est maximum et primum mandatum.*"

2° Præceptum hoc, prout *affirmativum*, obligat ad Deum amandum super omnia *appretiative*, i. e. ita ut reipsa bonis omnibus præferatur, ut patet ex lege naturali; non autem necessario *intensive*, i. e. affectu intensiori, quam quodlibet aliud, quia *essentia* caritatis non in gradibus consistit.

277. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quandonam urgeat præceptum caritatis?*

Resp. 1° *per se* sicut præceptum fidei et spei; a) *initio usus rationis*, seu quando homo adeptus est sufficientem cognitionem Dei infinite boni; b) *in articulo mortis*, quando instat tempus, quo homo se Deo unire debet et *recta* ad illum via eligenda est; c) *sæpius in vita.* Quoties vero in vita, non una est omnium sententia. S. Alph.[3] magis arridet opinio Cardenas, qui docet a mortali eum excusari difficulter posse, qui actum caritatis differt ultra mensem; quam sententiam uti valde salutarem omnino putat *suadendam;* cum revera difficulter possit homo diu christiane vivere, divina mandata servando, nisi dilectionem erga Deum foveat frequenter et nutriat; nutrire autem et fovere eam non poterit, nisi per actus

[1] 1 Cor. 13. 13.

[1] L. III. 22. 24. [2] Matth. 22. 37.
[3] L. III. 8 et H. A. Tr. IV. 13.

caritatis. Notat tamen Croix esse veros actus amoris omnia opera meritoria exercita ex intentione placendi Deo, uti est eleemosyna. Item sufficere, si tales actus ad alia præcepta implenda eliciantur, ut ad confitendum; cum exercite impleatur præceptum, etsi ad illud non advertatur.[1] Imo quoties in Dominica Oratione ex corde illa proferuntur verba: *sanctificetur nomen tuum; fiat voluntas tua*, actus perfectæ caritatis satis eliciuntur. Ideo fideles timorati anxii esse nullimode debent quoad hujus præcepti adimpletionem.[2]

Resp. 2° *per accidens:* a) Si adsit periculum labendi in mortale, nisi actus caritatis eliciatur, vel aliter superari nequeat tentatio gravis; qui enim tenetur ad finem, obligatur etiam ad media necessaria; — b) cum urget præceptum contritionis, ut si necesse sit celebrare sacerdoti, copiam confessarii non habenti et gravis peccati sibi conscio; nam in actu perfectæ contritionis includitur caritas.

Quær. 2° *An satisfiat præcepto caritatis per attritionem in susceptione Sacramenti Pœnitentiæ?*

Resp. Neg., quia attritio non fit principaliter ex amore Dei, sed suî, et proinde in ea deest motivum principale caritatis.

ARTICULUS II.

DE AMORE PROXIMI.

Agendum 1° de præcepto amoris proximi in se; 2° de operibus caritatis ex illo implendis; 3° de vitiis caritati proximi oppositis.

§ I. *De præcepto amoris proximi in se.*

1° Erga omnes in genere; 2° erga inimicos in particulari.

Punctum I. De præcepto Caritatis erga omnes in genere.

278. PRINCIPIA. — I. Datur præceptum diligendi proximum vero et interno affectu. Constat 1° ex lege naturali, quia etiam in proximo viget idem motivum formale dilectionis, scilicet *bonitas* Dei participata; omnes enim homines sunt Dei creaturæ, ad ejus imaginem conditi, atque amicitiæ Dei et æternæ beatitudinis capaces; ergo sicut Deum amare, ita et proximum diligere propter Deum debemus. — 2° Constat ex Scriptura Sacra:[1] "*Diliges proximum tuum sicut teipsum.*" — 3° Constat etiam ex damnatione propositionis 10ae ab Innoc. XI. (v. p. XV.).

Qui vero christiane vivit, sufficienter satisfacit huic præcepto, quoad actum internum orando pro proximo, vel recitando Orationem Dominicam. Quoad actus vero externos satisfacit proximi necessitatibus sive temporalibus, sive spiritualibus succurrendo, juxta regulas infra statuendas.

II. Ordo aliquis caritatis servandus est in proximi dilectione; objecta enim, quæ caritas complectitur, non sunt æqualia; ergo nec æqualiter diligenda. Hic vero ordo totus in eo situs est, ut unicuique subjecto diligibili suum convenientem locum assignemus, habita nempe ratione tum bonorum, tum necessitatis, tum personarum.

1. Habenda est ratio *bonorum;* neque enim bona sunt omnia ejusdem præstantiæ. Hic etenim est eorum ordo, ut 1m locum teneant (et ideo ante omnia procuranda sint) bona spiritualia; 2m naturalia intrinseca, ut vita, sanitas, integritas membrorum; 3ium naturalia extrinseca, ut fama et honor; quibus ultimo loco addendæ divitiæ utpote inferioris ordinis. Item bonum commune præferendum est privato.

2. Habenda est ratio *necessitatis*, quæ diversa esse potest sive spiritualis, sive temporalis sit. Triplex autem distinguitur: — *Extrema*, ut cum quis sine alterius auxilio se nequit liberare a periculo damnationis, vel a morte aut alio malo ferme æquali. — *Gravis*, ut cum quis, nisi adjuvetur ab alio, difficillime effugere valet periculum animæ vel vitæ corporis, alteriusve gravis mali. — *Communis* seu mediocris, in qua quis sibi providere potest sine magna difficultate: in hac versantur, in ordine spirituali, ordinarii peccatores, qui, si vellent aliquem conatum adhibere, e pravo statu resurgere possent. In ordine vero temporali in ea sunt generatim pauperes mendicantes, quibus vita, pro

[1] L. III. 8. et H. A. Tr. IV. 13.
[2] Cfr. si lubet, Vind. Alph. p. 145. sq.

[1] Matth. 22. 39.

eorum conditione, non habetur ut nimis molesta.

3. Habenda est ratio *personarum;* nam diversorum dilectio mensuranda est secundum diversam rationem *excellentiæ* ac *conjunctionis* personæ diligendæ.

279. — *Regulæ speciales ordinis caritatis* EFFECTIVÆ *seu* SUBVENTIONIS ex communi theologorum doctrina hæ sunt:

1ª *Regula.* Quisque tenetur absolute loquendo, in pari necessitate, seipsum magis quam proximum diligere, quoad bona ejusdem ordinis, juxta illud: *caritas bene ordinata incipit a semetipso;* nam nemo magis proximus est, quam quisque sibi; idque clarum est præterea ex omnium inclinatione naturali et invincibili. Atque ideo; 1) tenemur magis diligere animam nostram quam animam proximi; ac propterea nunquam licebit peccare nec graviter, nec leviter ad consulendum alterius saluti. *Probabili* tamen, non *certo*, periculo peccandi se exponere justa de causa licebit. Sic e. g. medicis et sacerdotibus *licet* legere et tractare materias periculosas, et in extrema necessitate spirituali proximi, e. g. si alias infans sit certo moriturus absque baptismo, *oportebit* se eidem exponere; — 2) tenemur regulariter vitam nostram præferre vitæ proximi. Dixi: *regulariter;* nam privatus a) *tenetur* vitam exponere certo periculo pro republica, vel pro servanda vita personæ bono publico omnino necessariæ (n. 278. II. 1), b) *potest* ex motivo virtutis vitam exponere pro vita alterius privati. Neque enim caritatis ordo hoc in casu læditur, cum non præcise vita proximi, sed bonum virtutis vitæ nostræ tunc præferatur.

2ª *Regula.* 1° Si proximus sit in extrema *necessitate spirituali,* ei succurrendum est etiam cum periculo vitæ nostræ; quia vita æterna proximi bonum est excellentius vita nostra temporali. Hinc teneris cum vitæ tuæ damno infantem moriturum baptizare. Item si scias aliquem in mortali existentem in somno, vel nil cogitantem interficiendum fore. Excipe si, *vel* a) non adsit spes moraliter certa proximum salvandi; unde non tenetur mater vitæ periculum subire, ut proles baptizetur, cum incertum est an hæc ad baptismum sit perventura, *vel* b) alius adsit qui *possit et velit* ei succurrere, *vel* c) gravius malum inde timeatur, ut si is, qui vitam exponit pro fratre, sit necessarius pro bono communi. Ratio harum exceptionum per se patet.

2° Si proximi necessitas sit *temporalis,* non teneris ad media valde difficilia aut fere moraliter impossibilia, v. g. ad erogandam ei extraordinariam pecuniæ summam, licet sis dives; quia licet in ejusmodi temporali necessitate caritas obliget cum *magno* etiam incommodo, non tamen cum *maximo.*

3ia *Regula.* Si proximus sit in *gravi necessitate* sive spirituali, sive temporali, nemo ei *per se* tenetur succurrere cum gravi incommodo; nam quando alter *absolute* potest se a periculo liberare, non videtur caritas nos obligare ad illi subveniendum cum tanta difficultate, cum tunc proximus vere dici nequeat in casu *necessitatis,* utpote non ineluctabilis. Dixi: 1) *per se;* nam teneretur etiam cum periculo vitæ, qui ad id obligaretur; *vel* ratione officii, uti animarum Pastores; — *vel* ratione delicti, uti si quis hæresim docuisset; — *vel* si necessitas illa gravis sit publica; quia necessitas gravis publica solet semper esse conjuncta cum extrema aliquorum privatorum. Hinc si quis hæresim alicubi spargat, teneris cum periculo vitæ impedire, si id efficaciter possis, et nemo alius impediat. Item si in persecutione vel hostili incursione plebs aliqua careret sacerdote, et aliunde esset exposita gravibus periculis peccandi, teneris item cum periculo vitæ illi opitulari. Dixi: 2) *cum gravi incommodo;* nam quisque tenetur proximo, in gravi necessitate constituto, subvenire cum mediocri incommodo, ut res ipsa loquitur.

4ª *Regula.* Si proximus versetur in *necessitate communi* sive spirituali, sive temporali, utique adjuvandus erit, quia id amor proximi exigit; sed *per se* loquendo non potest adesse nisi levis obligatio; nam proximus ipse se *sat facile* a tali necessitate potest liberare, neque est illi adeo molesta.

5ª *Regula.* Si demum comparatio instituatur inter diversas personas, in *pari* necessitate debemus extraneis præferre consanguineos, aut alia ratione conjunctos; quia caritas ordinem naturæ non mutat, sed perficit. — Dixi: *in pari necessitate;* nam cum obligatio proximo succurrendi non existat nisi ratione neces-

sitatis in qua versatur, patet majorem esse obligationem, ubi major est necessitas. — Inter conjunctos autem semper præferendi sunt conjunctiores secundum varios eorum gradus, habita ratione necessitatis et bonorum, quæ debita sunt tali conjunctioni, et in quibus ea fundatur. Hinc in necessitate gravi: 1) præferenda est uxor; quia est una caro cum viro, et liberorum principium; 2) filii, quia sunt conjunctiores, cum de substantia parentum procedant; 3) parentes, qui post dictos ad vitæ societatem et reipublicæ augmentum concurrunt; 4) fratres, sorores, propinqui, domestici, concives atque commilitones. Dixi: *in necessitate gravi;* nam si necessitas sit extrema, probabilius non bonum familiarum, sed vitæ attendendum est. Unde tunc omnibus sunt præferendi parentes propter principii eminentiam; et quidem pater præferendus est matri, utpote principium nobilius; dein veniunt conjux, filii, etc. S. Thomas.[1]

Nota. — Per *accidens* fieri potest, ut alteri sit præferendus is, qui *naturaliter* foret postponendus. Sic mater bona et proli utilis præferri potest patri malo et qui proli sit nocivus. Item filius rei domesticæ necessarius uxori inutili et clamorosæ.

280. QUÆSITA. — Quær. 1° *An pœnitentes interrogandi sint de debita animæ vel corporis cura neglecta?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Nam vel agitur de animæ damno sibi accersito per culpas; et non magis exprimi debet, quam in peccato, v. g. furti, exprimenda sit caritatis aut obedientiæ erga Deum violatio; vel agitur de omissione mediorum, quibus culpæ præcaveantur; et cum hæc obligatio non distinguatur ab obligatione servandi præcepta, talis negligentia per confessionem aliorum peccatorum satis exprimitur. Lugo.[2] — Si vero agatur de damnis vitæ aut corpori illatis, etsi caritatis erga se obligatio distinguenda videretur ab obligatione, quam præceptum quintum decalogi imponit ratione divini dominii in vitam corpusque nostrum; tamen cum morborum causæ ut plurimum non sint proximæ et immediatæ, fere gravem reatum non inferunt, nisi tamen morbi ex causis licet remotis certo prævisi fuerint.

Quær. 2° *An sit contra Caritatem sibi mortem optare ob vitæ infortunia?*

Resp. 1° *Neg.*, si fiat ex desiderio vitæ melioris, seu æternæ felicitatis, ut perspicuum est.

Resp. 2° *Affirm.*, si fiat ex tædio vitæ, vel ex animi dejectione. Non tamen peccant, qui mortem cupiunt, quando vita tam molesta fiat, ut ipsa morte durior æstimetur. — Secus, si fiat levi quavis de causa. Mulierculæ tamen ob minimas molestias sibi mortem optantes, plerumque, defectu advertentiæ et deliberationis, a mortali non improbabiliter excusantur.[1]

Quær. 3° *An sit contra Caritatem malum temporale proximo desiderare, vel de eo gaudere, ob bonum finem?*

Resp. 1° *Neg.*, si debitus ordo Caritatis servetur, id est, si fiat ob majus bonum, vel ob minus malum. Hinc id licitum est, 1° ob bonum spirituale proximi ipsius; 2° ob bonum commune, vel spirituale, vel temporale; 3° ob bonum etiam plurium, multo majoris momenti, v. g. familiæ, communitatis, etc.[2] — Cæterum talia desideria in perfectiora commutari facile et utiliter possunt.

Resp. 2° *Affirm.*, quando caritatis ordo pervertitur. Hinc non potest uxor desiderare mortem mariti, ex eo quod injuste ab eo male tractetur, nec filiæ suæ, quia ob deformitatem vel paupertatem nubere nequit. Constat ex damnatione propositionum 13ae, 14ae 15ae, ab Innocentio XI.[3] — Vide p. XV. cfr. Vind.[4]

Punctum II. De præcepto caritatis erga inimicos in particulari.

281. *Prænotanda.* — 1) Inimicus intelligitur, qui immerito læserit, vel odio prosequatur. Læsio autem modo *meram offensam* importat, quando nempe per molestiam voluntati alterius illatam, citra tamen alicujus juris violationem, animus illius irritatur, et merito ad displicentiam, indignationem, iramque provocatur: modo importat etiam *injuriam*, quando scilicet agitur non solum contra voluntatem, sed etiam contra jus alterius. Per *meram offensam* caritas, per *injuriam* justitia violatur.

[1] 2. 2. q. 26. a. 9.
[2] De Pœnit. Disp. 7. n. 242; et Disp. 15. n. 56.

[1] L. III. 30.
[2] Ib.
[3] Ib.
[4] pp. 135–145.

Insuper injuria vel nullum damnum infert, — uti, v. g. si nemine alio præsente cuipiam contumeliam dicas, — vel detrimentum affert in bonis aut personæ aut fortunæ. In primo casu debetur satisfactio, saltem ex justitia vindicativa, et in foro externo datur ipsi actio injuriarum; in altero debetur læso etiam restitutio, adeo ut in foro externo detur ipsi tum actio civilis ad suum recuperandum, tum actio criminalis ad vindicandum scelus.

2) Dilectionis signa vel sunt *communia*, vel *specialia*. *Communia* dicuntur ea, quæ aliis ejusdem status præstari solent, quæ tamen diversa sunt, prouti diversa conjunctionis ratione quidam inter se devinciuntur. Hinc alia sunt signa communia, v. g. inter fratres aut inter ejusdem monasterii seu collegii alumnos; alia inter confamulos aut condiscipulos; alia inter concives aut commilitones; alia demum, quæ homo cuilibet homini ex caritate debet.

Specialia sunt, quæ particulariter exhibentur aliquibus personis ratione cujusdam conjunctionis seu amicitiæ aut familiaritatis, quæ non est ad omnes ejusdem alioquin conditionis. Sic non modo inter homines, nullo alio ceteroqui vinculo constrictos, sed etiam inter consodales cujusvis communitatis seu cœtus seu collegii fere contingit, ut quispiam uni amicior aut familiarior quam alteri existat.

282. *Regulæ.* — I^a. Debentur, *per se*, inimicis signa communia, quia eorum denegatio esset actus vindictæ et manifestatio odii, quod caritati, quæ etiam inimicis debetur, adversatur. Hinc

1) Non licet inimicos ab orationibus excludere, v. g. ab Oratione Dominica, imo speciatim pro ipsis orandum esset, si unicum hoc medium offenso suppeteret ad odium restinguendum.

2) Non licet inimicos excludere a communibus eleemosynis, resalutatione, responsione, expositarum mercium venditione, quia hæc sunt signa communia dilectionis. — Ita *communiter*.

3) Peccant, qui inimico in necessitate non subveniunt, aut grave ejusdem damnum non impediunt, cum facile possunt.

II^a. Non debentur *per se* inimicis signa specialia dilectionis, v. g. eos hospitio vel convivio excipere, ægrotos visitare, mœstos consolari. Hæc enim non ex debito, sed ex liberalitate procedunt. Dixi tamen: *per se*; nam *per accidens* aliquando debentur, nimirum 1) si eorum omissio esset scandalosa, ut si inimici essent superiores, vel jam prius sibi talia signa exhibuissent; 2) si per aliquod dilectionis signum posses sine tuo gravi incommodo inimicos et Deo reconciliare et tibi; 3) si signa, quæ solent ut specialia enumerari, ratione status seu conditionis aut officii revera sint communia; ut si quis qua medicus infirmos visitare, eisque inservire, aut qua caupo peregrinos excipere mensa et hospitio debeat, etc.

III^a. Non modo offensa inimico condonanda ita est, ut injustæ vindictæ desiderium abjiciatur, et communia dilectionis signa non negentur; sed veniam petenti, et congruam injuriæ, si qua intercessit, satisfactionem exhibenti particularia quoque specialis dilectionis signa quædam, si qua prius dari solebant, generatim loquendo non sunt omnino abnuenda.

Hinc peccant, qui inimicum reconciliari volentem declinant, eo præsertim advertente et graviter sentiente, aut invitati ire cum eo recusant, nisi tamen metu rixarum, aut novi rancoris, vel alia justa causa excusentur. Item qui veniam recusant, vel satisfactionem convenientem non acceptant, aut majorem æquo exigunt, vel qui rem in judicium deferunt ex odio et vindicta.

IV^a. Nunquam licet odio *proprie dicto* seu *inimicitiæ* proximum prosequi. Hinc non sunt absolvendi, saltem ordinarie, qui, quamvis dicant se condonare, recusant tamen inimicum alloqui, nisi id recordationi et horrori injuriæ ignosci possit. A fortiori qui asserunt, ne verbum quidem se illi unquam dicturos esse; isti enim animi prave dispositi suspicionem merito injiciunt.

Non est tamen confundendum odium inimicitiæ cum odio *abominationis* seu *qualitatis*, aut *defectus*, vel cum aliqua tantum animi aversione naturali et invincibili. Cavendum tamen est, ne abominatio qualitatis, indolis, etc. in personæ odium paulatim degeneret.

283. Quæsita. — Quær. 1° *An liceat pœnam publicam optare inimico, imo et eam expetere?*

Resp. Affirm., per se, si absit omnis

vindictæ affectus; sed in praxi hoc periculosum est, et hallucinationi facile obnoxium, ut advertit S. Alph.[1]

Quær. 2° *Qualis ordo servari debeat in reconciliatione facienda?*

Resp. 1° Qui alium offendit, debet prior, *per se*, media ad reconciliationem adhibere, ut dictat naturalis æquitas.

2° Si offensio sit mutua et æqualis, qui prior offendit, prior reconciliationem promoveat; si vero sit inæqualis, præeat qui gravius offendit. Cæterum absolutæ regulæ assignari nequeunt, sed circumstantiæ spectandæ sunt. — Ita *communiter*.

Quær. 3° *An detur obligatio inimicum obvium salutandi?*

Resp. Neg., per se, quia salutatio et colloquium non sunt signa communia proximo debita. Secus tamen dicendum est, si adjuncta status, conditionis, aliave similia postulent, ut omnes indiscriminatim sese salutent, vel agatur de subdito erga superiorem suum.[2]

Quær. 4° *An offensor a læso veniam petere debeat?*

Resp. Affirm., per se, nisi aliud medium vel modus reconciliationis magis conveniens suppetat, v. g. varia officia aut beneficia præstando, aut nisi ad placandum offensum nihil prodesse veniæ petitio videatur. Excipiunt etiam, si offensor offenso longe superior sit, aut si offensus prudenter censeatur id condonare. Sed alia non desunt media offensum placandi. — Ita *communiter*. — Lacroix,[3] Tambur., etc.

Quær. 5° *Duo (puta juvenes collegialiter viventes, vel religiosi, etc.) se invicem salutabant, et passim colloquebantur; post rixam nec se salutant, nec colloquuntur: peccentne?*

Resp. Dist. Si inde sequatur scandalum sive inter ipsos, sive in communitate, prout ordinarie accidit, peccant mortaliter vel venialiter pro quantitate scandali. — Si non sequatur scandalum, saltem veniale peccatum non evitant, et ne mortale quidem, si non se habeant ad invicem sicut ad cæteros confratres. Ita Billuart et Varceno.[4]

Quær. 6° *An peccent parentes, qui filio aut filiæ, licet veniam petenti, recusant tum colloquium, tum aspectum, ob matrimonium ab his contra eorum rationabilem voluntatem initum?*

Resp. Dist. Vel ad longum tempus recusant, et in perpetuum recusare intendunt, *vel* ad breve tempus tantum. — Si prius, peccant graviter, ut per se patet. — Si posterius, non peccant casu, quo sic agunt in emendationem filii aut filiæ, vel in delicti pœnam, aut aliorum filiorum exemplum. Ita Laymann, Diana et alii apud Varceno.[1]

[1] L. III. 29. [2] L. III. 28.
[3] L. II. 189.
[4] Comp. Tr. VIII. p. 308 (ed. 1872).

§ II. *De operibus misericordiæ.*

Opera misericordiæ alia sunt corporalia, uti cibum pauperi præstare, nudos operire, etc.; — alia spiritualia, ut peccantes corrigere, ignorantes docere, mœstos consolari, etc. Speciatim de duobus tantum dicemus: 1° de eleemosyna: 2° de correctione fraterna, prout ad præceptum Caritatis referuntur.

Punctum I. De eleemosyna.

284. — Principia. I. Datur vere præceptum eleemosynam indigentibus erogandi. Constat 1° ex lege naturali, scilicet ex lege generali Caritatis, qua obligamur ad proximum diligendum, et consequenter ad opem illi in necessitate ferendam (n. 278). — Constat 2° ex Scriptura Sacra. "*Eleemosynam pauperis ne defraudes*";[2] et "*Discedite a me, maledicti, in ignem æternum . . . esurivi enim et non dedistis mihi manducare; sitivi, et non dedistis mihi potum.*[3]

II. Generatim ex S. Thoma[4] aliquid considerandum est ex parte *dantis*, nimirum ut id, quod est in eleemosynas erogandum, sit ei superfluum; et aliquid ex parte *recipientis*, scilicet ut necessitatem patiatur.

III. *Superfluum* ex parte dantis duplex distinguitur, *vitæ* nimirum et *statui*. *Superfluum vitæ* dicitur illud, quod non sit necessarium ad tuam, et aliorum, quorum cura tibi demandata est, vitam conservandam. *Superfluum statui*, quod non est necessarium sive ut quis cum iis, quorum cura sibi demandata est, decenter vivat secundum conditionem status, in quo hic et nunc versatur, sive ut moderate hanc conditionem meliorem reddat.

[1] Comp. Tr. VIII. p. 308. [2] Eccli. 4. 1.
[3] Matth. 25. 42. [4] 2. 2. q. 32. a. 5.

IV. *Necessitas* ex parte recipientis triplex esse poterit, scilicet, *extrema*, *gravis*, *communis*.

285. *Regulæ.* — I^a. *In extrema necessitate* proximo succurrendum est ex bonis *vitæ superfluis*; at ex iis *solis*. — *Ex vitæ superfluis*: cum rectus caritatis ordo exigat, ut vita proximi prævaleat bono nostro longe inferiori. — *Ex iis solis*, cum non exigat, ut nostræ nostrorumque vitæ alienam præferamus, prout fieret, si ex vitæ necessariis ei succurreremus.

II^a. In necessitate *gravi* et *communi* proximo succurrendum est ex bonis *statui superfluis*.

Dico: 1° *Succurrendum est*; præceptum enim eleemosynæ respicit non tantum necessitatem extremam, — quæ rarissima est, — et gravem, — quæ rarior, — sed etiam et maxime quidem communem, quæ frequens. *Ita omnes.*

Dico: 2° *ex bonis statui superfluis*; neque enim præter superflua vitæ alia sunt, ex quibus proximo succurratur.

III^a. *Quantitas eleemosynæ*; — a) *Sufficiens* ea est, qua proximo pro gradu necessitatis præsentis satis succurritur; — b) *stricte præcepta* in necessitate, 1) sive *gravi*, sive *extrema* dici non potest magna pecuniæ summa (n. 279. 2^a Reg. sub 2°), 2) *communi* juxta S. Alph., quinquagesima pars, seu 2% redituum superfluorum. Nam si singuli divites illam quantitatem in pauperes erogarent, jam satis esset ad occurrendum communibus necessitatibus.

Peccant igitur divites, qui pauperes, ubi publicis stipendiis non aluntur, semper dure a se repellunt, et reservant omnia superflua ad statum altiorem acquirendum. Nam alioqui tam modica eleemosyna, quæ superius recensita est, honestum ascensum ad statum superiorem impedire non potest. — Item peccant medici, causidici, etc. operam pauperibus, quibus publica auctoritate non provideretur, gratis impendere recusantes.

286. Quæsita. — Quær. 1° *An sub gravi obliget præceptum eleemosynæ?*

Resp. 1° *Affirm.*, in extrema vel quasi extrema necessitate. Ita *omnes*.

Resp. 2° *Affirm.*, juxta S. Alph.[1] etiam in gravi, et si de pauperibus in genere, et non de aliquo particulari agatur, in communi quoque. Ratio est, quia cum in Scriptura *frequenter* damnentur homines ob neglecta opera misericordiæ, gravis horum obligatio non est restringenda ad extremam, seu *rarissimam*, vel ad gravem, seu *raram* necessitatem. — Non *facile* tamen absolutio neganda est diviti omnes, qui in communi necessitate versantur, inhumaniter a se repellenti, cum divites quasi semper rationes excusantes proferant, quas in praxi confessarius non *facile* ut inanes rejicere poterit.[1]

Quær. 2° *Quibus pauperibus danda sit eleemosyna?*

Resp. Vere pauperibus, — petentibus tamen, — et, quin excludantur peregrini aut acatholici. Dico: 1) *vere pauperibus*, non vero laborare nolentibus; hi enim dici non possunt vera aliqua necessitate premi. — Dico: 2) *petentibus tamen*; nimirum cum facile petere possunt. — Dico: 3) *quin excludantur peregrini aut acatholici*, servato tamen recto Caritatis ordine, et, nisi justa de causa obtinuerit alicubi mos vel statutum pauperes peregrinos a civitatibus arcendi, ut scilicet a suis civibus alantur.

Quær. 3° *Ex quibus bonis dari debeat aut possit eleemosyna?*

Resp. 1° Ex propriis, quorum quis liberam habeat administrationem. Dico: 1) *ex propriis*. Igitur non ex bonis restitutioni obnoxiis; — non cum damno creditorum; — non filii ex bonis propriis parentum; — non famuli ex bonis herorum. — Possunt tamen tutores et curatores ex bonis sibi commissorum dare modicas illas eleemosynas, quas dare deberent ii, quorum bona administrant, cum personam eorum gerant. — Dico: 2) *quorum quis liberam habeat administrationem*. Hinc uxor non potest dare *extraordinarias*, sine mariti consensu, nisi ex bonis omnino propriis, quorum scilicet dominium et administrationem habet et fructus percipit. *Ordinarias* tamen et valde communes dare potest ex bonis domesticis juxta morem uxorum suæ conditionis.

Resp. 2° Ex alienis, dum, vel 1) pauper est in necessitate extrema et non possis dare ex tuo; [2] vel 2) dominus consentit aut consentire rationabiliter præsu-

[1] L. III. n. 31.

[1] L. III. n. 32. Cfr. Vind. pp. 152–165.

[2] L. III. n. 33.

mitur. Hinc filii possunt largiri valde tenues, et famuli panem et similia.

Punctum II. De correctione fraterna.

287. *Definitio.*— Correctio fraterna est admonitio, qua quis ex caritate alium a peccato revocare conatur. Dicitur: *qua quis ex caritate;* differt igitur ab ea quæ fit *ex officio*, quæ duplex distinguitur, altera videlicet *judicialis*, quæ fit auctoritate *publica* atque ad bonum commune; altera *paterna*, quæ fit a superiore ad bonum privatum simul et publicum. Ea, quæ fit *ex officio* obligat eos tantum, qui officio illo funguntur, puta Episcopos, Pastores, Prælatos regularium, Magistratus, Parentes et qui eorum loco sunt, et facienda est solis subditis; — fraterna vero, sicut caritas, a qua procedit, obligat omnes et erga omnes.

288. Principia. — I. Datur verum præceptum fraternæ correctionis. Constat 1° ex lege naturali Caritatis, qua ad proximi mala submovenda obligamur. — 2° Ex Scriptura Sacra,[1] "*Corripe proximum . . . ne forte iteret*"; et[2] "*Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.*"

II. Ad obligationem strictam hujus præcepti requiritur 1° Ut certo constet de peccato proximi, aut de proximo peccandi periculo. — 2° Ut probabilior sit spes emendationis quam non emendationis. — 3° Ut non sit alius æque idoneus, qui correpturus credatur. — 4° Ut correctio fieri possit absque gravi incommodo corripientis. — 5° Ut necessaria judicetur ad delinquentis emendationem, nec spes saltem probabilis sit, eum sponte sua se emendaturum. Ita *communiter*.[3]

Requiritur 1um, ne temere agas et proximo injuriam irroges, e. g. rumori cuidam facilius aures præbendo. — In dubio autem inquirere de peccato non teneris, cum hoc ad eos solos spectet, qui ex officio ad correctionem tenentur.

2um. Dubius enim nonnisi imprudenter morali actioni manum admovet. Hinc plerumque suadet prudentia, ut omittatur correctio erga eos, quorum indoles est penitus ignota, ne iniquo animo correptionem accipientes fiant deteriores. Excipe tamen, si vel 1) corrigendus, qui non sit in bona fide, in periculo mortis versetur; vel 2) agatur de periculo perversionis in fide vel moribus ab aliis avertendo.

3ium; nam tunc non adest vera et absoluta necessitas.

4tum; nam caritas non obligat cum gravi incommodo, nisi *vel* proximus versetur in extrema et involuntaria necessitate spirituali (n. 279 2a Reg.), *vel* obligationi caritatis in corripiente accedat etiam obligatio *justitiæ*, ut in Prælato, Pastore, Magistratu erga subditos. Parentes vero, confessarii, domini, mariti, magistri, tutores, curatores licet ex officio (pietatis, etc.), non tamen ex justitia, adeoque nec cum tam gravi incommodo tenentur, quam Prælati, Pastores, Magistratus.

5tum; cum enim multi ægre ferant correctionem, ea in necessitate tantum adhibenda est.

Ex his sequitur privatos inter se raro ad correctionem teneri, *saltem sub gravi*, nisi sint familiariter inter se conjuncti; quia raro omnes requisitæ conditiones adesse reperiuntur; rarius adhuc erga Superiores propter ineptitudinem. — Item sæpe non teneberis corrigere *detrahentes*, qua in re multa discretione utatur confessarius, oportet. Neque enim exigere potest, ut quis detractionem præoccupet, quando ne satis quidem scit, quo sermo alterius tendat: hoc enim et injurium alteri foret, et nimis scrupulis obnoxium. Si vero detractio manifeste prodiit, damnum quidem jam vix reparabile est, fraterna vero correptio tunc temporis multo difficilior, et sæpius ad iræ excitandum æstum, quam ad emendandum detractorem aptior invenietur, præsertim si coram aliis quam detrahente fiat. Suppono tamen silentium non æquivalere approbationi. — Scrupulosi pariter a correctionis fraternæ officio ordinarie excusantur.

289. Quæsita.— Quær. 1° *An sub gravi obliget præceptum fraternæ correctionis?*

Resp. Affirm. per se, si adsint requisitæ conditiones, et agatur de materia gravi. Hinc peccare potest graviter, qui ex vano timore, ne proximus aliquatenus offendatur, vel ne ipse inde leve patiatur detrimentum, omittit correctionem in re gravi, ubi putat illam probabilius esse profuturam. — Leviter tamen peccat, qui ex pu-

[1] Eccli. 19. 14. [2] Matth. 18. 15.
[3] L. III. 38. sq.

sillanimitate et verecundia se reputat minus idoneum ad corripiendum. — S. Thom.,[1] — S. Alph.[2]

Materia autem in hoc, sicut in cæteris præceptis gravis esse poterit sive ex se, sive ob circumstantias. Sic, si in Ordine aliquo religioso per venialia peccata aut dissolvi, aut etiam valde minui videatur vigor disciplinæ, gravis esse poterit obligatio correctionis, non in prælatis modo, sed etiam in privatis, cum hi ex caritate, illi præterea ex officio ad gravissimum hoc malum a Religione avertendum teneantur.

Quær. 2° *An præceptum correctionis locum habeat, ubi quis ex ignorantia peccat?*

Resp. 1° *Affirm.*, si agatur de ignorantia vincibili, quia hæc non excusat a peccato.

Resp. 2° Si vero ignorantia sit invincibilis, non tam agitur de fraterna correctione quam de commonitione, qua proximus de veritate docetur; siquidem correctio est admonitio fratris de emendatione delictorum. Commonitio autem illa facienda, si peccata sint contra legem divinam sive naturalem, sive positivam; sin autem contra humanam, utrinque *probabiliter* disputatur, an *privati* ad eam sub gravi obligentur; probabilior tamen et communior juxta S. Alphonsum[3] est sententia affirmativa; transgressio enim illa, licet materialis et non instrinsece mala, posita lege certa, semper est mala, ideoque per correctionem impedienda. *Certo* autem facienda est ab iis, qui ex officio subditos *docere* tenentur, ut prælati, parentes, confessarii, magistri.

Addunt generatim, etsi fructus non speretur, et ignorantia sit invincibilis, tamen monitionem adhuc fieri debere, si agatur de necessariis necessitate medii, vel de iis quæ publicum scandalum præbent, ne scilicet alii putent id licere, quod non corrigitur.

Quær. 3° *Qualis ordo servandus sit in correctione fraterna?*

Resp. Servandus est ordo a Christo ipso assignatus, nisi circumstantiæ aliud suadeant. — Hinc 1° Corripe secreto: "*Corripe eum inter te et ipsum solum.*" — 2° Coram testibus, si prior admonitio non sufficiat: "*Si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos.*" — 3° Rem deferas ad Superiorem: "*Dic Ecclesiæ.*"[1]

Aliquando ordo ille inverti potest et debet, scilicet — 1° si peccatum sit publicum vel mox publicandum; — 2° si sit graviter alteri noxium; — 3° si secreta admonitio non judicetur profutura; — 4° si præstet rem statim Superiori manifestare, ut plerumque præstat in communitatibus sub regula viventibus, in collegiis, seminariis, etc. Nec possunt absolvi sodales aut convictores in ejusmodi denunciationem non consentientes, ubi de gravi damno communitatis agitur. Item de jure naturali denuntiandi sunt Superioribus ecclesiasticis sacerdotes corruptores, qui magnum fidelibus spirituale damnum inferunt, vel illaturi videntur; — 5° si delinquens cessit juri suo, ut fit in variis Ordinibus religiosis.

Quær. 4° *Quomodo facienda sit correctio fraterna?*

Resp. Correctio fraterna cum vera etiam quoad modum caritate facienda est; debet igitur esse paterna erga inferiores, benigna inter æquales, et reverentialis erga Superiores. — Requiritur præterea, ut tempus, locus, aliaque adjuncta opportune seligantur. Idcirco non peccat, qui rem ad aliud tempus differat, quando vel commodius vel æque commode corripere queat, nisi forte ex dilatione grave immineat periculum.

Resolves: 1° Superior, vi notitiæ, per simplicem denuntiationem sibi, ut *patri*, factam, obtentæ, non potest *judicialiter* procedere, quia delictum non fuit sibi manifestatum, ut judici.

2° Peccant, qui ad superiorem referunt defectum subditi jam *perfecte* emendatum.

3° Item, qui ad *mediatos* superiores delictum deferunt, prætermisso *immediato*, qui *possit* per se corrigere et de quo non sit probabilis suspicio quod officio suo non sit, aut non sit debite futurus; famæ enim proximi consulendum est.

4° *Superiores* tenentur inquirere subditorum peccata, non tamen certi cujusdam subditi, nisi ad hoc aliqua peculiaris ratio illos permoveat. — Nec facile admittere debent *spontaneos* accusatores, et multo minus fidem *statim* illis præbere. — Gravis quoque illis incumbit obligatio non manifestandi illos, a quibus de alicujus

[1] 2. 2. q. 33. a. 2. [2] L. III. 37.
[3] L. III. 36.

[1] Matth. 18. 15. sq.

culpa certiores facti fuerint, si nempe culpa sit gravis, — aut, tametsi sit levis, illa manifestatio, ex alia causa, pro gravi delicto haberi debeat. — Graviter quoque peccant, si, dum bonum commune id non exigat, delictum grave et occultum subditi, ad se delatum, iis, quorum consilio aut auxilio in corrigendo subdito non indigent, manifestent. Quodsi *solius delicti* manifestatio ad consilium petendum sufficiat, peccant, si *et delinquentem* manifestent.

§ III. *De vitiis Caritati proximi oppositis.*

Præcipua sunt odium, invidia, rixæ, scandalum et cooperatio peccatis alienis.

De duobus posterioribus tantum dicemus, cum de aliis jam actum sit alio loco, vel in quinto Decalogi præcepto sit dicendum.

Punctum I. De Scandalo.

Sectio I. Notio Scandali.

290. — *Scandali* nomine, *Græco* potius quam *Latino*, quod ex primaria significatione sua denotat *offendiculum* sive obicem in via positum, quo ambulanti præbetur occasio offensionis et ruinæ (*stumbling-block* or *stone*), a Scriptoribus Sacris, SS. Patribus et Theologis designari solet *offendiculum spirituale* proximo positum in processu viæ salutis. Unde scandalum, hoc sensu acceptum, recte definitur cum St. Thoma,[1] "*dictum vel factum minus rectum, præbens alteri occasionem ruinæ spiritualis.*" Ex qua definitione patet, ad scandalum requiri:

a) Ut sit *dictum* vel *factum* i. e. locutio vel actio *externa* et alteri *nota;* quæ enim mere interna aut occulta sunt, alteri occasionem ruinæ præbere nequeunt, cum nullatenus ab eo percipiantur. Sub terminis autem *dicti* vel *facti* comprehendi etiam debet *externa omissio* i. e. non-dictum ubi loqui, — non-factum ubi facere oportet; nam, ut notat Angelicus.[2] "Agere et non agere, cum quis agere debet, ad idem genus actus reducuntur; secundum quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur."

b) Ut sit dictum vel factum *minus rectum* i. e. habens aliquem rectitudinis defectum; quod contingere potest dupliciter: 1° quando dictum vel factum secundum se malum est v. g. dictum blasphematorium, factum luxuriosum; et 2° quando speciem mali præ se gerit, puta, si ex dispensatione carnes in die jejunii comedas coram personis, dispensationem ignorantibus. Unde ad rationem scandali necesse non est, ut dictum vel factum de se peccatum sit; sed sufficit, ut similitudinem peccati habeat; "et ideo," inquit Angelicus,[1] "convenienter dicitur *minus rectum*, ut comprehendantur tam illa, quæ sunt secundum se peccata, quam illa, quæ habent speciem mali." Quod autem attinet ad dicta vel facta, quæ neque speciem mali gerunt utpote omnino recta, dicendum videtur: — ea nunquam constituere scandalum stricte dictum, licet forte alter ex iis sumat occasionem peccandi; — posse tamen aliquando etiam talia dicta vel facta malitiam scandali quodammodo induere, ideoque non immerito vocari scandalum late dictum, sive scandalum *per accidens*, nimirum, casu quo, jubente caritatis lege, ea quoque dicta vel facta omitti debeant *ideo*, ut peccatum proximi præcaveatur.

c) *Ut præbeat alteri occasionem ruinæ spiritualis* i. e. ut alterum exponat probabili periculo peccandi, quin tamen necesse sit, ut peccatum alterius de facto sequatur; nam scandalum de se non est, nec esse potest *causa efficiens*, sed tantum *occasio* ruinæ, sive, ut ait iterum St. Thomas,[2] "nihil potest esse homini sufficiens causa peccati, . . nisi propria voluntas; et ideo dicta vel facta alterius hominis possunt solum esse causa imperfecta" (occasio) "aliqualiter inducens ad peccatum." — *Sufficit* igitur, sed etiam *necessario requiritur* ad essentiam scandali, ut sit aliqualiter inductivum ad peccatum; et hinc merito resolvit Busembaum apud S. Alph.[3]: "non semper esse scandalum, si peccas coram aliis; sed tantum quando, attentis circumstantiis tam personæ agentis, quam coram quibus fit actus, potest *probabiliter timeri*, ne per hunc actum trahantur ad peccatum, qui alias peccaturi non essent." Sic v. g. non est scandalum, si quis blasphemat aut proximo maledicit in præsentia personarum, quibus

[1] 2. 2. q. 43. a. 1.
[2] De Veritate q. 15. a. 1. apud Van Egeren.
[1] De Veritate q. 15. a. 1. apud Van Egeren.
[2] l. c.
[3] L. III. 43.

nullum exinde oriturum advertit probabile periculum peccandi, uti sæpius (modo non agatur de materia Sexti), et maxime tunc contingere potest, quando ipsa persona peccans sit homo infimæ conditionis ac malæ famæ, vel quando personæ præsentes sint valde probæ aut valde improbæ. — Ex his etiam intelliges, quod recte monet Dens,[1] falsam nempe esse opinionem vulgi, putantis aliquem tunc scandalizari, dum occasione dicti vel facti improbi juste indignatur; tunc autem non scandalizari, dum improbitati alterius applaudit aut de ea delectatur; cum e converso in secundo casu scandalizetur, non in primo. Et hac ratione, ut notat Suarez,[2] sæpe dicuntur committi scandala, quæ proprie scandala non sunt.

291. *Divisio Scandali.* — Communiter distinguunt Theologi

I. Scandalum *activum* et scandalum *passivum*. *Activum* illud est, cui convenit definitio (n. 290) tradita et explicata. *Passivum* est ipsa ruina spiritualis scandalizati, sive, ut quibusdam Moralistis dicere placet, est ipsum peccatum proximi occasionatum. Constat autem ex supra dictis, scandalum *activum* existere posse sine *passivo*, sicut e contra constabit ex postea dicendis, scandalum *passivum*, quandoque existere posse sine *activo*, puta si agatur de scandalo *pharisaico*.

II. *Divisio scandali activi.* — Scandalum *activum* dividitur in *directum* (quod alio nomine vocatur *seductio*) et *indirectum*.

Directum est, quando ruina sive peccatum proximi a scandalizante intenditur. Intendi autem potest peccatum proximi dupliciter, videlicet a) ideo præcise, ut proximus peccet et animam perdat (quod proprium est diaboli, et rarius apud homines, nisi forte magicis artibus deditos aut ex professo impios, occurrit); vel b) ideo, ut proximi peccatum inserviat propriæ scandalizantis voluptati, uti contingit in luxuriosis, — aut propriæ ejus utilitati, uti fit in avaris, furibus, etc. In prima hypothesi scandalum *directum* dicitur *diabolicum*, in altera *simpliciter directum* audit.

Indirectum est scandalum, quando peccatum proximi non quidem a scandalizante intenditur, sed tamen probabiliter secuturum prævidetur ex dicto vel facto, ab ipso sine justa causa posito, *ideo*que omittendo, ne peccatum proximi sequatur. — Quandonam autem ejusmodi dictum vel factum, licet etiam de se rectum, censeri debeat sine justa causa positum et præfato titulo omittendum, accuratius exponetur infra. Utiliter hic recoles doctrinam de *voluntario indirecto* n. 6 – 8.

III. *Divisio scandali passivi.* — Scandalum *passivum* a S. Alph.,[1] dividitur in *datum* et *acceptum*. *Datum*, in sensu S. Auctoris, est peccatum, ad quod committendum aliquis inductus est ex scandalo *activo*; *acceptum* vero est peccatum, quod sub prætextu scandali *activi* committitur ex pura malitia propria. — Quodcumque scandalum *datum* apud S. Doctorem vocatur scandalum *pusillorum*, ratione imbecillitatis seu infirmitatis, qua laborare censentur, qui per dictum aut factum alterius sese ad peccatum induci sinunt; vix enim in perfectos et constantes cadere potest scandalum, juxta illud:[2] "*pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum.*" Quodlibet deinde scandalum *acceptum* apud S. Alph.[3] dicitur scandalum *pharisaicum*, a Pharisæis, qui, teste S. Scriptura, ut perderent Christum, fingebant se ex sanctis ejus verbis scandalum pati; sicut hodiedum falsi Liberales seu Revolutionarii, ut perdant Christi in terris Vicarium, Summum Pontificem Pium IX., fingunt se scandalizatos esse ex celeberrimo ejus *Syllabo*.

292. *Malitia scandali.* — Non est, quod hic moveatur quæstio de malitia scandali *passivi*, quod nihil aliud est, quam ipsum peccatum scandalizati. Per se enim patet, tale peccatum eamdem habere malitiam, quam haberet, si committeretur a non-scandalizato; ita ut τὸ scandalizatum esse eidem non addat novam speciem, immo nec circumstantiam aggravantem; nisi forte agatur de scandalo *pharisaico*, quod novam malitiam specificam sibi adjunctam habere potest, v. g. ex eo, quod verba aut facta ipsius Christi Domini sacrilege adhibeantur tamquam prætextus impune peccandi. — Unde in subsequentibus sermo tantum erit de malitia scandali *activi* circa quod sit quæstio duplex.

[1] n. 153.
[2] De Char. d. 10. sect. 1. n. 1.

[1] L. III. 43. et H. A. Tr. IV. 23.
[2] Ps. 118. 165. [3] l. c.

Quær. 1° *Quantum peccatum sit scandalum activum.*

Resp. 1° Scandalum activum est peccatum *mortale ex genere suo*, cum graviter repugnet præcepto caritatis negativo: ne scil. proximo tuo noceas, et multo magis, ne eum in peccatum inducas, quod est omnium damnorum, quæ proximo inferri possunt, gravissimum. Eo gravior autem est culpa scandali activi:

a) Quo magis ruina spiritualis proximi sit intenta; et ita v. g. scandalum *directum* gravius est *indirecto*.

b) Quo efficacius scandalum activum influat in proximi ruinam; et ita v. g. malum exemplum, datum a clericis et sacerdotibus, regulariter efficacius in ruinam aliorum tendit, quam malum exemplum, datum a laicis.

c) Quo gravius sit damnum spirituale proximi, quod per scandalum causatur; et sub hac ratione nulla scandala magis detestanda, quam illa, quibus innocentes animæ tenerorum infantium corrumpuntur.

Resp. 2° Ex triplici tamen capite scandalum activum potest esse peccatum *veniale* tantum, videlicet:

a) Ex defectu sufficientis deliberationis, puta, si quis ex negligentia leviter culpabili non advertit ad occasionem mortalis peccati, quæ dicto aut facto suo alteri præbetur.

b) Ex levitate influxus, quem scandalum exercet in proximi ruinam gravem, puta, si in loquendo aut agendo committas levem quamdam indiscretionem, quæ regulariter, nisi specialis circumstantia interveniat, parum quidem, at non ita proximum movere solet, ut exinde rationabiliter timeri potuerit lapsurus in peccatum mortale, in quod per accidens lapsus est.

c) Ex parvitate materiæ, nimirum, si alteri præbetur occasio committendi peccatum *veniale* tantum (quod ipsi tamen non sit verosimilis occasio ulterioris ruinæ gravis). Et hoc verum est, etiamsi occasio ista peccati *venialis* præbeatur per dictum vel factum secundum se *mortaliter malum;* nam malitia scandali activi non est mensuranda ex malitia dicti vel facti, quod alteri occasionem peccati præbet; sed ex malitia ipsius peccati, cujus occasio præbetur; et hinc contingere potest, ut aliquod dictum vel factum secundum se sit peccatum *mortale*, et tantum *veniale* in ratione scandali; vel e converso, ut dictum aliquod aut factum secundum se sit *veniale*, et *mortale* in ratione scandali. Sic v. g. qui grave proximo, quem scit leviter tantum irasciturum esse, infligit vulnus, *mortaliter* peccat ratione injuriæ et *venialiter* ratione scandali; e contra, qui levem proximo, quem scit inde commovendum esse ad blasphemias, impingit alapam, *venialiter* peccat ratione injuriæ et *mortaliter* ratione scandali.

293. — Quær. 2° *Quale (i. e. cujus speciei) peccatum sit scandalum activum?*

Resp. Scandalum *activum ad minus* duplicem habet malitiam specificam, unam contra caritatem et alteram contra eam virtutem, ad quam lædendam proximus inducitur; idque generaliter a theologis admittitur de scandalo *directo;* de scandalo autem *indirecto* aliquatenus dissentiunt. Putant Card. de Lugo aliique numero pauciores, per scandalum *indirectum* peccari utique contra *caritatem*, sed non contra aliam virtutem; ita ut ille, qui *indirecte* alium scandalizavit, per se satisfaceret dicendo in Confessione: *grave proximo dedi scandalum*, quin declaret in qua materia. Multo tamen communior est sententia opposita, cui omnino subscribit S. Alph.,[1] peccari nempe per scandalum etiam *indirectum* non solum contra caritatem, sed insuper contra eam virtutem, ad quam lædendam proximus inducitur, ita ut ille, qui alterum sive *directe* sive *indirecte* scandalizavit, in Confessione declarare debeat, in qua materia v. g. castitatis, justitiæ, etc. Solidæ hujus sententiæ rationes sunt:

1° Quia casus scandali *indirecti* unus esse videtur ex casibus, quibus applicandum est axioma: *effectus malus* (peccatum proximi) *in causa* (in scandalo) *prævisus, communicat ipsi causæ* (ipsi scandalo) *suam malitiam.*

2° Quia quælibet virtus de præcepto a nobis exigere videtur, tum ne ipsi eam lædamus, tum ne simus sive directe, sive indirecte causa aut occasio, cur lædatur ab aliis.

Diximus: Scandalum habere malitiam duplicem *ad minus;* nam sæpe adhuc plures sive specie, sive numero continere potest malitias, nimirum, propter pecca-

[1] L. III. 45. H. A. Tr. IV. 25.

tum *proprium*, quod a scandalizante committitur quoties alterum scandalizat per dictum aut factum secundum se jam malum v. g. per blasphemiam, detractionem, furtum, etc.; — vel propter qualitatem personæ scandalizantis, ut si filiis a parentibus, aut parochianis a parochis suis scandalum præbetur; hi enim tenentur non solum ex caritate, sed etiam ex officio præcavere ruinam suorum subditorum; — vel propter qualitatem personæ scandalizatæ, ut si quis personam *conjugatam* aut *voto castitatis ligatam* ad turpia inducit; — vel etiam propter numerum scandalizatorum, probabilius enim tot sunt peccata scandali, quot sunt personæ scandalizatæ.

Nota. — Resolutio modo data de malitia *saltem* duplici scandali activi, juxta St. Alphonsum[1], etiam obtinet in casu, quo quis alteri præbet occasionem *opere exsequendi* peccatum, ad quod alter jam paratus ac determinatus erat, ita ut v. g. petens fornicationem a meretrice ad fornicandum parata, non solum peccet contra virtutem castitatis, sed etiam contra caritatem. Ratio, ipsi valde potens, hæc est: quia licet talis meretrix sit in actuali voluntate peccandi, certo tamen sibi infert ruinam *graviter majorem*, opere complendo illud particulare fornicationis peccatum; atque ideo, qui illi cooperatur ad peccatum opere consummandum, eo ipso cooperatur ad ejus ruinam *graviter majorem*; cooperari autem ad alterius ruinam *graviter majorem*, sine dubio graviter repugnat caritati.

294. *Concludes.* — Pœnitens, qui mortalis peccati scandali reus est, in Confessione exponere debet:

1° Ipsum dictum vel factum, quo alterum scandalizavit, si nempe illud dictum vel factum secundum se jam est peccatum mortale, ut blasphemia, gravis detractio, perfecta ebrietas, etc.

2° Speciem peccati gravis, cujus occasionem proximo præbuit, puta, quod præbuit proximo occasionem committendi peccatum mortale *ebrietatis*, *blasphemiæ*, *luxuriæ*, *furti*, etc. Et hoc non solum si scandalum fuit *directum*, sed etiam, ex sententia multo communiori, superius n. 293 probata, si fuerit tantum *indirectum*; ita ut nunquam per se sufficiat hæc simplex accusatio: *alteri dedi grave scandalum*, sed semper addi debeat, in qua peccati gravis specie.

3° Numerum personarum, quas ad grave peccatum induxit, aut probabiliter induci potuisse prævidit. "Qui coram aliis scandala seminat," inquit Dionysius Carth.,[1] "tot et tantis condemnationibus dignus est, a quot et quantis videtur." Quodsi numerus *certus* moraliter determinari non potest, uti plerumque contingit, tunc sufficit assignare numerum *probabilem*.

4° Qualitatem sui ipsius (v. g. quod sit paterfamilias, magister, parochus, etc.), et qualitatem personæ scandalizatæ (v. g. quod sit conjugata, consanguinea, voto castitatis ligata, etc.); quoties ejusmodi qualitas est circumstantia mutans speciem in re gravi.

Quæritur autem: An in peccatis contra castitatem, quæ complicem habent, v. g. in peccato fornicationis, exprimendum sit, quis prior sollicitaverit; sive, ut alii hanc quæstionem proponunt: an circumstantia *inductionis* ad fornicationem ac similia in Confessione sit explicanda?

Resp. Satis probabiliter per se necesse non est, ut in Confessione hujusmodi peccatorum explicetur quis prius sollicitaverit; quia consentiens in solicitationem, hoc ipso consensu etiam reus est gravis scandali, et consequenter contrahit malitias specifice easdem, quas contrahit prior sollicitans, nimirum, malitiam gravem contra castitatem et contra caritatem. Solummodo igitur dici potest, prius sollicitantem peccare *gravius*, sive, circumstantiam sollicitationis esse tantum circumstantiam in eadem specie aggravantem, quæ non pertinet ad materiam *necessariam* confessionis. Cfr. S. Alph.[2]

Sectio II. Præcipuæ Scandalizantium classes.

295. — Confessarii regulariter *per se* mortalis culpæ scandali reos judicare debent præcipue sequentes:

1° Qui detestabilem habent consuetudinem blasphemandi, præsentibus cujuslibet generis personis, præsertim junioribus.

2° Qui componunt, divulgant aut

[1] L. III. 47.

[1] De Profess. monast. a. 9. apud Van Egeren.

[2] L. III. 46.

publice cantant cantilenas aut carmina turpia.

3° Qui instituunt ac protrahunt, sive verbis claris, sive æquivocis (ab audientibus tamen satis intellectis), sermones lascivos.

4° Qui conscribunt aut edunt libros pravos aliave scripta perversa.

5° Qui præfatas publicationes irreligiosas aut immorales cuilibet personæ indiscriminatim vendunt aut legendas locant; vel qui in bibliothecis, ad mutuandos libros erectis, omnium usui exponunt opera, quæ communiter censeri debeant tamquam *pocula venenata a fidelium labiis removenda*.

6° Qui in scholas inducunt perniciosam docendi rationem aut libellos periculosos.

7° Qui pueris aut puellis tradunt libros in se forte bonos, sed materiam pertractantes, cujus cognitio ipsis, pro naturali eorum innocentia ac sensibilitate, per se offensioni esse reputatur. Quis v. g. dubitet, sine scandalo non posse in puerorum manus tradi libros anatomicos et chirurgicos!

8° Auctores, Actores et Actrices *Comœdiarum*, in quibus nec religioni parcitur, nec virtuti, nec matrimonii sanctitati: vel *saltationum theatralium* (*ballet-dances*), in quibus, ratione vestitus saltatricum, ratione obscœni saltationum modi, aut lascivæ gesticulationis, maxima appareret turpitudo, uti sæpe contingit in iis, quæ fiunt sub nomine *gallop, polka, waltz*. — Certum est, inquit St. Alphonsus,[1] loquens de spectaculis inhonestis, repræsentantes aut componentes comœdias notabiliter turpes, nullo modo liberos esse a gravi peccato scandali; nec lucrum quantumvis magnum eos excusare potest. — An autem et quatenus *spectatores* talium comœdiarum (qui ordinarie se maculant pluribus peccatis internis) etiam rei sint gravis scandali; resolvi debet ex principiis postea statuendis *de cooperatione*. Auctores chorearum, quæ "*round dances*" audiunt, *communiter* gravis scandali rei sunt, ut manifeste sequitur ex gravi illa monitione, quæ habetur in Litteris Pastoralibus, quas Patres Conc[1] Pl. Balt. II.[2] lingua vulgari ad clerum populumque sibi commissum dederunt: "We consider it to be our duty to warn our people against . . . those fashionable dances, which, as at present carried on, are revolting to every feeling of delicacy and propriety, and are fraught with the greatest danger to morals." De cooperatione ad has choreas infra agitur. — Quoad hodierna conventicula puerorum et puellarum, quæ habentur sub nomine *children's balls*, nollem equidem præcipitare sententiam, quamvis, testimoniis non spernendis innixus, vix non auderem ea quandoque comparare turbini, nascentes innocentiæ rosas delenti.[1] Videant igitur parentes, ne scandalizari faciant unum de pusillis istis! — De iis autem congressibus diversi sexus, qui vocantur *masked balls*, vix verbum facere opus est; cum nemo non intelligat, eos ex indole sua plerumque periculo plenos et scandalosos esse. Scandalosæ quoque sæpius dicendæ sunt festivitates, quæ vulgo "*Pic-Nics*," "*Excursions*," "*Fairs*," vocantur, "in which" (sunt verba Patrum Conc. Pl. Balt. II. in iisdem litteris pastoralibus[2]), "as too often conducted, the name of charity is made to cover up a multitude of sins." Quapropter pergunt Patres: "We *forbid* all Catholics from having anything to do with them, except when managed in accordance with the regulations of the Ordinary, and under the immediate supervision of their respective Pastors."

9° Pictores, Sculptores, ac Photographos, qui, avide arripientes thesin, hodiedum nimis decantatam: *le chaste c'est le nu* (*nakedness is chastity*), exhibent statuas aut imagines vere obscœnas et communiter ad libidinem incentivas, puta imagines, in quibus nudatæ apparent illæ corporis partes (non dico *infantis*, sed *grandioris* personæ), quas ubique gentium pudor velare postulat, et quæ proinde vocantur pudenda. Equidem, generatim loquendo, concedimus, *artificialia* sæpe minus movere quam *naturalia*, ideoque facilius dari posse grave scandalum per nuditates *naturales*, quam per *artificiales*; sed omnino negamus cum Communi Theologorum, nuditatem licet *artificialem* prædictarum partium tam parum movere, ut a gravi scandalo possit excusari. — Quod hic diximus de pictoribus, etc.,

[1] L. IV. 428.
[2] pag. CXXI. Cfr. art. 472. ejusd. Conc.

[1] Van Egeren. [2] pag. cit. et art. 396.

"idem," inquit S. Alph.[1] "dicendum puto de iis, qui tales imagines domi" (addit Gousset[2] in musæis aut hortis) "retinent omnium aspectui expositas." Atque idem hoc tempore speciatim affirmamus de iis, qui prorsus impudicas circumferunt tabellas photographicas, maxime eas, quæ mediante stereoscopio sint conspiciendæ. — Nota tamen, in præcedentibus non agi de casu, quo quid obscœni pingi necesse sit v. g. ad scientiæ anatomicæ et obstetriciæ præsidium.

10° Ornatus aut vestitus muliebris frabicatores (*milliners, hair-dressers*), qui, in officinis suis, prætereuntium oculis ostendunt exemplaria, ita ornata ac vestita, ut graviter sint offensiva, quibus nempe repræsentantur mulieres modo prorsus immodesto et valde ad lasciviam provocante.

11° Mulieres aut puellas, tali modo sese exornantes, uti sæpius fieri solet in solemnibus prandiis et conventiculis vespertinis (*soirées*). Hic autem distinguendum inter ornatum, de se valde ad lasciviam excitantem, — qualis esse censetur *enormis* uberum denudatio sive cooperculum eorum perlucidum, — et ornatum immodestum quidem, sed non de se tam lascivum, qualis forte est v. g. denudatio earum partium magis modica. Primi generis ornatum assumentes a gravi peccato scandali excusandæ non sunt. Secundi autem generis ornatum assumentes etiam a mortali scandalo non excusantur, si usum talis vestitus introducunt, ubi non viget; si vero consuetudinem *jam introductam* sequuntur, minime certe laudandæ, immo severe increpandæ, sed non per se de mortali damnandæ sunt; modo nihil mali intendant. *Consueta* enim, modo de se non omnino lasciva sint, tam notabiliter non solent commovere passionem.

Notandum. — Quod ultimo loco animadvertimus de *consuetudine semel introducta* quoad vestitum, non omnino lascivum; idem aliquatenus dicendum videtur quoad alias materias, non simpliciter obscœnas, puta quoad comœdias aut equorum ludos (*circus*), non notabiliter turpes. Unde satagerem quidem et istas comœdias, etc. dissuadere, easque, si fieri posset, exstirpare; sed non auderem in his provinciis, ubi nulla, sicut alibi, hac de re viget specialis prohibitio aut censura Ecclesiastica, in publico docere: actores et actrices in iis etiam equorum ludis vel comœdiis, quæ modo non laudando, usuali tamen ac non irreligioso aut graviter turpi fiunt, per se mortalis scandali reos, ideoque, nisi officium suum deserant, Sacramentis indignos esse. De singulis igitur judicet parochus et confessarius, habita ratione naturæ repræsentationum, usus locorum ubi fiunt, et personarum communiter assistentium; atque regulariter eorum officium improbet, sed non de mortali damnet, nisi de eo satis constet. — Idem a fortiori dicimus de simplicibus *talium* repræsentationum spectatoribus laicis. Interim sedulo hic monemus, nos in præcedentibus egisse tantum *de gravi scandalo* aliorum; nam si quæstio instituatur de *occasione proxima*, in qua ipsimet forte versantur actores, etc. aut spectatores; sæpe continget, ut iisdem, quibus *titulo gravis scandali* non potest, sub gravi culpa, imponi abstinentia a suo officio aut sua assistentia, idem tamen sub gravi culpa imponi debeat *titulo occasionis proximæ* propriæ; de qua in Tract. *de Pœnit.* latius dicetur.

12° Tandem adhuc tamquam per se scandali reos generatim assignamus a) clericos, qui, domi retinendo personam, populo suspectam, ansam præbent peccatis detractionis, calumniæ et contemptus Status clericalis; cf. Conc. Trid.[1]; et idem dicendum de marito quoad ancillam, uxori non sine ratione suspectam; b) fœminas conjugatas, quæ, venustulos suos amasios ad familiaria colloquia admittendo, offensioni sunt maritis suis aliisque, sicut docet experientia; c) parentes, qui filiabus suis permittunt conversationes in sero et locis abditis cum sponsis et amasiis; atque idem de superioribus est dicendum quoad famulos aliosve domesticos.

Sectio III. Quænam sint omittenda, ut evitetur scandalum passivum sive ruina proximi?

296. *Prænotandum.* — 1° Non agimus hic de omittendo scandalo *activo directo*, cujus malitia cuilibet per se manifesta est; sed tantum de iis, quæ omittenda

[1] H. A. Tr. IX. 8. [2] n. 644.

[1] Sess. 25. c. 14. de Ref.

sunt sub culpa scandali activi *indirecti*, cujus descriptionem vide supra n° 291.

2° Memores verbi Apostolici:[1] "*nemini dantes ullam offensionem*," simulque adhortationis ipsius Magistri divini:[2] "*Sinite illos, cæci sunt*"; resolvunt communiter Moralistæ: numquam licitum est proximo *dare* scandalum etiam indirectum; sed aliquando licitum esse potest simpliciter permittere, ut proximus, præter intentionem nostram, scandalum *sumat*. Quandonam autem aliquis moraliter censeri debeat, sive stricto sive latiori quodam sensu, *dare* scandalum; et quandonam censeri possit scandali sumptionem licite permittere; hoc totaliter dependet ab eo: an ex lege caritatis *teneatur* vel *non teneatur* dictum aliquod aut factum omittere *ideo*, ut proximi ruina evitetur. In prima nempe hypothesi censeri debet, quocumque demum sensu, *dare* scandalum; in secunda hypothesi censeri potest scandalum proximi licite permittere. Unde per se exoritur quæstio generalis, in titulo hujus Sectionis proposita, cujus solutionem jam aggredimur *per partes*, ponendo quatuor quæstiones speciales, quarum 1ma respiciet *minus recta*, 2da *indifferentia*, 3a *bona spiritualia*, 4ta *bona temporalia*.

297. QUÆSTIO 1ma. — *An* MINUS RECTA *semper ex lege caritatis omitti debeant ob prævisum exinde scandalum passivum proximi?*

Affirm., sine ulla exceptione, si *minus recta* de se jam mala sunt; immo, *per se loquendo*, etiam *affirmative*, si speciem tantum mali præ se ferunt, uti constat ex verbis Apostoli[3] "*ab omni specie mala abstinete vos.*" Cf. I. ad Corinth.,[4] ubi illos, qui in idolio recumbebant (quod de se non erat malum, speciem tamen mali habebat infirmis), sic alloquitur Apostolus: "*Videte autem ne forte licentia vestra offendiculum fiat infirmis.*" Huc etiam spectat pernotum exemplum heroicum venerabilis senis Eleazari.[5]

Diximus: *per se loquendo;* nam *per accidens* licitum esse potest, facere coram aliis quod gerit speciem mali, nimirum: si habeas legitimam rationem necessitatis aut magnæ utilitatis, et simul cures, ut, quantum in te est, occasionem ruinæ removeas edocendo v. g. præsentes (nisi ex circumstantiis id jam satis agnoscant), te licite agere posse, te licite comedere carnes in die jejunii, quia a præcepto jejunii excusaris ob dispensationem, etc. Ubi enim post hæc oriatur adhuc aut perduret scandalum, illud plerumque recte consideratur qua *pure acceptum*, quod ex lege caritatis (seclusa gravissima aut extrema proximi necessitate) evitare non tenemur cum gravi incommodo proprio; nisi forte simul ageretur de tali damno, puta, communitatis, fidei aut religionis, quod præ damno proprio privato esset prævitandum.

298. QUÆSTIO 2a. — *An ex lege caritatis omittenda sint* INDIFFERENTIA, *e quibus proximus putatur scandalum acceptus?*

Resp. Affirm., quoties sine notabili incommodo omitti poterunt; quia ex caritate ruinam proximi impedire tenemur, cum facile possumus v. g. abstinendo ab actione non valde utili, aut eam differendo, vel nostram agendi rationem exponendo, etc. E contra *negative*, quoties sine tali incommodo omitti non possent; quia tunc caritas obligare desinit. Hic autem advertatur oportet cum S. Alph.,[1] eo majus, cæteris paribus, requiri incommodum, quo gravius aut quo certius est peccatum proximi quod timetur, vel quo plures sunt scandalizandi; item majus, ut licite permitti possit scandalum *pusillorum*, quam scandalum *pharisaicum*, quod plerumque, stante rationabili causa, parum curandum est, nisi forte ex facili quadam dilatione speretur fructus, vel, nisi malum, ex eo timendum, *longe notabilius* sit bono, quod per opera nostra indifferentia obtinebitur. Insuper adhuc notari meretur, scandalum pusillorum, post factam pusillis monitionem perdurans, facile æquiparari posse *pharisaico*.

Ex data responsione, per modum exempli, resolvere licebit. Ergo non tenetur mulier ornatum decentem (quem assumit quia statui suo est conveniens, vel ad placendum marito suo, vel ut sponsum inveniat), dimittere ob scandalum alicujus viri *indeterminati;* hoc enim nimis grave ipsi reputandum est. Si vero mulier prævideat, aliquem virum *determinatum* exinde lapsurum esse in mortale; tunc pro *una*

[1] II. Cor. 6. 3.
[2] Matth. 15. 14.
[3] I. ad Thess. 5. 22.
[4] 8. 9.
[5] II. Mach. 6.

[1] L. III. 49.

alterave vice, si commode fieri posset, ornatum suum minuere vel a conspectu talis viri abstinere deberet, non autem *ad longum tempus;* cum hoc iterum esset nimis difficile. Quodsi ejusmodi mulier, quamvis non intendat talis viri ruinam, ex *mera* tamen *vanitate* ducta, ejus aspectui *data opera* se offerret; non posset excusari a gravi peccato scandali, sicuti etiam non foret excusanda, si peteret aliquem locum, quem non adiret, nisi sciret, ibi turpem amasium adesse. Cf. S. Alph.[1] Referri ad hunc locum etiam potest sequens resolutio, apud plures Auctores occurrens: Tenetur fœmina aut puella, dum *certe novit*, aliquem virum graviter peccare, quando in conspectu ejus sedet in ecclesia, alium, si *commode* potest, eligere locum. — Ex his autem resolutionibus, per modum exempli propositis, licebit prudenter judicare de aliis casibus similibus, habita ratione responsionis supra datæ.

299. QUÆSTIO 3ª. — *An, ad evitandum proximi scandalum, aliquando ex lege caritatis dimittenda sint* BONA SPIRITUALIA ?

Resp. Opera de se *bona* (sub quibus intelliguntur etiam omissiones de se *bonæ*) vel sunt *de consilio*, vel *de præcepto:*

a) Quoad opera bona, quæ sunt *meri consilii*, idem, servata tamen proportione, statuendum, quod in quæstione præcedenti statuimus de omittendis operibus *indifferentibus*.

b) Quoad opera bona *de præcepto* dicendum: ea numquam ob scandalum sive pharisaicum, sive pusillorum omittenda esse, quoties sunt absolute necessaria ad salutem, ut susceptio Baptismi ante mortem, — vel quoties sunt præcepta ex lege naturæ, hic et nunc urgente, nec ob mutatas circumstantias cessante; non enim sunt facienda mala, etiam venialia, ut eveniant bona. Ubi autem agitur de operibus præceptis ex sola lege *positiva*, præsertim *humana*, v. g. de auditione Missæ in die Dominica, hoc modo distinguendum est: talia opera generatim omitti non debent ob scandalum *pharisaicum;* utrum vero aliquoties omitti debeant ob scandalum *pusillorum*, quæstio est apud Auctores controversa, de qua vide S. Alph.[2] Sententia, quæ practice tuto consuli posse videtur, tenet: talia opera ob scandalum *pusillorum*, saltem aliquoties, omitti consultius ac licite posse, sed regulariter non necessario omitti debere. — Confessarius igitur in casibus hic suppositis procedat *suadendo*.

300. QUÆSTIO 4ª. — *An bona* TEMPORALIA *ad vitandum scandalum sint dimittenda ?*

Resp. Vel agitur de bonis temporalibus, nobis *propriis*, vel de *alienis*, nostræ curæ commissis:

a) *Si primum;* dimitti quidem licite possunt, sed *ordinarie loquendo* dimitti necessario non debent ad evitandum scandalum; nam lex caritatis non obligat cum tanto incommodo. Unde non teneris v. g. plus æquo solvere alicui operario, etiamsi prævideas eum, non obstante monitione tua de justitia solutionis, esse blasphematurum; quia incommodum illud, licet leve in se, sæpius occurrere potest, et sic in complexu grave fit. Similiter etiam Parochus per se non tenetur remittere *jura stolæ* sibi debita, quamvis parochianus, de obligatione sua satis conscius, in varias erumpat obtrectationes, etc.; inde enim grave incommodum, non modo ipsi parocho, sed et successoribus ejus contingeret.

b) Si *secundum;* ne licite quidem dimitti possunt, nisi ex consensu domini, saltem rationabiliter præsumpto. Cf. S. Alph.,[1] ubi etiam specialia dantur monita Prælatis circa *bona ecclesiastica*, ipsorum administrationi commissa.

Sectio IV. Reparatio Scandali activi.

301. — Ex eadem caritatis lege, qua prohibemur alteri dare scandalum, etiam jubemur scandalum semel datum, meliori quo fieri potest modo, tollere seu reparare. Ad hoc autem requiritur, ut scandalizans, omisso deinceps scandalo activo semel dato, insuper, quantum moraliter potest, conetur tollere ulteriorem ejus influxum malum, si nempe talis influxus adhuc rationabiliter est timendus, ut sæpius contingit ubi agitur v. g. de scandalo Superioris erga subditos, vel de scandalo, alteri dato per malam jussionem, iniquum consilium, perversi libri divulgationem et similia. Quibusnam vero modis ejusmodi

[1] L. III. 53. [2] L. III. 51.

[1] L. III. 52.

effectus ulterior tolli, ideoque scandalum reparari possit et debeat, id omnino dijudicandum est ex diversorum casuum circumstantiis, et generatim sat facile constat, modo præsertim attendatur ad specialem indolem scandali dati ejusque publicitatem, et ad qualitatem personæ scandalizantis ac personæ scandalizatæ. Sic v. g. qui aliis scandalum dedit per iniqua consilia adhuc efficacia, ea, pro posse, inefficacia reddere debebit per sedulam revocationem, iisdem sive per se, sive per alium notificandam. Paterfamilias, qui scandalizavit domesticos, ordinarie, ad reparandum scandalum (si adhuc efficax censetur), obligandus erit, ut iisdem domesticis manifestet displicentiam de malo exemplo suo, eosque paterne adhortetur, ne illud in posterum sequantur. Malus Auctor, qui per scripta hæretica, immoralia, aut diffamatoria alios incitavit ad peccandum, hæc per nova scripta, quantum poterit, retractare tenebitur. Concubinarius, usurarius aliusve id genus peccator, qui *publicum* dedit scandalum, etiam ad publicam ejus reparationem erit constringendus, puta, ut *publice*, relicto prius commercio aut negotio suo nefando, cum devotione accedat ad Sacramenta. Quoad alia scandala *ordinaria*, dicendum putamus : communius pro iis *specialem* reparationem, saltem sub gravi, imponi non posse ; tum quia sæpe vix ullam habent efficaciam perdurantem, tum etiam quia, licet efficacia maneant, sæpe tamen aliter *cum fructu* (ad inutile autem nemo tenetur) reparari moraliter non possunt, nisi generali illa reparatione, quæ continetur in ipsa cessatione a scandalo, in præstatione boni exempli, in oratione pro scandalizato et similibus. Prudentia duce hac in re judices, neminique imponas obligationem, nisi de ea satis constet.

Nota. — Ad reparationem scandali etiam spectat obligatio procurandi, ut scandalizatus revocetur ad pœnitentiam seu veram conversionem. Attamen obligatio ista generatim per se non videtur urgere *sub mortali ;* nisi in casu, quo scandalizatus ob ignorantiam aliamve causam non habeat in sua potestate media pœnitentiæ ; si enim habeat et iis uti non velit, tunc propriæ malitiæ et non alteri imputare debet impœnitentiam suam. Ita Scavini.[1]

[1] Tom. II. n. 692.

Punctum II. De Cooperatione ad peccatum alterius.

Sectio I. Notio et divisio cooperationis.

302. — Ad scandalum referri, at non cum eo confundi debet *cooperatio* ad peccata aliena i. e. concursus ad pravam actionem alterius *principaliter agentis.* Dicitur : *principaliter agentis.* Neque enim cooperatio, de qua hic sermo, confundenda est cum participatione immediata ; quia ita participantes in pravam alterius actionem, puta furti, homicidii, etc., sunt auctores *æque principales* ejusdem reatus, et a Theologis ideo appellantur *concausæ.* Præstari autem potest talis concursus, seu cooperatio novem modis, sequenti versiculo contentis, et in Tractatu *de Justitia* latius explicandis :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sex modis prioribus concursus præstatur *positive* i. e. ponendo actionem in alterius peccatum influentem ; tribus modis posterioribus concurritur *negative* i. e. omittendo actum, quo alterius peccatum impediri potest ac debet (sive, ut utamur expressione hodiedum nimis celebri, *non interveniendo*). — Ne tamen mireris, si in subsequentibus vix non unice sermo fieri videatur de modis cooperandi *positive ;* nam modi *negativi* moraliter, proportione servata, ad *positivos* reducuntur juxta illud Angelici, antea jam relatum : "agere et non agere, cum quis agere debet, ad idem genus actus reducuntur ; secundum quod peccatum omissionis ad peccatum actus reducitur." — Cæterum de cooperatione negativa, quantum opus est, speciatim dicetur in Tract. *de Justitia.*

303. — Duplex in præsenti Tractatione sedulo distinguenda est *cooperatio : formalis* scil. *et materialis.*

Formalis est ea, quæ vere concurrit ad *ipsam* alterius *malam voluntatem*, eam nempe excitando aut aliter in eam vere influendo ; uti contingit a) quando alteri, sive dicto, sive facto præstatur opera, quæ *ex natura sua* ad malum est determinata ; et b) quando alteri, sive dicto, sive facto præstatur opera, quæ *saltem ex intentione cooperantis* ad malum determinatur i. e. ponitur eo fine, ut alter in *peccan-*

do adjuvetur. — Unde cooperatio *formalis* semper supponit in cooperante aliquem consensum in alterius peccatum, si non ratione finis, quem expresse intendit cooperans (*finis operantis*); saltem ratione operæ præstitæ, quæ *ex indole sua* in malum tendit (*finis operis*).

Materialis est ea, quæ concurrit tantum ad malam alterius *actionem;* idque per operam de se saltem *indifferentem*, quæ nimirum neque ex indole sua (*ex fine operis*), neque ex intentione cooperantis (*ex fine operantis*), ad malum est determinata; sed solummodo ad malum determinatur ab agente principali. Practice hujusmodi cooperatio *materialis* plerumque consistit in præstatione alicujus materiæ, occasionis aut medii, de se indifferentis, quibus alter uti potest sine peccato, licet iis, ex propria sua malitia, præter cooperantis intentionem, reapse ad peccandum est abusurus. Unde cooperatio *materialis* non *per se* in ipsam alterius *malam voluntatem* influit, neque ullum *per se* includit consensum in ejus peccatum, sicut cooperatio *formalis*, atque ideo generatim recte dici posse putaverim: cooperatio ad peccata aliena est *formalis* vel *materialis*, prout, attento *fine operantis*, qui concurrit, et *fine operis*, quo concurrit, cooperatio *per se*, vel non *per se* involvat aliquem consensum in peccatum principaliter agentis. Cfr. Vind.[1]

Sectio II. Moralitas cooperationis formalis.

304. Principium. — Nunquam licitum est *cooperari* ad peccatum alienum *formaliter*. *Formalis* enim cooperatio semper *intrinsece mala* est, sive, ut ait S. Alph.[2], sine peccato esse nequit; cum vere sit peccati alieni causa sive concausa moralis, et ipso facto in se contineat aliquam peccati alieni approbationem, sive consensum saltem implicitum. Habet autem quævis cooperatio *formalis* ad minus malitiam duplicem, videlicet: unam contra caritatem, et alteram contra eam virtutem, ad cujus violationem cooperatur. Applicentur hic antea tradita de malitia scandali n. 293.

Quapropter nulli unquam licitum est, alterum, sive jussione, sive consilio, sive precibus aut blanditiis, excitare ad aliquid agendum, quod *ex parte ipsius actus* malum est, ideoque ab altero fieri non potest sine peccato, puta: invitare sacerdotem, notarium, judicem, ad aliquid officio suo contrarium; neque unquam licebit alteri, ad peccandum parato, indicare delicti opportunitatem, utilitatem, delectabilitatem, etc.; tales enim cooperationes aperte sunt *formales*, utpote ipsam alterius malam voluntatem excitantes aut roborantes. Pariter nullimode licitum erit, peccare volenti suppeditare servitia, quæ ex indole sua non sunt, nisi media peccati qua talis, cujusmodi esset v. g. servitium famuli quærentis hero suo concubinam, vel scribentis vice heri concubinarii litteras amatorias ac turpes; tale enim servitium ex natura sua fovet turpem amorem, fovet malam voluntatem, nec alium per se effectum producere natum est; ita ut dici debeat cooperatio *formalis*. Cf. S. Alph.[1]

305. — Duplex autem hic moveri solet difficultas, nimirum:

Quær. 1° *An liceat suadere minus malum, ad majus malum evitandum?*

Resp. Quidam negant id licere; quia, ut ipsis videtur, suadere etiam minus malum, revera est suadere malum; suadere autem malum, semper illicitum est. Verum, plures alii cum St. Alphonso[2] opinantur, *probabilius* licitum esse suadere minus malum in *ordine ad eamdem personam*, casu quo alter jam certo determinatus est ad majus malum exsequendum; quia, ut merito advertit S. Alph.,[3] suadens, in tali casu, minus malum, proprie non suadet malum, sed bonum, scil. electionem minoris mali præ malo majore. Unde homini, jam determinato ad alium occidendum, licite suadere potero, ut potius ab eodem aliquid furetur, potius eum percutiat, vel sese inebriet.

Diximus: *in ordine ad eamdem personam;* non enim liceret suadere minus malum in ordine ad aliam personam in particulari; e. g. volenti facere malum Titio non licite suadere potero, ut faciat Cajo malum minus; nam tunc suadens esset sola ac tota causa damni tertii. Excipe tamen: nisi, in casu, Cajus teneatur ex caritate hoc minus malum pati ad damnum Titii *gravissimum* impediendum.

[1] p. 166–168. [2] L. III. 63.

[1] L. III. 67. [2] L. III. 57.
[3] L. III. 57.

Quær. 2° *An aliquando liceat alteri de industria offerre peccati occasionem?*

Resp. Satis probabilis videtur sententia *affirmativa*, modo id fiat ex recto fine et justa causa. Sic v. g. liceret consulto ponere monetam supra mensam coram famulo suspecto, ut hic, in delicto furti deprehensus, corrigi aut a novis delictis impediri posset. Tali enim in casu non adest vera inductio ad peccatum, sive cooperatio *formalis;* sed ponendo opus de se indifferens ex recto fine, peccatum alterius mere permittitur ob justam causam. Aliis verbis: adest tantum, in casu, cooperatio *materialis*, quæ ex recto fine et justa causa præstatur, atque ideo omnino licita est, ut patebit ex jam sequentibus.

Sectio III. Moralitas cooperationis materialis.

306. — Secluso casu, quo *specialis* daretur obligatio ad impediendum proximi peccatum, de quo casu dicetur infra; circa moralitatem cooperationis *materialis* sic statuere licebit:

PRINCIPIA. — I. Licitum est cooperari ad peccatum alienum *materialiter;* modo verificentur hæ duæ conditiones:

a) Ut cooperatio vere sit *materialis tantum* i. e. consistat in opera secundum se bona aut saltem indifferenti, eaque posita sine prava intentione.

b) Ut justa existat causa necessitatis aut utilitatis, cooperationem istam cohonestans.

Ratio hujus Principii est: quia, ut notat S. Alph.,[1] cum tu præstas actionem de se bonam aut indifferentem, et alter eadem abuti velit ad peccandum; equidem non teneris ob hunc abusum abstinere ab actione tua, nisi ex caritate. Atqui, si justa existat causa non abstinendi ab actione tua, caritas non obligat. Ergo ponens actionem tuam indifferentem cum justa causa, non peccas; sed simpliciter et licite permittis alterius peccatum; quod tunc moraliter nullatenus censeri potest provenire ex actione tua; sed unice ex malitia illius, qui actione tua abutitur. *Recolantur hic superius notata n.* 296 *seq., de iis quæ omittenda sunt ad ruinam proximi evitandam.* Hisce accedit sensus communis hominum, etiam eorum, qui pie et christiane sentiunt. Et sane, nisi verum esset principium mox traditum, nemo christianus posset ullam artem aut professionem exercere; omne inter homines commercium tolleretur, jugumque importabile imponeretur mortalibus.

[1] L. III. 63.

II. Illicitum est cooperari ad peccatum alienum etiam *materialiter* tantum, quoties desit justa cooperationis causa. — Ratio est: quia talis cooperatio directe repugnat præcepto caritatis, quo tenemur, si commode possumus, peccatum alterius non promovere, sed impedire; et aliunde talis cooperatio per se includere censetur consensum, saltem indirectum, in alterius peccatum; ita ut merito æquiparetur cooperationi *formali*, et per consequens duplicem ad minus contrahat malitiam; unam contra caritatem, alteram contra virtutem, quæ a proximo læditur. Vide iterum n. 293, ubi de malitia scandali.

307. — *Quæritur autem: Quænam causa sit* JUSTA AC SUFFICIENS *ad licite cooperandum* MATERIALITER?

Resp. Generatim loquendo, causa justa ac sufficiens est: talis necessitas aut utilitas, quæ rationabiliter censetur compensare malum (i. e. proximo nocivum) cooperationis effectum; sive, ut ait S. Alph.,[1] quæ est proportionata 1) ad gravitatem peccati alterius et 2) ad proximitatem concursus, qui præstatur ad peccati executionem. Quanta autem præcise ejusmodi necessitas aut utilitas, in quolibet casu concreto, esse debeat, id una regula determinari non potest; sed determinandum relinquitur judicio prudentum, quos tamen in ferenda hac de re sententia sedulo considerare oportet:

Eo graviorem requiri causam necessitatis aut utilitatis:

a) Quo gravius est peccatum, ad quod materialiter concurritur; ut enim inter duo sit proportio, quo plus crescit unum, eo plus crescere debet et alterum. Sic v. g. majore certe opus erit necessitate, ut liceat materialiter cooperari ad homicidium, quam ad furtum.

b) Quo probabilius est, alterum, te non cooperante, haud peccaturum esse. Sic v. g. gravior requiritur causa, ut licite alteri ministres materiam peccandi, si, te

[1] L. III. 63.

non ministrante, vix committi posset peccatum; quam, si te non ministrante, nihilominus peccatum facile committeretur, puta: quia alii non deerunt, qui eamdem materiam ministraturi sunt.

c) Quo proximius cooperatio peccatum attingit; et ita v. g. major exigitur ratio, ut licite alteri conficias instrumentum peccandi, quam ut licite ei vendas materiale ad instrumentum conficiendum.

d) Quo minus juris habet cooperans ad agendum; et sic v. g. major postulatur utilitas ut licite petas sacramentum a malo sacerdote peregrino, quam a malo parocho proprio.

e) Quo magis peccatum, ad quod concurritur, est perniciosum tertio; et hinc gravior requiritur causa cooperandi, quando peccatum alterius sit contra justitiam, in damnum tertii, quam, si sit contra aliam virtutem. Item gravior, si ex peccato alterius scandalum tertii prævideatur, quam si scandalum tale non sit timendum.

308. *Notandum.* — Aggredientes quæstionem de moralitate cooperationis *materialis*, prævie n. 306 excepimus casum, quo daretur *specialis* obligatio ad impediendum alterius peccatum. Unde, ne solutio hujus quæstionis maneat incompleta, paucis jam indigitare juvabit 1° quandonam casus iste adsit, et 2° qua de re casum istum prævie exceperimus.

Ad 1^um^ Adest iste casus, quoties aliquis non solum ex præcepto caritatis, sicut quilibet alius; sed insuper (ideoque strictius) *vi muneris sui*, vel *vi specialis legis*, hanc illamve actionem severius prohibentis, obligatur ad arcendum malum, quod ejus cooperatione juvari posset. Parentes v. g. specialiter vi muneris sui tenentur arcere peccata filiorum; parochi peccata parochianorum; magistratus civiles peccata societati aut civibus nociva, etc. Sic etiam mercatores quandoque ex speciali lege tenentur ad non vendenda arma quædam periculosa, potiones venenatas, etc.

Ad 2^um^ Exceptus autem est casus præfatus, non ideo, ut indicetur, cooperationem *materialem* in hypothesi talis *obligationis specialis* semper et absolute illicitam esse; sed ideo tantum, ut advertas, moralitatem cooperationis materialis in eo casu non unice dijudicari posse juxta regulas communes cooperationis, consideratæ quatenus solum repugnat *caritati*. Certum est enim, ad liceitatem cooperationis *materialis*, in prædicta hypothesi, majorem requiri causam necessitatis, quam ad liceitatem cooperationis in hypothesi, quod cooperans ex sola caritate peccatum alterius impedire teneatur. Ubi duplex obligatio, ibi causa excusans moraliter duplex sit necesse est. Hinc fieri potest, ut liceat personæ privatæ materialiter concurrere v. g. ad furtum, et non liceat ministris publicis, furis parentibus, etc.; quod iterum, pro circumstantiarum conditione, dijudicandum relinquitur prudentum judicio.

Conclusio ex tribus sectionibus præcedentibus.

Exposita ergo cooperationis theoria reducitur ad ea, quæ sequuntur.

1° Cooperatio, proprie loquendo, non est confundenda cum scandalo, neque cum participatione immediata.

2° Cooperatio *formalis* non est synonyma *illicitæ* cooperationis, cum omnis cooperatio *formalis* sit quidem illicita, non autem vicissim.

3° Cooperationis illicitudo oriri potest ex triplici capite, tum scilicet; a) ex objecto, tum; b) ex fine, tum; c) ex præcepto caritatis, nisi ratio sufficiens ab hac excuset: licitudo autem, nonnisi ex integra causa, i. e. ex concursu trium conditionum, quæ sunt; 1) objectum bonum vel saltem indifferens; 2) finis honestus; 3) causa justa et proportionata.

Tota autem cooperationis theoria tribus continetur capitibus, pro totidem principiis, quibus eadem innititur, et sunt; 1) distinctio inter actus objective bonos aut indifferentes, et actus intrinsece malos; 2) distinctio inter finem operis, et finem operantis; 3) axioma quod *caritas non obligat cum gravi incommodo.*

Sectio IV. Resolutiones practicæ de cooperatione, præsertim materiali.

309. — In rebus moralibus, et maxime in iis, quæ *cooperationem* concernunt, aliud esse munus scientiæ, aliud munus prudentiæ. Ad scientiam quidem spectat, statuere principia generalia v. g.: cooperatio formalis consistit in hoc, . . . et semper est illicita; cooperatio materialis consistit in hoc, . . . et licita est ob

causam justam, etc.; sed ad prudentiam potissimum pertinet dijudicare, an et quatenus principia illa casibus particularibus, et vix unquam planè æqualibus, sint applicanda, v. g. utrum hæc cooperatio, in hoc casu concreto, dicenda sit *formalis*, an *materialis*, et, si materialis, an hic et nunc justa adsit cooperationis causa necne. Quapropter ad decidendos varios cooperationis casus non sufficit scientia principiorum moralium; sed insuper requiritur moralis prudentia sive dexteritas, qua casus singulos recto, ut vocant, oculo practico considerare, eosque principiis scientiæ subjicere valeamus. Ad hanc autem prudentiam seu dexteritatem acquirendam utilissima videtur exercitatio, quæ, propositis nonnullis casibus concretis, indicat, qua ratione iidem casus ab insignioribus Casuistis dijudicati, ac soluti sint; atque ideo ejusmodi exercitationem jam instituemus, una tamen adhuc præmissa monitione, nimirum, quod morales hujusmodi resolutiones practicæ multoties determinari non possint ad instar decisionis mathematicæ; sed tantum ad instar decisionis plus minusve moraliter definitæ juxta communiter contingentia. Neque hoc mirum videbitur, si advertas, quam magna sæpe inter casus, etiam prima facie similes, sit varietas eaque tenebris involuta; et præterea quam limitata sæpe sit prudentia nostra, quam incertæ providentiæ nostræ! — His præmissis sit:

RESOLUTIO PRIMA.

DE COOPERATIONE CAUPONUM.

310. a) *Ad violationem legis abstinentiæ.* — Cauponibus per se non licet in die vetito ministrare carnes proprio motu i. e. hospitibus id non petentibus; quia vera esset cooperatio ad peccatum alienum sine justa causa. Licitum vero videtur, iis saltem in locis, ubi talis viget usus (hodiedum fere universalis), ut caupones carnes ministrent viatoribus aut generatim iis, qui eorum diversoria frequentant, modo ipsi carnes petant, et eorum petitio non fiat in contemptum Religionis. Quinimmo caupones illi, in quorum diversorio parari solet mensa communis (*table d'hôte*), in qua hospites confluentes turmatim assident ac comedunt, vel qui viatores, per rhedas publicas aut viam ferream advenientes, hora determinata expectant, experientia docti, multos carnes aut jusculum ex carnibus petituros esse, licite possunt talia alimenta habere parata, petentibus apponenda, vel etiam mensam cibis *licitis* et *illicitis* struere, eos offerre, in charta notare, ut unusquisque, quod sibi placuerit, eligat. Ratio est: *tum* quia inter tantos non pauci esse possunt, qui habeant rationem a lege abstinentiæ excusantem, et nimium sane foret incommodum, si singuli de causis propriis edendi carnes interrogari deberent; *tum* quia in præsenti rerum statu impossibile est, saltem multis in locis, officium cauponis aliter exercere. — Quod attinet ad eos, qui paucos apud se habent convivas, pretio per singulas hebdomadas accepto (*boarding-housekeepers*); hi non facile debent, in die vetito, carnes apponere convivis istis, etiam petentibus, saltem si catholici sunt; quum enim in domo privata facilius servari possit lex abstinentiæ, quam in caupona publica; hinc etiam in domo privata difficilius occurrit ratio justa cooperandi ad ejusdem legis violationem. Facilius tamen excusantur cibos alios, præter carnes, mane et vespere diebus jejunii iis apponentes; nam possunt habere excusationem a rigore jejunii ob laborem gravem, vel valetudinem haud firmam; ideo res tuto permittitur singulorum conscientiæ. Ita Kenrick.[1]

b) *Ad ebrietatem.* Homini, quem certo noverint inebriandum, vinum aut alios liquores fortes denegare tenentur caupones, nisi *gravem* habeant rationem aliter agendi. Hujusmodi autem rationem *gravem* habere censentur, quando ex denegatione timenda sint graviora mala v. g. blasphemiæ aut graves rixæ; vel etiam quando ex denegatione timendum sit quodcumque grave damnum proprium, puta: si secus notabiliter læderentur ob diminutionem hospitum. Cf. S. Alph.[2]

c) *Ad luxuriam.* Gravissimi peccati rei sunt et absolutione indigni caupones, qui cubicula secreta ad libidinem præbent; vel qui apud se ducunt choreas sive saltationes omnino turpes et lascivas, de quibus antea n. 295 ad 8^{vum} dictum est.

d) *Ad noxiam lectionem.* Domini hos-

[1] Tr. XIII. 143. [2] L. III. 69.

pitiorum (*saloons, taverns, hotels*), non possunt legenda exponere ea folia publica, quæ *evidenter* et *ordinarie* sunt Religioni vel moribus adversa, etiamsi hospites ad ipsos confluere propterea desinant. Communiter tamen adest ratio sufficiens admittendi ea folia, quæ de rebus mere politicis tractant. Nec videntur teneri ad rejiciendum aliquod folium ex eo, quod interdum aliquid minus rectum ratione Fidei contineat, modo generatim Religioni non adversetur.

e) *Ad violationem diei Dominicæ.* QUÆRITUR nimirum: *Quid de cauponibus diebus Dominicis hac in regione poculenta vendentibus?*

Resp. 1° Excusandi sunt, saltem a mortali, qui uni alterive, eis non abusuro, ea vendunt, sive in domo sua, sive etiam in ipsa caupona ementes illa bibant; neque enim lex civilis cauponarum ingressum diebus Dominicis in plerisque Statibus prohibens, *eatenus* conscientiam ligat.

Resp. 2° Monet Concilium Plen. Balt. II.[1] animarum pastores ut "caupones a Sacramentis arceant qui potantium excessus fovent, præsertim diebus Dominicis." Vix autem eos non fovent qui, occultum ad cauponam suam ingressum præbentes, tempore Missarum potantes Catholicos per longum tempus in iis detinent aut manere sinunt.

RESOLUTIO SECUNDA.

DE COOPERATIONE FAMULORUM.

311. — a) *Ad violationem legis abstinentiæ.* Domino Catholico præparare et ministrare carnes in die vetito, famulis non licet ex *sola* ratione famulatus; sed tantum ob notabile detrimentum. Cf. S. Alph.,[2] ubi advertitur, famulos, in dubio, præsumere posse, herum habere causam, a lege abstinentiæ excusantem.

Diximus: domino *Catholico;* nam si agatur de dominis *hæreticis*, pro his regionibus dicendum putaverim, hic regulariter adesse rationem sufficientem non inquietandi famulos, iisdem escas prohibitas ministrantes.

b) *Ad libidinem.* Tria hic distinguimus servitiorum genera, nimirum: servitia, quæ *de se* ad turpitudinem determinata sunt; servitia, de se indifferentia, quæ tamen *proxime;* — et servitia, de se indifferentia, quæ *remote tantum* ad heri turpitudinem concurrunt.

Servitia primi generis nulla ratione excusantur; cum veram constituant cooperationem *formalem* (vide supra n. 304). Atque ideo famulis numquam licet, litteris, proprio nomine scriptis, aut verbis invitare mulierem ad crimen cum domino committendum; neque unquam ipsis licere videtur comitari herum ad locum turpitudinis, si herus ex ipso hoc comitatu animosior reddatur. Pariter, juxta S. Alphonsum,[1] numquam licebit famulo deferre litteras amatorias concubinæ domini, vel deferre munuscula et esculenta meretrici; quia et hoc servitium S. Doctori videtur de se determinatum ad malum, ideoque cooperatio *formalis.*

Servitia secundi generis non possunt excusari ex *sola* ratione famulatus; sed tantum ex accedente alia causa, quæ sit vel gravissima vel gravis pro diversorum casuum exigentia. Quapropter, ex mente S. Alph.,[2] non sufficit sola ratio famulatus; sed insuper requiritur saltem *metus gravis damni*, ut famulus licite possit comitari herum (qui hic supponitur ex comitatu non reddi animosior) ad locum turpitudinis, eumque redeuntem exspectare; vel ut licite possit concubinam (quæ hic supponitur a famulo non invitari) rheda adducere in domum heri concubinarii. Quinimmo, causa gravissima et quidem *metus mortis* requireretur, ut famulus licite posset adjuvare herum, scalam deferendo, vel humeros subjiciendo, vel januam violenter aperiendo, dum herus vult ascendere ad virginem stuprandam. Ita S. Alph.,[3] ubi etiam reperitur huc spectans propositio scandalosa, ab Innocentio XI. damnata, 51ª (vide p. XVII.)

Servitia tertii generis, pro una et altera vice excusari poterunt ex *sola* ratione famulatus. Et hinc v. g. licebit famulo, more solito, commune ostium aperire concubinæ, si, ipso non aperiente, alius sit qui aperiat. Cf. S. Alph.[4] Vix autem opus erit animadvertere, ejusmodi famu-

[1] a. 469. [2] L. III. 68. sq.

[1] L. III. 68 et 71. Cfr. Vind. pp. 173, 175.
[2] L. III. 64. Cfr. Vind. p. 165.
[3] L. III. 66.
[4] l. c.

lum, si *multoties* ad talia servitia compellatur, enixe monendum esse, ut famulatum deserat.

Quær. *Quid de aurigis publicis alios ratione mercedis ad lupanar vehentibus?*

Resp. Resolvenda videtur quæstio juxta ea quæ diximus de famulis *servitia secundi generis* præstantibus. Quapropter excusari poterunt dummodo; 1) adsit causa, saltem gravis, i. e. timor fundatus gravis damni, e. g., ne, si recuset, ab hero suo "*employer*" dimittatur, alium haud facile inventurus; 2) operam suam non exhibeat ad quempiam securius occultiusve ducendum, aut ignaro ubi sit prostibulum.

RESOLUTIO TERTIA.

DE COOPERATIONE OPIFICUM ET MERCATORUM.

312. *Ad abusum materiæ, quam conficiunt ac vendunt.* — Quum malum sine ratione præsumendum non sit, hinc omnino licitum videtur, ut opifices et mercatores, *solo* titulo commercii, conficiant ac vendant merces suas cuilibet emptori; modo 1° merces istæ sint *res indifferentes*, quæ bonum usum facile habere possunt, licet forte multi in genere iis abutantur v. g. liquores fortes, aleæ, chartæ pictæ, pigmenta, etc., et modo 2° in ipsa emptione aut circumstantiis non appareat mala emptoris intentio.

Dico: 1° *modo merces istæ sint res indifferentes;* per se enim liquet, illicitam esse confectionem ac venditionem *earum rerum*, quæ de se ad malum sunt determinatæ, nec ullum habent usum bonum, puta: confectionem ac venditionem idoli pro paganis, vestis theatralis manifeste turpis, ornatus muliebris de se obscœni, etc. Huc etiam spectat resolutio, apud S. Alph.,[1] de venditione *veneni* (quod ex natura sua principaliter tendit in malum effectum), nimirum: "non licet vendere venena nisi iis, qui bene usuri putantur v. g. ad confectionem colorum vel medicinæ. Unde venditio veneni, quod non servit nisi ad hominis occisionem, simpliciter est mala."

Dico: 2° *modo in ipsa emptione aut circumstantiis non appareat mala emptoris intentio;* nam si reapse appareat in emptore talis intentio mala, ipsa confectio ac venditio mercis, etiam indifferentis, esset cooperatio *proxima*, quæ non videtur excusanda, nisi forte occurrat gravis et proportionata cooperationis causa. Et sic v. g. non licebit vendere ornamenta puellæ *iis abusuræ*, nisi venditor alioquin notabile pateretur incommodum.[1]

[1] L. III. 72.

RESOLUTIO QUARTA.

DE COOPERATIONE CATHOLICORUM.

313. — A. *Ad Sacra hæreticorum.* Hæreticos hic loci sensu latiori intelligo, i. e. etiam non baptizatos, ut Quakeros et plurimos alios in his provinciis, qui *christiano* nomine gloriantur, errores plures contra fidei doctrinam profitentes.

PRINCIPIUM I. — Concurrere ad Sacra hæreticorum plane illicitum est, quoties ejusmodi concursus merito censeri possit de se continere veram communicationem in Sacris, sive eorumdem approbationem saltem tacitam. Hinc concursus ille illicitus locum habet in his præcipue casibus.

1) Si quis *in hæreticorum templis* fungeretur *officio* organistæ, sacristæ, cantoris, vel etiam, licet his *officiis* non fungens, in *religiosis eorum cœtibus* una tantum alterave vice organa vel alia instrumenta musica pulsaret, follem moveret, metros caneret, aut concinendos componeret, ministello responderet, vel, quod invitationis instar est, campanam ad concionem pulsaret.[2] Hæc enim vel communicationem in eorum Sacris vel formalem ad ea cooperationem involvunt. — Dicitur: *in religiosis eorum cœtibus;* nam in eorum templis, extra omnem cultus occasionem, et ad fines profanos organa vel alia instrumenta musica pulsare, vel metros, qui nihil fidei adversum habent, canere aut concinendos componere, de se illicitum dici nequit. — Dixi: *ad fines profanos;* nam illicita hæc forent, si pecunia inde colligenda in usus protestanticos foret impendenda.

Quod campanæ pulsationem attinet, animadvertit Kenrick,[3] Catholicum, qui curam habet curiæ vel aulæ publicæ, in qua, juxta hujus regionis consuetudinem, cujusque religionis ministris venia datur prædicandi, excusari, si cui ex sectariis

[1] L. III. 71. Cfr. Vind. p. 180.
[2] Ken. Tr. XIII. n. 36. 37.
[3] Ken. Tr. XIII. n. 145.

campanam pulsare simpliciter *permittat*, quum penes ipsum non sit id impedire.

2) Si quis pecuniam conferret in collectis, quæ fiunt in protestanticos usus, v. g. ad societatis biblicæ propagationem, ad templi ædificationem, vel missionariorum, qua talium, impensas. Idem resolve de iis, qui *dono* darent fundum, in quo templum erigatur, aut ædes locarent protestantici cultus causa,[1] aut pecuniam, merces, esculenta, poculenta, etc. conferrent ad oblectamenta (*fairs, picnics*), aut ad loterias, vel orationes (*lectures*), quorum proventus in eosdem cederent usus. Sacra enim Pœnitentiaria interrogata an Catholicis liceat pecuniam pro ædificando templo hæretico conferre, anno 1822 respondit: "Affirmative, sed tantum ad se suaque templa ab incommoda illa ac scandalosa cum protestantibus simultaneitate liberanda." Quandoque tamen bona fides excusare poterit eos, qui aliter agunt, ducti ratione hac apparenter cohonestanti, quod, si Catholici nihil conferant in collectis, oblectamentis, etc., quorum proventus cedunt in usus protestanticos, ipsi protestantes nihil deinceps collaturi sint in collectis, etc., quorum proventus cedunt in usus Catholicos. Utrum vero excusari possint ii, qui, verentes ne protestantes officinas suas non amplius adeant, in ejusmodi usus pecuniam, merces aut similia conferunt, adjecta ad pacificandas conscientias suas declaratione, se colligentium judicio relinquere, in quos usus pecuniam, merces, etc., voluerint impendere, sapientiorum judicio decidendum relinquo; dubitari enim potest, an non plerumque dubia potius, quam bona fide agant. — Non tamen peccabunt, qui fundum vendunt, de usu ejus nihil paciscentes, licet norint sectarum ædes in eo erigendas; permissive enim se habent.

3) S. C. officii die 15 martii 1848 declaravit, monialibus, quæ curam gerunt infirmorum in hospitio, in quo subinde recipiantur acatholicæ religionis sectatores, *non licere* advocare falsæ religionis ministrum, *sed passive se debere habere*, licet infirmi illi hunc petant ut religionis auxilia et solatia ab eo recipiant, eamdemque solutionem dandam esse, ubi hæreticus infirmus in domo privata cujusdam Catholici degit.[1] Quam declarationem ut ad res nostras transferamus, cum Kenrick opinamur:

a) Non licere medico *proponere* ægroto periclitanti ejusve cognatis, ut ministellum sectæ advocent. Periculi tamen, in quo versatur, ægrotum admonere debet.[2]

b) Non licere invitare ministellum ad ritus funebres cognato protestantico defuncto peragendos; Catholicos autem, quorum parentes protestantici decesserunt, excusandos esse, si propinquis curam funeris committant, licet prævideant eos ministellum arcessituros; vix enim id evitare possunt absque gravissima offensione, et cæteroquin passive se habent.

314. Principium II. — Absolute illicitum non videtur concurrere ad Sacra hæreticorum modo tam remoto talibusque in rerum adjunctis, ut concursus iste communiter non accipiatur tanquam communicatio in Sacris eorumve approbatio. Hinc

1° In nostris partibus, ubi hæretici permixtim cum Catholicis vivunt, ex justa causa (quam ordinarie adesse putaverim) licitum esse potest *operariis*, ut mercedis gratia restaurent aut etiam ædificent templa hæreticorum, modo id non exigatur in odium aut contemptum Religionis Catholicæ; nam ex una parte restauratio vel ædificatio ista in hisce locis nullatenus æstimatur tanquam communicatio in Sacris eorumve approbatio, et ex altera parte *remote* tantum concurrit ad cultum falsum, in tali templo aliquando exercendum. An autem, quod hic resolvimus pro *operariis*, per se etiam applicari possit *architectis*; quæstio est, quam prudentiorum judicio remittere nobis liceat. Equidem et eos in hac regione non damnandos esse putamus; quamvis forte non immerito iisdem repeterentur verba Apostoli:[3] "*Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo.*" Ita Van Egeren.

Quod dico de templis hæreticorum, applicari nequit templis falsorum numinum. Refert nimirum, P. Philippus de Carboneano,[4] decretis S. Inq. ann. 1626 et 1669 definitum esse, nullo modo licere Catholicis, nec ulla causa aut motivo posse

[1] Kenr. Tr. XIII. n. 37.

[1] Scav. T. II. n. 1016. 10.
[2] Kenr. Tr. VIII. n. 169.
[3] I. Cor. 11. 22.
[4] Apud Ken. Tr. XIII. 36.

permitti aut tolerari, ut operam navent ædificandis, instaurandis, verrendisque templis, quæ *falsis numinibus* aut *auctoribus falsarum sectarum* sint dicata, aut eorumdem purgandis parietibus et pavimentis, mundandis altaribus, aperiendis claudendisque foribus. Casus dari posset in iis Fœderatorum Statuum partibus, in quas immigrant Sinenses.

2° Non censentur hic peccare, qui pecuniam operamve conferunt in levamen pauperum, ægrotorum, pupillorum in ædibus, qui a protestantibus reguntur; sed curandum ne in fidei vergat detrimentum, sectarum iniquo studio ad Catholicos, qui in iis ædibus admittuntur, pervertendos.[1]

3° Liceatne Catholicis ad usum hæreticorum fabricare, vendere, collocare organa, cathedram, mensam cænæ, calicem, gravior est quæstio. Opinor concursum istum communiter non accipi tanquam communicationem in Sacris, eorumve approbationem, adeoque servari conditionem in Principio II. positam.

4° Gravior etiam est quæstio, utrum liceat fabricare, vendere, procurare altaria et paramenta sacerdotalia Ritualistis. Scio equidem doctissimum aliquem Hollandiæ Episcopum non condemnasse Catholicum quemdam sacerdotalia paramenta vendentem Jansenistis; illud vero hos inter et illos intercedit discrimen, quod Ritualistæ, cum non sint veri sacerdotes, Sacra sua celebrando idololatriam et ipsi committant, et quod ab aliis committatur in causa sint. Certum interim est causam dari ad hoc non posse ex hoc solo, quod Catholicus ea vendere recusans, jure vendendi alicubi privari forte posset (*would forfeit his license*); nam per ipsum stat jus illud sibi pro solis Catholicis ecclesiis procurare.

315. — B. *Ad impressionem aut divulgationem seu propagationem librorum hæreticorum, ex professo conscriptorum ad Fidem Catholicam impugnandam et labefactandam.*

Duplicem hic distinguimus classem operariorum, in typographeo laborantium. Primæ classis sunt *cooperatores immediati*, quos inter recensemus eos, qui typos ordinant, qui chartam typis imponunt, qui prelum premunt, qui impressionem dirigunt, et qui corrigunt folia impressa, ut emendate prodeant; itemque eos, qui pro more hujus regionis ephemeridum editoribus referunt (*reporters*) de concionibus hæreticorum. — Secundæ classis sunt *cooperatores mediati*, quales censentur illi, qui atramentum vel chartam præparant, libros jam impressos ordinant, aliave exercent ministeria, remote tantum ad impressionem pertinentia, cujusmodi, ni fallor, plura nunc occurrunt in iis præsertim typographeis, ubi impressionis opus artificiosis machinæ motibus peragitur. Ut libri vero ex professo ad Fidem Catholicam impugnandam conscripti habendi sunt 1° Biblia sectarum. 2° Liber communis orationis (*Book of common prayer*). 3° Hymnaria Sectariorum (*Hymn-books*). 4° Fidei confessiones a sectis editæ. 5° Alii quicumque sectariorum libri vel libelli ad hæresim propugnandam conscripti, quos inter et conciones. 6° Diaria et ephemerides, quæ *evidenter* et *ordinarie* religioni sunt adversa. His præmissis

316. — 1° Cooperatores *primæ classis, maxime eos, qui typos ordinant vel impressionem dirigunt*, excusari non posse putamus, nisi in casu gravissimi detrimenti, quo tale quid, secluso Religionis contemptu, ad breve tempus præstare forsan licite possent, v. g. si filius typographi hæretici ad Fidem Catholicam convertatur, qui sine gravissimo suo detrimento patrem tam cito deserere non valeat. Ita saltem opinatur Laymann,[1] hanc allegans opinionis suæ rationem non spernendam: hæreticum scriptum typis ordinare, de se non omnino absolute malum est, si fiat mere materialiter, et procul fugata quavis intentione perversa; neque lex ecclesiastica, id generatim severe prohibens, in tanta necessitate obligare videtur.

Dico: *maxime eos, qui typos ordinant, etc.;* nam paulo mitius judicandum esse putaverim de iis operariis, qui, in typographeo, ubi raro, et quasi per accidens tantum, liber memoratæ farinæ hæreticæ prodeat, simpliciter *chartam typis imponunt aut prelum premunt*, nescientes, quale sit operis imprimendi argumentum. Cf. Kenrick.[2]

2° Cooperatores *secundæ classis*, juxta plures, teste Gury,[3] excusari poterunt *ex*

[1] Apud Ken. Tr. XIII. n. 39.

[1] L. II. Tr. III. c. XIII. 5.
[2] Tr. XIII. 157.
[3] P. I. n. 253.

gravi causa ; modo tamen (adderem) non laborent in typographeo, ad malum principaliter erecto. Nequeunt enim Catholici, ut sedulo monet Kenrick,[1] ulla ratione occupari circa typographea Protestantica, quæ ex professo adversantur Religioni Catholicæ.

3) Cooperatores sive primæ, sive secundæ classis ad impressionem librorum, qui non comprehenduntur sub iis, de quibus n. 315, incidenter tamen errores continent, excusandi hodiedum in nostris regionibus videntur, dummodo tamen non agatur de libris ex professo obscœnis (de quibus hic quæstio non est), nec operarii illi facile typographum invenire queant, qui libros tantum innoxios imprimit. Ex una enim parte libri illi prohibentur illis Regulis Indicis, quæ in hac regione universim vix obligant, sive quod servatu non sint possibiles, sive quod nunquam fuerint receptæ aut servatæ ; altera vero ex parte, si ejusmodi cooperatio justa de causa non liceret, Catholici in his provinciis vix operam suam præstare possent in typographeis ; Catholica enim vel omnino innoxia paucissima sunt. Addo communi opinione, etiam timoratorum, *sic* cooperantes generatim non damnari.

317. — Quoad cooperationem ad divulgationem seu propagationem librorum hæreticalium hæc statuenda videntur.

a) Non licet omnibus indiscriminatim vendere, venditioni exponere, dono dare, commodare, procurare libros, de quibus n. 315. Dico : *omnibus indiscriminatim ;* neque enim damnandi videntur eos vendentes alicui qui specialiter eos quærit et qui non *certo* noscitur debita ad eos legendos licentia carere, de qua *bibliopola* saltem inquirere haud tenetur.

b) Minor generatim erit difficultas in hac regione, dum agitur de libris de quibus n. 316 sub 3) dictum est.

RESOLUTIO QUINTA.

DE COOPERATIONE CIVIUM.

318. — *Ad injustam patriæ suæ occupationem.* Si hostis alienus, expulso Principe legitimo, patriam injuste occupaverit, licite poterunt cives sub iniquo invasore permanere, illoque cogente, tributa solvere aut alia præstare obsequia de se indifferentia, quæ tamen non cedant in *majorem* Principis oppressionem, sed contra, ex præsumpto ipsius consensu fiant ad prævenienda graviora damna et pericula v. g. confiscationem bonorum, ejectionem e patria, etc.

Similiter Officiales licite officia sua retinent, animo impediendi malum *majus*, et facilius restaurandi gubernium legitimum. Quodsi forte cogerentur exigere tributa injusta, plerumque rationabiliter præsumere possent, principem et cives libenter consentire, ut exigant, eo scil. titulo, ne deterius quid contingat v. g. ne, propriis officialibus ob recusationem dimissis, pejores ab hostibus substituantur. Cf. Laymann [1] et Sporer.[2]

RESOLUTIO SEXTA.

DE COOPERATIONE ALIOS INVITANTIUM.

319. — *Ad quidpiam præstandum, quod sine peccato non præstabunt.* Solutio hujus difficultatis dependet a distinctione inter opera, quæ de se, i. e. *ex parte ipsius actus*, peccaminosa sunt ; et opera secundum se indifferentia, quæ ex mero agentis arbitrio peccaminosa fient. Illicitum nempe est, invitare alterum ad præstationem operis de se jam mali, quia talis invitatio vera esset cooperatio formalis, ut antea dictum est n. 304. Licitum vero erit, supposita justa causa, alterum invitare ad præstandum opus, quod ex mera ejus malitia malum fiet. Unde ex gravi causa licite petes :

a) Juramentum a pejeraturo.[3] b) Mutuum ab usurario.[4] c) Administrationem Sacramenti a sacerdote, præsertim parocho, sacrilego.[5] d) Solutionem maleficii a mago, qui licitum solutionis modum sciens, illicito tamen sit usurus.[6] e) Redditionem debiti, ex parte actus liciti, a conjuge, propriæ voluptatis causa peccaturo.[7] Hi autem casus pluresque alii huc spectantes, per decursum Theologiæ Moralis, accuratius expendentur in loco, singulis materiis proprio.

[1] Tr. XIII. 157.

[1] L. II. Tr. III. c. XIII. n. 5.
[2] Tom. II. Tr. V. 105. apud Van Egeren.
[3] L. III. 77. [4] Ib.
[5] L. III. 79. [6] L. IV. 25.
[7] L. VI. 943.

Resolutiones quædam quæ sub titulis superioribus commode collocari non poterant.

320. — 1) Ad choreas *inhonestas* cooperari non licet, ut per se patet, sive musica, sive locando ædes vel cubicula. Ratio tamen gravis damni excusabit musicum, non edentem ejusmodi sonos, qui *unice* ad inhonestam saltandi rationem pertineant; hoc enim in casu choreæ istæ ex *sola saltantium malitia* inhonestæ sunt. Ita salvo meliori opinor.

2) "In civitatibus, in quibus vitandi majoris mali causa permissum est," . . . meretrices . . . degere, licet domum his locare, "maxime si alii conductores desint, nisi tamen meretrices graviter nocerent vicinis honestis, vel ob situm" domicilii "ansam majorem darent peccatis."[1]

QUÆRITUR. *Utrum hæc S. Alphonsi resolutio valeat etiam pro hac regione, ubi universim, una alterave civitate excepta, lege domus meretriciæ prohibentur?*

Opinor affirmative respondendum esse, si de civitatibus agitur, in quibus illa lex impune negligi solet, seu in quibus domus ejusmodi *tolerantur*. Idem enim est, practice saltem, ac si permitterentur. Ita quoque sentire videtur Kenrick.[2]

3) Qui in Ephemeridibus aut charta in cauponis, hospitiis publicis aut alibi affixa annunciant aut annuncianda deferunt ea, quæ in fidei aut morum detrimentum, natura sua, vergunt, ut e. g. concionem aut orationem (*speech*) hæreticam habendam, libros per se nocivos, choreas inhonestas, spectacula turpia, si scienter ita agant, a cooperatione formali excusari non posse videntur. Quoad libros autem nocivos distinguerem inter eos, qui ex professo obscœni sunt, et hæreticales; hi enim, i. e. hæreticales, prout praxis fert, annuntiari poterunt in iis foliis periodicis, quæ eo fine conscribuntur, ut docti noscant, quæ opera quotidie in publicam lucem edantur.

4) De cooperantibus ad injustitiam, agetur in Tract. *de Jure et Just.*

Monita quædam practica generalia circa cooperationem.

321. — 1° In dubio *consilium petendum*, si de re *gravi* et *publica* agatur et per tempus liceat. Itaque fideles adeant sacerdotes; hi Episcopos; Episcopi autem, omnes id ipsum sentientes, normam tempestive præscribant, oraculum etiam Pontificium, si opus sit, exquirentes.

2° In dijudicanda *illicitudine* cooperationis per actionem de se non malam multum tribuendum est communi existimationi, qua sæpe fit, ut quædam, quæ *olim* in hac, de qua agitur materia, reputabantur illicita, *nunc* licita habeantur, atque ut ea, quæ in *quibusdam* locis existimantur licita, in *aliis* illicita etiamnum censeantur.

3° Si adhibita diligentia remaneat dubium, non favendum est libertati, si obstet ratio scandali, aut etiam, quod magis quandoque timendum est, periculum perversionis, peccati formalis, etc.

4° Sæpe in hac materia excusabit bona fides.

[1] L. III. 70. [2] Tr. XIII. 146.

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

Sicut Symbolum epitome est credendorum, ita Decalogus agendorum. Comprehendit enim decem præcepta a Deo in monte Sinai Moysi tradita, in quibus omnia hominis officia, quæ naturalis lex præscribit, plus minusve aperte continentur. Tria priora Deum immediate respiciunt, cætera ad proximum referuntur.

DE I. DECALOGI PRÆCEPTO.

Ego sum Dominus Deus tuus. . . . Non habebis Deos alienos.[1]

Hoc præceptum, qua affirmativum, præscribit in primis actus Religionis, quibus Divinitati debitus cultus tribuitur; qua negativum, prohibet vitia Religioni opposita.

CAPUT I.

DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS.

ARTICULUS I.

DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS IN GENERE, SEU DE CULTU.

322. — Actus virtutis religionis sub generali nomine *cultus* veniunt.

Cultus autem *definitur:* complexio illorum actuum, quibus infinitam Dei excellentiam testamur, eidemque famulatum exhibemus.

Divisio. — A. *Ratione modi*: 1) est *internus vel externus*, quatenus vel internis animi potentiis, aut externis corporis viribus exhibetur. Utrumque Deo deberi ostendunt Theologiæ Speculativæ scriptores.

2) *Externus* est vel *privatus*, vel *publicus*, prout exhibetur nomine et auctoritate Ecclesiæ *et* in forma ab ea præscripta, vel non. Ergo privatus erit, cui una ex his conditionibus desit. Sic v. g. laicus Officium Divinum recitans cultum tantum privatum exhibet, quia, licet formam ab Ecclesia præscriptam servet, non tamen agit nomine et auctoritate Ecclesiæ; nec privatus esse desinet, licet omnes laici totius alicujus parochiæ publice in ecclesia communiter orationes ab Ecclesia probatas recitaverint. Ita contra publicus erit, licet subdiaconus Officium Divinum privatim persolvat; illi enim non agunt nomine Ecclesiæ, licet publice agant; hic vero et nomine Ecclesiæ et in forma ab ea præscripta agit, licet privatim agat. — Cultus *publicus* etiam, et proprie quidem, *liturgicus* dicitur.

323. — Forma ab Ecclesia præscripta

1) Duo comprehendit, sc. *verba* (v. g. orationum) quibus, et *ritum* (v. g. manuum extensionis), quo cultus exhibendus est.

2) Habet sensum vel *naturalem*, vel *symbolicum*. Sic e. g. corporale et palla juxta Pontif. *de Consec. corporal.* symbolice significat sindonem mundam, de qua apud Matth.[1]

3) Non ut mere externa, seu extra omnem cum cultu interno connexionem, ponenda est.

4) Summa veneratione digna est.[2]

5) Ex libris liturgicis et ex decretis S. C. Rit. petenda est.

324. — *Verba liturgica* 1) sunt — vel *a Deo*, ut formæ Sacramentorum, SS^mum Nomen Jesu, Lectiones e Scriptura Sacra in Breviario et Missa, Psalmi et Cantica; — vel *ab Ecclesia*, ut Collectæ, Hymni,

[1] Exod. 20. 2.

[1] 27. 59.

[2] V. Benger. Compend. der Pastor. Theol. n. 787.

Doxologia, Lectiones Breviarii, Orationes breviores.

2) Non lingua vulgari enuntianda sunt.[1]

3) Pronuntianda et cantanda sunt modo ab Ecclesia præscripto.[2]

325. — *Actio* liturgica seu *ritus*, sicut verba, vel a *Christo Domino* est, ut ritus essentialis Sacrificii Missæ, — quæ actio per eminentiam dicenda est, — et materia *proxima* Sacramentorum; vel *ab Ecclesia*, ut Signum Crucis; usus cereorum, incensi, aquæ benedictæ; varii gestus, ut genuflexio, capitis inclinatio, etc.

325. — B. *Ratione objecti*, quod colitur, cultus est 1) *latriæ* vel *duliæ* 2) *directus* vel *relativus*.

Cultus *latriæ* idem est ac. adoratio *stricte* sumpta (*worship*), seu honor Deo exhibitus propter summam ejus excellentiam, supremumque dominum. Cultus *duliæ* (*veneration*) exhibetur Sanctis et Angelis. Hic iterum duplex distinguitur, *hyperduliæ* nimirum, qui soli B. Mariæ Virgini, et *simplicis duliæ*, qui aliis Sanctis et Angelis tribuitur.

Nota. — Inter Sanctos S. Josepho *summæ post B. M. V. duliæ* deberi cultum, non immerito contendit Corn. a Lapide,[3] et hunc Sponso B. M. V. a S. C. Rit. decerni postularunt 150 ex Patribus Conc. Vat. Hucusque tamen decretus non fuit.

Cultus *directus*, qui et *absolutus* dicitur, ille est, qui alicui exhibetur ob dotes, quibus præditus est; qualis præstatur, non tantum Deo, sed etiam Sanctis; hi enim vere possident egregia dona, ob quæ honorandi sunt; *relativus* tribuitur rebus quibusdam ob relationem, quam habent ad Deum, vel ad Sanctos; sic crux, Christi effigies, Sanctorum imagines et reliquiæ coluntur.

326. — *De cultu Sanctorum* hæc sunt tenenda.

I. Jure *divino* solius *duliæ* actus iis sunt exhibendi.

II. Jure *ecclesiastico* hi actus exhibendi sunt juxta leges Ecclesiæ, quarum præcipuæ sunt sequentes.

A. Ne *publicus* cultus iis exhibeatur, antequam judicio Ecclesiæ constet, talem cultum eis exhiberi posse, seu prius quam ab ea *beatificati* aut *canonizati* fuerint, quod ut a solo Summo Pontifice deinceps fieret, sæculo 12° constituit Alexander III.; Urbanus vero VIII. regulas præscripsit, juxta quas hodiedum fieri debeat. Summa harum regularum hæc est. *Servi Dei* appellantur, et sine aliqua ecclesiasticæ potestatis licentia appellari possunt homines, qui ex hac vita cedunt cum fama sanctitatis. His *privatus* cultus exhiberi potest. De *fama* sanctitatis inquirunt Ordinarii illarum diœcesium, in quibus Servus Dei diutius commoratus est, vel majora pro Deo egit. Hac inquisitione, quæ *Processus Ordinarii* nomine venit, rite peracta, causa ad S. Sedem defertur, a qua si admittatur, *Processus Apostolicus introductus* dicitur et Servo Dei exinde titulus tribuitur *Venerabilis Servi Dei*. Finis præcipuus *Processus Apostolici* est inquirere, an constet de Venerabilis Servi Dei N. N. virtutibus theologicis et cardinalibus earumque adnexis *in gradu heroico*, et de duobus miraculis; de quibus si constet, sequitur *Beatificatio* per ipsum Summum Pontificem. Beatificatis cultus *publicus* exhiberi potest, restrictus tamen, — tum quoad regna, provincias, diœceses vel Ordines, in quibus, — tum quoad modum, quo, per decreta sive generalia, Alexandri præsertim VII. dd. 27 Sept. 1659, sive specialia, permittitur. Beatificationem, probatis duobus aliis miraculis, si nihil obstet, excipit *Canonizatio*, qua tolluntur restrictiones cultui publico Beatificatorum appositæ. Processus hucusque descriptus *formalis*, dicitur; *æquipollens* vero ille, quo a S. Sede cultus, alicui Servo Dei ab *immemoriali* exhibitus, confirmatur.

327. — B. *De publico Reliquiarum cultu* hæc sunt præcipue notanda.

1) Per Reliquias Sanctorum et Beatorum intelliguntur; a) *strictiori sensu*, eorum corpora et corporis partes etiam minimæ, item oleum, aliusve liquor ex iis quandoque fluens; b) *latiori*, omnia, quibus Sancti in vita usi sunt, ut vestes, libri, etc.; itemque instrumenta pœnarum et mortificationum; c) *latissimo* omnia, quæ vel corpus, vel sepulchrum, vel alias Reliquias Sancti tetigerint; itemque oleum e

[1] Trid. Sess. 22. c. 8. et Can. 9. Prop. 86. damn. Quesn. p. XXVI. B. Auctorem Fidei. Prop. 33. p. XXIX.

[2] Benger. Compend. der Pastor. Theol. n. 795–804.

[3] Comm. in Matth. I. 16.

lampade ante sepulcrum appensa, et pulvis e loco, ubi asservantur.

2) A Reliquiis Sanctorum probe distinguendæ sunt Reliquiæ Domini; i. e. guttæ Sanguinis Christi; instrumenta passionis ejus, ut spinæ ex Coronâ, claves, lancea, etc. quibus, ut Reliquiis SS^mæ Crucis, cultus saltem insignior exhibendus est. Quod speciatim particulam e ligno SS^mæ Crucis attinet, hæc sunt animadvertenda: a) Praxis eam separandi a Reliquiis Sanctorum recta est.[1] b) Si loco principe super altari fuerit *exposita*, transeuntes ante illam unico genu flectere debent, et Missa coram ea tamquam *coram incluso Sacramento* celebranda est; sin autem in custodia sit *recondita*, transeuntes ante eam caput inclinant.[2] c) Ubi immemorialis usus id fert, processionaliter sub baldachino, incensantibus duobus thuriferariis, detectoque capite, deferri potest, et d) post processionem *vel* expositionem, antequam recondatur, Officians eam *stans triplici* ductu incensat, dein, assumpto humerali et facta unius genu flexione, populo cum ea, nihil dicens, benedicit.[3]

3) Reliquiæ *insignes* Sanctorum sunt corpus Sancti integrum aut magna ejusdem pars, nempe caput, brachium vel crus, at *hæc* integra i. e. duobus ossibus præcipuis constantia (non tamen ossa femoris),[4] aut pars illa corporis in qua Martyr passus est, modo sit integra et non parva.[5]

4) Reliquiæ Sanctorum non *religioso* tantum seu ex virtute religionis imperato, — ut corpora in communione Ecclesiæ defunctorum, — sed *sacro* etiam cultu venerandæ sunt;[6] non vero *publico*, nisi ab Ordinario loci, ubi colendæ sint, earum authenticitas probata fuerit,[7] idque licet Romæ, aut ab alio Episcopo jam recognitæ fuerint; Ordinarii nimirum est videre, ne qua fraus subrepat et inspicere, an revera Romæ fuerint approbatæ.[8]

[1] S. C Rel. 22 febr. 1847 apud Prinz. Decr. Auth. n. 589 et Acta T. II. p. 557.
[2] S. C. Rit. 7 maii 1746 in una Varsav. et 18 febr. 1843 in Cenoman.
[3] S. R. C. 23 maii 1835, 12 jul. 1704, 26. aug. 1752.
[4] S. C. Indulg. 12 jun. 1822.
[5] S. R. C. 3 jun. 1617, 13 jan. 1631.
[6] S. Alph. Diss. de maledictione mortuorum.
[7] L. III. Decr. T. XLV. c. 2. Trid. S. 25. de Invoc. etc.
[8] Sixtus V. C. Dominus et S. R. C. 19 oct. 1591.

5) Asservandæ sunt Reliquiæ: a) *quæcumque* extra tabernaculum; b) *insignes* prope altare majus aut alio loco conspicuo ecclesiæ, non vero in ædibus privatis, aut apud laicos, nisi agatur de magnis principibus aut præcipuis Ecclesiæ præsulibus.

6) Exponendæ Reliquiæ *non* sunt; a) supra tabernaculum, in quo augustissimum Sacramentum asservatur, ita ut tabernaculum eis pro basi inserviat;[1] b) ante ejusdem tabernaculi ostiolum, aut alio modo, quo simplices induci possint ad Reliquias pro SS. Sacramento adorandas; c) extra capsam, nisi, ultra lampadem, continuo ardeant in altari duo lumina;[2] d) nisi exponens (et idem valet de reponente) superpelliceo, et, si populo cum reliquiis benedicat, humerali etiam sit indutus. Benedictio autem fieri debet sine cantu, nihil dicendo, incensatis, thure non benedicto, *duplici* ductu Reliquiis.

7) *In processionibus* reliquiæ Sanctorum *canonizatorum* deferri possunt, at a) non sub baldachino; b) aperto capite (Episcopus tamen cum mitra); c) non in processione SS^mi Sacramenti, nisi vi Indulti aut consuetudinis.

8) De Sancto, cujus habetur insignis Reliquia, potest fieri Officium et celebrari Missa, dummodo reperiatur in Martyrologio Romano.

328. — C) *De cultu imaginum* hæc teneto.

1) Inter imagines, idem licet objectum repræsentantes, specialius coli possunt; a) benedictæ; b) quæ unà Reliquiæ sint, ut imago B. M. V., quæ a S. Luca dicitur depicta; c) miraculis claræ,[3] earumque copiæ, ut patet ex praxi Ecclesiæ.

2) In ecclesiis exponere non licet imagines; a) Servorum Dei nondum canonizatorum aut beatificatorum, præsertim cum radiis aut sanctitatis signis.[4] Beatificati autem pingendi sunt cum radiis tantum; canonizati vero cum diademate circa caput; b) falsi dogmatis et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes, quales tamen *generaliter* non sunt imagi-

[1] S. R. C. 31 mart. 1821.
[2] S. R. C. 22 jan. 1701.
[3] Cfr. B. Auctorem Fidei, prop. 70. p. XXXVI.
[4] Urb. VIII. C. Cælestis Jerusalem.

nes SS^mæ Trinitatis;[1] c) insolitas, nisi ab Episcopo approbatæ fuerint; d) procaci venustate pictas aut ornatas, aut in quibus profanum aut inhonestum aliquid appareat; d) nisi omnis superstitio, turpis quæstus, et quodcumque inordinatum aut præpostere et tumultuarie accommodatum vitetur.[2]

3) Coluntur imagines eodem modo ac Reliquiæ, excepto quod cum ipsis non datur benedictio, nec de iis, nisi specialiter concessa fuerint, Officium fiat aut Missa celebretur. In processione cum SS^mo Sacramento, extra casum Indulti vel consuetudinis, non deferantur.

329. *De veneratione locis ac rebus sive sacris, sive religiosis debita.*

PRINCIPIA. — I. Loca et res sacræ fiunt aut *consecratione*, aut *benedictione* non simpliciter *invocativa* (de qua suo loco), aut, e. g. purificatorium, *usu*. Quænam loca et res consecranda aut benedicenda sint, et qua ratione polluantur aut execrentur suo loco dicetur.

II. Debent esse 1) præscriptionibus liturgicis consentanea; 2) si fieri possit pretiosa; aut 3) saltem decentia et nitida.

III. Reverenter sunt tractanda, sensu tum *negativo*, tum *positivo*. 1) *Negativo*, ita ut neque ad *superstitiosos*, neque ad *indecentes*, neque, si de rebus benedictione, ut supra, *sacris* quæstio est, ad *profanos*[3] usus inserviant.

a) Hinc non licet in ecclesiis, postquam consecratæ vel etiam tantum benedictæ fuerint, agere judicia sæcularia, conventus sæculares[4] aut politicos,[5] aut laicis apud nos,[6] sine Ordinarii licentia, ad populum verba facere; supra capellas earum laterales, in quibus quotidie celebratur, cubicula habere ad habitandum aut dormiendum; quin et oratoria privata ab omnibus domesticis usibus debent esse libera.

b) Quæ usui, ad quem destinata sunt, inservire amplius nequeunt, modo decenti eidem subtrahenda sunt, et quidem 1° ecclesiæ dirutæ, quæ nullo modo refici possint, in profanos quidem, at *non sordidos usus* licet convertere, *erecta tamen ibi cruce*,[1] quæ crucis erectio, si sine periculo sacrilegii, ab acatholicis apud nos vix non timendi, fieri nequeat, omittenda est; 2° comburenda sunt (et cineres in sacrarium projiciendi) singulis annis Sacra Olea; itemque paramenta postquam detrita sunt, nisi tamen ad alia conficienda aut resarcienda adhibeantur;[2] 3° aqua baptismalis Sabbatho Sancto, et in Vigilia Pentecostes, postquam nova benedicta fuit, in sacrarium effundenda; 4° calix et patena, sine licentia Episcopi de novo a laicis deaurari et reparari possunt.[3]

2) *Positivo*, seu *sancta sancte*, qua de re suis locis.

ARTICULUS II.

DE ACTIBUS VIRTUTIS RELIGIONIS IN SPECIE.

Actus præcipui Religionis sunt adoratio, oratio, sacrificium, votum, juramentum, et sanctificatio quorumdam dierum. . . . De tribus ultimis dicetur *in 2° et 3° præcepto*. De sacrificio, in Tract. *de Eucharistia*. De adoratione art. proxime præcedenti I. actum est. Hic igitur tantum agitur

De oratione.

330. *Definitio.* — Oratio, *latius* sumpta, est elevatio mentis ad Deum, seu quivis pius animæ affectus in Deum et in supernaturalia. Sensu autem *strictiori* est petitio decentium a Deo. — S. Thom.[4]

Divisio. Est 1° *mentalis* vel *vocalis*, prout sola mente peragitur, vel mentis conceptus etiam ore exprimuntur; — 2° *privata* vel *publica*, prout fit a persona privata et privato nomine, vel in communitate vel auctoritate et nomine Ecclesiæ. Ea tamen, quæ in communitate fit, non hoc ipso et eo sensu est publica, ut *liturgica* dici possit (n. 322).

PRINCIPIA. — I. Oratio est omnibus adultis necessaria necessitate præcepti,

[1] B. Auctorem Fidei, prop. 69. p. XXXVI. et Ben. XIV. Brevi. Sollicitudini nostræ a. 1745.
[2] Cfr. Trid. S. 25. de Invocat. etc.
[3] Reg. Jur. 51. in 6°.
[4] L. III. Decr. T. XLIX. c. 1.; item in 6°. L. III. T. XXIII. c. 2.
[5] Pius IX. ad Arch. Lcopol. 17 mart. 1862.
[6] Conc. Pl. Balt. II. a. 194.

[1] Trid. Sess. 21. c. 7.
[2] C. 39. D. 1. de Cons.
[3] Gardell. in S. R. C. 20 apr. 1822. De Herdt. t. I. n. 175. 2°.
[4] 2. 2. q. 83. a. 1. et S. Alph. in princ. L. IV.

imo probabilius necessitate medii. — 1° Evincitur ex innumeris S. Scripturæ locis, v. g. "*Vigilate et orate.*" [1] — "*Oportet semper orare et non deficere.*" [2] — 2° Quia oratio est medium ordinarium a Deo statutum ad gratias necessarias obtinendas: "*Petite*, et *accipietis.*" [3] — S. Alph.[4]

II. Præceptum orandi obligat frequenter, ut patet ex citatis textibus, non tamen sine intermissione, quod humanæ imbecillitati impossibile est. — Verba igitur, "*Oportet semper orare,*" ex communi Doctorum interpretatione significant, frequenter orandum esse tempore opportuno, et nunquam cessandum ex tædio, torpore, animi dejectione; vel etiam actiones nostras generatim ad Deum esse dirigendas.

III. Oratio, quam quis debitis præditam conditionibus pro seipso, aut, secundum multos,[5] pro aliis, obicem non ponentibus, peragit, efficaciam habet infallibilem ex Christi promissione. "*Omnis qui petit, accipit,*" [6] etc. — "*Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*" [7]

Conditiones autem requisitæ sunt, ut fiat; 1° pie, devote et attente; — 2° cum perseverantia; — 3° cum humilitate et fiducia; — 4° de rebus necessariis vel utilibus.

Temporalia non debent postulari nisi cum conditione, saltem implicita, nempe quatenus ad animæ salutem conferre possunt.

331. — **Quær.** 1° *Quandonam urgeat necessitas orationis?*

Resp. 1° Urget *per se* frequenter, ita ut non possit omitti per notabile tempus sine gravi peccato; ex communi sententia tempus mensis unius notabile reputatur. — Suarez, Lessius, etc., 2° in instanti usu rationis, 3° in articulo mortis. Cæterum confessarius, ut habent Doctores, magis solicitus esse debet in inculcanda necessitate frequenter orandi, quam in determinanda gravi omissæ orationis culpa.

Resp. 2° Urget *per accidens*, 1° in gravi tentatione, quæ alio modo facile repelli non possit; 2° in publicis calamitatibus; 3° quoties aliud præceptum est adimplendum, ad quod oratio est necessaria, v. g., si Sacramenta sint recipienda; 4° quoties aliquod auxilium divinum speciale videtur nobis necessarium.

332. — **Quær.** 2° *An peccet, qui omittit preces matutinas aut vespertinas?*

Resp. Neg. præcise *per se*, si interdum tantum omittantur. Ratio est, quia nulla lex est, quæ determinatas preces singulis diebus et certis horis præcipiat. Quidam tamen advertunt, raro aliquam abesse negligentiæ et acediæ culpam.

Cæterum in praxi excusari prorsus ab aliqua culpa non possunt, qui illas sæpius omittunt, tum quia forte minime orant alio tempore, aliove modo, et sic orationis præcepto aliquando deerunt; tum quia ob pericula, quæ quotidie occurrunt, neglecta oratione, in plura peccata labentur.

Quær. 3° *Quomodo peccet distractus voluntarie in oratione?*

Resp. Per se peccat venialiter, quoties sine justa ratione voluntarie distrahitur, idque valet, etiamsi oratio fiat absque obligatione; quia aliquam irreverentiam Deo irrogat. — Elbel.[1]

333. — **Quær.** 4° *Pro quibus sit orandum?*

Resp. 1° Pro nobismetipsis; 2° pro omnibus hominibus viatoribus, etiam infidelibus; 3° pro animabus in purgatorio detentis. Eruitur 1° ex lege generali Caritatis; 2° ex verbis D. Pauli,[2] "*Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, etc.*; . . . nec excipiendi sunt inimici, ut patet ex verbis Christi: [3] "*Orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*"

Quær. 5° *Quosnam præter Deum orare possimus?*

Resp. Beatam Virg. Mariam, ut mediatricem nostram; Angelos, ut custodes hominum; omnes Sanctos et amicos Dei, ut intercessores nostros apud Ipsum. Invocari privatim possunt etiam infantes baptizati et ante usum rationis defuncti,

[1] Marc. 13. 33.
[2] Luc. 18. 1.
[3] Joan. 16. 24.
[4] L. IV. 1.
[5] S. Alph. Gran mezzo della preghiera c. III.
[6] Luc. 11. 10.
[7] Joan. 16. 23.

[1] n. 419.
[2] I. Tim. 2. 1.
[3] Matth. 5. 44.

et idem probabilius dicendum est de animabus in purgatorio detentis.

Invocatio autem Sanctorum est de consilio, non vero de præcepto, cum *Trid.*[1] dicat tantum *esse bonum et utile eos invocare.* Valde tamen salutis suæ incuriosus videbitur ille, qui nunquam B. V. Mariam invocet, quandoquidem peculiari ac mirabili providentia mediatrix nostra constituta sit.

Quær. 6° *Quid de variis litaniis, quæ v. g. in libris precum habentur ?*

Resp. In Indicem a Ben. XIV. relatæ fuere "omnes," præter antiquissimas et communes, quæ in Breviariis, Missalibus, Pontificalibus ac Ritualibus continentur, et præter Litanias de B. Virgine, quæ in sacra æde Lauretana decantari solent. Decretum tamen hoc a S. C. O. 18 apr. 1860 (cfr. S. C. Ind. 23 apr. 1860) sequenti ratione modificatum est: "Litaniæ omnes, præter . . . non edantur sine revisione et approbatione Ordinarii, nec publice in Ecclesiis, publicis Oratoriis et processionibus recitentur absque licentia et approbatione S. R. C."

CAPUT II.

DE VITIIS RELIGIONI OPPOSITIS.

Vitia Religioni opposita sunt; 1° superstitio per excessum; 2° irreligiositas per defectum.

ARTICULUS I.

DE SUPERSTITIONE.

"Superstitio," ait S. Thomas,[2] "est vitium religioni oppositum secundum excessum; non quia plus exhibeat in cultum divinum quam vera religio; sed quia exhibet cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet."

§ I. *De idololatria.*

334. — Idololatria est actio, qua cultus soli Deo debitus creaturæ tribuitur; id vero fit non tantum sacrificio, sed quovis honoris signo, quo quis creaturæ tamquam Deo se submittere intendit, v. g. genuflexione.

Idololatria duplex distinguitur, scilicet 1° *Materialis* sive *simulata*, cum quis sine affectu interno, ex gravi metu, cultum idolo exhibet. Diceretur etiam materialis, si procederet ex errore invincibili, v. g. si quis falso putans hostiam esse consecratam, eam adoraret. In 1° casu esset peccatum mortale; in 2° nullum, ut patet.

2° *Formalis* et *propria*, quæ fit 1° adorando creaturam tamquam Deum; 2° exhibendo cultum dæmoni vel alteri creaturæ quasi Deo, aut saltem ex animo aliquid a tali creatura obtinendi, quod a solo Deo postulari potest.[1]

§ II. *De vana observantia.*

335. — Vana observantia est superstitio, quæ media nec proportionata, nec a Deo instituta adhibet ad certum effectum obtinendum.

Triplicis est generis, scilicet 1° Ars *notoria*, seu ars acquirendi scientiam sine labore. 2° Ars *sanitatum*, seu ars sanandi variis signis vel rebus sacris. 3° Observantia *eventuum*, qua ex consideratione alicujus eventus fortuiti conjicitur quid faustum vel infaustum futurum sit.[2]

PRINCIPIA. — I. Vana observantia est peccatum grave, quia honorem divinum creaturæ tribuit, dum ab ea exspectat, quod a solo Deo exspectandum est; et quia pacto implicito cum dæmone nititur. Veniale tamen sæpe esse potest ex imperfectione actus, ex simplicitate, ex ignorantia aliqua vel ex timiditate, ut evenit præsertim inter rudes in observantia eventuum.[3]

II. Vana observantia dignoscitur præsertim 1° ex insufficientia causæ ad effectum naturaliter producendum; 2° ex adjunctione vanæ vel falsæ circumstantiæ quasi necessario requisitæ; 3° ex infallibilitate, quæ tribuitur mediis nullo modo infallibilibus.[4]

III. In dubio num effectus proveniant a causa naturali, an a dæmone, tribui possunt viribus naturæ; et proinde licitum est illos procurare, quia non constat

[1] Sess. 25 de Invoc. [2] 2. 2. q. 92. a. 1.

[1] L. IV. 13. [2] L. IV. 14.
[3] L. IV. 15. [4] L. IV. 16.

rem esse malam; consulto tamen præmittitur protestatio contra quemlibet dæmonis interventum. — In dubio autem an effectus a dæmone vel a Deo producantur, si certa adsit probabilitas eos a causa naturali provenire non posse, dæmoni tribuendi sunt, nisi sanctitas operantis vel alia clara indicia contrarium persuadeant, quia temerarium est putare, fieri semper miracula. Unde non licet tunc experiri, utrum effectus sit secuturus, necne. — S. Alph.[1] S. Thom.[2] et alii *communiter*.

336. *Resolves.* — 1° Superstitionis rei sunt, qui gestant ligaturas quibusdam characteribus consignatas; qui certa invocant nomina ignota, aut certum adhibent numerum crucium vel orationum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles efficiendos, . . . etc.[3]

2° Item qui gestant quasdam orationes effectum omnino infallibilem ex ipsis exspectantes. — Non tamen vituperandi sunt, imo admodum laudandi, qui numismata pia, sacras effigies aut Reliquias Sanctorum gestant, sperantes auxilium divinum specialiter se impetraturos esse.[4]

3° Item rei sunt superstitionis, qui aliquos dies tanquam faustos, alios vero infaustos habent, ita ut actiones suas exinde dirigant, vel qui ad morbos expellendos requirunt herbas tali festo collectas, . . . etc.[5]

4° Superstitiosum vero non est observare lunam aut tempora colligendis herbis, cædendis arboribus aptiora, etc., . . . nec res sacras, aut verba S. Scripturæ gestare ad honorem Dei vel Sanctorum, et ad ipsorum auxilium implorandum. Item nec recitare certum numerum orationum, nec facere ea omnia, quæ devotionem augere possunt, modo vis infallibilis ipsis non tribuatur.[6]

5° Nec ullatenus superstitiosum, quinimo valde religiosum ac pium est recitare preces novendiales, aut toties preces iterare in cultum Domini Nostri vel B. Virginis alicujusve Sancti, modo vis *infallibilis* tali numero, certæ diei, aut fixo tempori non annectatur.[7]

[1] L. IV. 20.
[2] 2. 2. q. 96. a. 1.
[3] L. IV. 17.
[4] L. IV. 17.
[5] Ib.
[6] Ib.
[7] Ib.

§ III. *De divinatione.*

337. *Definitio.* — Divinatio est inquisitio *occultorum* ope dæmonis.

Divisio. Est 1° *expressa*, si fiat per invocationem expressam dæmonis; 2° *tacita*, si illa invocatio sit tantum in mediis improportionatis.

Varia distinguuntur divinationis genera, cujusmodi sunt præsertim 1° Astrologia judiciaria ex astris; — 2° Augurium ex garritu avium; — 3° Auspicium ex earum volatu; — 4° Aruspicium ex visceribus animalium; — 5° Chiromantia ex lineis manus; — 6° Geomantia ex signis in terra; — 7° Omen ex fortuito casu; — 8° Necromantia ex invocatione mortui; — 9° Oniromantia ex somniis; — 10° Sortilegium ex sortibus; — 11° Oraculum ex idolis; — 12° Vaticinium ex vatibus aut chartis.[1]

338. Principia. — I. Divinationi tribuendum est quidquid occulti cognoscitur alio modo quam per revelationem, aut per media naturalia; non enim aliud datur medium res occultas investigandi. — In dubio autem utrum cognitio ex mediis naturalibus oriatur, nec ne, num a bono an a malo spiritu, applicandæ sunt regulæ supra de vana observantia expositæ. (n. 335.)

II. Divinatio expressa nunquam a mortali excusari potest, ne per ignorantiam quidem; patet enim pactum cum dæmone, aut eum, etiam sine pacto, invocare, esse quid gravissime illicitum.

Constat aperte ex S. Scriptura. Deut. 18. 10. Lev. 20. 6.

III. Divinatio autem tacita aliquando a mortali excusari potest ob simplicitatem vel ignorantiam, vel ob defectum fidei certæ.[2]

339. *Resolves.* — 1° Non vacat culpa gravi, qui, utens mediis improportionatis ad aliquam cognitionem, protestatur se nullum cum dæmone commercium intendere; agit enim contra suam protestationem, et dæmonem implicite invocat, cum nec Deus, nec Angeli talibus se immisceant. — Secus tamen in dubio, an effectus habeatur a causa naturali, ut de vana observantia dictum est.[3] (n. 335.)

[1] L. IV. 5. 6.
[2] L. IV. 7.
[3] L. IV. 8.

2° Distinguendi sunt sedulo effectus naturales a liberis; priores enim sæpe conjici possunt, uti v. g. ex cantu et volatu avium, aut siderum aspectu conjicitur tempestas, pluvia vel cœli serenitas, etc.: experientia enim constat, inter hæc naturalem adesse connexionem; secus vero de posterioribus dicendum.

3° *Indoles* aut *animi status* interdum aliquo modo ex colore vultus vel aliis signis externis conjici potest, etsi in praxi plerumque a talibus conjecturis sit abstinendum ob judicii temerarii periculum; *actus* vero liberi, sive præteriti, sive futuri nunquam certo cognosci possunt.

4° Peccant graviter, qui de fortuna seu vita sua futura a vatibus inquirunt (anglice: *to consult fortune-tellers; card-cutting*); nisi ex simplicitate, joco aut curiositatis causa agant, quin fidem dictis adhibeant.[1] — Si tamen serio faciat vates, difficile a cooperatione graviter culpabili excusari possunt.

340. Quæsita. — Quær. 1° *An aliquando licitus sit usus sortium?*

Resp. 1° Sortes *divisoriæ*, quibus decernitur, quid cuique sit tribuendum in litibus dirimendis, vel rebus distribuendis, certo licitæ sunt, siquidem omni prorsus superstitione vacant.

Resp. 2° Sortes *consultoriæ*, quibus indagatur divina voluntas, ut sciatur quid sit agendum, non sunt licitæ, nisi fiant speciali Dei impulsu, aut agatur de gravi negotio, in quo aliud consilium desit. Ratio est, quia ex ordinaria providentia non vult Deus, ut ita inquiratur de sua voluntate, sed ad viros prudentes, vel Superiores ecclesiasticos recurrendum est.

Resp. 3° Sortes *divinatoriæ*, quibus rei occultæ manifestatio inquiritur, v. g. ex jactu taxillorum, etc., . . . sunt semper graviter illicitæ, utpote tacitam saltem dæmonis invocationem continentes. Hujusmodi superstitio proprie *sortilegium* nuncupatur, quo nomine etiam alia superstitionum genera vulgo veniunt.[2]

341. — Quær. 2° *An liceat futura ex somniis conjicere?*

Resp. Neg. ordinarie, quia somnia fere ex causis naturalibus proveniunt, v. g. ex humorum commotione, etc. . . . Aliunde somnia a Deo immissa rarissima sunt, et conjunguntur signis, per quæ a somniis naturalibus vel diabolicis certo secerni possint.[1]

Quær. 3° *An licitus sit usus virgæ divinatoriæ?*

Resp. 1° Certo est damnandus, quoties virga movetur, vel non movetur ad meram intentionem ejus, qui eam manu premit, nec movetur in conspectu alterius rei non quæsitæ, licet ejusdem sit naturæ. Nulla enim est proportio inter rem naturalem et hominis intentionem. Hinc graviter peccant, qui virga utuntur ad furem quærendum, vel ad lapidem agri limitem detegendum.[2]

Resp. 2° Quibusdam non videtur certo damnandus usus virgæ ad detegendas aquas vel metalla, si virga super hæc in omni casu æque moveatur, sive quærantur sive non quærantur, modo fiat protestatio contra diabolicam operationem, quæ forte adesse possit, excludaturque omnis animus superstitiosus.[3]

342. — Quær. 4° *An licitus sit Magnetismus?*

Prænot. Triplex præcipuus Magnetismo effectus seu gradus tribuitur; a) status *somni*, quo sensus sopiuntur, ut in somno naturali, at sæpe ita "ut nec maximus fragor ad sopiti aures, nec ferri ignisve ulla vehementia excitare illum valeat." Ita Postulatum Lausanensis Episcopi 19 maii 1841; b) status *somnambulismi*, in quo quis, licet usu sensuum omnino destituatur, videt tamen, audit, loquitur, et respondet ad omnia, de quibus interrogatur; c) status *claræ intuitionis*, seu mira sui vel alterius status cognitio, et remediorum morbis convenientium, necnon visio actionum aliorum hominum, etiam longe distantium, et eorum omnium, quæ tum prope, tum procul aguntur.

Resp. Theologi in tres *olim* abierunt sententias, quarum prima *omnes*, secunda *nullos*, tertia *aliquos* illius effectus diabolo adscribit. Tertia hæc sententia *practice* probari amplius nequit, et admittenda omnino videtur prima. Nam *simplex* voluntas, vel intentio magnetizantis, vel etiam consensus magnetizati huic voluntati conjunctus, causa vel unica vel certe primaria perhibetur omnium et singulorum horum trium effectuum; at causa hæc

[1] L. IV. 10. [2] L. IV. 11.

[1] L. IV. 9. [2] Ib. 8. [3] Cfr. Vind. p. 916. 2.

omnino improportionata est singulis his effectibus. Etenim causa illa proportionata dici nequit, 1) voluntas cum suis actibus immanentibus, quia virtus actus immanentis tota in ipsa voluntate *consummatur*, nec ad *extrinsecum sibi effectum* transilit; neque 2) voluntas utens ministerio alterius potentiæ; quia ita *circumscribitur* facultate ejusdem potentiæ, ut effectus ipsam hujus alterius potentiæ facultatem *excedere* non possit. (Quo v. c. modo Magnetizans, qui rem quampiam, quam ignorat, cognoscere studet, hujus rei scientiam in magnetizatum transmittere poterit?) — neque 3) fluidum, quia inter substantiam spiritualem et materialem nullum est medium. Ergo singulo gradui applicari possunt hæc verba Encyclicæ S. C. Inq. dd. 4 aug. 1856 (vide p. XLIX.). "In hisce omnibus, quacumque demum utantur" (magnetizantes scilicet) "arte vel illusione, cum ordinentur media physica ad effectus non naturales" (qualis etiam est somnus, ut supra descriptus), "reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis, et" (quod ordinarie in modo magnetizandi adest) "scandalum contra honestatem morum." Quapropter omnino subscribendum putamus his verbis cl. Perrone.[1] "Licet haud pauci Catholici censuerint ac porro censeant, in universum fuisse ab Ecclesia usum ipsum magnetismi proscriptum ac eliminatum, non desunt tamen, iique docti ac pii, qui id inficientur. Persuasum nihilominus nobis est, sin minus *theoretice*, *practice* tamen ab eadem Sede Apostolica fuisse et esse ejusmodi magnetismum improbatum."

Nec obstat declaratio ejusdem S. C. Inq. 28 julii 1847. "Remoto omni errore, sortilegio, explicita aut implicita dæmonis invocatione, usus Magnetismi, nempe merus actus adhibendi media *physica* aliunde licita, non est moraliter vetitus." Sacra enim Congregatio, prout sæpius sancte testati sunt ejusdem S. Cgnis consultores, nullum umquam de *physica* hujus magnetismi quæstione examen instituit.

Hinc præcise magnetizatores ne de morborum quidem natura consulere licebit ad dignoscendum, quænam illis cura sit adhibenda; nisi enim, ut n. 355. III. vidimus, *certa* adsit probabilitas effectus quosdam a causa naturali provenire, ne cum protestatione quidem contra quemlibet dæmonis interventum, media, quamvis dubie tantum superstitiosa, adhibere licet; atqui magnetismi effectus, nedum certo probabiliter a naturali causa provenire dicendi sint, dæmoni potius juxta communiter contingentia tribuendi sunt. Ergo *practice*, etc. — Accedit quod, ut mox dicetur, a mago peti non possit, ut maleficium tollat, nisi rationabiliter præsumi possit, illum media naturalia ad hoc scire. Ergo a pari a magnetismo remedia morbo non sunt petenda, nisi rationabiliter præsumi possit, illa modo naturali cognoscenda esse; at certe præsumendum est contrarium. Ergo

Quær. 5° *Quid de Spiritismo?*

Resp. Certum hodie est tabulas gyrantes vel verberantes cæteraque media, quibus utitur Spiritismus, partim fallaces præstigias, partim diabolicas esse superstitiones,[1] atque adeo illicitum esse Spiritismi operationes sive experiri, sive approbare, sive iis quovis modo, e. g. adsistendo, favere.

§ IV. *De magia et maleficio.*

343. I. — Magia, *late* sumpta, seu magia *naturalis* aut *artificialis*, quæ magia *alba* vocatur, est ars faciendi mira, saltem apparenter, per causas naturales aut hominis industriam, absque ullo dæmonis ministerio.

Magia, *stricte* dicta, est ars mira faciendi, quæ licet non supernaturalia sint, vires tamen hominis superant, et proinde ope solius dæmonis explicite vel implicite invocati fieri possunt.

II. Maleficium est ars nocendi cum dæmonis interventu. Duplex distinguitur, scilicet *amatorium* et *veneficum*. Maleficium *amatorium*, seu *philtrum*, est ars diabolica, qua lubricus amor vel odium in aliqua persona erga aliam vehementer excitatur, phantasiam immutando et vividius excitando, pulchriores species exhibendo, humores libidinosos commovendo. Maleficium *veneficum* est præcise ars proximo nocendi ope dæmonis, idque variis modis, v. g. morbis, hebetudine, etc.[2]

[1] De Virt. Relig. P. II. S. II. c. 4. Prop. 8.

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 36 sq. [2] L. IV. 23.

Maleficium vulgo vocatur *sortilegium*, quia per illud sors mala injicitur iis, contra quos vindicta, per operationem diabolicam, exercetur. Hinc in Jure Canonico et in historia ecclesiastica magi et sagæ *sortiárii* et *sortiariæ* vocantur.

344. *Resolves.* — 1° Magia non differt a vana observantia, nisi quod ejus effectus sint magis miri, v. g. immutatio corporum, etc. . . . Specie autem morali nec a vana observantia differt, nec a divinatione; quia parvi refert, utrum a dæmone occultorum notitia aut effectus mirandi petantur.

2° Maleficium autem differt specie ab aliis superstitionibus, quia præter peccatum Religioni oppositum, damnum proximi superaddit.

3° Maleficium *amatorium* non inducit necessario ad patrandum luxuriæ peccatum; quia non tollit libertatem, sed ad libidinem tantummodo vehementer excitat erga aliquam personam determinatam, phantasiam immutando et vividius excitando, pulchriores species exhibendo, humores libidinosos commovendo.[1]

Quær. *An peti possit a mago, ut maleficium tollat?*

Resp. Neg., nisi rationabiliter præsumi possit, illum media naturalia ad hoc scire. — Ita *communiter* Theologi.[2] Cfr. n. 319.

ARTICULUS II.

DE IRRELIGIOSITATE.

Irreligiositas est irreverentia specialis, quæ Deo, vel immediate in se, vel mediate in personis, vel rebus sacris irrogatur. Præcipuæ ejus species sunt tentatio Dei, sacrilegium, simonia, blasphemia et perjurium. De duobus ultimis in 2° præcepto dicetur.

§ I. *De tentatione Dei.*

345. — Tentatio Dei est dictum vel factum, ad capiendum de Deo experimentum per extraordinarium effectum ab eo temere expectatum. — Ita *communis* cum S. Thom.[3]

Ex duplici autem vitio procedit, nimirum vel ex *infidelitate*, quando quis dubitans de aliqua Dei perfectione, quidpiam dicit aut facit animo obtinendi a Deo perfectionis illius manifestationem, et hæc dicitur *formalis* seu *expressa*; vel ex mera *præsumptione*, quando quis, nihil dubitans de Dei perfectionibus, absque necessitate vult aut divinæ voluntatis manifestationem aut speciale Dei auxilium obtinere per prodigia, et hæc vocatur *implicita* seu *interpretativa*.

Certum est tentationem Dei formalem seu expressam semper esse peccatum mortale contra Religionem. — Si autem sit implicita solum, sæpe ob ignorantiam aut inadvertentiam, venialis esse potest, licet *de se* probabilius sit mortalis.[1]

Resolves. — 1° Graviter peccarunt contra Religionem, qui olim innocentiam suam probari postulabant duello, ferro candenti, etc., vel qui sine justa causa ad martyrium ultro se offerebant, nisi bona fide aut divina inspiratione excusati fuerint.

Attamen licet a Deo petere miraculum sub conditione, *si ei placuerit*, quoties adsit causa gravis, ad nostram aut aliorum salutem, vel ad divinam implendam voluntatem, sive, ut ait S. Th.[2], cum subsit justa necessitas seu pia utilitas, et alia quæ ad hoc concurrere debent; nam tunc non est tentare Deum, sed Dei auxilium expostulare in tempore *opportuno*.

2° Item peccat graviter, qui absque justa causa periculo mortis se exponit, propterea quod divinum expectat auxilium; si vero temere tantum agat, quin certo divinæ Providentiæ confidat, non peccat contra Religionem, sed tantum contra quintum Decalogi præceptum.

3° Leviter tantum peccat, qui in morbo levi, rejectis remediis, sperat a Deo sanitatem; quia ibi non est gravis deordinatio. Imo ab omni culpa excusatur, si speret se naturaliter, Deo juvante, a tali morbo liberatum iri.[3]

4° Item peccat *per se* venialiter, qui ex negligentia imparatus accedit ad prædicandum Dei verbum, sperans a Deo speciale auxilium.

§ II. *De sacrilegio.*

346. — Sacrilegium est violatio seu indigna tractatio rei sacræ. Triplex dis-

[1] L. IV. 23. [2] L. IV. 24. 25.
[3] 2. 2. q. 97. a. 1.

[1] L. IV. 29. Cfr. Vind. p. 187.
[2] 2. 2. q. 97. a. 2. [3] L. IV. 32.

tinguitur 1° personale; 2° locale; 3° reale.

Principia. — I. Sacrum hic dicitur quidquid ad divinum cultum ex institutione divina vel ecclesiastica deputatur, ideoque specialem reverentiam meretur.— S. Thomas.[1]

Hinc 1° *Personæ sacræ* sunt, quæ cultui divino sunt deputatæ per Sacram Tonsuram, aut per vota religiosa, aut *probabilius* etiam per quodlibet votum castitatis.

2° *Loca sacra* sunt ea, quæ publica Ecclesiæ auctoritate cultui divino dedicantur, ut templa, cœmeteria, sacella publica, etiam non consecrata aut benedicta; non vero sacella privata.

3° *Res sacræ* sunt eæ, quæ ad cultum divinum pertinent vel proxime referuntur, ut Sacramenta, vasa consecrata, Reliquiæ vel imagines Sanctorum; item quæ pertinent ad ornatum Ecclesiæ vel ministrorum; bona denique ecclesiastica etiam mobilia. — S. Thom.[2]

II. Sacrilegium est peccatum mortale *ex genere suo*, quia excellentissimæ virtuti morali, nempe Religioni adversatur, et plerumque materiam gravem respicit. — Leve tamen fieri potest ratione parvitatis materiæ, vel imperfectionis actus.[3]

III. Sacrilegium specie differt, prout personam, locum aut rem sacram afficit; unde in confessione istæ circumstantiæ explicandæ sunt. — S. Alph.[4] S. Thom.[5]

347. *Resolves.* — 1° Sacrilegium *personale* committitur: 1) inferendo manus violentas in Clericum vel Religiosum; 2) luxuriose violando personas Deo dicatas, etiam solis tactibus; 3) personas ecclesiasticas subjiciendo judicio fori sæcularis. — Non erit autem sacrilegium detrahere de sacerdote, quia ejus tantum persona est sacra, non vero ipsius fama.[6]

2° Sacrilegium *locale* committitur 1) peccatis omnibus, quibus Ecclesia polluitur de Jure Canonico, scilicet effusione sanguinis vel seminis humani, homicidio, sepultura excommunicati aut infidelis in Ecclesia; 2) peccatis omnibus, quæ fiunt contra immunitatem et sanctitatem loci sacri, ut sunt effractio, spoliatio, furtum, rixæ et similia; 3) actionibus sanctitati loci indecentibus, ut sunt mercatus, conclamationes, strepitus judicorum, nisi gravis causa excuset.[1]

3° Sacrilegium *reale* committitur 1) indigna administratione aut susceptione Sacramentorum; 2) indigna tractatione sacrarum Reliquiarum, imaginum, etc.; . . . 3) profanatione vasorum, instrumentorum vel ornamentorum sacrorum; 4) furto rei ad cultum divinum vel ad Ecclesiam pertinentis; 5) abusu Scripturæ, v. g. verba ejus detorquendo ad vana, etc.; 6) vasorum sacrorum, corporalium, etc. incuria in iis, qui hæc religiose curare debent.[2]

348. Quæsita. — Quær. 1° *An sit sacrilegium violatio personæ voto simplici castitatis ligatæ extra Religionem?*

Resp. Controvertitur. Sententia S. Alph. *probabilior*,[3] *affirmat*, quia per quodlibet castitatis votum homo vere Deo consecratur. Propria enim voluntas ad actus proprios Deo consecrandos sufficit, dum ad consecrationem publicam publica requiritur auctoritas. — Billuart.[4]

Cæterum quisquis ligatus sit voto castitatis, quoties hoc violet, *certo* duplex committit peccatum, alterum nempe contra castitatem, alterum vero contra Religionem. — Lacroix.[5]

Quær. 2° *An omnia peccata luxuriæ in Ecclesia aut cœmeterio commissa sint sacrilegia?*

Resp. 1° Peccata *mere interna* non sunt habenda ut sacrilegia, quia locum sacrum non videntur specialiter afficere, nisi habeatur desiderium externe peccandi in ipso loco sacro. — Ita *communiter*.[6]

Resp. 2° Quoad peccata *externa*, certum est committi sacrilegium per actus consummatos, nempe per pollutionem voluntariam, fornicationem, etc. Ex Jure Canonico aperte patet. An vero committatur etiam per alia peccata externa gravia, v. g. tactus graviter turpes, *controvertitur*. *Probabilius affirmant* S. Alph.[7] Collet, etc.

Quær. 3° *An omne furtum in Ecclesia sit sacrilegium?*

Resp. 1° Constat, esse sacrilegium omne furtum rei sacræ et etiam rei non

[1] 2. 2. q. 99. a. 3.
[2] 2. 2. q. 99. a. 3.
[3] L. IV. 33.
[4] L. IV. 34.
[5] 2. 2. q. 99. a. 3.
[6] L. IV. 35.

[1] L. IV. 36.
[2] L. IV. 40–48.
[3] L. IV. 47. Cfr. Vind. p. 191.
[4] Diss. 10.
[5] L. III. 55.
[6] L. IV. 462.
[7] L. IV. 459. Cfr. Vind. p. 205.

sacræ, commissæ tamen loci sacri custodiæ, ut patet ex Jure Can.[1]

Resp. 2° Quoad res, quæ casu aut per accidens in Ecclesia reperiuntur, ut crumenæ, horologium, etc. . . . utrinque probabiliter controvertitur.

349. — Quær. 4° *An læsio quorumcumque bonorum ad Clericos pertinentium sacrilegium constituat ?*

Resp. Neg., sed tantum læsio bonorum, quæ Clerici possident non suo sed Ecclesiæ nomine, et de quibus disponere nequeunt, et eorum, quæ pertinent ad ornamentum ecclesiæ, quia hæc tantum sunt sacra.[2]

Quær. 5° *Quibusnam licitum sit vasa sacra tangere ?*

Resp. Si actu contineant SS. Sacramentum, extra casum necessitatis seu periculum profanationis, nulli licet, sine gravi peccato, illa tangere, etiam mediate, præterquam sacerdoti aut diacono; secus omnibus et solis Clericis absque licentia speciali. Id etiam conceditur regularibus laicis sacristis, ex privilegio Sixti IV., necnon monialibus sacristis ex communicatione privilegiorum. Cæteris laicis prohibetur sub veniali, ea *immediate* tangere, nisi excuset rationabilis causa.[3]

Licet autem omnibus tangere alias res sacras, cujusmodi sunt v. g. *Agnus Dei*, saltem ex hodierna consuetudine, Reliquiæ Sanctorum, ornamenta sacra, exceptis iis quæ sanctam Eucharistiam immediate tangunt, ut e. g. corporalia, pallæ, purificatoria post usum et ante lotionem. Prima autem horum lotio a clerico in sacris perficienda est, at probabiliter etiam a tonsurato perfici potest; sine veniali autem fieri nequit a laico, vel etiam a moniali seu piis fœminis vitam communem sub regula degentibus;[4] *secunda* vero et *tertia*, licet convenientius fiant a clerico, sine peccato tamen etiam a laico fieri possunt. Veniale etiam foret aquam lotionis non projicere in sacrarium.[5]

§ III. *De Simonia.*

350. *Definitio.* — Simonia, a Simone mago sic dicta, est studiosa voluntas vendendi aut emendi pretio temporali aliquid spirituale, aut spirituali adnexum. Dicitur *voluntas studiosa*, non modo quia, non secus ac alia peccata, *deliberationem exigit*, sed etiam quia ad essentialem ejus malitiam non requiritur ut pactum mutuo consensu vel reipsa perficiatur, sed sufficit interior vel unius affectio simoniaca, paciscendi nempe seu obligandi voluntas.

Pretium temporale triplicis generis in Jure Canonico[1] distinguitur: 1° *munus a manu*, seu retributio rei cujusvis temporalis pretio æstimabilis; 2° *munus a lingua*, seu patrocinium, quo nomine veniunt laudes, commendationes, preces, etc., ex pacto interponendæ in favorem conferentis rem spiritualem; 3° *munus ab obsequio*, seu servitus quælibet, aut officia alteri præstita, v. g. famulatus aut simile officium quodlibet.

351. — Triplex pariter est temporale spirituali adnexum: 1° *antecedenter*, cui accedit spirituale, ut jus patronatus fundo inhærens; 2° *consequenter*, quod ex spirituali pendet, ut fructus beneficii aut officii; 3° *concomitanter*, ut labor in functionibus sacris. Hujusmodi autem labor adnexus est rei spirituali vel intrinsece, vel extrinsece. Dicitur adnexus *intrinsece* si a re ipsa non sit facile separabilis; secus adnexus *extrinsece* dicitur. Sic celebratio Missæ est labor intrinsece rei spirituali adnexus; defatigatio autem extraordinaria, ut cantus, dilatio ad meridiem, iter longum vel arduum suscipiendum ad celebrandum, et alia similia ad laborem extrinsece adnexum pertinet.

Divisio. Simonia distinguitur

1° *Mentalis*, si fiat mere interne vel absque pacto, ut si quis collatori vacantis parœciæ filium commendet, et interim specie doni liberalis argentea vasa ipsi mittat ea interna intentione, ut eum moveat et obliget ad filium suum nominandum.

2° *Conventionalis*, si pactum quidem intercedat, sed nullo modo executioni mandatum.

3° *Realis*, si pactum ex utraque parte adimpleatur.

Accedit Simonia *confidentialis*, quæ fit quolibet pacto, seu confidentia in electi-

[1] C. 21. § 2. causa 17. q. 4.
[2] L. IV. 42.
[3] L. IV. 48. VI. 382.
[4] S. R. C. 12 Sept. 1857.
[5] L. IV. 48. VI. 382, 387.

[1] C. 114. causa 1. q. 1.

one vel præsentatione ad beneficia, aut in horum resignatione, etc.[1]

Distinguitur etiam Simonia *juris divini* seu *naturalis*, et *juris ecclesiastici*. Prior habetur, si res simoniace permutata spiritualis sit ex natura sua, ut sunt indulgentiæ, Sacramenta, etc.; posterior vero, si quid fiat contra legem aliquam, quæ ab Ecclesia lata sit ob simoniæ vel *periculum*, vel *speciem*.

352. Principia. — I. Ad Simoniam requiritur, ut temporale detur aut accipiatur sive *formaliter*, sive *virtualiter* pro ipsa re spirituali, et in ejus commutationem, ita ut fiat æquiparatio rei spiritualis cum temporali, seu commutatio, ex motivo primario unum pro altero ceu pretio aut justa compensatione habendi. Ratio ex ipsa Simoniæ definitione aperta est. Hinc si interveniat aliquod motivum honestum, vi cujus temporale et vicissim spirituale tribuatur, unum non esset amplius alterius motivum, sed solum ejus causa impulsiva, nec proinde Simonia foret.

Dixi: 1° *formaliter*, id est, quod directe quis intendat loco temporalis et propter ejus æstimationem accipere spirituale.

Dixi: 2° *virtualiter*, quod nempe quis per temporale *proxime* et *immediate* obtinere velit spirituale, nec aliud motivum verum et honestum intercedat. In hac enim voluntate virtualiter includitur intentio unum cum alio commutandi.

II. Licet dare pro pretio temporali adnexum spirituali *antecedenter et concomitanter extrinsece*, modo pretium ob spirituale adnexum non augeatur. Nullatenus vero licet dare pro pretio adnexum spirituali *concomitanter intrinsece*, seu *inseparabiliter*, neque adnexum *consequenter*.

Ratio 1^mi^, quia res et labor actionis sunt vere in se pretio æstimabiles. Prohibetur tamen Jure Canonico venditio balsami, quod in Chrismate continetur, licet consecrationi præexistat; quia cum sit modici pretii, Episcopus vendere Sacramenta videretur.[2]

Nihilominus quoad Oleum benedictum vel Sacrum Chrisma Scavini advertit, usum in aliquibus Ecclesiis cathedralibus invaluisse, ut aliquid ab Ecclesiis particularibus accipiatur pro compensandis sumptibus factis in materia comparanda.

[1] L. IV. 49. 85. 86 sq. [2] L. IV. 72.

Ratio 2^di^ est, quia quod est intrinsece adnexum spirituali, ab ipso inseparabile est; unde res ipsa vel actio vendi censeretur. Attamen, etiam secluso labore extrinseco, licite aliquid pro ministerio sacro accipi potest ratione stipendii, seu sustentationis, ut ex praxi Ecclesiæ constat. Postulat enim æquitas naturalis, ut honesta sustentatio concedatur iis, qui aliorum utilitati vacant. Hinc Christus:[1] *Dignus est operarius mercede sua.* — Et Apostolus,[2] *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

Ratio 3^tii^ est, quia illud *consequenter* censetur spirituale, vel spirituali alligatum. Eruitur etiam ex speciali Juris Canonici dispositione.

III. Simonia est peccatum gravissimum; et, si sit juris divini et naturalis, materiæ parvitatem non admittit. Si autem Simonia sit juris ecclesiastici, potest in ea dari materiæ parvitas juxta S. Alph.[3] — Ratio est, quia res spiritualis quælibet ex comparatione cum re temporali cum magna injuria in ipsum Deum vilipenditur. Constat etiam ex verbis S. Petri ad Simonem magum.[4] *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

353. Quæsita. — Quær. 1° *An sit Simonia dare principaliter quidem temporale ob spirituale, sed non unice?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia etiam sic adest comparatio rei temporalis cum spirituali. Motivum enim, quod adjicitur, quantumvis honestum sit, prioris motivi, propter quod principaliter datur temporale, malitiam et impietatem non destruit.[5] Constat etiam ex proposit. 45^a^ ab Innoc. XI. damnata (p. XVI.).

Quær. 2° *An sit Simonia dare aut procurare Superiori temporale ad sibi eum conciliandum intuitu beneficii aut officii obtinendi vel non amittendi?*

Resp. Neg., si intentio primaria sit dandi gratis temporale; quia tunc comparatio immediata fit rei temporalis cum temporali, nempe benevolentia Superioris.

[1] Luc. 10. 7. [2] I. Cor. 9. 13.
[3] L. IV. 50. [4] Act. 8. 20.
[5] L. IV. 54.

Secus autem, si intendatur res spiritualis ut debita retributio, non vero ut effectus gratitudinis animi, quæ intentio, nisi oppositum ex adjunctis, puta ex exiguitate muneris, etc. vel constet, vel colligi possit, præsumenda est virtualiter existere, si alius titulus, v. g. tollendæ injustæ vexationis, etc. desit.[1]

Quær. 3° *An sit Simonia obire functiones sacras* PRINCIPALITER *ob stipendium, vel recipere aliquid pro doctrina sacra?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, saltem *probabilius*, quia stipendium non recipitur ut pretium rei sacræ, sed tanquam debitum personæ, quæ in proximi gratiam occupatur. — Lacroix, et alii *communiter*[2] contra aliquos. Idcirco si inordinata quæpiam affectio intercedat (nam aberit omnis culpa, si indigentia aut alia honesta causa ad quærenda ejusmodi stipendia impellat), non Simoniæ, sed avaritiæ vitium erit.

Resp. ad 2^um^ *Affirm.*, si instructio tendat ad bonum spirituale aliorum, quia est res spiritualis, nisi tamen accipiatur titulo stipendii seu sustentationis. Secus vero si instructio sit mere temporalis, v. g. in tradenda explicatione Sacrarum Litterarum aut Theologiæ.[3]

354. — Quær. 4° *An Simonia sit pecunia se redimere ab injusta vexatione circa beneficia, aut aliud bonum spirituale, v. g. Sacramenta,* etc.?

Resp. Neg., saltem *probabilius*, quia vexationis liberatio, quæ sola directe intenditur, est quid temporale. — Hinc potes dare pecuniam inimico tuo, si conetur per fraudem impedire collatorem, ne tibi faveat. — S. Alph.,[4] et alii *communiter*. Imo in idipsum DD. consentiunt, etiamsi solis precibus impedire velit. Non autem potes dare pecuniam iis, qui obesse vel prodesse possunt eligendo vel præsentando ad beneficium aut illud conferendo; etenim offerre illis pecuniam, ne obsint, idem foret ac offerre, ut prosint, scilicet ut consensum non denegent.[5]

Quær. 5° *An Simonia sit dare vel accipere aliquid pro ingressu in Religionem?*

Resp. 1° Certum est, non licere dare vel accipere aliquid pro solo ingressu; quia hoc esset commutatio rei sacræ, cujusmodi est Religio, cum re temporali.

[1] L. IV. 51. [2] L. IV. 55.
[3] L. IV. 94. [4] L. IV. 101.
[5] L. IV. 99.

2° Certum est etiam, licere monasterio pauperi aliquid exigere pro ingredientis sustentatione, quia tunc non commutatur res spiritualis cum temporali; et alioquin postulat æquitas, ut recipiatur aliquid, ne monasterium oneribus gravatum corruat.

3° Certum est pariter, licere monasterio aliquid exigere pro sustentatione Novitiorum, quia cum non adhuc pertineant ad Religionem, et pro libitu discedere possint, et sæpe reipsa discedant, æquum non est monasterium pro ipsis tam gravi oneri subesse. Religio tamen Fratrum Minorum ex decreto speciali nihil accipere potest.

4° Controvertitur autem, si agatur de monasterio opulento. Negat S. Alph.,[1] nisi recipiendus sit senex vel infirmus. Cæterum nunc evanescit omne dubium ob temporum difficultatem. Nulla enim inveniuntur monasteria adeo opulenter fundata, ut auxilio alieno pro præsenti et futuro nullatenus indigeant. Præterea Moniales dotem statutam semper exigere possunt, ut ex pluribus decretis constat.

355. — Quær. 6° *An Simoniam committat sacerdos, qui spondet laico Missam pro exitu ludi, dum socius pretium temporale exponit?*

Resp. Neg. per se, quia hac ratione res spiritualis non æquiparatur proprie temporali, sicut non æquiparatur, quando Missa dicitur pro stipendio; sed tantum offertur executio rei spiritualis loco temporalis, quæ foret alioquin tradenda. Non enim peccat, qui offert creditori 100 Missas pro eo celebrandas, ut remittat debitum $ 100; ergo a pari nec peccat, qui spondet Missam pro exitu ludi, dum alter $ 1 exponit. — Ita Voit[2] contra alios. — Cæterum ejusmodi ludus raro caret aliquo scandalo, et proinde semper dissuadendus est.

Quær. 7° *An Simoniam committat sacerdos, qui pro Missa stipendium supra taxam consuetam aut ab Episcopo statutam exigit?*

Resp. Neg., nisi mente simoniaca agat; quia, cum alium habeat titulum exigendi remunerationem, deficit comparatio inter spirituale et temporale. Peccaret quidem contra obedientiam vel justitiam plus

[1] L. IV. 92. [2] n. 506.

æquo exigendo, minime vero contra Religionem. Contradicit tamen Voit,[1] eum aliis, quia (ait) tunc deest omnis justus titulus exigendi temporale.

356. — Quær. 8° *Quid de sic dictis* JURIBUS STOLÆ?

Resp. 1° Jure *communi* statutum est, a) ne horum solutio conditio sit, sine qua non sacrarum functionum, nec proin *ante illas* exigatur; b) ut *post* sacras functiones, quibus lege diœcesana aut legitima consuetudine annexa sunt, exigi valeant, et quidem ex justitia,[2] præterquam a pauperibus; c) ut per Episcopum, non per sacerdotem, compescantur, qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare,[3] recusata etiam absolutione iis, qui Episcopo parere detrectant, nisi tamen parocho satius visum fuerit jus suum remittere, et hæc remissio a detrectante acceptetur.

Resp. 2° Juxta Conc. Pl. Balt. II. Episcoporum est, "in . . . . synodo diœcesana, vel alias, prout illis in Domino visum fuerit, consilio sacerdotum etiam adhibito, justam" statuere "rationem, qua inter sacerdotes simul . . . commorantes eleemosynæ, quas fideles occasione Sacramentorum Baptismi vel Matrimonii administrationis sponte conferunt, distribuantur, potioris juris et graviorum onerum pastoris non neglecta consideratione."[4]

Præterea in variis diœcesibus statutum est, ut *jura* stolæ, quæ ex functionibus in alterius parochia aut in gratiam alieni parochiani exercitis proveniunt, pastori proprio remittantur. Id tamen non est intelligendum de oblationibus *omnino* voluntariis, seu de iis, ad quas fideles neque lege diœcesana, neque consuetudine obligantur; neque etiam de ea parte oblationis debitæ, quæ taxam a lege vel consuetudine statutam excedit; ea enim parte omnino voluntaria est.

Resp. 3° Quod speciatim Sacramentorum administrationem attinet, occasione

a) *Confirmationis*, si cum visitatione pastorali, ut solet, conjungitur, "sit . . . in optione eorum, qui visitantur, si malint solvere id, quod erat ab ipsis antea solvi, certa pecunia taxata, consuetum, an vero . . . victualia subministrare"[1] Episcopo.

b) *Eucharistiæ*, nihil accipi consuevit.

c) *Pœnitentiæ*, confessarii "pœnitentias pecuniarias sibi ipsis . . . non applicent, neque a pœnitentibus quidquam tanquam ministerii sui præmium petant, vel accipiant."[2] "Etiam ultro," monet Conc. Plen. Balt. II.[3] "quocumque nomine oblata recusent; nec vel ipsam Missæ eleemosynam in hoc sacro tribunali offerri sinant."

d) *Extremæ Unctionis*, nihil accipitur. "Quodsi sacerdos iter longinquum fecerit ad eos invisendos, nil vetat ut ei dentur necessariæ itineris impensæ: absit autem ut a pauperibus exigantur."[4]

e) *Ordinum*, "nihil . . . etiam sponte oblatum, Episcopi et alii ordinum collatores, aut eorum ministri, quovis prætextu accipiant."[5] Expensas tamen itineris Episcopus vice alterius vel extra cathedralem favore alicujus conventus aut collegii Ordines conferens accipere poterit.

f) *Baptismi* et *Matrimonii*. Certum est 1) nihil *exigi* posse, ubi non adsit lex diœcesana aut laudabilis consuetudo. Laudabilis autem hæc dici nequit, si non ex fidelium pietate, sed ex sacerdotum exactione processisset, ut explicant Canonistæ.

2) "Ea quæ pietatis studio post collatum baptisma aut matrimonium, eleemosynæ nomine, a fidelibus *sponte* offeruntur," sacerdotem, si velit, accipere posse.[6]

Resp. 4° Circa sepulturam statutum est I. *Jure communi* 1° a) pro terra, sepulturæ deputanda (nam hoc etiam sensu venit vox *sepultura*), nondum benedicta, aliquid exigi vel accipi potest; b) non vero pro terra jam benedicta, c) nisi *vel* adsit consuetudo, *vel* liberaliter quid offeratur, *vel* ratione situs aut loci honoratioris aliquid petatur.

Patet *prima* responsionis pars ex eo, quod hujusmodi terra aliquid profani sit, et proin sine aliqua simoniæ labe vendi possit et emi; *secunda* ex L. V. Decr. T. XXVIII. c. 13; *tertia*, ex eo quod

[1] n. 497.
[2] L. IV. 55. quær. V.
[3] L. V. Decr. Tit. 3. c. 42 et Reiffenst. in h. t.
[4] a. 94.

[1] Tr. Sess. 24. c. 3. de Ref.
[2] Rit. Rom. de Sac. Pœnit.
[3] a. 289.
[4] Kenr. Tr. XII. 66.
[5] Tr. Sess. 21. c. 1.
[6] Conc. Pl. Balt. II. a. 221.

consuetudo illa in jure l. c. non vocetur prava, nisi casu, quo "decedentibus non prius permittatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur"; — liberalis oblatio nullo jure prohibeatur; — situs autem aut honoratior locus profanum aliquid sint, pretio æstimabile.

2° Pro actu et officio sepulturæ sponte oblata, ut per se patet, accipere licet, et, ubi viget consuetudo, titulo sustentationis, etiam aliquid exigi potest.

3° Pro pauperum sepulturæ sive loco, sive actu nihil exigi potest a parochis.[1]

II. *Jure nostro* seu statutis Conc. Pl. Balt. II.[2] pretium pro loco sepulturæ solutum ad cœmeteria servanda, restauranda et ornanda, et, si quid supersit, ad caritatis vel religionis opera promovenda *Ordinarii judicio* adhibendum est. "Districte autem vetamus," aiunt Patres, "ne umquam, quocumque sub prætextu, sine Ordinarii venia, pecunias, quæ ex cœmeteriis derivantur, suas facere audeant viri ecclesiastici; id vero si attentaverint, pœnis severissimis plectantur."

Ex his patet hujus regionis praxin, exigendi scil. determinatum aliquod pretium pro loco sepulturæ, et quidem *ante* ipsum tumulandi actum, et quin liberum sit *speciale* defuncto eligere sepulcrum, nisi aucto pretio, cum legibus Ecclesiæ non omnino congruere; facile autem componi posse, si vel pretium *post* tumulationem tantum *exigatur*, aut *ante* eam non nisi a sponte offerentibus *accipiatur*, — vel *pars* aliqua *cœmeterii* pauperibus et non solventibus reservetur, quo fiet, ut pars illa, in qua pro sepulturis aliquid solvi *solet*, hoc ipso honoratior atque ut talis pretio digna sit futura. — Per se patet aliquid exigi posse pro sepulcro gentilitio. Cfr. Kenrick[3] et Scriptores Ephemeridis: *Pastoral-Blatt für Nord America.*[4]

357. *Resolves.* — 1° Non committit Simoniam, qui Reliquias cum Reliquiis permutat; quia sic non datur spirituale pro temporali. Idem dicendum est de cœteris rebus sacris, si excipias beneficia, quorum permutatio ne propria auctoritate fiat, ab Ecclesia prohibitum est.

2° Non committit Simoniam, qui vendit ceram benedictam, rosaria, cruces vel numismata, quibus adnexæ sunt indulgentiæ vel sacras Reliquias capsulis pretiosis inclusas, vel alia similia; quia hæc non venduntur ratione rei sacræ, sed ratione pretii rei temporali adnexi; secus tamen, si propter rem ipsam sacram majori pretio hæc venderentur. Animadvertendum præterea pluribus decretis S. Cong. Indulg. interdictum esse, ne rosaria, cruces aut numismata benedicta venditioni exponantur.[1]

3° Non committit Simoniam, qui pecuniam principi hæretico solvit, ne ab ingressu Ecclesiæ seu a cœtibus religiosis Catholicorum frequentandis impediatur; aut malevolo homini, ne ab ipso injuste diffametur, et a beneficio, ad quod jus habet vel habere potest, arceatur. Ratio est, quia hoc modo non datur temporale pro jure spirituali, sed pro tollenda vel impedienda injuria, quæ est quid temporale.

4° Non sunt de Simonia accusandi, qui gratis vel pro incompetenti mercede serviunt, ut hac occasione suam probitatem vel dexteritatem demonstrent cum spe aliquando obtinendi quodpiam beneficium; quia non expectant illud spirituale velut pretium laborum suorum. — Elbel.[2]

5° Nec sunt Simoniæ culpabiles, qui ex gratitudine præstant temporale ob spirituale acceptum, et vice versa. Sic non peccaret Capellanus, qui servitia libentius tribueret Episcopo, a quo beneficium obtinuit, nec Episcopus qui Clerico beneficium conferret in recognitionem obsequiorum; quia hæc non præstantur velut pretium; insuper honestum et laudabile est pro accepto obsequio se gratum exhibere. Cavendum tamen sedulo est, ne sub titulo gratitudinis lateat Simonia palliata; hoc autem fieret, ubi intercederet pactum implicitum dandi beneficium pro temporali obsequio, vel vice versa.[3]

6° Esset autem Simonia ministeria sa-

[1] S. Cong. 5 maii 1647 et Rit. Rom. de Exequiis.
[2] a. 393.
[3] Tr. XII. 69.
[4] Jahrg. I. p. 138.

[1] V. Prinziv. D. L. p. 16 et D. DXCIV. p. 232.
[2] n. 618.
[3] Cfr. si lubet Vind. p. 244, ubi et alia quædam occasione hujus resolutionis notantur.

cra obire præcise ob pretium percipiendum tanquam tale, v. g. accipere pecuniam pro absolutione a peccatis, a censuris, vel pro dispensatione in voto, juramento, irregularitate, et impedimentis matrimonii; ratio, quia est actus spiritualis tum ratione principii seu potestatis spiritualis, tum ratione finis seu salutis animarum. Licite tamen accipitur pecunia *occasione* dispensationum, præsertim quando alia justa causa non adest, titulo scilicet commutationis seu eleemosynæ, vel sustentationis onerum Pontificatus, ad subveniendum Ecclesiæ necessitatibus, v. g. Templorum, Missionum, etc. vel ad alios pios usus, v. g. ad pauperes sublevandos, ad nosocomia dotanda, ad expensas tribunalium, a quibus dispensationes conceduntur, etc.; stipendium enim congruum variis officialibus seu ministris ad causas expediendas adhibitis tribuendum est.

358. Quæsita. — Quær. 1° *An sit restituenda res spiritualis simoniace acquisita?*

Resp. 1° *Affirm.*, quoad *beneficia;* ita communis et certa DD. sententia. Ratio, quia jura in pœnam delicti obstant, quominus recipiens aut pretium aut beneficium, possit dominium accepti acquirere. Et cum irrita sit beneficii adeptio, eo ipso nec fructuum acquiri potest dominium, atque adeo hi quoque sunt restituendi.

Resp. 2° *Neg.*, quoad reliqua, licet judex possit in pœnam criminis restitutionem injungere. Ita communis cum Schmalzgrueber.[1] Ratio est, non modo quia quædam restitui non possunt, v. g. Sacer Ordo, sed etiam quia ut valida sit rei spiritualis, v. g. SS. Reliquiarum translatio, jure divino non plus requiritur, quam potestas in altero transferendi, in altero recipiendi rei dominium; atqui, nisi *aliunde* in alterutro sit defectus, hæc potestas adest in utroque quoad rem spiritualem. Ergo. Si autem translatio valet jure divino, valebit etiam jure humano, cum ab hoc irritæ, nisi fere solæ provisiones beneficiales simoniacæ, non decernantur.

Quær. 2° *An restituendum sit pretium simoniace pro re spirituali acceptum?*

Resp. 1° Si solum intercessit simoniæ crimen, nulla vero justitiæ læsio, non adest obligatio restituendi simoniacum pretium ante condemnatoriam judicis sententiam, nisi ipsum pretium excedat æstimationem commodi temporalis, quod cum re spirituali in alterum transfertur. Ita Suarez, Lessius, Laymann, Reiffenstuel apud Schmalzgr.[1]

Resp. 2° Ubi vero pactum simoniacum repugnet etiam justitiæ commutativæ, pretium restituendum est ante omnem judicis sententiam. Ita *Communis*. Ratio est, quia ex justitiæ commutativæ læsione obligatio restituendi ipso naturæ jure exsurgit.

Quær. 3° *Cui restituendum sit pretium simoniacum?*

Resp. 1° Si datum sit pretium, sed nondum tradita sit res spiritualis, communis sententia docet, pretium illi restituendum esse, qui dedit, nisi aliter judex decreverit. Ratio est, quia jura solum contra simoniam realem pœnas statuunt.

Resp. 2° Si vero utrinque sequuta sit traditio, ante sententiam *probabiliter* restitui potest vel danti, vel ecclesiæ, vel pauperibus.[2]

[1] L. V. tit. 3. n. 284.

[1] L. V. tit. 3. n. 286.

[2] L. IV. 115. Cfr. Vind. Alph. p. 249.

DE II. DECALOGI PRÆCEPTO.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.[1]

Hoc præcepto prohibetur quælibet erga Deum irreverentia sive per vanam Sanctissimi Nominis ejus usurpationem, sive per blasphemiam, sive per juramentum aut votum vel illicitum vel violatum.

CAPUT I.

DE VANA USURPATIONE NOMINIS DEI ET BLASPHEMIA.

ARTICULUS I.

DE VANA SS. NOMINIS DEI USURPATIONE.

359. — Dicitur in vanum usurpari SS. Dei Nomen, cum sine rationabili causa, aut sine debita reverentia assumitur. Hoc autem triplici præsertim modo fieri solet, scilicet.

1° *Ex impatientia*, seu *indignatione*, in creaturas etiam inanimatas, aut in seipsum, v. g. *Deus meus! Bone Deus! quam male res ista procedit! Deus meus! quam stultus ego! . . .*

2° *Ex admiratione*, per modum exclamationis. Sic dicitur: *Jesus, Maria! O Deus! Deus meus!*

3° *Superflue*, plerumque ex mera formula, seu ex levitate, vel ex quadam consuetudine. Sic dicitur: *Deus meus, utique, . . . ita est*, vel *non ita.*

360. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An vana usurpatio nominis Dei sit semper peccatum, et quantum?*

Resp. 1° *Per se* peccatum est, quia lædit reverentiam divino nomini debitam. Constat insuper ex Eccli.[2] *Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo.*

Resp. 2° *Per se* peccatum est *veniale* tantum, quia reverentia illa non graviter læditur. Mortale autem evadere potest ob contemptum formalem Dei aut iram gravem contra eum, quia tunc de ratione blasphemiæ participare censetur.

Resp. 3° Quamvis culpa sæpe careat propter inadvertentiam, non tamen sunt excusandi, qui absque ullo reverentiæ sensu ex consuetudine SS. Dei Nomen semper in ore habent. — Contra vero si usurpetur SS. Dei Nomen cum debita reverentia, etiam in rebus indifferentibus, non modo aberit peccatum, sed, ubi sic usurpetur per modum invocationis, erit opus bonum et meritorium. Cæterum facilius a peccato excusabuntur, qui per modum admirationis seu interjectionis SS. Nomen Dei usurpant, quia tunc facilius abest irreverentia.

Quær. 2° *An sit peccatum usurpare inutiliter nomina Sanctorum?*

Resp. Affirm. Quod enim dicitur de Sanctissimo Dei Nomine, idem, servata proportione, etiam de nominibus Sanctorum dicendum est, ut constat ex citato loco Eccli. ubi additur: *Et nominibus Sanctorum non admiscearis.* Idem quoque dicendum est de vana usurpatione verborum Sacræ Scripturæ, quando irreverenter sumuntur.

Quær. 3° *An sit peccatum frequens et inutilis usurpatio nominis dæmonis?*

Resp. Neg. per se. Reprobanda tamen est ut minus decens in ore Christianorum, præsertim sacerdotum, qui ratione scandali interdum immunes ab aliqua culpa non sunt. — Busemb. apud S. Alph.,[1] Bouvier, etc.

ARTICULUS II.

DE BLASPHEMIA.

361. *Definitio.* — Blasphemia est locutio Deo injuriosa. Locutio autem non verbo explicito tantum, sed aliquo sensu etiam mente et opere fieri potest. Si agatur tamen de reservatione aut de aliis pœnis blasphemiæ inflictis, sola oralis proprie intelligitur.

Divisio. Blasphemia imprimis distinguitur

1° *Directa*, vel *indirecta*, prout Dei inhonoratio vel *directe* et formaliter a blas-

[1] Exod. 20. 7. [2] 23. 10.

[1] L. IV. 131.

phemante intenditur, vel, quamvis non intenta, in dictis tamen aut gestis ejus aliqua Dei contumelia continetur. *Directa*, cum odium Dei ordinarie conjunctum habeat, specie differt ab *indirecta*, quæ ex ira in homines vel creaturas profertur.[1]

2° *Immediata*, vel *mediata*, prout Deum ipsum immediate afficit, vel mediate tantum, nempe Sanctos, aut res sacras verbis inhonorando.

3° *Hæreticalis*, *imprecativa* et *mere probrosa*, prout hæresim, vel imprecationem, aut meram contumeliam continet, quæ specie differunt, cum hæreticalis etiam fidei, imprecativa autem caritati quoque adversetur.

PRINCIPIA. — I. Blasphemia quælibet formalis et deliberata, sive directa sit, sive indirecta, sive immediata, sive mediata, est peccatum mortale *ex toto genere suo*. Ratio est, quia quælibet contumelia in Deum est injuria gravis divinæ Majestati illata. — Potest tamen evadere veniale ex imperfectione actus, scilicet ex defectu advertentiæ, aut perfecti consensus.

II. Ad blasphemiam perfectam, ratione actus, necessaria non est expressa et explicita intentio Deum inhonorandi, sed implicita sufficit, cum scilicet quis ea, quæ veram Dei contumeliam continent, etiam ex joco aut ira in creaturas cum advertentia profert. Ratio est, quia ex his sequitur gravis Dei inhonoratio, licet indirecta; gravis enim irreverentia in Deum committitur, cum verba ei contumeliosa ad jocum, vel ad iram exprimendam adhibentur. — Reuter.[2] Excipe, nisi jocus tollat omnimodam rationem irreverentiæ in Deum.

III. Blasphematoria habenda sunt *per se* verba, quæ ex communi apprehensione, quæ sensum determinatum verbis jam tribuerit,[3] vel ex modo loquendi derisorio aut iracundo, aliisve circumstantiis, Dei inhonorationem continent.

362. *Resolves.* — 1° Blasphemia est dicere: *Perdat te mors*, vel *sanguis Dei; perdant te Sacramenta.* Item spuere in cœlum, infrendere dentibus in illud, dicere se velle aliquid agere Deo invito, et similia.

[1] L. IV. 126. 5. [2] De Virt. Relig. n. 442.
[3] L. IV. 130. pp. 281, 282.

2° Blasphemia est dicere: *Deus mei est plane oblitus. Quare Deus me creavit?* — Excipe tamen, si hæc proferantur modo loquendi humano, ex levitate, vel ad ostendendum doloris vel tædii gravitatem, ut sæpius fieri solet. Nunquam autem excusandi sunt a peccato gravi, qui advertenter ac serio dicant: *Deus est injustus. — Deus injuste me tribulationibus gravat. — Injuste sinit malos esse felices in mundo.* — Voit.[1]

3° *Ordinarie* graviter peccasse censendi sunt, qui ira vel aliqua passione abrepti verba blasphemiæ protulerunt, nec admittenda horum excusatio quod ad eorum significationem non attenderint; quia *ordinarie* non defuit aliqua advertantia, *saltem confusa*, de blasphemiæ malitia. Idem resolve de *habituatis*, exceptis tamen illis, qui ex inveterata consuetudine blasphemandi *jam retractata* in ejusmodi verba indeliberate erumpunt.[2]

4° Non peccat graviter, qui pronuntiat verba in se quidem blasphematoria, sed dimidiata aut corrupta, ita ut ad verum sensum non attendat; hæc enim rationem blasphemiæ jam non amplius habent. — S. Alph.,[3] Bouvier.[4]

363. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sit blasphemia maledicere creaturis?*

Resp. Disting., est blasphemia maledicere creaturis cum relatione ad Deum, v. g. pluviæ, ventis, ut a Deo imperatis, vel addito verbo *Dei*; item maledicere creaturæ, quæ de se specialem relationem ad Deum habet, v. g. animæ nostræ, Fidei Catholicæ, cœlo et similibus. Secus autem, ut fere contingit, si indignatio feratur in creaturas sine relatione ad Deum. — *Ita communiter.*[5] Hinc

Quær. 2° *An blasphemæ censendæ sint imprecationes Anglicæ:* 1° "GOD DAMN ME *or* YOU"; 2° GOD DAMN MY *or* YOUR SOUL"; 3° GOD DAMN MY *or* YOUR SOUL TO HELL"?

Prior formula vix aut ne vix quidem blasphema probari posse videtur; nam pronomen *me* vel *you* neque etymologice, ut per se patet, neque ex communi apprehensione, nostratum saltem, animam denotat. Kenrick[6] eam in praxi, utpote nihil aliud nisi imprecationem plerumque

[1] n. 519. [2] Cfr. Vind. p. 256.
[3] L. IV. 124. [4] De 2° præc. a. 1.
[5] L. IV. 129. [6] Tr. III. 44.

materialem tantum continentem, a mortali excusat.

Altera, spectatis principiis a S. Alphonso mortuorum maledictioni applicatis, blasphema videtur, ideoque *de se* mortalis, licet in genere *maledictionis* seu *imprecationis* materialis foret. S. Doctor enim maledictionem mortuorum ea etiam de causa blasphemam negat, quod non referatur ad *animam;* at in secunda ac tertia formula *anima* expressis verbis nominatur.

Quær. 3° *An sit blasphemia maledicere toti mundo?*

Resp. Affirm., quia sicut jurare per creaturas, in quibus magis relucent attributa divina, est verum juramentum, ita ipsis maledicere est vera blasphemia, quia Deus in ipsis *indirecte* contemnitur.[1]

364. — Quær. 4° *An sit blasphemia maledicere mortuis?*

Resp. Neg., nisi mens specifice feratur in animas purgatorii, quia mortui in genere non habent specialem relationem cum Deo.[2]

CAPUT II.

DE JURAMENTO.

365. — *Definitio.* Juramentum est invocatio divini Nominis in testimonium veritatis.

Divisio. Distinguitur juramentum

1° *Assertorium*, quo *præsentia* vel *præterita* affirmantur vel negantur, vel *promissorium*, quod solum ad *futura* sese porrigit. Quamquam non omne juramentum de futuro est *promissorium.* Duplex enim a DD. distinguitur juramentum de futuro: aliud *nudum* ac *simplex*, quod nullam continet erga alterum promissionem, v. g. si jures, te non ingressurum hanc domum vel cauponam, etc.; aliud, vero *promissorium*, quod est *confirmatorium promissionis* vel erga Deum, quod est *votum juratum*, vel erga proximum, quod obligationi justitiæ aut fidelitatis ex promissione ortæ addit obligationem ex virtute religionis.

2° *Solemne*, vel *simplex*, prout fit forma jure requisita, solemnibusve cæremoniis, aut iis seclusis.

[1] L. IV. 129. [2] L. IV. 130.

3° *Explicitum*, vel *implicitum*, prout Deus expresse in testem invocatur, aut adhibentur in testimonium creaturæ, in quibus attributa divina specialiter relucent.

4° *Contestatorium*, vel *execratorium* seu *imprecatorium*, prout Deus invocatur in solum testem, vel in testem simul et perjurii vindicem.

Ex communi tamen sententia omnia juramenta ejusdem sunt speciei.[1]

Juramentum debitis vestitum conditionibus honestum est et licitum, et, si promissorium sit, obligat in conscientia, nisi justa causa obstet, vel legitime obligatio ejusdem cessaverit. — Ita *omnes*[2] et constat tum ex definitione Conc. Const. *sess.* 8. contra *Wiclefum* (p. IX.), tum ex praxi universali Ecclesiæ et populorum, necnon ex variis Sacræ Scripturæ locis. *Dominum Deum tuum timebis . . . ac per nomen illius jurabis.*[3]

Urget obligatio *jurandi* quoties juramentum *vel* necessarium est ad subveniendum proximo, *vel* a superiore legitime exigitur.

ARTICULUS I.

DE CONDITIONIBUS JURAMENTI.

I. *De requisitis ad essentiam juramenti.*

366. — Duo requiruntur ad juramentum, scilicet 1° Intentio jurandi, saltem virtualis; quia sine tali intentione non potest existere juramentum formale. 2° Formula juratoria sive per Deum explicite, sive implicite per creaturas, vel signum juratorium; quia, cum Deus invocetur ut testis, necesse est, ut hoc in juramento exprimatur.[4]

367. *Resolves.* — 1° Non valet juramentum promissorium fictum, seu mere externum, ob voluntatis seu intentionis defectum. Peccat vero sic jurans; sed *probabilius per se* loquendo venialiter tantum, quia non est nisi mendacium cum vana nominis Dei usurpatione.[5] — Sæpe tamen hoc mortale est ratione damni communis vel particularis, vel si ficte jurans non habeat animum implendi promissa.[6]

2° Non valet *probabilius* juramentum factum cum animo quidem jurandi, sed

[1] L. IV. 142. [2] L. IV. 133. 139 sq.
[3] Deut. 6. 13. [4] L. IV. 134.
[5] H. A. Tr. V. 17.
[6] Ib. et L. IV. 172.

non se obligandi ex religione; quia hoc nugatorium est. Valet autem juramentum factum cum animo jurandi quidem, sed non se obligandi ex justitia aut ex fidelitate.

3° Est juramentum dicere: *Juro per Deum, per Sanctos, templum, crucem, altare, Evangelium, Fidem catholicam, Ecclesiam, cœlum, terram.* — Item dicere: *Deum attestor. . . . Sit mihi testis Deus. . . . Deum invoco ut testem.* Secus, si quis juraret per creaturas, in quibus non elucet *specialiter* divina bonitas aut potentia, v. g. per barbam, etc.[1]

4° Non est juramentum dicere: *Novit Deus. . . . Coram Deo loquor,* etc. . . . si hæc *narrative* proferantur; secus vero, si *invocative,* quod dignoscitur ex circumstantiis, vel intentione loquentis. Nec est juramentum dicere: *Est tam verum hoc, quam existit Deus, . . . quam ego existo, . . . quam sum in hoc loco, . . . fide boni viri, . . . per fidem meam, . . . per conscientiam, . . . per fidem sacerdotalem* aut *sanctam consecrationem*[2] *. . . moriar,* vel *diabolus me perdat, nisi ita. . . .* Excipe dum hæc duo ultima per modum execrationis, et non potius, prout solet, per modum sponsionis proferuntur. Imo nec est juramentum dicere: *Juro vel juro ita esse,* nisi præcesserit interrogatio de juramento præstando. — S. Alph.,[3] *et alii multi.*

II. *De requisitis ad liceitatem juramenti.*

368. — Triplex conditio requiritur ad liceitatem juramenti juxta illud Jeremiæ:[4] *Jurabis: Vivit Dominus, in veritate, et in judicio, et in justitia.*

I. Itaque requiritur *Veritas,* id est, conformitas assertionis cum intentione et cognitione jurantis. Excludit igitur omne mendacium, non vero omnem errorem. In juramento assertorio veritas respicit existentiam facti; in promissorio existentiam intentionis.

II. *Judicium,* id est, ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, nec sine necessitate aut justa causa fiat.

III. *Justitia,* id est, ut juramentum sit de re justa, licita et honesta. Sic contra justitiam juraret, qui juramento se obligaret ad damnum proximo injuste inferendum, vel ad quidpiam aliud prohibitum.[1]

369. Quæsita. — Quær. 1° *Quænam sit causa sufficiens ad jurandum?*

Resp. Quæcumque causa honesta alicujus ponderis, v. g. pax confirmanda in familiis, major securitas in contractibus, . . . etc.[2]

Quær. 2° *An liceat jurare cum probabilitate veritatis?*

Resp. Neg., quia Deus nequit invocari nisi in testimonium rei certæ; attamen extra judicium certitudo quædam moralis sufficit.[3]

Quær. 3° *An liceat jurare cum restrictione mentali?*

Resp. Neg., si sit *pure* mentalis; secus vero, si *late* mentalis sit, et justa adsit causa, quæ tamen major esse debet eâ, quæ requiritur ad restrictionem non juratam, et eo major quo verba majorem præbent occasionem errandi.[4] Vide dicenda *de Octavo Præcepto.*

Quær. 4° *An liceat jurare tactis et osculatis Bibliis protestanticis, prout apud nos per magistratus exigitur?*

Resp. Neg., per se, ut patet; proin juraturus Biblia Catholica aut librum precum, in quo pars aliqua S. Scripturæ contineatur, afferre solet. Cæterum *solemnis affirmatio* loco juramenti apud nos sufficit. Dixi: *Neg. per se,* quia ignorantia sæpe excusat.

Quær. 5° *An liceat præstare juramentum in publicæ rei perturbationibus?*

Resp. Hoc plerumque a circumstantiis pendet. Perpende, quid postulet justitia, aut bonum commune, et quænam sint juramenti requisiti obligationes, utrum positivæ an negativæ? — Potissimum vero expedit consulere Superiores ecclesiasticos, ad quos pertinet definire, quid pro variis circumstantiis sit agendum.

370. — Quær. 6° *Quale sit peccatum jurare sine veritate, judicio et justitia?*

Resp. ad 1^um^ Est mortale; quia Deum adducere in testimonium falsitatis, est velle destruere ipsius veracitatem. Constat etiam ex Proposit. 24^a^ ab Innoc. XI. damnata (vide p. XV.).

Resp. ad 2^um^ Veniale est *per se,* id est, secluso periculo pejerandi; quia est tan-

[1] L. IV. 134. 138. [2] c. 4. Caus. 2. q. 5.
[3] L. IV. 134. 138. [4] 4. 2.

[1] L. IV. 144. [2] H. A. Tr. V. 14.
[3] H. A. Tr. V. 14. et L. IV. 148.
[4] L. IV. 151.

tum vana usurpatio nominis Dei. — *Ita fere omnes, etiam rigidiores.*

Resp. ad 3^um^ *Distinguendum* est juramentum assertorium a promissorio. In *priori*, puta si quis cum juramento se jactet de aliquo peccato, probabilius non adest nisi veniale contra religionem; quia non fit ad confirmandam complacentiam in peccato, sed tantum ad alios de eo certiorandos, quod non est nisi quædam animi levitas venialis. Excipe tamen juramentum ad firmandam detractionem; adhibetur enim ut medium ad infamiam alterius certiorem reddendam. In *posteriori* juramento certo mortale est, si de re gravi agatur, ut patet; si de levi, S. Alphonso [1] magis arridet sententia, quæ etiam in hoc casu mortaliter peccari affirmat, quia gravis videtur irreverentia Deum in testem ac fide jussorem peccati, licet levis, invocare.

Resolves.— 1° Inter juramenta prohibita referuntur ea, quæ in societatibus occultis emitti solent, et quibus socii se obligant ad obtemperandum iis, quæ a cœtûs superioribus jussa forte fuerint, vel ad servandum secretum etiam erga legitimam potestatem.[2]

Sunt tamen societates quædam operariorum, in quibus juramentum emittitur, vel emitti censetur cum restrictione, ut ejus objectum confessario vel sacerdoti revelare liceat, et hi quidem, si juramentum nihil aliud contineat, quod justitiæ adversetur, et societas non sit aliunde illicita, non sunt inquietandi.

2° Juramentum servandæ Constitutionis Statuum Fœderatorum intelligendum est sensu populari, qui scilicet apud omnes receptus est; nec enim quisque censetur *animi sententia* amplecti quæcumque in ea continentur, nec ad hoc obligat Constitutio. Quare quæ de libertate sententiarum et cultus, etc. in ea traduntur, haud necessario postulant mentis assensum.[3]

3° Juramentum alienigenarum, jus civitatis hìc quærentium, licitum est, ei etiam qui juramentum fidelitatis principi, a quo discessit, præstiterit. Juramentum enim illud fidelitatis exactum fuit ad *naturalem* civium obligationem *firmandam*, potius quam ad *novam* inducendam, ideoque explicandum est pro ratione *naturalis* illius obligationis, qua nemo, nisi *publica* et *gravis* causa urgeat, tenetur in patria manere, et cui satisfacit qui principi, dum in ditione ejus versatur, obtemperat. Quod vero juramentum attinet, quod hìc præstatur ab alienigenis jus civitatis quærentibus, et quo abjuratur omnis princeps extraneus, et consequenter etiam ille, a quo quis discessit, intelligitur de abjurata illa obligatione naturali, quæ e ditione ejus discedendo jam cessavit, ideoque illicitum dici non potest.[1]

4° Qui, flagrante inter gentes aliquas bello, sub vexillo neutrali et documentis vel fictis vel ex industria factis merces invehit in portum neutralem, ut inde devehantur ad alterutram ex gentibus, quæ bellum inter se gerunt, jurare, quandoque cogitur documenta esse vera. Ejusmodi juramentum in casu præstari nequit.

[1] L. IV. 146. Cfr. Vind. p. 260.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 519.
[3] Ken. Tr. III. 68.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

371. PRINCIPIA. — I. Omne juramentum promissorium de re licita et honesta, præter obligationem justitiæ aut fidelitatis, quæ ex simplici promissione oritur, obligationem quoque Religionis inducit. Ratio est, quia promissio *per se* jam obligat, et testimonio divino invocato confirmatur et corroboratur. — Minime autem obligat juramentum de re illicita aut plane inutili, quia juramentum, utpote actus Religionis, non potest esse vinculum iniquitatis aut rei otiosæ.

II. Obligatio juramenti interpretanda est *stricte*, et naturam actus vel contractus, cui adjicitur, omnesque ejus conditiones sequitur. Ratio *primi* est, quia jurans censetur voluisse se obligare quam minime potuit; ratio autem *alterius* est, quia juramentum non mutat naturam actus, sed ei superaddit solam Religionis obligationem, et proinde easdem conditiones et limitationes habere debet.

III. Obligatio juramenti interpretanda insuper est juxta conditiones tacitas in eo inclusas seu subintellectas, quæ sunt 1° si potuero sine gravi damno; 2° si res non fuerit notabiliter mutata; 3° si jura aut voluntas Superioris non obstent; 4°

[1] Ken. Tr. V. n. 19.

si alter fidem reciprocam servaverit; 5° nisi alter de jure suo cedat.[1]

372. QUÆSITA. — Quær. 1° *An detur parvitas materiæ in transgressione juramenti promissorii?*

Resp. I^a SENTENTIA *negat*, quia non tantum violatur promissio simplex, sed promissio jurata. In quacumque ergo materia gravis injuria infertur Deo, cujus testimonium in vanum a jurante invocatum est. — Bonacina, Lessius, Toletus.

II^a SENTENTIA *affirmat*, quia in juramento promissorio Deus non proprie adducitur ut testis futuræ executionis rei promissæ, sed tantum actualis promissionis, seu veræ intentionis promissionem exequendi. — Suarez, Navarrus, Laymann, etc. — S. Alph. *in Opere*,[2] dicit utramque sententiam probabilem; sed in *Hom. apost.*,[3] magis secundæ sententiæ adhæret.

Quær. 2° *An obliget juramentum promissorium errore aut dolo emissum?*

Resp. Neg., si error aut dolus versetur circa rei substantiam; secus vero, si adjuncta ejus accidentalia tantum afficiat; quia contractus simplex invalidus foret in priori casu, non vero in posteriori. S. Alph.[4] Advertit tamen idem S. Alphonsus,[5] probabilem esse sententiam oppositam, quando error vel dolus versetur circa illas circumstantias, ut ut accidentales, quæ, si ab initio notæ fuissent, a juramento et promissione deterruissent.

373. — Quær. 3° *An obliget juramentum promissorium metu gravi et injusto extortum?*

Resp. Controvertitur. SENTENTIA *communior* et S. Alph° *longe probabilior*, *affirmat*, quia jurамentum, accedens contractui non per se irrito, servandum est *ex Religione*, quoties absque peccato servari potest.[6] Ille tamen qui metum passus est, potest juramenti relaxationem petere, ut ab obligatione solvendi excusetur; si verо jam solverit, potest id, quod dedit, in judicio repetere, vel occulte se compensare.[7]

Quær. 4° *Quomodo cesset obligatio juramenti?*

[1] L. IV. 180. [2] L. IV. 173.
[3] Tr. V. 13. [4] L. IV. 175.
[5] L. IV. 187. [6] L. IV. 174.
[7] L. IV. 174 et 717.

Resp. 1° Cessat *ab intrinseco*, sicut lex, cessatione causæ motivæ. (n. 165.)

Resp. 2° Cessat *ab extrinseco* irritatione, commutatione et dispensatione, sicut votum, de quo in capite sequenti dicemus. Cessat quoque relaxatione seu remissione obligationis facta ab eo, in cujus favorem promissio jurata emissa est, quia juri suo quisque cedere potest.

374. *Resolves.* — 1° Nunquam obligatur juramento, qui rem malam juravit; imo dupliciter peccat, si juramentum adimpleat, nempe contra Religionem, et contra virtutem, cui opponitur materia juramenti.[1]

2° Non obligatur juramento, qui promissionem prodigam jurando confirmavit, quia promissio illa est saltem leviter mala. — Ita Suarez, Salmant., *et alii communiter* cum S. Alph., qui hoc ut *probabilius* admittit.[2]

3° Non obligatur juramento, qui juratus promisit nuptias puellæ diviti, sanæ, virgini, bonæ famæ, si illa inciderit in paupertatem, infirmitatem, infamiam, fornicationem; quia promissio simplex tunc non obligat.[3]

4° Non peccat contra juramentum, qui urbanitatis causa juravit, se ante alterum non sessurum, bibiturum, ingressurum domum, etc, . . . si ab altero coactus prius sedeat, bibat vel ingrediatur; quia plerumque ejusmodi juramentum nullum est ex defectu intentionis jurandi; vel, si valeat, ab altero relaxatur.[4]

5° Non peccat, qui secretum juratum detegit, quando ipsa lex secreti cessat obligare; quia juramentum, ut diximus, sequitur naturam actus, cui adjungitur.

6° Raro peccant parentes non adimplentes juramentum puniendi filios, quia plerumque juramentum est de re inutili, aut potius de vindicta inordinata; accedit quod delinquentes aut jam emendati sunt, aut saltem emendationem promiserunt.[5]

7° Plerumque etiam mercatores non videntur ligari juramento non vendendi minoris, aut pluris non emendi; vel quia hujusmodi juramenta, ut plurimum, sunt de re inutili, vel quia isti homines non habent animum jurandi, aut certe quia juramento inest tacita conditio, *nisi aliter*

[1] L. IV. 176. [2] L. IV. 185.
[3] L. IV. 180. [4] L. IV. 180.
[5] L. IV. 186.

res melius cedere videantur. — *Ita communius.*

8° Juramentum, quo se adstringunt alumni S. C. de Prop. Fide (vide p. LXXIII. nota 2), et illi qui hìc aut alibi ad titulum Missionis Americanæ ordinantur, se non ingressuros esse Religionem aut Congregationem aliquam sine licentia S. Sedis, validum est, cum conditio adjecta : *sine licentia S. Sedis*, faciat, ut nemo ab ingredienda religione *absolute* prohibeatur.

Violatur autem : 1) si quis, jubente Episcopo, Ordines diaconatus aut presbyteratus suscipere recusaret ; 2) si recusaret se in eum locum diœceseos conferre, in quo Episcopus censuerit eum laborare debere in salutem animarum ; 3) si per totam vitam nolit in eadem diœcesi manere, aut artes dolosque adhibeat, ut se subducat Episcopi auctoritati, aut huic sua agendi ratione necessitatem inducat eum dimittendi ; 4) si Ordinem religiosum ingrediatur absque debita licentia.

Non tamen peccare censendi sunt ; a) subdiaconi, qui de consilio confessarii vel scrupulis agitati ad diaconatum, aut diaconi qui eadem de causa ad presbyteratum promoveri nollent ; b) qui gravi de causa veniam expetunt transeundi ad aliam diœcesim ; c) qui se haud idoneos noscentes, vel scientiæ defectu, vel ob animæ infirmitatem, onus laborandi in vinea Domini deprecantur ; non tamen debent suo fidere judicio contra Episcopi et confessarii mentem.[1]

9° Juramenta imposita ad assecurandam observantiam legum odiosarum, seu quæ sunt strictæ interpretationis, ut, v. g. quæ ad vectigalia aliaque onera pertinent, ad arctissimos limites, quos verba patiuntur, erunt reducenda.[2] — Idem resolve, si leges illæ injustæ fuerint aut injustæ merito præsumantur.[3]

Ob alterutram harum rationum, et sæpe ob utramque, excusandi videntur a perjurio, qui mercium, quas v. g. ex Europa coemerunt, duplex ad se documentum (*invoice*) permitti curant, verum alterum, alterum fictum, jurantque se emisse pretio, quod notatur in documento ficto, dummodo hoc pretium respondeat vel illi, quod polliciti sunt, si pecuniam numeratam (*cash*) solvant, vel valori sive intrinseco mercium (*real value*) sive currenti pecuniæ chartaceæ.

Contingit præterea, ut mercator, qui tributa lege definita solveret, vix posset aliquid mercando lucrari in suî suorumque sustentationem, idque ea de causa, quod *vel* vectigal revera excessivum sit, *vel* defraudatio vectigalis quoad hoc mercium genus communis evaserit, ex quo factum sit, ut merces ejusmodi, si integrum vectigal solvatur, vendere nequeat pretio, quo ob communem defraudationem generaliter venduntur. Etiam ejusmodi mercator excusandus videtur, si juret verbis in arctissimo, quem patiuntur, sensu adhibitis ;[1] his enim in casibus lex tributaria injusta evasit, sive quod onus excessivum imponat, sive quod practice, ex eo nimirum quod a nemine fere servetur, mercatores, qui illam servarent, nimium gravaret.

Gravissime tamen peccant officiales, qui contra juramentum, quo se adstrinxerunt, munera accipiunt, ut merces immunes aut vectigali inferiori illo, quod juste statutum sit, invehi sinant.

[1] Ken. Tr. VIII. 24. [2] Ken. Tr. III. 70.
[3] L. IV. 617.

APPENDICULA.

DE ADJURATIONE.

375. *Definitio.* — Adjuratio est auctoritativa et deprecativa efflagitatio, interposito nomine Dei, vel Sanctorum, aut rei sacræ, ut inducatur alius ad aliquid agendum vel omittendum.

In eo igitur differt a juramento, quod non inducat Deum in testem, sed tantum nomen ejus interponat ad rem exoptatam efficacius obtinendam ob reverentiam Divinitati vel rebus sacris debitam.

Divisio. Adjuratio distinguitur

1° *Solemnis* vel *privata*, prout fit ab Ecclesiæ ministris, *et* modo ab ea determinato, vel solemnitatibus destituitur, et hæc ab omnibus fieri potest.

2° *Deprecativa* vel *imperativa*, prout fit per preces, vel per imperium. Hæc posterior solis competit Superioribus erga subditos, et Exorcistis erga dæmones.[2]

[1] Kenr. Tr. VI. 21.
[2] L. IV. App. de Adjuratione, n. 1 (post 193).

376. PRINCIPIA. — I. Adjuratio solemnis licita est solis Ecclesiæ ministris, quibus ab Episcopo expresse permittitur; cæteris autem in præsenti Ecclesiæ disciplina sub gravi prohibetur.[1]

II. Adjuratio privata licita est vel illicita in omnibus illis circumstantiis, in quibus juramentum licitum aut prohibitum est; hinc quæ de juramento dicta sunt, etiam adjurationi sunt applicanda.

III. Solæ intellectuales creaturæ, homines scilicet et dæmones, *directe* adjurari possunt; *indirecte* etiam creaturæ irrationales; ut sol, aqua, nubes, locustæ, etc., . . . adjurando scilicet dæmones, ne per eas nobis noceant, aut exorando Deum, vel Sanctos, ut iis, qui hujusmodi rebus utentur, assistant.[2]

Adjuratio autem contra dæmones fieri debet tantum modo imperativo, et ad amovenda damna et vexationem obsessi, non autem ad vanitatem aut curiositatem.[3]

377. QUÆSITA. — Quær. 1° *An liceat uti exorcismis in dubio de possessione?*

Resp. Affirm., si Episcopus, re plane cognita, id approbet; sed a scandalo et Ecclesiæ contemptu sedulo cavendum est.

Quær. 2° *De quibusnam rebus dæmon interrogari possit?*

Resp. De omnibus generatim, quæ ad ejus expulsionem conducunt, v. g. de tempore et causa possessionis, de signo egressus, etc.[4]

Quær. 3° *Quomodo peccet, qui dæmonem de iis, quæ ad rem non faciunt, curiose interrogat?*

Resp. Per se peccat graviter, si multos sermones inutiles cum dæmone obsidente habeat; *a fortiori*, si cum ipso jocetur. Secus, si unam vel alteram tantum quæstionem curiosam modo imperativo interponat.[5]

Quær. 4° *Quænam sint signa veræ possessionis?*

Resp. Præcipua sunt 1° loqui idiomate ante tempus possessionis prorsus ignoto; 2° occulta et distantia manifestare, quæ naturaliter ab homine cognosci nequeunt; 3° parere mandato mere interno sacerdotis, etc.; 4° majorem apparere dæmonis vexationem, aut majorem pacem ex contactu prorsus ignorato rerum sacrarum, etc.

Generatim non facile credendus est aliquis a dæmone possideri; quia veræ possessiones nostris temporibus raræ sunt, et pleræque ex iis, quæ perhibentur, falsæ inveniuntur.

[1] L. IV. App. de Adjuratione. n. 4.
[2] Ib. 3.
[3] Ib. 5.
[4] Ib.
[5] Ib.

CAPUT III.

DE VOTO.

378. *Definitio.* — Votum est promissio deliberata Deo facta de bono meliori et possibili.

Dicitur: 1) *promissio*, ut distinguatur a simplici proposito; — 2) *deliberata;* votum enim obligationem inducit, quam nemo citra sufficientem deliberationem in se suscipere censetur; — 3) *Deo facta;* nam votum est actus latriæ, soli Deo debitus. Quare dum vovemus quædam Sanctis, sensus est, voveri ea Deo in honorem simul Sanctorum; sicut templa et altaria ædificamus Deo in eorumdem honorem; 4) *de bono meliori et possibili. De bono;* alioquin enim non esset Deo gratum; — *meliori*, i. e. quod sit vel *absolute* vel *relative* melius ejus opposito; promissio enim, quæ impedit majus bonum, de cultu Dei detrahit, nec potest illi esse accepta; — *possibili*, ne ridicula sit promissio.

Divisio. Votum distinguitur

1° *Solemne* vel *simplex*, prout voventem Deo *tradit*, adeoque ad actus huic traditioni contrarios inhabilem reddit, et ut tale ab Ecclesia absolute ac in perpetuum acceptatur, aut, seclusa illa *traditione* et inhabilitatione ac ejusmodi Ecclesiæ acceptatione, cum simplici *promissione* emittitur. Ita S. Alph.[1] ut *probabilius.*

2° *Personale, reale* vel *mixtum*, prout actio vel omissio, aut res aliqua ab actione personæ separabilis, aut utrumque promittitur.

3° *Temporarium* vel *perpetuum*, prout

[1] L. VI. 1025.

ad certum tempus tantum, aut per totam vitam servandum promittitur.

4° *Absolutum* vel *conditionatum*, prout ejus obligatio a conditione aliqua pendet vel non. Ad *conditionatum* revocatur quoque *pœnale*, cui per modum conditionis adnectitur pœna.

5° *Expressum* vel *implicitum*, prout verbis profertur vel continetur in aliquo, quod quis advertenter vult et cui novit votum esse annexum, ut votum castitatis in eo, qui subdiaconatum suscipit.

Agendum, 1° de conditionibus ad votum requisitis; 2° de obligatione voti; 3° de ejus cessatione.

ARTICULUS I.

DE CONDITIONIBUS AD VOTUM REQUISITIS.

Conditiones ad voti validitatem requisitæ in ipsa voti definitione continentur, ac duæ sunt præcipue: 1° intentio vera; 2° materia apta.

§ I. *De intentione ad votum requisita.*

379. — Ad voti validitatem requiritur vera et deliberata intentio votum emittendi, seu vera promissio Deo facta, et obligationem inducens; votum enim est instar legis cujuspiam, quam vovens, capax alioquin perpendendi onus, quod assumit, sibimet imponit. Requiritur autem voluntas et deliberatio, quæ necessaria est ad voluntarium perfectum *et* directum. Quare votum in ebrietate, etiam antea prævisum, emissum, invalidum est.

Hinc votum essentialiter differt a proposito; quia propositum quantumvis firmum, aut etiam cum aliqua solemnitate prolatum, — ut propositum nostratium abstinendi ab omni potu inebriante (*the pledge*), — vinculum obligationis non producit, neque rei propositæ omissio est peccatum, nisi forte quandoque per accidens, v. g. propter inconstantiam, tædium aut negligentiam, quæ *per se* peccatum veniale non excedunt.[1]

380. QUÆSITA. — Quær. 1° *An valeat votum factum cum ignorantia obligationis, aut inadvertentia ad obligationem jam cognitam?*

Resp. ad 1^um^. Non valet votum factum cum omnimoda ignorantia obligationis, quam inducit; quia sine intentione sese obligandi nullum est votum.

Resp. ad 2^um^. Valet, si qui votum emittit, habitualiter illius obligationem clare cognoscat, quamvis actu ad illam non attendat; vel etiam si ille, qui vovet, etsi clare obligationem non cognoscat, in confuso tamen eam apprehendat, aut velit implicite, dum v. g. vult vovere hoc vel illud, prout cæteri vovere solent. Tenendum tamen generaliter est, non majorem induci obligationem illâ, quam quis voluerit sibi imponere, atque apprehenderit.[1]

Quær. 2° *An valeat votum ex errore emissum?*

Resp. 1° *Neg.*, si error versetur — *vel* circa substantiam rei, ut si ecclesiæ alicui voveas calicem, quem credebas argenteum, cum sit aureus; — *vel* circa circumstantias substantiales, ut si quis voveat peregrinationem ad Domum Lauretanam, putans illam non distare nisi tot leucis, cum distet multo pluribus; — *vel* circa causam voti finalem, ut votum dandi eleemosynam Titio pauperi, *eo quod* sit consanguineus, cum non sit.[2]

Resp. 2° *Affirm.*, si error versetur circa circumstantias accidentales minoris momenti, quæ voto non obstitissent, si, secluso errore, cognitæ fuissent, ut si voveas eleemosynam Caio pauperi, quem putas probum, cum non sit.[3]

Nota tamen vota, quæ emittuntur in quocumque approbato instituto religioso irrita non esse ob ullum errorem, nisi solum substantialem circa substantiam. S. Alph.[4] "Ratio est," inquit Lugo,[5] "quia in iis, quæ constituunt statum ex natura sua firmum et irrevocabilem, quales sunt professio et matrimonium, voluntas juxta naturam rei, de qua agitur, accommodat se et consentit sine restrictione vel conditione, ac omnino absolute et independenter ab aliis conditionibus præter eas, quæ sunt de substantia ejusdem contractus. Ex iis enim conditionibus manerent incerta matrimonia et professiones,

[1] L. IV. 196–199.

[1] L. IV. 201. [2] L. IV. 198.
[3] L. IV. 198. [4] Ib.
[5] De Just. et Jur. Disp. 22. n. 88.

atque adeo ipse status, quod non est juxta naturam, rei de qua agitur." Et, ut adjungit Sanchez.[1] "Ex hujusmodi dependentia sequeretur, plures professiones et pleraque matrimonia censenda esse irrita; quod cederet in grave reipublicæ damnum et scandalum."

381. — **Quær.** 3° *An valeat votum metu factum?*

Resp. 1° *Neg.*, si metus sit gravis, injustus et incussus ad extorquendum votum. Ratio est, quia Deo acceptum id esse non potest, quod per injuriam a quopiam vi extorquetur, quando lex naturæ postulat, ut jus in integrum restituatur. Et hoc quidem evincit, ejusmodi vota esse invalida jure naturæ. Constat autem ex Jure canonico, quoad vota solemnia Religionis, et probabilius etiam quoad cætera vota, juxta interpretationem communiorem theologorum.[2]

Resp. 2° *Affirm.*, si metus oriatur ab intrinseco vel a causa necessaria, nisi voventi usum rationis adimat; ratio, quia ejusmodi vota sunt simpliciter voluntaria. Item si metus proveniat ex causa levi, quia levis metus non censetur efficaciter in actum influere, et est potius occasio, quam causa voti. — *Ita communiter* cum Sanchez, Azor, Salm.; et S. Alph. dicit id *probabilius*.[3]

Quær. 4° *An voto teneatur, qui dubitat, utrum votum vel merum propositum emiserit, aut sufficientem habuerit deliberationem?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, constat ex dictis de probabilisimo (n. 67. 1°). Si autem dum promittebat, credidit se peccaturum, si forte rem propositam non exequeretur, judicari potest eum vere vovisse.[4]

Resp. ad 2^um^ *Affirm.*, in quocumque dubio, juxta dicta n. 67. 2°, nisi vovisset ante septennium.[5]

§ II. *De materia voti.*

382. Principia. — I. Materia voti debet esse res *moraliter bona*, quia Deus non colitur actione *undequaque* indifferenti; imo de *bono meliori*, i. e. meliori quam ejus oppositum; alias impediret majus bonum, quod Dei gratum esse non posset. Bonum autem *melius* non solum *absolute* in se, sed etiam *relative* ad circumstantias intelligitur, et sic valet votum ineundi matrimonium, quod quis ob expertam suî fragilitatem emittit, licet cœlibatus *in se* melior sit.

II. Materia voti debet esse res *moraliter possibilis*; quia votum est promissio facta Deo cum intentione se obligandi; nemo autem se obligare potest ad aliquid sibi *moraliter impossibile*. Si vero res sit divisibilis et ex parte possibilis sit, ut summa pecuniæ, pro hac parte valet votum; non valet autem, si sit moraliter indivisibilis, ut partes ecclesiæ, aut divisibilis quidem, at constet, voventem per modum unius se voluisse ad utramque partem obligare, et indivisibiliter utramque præ oculis habuisse. *Ita communiter*.[1]

383. Quæsita. — **Quær.** 1° *An valeat votum de materia jam aliunde præcepta?*

Resp. Affirm., primo quia non repugnat, debitorem diversis titulis obligari; deinde vero votum hujusmodi est de re bona in se, cum præcepta supponatur, et demum est de bono meliori, cum novum vinculum ad majorem fidelitatem et devotionem in adimplenda lege conferre possit. — *Ita communiter*.[2]

Quær. 2° *An valeat votum rei bonæ cum fine pravo, aut conditione mala?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, si finis malus, licet impulsivus tantum, dummodo sine eo votum non fieret,[3] se tenet ex parte rei votæ, v. g. si voveas eleemosynam ad impetrandum felicem furti successum, vel in gratiarum actionem pro latrocinio. Ratio, quia datio eleemosynæ ad talem finem est actio blasphema, quasi Deus ad peccandum opem ferat. Secus dicendum, juxta communem sententiam, si mala intentio *accidentaliter* tantum votum comitetur, et finis pravus, uti ait S. Alphonsus, se prorsus teneat ex parte voventis, v. g. si quis, vovens ob Dei gloriam, ex vana dein ostentatione libentius *externe* voveat.[4]

Resp. ad 2^um^ *Affirm.*, si votum fiat ex affectu erga rem bonam, ut bona est, etsi conjuncta cum causa seu conditione mala, ut si quis voveat eleemosynam, si non capiatur in furto. Etsi enim furtum malum sit; non lædi tamen non est malum, sed Dei donum; et votum non cadit su-

[1] De Matrim. L. 10. Disp. 9. n. 20.
[2] L. IV. 197.
[3] Ib.
[4] L. IV. 201.
[5] Ib.

[1] L. IV. 202.
[2] L. IV. 213.
[3] Cfr. Vindic. Alph. p. 919.
[4] L. IV. 206.

per malum, sed super bonum, quatenus in se bonum est. Multo magis autem id valet, si votum fiat ex malæ conditionis detestatione; ut si quis voveat eleemosynam, si et quoties blasphemet. — Laymann.[1]

Quær. 3° *An valeat votum non peccandi?*

Resp. 1° Non valet votum vitandi omnia peccata etiam levissima, quia hoc impossibile est.[2]

Resp. 2° Valet autem votum vitandi omnia mortalia, vel omnia venialia plene deliberata, quia hoc est possibile cum divina gratia et sine speciali privilegio, et personæ perfectionis amantes illa satis evitant. Item *communiter* valet votum non committendi venialia certi generis v. g. nunquam mentiendi, maxime in personis magnæ virtutis; in aliis vero modicæ virtutis erit materia impossibilis; imo in aliquibus materiis, puta cogitationum inhonestarum, quoad quamlibet vel levissimam subreptionem, otiosarum, etc. cum sint inevitabiles quoad omnes, votum est nullum.[3]

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE VOTI.

384. PRINCIPIA. — I. Votum obligat *per se*, sicut lex vel præceptum Ecclesiæ, ac proinde graviter in materia gravi, et leviter in levi; votum enim est quasi quædam lex privata, quam quis sibi imponit.

II. Votum obligat secundum voventis intentionem, si ille obligationis quantitatem in actu vovendi determinet, ita ut sub levi tantum in materia quantumvis gravi se ligare possit. Ratio est, quia sicut legislator vel Superior potest in materia gravi obligare sub levi tantum, ita etiam qui vovet rem gravem, levem tantum obligationem sibi imponere potest. — Non tamen vicissim graviter in re levi potest se obligare, quia materia levis non est gravis obligationis capax. — *Ita communiter.*[4]

385. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quænam materia per se censeatur levis vel gravis in voto?*

Resp. Illa materia gravis censetur, quæ cum ab Ecclesia præcipitur, graviter obligat, ut jejunium, Missa, etc., . . . vel quæ comparata cum alio præcepto gravis videtur, vel notabiliter ad finem voti, aut ad Dei cultum confert.

Quær. 2° *An plures materiæ leves coalescant ad materiam gravem efficiendam?*

Resp. Neg., si materiæ leves voveantur separatim, ita ut obligatio sit affixa præcise tempori vel diei, seu ad diem illum sanctificandum. — Secus, si materiæ leves per modum unius voveantur, ita ut diei determinatio non accedat nisi ad executionem urgendam, ut fere fit in votis realibus; excipe tamen, nisi aliud ex voventis constet intentione, ex qua tota obligatio et ratio obligationis pendet.

386. — Quær. 3° *An aliquis voto alieno ligari possit?*

Resp. Neg., saltem *ratione voti*; ratio, quia votum est onus personale voluntarie susceptum, et ideo nemo rem vel actionem alienam promittere potest. — Hinc vota parentum filios devoventium cuipiam Religioni, aut ipsis imponentium obligationem, v. g. certis diebus jejunandi, etc. istos ligare nequeunt. Licet autem filii non teneantur voto parentum, qui illos Religioni, vel alicui obligationi devoverunt, parentes tamen votum obligat, ut quantum in ipsis est, salva filiorum libertate, hos moveant ad id, quod pro ipsis voverunt, amplectendum, ac multo magis ne filiis id amplecti volentibus obstent.

Dixi: *saltem ratione voti*; nam ex justitia hæres vota realia defuncti solvere tenetur. — Vide dicenda in Tract. *de Contract.* ubi *de Promissione.*

Quær. 4° *Quænam dilatio gravis censenda sit?*

Resp. 1° Gravis est *per se* quælibet dilatio voti graviter obligantis, quando tempori determinato affixum est, ut est votum jejunandi in tali vigilia, etc.; quia elapso tempore cessat voti obligatio, quæ compensari nequit.

Resp. 2° Si vero tempus determinatum non fuerit, aut ad urgendam tantum voti executionem præfixum sit, dilatio notabilis in re gravi peccatum grave erit, juxta S. Alph.[1] et alios. Notabilis autem censetur dilatio *sine justa causa* ultra biennium aut triennium in voto *temporali*, et ultra semestre in *perpetuo*, ut in e. g. voto ingrediendi religionem, facto ab eo, qui non sit amplius adolescentulus.[2]

387. *Resolves.* — 1° Vota realia de suo

[1] L. 4. Tr. 4. c. 2. n. 7.
[2] Trid. Sess. 6. can. 23.
[3] L. IV. 203.
[4] L. IV. 211. 213.
[1] L. IV. 221.
[2] Ib. et H. A. Tr. V. 33.

solvenda sunt; qui autem nequit de suo solvere, non tenetur ab alio mendicare, ut satisfacere possit. Satisfacit tamen, si alius sive rogatus, sive sponte pro ipso solvere velit, quamvis ipse satisfacere queat; quia quod dat alter, accedente voventis consensu vel ratificatione, fit ipsius proprium. Excipe, si materia voti realis ob peculiarem rationem a vovente fuerit determinata; tunc enim ea in *individuo* eroganda est.[1]

2° Vota personalia impleri possunt tantum ab ipso vovente, nec ad hæredes transeunt. Hinc qui vovit peregrinationem, non satisfacit alium ad eam inducendo.

3° Votum indeterminatum quoad temporis cessationem, v. g. de rosario diurno, aut jejunio singulis Sabbatis faciendo, obligat perpetuo, nisi aliud ex circumstantiis colligatur. In dubio an votum sit temporaneum vel perpetuum, aut pro mense vel anno, minimum tenendum est.[2]

4° Qui vovit aliquid sine certa quantitate, v. g. eleemosynam, pecuniam, etc. . . . satisfacit dando id quod voluerit, modo non tam parum tribuat, ut videatur potius Deo illudere, quam votum adimplere.

5° Qui vovit audire Sacrum per mensem vel annum, *probabilius* non tenetur in festis audire duo Sacra, nisi explicite hoc voverit; quia finis voti est, ut singulis diebus fructum Sacrificii colligat. Item non tenetur jejunare die Dominica, qui per mensem, annum, vel totam vitam jejunare vovit, nisi expresse ad id sese obligaverit; quia censetur vovere jejunium juxta morem Ecclesiæ.[3]

6° Qui vovit jejunium in vigilia alicujus Sancti, si hæc in diem Dominicam incidat, die Sabbati, juxta morem Ecclesiæ, votum adimplere potest.[4]

7° In voto *disjunctivo* (in voto nempe præstandi unum e duobus vel pluribus, v. g. Sabbatho aut jejunandi aut eleemosynam dandi) pars, quæ eligitur, præstanda est, etsi *post electionem* altera pars impossibilis evadat. Si vero *ante electionem* una pars impossibilis evaserit *sine culpa* voventis, votum ruit; secus obligatio manet ad partem superstitem.[5]

[1] L. IV. 217.
[2] L. IV. 221.
[3] L. IV. 224.
[4] L. IV. 224.
[5] L. IV. 224.

8° Qui votum *conditionatum* emisit, et verificationem conditionis impedit rationibus vel precibus, non peccat; secus si vi vel fraude. Licet autem in hoc casu peccaverit, probabilius tamen a voto liber manet, nisi contraria intentio voventis præsumenda sit, ut præsumenda est e. g. in filio, qui vovit se ingressurum. Religionem, nisi pater contradixerit; intentio enim ejus videtur fuisse, nisi contradixerit ex se, sua sponte, sibi relictus.[1]

9° Votum non prætendendi sive directe, sive indirecte ad dignitates ecclesiasticas, quod in quibusdam Religiosis Institutis emittitur, secundum Suarez a) *per se* non violatur desiderio earum dignitatum mere interno, licet ambitioso, adeoque ex hoc capite peccaminoso; desiderare enim non est *prætendere*;[2] b) ne indirecte quidem *prætendere* dicendus est, qui ex hoc desiderio facit aliquid, quod *solum* ordinatur ad hoc, ut major capacitas ad dignitatem *obtineatur*, v. g. diligentius studere;[3] c) violatur hoc votum ab eo, qui per actionem externam, etiam indirectam, v. g. *ostensionem* capacitatis, alium effective movere conatur, ut sibi dignitas ab eo vel conferatur vel procuretur.[4]

ARTICULUS III.

DE CESSATIONE VOTI.

388. — Obligatio voti cessare potest

I. Ob causas intrinsecas, scilicet 1° cessatione finis seu causæ motivæ, 2° mutatione substantiali materiæ, et 3° impossibilitate sive physica, sive morali, ut de legibus supra dictum est, n. 137, III. 138. 165.

Dicitur: 1° *cessatione causæ motivæ*. Titius v. g. filiusfamilias dum luderet a patre deprehensus, ab eoque vehementer objurgatus, ad illius iram declinandam vovit, se non amplius lusurum. Patre mortuo, cessat voti obligatio; ira enim patris declinanda voti causa fuit, non tantum impulsiva, sed motiva et principalis, ut ex casu apparet.

Dicitur: 2° *mutatione substantiali ma-*

[1] L. IV. 218.
[2] Suarez, de Soc. Jesu. L. VI. c. VII. n. 9.
[3] Ib. n. 10.
[4] Ib. n. 11. 12.

teriæ, et 3° *impossibilitate sive physica, sive morali.* — Contingit a) si materia fiat illicita, vel indifferens, vel impeditiva melioris boni; b) si fiat omnino impossibilis; c) si status voventis relate ad voti materiam fiat moraliter diversus, v. g. si quis vovisset ædificationem ecclesiæ, sed dein ejus opes ita minuantur, ut nequeat voto suo satisfacere sine notabili status sui detrimento. — Patet, mutationes sub a) et b) vim voto, quod cessat esse de bono, eoque meliori et possibili (n. 378. 382), adimere. — Quoad mutationes sub c) communis sententia est, in omni promissione, ergo etiam in voto, obligationem per mutationem materiæ *de se* notabilem auferri, cum res fiat diversa ab ea, quæ promissa est: imo probabiliter, et forte etiam probabilius, ait S. Alph.,[1] cessat votum, si supervenit circumstantia, qua prævisa quis votum non emisisset, licet ea non induceret mutationem *de se* notabilem. In dubio tamen standum est pro voto, quod possidet.

Excipe tamen: 1) Si incommodum istud ex natura rei rationabiliter potuit prævideri. Hinc votum etiam simplex castitatis non cessat per supervenientes vehementes stimulos carnis, cum vix sit qui hac in re graves tentationes non interdum patiatur; contra stimulos istos alia igitur remedia adhibenda sunt,[2] vel dispensatio obtinenda est. 2) Si bonum publicum firmitatem voti expostulat. Hinc per ejusmodi mutationes non cessant vota solemnia emissa in professione religiosa vel in susceptione Ordinum; nec vota simplicia, quæ in *Congregationibus* religiosis emittuntur, maxime si addatur juramentum perseverantiæ; tunc enim intervenit contractus onerosus. Unde sicut Congregatio nequit alumnum dimittere ob supervenientes mutationes, præterquam tales quibus ædificationi esse cessaret, ita nec alumnus deserere Congregationem.[3]

II. Ob causas extrinsecas, scilicet irritatione, dispensatione, et commutatione, de quibus singillatim dicendum venit.

§ I. *De irritatione votorum.*

389. — *Definitio.* Irritatio voti est ejus annullatio vel suspensio facta ab eo, cujus potestati subest voluntas voventis, aut materia voti.

Divisio. Est 1° *directa*, seu voti annihilatio, si cadat *directe* in personam seu in voluntatem voventis; 2° *indirecta*, seu ejusdem suspensio, si cadat tantum in voti materiam.

PRINCIPIA. — I. Omnis Superior potestate dominativa in voluntatem alterius prædditus (ut Superior Regularis vi voti obedientiæ) potest omnia subditorum vota directe irritare; nec semel irritata reviviscunt unquam. Vota igitur inferiorum, quorum voluntas, vi status sui, perfecte Superiori subjacet, semper hanc tacitam involvunt conditionem: *nisi Superior repugnaverit.*

Hinc, excepto voto transeundi ad Religionem strictiorem, cætera vota particularia Regularium et Monialium irritari possunt, 1° a summo Pontifice ceu supremo omnium Regularium Prælato; 2° a Superioribus Ordinis vel domus.[1]

II. Omnis Superior vel dominus irritare potest indirecte omnia subditorum vota in iis, in quibus læditur ipsius potestas: quia quisque jus habet, ne in rebus suo dominio subjectis lædatur; sed vota hæc reviviscunt, quando sine alterius præjudicio adimpleri possint.

Hinc 1° Maritus irritare potest vota uxoris, quæ juri conjugali, filiorum educationi, vel domus gubernationi præjudicant.

2° Uxor irritare potest vota mariti, quæ matrimonii jura lædunt, ut votum castitatis, longæ peregrinationis, induendi habitum eremitæ, etc.

3° Herus potest irritare seu suspendere vota famulorum, quæ obsequium debitum impediunt vel minuunt, ut votum quotidie Missam audiendi.[2]

III. Omnia vota impuberum, etiam castitatis et Religionis, possunt directe irritari a paterna potestate. Constat ex Jure Canonico.[3] Puberes autem sunt masculi anno 14°, puellæ 12° completo.

Hinc vota impuberum directe irritari possunt a patre, et, patris defectu, ab avo paterno, a tutore, et, his deficientibus, a matre, et probabiliter etiam præsente pa-

[1] L. IV. 226. [2] Trid. Sess. 24. Can. 9.
[3] L. V. 50.

[1] L. IV. 233.
[2] L. IV. 241 sq.
[3] c. 2, Causa 20. q. 2.

tre (eo tamen non contradicente), vel tutore.[1]

390. Quæsita. — Quær. 1° *An maritus possit irritare omnia vota uxoris?*

Resp. Controvertitur. Alii *negant*, et dicunt maritum posse tantum irritare *indirecte* ea vota, quæ juribus suis obstant. Quoad alia enim uxor non est subjecta.— Ita Voit,[2]— Laymann, etc. — Melius tamen alii cum S. Thom.[3] et S. Alph.,[4] marito jus tribuunt irritandi etiam *directe* vota, stante matrimonio, emissa.

Quær. 2° *An pater directe possit irritare vota filiorum puberum emissa ante pubertatem?*

Resp. Affirm., modo filii pubertatem adepti ea non confirmaverint; imo probabiliter etiamsi illa ratihabuerint, nescientes irritabilia esse.[5]

Quær. 3° *An possit fieri irritatio sine causa?*

Resp. Affirm., quoad validitatem, quia dominus valide disponit de re sua; sed *Neg.* quoad liceitatem, quia irrationabiliter impeditur profectus spiritualis subditi, etc. Non tamen id communiter peccatum veniale excedit. — S. Alph.,[6] *et alii communiter.*

Quær. 4° *An Superior directe irritare possit vota a se ratihabita?*

Resp. Affirm., quoad validitatem; quia nequit sibi adimere potestatem, quam in subditos habet.[7]

Quær. 5° *An conjuges continentiæ votum mutuo consensu emissum invicem irritare possint?*

Resp. Uxor irritare nequit in hoc casu votum viri; uxori enim jus tantum est *indirecte* irritandi vota mariti, et huic juri renuntiavit votum ipsius ratihabendo. Cum vero vir *directe* irritare possit vota quæcumque uxoris et huic juri renuntiare nequeat, ut in quæsito superiori 1° dictum est, solida ratio cur id non possit, afferri haud posse videtur; cum vero sententia opposita in hoc casu sit *communis*, S. Alph.,[8] rem sapientioribus decernendam relinquit.

1 L. IV. 229. 230.
2 n. 600.
3 2. 2. q. 88. a. 8. ad. 3.
4 L. IV. 234.
5 L. IV. 238.
6 L. IV. 239.
7 Ib.
8 Ib.

§ II. *De dispensatione votorum.*

Dispensatio voti est absoluta ejus condonatio momine Dei a Superiore legitimo facta.

391. Principia. — I. Ecclesia habet veram potestatem dispensandi in votis, sicut et in juramentis. Constat ex verbis Christi,[1] *Quodcumque solveris*, etc.; — et ex praxi constanti Ecclesiæ. — *Communis.*

II. Soli Prælati, quibus jurisdictio in foro externo data est, jure *proprio* et *ordinario* a votis dispensare possunt, quia hæc potestas pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, sicut potestas ferendi leges et censuras. Hinc solus Papa dispensare potest a votis, etiam solemnibus, pro tota Ecclesia; Episcopi autem vel Prælati regulares pro subditis tantum respectivis, et solum in votis Papæ non reservatis.[2]

Jure autem delegato aut subdelegato in votis dispensant, qui eam facultatem obtinuerunt ab iis, qui eam aut delegare, aut subdelegare valent. De his in Tr. *de Stat. Part.* Cum vero dubium sit utrum qui potestatem habet *delegatam* dispensandi in votis, hoc ipso et potestatem habeat dispensandi in juramentis *sine ullo voto* aut *independenter ab eo* emissis, *dubia* illa potestate juramenti obligatio, *certo* jam contracta, auferri nequit.[3]

III. Ad validitatem dispensationis semper justa causa requiritur, quia cum vota soli Deo fiant, homo nequit ab iis dispensare nisi tanquam delegatus; sed delegatus nequit dispensare valide sine justa causa, ut de legibus dictum est. — *Ita communiter.*[4]

392. Quæsita. — Quær. 1° *Quænam sint justæ causæ hujus dispensationis?*

Resp. Bonum Ecclesiæ, societatis, familiæ, et ejus etiam qui voto obstrictus est, v. g. si scrupulis, vel gravibus tentationibus, voti causa, opprimatur; si difficultatem notabilem in voto adimplendo experiatur; si votum emissum sit immature, scilicet cum nimia facilitate, vel ex imperfecta deliberatione, vel sine perfecta libertate. . . . Ob hanc rationem vota

1 Matth. 16. 19.
2 L. IV. 256.
3 L. IV. 190. Cfr. Vind. p. 269.
4 L. IV. 250.

impuberum sine alia causa possunt absolute dispensari sine aliqua commutatione. . . . Idem dicendum est, si votum sit emissum ob metum levem incussum ab extrinseco. . . . Idem, quando imperfecta deliberatio aut libertas in vovendo processit ex tristitia, vel ira, vel metu intrinseco naufragii, mortis, aut alterius mali.[1]

Quær. 2° *An Superior possit dispensare in votis ad utilitatem proximi factis?*

Resp. Affirm., si votum non fuerit acceptatum a persona *determinata*, sive physica, sive morali, ut ecclesia, in cujus utilitatem emissum est. Secus *Neg.*, quia tunc intercedit obligatio contractus.[2]

Quær. 3° *Quænam sint vota Papæ reservata?*

Resp. Præter vota emissa in Communitate religiosa, de quibus in Tr. *de Stat. Part.* pressius agetur, Papæ reservantur 1° votum castitatis perfectæ et perpetuæ, non vero votum virginitatis tantum; 2° votum ingrediendi Religionem, in qua vota solemnia nuncupantur. Ita ex Resp. S. Sedis dd. 2 jan. 1836 ad Ep. Cenoman. apud Gautrelet.[3] Ab hoc et a præcedenti voto etiam Episcopi nostri dispensare possunt (p. LXX. 4). 3° votum peregrinationis Hierosolymitanæ ad sepulcrum Christi; 4° votum peregrinationis Romanæ ad limina Apostolorum; 5° votum peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum. Quæ tamen reservatio, utpote odiosa, stricte accipienda est; ideoque extendi non debet, nisi ad vota:

1) *Proprie dicta.* Unde non esset reservatum votum emittendi votum reservatum; quia non esset votum factum, sed faciendum; — nec votum non principaliter emissum in honorem Dei.

2) *Absoluta.* Unde vota non sunt Pontifici reservata, si sint pœnalia; vel conditionata, idque probabilius conditione etiam impleta.

3) *Omnino libera.* Unde vota non sunt reservata, si sint emissa sub levi etiam metu ab alio incusso.

4) *Perfecta.* Unde non essent reservata, si emissa fuissent sub levi obligatione; vel si non forent completa in suo genere. Hinc votum castitatis, si non excludat omnem actum venereum, non est reservatum; quare non censetur reservatum votum non nubendi, non adulterandi, non fornicandi, non petendi debitum, — nec votum quod indirecte tantum castitatem respicit, uti esset votum Sacros Ordines suscipiendi.

5) *Determinata;* hinc non esset reservatum votum disjunctivum.

6) *Quoad eorum substantiam.* Unde non sunt reservatæ votorum reservatorum circumstantiæ, uti peregrinandi mendicando; et si quis voveat ingressum in Religionem arctiorem, poterit Episcopus dispensare, ut etiam benigniorem ingrediatur.[1]

Quær. 4° *An Episcopus possit dispensare conjugem a voto castitatis perpetuæ tum ante, tum post matrimonium emisso, in ordine ad debitum petendum?*

Resp. Affirm., juxta sententiam communem, contra nonnullos; quia dispensare potest ab omni impedimento exercitium actus conjugalis impediente.[2] Excipe tamen impedimentum ex voto perpetuæ castitatis ab utroque conjuge *et* mutuo consensu emisso; quod tamen ab Episcopis qui, ut nostrates, facultatem habent dispensandi in voto castitatis (p. LXX. 4), tolli posse existimamus.

§ III. *De commutatione votorum.*

393.— Commutatio voti est substitutio alicujus operis loco promissi. Fieri potest triplici modo, scilicet in bonum melius, in æquale, in minus.

Principia. — I. Quicumque habet potestatem, etiam simpliciter delegatam, dispensandi a votis, habet eo ipso facultatem ea commutandi; qui enim potest plus, potest etiam minus in eodem genere. — Non autem vicissim, quia major potestas in minore non continetur.[3]

II. Quisque potest privata auctoritate, et sine causa speciali, votum suum commutare in opus evidenter melius, modo id Ecclesia in casu particulari non prohibuerit; quia dum quis peragit opus re promissa perfectius, eo ipso id servat quod promiserat, cum perfectum in perfectiori includatur. Constat insuper ex Jure

[1] L. IV. 253.
[2] L. IV. 254 et H. A. Tr. V. 41.
[3] Traité de l'Etat religieux, Vol. II. p. 271. 272.

[1] Scav. Tom. II. n. 73. p. 53. et S. Alph. L. IV. 257 sq.
[2] L. IV. 258 et L. VI. 986. 987.
[3] L. IV. 246.

Can.[1] Melius autem censetur, quod ad majorem utilitatem spiritualem voventis, vel majus Dei obsequium conducit. Excipe tamen vota Papæ reservata, nisi mutatio fiat in statum religiosum.[2]

III. Qui votum emisit, illud in bonum minus propria auctoritate commutare nequit; debet enim Deo dare, quidquid promisit. — *Ita omnes.* — Utrum vero possit mutare votum suum in bonum æquale, *controvertitur.* S° Alph° [3] *multo probabilior* est sententia S. Thomæ id negantis, quia Deus potius vult rem promissam, quam aliam.

IV. Sacerdos delegatus ad vota mere commutanda, ea in opus notabiliter minus commutare nequit; quia secus magna ex parte dispensaret, et sic acceptam facultatem excederet. Attamen facultas vota commutandi non adeo stricte est interpretanda, ut ad opus omnino æquale coarctetur, sed latiori sensu accipienda est, adeo ut ad opus aliquanto minus sese porrigat; secus enim innumeris difficultatibus et scrupulis obnoxia foret, cum difficillimum sit æqualitatem invenire in rebus omnino disparatis. Insuper commutatio fere debet in allevationem ejus fieri, qui sese voto obstrinxit.[4]

394. Quæsita. — Quær. 1° *An requiratur causa aliqua ad votum in opus æquale, vel paulo minus commutandum?*

Resp. 1° *Affirm.*, quoad *liceitatem*, quia secus delegatus prodige commutaret, in vanum potestate commutandi utendo.

Resp. 2° *Probabiliter* etiam *affirm.*, quoad *validitatem*, quia delegatus sine causa commutans, limites suæ potestatis videtur excedere. Attamen sententiam oppositam æque *probabilem* dicit S. Alph.[5] Minor tamen requiritur causa ad commutandum, quam ad dispensandum; et rursus minor requiritur ad commutandum in æquale, quam in minus: sufficit enim major personæ propensio, vel minus periculum votum transgrediendi.[1]

Quær. 2° *An, facta commutatione, liceat redire ad primum opus?*

Resp. 1° *Affirm.*, si commutatio facta fuerit in minus vel æquale, quia primum opus est æque gratum Deo, imo et gratius videtur. — *Ita communiter.*

Resp. 2° *Affirm., probabilius*, etiamsi facta fuerit in melius, quia commutatio fit in favorem voventis.[2]

395. — Quær. 3° *An debeas redire ad primum opus, si secundum fiat impossibile?*

Resp. 1° *Neg.*, si mutatio facta sit alterius auctoritate, etiamsi tua culpa impossibile fieret; quia prior obligatio per commutationem ipsam dissoluta est.

Resp. 2° *Affirm.*, si pro tuo arbitrio commutationem feceris, quia tunc non *dissolvitur* prior obligatio, sed tantum *suppleri* supponitur per meliorem. — *Ita communissime.*[3]

Quær. 4° *An, commutato voto reservato, etiam materia subrogata reservata maneat?*

Resp. Neg., probabilius, quia materia illa, quæ substituitur, non est *per se* reservata, quamvis idem vinculum voti habeat.[4]

Cæterum sedulo adhortandi sunt fideles, præsertim mulieres et adolescentes, ut nunquam vota emittant nisi de consilio vel approbatione confessarii; præsertim si de voto castitatis agatur. Confessarius autem veniam seu consilium emittendi votum perfectæ et perpetuæ castitatis nonnisi difficillime et solummodo personis diu probatis atque maturæ ætatis concedere debet, et sæpe prudenter aget, si veniam illam largiatur adjecta conditione: *donec confessario pro tempore videbitur.*

[1] L. II. Decr. T. XXIV. c. 3.
[2] L. IV. 243.
[3] Quæst. rec. ref. VIII.
[4] L. IV. 243. [5] L. IV. 245.
[1] L. IV. 244. [2] L. IV. 248.
[3] L. IV. 249. [4] L. IV. 260.

DE III. DECALOGI PRÆCEPTO.

Memento ut diem Sabbati sanctifices.[1]

396. — Tertium Decalogi præceptum naturale est, quatenus præcipit, ut aliquod tempus publico divino cultui dedicetur; quatenus vero determinate designat diem Sabbati, cæremoniale est, et in lege nova abrogatum; siquidem pro die Sabbati Ecclesia diem Dominicam in memoriam Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi substituit.

Præter Diem Dominicam Ecclesia instituit alios dies festos ad recolenda Redemptionis nostræ beneficia, vel Sanctorum merita et exempla, mandatque ut illi, non secus ac dies Dominica, sanctificentur.

Hoc præceptum quatenus affirmativum est, quædam opera præcipit, et quatenus negativum, quædam alia prohibet; hinc Caput duplex.

CAPUT I.

DE IIS QUÆ DIEBUS FESTIS PRÆCIPIUNTUR.

ARTICULUS I.

DE IIS QUÆ GENERATIM DIEBUS FESTIS PRÆSTANDA SUNT.

397. Principia. — I. Omnes fideles, usum rationis habentes, et qui moraliter advertere possunt ad Missam, tenentur *sub gravi* singulis Dominicis et festis diebus eidem interesse, nisi justa causa excusentur. Constat ex variis Juris Can. locis.[2]

Dixi: *sub gravi;* agitur enim de re gravi tum in se, tum juxta existimationem communem fidelium, et unanimem consensum theologorum.

398. — II. Præter istud, nihil aliud, saltem *sub gravi,* præstare vi præcepti fideles tenentur. Ratio est, quia nihil aliud invenitur certo præceptum. Est doctrina communis theologorum.

Dixi: *saltem sub gravi.* Plerique enim theologi addunt, nec *sub levi per se.* Quamvis enim ideo prohibita sint opera servilia, ut fideles facilius rebus divinis vacare possint, hæ tamen nulla lege præscribuntur. Præterea finis præcepti non cadit sub præceptum. — Ita Suarez,[1] Elbel,[2] et alii multi, ut fatetur etiam Concina, qui hanc sententiam communem vocat.

Hinc excusatus die Dominica a Missa non tenetur ratione præcepti persolvere domi preces, quas tempore Sacri recitasset, vel recitare solet. — Suarez.[3]

III. *Per accidens* tamen teneri possunt fideles ad aliquid aliud, non quidem vi hujus præcepti, sed quia ad aliam obligationem implendam necessarium id esse potest. Tenentur enim assistere concionibus seu catechesi diebus festis, si concio sit necessaria ad instructionem christianam vel morum compositionem; quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media in hunc finem necessaria. — Billuart, *et alii communiter.* — Cæterum impense inducendi sunt fideles ad alia pia opera, præter Missam, exercenda, ad fusiores preces fundendas, etc.

ARTICULUS II.

DE AUDITIONE MISSÆ IN PARTICULARI.

Agendum 1° de iis quæ ad Missam rite audiendam requiruntur; 2° de causis ab ea excusantibus.

§ I. *De iis quæ ad Missam rite audiendam requiruntur.*

Tria requiruntur: 1° præsentia corporis; 2° attentio mentis; 3° locus debitus.

Punctum I. Præsentia corporis.

Requiritur præsentia corporis moralis et continua.

399. — I. *Moralis,* scilicet, quis ita

[1] Exod. 20. 8.
[2] C. 62 et 64. de consecrat. Dist. 1.

[1] De Relig. Tom. I. I. 2. c. 16. n. 4.
[2] n. 385 sq. [3] Ib.

præsens esse debet, ubi fit Sacrum, ut possit dici unus e numero assistentium et offerentium Sacrificium; ad hoc autem sufficit, ut sit in loco unde Missam sequi possit quoad partes præcipuas, sive videndo, sive audiendo, aut ad signa aliorum assistentium attendendo.

II. *Continua*, id est, perseverans ab initio ad finem Missæ, ita ut graviter peccet, qui omittit notabilem ejus partem, et venialiter qui partem exiguam omittit, nisi justa causa excusetur.

Resolves. — 1° Missæ valide assistit, qui, etsi sacerdotem non videat, nec audiat verba, Sacri partes distinguit sonitu campanulæ, cantu chori, motibus assistentium, quibus moraliter jungitur, licet sit extra Ecclesiam, in qua turba contineri non potest. Item qui stat post altare, post columnam, vel post parietem, modo ad partes præcipuas Missæ advertere possit.

2° Item *non improbabiliter*, qui est in domo proxima, ex qua per fenestram altare videat, licet via intermediet, dummodo parvum sit spatium inter Ecclesiam et locum, in quo est. Secus autem, si magnum spatium intercedat, ut *communius* docetur.

3° Non assistit Sacro, qui multum a longe manet, etsi templum, altare, turbam videat, quia in usu communi dici non potest audire et adesse *moraliter*. Juxta Lugo et alios, spatium triginta passuum a turba assistentium non adeo magnum videtur, ut impediat, quominus quis Sacro adsit, quod tamen non admittit S. Alph.[1]

400. Quæsita. — Quær. 1° *Quænam omissio reputanda sit gravis aut levis in Missa?*

Resp. Non facile determinari potest; quamvis enim juxta *omnes*, tertia pars Missæ sit notabilis, non tamen constat, quæ sit tertia pars, cum pars notabilis non tantum a *diuturnitate* dijudicari debeat. Hæc tamen juxta communem sententiam statui posse videntur.

1° Grave est omittere omnia usque ad Offertorium *inclusive*, seu ad oblationem panis *exclusive*. Leve autem certo est omittere omnia usque ad Epistolam *exclusive*, et *probabilius* etiam *inclusive*; imo *probabiliter* etiam, juxta S. Alph.,[2] usque ad Evangelium *inclusive*, licet S. Doctor oppositam sententiam ut *probabiliorem*, habeat. Ratio horum est, quia quæ præcedunt proprie ad Sacrificium non pertinent, sed sunt tantum veluti præparatio ad illud. — Lugo, etc.

2° Grave est juxta *omnes* omittere omnia ante Evangelium et simul omnia post Communionem; non vero omittere illa tantum, quæ Communionem sequuntur, imo nec omittere omnia ante Epistolam et omnia post Communionem. — Lacroix,[1] S. Alph.[2]

3° Gravis habenda est omissio *Canonis* a Consecratione usque ad *Pater exclusive*, quia est pars notabilis diuturnitate et dignitate. Levis autem reputatur omissio *Offertorii* i. e. omnium, quæ fiunt a *Dominus vobiscum* post Credo usque ad Præfationem; nam latiori hoc sensu[3] hic venit *Offertorium*;—item omissio *Symboli*, quia non est pars regularis Missæ.[4] Evangelium autem *S. Joannis* in fine *probabiliter* non est pars Missæ, quia ante illud jam dimittitur populus per benedictionem.

4° Grave est omittere Consecrationem et Communionem; imo et solam Consecrationem, quia est pars dignissima, in qua, saltem præcipue, consistit Sacrificii ratio. Quin imo *probabilius* et *communius* tenetur, grave esse uni tantum Consecrationi aut Communioni non adesse; quia essentia Sacrificii *probabilius* in utraque Consecratione et in Communione consistit, et huic sententiæ S. Alph. practice adhæret.[5]

401. — Quær. 2° *An præcepto satisfaciat audiens duas dimidias Missas a diversis sacerdotibus tum* simultanee, *tum* successive?

Resp. 1° *Neg.*, si audiat simultanee. Ratio deducitur ex interpretatione communi legis, quæ confirmatur propositione 53ª ab Innoc. XI. damnata (p. XVII.).

Resp. 2° Si vero successive, dist. 1) *Neg.*, si Consecratio et Communio non sint in eadem parte. Ratio est, quia Ecclesia præcipit fidelibus, ut intersint integro et perfecto Sacrificio. Illud autem non habetur, nisi tum Consecratio, tum Communio in eadem Missa conveniant.[6]

[1] L. IV. 312. H. A. Tr. VI. 35. [2] L. IV. 310.
[1] L. III. P. I. n. 666. [2] L. IV. 310.
[3] S. Alph. del Sacrif. di Gesù Cristo. p. III. ad II. Op. asc. t. III. Torino. 1867.
[4] L. IV. 310.
[5] H. A. Tr. VI. 33. et Istr. al popolo. p. I. c. III. n. 14. Op. mor. Ital. Vol. unico. Torino. 1870.
[6] H. A. Tr. VI. 34.

— 2) *Affirm.* autem, *probabiliter*, si Consecratio et Communio in eadem Missa reperiantur; quia tunc ratio integra Sacrificii in eadem parte habetur. — S. Alph.,[1] Lugo, Azor, contra alios.

Quær. 3° *An debeat reliqua audire, qui post Consecrationem ultimæ Missæ advenit?*

Resp. Affirm., valde probabiliter, quia satis etiam probabilis est sententia essentiam Sacrificii in Sumptione consistere, et hæc sententia in praxi tenenda est ex alia etiam ratione, hac scilicet quod audiri possit pars notabilis cæremoniæ ab Ecclesia præscriptæ.[2]

Quær. 4° *An qui omittit levem partem Missæ, sub levi teneatur supplere, si possit?*

Resp. Affirm., probabilius, quia Missam integram audire tenetur: excipe, si de parte valde exigua agatur. — Sic S. Alph.,[3] Salm. contra alios. Cæterum ratio sat levis ab hac supplendi obligatione eximere potest.

Punctum II. Attentio mentis.

402. — Attentio ad Missam duplex distinguitur: 1° *interna*, qua quis actu advertit et animum applicat ad ea, quæ a sacerdote peraguntur; 2° *externa*, quæ consistit in cavenda quavis actione externa, quæ, impediat mentis applicationem, v. g. confabulari, pingere, . . . etc.

Attentio autem *interna* triplex est: 1° alia ad verba vel ad actiones sacerdotis; 2° alia ad sensum verborum vel mysteriorum; 3° alia ad Deum ipsum per preces piasve meditationes.

Principia. — I. Ad Missam valide audiendam requiritur omnino attentio saltem externa; quia nullo modo dici potest Sacro interesse, qui ponit actiones cum attentione interna incompossibiles; imo ille impudenter Deo et Ecclesiæ illudit. — Ita *omnes*.

II. Requiritur insuper attentio aliqua interna, et saltem voluntas audiendi Missam; quia id prorsus exigitur, ut auditio seu præsentia sit humana, moralis et ex objecto religiosa. — Suarez.[4]

[1] L. IV. 311.
[2] H. A. Tr. VI. 33 et L. IV. 310. q. 2.
[3] L. IV. 310.
[4] De Euch. Disp. 88. Sect. 3.

III. Sufficit autem interna quælibet ex tribus modo expositis. Ratio est, quia per earum quamlibet sufficienter applicatur mens ad cultum divinum, qui per Sacrificium intenditur.

IV. Nulla oratio vocalis absolute requiritur; quia assistentia religiosa Deum honorat, et nihil aliud præscriptum habetur.[1] — In praxi tamen fidelibus, præsertim rudibus, *suadendum* est, ut orationes aliquas recitent, imprimis orationes consuetas pro Missæ auditione, vel rosarium beatissimæ Virginis, ne nimiis distractionibus exponantur.

403. Quæsita. — Quær. 1° *An ad implendum hoc præceptum requiratur sub gravi attentio interna?*

Resp. Controvertitur. I[a] Sententia, *ex S. Alphonso communior et probabilior, affirmat.* Etenim ab Ecclesia præcipitur actus quo Deus colatur; atqui per solam præsentiam physicam Deus coli nequit; ergo . . . Ecclesia igitur præcipiendo directe actum exteriorem auditionis Missæ, videtur præcipere indirecte attentionem, saltem aliquam, tanquam conditionem sine qua non consisteret actus externus formalis. — Ita S. Thomas, Billuart, Elbel, Salm. et alii non pauci.

II[a] Sententia *negat.* Ratio est, quia assistentia cum voluntaria attentione, ut ut mere externa, est actus sufficienter religiosus, nec constat aliud ab Ecclesia præcipi. — Ita Lugo, cum aliis multis, et hoc dicit *satis probabile* S. Alph.[2]

Cæterum in praxi non apparet tanta differentia inter utramque sententiam. Etenim juxta priorem sententiam sufficit omnino attentio in gradu remisso, nempe ad præcipuas Missæ partes; juxta posteriorem vero requiritur 1° pius animæ motus, seu vera intentio honorandi Deum; 2° attentio talis, ut assistens Missæ rationem sibi reddere possit, reapse Sacro se assistere, et consequenter ut saltem in confuso ad præcipuas partes illius advertat. Hinc non facile arguendi sunt fideles de culpa gravi ob defectum attentionis sufficientis in Missa, sed potius amanter *adhortandi sunt*, ut pie et sedulo ad divina Mysteria animum intendant. Etenim, ait S. Alph.,[3] post Elbel, Sporer et Tamb., nemo anxius esse debet ob scrupulum

[1] L. IV. 313. [2] Ib.
[3] Ib.

attentionis non præstitæ, quia sufficit habuisse intentionem generalem colendi Deum.

404. — Quær. 2° *An satisfaciat præcepto, qui tempore Missæ peccata confitetur ?*

Resp. Neg., tum quia ponit actionem, quæ impedit attentionem internam, cum confitens testis esse nequeat eorum, quæ geruntur ; *tum* quia non assistit ut cultum exhibens, sed ut reus. Excusatur tamen, si Confessio vel *facilis et brevis* sit, cum hæc præsentiam *continuam* non impediat, vel *necessaria*, ne aliquamdiu maneat in mortali ; si enim grave incommodum temporale ab hoc præcepto excusat, a fortiori excusabit spirituale.[1]

Quær. 3° *An satisfaciat præcepto Ecclesiæ Clericus recitans Breviarium tempore Missæ ?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia recitatio Officii divini non impedit, quominus quis possit interesse Sacrificio Missæ, et moralem præsentiam ipsi exhibere. — *Ita communiter.*[2] (Vide n. 134.)

405. *Resolves.* — 1° Satisfaciunt præcepto ministrantes Missæ ; satis enim attendunt suum exhibentes ministerium, quo actualiter ad Sacrificium cooperantur. Idem dicendum est de sacristis, musicis, organistis, tympanistis, etc. ; quia eorum actus ad Dei cultum referuntur, nec necessariam impediunt attentionem ad ea, quæ in altari peraguntur.[3]

2° Satisfaciunt, qui eleemosynas colligunt, modo ad Missam saltem confuse attendant ;[4] si autem prævideant, se hanc attentionem præstare non posse, aliam Missam audiant, si commode possunt.

3° Satisfaciunt, qui conscientiam tempore Missæ discutiunt, ut confiteantur, sacramentalem pœnitentiam persolvunt, aut etiam orationem quovis titulo debitam faciunt ; quia his mens ad Deum dirigitur, et aliunde duplici præcepto simul satisfieri potest, si res præceptæ possint eodem tempore præstari. — *Ita communiter.* — Item qui legunt librum aliquem spiritualem, non tamen historias sacras animo discendi stylum.[5]

4° Satisfaciunt etiam, qui involuntarie distrahuntur, toto licet Sacrificii tempore, nisi alienis cogitationibus ita abripiantur, ut nullatenus attendant ; tunc enim non magis *satisfaciunt*, quam involuntarie dormientes per notabilem Missæ partem, licet *a peccato excusentur*. *Ita communiter.* Dormitans autem interdum inter Sacrum satisfacit, aut saltem non graviter delinquit, modo aliqua ratione advertat ad id quod fit.[1]

5° Satisfaciunt etiam quoad substantiam, seu a gravi culpa excusantur, qui voluntarie, etiam toto tempore Sacri, distrahuntur, modo simul attendant ; hoc enim aliquando fieri potest, si distractiones non sint adeo vehementes, cum homo simul de pluribus cogitare possit. — Reuter.[2]

6° Minime autem satisfaciunt, qui per notabilem Missæ partem de re seria (vel etiam de levi, sed ita ut attentio externa impediatur) confabulantur, vel imagines *attente* considerant, apparatus templi oculis lustrant, inscriptiones aut alia profana legunt, scientias meditantur, pingunt aut alia similia peragunt, nisi hæc fiant interruptim, aut ita ut attentionem non omnino impediant.[3]

Punctum III. De loco debito.

406. — Omissis iis, quæ theologi tradunt de oratoriis privatis, sufficit hæc duo notasse.

1° In his provinciis præcepto audiendi Missam satisfit *quolibet* in loco.

2° Privilegio celebrandi in altari portatili, quod concedi solet sacerdotibus in his provinciis, in Dominicis festisque de præcepto uti tenetur sacerdos, qui alias Missam audire non posset, dummodo tamen valeat reverenter tantum munus obire iis in rerum adjunctis, in quibus eum versari contigerit. Cæterum si inter acatholicos solus versetur in itinere, non tenetur ad celebrandum, quum vix possit debita Sacrificio reverentia servari.[4]

§ II. *De causis a Missa excusantibus.*

407. — Excusat a Missa audienda quævis causa mediocriter gravis, seu quæ involvit notabile quoddam incommodum vel damnum in bonis animæ vel corporis

[1] L. IV. 314. 332. Cfr. Vind. p. 275.
[2] L. IV. 309.
[3] L. IV. 317.
[4] L. IV. 317.
[5] L. IV. 314.

[1] L. IV. 316.
[2] n. 284.
[3] L. IV. 317.
[4] Ken. Tr. IV. 15.

propriis vel proximi. Constat ex communi interpretatione et consuetudine, quæ est optima legum interpres. — Ita *communiter*.[1]

408. *Resolves.* — 1° Excusantur ægroti, infirmi, convalescentes, quibus nocet foras prodire. Item qui infirmos custodire debent.[2]

2° Excusantur viatores, quibus non occurrit ubi Sacro intersint, aut qui non possunt iter interrumpere, propterea quod rhedarii publici, vel socii viæ, sine quibus iter incommodis aut periculo non careret, sistere abnuunt.

3° Excusantur, qui custodiunt gregem vel domum, aut qui cibos parare debent, aut similia necessaria peragere; si tamen plura fiant Sacra, omnes, quoad fieri potest, Missam successive audire debent.[3]

4° Excusantur matres et nutrices, quæ neminem habent cui relinquant parvulos, nec eos ad Ecclesiam ducere possunt sine magna adstantium perturbatione. Si sint duo conjuges tantum, alternis vicibus Sacro interesse convenienter poterunt.[4]

5° Excusantur sæpe, qui ab Ecclesia longe distant, ita ut ad eam accedere sine magna difficultate, præsertim hiemali tempore, non possint.

6° Qui ruri degunt et sacerdotis copia semel in mense fruuntur in ecclesia, quæ iis sit instar parochialis, juxta Kenrick,[5] non tenentur ad iter aliò faciendum diebus festis et Dominicis, in quibus abest sacerdos, nisi, exciperem, tribus tantum milliaribus ab alia aliqua ecclesia distent.

7° Affectus erga parentes et propinquos demonstrandi causâ excusari videntur, qui *aliquando* se conferunt ad loca, in quibus nulla futura sit Missæ audiendæ facultas. Cæterum *non sæpe, nec leviter, nec per tempus diuturnum* id faciendum est.[6]

8° Qui valetudinis causa vel legitimæ animi recreationis per aliquot æstatis hebdomadas aliò se conferunt, prout plurimorum hìc mos est, excusantur a violato præcepto, etsi copia Missæ audiendæ eis iter agentibus defutura sit: otium quippe illud et animi levamen aliquando necessarium et persæpe utile est, nec coguntur perpetuo in loco, in quo est copia Sacri, consistere.[7]

[1] L. IV. 324. [2] L. IV. 325.
[3] L. IV. 326. [4] L. IV. 326.
[5] Tr. IV. 19. [6] Tr. IV. 23.
[7] Tr. IV. 24.

9° Est alicubi mos rure, ut vicini, præsertim acatholici, alios invisant mane diei Dominicæ, totum diem cum iis mansuri, quo fit, ut Catholici ab audiendo Sacro detineantur. Utrum hoc in casu excusentur, qui domi manent, ne comitati et amicitiæ deesse videantur, ex adjunctis definiendum erit. Sic, si facultas adsit ecclesiam adeundi et redeundi ad hospitii jura præstanda, liquet Missam audiendam esse a *plerisque* familiæ membris, licet aliquis domi possit manere comitatis causa; sed vix censemus, ait Kenrick,[1] *omnes* posse umquam domi manere, præsertim si consulto advenerint hospites, non semel iterumve, sed *sæpius*. — Id præsertim dicendum, si Catholici Catholicos invisant. "Cæterum," adjungit, "non damnamus eum, qui ad vitandam gravem aliorum offensionem, *aliquando* cum hospitibus domi manet."

10° Non excusantur caupones, qui die Dominica Missam negligunt, ut adeuntes cauponam excipiant, lucrum magnum inde percepturi; nam id fit cum religionis detrimento et magna omnium offensione.[2]

11° Excusantur famuli, si ministerium suum omittere non possint sine gravi detrimento domini, aut si ab eo prohibeantur, nec alium dominum facile invenire queant. Sedulo tamen curare debent, ut impedimenta removeant, si possint. — *Ita communiter*.[3]

12° Idem fere, servata proportione, resolve de iis, qui acceptant aut retinent officium, — v. c. in viis ferreis, — aut occupantur opificio, — v. g. barbitonsoris, — quo *ordinarie* aut *sæpe sæpius* impediuntur a Sacro. Excusandi scil. videntur, dummodo a) derelinquendo officium aut opificium grave passuri sint incommodum, aut certe multo pejorem vel dubiam sorturi sint vitæ conditionem; b) ex neglectu Sacri non sint delapsi aut delapsuri ad indifferentismum. Omni vero in casu *hortandi* sunt, ut pietatis exercitiis domi eo ipso die vel aliis diebus vacent; non vero facile monendi de obligatione gravi renuntiandi officio vel opificio, tum quia de ea sæpe difficulter constabit, tum quia monitio sæpius non erit profutura.

[1] Tr. IV. 25. [2] Tr. IV. 22.
[3] L. IV. 327.

409. Quæsita. — Quær. 1° *Quænam distantia excuset a Missa ?*

Resp. Non potest absolute assignari, sed ex adjunctis personarum, locorum et temporum determinanda est. Regulariter autem excusat distantia trium milliarium, seu iter pedestre unius horæ cum quadrante, atque etiam quid minus, si plueret aut ningeret, aut alia causa adesset.[1]

Censet tamen Kenrick[2] eos, qui equo aut curru vehi possunt, non semper ideo excusari, quod vel decem milliaribus ab ecclesia distent; "iter enim," ait, "hujusmodi, negotiorum suorum causa, quotidie fere conficiunt; sed plerumque," addit, "sex aut septem milliaria excusationi sunt fœminis, pueris et aliis, qui longiori itineri non assueverunt. "Adderem attendendam quoque conditionem viarum et cœli pluvii vel valde frigidi, etc.

Quær. 2° *An excusetur a Missa infirmus in dubio, utrum incommodum sit satis grave ?*

Resp. In hoc casu standum est consilio medici, Superioris, Parochi, Confessarii, vel alterius viri prudentis. Imo potest infirmus etiam judicio proprio acquiescere, si ita prudenter judicet. Quid vero si, petito consilio, dubius adhuc remaneat ? — Absolute ad Missam non tenetur, quia stante periculo gravis damni judicandum est, Matrem Ecclesiam non obligare. — Ita *valde probabiliter*, ait S. Alph.[3] — In praxi satius est, ut dispensatio petatur, si facile peti possit. Cfr. n. 66. 2° et 67. c).

Quær. 3° *An excuset occasio lucri notabilis faciendi ?*

Resp. Affirm., probabiliter, quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum incommodo valde gravi, ut constat ex dictis n. 137. Sed hujusmodi lucrum extraordinarium esse debet.[4]

Quær. 4° *An excusentur :* a) *Mulieres non habentes vestes statui suo decentes ;* b) *Puellæ inhoneste prægnantes ;* c) *Eæ, quarum proclamationes antenuptiales fiunt ;* d) *Puerperæ ?*

Resp. ad a) *Affirm.*, nisi Missam summo mane, aut in ecclesia, in qua ignotæ sint, audire possint.

Resp. ad b) *Affirm.*, nisi Missæ occulte et sine nota interesse valeant.

Resp. ad c) *Affirm.*, si vel 1) ob eas *notabilem* verecundiam patiantur, vel 2) alicubi adsit ejusmodi consuetudo, nisi tamen facile assistere valeant Missæ, in qua proclamationes non fiunt.

Resp. ad d) *Affirm.*, per tempus communi locorum consuetudine determinatum.[1]

CAPUT II.

DE IIS QUÆ DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS PROHIBENTUR.

Agendum 1° de operibus diebus festis prohibitis ; 2° de causis, ob quas aliquando licite exercentur.

ARTICULUS I.

DE OPERIBUS QUÆ DIEBUS FESTIS PROHIBENTUR.

410. — Triplicis generis opera distinguenda sunt : 1° opera *servilia* seu *corporis*, seu quæ et utilitati corporis serviunt, et corporis potius, quam animi viribus exercentur, et *servilia* dicuntur, quia a servis seu mercenariis fieri solent ; 2° opera *animi*, quæ potius animi viribus peraguntur, et ad animum excolendum pertinent, et *liberalia* dicuntur, quia a personis liberis ordinarie exercentur ; 3° opera *communia* seu naturalia, quæ ab omnibus indiscriminatim fiunt. Distinguuntur etiam opera *forensia*, quæ ad forum judiciale aut mercatum spectant.[2]

Interim illud generatim præstitui debet, rationem operis *servilis* nec ab intentione desumendam esse, nec a lucro percepto, imo neque a corporis defatigatione. Ita servile erit arare alterius agrum, quamvis ex mera caritate id fiat, et prorsus gratis ; contra non erit servilis pulsatio organorum, aut saltatio, ut ut diuturna et laboriosa, aut transcriptio lucri causa per totum diem protracta.

411. Principia. — I. Prohibentur *per se* sub gravi omnibus fidelibus opera *servilia* proprie dicta diebus festis integris,

[1] L. IV. 329 et H. A. Tr. VI. 41.
[2] Tr. IV. 19.
[3] L. IV. 325.
[4] L. IV. 332.

[1] L. IV. 330. [2] L. IV. 272.

id est, toto die naturali, de media nocte ad mediam noctem. Constat ex Jure Canonico,[1] ex consuetudine et praxi perpetua Ecclesiæ.

II. Prohibentur etiam opera *forensia*, nempe actiones forenses, quæ cum apparatu judiciali habentur, ut partes interrogare, testes et advocatos audire, sententiam ferre, etc. Ita ex Jur. Can.[2]

III. Eodem jure prohibentur mercatus, nundinæ, venditiones publicæ, et alia similia, quæ cum strepitu fiunt. Excipiuntur tamen, ob consuetudinem generaliter receptam, nundinæ ad certum diem constitutæ, si in diem festum incidant. — Sic declaravit Benedict. XIV.,[3] S. Alph.[4]

IV. Licita sunt opera *liberalia*, opera *communia*, et opera aliqua quæ videntur *servilia*, sed requiruntur ad quotidianum usum, victum, necessitatem et dispositionem corporis, vestium, vel domus, ut coquere cibos, sternere lectos, verrere domum, et alia quæ commode differri vel anticipari aut *non possunt*, aut *non solent*. Ita ex praxi communi et omnium sensu.

412. *Resolves.* — 1° Prohibentur diebus festis opera ruralia, ut arare, terram effodere, serere, metere, vineas colere, etc. Item opera artium mechanicarum, v. g. cæmentariæ, ferrariæ, lignariæ, sartoriæ, sutoriæ, tectoriæ, etc. Item pleraque opera, quæ arti typographicæ deserviunt. Excipiunt probabiliter caracterum collocationem. — Elbel,[5] Laymann, Sporer, Tambur., S. Alph.[6]

2° Item non licet quædam facere, quæ levem laborem exigunt, et quæ a Monialibus confici solent, v. g. rosaria, scapularia, imagines cereæ, flores artificiales, etc.; quia hæc *in usu communi* inter opera servilia adnumerantur. Attamen cum isti labores et alii similes leviusculi sint, juxta plures permitti possunt, modo ultra duas horas non producantur. Similiter iidem DD. excusant ancillas, quæ occupantur in decerpendis rosis, decorticandisve pomis, etiam seclusa urgenti necessitate. — Sic Elbel,[7] Bonacina, Filliuccius, etc. — Sed potius dicendum videtur, in his operibus majus temporis spatium requiri, ut adsit culpa lethalis. Ita opinatur S. Alph.[1] — Non sunt tamen de *ulla* culpa arguendi, qui talibus occupationibus exiguo tempore vacant.

3° Licite, *ubi invaluit consuetudo*, occulte venduntur et emuntur in officinis publicis esculenta, poculenta, calceamenta, candelæ, panni ad vestes conficiendas, et alia hujusmodi. Attamen mercatores exponuntur periculo pœnarum legibus civilibus hujus regionis statutarum. Quoad caupones vide dicta n. 310. e) et 408. 10°.

4° Licite venduntur et emuntur domus, equi, boves, aliæque merces, sive præsentes, sive absentes, sive in parva, sive in magna quantitate, etiamsi in hoc notabile tempus impendatur, dummodo hæc fiant inter privatos. Contractus tamen jure nostro civili universim rescindibiles sunt, si Dominicis ineuntur.

413. Quæsita. — Quær. 1° *An liceat scribere vel transcribere die festo?*

Resp. ad 1um *Affirm.*, quia hoc opus omnino liberale est, cum in eo præcipue animus agat. — Ita *omnes*.

Resp. ad 2um *Affirm.*, etiam *probabilius*, quia transcribere, sicut scribere, ordinatur ad mentem instruendam. — Ita *communiter* cum S. Alph.,[2] contra Billuart et alios.

Hinc 1° licet etiam exarare delineationes artificum et fabrorum, notas musicorum efformare. — Elbel.[3]

2° Pariter fas est etiam libros corrigere, sive id fiat delendo lineas, sive superponatur charta conglutinata. Licet enim hoc servile videatur, accessorium tamen est, cum *per accidens* ab ipso corrigente fiat. — Elbel,[4] etc.

Quær. 2° *An liceat sculpere vel pingere?*

Resp. ad 1um *Neg. per se*, quia sculptura inter artes mechanicas communiter habetur.[5] — *Probabiliter* tamen excipiendum, si de sola operis perfectione agitur.

Resp. ad 2um *Controvertitur.*

Ia Sententia *affirm.*, quia pictura est ars liberalis, vel saltem media inter liberales et serviles; est enim quid scriptioni simillimum, modo tamen pictura fiat sine magno labore, qualis haberetur colores miscendo, tabulas præparando, etc. — Ita Laymann, Azor, Sporer, etc.

IIa Sententia *neg.*, quia dici nequit

[1] L. II. Decr. T. IX. c. 3.
[2] Ib.
[3] Const. *Ab eo tempore*, 1745.
[4] L. IV. 286.
[5] n. 401.
[6] L. IV. 282.
[7] n. 408.

[1] L. IV. 282.
[2] L. IV. 279.
[3] n. 400.
[4] n. 401.
[5] L. IV. 281 et H. A. Tr. VI. 10.

actio liberalis, cum non dirigatur, ut scriptura, ad animum excolendum, et quia pingere fere idem est ac sculpere, quod opus servile est. — Ita Salmant., Sanchez, Suarez, etc. — Utramque sententiam merito *probabilem* dicit S. Alph.[1] Quod de pictura, idem de photographia dicerem.

414. — **Quær. 3°** *An imagines acu pingere liceat?*

Resp. Controvertitur. Excusant multi: id enim magis refertur ad exercendum ingenium, quam ad operandum.[2] — Sporer.[3]

Quær. 4° *An liceat venari et piscari?*

Resp. Affirm., quia hæc non sunt opera servilia, et consuetudine tolerantur, modo non fiant magno cum labore, conatu, strepitu vel apparatu. S. Alph.,[4] *et alii communiter* contra *paucos.*

Quær. 5° *An liceat iter agere pedibus, equo, curru? — Item an liceat ducere currum vel jumenta onusta?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.*, ut ex praxi universali aperte constat. Sententia opposita relinquenda est ut antiquata, ait S. Alph.,[5] post Roncaglia.

Resp. ad 2^um^ *Controvertitur*, extra casum necessitatis. Sententia nunc *probabilior affirmat* esse licitum, non solum ad iter inceptum continuandum, sed etiam ad illud inchoandum, dummodo ad currum onerandum ingens ac diuturnus labor non requiratur; a quo tamen labore facile excusat sive gravis damni vitandi, sive publicæ utilitatis procurandæ causa, sive consuetudo, quæ in contrarium alicubi forte invaluerit.[6]

Quær. 6° *An liceat molere die festo?*

Resp. Affirm. probabilius, si mola volvatur aqua vel vento, quia parvus vel fere nullus hominum labor requiritur. Secus autem, si jumentis agatur, nisi exigua sit hominis cooperatio. — S. Alph.[7] Lacroix, Tambur., etc.

415. — **Quær. 7°** *An liceat tonsoribus die festivo barbam radere?*

Resp. Affirm., seclusa lege id prohibente et quæ communiter servetur. Ratio 1° ex generali consuetudine deducitur; 2° quia plerumque solis diebus festis opifices et præsertim rustici officinas petunt, ut barba eis radatur. Si igitur hi postulantibus operam non præberent, magno ipsorum detrimento derelinquerentur. — Ita S. Alph.,[1] Viva, Tamburinus, Gousset, Bouvier, etc. — Dixi: *seclusa lege id prohibente et quæ* COMMUNITER SERVETUR. Si enim communiter non servetur, recurrunt rationes ob quas liceat.

Quær. 8° *Quænam materia sit gravis in opere diebus festis peracto?*

Resp. Requirunt multi saltem tres horas. S. Alph.,[2] pluribus sententiis allatis, magis accedit sententiæ Lacroix generaliter concludentis, quod *communior* et *probabilior* nunc est sententia, non esse mortale, nisi laboretur saltem multum ultra duas, puta duas horas cum dimidio. — Et in *Hom. apost.*,[3] dicit cum Mazzotta, excusari etiam majus temporis spatium ex aliqua necessitate. Addit,[4] in forensibus et judicialibus materiæ quantitatem desumi non ex quantitate temporis, sed ex qualitate operis.

Quær. 9° *An peccet graviter, qui die festo mandat sex famulis, ut laborent per horam?*

Resp. Neg., probabilius per se, sive famuli laborent simul, sive successive, quia opera famulorum non uniuntur in unum, et singuli tantum venialiter peccant; ergo venialiter tantum peccat dominus eos ad opus inducens sub veniali culpa vetitum. — S. Alph.,[5] et alii *communius.*

ARTICULUS II.

DE CAUSIS OB QUAS OPERA SERVILIA DIE FESTO PERMITTI POSSUNT.

Tres præcipuæ numerantur, scilicet caritas, pietas, necessitas.

416. — I. *Caritas erga proximum.* Hinc licet die festo 1° facere quod est necessarium ad infirmos sublevandos; 2° fodere sepulcrum ad mortuum sepeliendum; 3° laborare pro aliquo paupere determinato, cui ratione gravis necessitatis laborare liceret; non tamen juxta graves theologos pro pauperibus in genere, nisi in gravi et certa necessitate.[6]

II. *Pietas erga Deum.* Licet ob pietatem 1° facere omnia opera proxime ad

[1] L. IV. 280. [2] L. IV. 281.
[3] T. I. Tr. 3. c. 4. n. 45. [4] L. IV. 283.
[5] L. IV. 275. [6] L. IV. 276.
[7] L. IV. 277.

[1] L. IV. 290. [2] L. IV. 305.
[3] Tr. VI. 25. [4] L. IV. 307.
[5] L. IV. 306. [6] L. IV. 293.

cultum Dei inservientia, ut ornare templum, altare, etc.; 2° verrere Ecclesiam, aliaque præparare, quæ ad ejus munditiem pertinent. Non autem licet Ecclesiam ædificare, reparare, lapides ad hoc secare, ornamenta facere, etc.; quia hæc remotius ad servitium divinum inserviunt.[1]

417. — III. *Necessitas*, sive propria, sive aliena, tum animæ, tum corporis. Hinc

1° Excusantur pauperes, qui aliter se suosque alere non possint, modo privatim, et secluso scandalo laborent.

2° Excusantur omnes, quorum opera incepta interrumpi nequeunt sine magno damno, ut fundentes ferrum, etc.

3° Excusantur pariter pistores, qui panem *recentem* habere debent, ut ementibus satisfaciant.

4° Item sartores, qui conficiunt vestes funebres aut nuptiales, quas neque per se, neque per alios ante festum perficere valent.

5° Item agricolæ, qui ob præteritam, aut imminentem pluviam fœnum vel segetes vertunt, ligant, vehunt.

6° Item famuli ad laborandum coacti, si alium dominum facile et cito invenire sine magno incommodo non possint.

7° Excusantur fabri ferrarii, qui equos in via vel a rusticanis adductos calceant, aut vomeres agricolis die sequenti necessarios reducunt; necnon ii, qui currus casu fractos, pontes aut vias publicas reficiunt, si opus sine jactura boni publici differri nequeat.

8° Excusantur etiam ii, qui laborant ad utilitatem publicam urgente aliqua necessitate, v. g. si agatur de celebranda victoria, de festo præparando publicæ cujusdam exultationis gratia.

9° Excusantur quoque probabiliter illi, qui laborant ob lucri *notabilis* et *extraordinarii* circumstantiam, quia tale lucrum omittere istis idem est ac damnum grave pati.[2]

10° "In *festis* plerumque plura fiunt, quæ servilia sunt et parum convenientia legibus ecclesiasticis; quarum rigor consuetudine in hac regione valde relaxatus est, paucis ab *initio* Catholicis inter acatholicos versantibus qui non potuerunt, absque gravi damno eas servare, quod *etiamnum* plerisque contingit. Idcirco patent officinæ, geruntur negotiationes et opera. Urgendi tamen sunt fideles ad Missam saltem audiendam."[1] Quæ Kenrick hic asserit, tempore, quo scribebat, vix non ubique vera erant; nunc tamen multis in locis, aucto in dies Catholicorum numero et meliorata eorum conditione, non adeo universaliter vera etiamnum sunt. Quapropter hodiedum confessariis animarumque pastoribus non licebit eadem omnino benignitate uti in hac re, qua antea; sed distinguenda erunt loca, at in ipsis locis, in quibus festa a Catholicis nunc facilius servari communiter possunt, ratio habenda erit conditionis singulorum sive mercatorum, sive opificum, sive operariorum. Distinguere etiam oportebit inter eos, qui operarios suos Catholicos ad laborandum cogunt, et illos, qui id eorum arbitrio relinquunt; hi enim facilius excusantur, quam illi. — Sunt præterea, qui hominibus non baptizatis injungunt opera servilia *die Dominica* exercenda, vel acatholicis permittunt ut *die festo* laborent. Utrique excusandi videntur; *hi* quidem, quia, licet hæretici legibus Ecclesiæ *per se* teneantur, Ecclesia tamen festorum observantiam erga eos haud urget in regionibus, ubi hæreses impune grassantur; *illi* autem, quia verior est sententia[2] eorum, qui totam diei Dominicæ observantiam *e lege Ecclesiæ* derivant. Cavendum tamen ne hæc fiant cum scandalo aliorum, præsertim die Dominica.[3]

11° Laniones, qui alicubi ob calores æstivos carnes in dies posteros servare nequeunt, excusantur, si, remoto scandalo, diebus Dominicis animalia occidant.[4]

12° Nulla est culpa diebus Dominicis vasa arboribus, ex quibus sacchari liquor fluit, supponere, eumque deinceps in aliud vas transfundere, quando contingit paucis ultra diebus liquorem manare.[5]

13° Quum tabacum nisi in solo humefacto plantari nequeat, facile excusantur, qui illud die Dominica plantant post imbres pridie lapsos, si timendum sit aliam defuturam opportunitatem.[6]

Licet autem quotquot hucusque enumerati sunt, dispensatione non indigeant; suadendum tamen fidelibus est, ut si commode possint, veniam a Superiore ecclesi-

[1] L. IV. 292. 293 et H. A. Tr. VI. 17.
[2] S. Alph. Quoad omnia L. IV. n. 296–304.

[1] Kenr. Tr. III. 37.
[2] Vide S. Alph. L. IV. 265.
[3] Cfr. Kenr. Tr. III. 76.
[4] Ib. 90.
[5] Ib. 93.
[6] Ib. 93.

astico postulent, ne scilicet cupiditate decepti absque sufficienti ad excusandum causa cum aliorum scandalo laborent. Superior autem hic intelligitur præsertim Episcopus; qui licet generalem pro subditis omnibus dispensationem tribuere non possit, multoque minus permanentem (quippe id suppressioni festorum æquivaleret), quoad aliquos tamen actus cum particularibus personis ex rationabili causa dispensare potest; imo hanc facultatem etiam parocho consuetudo concedit.

14° Non autem excusandi, imo severe redarguendi sunt, qui sæpius post mediam noctem inceptum laborem in diem festum, etiam prætextu necessitatis, protrahunt; quia plerumque illa necessitas ipsis voluntaria est, cum sæpissime in eam se conjiciant, vel plura assumendo opera ad certum diem perficienda, quam quæ explere possint, vel non adhibendo eum operariorum numerum, quem opus requireret, vel intra hebdomadam rebus inutilibus tempus terendo. Facilius illos excusares, quibus traditum die præcedenti fuisset opus perficiendum in diem festum sequentem.

418. — Quær. *An excuset otii vitandi ratio?*

Resp. Neg., communiter loquendo. Etenim ratio ista prorsus insufficiens est ad legem Ecclesiæ adeo gravem posthabendam. Excipiunt Laymann, Mazzotta, etc., si otium probabile peccandi periculum inducat; quia (aiunt) si excusat periculum damni temporalis, a *fortiori* periculum damni spiritualis excusare debet. Sed hoc S. Alphonsus [1] libentius restringit ad casum, in quo urgeret tentatio, quæ aliter vinci non posset, quod raro accidit.

DE IV. DECALOGI PRÆCEPTO.

Honora patrem tuum et matrem tuam.[1]

Hoc præceptum *primario* et *directe* respicit obligationes filiorum erga parentes; *secundario* autem et *implicite* spectat obligationes parentum erga filios, necnon obligationes mutuas aliorum Superiorum atque inferiorum.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS FILIORUM ERGA PARENTES.

419. — Filii erga parentes specialissima obstringuntur obligatione. Tria autem officia parentibus a filiis exhibenda sunt titulo *pietatis*, amor videlicet, reverentia et obedientia. Triplicem enim respectum habent parentes ad filios, nempe ratione causæ, ratione præeminentiæ, et ratione regiminis. Consequenter filii eos amare debent ut suæ existentiæ auctores, revereri ut Superiores, eisque tamquam rectoribus a Deo legatis obedire.

[1] Exod. 20. 12.

I. *Amor.*

Filii parentes amare debent amore tum *interno*, ipsos pio et benevolo cordis affectu prosequentes; tum *externo*, 1) omne malum et injuriam notabilem ab ipsis propulsantes, necnon 2) externæ benevolentiæ signa eis exhibentes, iisque 3) in necessitate constitutis pro facultate subvenientes.

420. *Resolves.* — 1° Peccant graviter filii contra virtutem pietatis, si parentes interius odio habeant; exterius signa odii ipsis exhibeant; eos aspere tractent, vel torvis oculis intueantur, perinde ac si odio haberent.

2° *A fortiori*, si malum eis exoptent, et ipsam mortem, ut liberius vivere, vel hæreditate eorum potiri possint, vel ut cura et custodia eorum liberentur; si ipsis coram aliis graviter detrahant; si vi, dolo, aliisve injustis mediis a condendo testamento illos impediant, etc.

3° Item, si eos ad iram provocent, et gravem tristitiam absque justa et gravi causa ipsis afferant, præsertim si eos contristent usque ad lacrymas.

[1] L. IV. 302.

4° Si parentibus graviter indigentibus alimenta et alia necessaria non subministrent, cogentes eos ad mendicandum aut ad exercendam artem ipsorum statui indecoram; si eos infirmos, afflictos aut senio confectos non visitent, vel eis non compatiantur, opemque illis ferre renuant; præsertim vero, si illis non subveniant in necessitatibus spiritualibus, ut nempe ipsis in articulo mortis Sacramenta administrentur, etc. — Tandem si, ipsis vita functis, non curent, ut exequiæ et Ecclesiæ cæremoniæ modo eorum conditioni congruo persolvantur.[1]

II. *Reverentia.*

421. — Filii parentibus exhibere debent reverentiam tum *internam*, ut illos nimirum agnoscant tanquam Superiores, et ideo timorem quoque reverentialem erga eos habeant; tum *externam*, quæ in verbis et factis sita est.

422. *Resolves.* — 1° Graviter peccant filii, si parentes percutiant, etiam leviter, sed injuriose. — Item si voluntatem percutiendi ostendant, v. g. in eos manum attollendo, vel baculum aut aliud instrumentum ad percutiendum arripiendo. Item si ejusmodi minas ipsis quovis modo intentent, etc.

2° Graviter peccant, si parentibus maledicant; vel si convicia in eos conjiciant, eosque injuriis aut verbis contumeliosis, quibus sciunt graviter eos offendendos esse, afficiant; si ipsis graviter illudant risu, subsannationibus, gesticulationibus, improperiis, derisionibus, aspectu torvo, etc., modo tamen hæc ex despectu, non vero ex levitate, aut simplici rusticitate fiant.

3° Graviter peccant, *per se loquendo*, si valde superbe et amare eos reprehendant, contradictionibus exasperent, vel asperis verbis alloquantur, vel sine causa mœrore gravi eos afficiant; et *a fortiori* si per hæc usque ad iram gravem eos provocent; si eis signa reverentiæ juxta morem patriæ aut conditionis suæ *studiose* recusent, v. g. si non assurgant ipsis advenientibus, aut caput non detegant, aut illos non salutent, modo tamen ex his parentes se graviter offensos existiment.

4° Item si eos pauperes, miseros, male vestitos despiciant, aut erubescant, aut agnoscere recusent, aut ut incognitos et extraneos habeant. Excipe tamen, si secluso contemptu ac superbia, justam ob causam fingant se illos non agnoscere, v. g. ad vitandum aliquod incommodum, quod incurreret filius, si parentes ejus noscerentur, etc.

Quær. *An graviter peccent filii percutientes, aut male et irreverenter habentes parentes hebetes, amentes, præ senio delirantes, ebrios, etc.*

Resp. Affirm., si ex malitia aut contemptu agant. — *Neg.*, si objurgatio vel aliqua paulo severior tractatio sit necessaria ad parentes ratione carentes cohibendos.

III. *Obedientia.*

423. — Filii parentibus obedientiam præstare debent in omnibus 1) licitis et honestis 2) ad eorum curam pertinentibus, dum 3) sub eorum potestate versantur.

424. *Resolves.* — 1° Peccant plus minusve filii, si in re spectante ad *mores, animæ salutem*, et *domus gubernationem* parentes audire nolint, licet *inconsideratio* vel *ætatis defectus* illos ex parte excuset. — Hinc peccant:

a) Si prava consortia, si aleas aliosve hujusmodi lusus, aut loca periculosa, ut popinas, choreas, theatra, aut alia similia, non obstante seria parentum prohibitione, frequentent; peccant præsertim filiæ, quæ invitis aut etiam insciis parentibus cum procis conversantur, vel noctu domo egrediuntur, aut solæ amasios alloquuntur.

b) Si neglecto parentum mandato Sacramenta aut alia religionis officia notabiliter omittant; si operam dare nolint litteris aut artibus statui suo congruentibus, sicque tempus absumant, et expensas pro ipsis factas inutiles reddant.

c) Si quæ ad bonum regimen, pacemque familiæ multum spectant, exequi recusent, vel si omnia pro arbitrio suo administrare velint, spreta parentum auctoritate, præsertim si arroganter et superbe respondeant: *Non faciam, age negotia tua. — Nihil volo mihi præcipiatur. — Tædium et fastidium mihi affers*, etc.

2° Non raro tamen in praxi a peccato gravi excusari potest inobedientia filiorum ob animi levitatem, inadvertentiam, vel ob quamdam negligentiam humanam, et sæ-

[1] L. IV. 333.

pissime ob parvitatem materiæ. Imo sæpe ab omni culpa immunes censeri debent ob defectum *præcepti rigorosi* ex parte parentum. Ut enim peccatum, præsertim grave, contra obedientiam committatur, requiritur, ut parentes videantur stricte præcipere, non vero solum suadere, sollicitare, aut mentem suam significare. Dignoscitur autem præceptum verum injungi ex modo serio seu severo, quo res præcipitur, et ex aliis adjunctis, v. g. ex necessitate et magnitudine rei præceptæ, ex pœna apposita, etc.

3° In rebus autem pravis, filii nec obedire debent, nec possunt. Patet ex jure naturali.

425. QUÆSITA. — Quær. 1° *An filii teneantur obedire parentibus in electione status?*

Resp. Neg., per se, quia 1° vocanti Deo magis obtemperandum est, quam contradicentibus hominibus; 2° in iis, quæ ad naturam corporis pertinent, homo homini obedire non tenetur, sed solum Deo; quia omnes homines natura sunt pares: "*Unde non tenentur . . . filii parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi.*" St. Thomas.[1] Proinde graviter peccant parentes, qui filios invitos aut directe aut etiam indirecte cogunt ad statum eligendum sive religiosum, sive clericalem, sive conjugalem; vel contra, si eos omnino invitos ab aliquo vitæ statu eligendo sine justa causa impediant.

Dixi *per se:* secus enim dicendum, si parentes ob graves et rationabiles causas filiis contradicant, v. g. si in gravi necessitate constituti egeant subsidio filii, nec illis alio modo succurrere hic possit, nisi remanendo cum ipsis. — S. Alph.[2]

Quær. 2° *An possint filii amplecti statum religiosum insciis parentibus?*

Resp. Affirm per se. Imo aliquando consultius aget filius, si se divinitus vocatum sentiens ad religiosum vel clericalem statum, atque animadvertens sibi a parentibus injuste aditum interclusum iri, rem eos celet, divinamque voluntatem exequatur. Hoc tamen non est suadendum filiis ætate *minoribus*, quoties res non adeo urget, aut non satis constat de vocatione divina.[3]

[1] 2. 2. q. 101. a. 4. et q. 104. a. 5.
[2] L. IV. 335. [3] L. V. 68.

426. — Quær. 3° *An filii possint, inconsultis parentibus, matrimonium inire?*

Resp. Neg., generatim loquendo, quoad *liceitatem.* Vide dicenda in Tract. *de Matrim.*

Quær. 4° *Quid leges nostræ civiles generatim statuant circa obligationes filiorum erga parentes?*

Resp. I. Circa *amorem* eis exhibendum, subveniendo iis, dum in necessitate constituuntur, neque Jus Commune, neque *plerorumque* Statuum Statuta prolem majorem, quantumvis divitem, ad id compellunt.[1]

II. *Amorem, reverentiam,* et *obedientiam* leges nostræ hoc sensu præcipiunt, ut parentibus (i. e. patri, et, hoc deficiente, mortuo aut legaliter impedito, matri, et, utroque vel mortuo vel legaliter impedito, tutori) jus tribuant ad omne id, quod cum sustentatione et educatione prolis, *minoris* tamen, cohæret. Inde inter alia: a) obligatio prolis, ut parentum consensum exquirat ad matrimonium *licite* ineundum;[2] b) jus domesticæ emendationis;[3] c) jus collocandi prolem apud extraneos, ut artem vel opificium aliquod addiscat, quod tamen jus in variis Statibus varie limitatur;[4] d) jus ut eam a quocumque loco reclamare possint, v. c. e monasterio, quod ingressa fuisset.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS PARENTUM ERGA FILIOS.

Filiis parentes debent 1° amorem; 2° educationem.

Ratio hujus obligationis in ipsis naturæ visceribus et titulo generationis fundatur. Utrumque enim natura docet, imo et bruta ipsa, quæ fœtus suos diligunt, iisque necessaria ad vitam conservandam conquirunt.

I. *Amor.*

427. — Parentes filios prosequi debent amore 1) interno, 2) efficaci et 3) ordinato, ita ut non tantum omne odium animique

[1] Kent, V. II. p. 222. Walker, § 100.
[2] Ib. pp. 49. 57. [3] Ib. p. 217.
[4] Ib. p. 296 sq.

malevolentiam exuant, sed illos corde diligant, et, quantum in ipsis est, ipsorum bonum curent, iisque in omni re prospiciant. Quemadmodum enim quisque seipsum amare debet, ita parentes filios veluti aliquid suî, carnem de carne sua, sincere diligere tenentur, ita ut post Deum nihil ipsis carius habeant.

Hinc plus minusve peccant contra specialem pietatis virtutem parentes,

1° Qui pravo affectu et injusto odio in filios incenduntur, eosque suo aspectu dedignantur, aut gravia mala eis *serio* imprecantur, iisque, ubi opus sit, non succurrunt.

2° Qui eos nominibus graviter contumeliosis compellant. Sic enim ansam iracundiæ ipsis præbent, eosque faciunt morosos et contumaces.

3° Qui occulta eorum delicta sine justa causa manifestant externis. Possunt tamen sibi invicem parentes ea revelare, quia communicant in potestate puniendi, et expedit sæpe, ut utrisque nota sint ad perversionem filiorum præcavendam, etc.

4° Qui affectu inordinato eos diligunt, ita ut omnia ipsis concedant aut permittant ne eos contristent; vel qui bonitate intempestiva utentes remissius erga illos agunt, et sive ob segnitiem, sive ob benignitatem crudelem eos præceptis seriis aut aliis mediis efficacibus a vitiis retrahere negligunt.

5° Qui uni præ aliis magis favent sine justa ratione, cæterosque indifferenter intuentur, aut etiam sicut adulterinos habent; hæc enim unius præ cæteris dilectio fons est et occasio jurgiorum, rixarum, divisionum et infinitorum malorum in familiis.

II. *Educatio.*

A parentibus procurari debet filiorum educatio tum corporalis, tum spiritualis.

A. *Educatio corporalis.*

428. — Educatio corporalis triplicem providentiam a parentibus exigit, scilicet ratione 1° vitæ, 2° victus, 3° status.

a) *Ratione vitæ.* Tenentur parentes curam prolis sedulam gerere ab ipsa conceptione, avertere omnia, quæ ipsi nociva esse possunt, et invigilare, ne ulli vitæ periculo exponatur.

Hinc peccant *per se* graviter 1° mulieres, quæ non cavent, ne fœtus in utero perimatur inordinatis lasciviis, saltationibus, oneribus gravioribus, cursu aut itinere diuturno, nimia iracundia, aut mœrore vehementiori; 2° viri, qui prægnantes uxores aspere tractant, gravibus percussionibus afficiunt, aut ipsis ingentes imponunt labores; 3° conjuges, qui non cavent, ne parvuli suffocentur, eos adhuc tenerrimos, i. e., *in genere* antequam primum ætatis expleverint annum, secum in lecto collocantes *sine ullo repagulo*, aut non cavent, ne quid mali quomodolibet ipsis eveniat ex aqua, igne, bestiis, ferreis instrumentis, etc. . . .

b) *Ratione victus.* Tenentur parentes filiis procurare quæcumque necessaria sunt ad victum, habitationem, vestitum statui et conditioni suæ congruum.

Hinc peccant parentes, 1° qui filiis necessitatem patientibus non succurrunt, donec ipsi per laborem vel industriam sibi subvenire valeant; 2° qui filios domo ejiciunt, dum non possunt adhuc sibi ipsis prospicere, vel qui eos cogunt ad mendicandum aut vilem artem ab ipsorum conditione alienam exercendam.

Quær. *An mater filiolos proprio lacte nutrire debeat?*

Resp. Affirm., cum sententia communi, quia hoc jus naturale postulare videtur. Attamen hæc obligatio non urget sub gravi, quia non apparet secus gravis deordinatio. Ab omni autem culpa excusat necessitas, notabilis utilitas, aut consuetudo apud familias primarias vigens, etc.; . . . sed tunc sub gravi mater bonam quoad mores et valetudinem nutricem sibi substituere debet. S. Alph.[1] — Collet, etc., *et alii communiter* contra *alios* laxiores vel rigidiores.

429. — c) *Ratione status.* Tenentur parentes filiis procurare statum, in quo honeste juxta conditionem suam aliquando vivere possint. — Hinc peccant,

1° Qui diligentiam, saltem mediocrem, non adhibent, ut acquirant bona, ex quibus liberos convenienter sustentent, et futuro statui eorum provideant.

2° Qui artem statui congruentem, aliud

[1] L. IV. 336.

ve genus decenter vivendi liberos non docent, nec docendos curant.

3° *A fortiori* qui pigritia, negligentia, potationibus, comessationibus, lusibus, negotiis imprudentibus rem familiarem dissipant.

4° Qui absque causa legitima dotem filiæ convenientem pro matrimonio ineundo aut ingressu in Religionem obstinate denegant.[1]

Quær. *Quid leges nostræ universim statuant circa obligationem parentum quoad educationem corporalem prolis?*

Resp. 1° "The *common law* furnishes no means of enforcing the parent to maintain, protect, or educate his child."[2] But in many States, during the minority of the child, . . . the parent is absolutely bound to provide reasonably for his maintenance and education; and he may be sued for necessaries furnished, and schooling given to a child under just and reasonable circumstances. . . .

In consequence of the obligation of the father to provide for the maintenance, and . . . the education of his infant children, he is entitled . . . to the value of their labor and services.[3]

Resp. 2° De obligatione parentum quoad sustentationem, et educationem prolis illegitimæ hæc habet Kent:[4] "The mother or reputed father" (qui a judice ordinarie habetur is, quem mater jurata affirmat), "is generally in this country chargeable by law with the maintenance of the bastard child."

B. *Educatio spiritualis.*

430. — Tenentur præcipue parentes filiis procurare educationem spiritualem. Ratio est, quia homo præter esse materiale seu corporale, quod cum cæteris animalibus commune habet, donatur a Deo anima rationali ac nobilissima, ad Divinitatis ipsius imaginem creata; et conditus est, ut in Deum ceu ultimum finem supernaturalem tendat. Proinde a parentibus maxime in hunc finem instrui et dirigi debet; ideo enim matrimonium ad dignitatem Sacramenti evectum est, ut nata proles in Christo renascatur, et ad vitam æternam præparetur. — Ad hanc vero educationem requiritur 1° doctrina, 2° correctio, 3° exemplum.

a) *Doctrina.* Tenentur parentes *per se* vel per aptos institutores erudire filios in bonis moribus, in observatione mandatorum Dei, in fide et in omnibus ad salutem necessariis, quia illos erudire debent in via, qua ad Deum perveniant.

Sedulo igitur parentes curare debent, 1° ut filii *quamprimum* (vide Tr. *de Bapt.*) gratia Baptismatis regenerentur; 2° ut a tenerrima pueritia eos præcipua doctrinæ christianæ capita (n. 257. sq.) doceant, et corda eorum ad Deum inclinent; 3° ut a primis annis eos orationibus matutinis et serotinis, Ecclesiæ Officiis et Catechismis assuefaciant, necnon a fallacibus mundi illecebris, pompis et voluptatibus avertant; 4° ut eis præficiant magistros doctrina et præsertim gravitate morum conspicuos; 5° ut invigilent diu noctuque, ne pravis sociis, colloquiis aut lectionibus corrumpantur.

431. — b) *Correctio.* Tenentur parentes filios delinquentes corrigere. Hinc *Qui parcit virgæ, odit filium suum.*[1]

Sed correctio, ut utilis sit, debet esse moderata et prudens. Castigatio enim immoderata plus obesse quam prodesse noscitur, siquidem filios reddit morosos, stupidos, pusillanimes, et quandoque desperatione affectos; imo pro amore parentibus debito contemptum vel etiam exitiale odium parere solet.

c) *Exemplum.* Parentes bonum exemplum filiis debent, quia 1° exempla efficacius, quam verba, ad sequelam quodammodo trahunt, præsertim si a Superioribus præbeantur; 2° quia, si parentes ipsi noscantur malis moribus imbuti, parum eorum verba filios ad bonos mores sectandos movebunt.

432. *Resolves.* — 1° Graviter peccant parentes, qui, omnem curam ad temporalia tantum impendentes, spiritualium ita obliviscuntur, ut ne ipsi quidem sciant, quæ ad salutem assequendam sunt necessaria, multo autem minus liberos suos instruant aut instrui curent.

2° Peccant graviter parentes, qui, ut sumptibus parcant, educationem spiritualem suorum liberorum prorsus negligunt.

[1] L. IV. 336.
[2] Walker, § 108.
[3] Kent, Vol. II. pp. 189. 191–193.
[4] Ib. pp. 230–232 et Walker, § 107.

[1] Prov. 13. 24.

3° Graviter peccant *per se* parentes, qui nimia indulgentia filios corrigere notabiliter negligunt, quando alioquin id necesse foret; sed non minus peccant, qui gravioribus pœnis in filios animadvertunt, v. g. si eos mutilent, vel eis grave vulnus aut percussiones aut verberationes adeo graves infligant, ut vita aut sanitas eorum notabile detrimentum capiat.

4° Duplex pariter peccatum perpetrant parentes, cum verba turpia et obscœnos sermones audientibus filiis proferunt, maledicta et imprecationes evomunt, juramenta et blasphemias eructant. His enim pravis exemplis efficiunt, ut filii hæc omnia addiscant, atque eadem imitentur.

5° Graviter peccant parentes, qui filios, usui rationis proximos, vel secum, vel cum aliis diversi sexus, — sive pueris, sive adultis, — in eodem lecto, — aut grandiusculos secum in eodem cubiculo decumbere sinunt. Quod si res omnino aliter fieri nequeat, parentes ab usu matrimonii abstineant, quo tempore filii secum in eodem vel lecto vel cubiculo decumbunt.

433. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quid de parentibus, qui prolem brephotrophio, his præsertim in regionibus, tradunt?*

Resp. Certum est graviter peccare,

1° Qui prolem recens natam prope ædes cujusdam deponunt; vitam enim tum temporalem, tum spiritualem prolis gravi exponunt periculo.

2° Qui prolem tradunt brephotrophio publico, iis in locis, ubi Catholicum extat; sine causa enim animam prolis gravi exponunt periculo.

3° Qui, quocumque demum modo eam exponant, eam non prius rite baptizant, aut media negligunt, quibus ejus baptismus reddatur indubius.

4° Qui eam quocumque modo exponunt absque causa sufficienter excusante.

Quær. 2° *Quid in locis, ubi non extat brephotrophium Catholicum, et ubi proinde proles ex brephotrophio publico egressa sectariis vel infidelibus, prout fieri solet, sit tradenda?*

Resp. Triplici causa moveri potest mater ad exponendam prolem; a) sola infamia; b) sola egestate; c) utraque simul. Si *primum* puella, *cui suppetunt opes*, tenetur prolem nutrici tradere aut tradendam curare, quotiescumque id sine periculo famæ suæ, quæ, ut supponitur, etiamnum integra sit, fieri possit. — Quæ vero necessitate *famæ consulendi* premitur, curare tenetur, ne proles vita periclitetur vel salute. Salutem autem curare ipsi perdifficile erit, cum curatores brephotrophii infantes, ut supra dictum est, cui voluerint tradant educandos.

Secunda causa, seu *sola egestas*, rarius excusationi erit. Ubi tamen ea extrema fuerit, aut adeo gravis, ut mater nequeat prolem sustentare, Kenrick [1] eam damnare non audet, si, vitæ ut consulat, ex naturæ instinctu prolem brephotrophio alendam tradat, spem fovens, ut aliqua sibi postea nascatur occasio eam christianis documentis instituendi. . . .

Tertia excusabit, si prolem brephotrophio committat ea intentione, ut sibi saltem consulat, saluti prolis ea, quâ poterit, ratione consulere parata.

434. — Quær. 3° *Quænam sint obligationes aliorum cognatorum ascendentium et descendentium, præsertim tutorum?*

Resp. Eædem sunt generatim, cum debita proportione, ac parentum respectu filiorum, et vice versa; isti enim omnes, ratione generationis aliorum ab aliis, stricto pietatis vinculo invicem ligantur, præsertim si parentibus deficientibus ascendentes nepotum curam suscipiant. — *Ita omnes.*

Animadverte tamen cum Kenrick,[2] acatholicorum curam non facile a quopiam, tamquam tutore aut curatore, assumendam esse, quum ex una parte non possit hæresi favere eos in ea educando, et ex alia parte, illos in ea non educando, videretur violare fidem testatori vel curiæ præstitam.

Civilium legum nostrarum dispositiones circa *constitutionem* tutoris, ejusque *jura* et *officio*, vide, si lubet, apud Kent.[3] vel apud Walker.[4]

Quær. 4° *Quænam sint mutuæ fratrum et sororum obligationes?*

Resp. 1° Debent se mutuo amore prosequi, non tantum communi affectu, ut cæteri homines, sed peculiari dilectione ob arctum sanguinis vinculum.

Resp. 2° Debent etiam sibi invicem

[1] Tr. VIII. 84. [2] Tr. VIII. 91.
[3] Vol. II. pp. 234–253.
[4] §§ 110–113.

succurrere quoad necessaria vitæ, non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate. — *Ita omnes.* — Vide S. Alph.[1]

APPENDICULA.

DE PARENTIBUS PROLEM SCHOLIS PUBLICIS INSTITUENDAM COMMITTENTIBUS.[2]

Prænotandum.— Scholarum *publicarum* (*common, public, national schools*) nomine in hac nostra quæstione veniunt eæ, in quibus de facto viget "ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a Catholica Fide et Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectat."[3] — Dico: "*de facto* viget." Sunt videlicet scholæ, in quibus, licet *publicæ* audiant vi legis, qua existunt, *de facto*, ejusmodi viget juventutis instituendæ ratio, quæ a Catholica Fide non sit sejuncta, ludimagistris legem negligentibus, et iis, qui legi servandæ invigilare debent, conniventibus. In hac autem Appendicula non agitur de parentibus, qui filios suos ejusmodi scholis instituendos tradunt, sed de iis, qui illos committunt scholis, quæ non nomine tantum, sed et re publicæ sint. — Qua de re sint sequentes casus in hac nostra regione satis obvii.

435. — *Casus I.* Absolvi nequeunt parentes, qui filios instituendos tradunt scholis publicis, in quibus cogantur uti versione protestantica Bibliorum, vel sectarum cantica aut preces recitare. Etenim fides non discrimini tantum exponitur in ejusmodi scholis, sed ejusdem etiam confitendæ præceptum per quamdam in Sacris communionem violatur, aut certe violari censetur. Cfr. Conc. Plen. Balt. II.[4]

Casus II. Generatim absolvi nequeunt parentes, qui filios instituendos committunt scholis publicis, in quibus vel ob magistros, vel ob libros, vel ob condiscipulos fides aut mores eorum periculo proximo exponantur. Sunt enim e numero earum, quas S. Sedes in litteris 14 julii 1864 ad Archiepiscopum Friburgensem in Brisgovia in conscientia *nullibi* frequentari posse declaravit.

Dico: *generatim absolvi nequeunt,* — propter exceptionem, de qua infra agemus.

Casus III. Universim absolvi nequeunt parentes, qui filios confidunt scholis publicis, de quibus ignoratur utrum sint e numero earum, de quibus in Casu II. Constat enim scholas publicas hodiedum apud nos *communiter* ob aliquam ex tribus causis positivis in Casu II. indicatis periculum proximum constituere; militat ergo contra eas præsumptio; quæ præsumptio soli cedit veritati, i. e. certitudini quod hæc vel illa schola publica ut non positive noxia tolerari possit. In moralibus enim secundum communiter contingentia judicandum est.

436. — *Casus IV.* Nisi aliter Catholicæ filiorum institutioni sufficienter provideant, absolvi nequeunt parentes, qui illos scholis publicis, licet certo non proxime periculosis, instituendos tradunt iis in locis et adjunctis, in quibus eos scholæ alicui Catholicæ committere possunt. Etenim præceptum prolem Catholice instituendi non solummodo *negativum* est, seu prohibens ne scholis proxime periculosis committatur, sed et *affirmativum*, præcipiens nimirum ut medium aliquod, idque idoneum, adhibeatur, quo Catholica ejusmodi institutio obtineatur. Jam vero parentes, de quibus in casu, ejusmodi medium supponuntur negligere seu non adhibere. Ergo absolvi non possunt.

Dixi: 1) *Nisi aliter Catholicæ filiorum institutioni sufficienter provideant.* Schola enim Catholica, licet optimum et ordinarium medium sit ad hunc finem obtinendum, non est tamen *unicum*; ergo sub negatione absolutionis cogi nequeunt parentes ad hoc præcise medium adhibendum, supposito quod ex una parte schola publica non sit proxime periculosa, ex alia vero quod filii vel per parentes ipsos, vel per alios in doctrina christiana sufficienter instruantur. Utrum vero sufficiens censeri possit illa instructio, quæ semel in hebdomade in scholis Dominicalibus, vel a sacerdote in ecclesia traditur, ex adjunctis dijudicandum erit. Puero enim

[1] L. IV. 340.

[2] Qui plura hac de re desiderat, adeat opusculum nostrum: "De absolutione neganda necne parentibus, qui" etc. Bostoniæ, 1874.

[3] Prop. 48 in Syll. damn. p. XLIV.

[4] a. 429.

ingenioso et diligenti, præsertim si parentes habeat, a quibus debito modo stimulatur et in addiscendo juvatur, minus sufficit ut ad congruentem doctrinæ christianæ notitiam perveniat, quam indiligenti et sibi soli relicto. Generatim tamen, et prout rerum in plerisque locis est conditio, unica hæc in hebdomade instructio insufficiens dicenda est.

Dixi: 2) *Iis in locis et adjunctis, in quibus eos scholæ alicui Catholicæ committere possunt.* Impossibilium enim nulla est obligatio. Impossibile autem in re, de qua agimus, vocatur non id tantum, quod *physice*, sed et illud quod *moraliter*, seu sine gravi difficultate fieri nequit. Prioris, seu physicæ impossibilitatis casum habes in locis, in quibus, vel in quorum proxima vicinia nulla schola Catholica habeatur, aut, si de parentibus pauperibus agitur, in locis, in quibus scholæ Catholicæ *gratuitæ* aut nullæ, aut non sufficienti numero adsint. Posterioris, seu moralis impossibilitatis exemplum occurrit in parentibus, quibus id, quod ex quotidiano labore lucrantur, vix aut ne vix quidem sufficit ad duplices illas expensas ferendas, quas pro scholis publicis exigit civilis potestas, et pro Catholicis Ecclesia.

437. — *Casus V.* Absolvi nequeunt parentes, qui sine causa proportionate gravi filios scholæ cuidam publicæ, licet non proxime periculosæ, committunt iis in adjunctis, in quibus illud sine gravi scandalo fieri nequit. Pone, e. g. hominem Catholicum inter concives suos opibus, auctoritate aut quavis alia de causa conspicuum, in cujus parochia schola Catholica cum publica aliqua coexistat. Hic, si exemplo suo, præsertim vero si, ut ab hujusmodi fieri assolet, encomiis quoque in scholam publicam alios induceret ad Catholicam vel deserendam vel non adeundam, gravis profecto scandali reus foret, nec consequenter absolvendus.

Dixi tamen: *qui sine causa proportionate gravi filios scholæ publicæ, licet non proxime periculosæ, committeret,* idque propter exceptionem, de qua infra agemus.

Casus VI. Dubitari potest an absolvi valeant parentes, qui filios committunt scholis, in quibus ludimagister Catholicus ex protestantica aliqua Bibliorum versione (qua tamen pueri non utantur) ea tantum prælegit, quæ versioni catholicæ sint conformia. Et ratio quidem dubitandi est, quod qui versione protestantica utitur, *et* ejus auctoritatem agnoscere, — cum eam ut Verbum Dei prælegere censeatur, — *et* pueris eam in normam proponere videatur. Si tamen vel pueros lateat eum versione protestanticâ uti, vel ex protestatione explicita ludimagistri, vel ex adjunctis satis pateat ipsum auctoritatem ejusdem non agnoscere et dura compulsum necessitate ita agere, absolutionem neque ludimagistro, neque parentibus denegarem; tunc enim allata dubitandi ratio non amplius subsistet. Suppono tamen scholam aliis de causis non esse vitandam, et assumo benignæ Matris Ecclesiæ mentem non esse Bibliorum protestanticorum prohibitionem ita velle urgere, ut iis etiam in adjunctis, in quibus lex sua *nociva* fieret, non liceret ea vel materialiter manibus tenere, ut quæ conformia sunt Bibliis Catholicis ex iis prælegantur.

438. — *Casus VII.* Quid, si pueri recitare cogantur cantica aut preces sectarum, sed ejusmodi tantum, quæ nihil hæretici contineant, ut e. g. formulam Orationis Dominicæ cum addito: "*nam tuum est regnum,*" etc.?

Parentes, qui filios hujusmodi scholis instituendos tradunt, non possunt absolvi, si cantica et preces hujusmodi adhibeantur, ut objectum actus religiosi, et non, quemadmodum sæpe cantica, ut objectum recreationis vel doctrinæ naturalis. Permitti tamen posset istiusmodi scholæ frequentatio pueris, qui ab omni ad preces et cantiones istas cooperatione abstinerent; ita enim agendo contra illas protestarentur. Quis vero hoc a pueris expectet?

Casus VIII. Quid, si filii in locis, ubi scholæ Catholicæ copia non est, ne legendi quidem aut scribendi artem addiscere valerent, nisi ad publicam aliquam mittantur? Respondeo distinguendo. Si filii ea doceantur in schola aliqua, quæ non sit proxime periculosa, parentibus absolutio denegari nequit. Sin autem propter unam ex causis, supra in Casu II. indicatis, proxime periculosa fuerit, iterum distinguendum erit et casus resolvendus juxta principia occasionis proximæ necessariæ. Nimirum vel periculum, quod fidei moribusve puerorum imminet, ex proximo

remotum *et* reddi potest, *et* reapse redditur, vel non. Si prius, absolvi poterunt; si posterius, non poterunt. In *pueris* tamen periculum istud difficillime ex proximo remotum reddi poterit, cum tenera illa ætas vix non semper imbuatur principiis et moribus eorum, quorum vel doctrinas constanter audiunt, vel consuetudine utuntur. Fateor equidem durius videri pueros privari copia addiscendi artem legendi et scribendi; hæc enim iis non tantum in quavis sociali, quam aliquando sortientur, conditione, hodie præsertim, maximi est momenti, sed et fidei ac pietati eorum maxime proficua esse poterit. At vero si ars illa sine fidei aut morum damno addisci nequeat, verba valent Christi Domini apud Matth.[1] "*Quid . . . . prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*" Casum analogum eodem modo resolvit S. Alphonsus,[2] de puellis agens, quæ a viris artem legendi et scribendi (privatim utique) docerentur. "Neque his puellis," ait "indulgeat confessarius, ut a viris "doceantur legere, et tanto minus scribere. Quot puellæ simplices, quia "didicerunt legere, animæ jacturam luxere"! Quapropter nec matres absolvendas docet, quæ id permitterent.

439. — *Casus IX.* Quid, si filii in schola aliqua Catholica ea addiscere nequeant, quorum scientia in sociali sua conditione aliquando indigebunt, puta idioma aliquod, computum commercialem, mechanicam, chemiam, medicinam, jurisprudentiam, cætera ejusmodi? Casus occurrit, sive quod nulla adsit schola Catholica, in qua filii hæc doceantur, sive quod illa adiri nequeat, nisi expensis, quibus parentes non sint pares.

Responsio ad casum præcedentem data, integra valet pro præsenti. Judicium tamen de minori majorive possibilitate removendi periculum, pro variis adjunctis, necessario varium erit. Sic in *adolescentibus*, qui altioribus disciplinis in schola aliqua non Catholica operam navaturi sunt, spectanda erunt non tantum indoles fortior vel debilior, ac mens Religionis principiis firmius aut minus firme protecta, necnon pueritia honeste aut minus honeste transacta, sed et parentum minor majorve cura, vigilantia et in adolescentem auctoritas; itemque loci, in quo studiis incumbit, distantia a domo paterna; quo enim longius a parentum domicilio distat domicilium filii, eo difficilius huic illi invigilare et auctoritatem ac influxum in illum exercere valebunt. Ad ipsius quoque scholæ et loci conditionem attendendum est, cum ea periculum magis minusve proximum reddat, aut difficultatem illud removendi vel augeat vel minuat. Demum et major minorve gravitas causæ, qua parentes impelluntur filios ejusmodi scholis instituendos tradere, præ oculis est habenda, et, his omnibus perpensis, vel severiores vel benigniores oportebit esse confessarios cum hujusmodi parentibus. Verbo, loco normæ a confessariis habenda est Sanctæ Matris Ecclesiæ circa mixta matrimonia sollicitudo. Quemadmodum enim illa matrimonia ista nunquam permittit, nisi adhibitis cautelis, quibus Catholica prolis ex iis nascituræ institutio in tuto sit, ita et confessarii nullo in casu permittant, ut scholis committatur, ubi proximum perversionis periculum non removeatur; et quemadmodum absolutio deneganda est parti Catholicæ, quæ in culpa est, quod proles non Catholice instituatur, ita et deneganda est parentibus, qui culpa sua prolem in scholis, de quibus agimus, discrimini quoad fidem aut mores vel exponunt, vel expositam relinquunt. His, quæ diximus, consonant quæ scribit cl. *Craisson in Ephemeride: Revue des sciences ecclésiastiques*,[1] itemque *Statuta Synodi Columbensis*, 1873.

Casus X. Si, patre acatholico cogente, puer scholæ publicæ instituendus committitur, mater Catholica absolvi poterit, casu etiam quo schola proxime periculosa foret, dummodo 1) soli violentiæ cesserit; 2) pravum scholæ influxum pro viribus oppugnet; 3) Catholicæ institutionis pueri pro posse suo curam habeat. Ita fere laudata *Synodus Columb.*

440. — Quæ diximus de absolutione neganda annon parentibus, qui prolem scholis publicis committunt, valent quoque, proportione servata, 1) de magistris Catholicis in iis docentibus; 2) de iis, qui ad officium magistri, in scholis pu-

[1] 16. 26.

[2] Praxis Conf. cap. vii. § iii. n. 101, 7.

[1] n. 150. Livr. de Juillet, 1872, p. 91. Tome xxvi[e] de la collection.

blicis aliquando obeundum, instituuntur; 3) de omnibus, qui curam habent animarum, nec pro posse suo de Catholica juventutis institutione solliciti sunt; 4) de Catholicis scholarum publicarum curatoribus (*members of the school-board*). Pauca juvat notare de singulis.

1° Absolvi nequeunt magistri, qui in schola utuntur, aut pueris prælegunt e libris, qui fidei aut moribus periculosi sint, aut sectarum cantica precesve cum pueris recitant, aut pueros recitare jubent. Sunt qui protestanticæ versioni Bibliorum Catholicam, aut folia quædam Catholicæ occulte supponunt, aut in libris, quibus uti coguntur et qui non sint *ex professo* Religioni adversi, loca prava sive explicatione opportunâ emendant, sive omittunt, et hi, servatis quoad Biblia iis, quæ supra n. 437 dixi, non videntur inquietandi.

2° Idem resolve de iis, qui ad officium magistri, in scholis publicis aliquando obeundum, instituuntur, nisi firme proponant in illo obeundo ab iis abstinere, a quibus magistrum Catholicum abstinere debere mox diximus. Si vero hujus propositi tenaces non fore videantur, enixe et prudenter hortandi sunt, ut alii potius officio aut arti sese dedant.

3° Qui curam habent animarum sedulo perpendere debent hæc Concilii Plenarii Baltimorensis II. verba: —

"Non possunt hujus Plenarii Concilii Patres ultro non agnoscere palamque profiteri, curam teneriori ætati atque adolescentiæ Christianis moribus informandæ impendendam inter *præcipuas* sollicitudinis Pastoralis partes recenseri; eoque magis, quo hodierni Religionis nostræ inimici suas omnes artes conferre connituntur, ut juvenum animos vel a prima ætate depravent." [1]

Quapropter monentur pastores:

a) "Ut omni, quo valent, studio Catholicorum puerorum christianæ et Catholicæ educationi prospiciant, et diligenter invigilent, ne versione protestantica Bibliorum utantur, vel sectarum cantica aut preces recitent. Ideo invigilandum erit, ne in publicas scholas libri vel exercitia hujusmodi introducantur, cum fidei pietatisque discrimine. Constanter autem et moderate hisce sectarum conatibus ubique resistendum est, eorum, qui auctoritate valent opportunum adhibere remedium, implorato auxilio." [1]

b) Ut, cum hoc "optimum, imo *unicum*" superesse videatur "remedium, quo gravissimis . . . malis et incommodis occurratur," quæ ex scholis publicis existere solent, "in singulis diœcesibus, unamquamque prope ecclesiam, scholæ erigantur, in quibus juventus Catholica tam litteris ingenuisque artibus, quam Religione ac probis moribus imbuatur,[2] . . . et si opus fuerit, et rerum adjuncta sinant, provideant" pastores, ut ex reditibus ecclesiæ, cui schola annexa sit, idonei magistri in ea habeantur."[3]

c) "Serio etiam parentes" moneant, "ut proli suæ magis magisque invigilent, et pro recta ejus institutione diligenter consulant ac sedulo laborent; cum suis Pastoribus pie conspirent, suasque opes generose diffundant, ut Scholæ Catholicæ Parochiales quantocius erigantur ac sustententur." [4]

d) "Cum autem omnibus in parœciis Scholæ exclusive Catholicæ, propter rerum angustias, nondum haberi queunt, . . . Catecheses et Scholæ doctrinæ christianæ instituantur. Pueros puellasque in propriam ecclesiam Dominicis et aliis diebus festivis, et quandoque etiam sæpius Pastores convocent, ut eos elementa christianæ doctrinæ *studiose* et *diligenter* edoceant." [5] "Neque hoc muneris per alios, ut negligentiores solent, sed "per sese ipse" (*pastor*) "exequatur. Onus enim pueros christianæ fidei rudimentis instituendi adeo est cum pastorali officio conjunctum, ut, qui ex ignavia vel desidia id ferre nolit, aut in alios rejiciat, violati officii pœnas vitare nullo modo possit. Quod disertis verbis omnibus, ad quos spectat, in memoriam revocatur a Patribus Concilii Plenarii Superioris." [6]

Et hæc quidem, ut per se patet, ejusmodi sunt, ut, si quis ex iis, qui curam habent animarum, vel unum ex istis, quod absit! negligeret, aut præstare nollet, absolutione indignus habendus foret. Quod enim ex officio *pietatis* sub gravi tenentur præstare parentes, idem profecto ex *justitia* præstare tenentur animarum pas-

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 425.
[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 429.
[2] Ib. a 430.
[3] Ib. a. 430.
[4] Ib. a. 434.
[5] Ib. a. 435.
[6] Ib. a. 438.

tores. Nec profecto concipi potest, cur benigniorem esse liceat confessarium cum pastore animarum, quam cum parentibus. Cæterum in multis casibus difficile erit confessario judicare quid pastor animarum in specialibus, in quibus versatur, adjunctis possit vel non possit, et pœnitens conscientiæ suæ relinquendus erit. Væ tamen huic, si quoad hoc suum gravissimum officium fucum sibi fecerit!

4° Nisi spes fundata adsit fore ut influxu suo eas notabiliter minus damnosas reddant, curatores scholarum publicarum, quæ proxime periculosæ sint, absolvi nequeunt; cæterarum vero per se absolutione indigni dici nequeunt, quin et laude digni sunt, si eo fine munus acceptent aut retineant, ut libri et magistri, qui Catholicorum puerorum fidei aut moribus periculosi sint, procul a schola habeantur. Cæterum hoc hominum genus parochis, in quibusdam locis, multam facessit operam, et universim Ecclesiæ non parum affert detrimenti.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CONJUGUM.

441. — I. Conjuges tenentur

1° Ad mutuum amorem. Cum enim sint caro una, debent etiam esse cor unum. *Viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam.*[1] — (Uxores) *Viros suos ament.*[2]

2° Ad societatem conjugalem et cohabitationem. Patet ex natura et finibus matrimonii, et ex verbis Christi. *Dimittet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*[3]

3° Ad alimenta, et quæcumque ad honestam conditionis suæ sustentationem pertinent, sibi mutuo præstanda: *Jam* (enim) *non sunt duo, sed una caro.*[4] — *Nemo* (autem) *unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam.*[5]

4° Ad debitum conjugale sibi invicem reddendum, qua de re in Tr. *de Matrim.*

442. — II. Vir tenetur in particulari

1° Studiose rem familiarem gerere,

2° Curare, ut uxor munia christianæ professionis impleat, et præcepta legis tum divinæ, tum ecclesiasticæ exsequatur. Vir enim est caput mulieris et totius rector familiæ; ac proinde ad ipsum spectat tum uxoris, tum aliorum familiæ membrorum recta gubernatio.

3° Corrigere uxorem delinquentem, ubi opus hoc sit ad ejus emendationem et ad scandalum præcavendum. Debet autem correctio procedere ex caritate vel amore justitiæ aut zelo procurandi rectam familiæ gubernationem, et in modo talis esse, ut pateat uxorem esse sociam viri, non servam. Curandum insuper est, ne pax et amor inter eos pereant.

443. — III. Uxor ex parte sua tenetur

1° Revereri maritum, quia est ipsius Superior, ut constat ex dictis, et ex verbis: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui.*[1]

2° Præstare ipsi obedientiam; quia obedientia debetur Superiori in iis, quæ ad gubernationem pertinent; et Apost. ad Coloss.[2] ait: *Mulieres, subditæ estote viris, sicut oportet in Domino.*

3° Curam domus gerere in re familiari, et proinde familiæ officia obire, ut parare cibos, domum verrere, lintea lavare, vestes discissas resarcire, et alia hujusmodi præstare. In familiis tamen satis opulentis uxor officia viliora per famulos vel ancillas adimplere potest, modo ipsis invigilet, et curet, ut res domestica bene geratur.

444. *Resolves.* — 1° Maritus graviter peccare potest, si uxorem conviciis prosequatur, v. g. vocando eam *adulteram*, etc.; — si absque justa causa eam impediat ab implendis præceptis divinis vel ecclesiasticis, vel a devotionibus valde utilibus, v. g. a discreta Sacramentorum frequentia; — si eam modo tyrannico tractet instar vilis mancipii; — si cum ea non cohabitet; — si familiæ gubernationem negligat, etc.[3]

2° Uxor pariter potest peccare graviter, si maritum soleat irridere, subsannare; — si verbis asperis, inobedientia contumaci, vel nimia morositate eum ad iracundiam et blasphemias provocet, etc.

3° Vir ordinarie correctionem uxoris inchoare debet per verba suaviora, et, si

[1] Ephes. 5. 25. [2] Tit. 2. 4.
[3] Matth. 19. 5. [4] Matth. 19. 6.
[5] Ephes. 5. 29.

[1] Gen. 3. 16. [2] 3. 18.
[3] L. IV. 356.

hæc non prosint, ad graviorem correctionem devenire. Quandoque defectus uxoris dissimulare debet, quando sine peccato id potest, nec nimius esse in corrigendo; aliquando autem correptionem ad tempus differre, ne correctio ex iræ æstu videatur procedere, et fructu careat, dum uxor ad eam recipiendam minus est disposita.

4° Confessarius non statim credat conjugi contra conjugem conquerenti, præsertim si uxor in maritum invehat; quia mulieres fere ad mentiendum aut certe exaggerandum sunt proclives. Quare melius est, re dissimulata, ipsis commendare orationem, patientiam, mansuetudinem, et majorem sollicitudinem ad obsequia viro præstanda.

5° Taceat uxor, dum maritus est iratus vel ebrius: si monitio profutura videatur, moneat dum maritus est bene affectus; si irato respondendum sit, respondeat suaviter: responsio enim mollis frangit iram, et dura furorem suscitat. Si hæc nihil obtineant, curet, ut per Parochum aut alium prudentem virum maritus admoneatur.

445. — Quær. *Quæ sint præcipuæ legum nostrarum civilium dispositiones circa conjugum obligationes?*

Resp. 1° "The husband may . . . be bound to keep the peace as against his wife, and for any unreasonable and improper confinement by him, she may be entitled to relief upon *habeas corpus*. But as the husband is the guardian of the wife, and bound to protect and maintain her, the law has given him a reasonable superiority and control over her person, and he may even put gentle restraints upon her liberty, if her conduct be such as to require it, unless he renounces that control by articles of separation, or it be taken from him by a qualified divorce." [1]

2° "If he" (the husband) "shifts his domicile, the wife is bound to follow him wherever he chooses to go." [2]

3° "The husband is bound to provide his wife with necessaries suitable to her situation and his condition in life; and if she contracts debts due for them during cohabitation, he is obliged to pay those debts; but for anything beyond necessaries," viz., "elegancies or luxuries," [3] he is not chargeable. . . ."

[1] Kent, Vol. II, pp. 179. 180. [2] Ib. p. 180. [3] Walker, § 103.

"If the husband abandons his wife, or they separate by consent, without any provision for her maintenance, or if he sends her away, he is liable for her necessaries, and he sends credit with her to that extent." Idem dic "if she receives such treatment as affords a reasonable cause for her to depart from his house, and refuse to cohabit with him."

"But if the wife elopes, though it be not with an adulterer, he is not chargeable even for necessaries." [1]

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS ALIORUM SUPERIORUM ET INFERIORUM.

Obligationes, quæ alios Superiores aut inferiores respiciunt, eædem, servata proportione, sunt generatim ac obligationes parentum et filiorum. Hinc pauca tantum dicemus 1° de obligationibus dominorum et famulorum; 2° magistrorum et discipulorum; 3° civium erga temporalem auctoritatem.

De officiis autem Parochorum et aliorum Superiorum ecclesiasticorum in Tract. *De statibus particularibus*, — ubi de statu clericali, — agetur.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS DOMINORUM ET FAMULORUM.

§ I. *De obligationibus dominorum.*

446. — Domini tenentur famulos suos 1° benigne tractare; 2° instruere et corripere; 3° justum pretium eis solvere.

I. *Benigne tractare*, id est decenter et humane eos alloquendo eisque præcipiendo, — bona et sufficientia alimenta præstando, — nimiis operibus eos non gravando, — infirmos convenienter curando. Constat ex jure naturali, et ex Scriptura Sacra. *Si est tibi servus fidelis, sit tibi quasi anima tua; quasi fratrem sic eum tracta.* [2] *Et vos, domini, eadem facite illis* (servis), *remittentes minas; scientes quia et illorum*

[1] Kent, ib. n. 146. 147. [2] Eccli. 33. 31.

et vester Dominus est in cœlis, et personarum acceptio non est apud eum.[1]

II. *Instruere et corripere:* dominus enim est caput famuli, sicut totius familiæ : ad caput autem spectat dirigere, ubi opus est. Videtur etiam constare ex verbis Pauli.[2] *Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Famuli autem inter domesticos reputantur. — Elbel,[3] et alii *communiter*.

III. *Justum pretium solvere:* agitur enim de obligatione justitiæ et æquitatis naturalis ; unde defraudatio talis mercedis inter peccata in cœlum clamantia recensetur.

447. *Resolves.* — Peccare, et quidem etiam graviter, possunt domini

1° Si tempus non concedant famulis ad addiscenda rudimenta Fidei christianæ, vel eos ad catechismum et concionem non mittant ; — si non curent, ut tempore debito confiteantur et communicent.

2° Si conducant, vel in domo retineant famulos irreligiosos, impios, blasphemantes, turpia loquentes ; — si peccantes graviter non moneant et corrigant, — aut emendationem promittere nolentes non dimittant, nisi forte eorum opera maxime indigeant, et alios invenire non possint.

3° Si curam non habeant, quantum in ipsis est, ut servi a peccatis abstineant ; — si ipsis occasionem peccandi permittant ; — si eos pravo exemplo aut sollicitationibus in peccatum inducant vel alliciant.

4° Si stipendium promissum aut justum non solvant, aut nimis differant ; — si famulum ægrotum non curent, statim expellant vel absque justa causa ante præfixum tempus dimittant. — Quod si famulus ad annum conductus per aliquot menses, puta per trimestre, ægrotet, ipsi juxta veriorem sententiam non debetur salarium pro obsequio non præstito ; nec probabiliter dominus obligatur ad expensas infirmitatis, modo non caritas propter necessitatem gravem subsidium exigat ; excipe pro utroque casu, si et in quantum aliter fert consuetudo, in brevi præsertim infirmitate.[4] Prævaleat tamen in hisce æquitas stricto juri ! — Similiter nec famulus tenetur in tali casu operas suas supplere.[1] — Si vero famulus ante tempus fixum sua culpa discedat, ipsi juxta *communiorem* aliquod stipendium debetur, nisi grave damnum inde domino eveniat, vel mutua conventio aliter statuat.[2]

§ II. *De obligationibus famulorum.*

448. — Tenentur famuli præstare dominis

1° *Reverentiam ;* sic enim Apost.[3] *Servi dominos suos omni honore dignos arbitrentur.* Exinde peccare possunt etiam graviter, qui dominos irrident, eos aspernantur, illorum occultos defectus manifestant.

2° *Obsequium et obedientiam* in iis omnibus, ad quæ se obligarunt vi contractus, et in iis, quæ spectant ad bonos mores ; sic Ephes. :[4] *Servi, obedite dominis carnalibus cum timore et tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* — Et S. Petr. :[5] *Servi, subditi estote in omni timore dominis non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.*

Hinc ratione materiæ peccant plus minusve, qui cum aliquid eis præcipitur, obmurmurant, insolenter respondent, — tempus inutiliter terunt, — negligunt præceptum laborem peragere, — aut cum damno domini pro se laborant ; et uno verbo ii omnes, qui obsequium non præstant, quale ordinarie a talibus exigi et præstari solet.

3° *Fidelitatem ;* juxta verba Pauli.[6] *Servos dominis suis subditos esse, . . . non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes.*

Hinc peccant, et sæpe graviter contra justitiam, qui rerum sibi creditarum curam non habent, — qui ex culpa sua eas deteriores fieri sinunt, — qui victualia pretiosa, aut ipsis non dari solita, surripiunt sive ad manducandum, sive ad extraneis dandum aut vendendum.

449. — Quær. *Quid universim de obligationibus dominorum et famulorum leges nostræ statuant ?*

Resp. 1° The "relation of master and servant rests altogether upon contract,[7]

[1] Ephes. 6. 9.
[2] I. Tim. 5. 8.
[3] n. 590.
[4] L. IV. 864.
[1] L. IV. 346.
[2] L. IV. 345.
[3] I. Tim. 6. 1.
[4] 6. 5.
[5] I. Petr. 2. 18.
[6] Tit. 2. 9.
[7] Kent, Vol. II. pp. 286. 287.

express or implied."[1] Qui contractus si deficit, nihil famulo lege civili debetur.[2]

2° "If the servant hired for a definite term leaves the service before the end of it, without reasonable cause, or is dismissed for such misconduct as justifies it, he loses his right to wages for the period he has served. A servant so hired may be dismissed by the master before the expiration of the term, either for immoral conduct, wilful disobedience, or habitual neglect."[3]

3° The power of the master of giving "moderate corporal correction to his servant . . . may safely be confined to apprentices and menial servants while under age, for then the master is to be considered as standing *in loco parentis*."[4]

4° "The master is not bound to provide even a menial servant with medical attendance and medicines during sickness."[5]

De famulis, quos vocant "apprentices," vide, si lubet, Kent.[6]

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRORUM ET DISCIPULORUM.

450. — I. Magistri et præceptores debent discipulis

1° *Amorem*, 2° *exemplum*, 3° *correctionem*, 4° *doctrinam*. Ratio est, tum quia ad instar parentum quodammodo se habent, tum quia instituuntur ad erudiendos discipulos in sana doctrina morum et litterarum.

Debent igitur 1° sese perficere in scientia, quam docent, ad alios debite erudiendos; 2° promovere profectum discipulorum in litteris, quantum in ipsis est; eos avertere, quantum possunt, ab aliis, qui pravis moribus turpantur, quosque in scholis suis admittere nullo modo debent.

Hinc præceptores delinquere possunt etiam graviter, cum discipulorum instructionem negligunt, aut eos injuste vel indiscrete puniunt; sed præsertim si eosdem seducant, ad peccata v. g. carnalia impellendo; si non doceant bonos mores; si ex proposito falsa doceant ut vera, vel saluti noxia; si alumnos admittant vel retineant malis moribus imbutos, qui aliis perniciosi sint, etc. Cfr. n. 437. cas. VI. 440. 1°.

451. — II. Discipuli tenentur exhibere magistris

1° *Amorem* et *reverentiam*, ob superioritatem et curam eorumdem.

2° *Obedientiam*, dum erudiuntur ab eis in bonis moribus et artibus. Ratio patet: hoc enim importat obligatio reciproca discipulorum ad magistros, qui plane frustra obligarentur ad eos erudiendos, vel imbuendos bonis moribus, nisi discipuli pariter obligarentur ad sectanda monita et præcepta magistrorum.

Hinc peccant discipuli, si nedum diligenter studeant, tempus conterant in otio, lusu, aliisve ineptiis contra voluntatem magistrorum suorum; multo autem gravius, si magistris detrahant, eos irrideant, subsannent, maledictis, calumniis, molestiis afficiant, etc.

De his obligationibus has notamus juris nostri civilis dispositiones. "The power allowed by law to the parent over the person of the child may be delegated to a tutor or instructor, the better to accomplish the purpose of education. A schoolmaster, who stands in that character, *loco parentis*, may in proper cases inflict moderate and reasonable chastisement, even for acts done out of school, if prejudicial to its order and good discipline."[1]

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONIBUS MAGISTRATUUM ET CIVIUM.

452. — A. *De Magistratibus.* PRINCIPIA. I. Debent noscere quæ ad munus suum pertinent, v. c. leges.

II. Communem omnium salutem quærere ac tueri.

453. — *Resolves.* Peccant: 1° Qui legum penitus ignari et judicio haud pollentes munus aliquod sibi procurant aut assumunt, cum periculo damni inferendi iis, de quorum controversiis sententiam

[1] Walker, § 114.
[2] Kent, Vol. II. pp. 286. 287.
[3] Ib. pp. 287–289.
[4] Ib. pp. 294. 295.
[5] Ib. pp. 295. 296.
[6] Ib. p. 296. sq.

[1] Kent, Vol. II. pp. 219. 220. (e.) 5.

prolaturi, aut quorum negotia tractaturi sint.[1]

2° Qui fovent jurgia litesve in suî lucrum.[2]

3° Qui sententiam proferunt injustam, præjudiciis popularibus cedentes, aut auram popularem captantes, vel privatorum utilitatibus studentes, cum innocentium damno.[3]

4° Qui jura conscientiæ violari sinunt, pauperum filiis ab avita Religione per heros contra leges abductis.[4]

5° Qui non idoneos, quia suarum partium sunt homines, ad officia promovent aut promoveri curant,[5] vel idoneos quidem, sed pacta cum promovendis mercede in præjudicium ærarii publici; itemque ii, qui se ipsos hoc eodem pacto promoveri curant aut sinunt.

6° Qui ærarium publicum vel expilari sinunt, hominibus fraudulentis pecuniam publicam concredentes,[6] vel ipsi expilant, dum v. c. pecuniam publicam negotiationibus periculosis, ex quibus lucrum sibi sperant, exponunt, aut occasione contractuum, quos nomine reipublicæ cum privatis ineunt, sibi aliquid injuste paciscuntur aut procurant.

7° Altiores magistratus, nimirum Præses et Gubernatores, si, suam iteratam electionem unice expetentes, in munerum distributione et in legibus sive probandis, sive vetandis id præsertim considerant, utrum suffragia plura sibi sint comparaturi, et eum in finem negligunt civium plerorumque commoda.[7]

8° Qui leges executioni mandari non curant et tranquillitatem ordinemque publicum non tuentur.[8]

454. — Non peccant tamen, si rogati et ex officio, seu juxta leges, aliquid faciant, quod *per se* licitum sit, sed vel ob adjuncta in Religionis detrimentum cedat, vel legibus mentique Ecclesiæ parum sit consonum, quamvis haud vetitum. Nam 1) non suo, sed legis nomine hæc agunt, et 2) effectum malum ex causa *in se* non mala neque intendunt, neque cum jactura sui muneris vel suo periculo impedire coguntur. Id præterea frustra tentarent; nam quod cives vi legis exposcunt, recursu ad alios, præsertim superiores magistratus, certo obtinebunt. Excusandus igitur erit Catholicus magistratus jubens ut puer in ergastulo includatur, testimonio coram se jurato juxta leges eum esse vagum, vel parentes vagos esse, licet noverit eum hoc pacto juxta principia sectarum ibi instituendum. Nec peccat civium consensum matrimonialem excipiens et hunc in acta referens, de impedimentis Ecclesiæ haud sollicitus; nullam enim in hoc casu spiritualem auctoritatem usurpat; sed testatur solum de consensu præstito. Quapropter Cardinalis Præfectus S. C. de Prop. Fid. 30 julii 1851 Episcopo Kenrick rescripsit, eum hac de causa non esse inquietandum. Attamen peccare videntur Catholici magistratus, qui Catholicos se adeuntes ad contrahendum matrimonium, dum copia est sacerdotis, *facile* excipiunt, quum animos addunt peccantibus; sed si moniti nolint desistere qui nuptias inire quærunt, culpæ rei non sunt quod operam præstent mere civilem.[1]

455. — B. *De Legislatoribus.* PRINCIPIA. I. Tenentur rerum in cœtu legislatorum tractandarum esse periti,[2] aut harum certe peritiam sibi comparare, ne temere et cum periculo damni reipublicæ vel privatorum suffragium vel ipsi ferant, vel aliis ferendum persuadeant.

II. Tenentur publicam utilitatem præcipue quærere, deinde tantum eorum, quorum suffragiis electi sunt.[3]

456. — *Resolves.* Peccant 1° qui locorum quorumdam utilitates et commoda ad captanda suffragia promovent *cum publico detrimento.*[4]

2° Qui, nisi alii se obligent ad præstanda suffragia rebus, quæ nullam habent publicam utilitatem, renuunt suffragari rebus, quæ omnium intersunt.[5]

3° Qui pecuniam publicam prodigunt in rebus nullius momenti.[6]

4° Qui ea *negligunt* perficere, quæ plurima reipublicæ commoda allatura sunt, aut partium studio res profuturas *rejiciunt.*[7]

5° Qui tempus inutilibus disceptationibus impendunt, cum fisci dispendio.[8]

1 Kenr. Tr. VIII. n. 161. 2 Ib.
3 Ib. 4 Ib.
5 Ib. n. 162. 6 Ib. n. 162.
7 Ib. 8 Ib.

1 Kenr. Tr. VIII. n. 161. 2 Ib. n. 163.
3 Ib. n. 163. 4 Ib.
5 Ib. 6 Ib.
7 Ib. 8 Ib.

6° Qui suffragia dant pactione quadam de mercede inita.[1]

7° Qui leges figendas refigendasque curant, ut rebus suis consulant cum aliorum detrimento.[2]

8° Qui in Senatu suffragia ferunt de designatis a Præside vel Gubernatore ad aliquod munus publicum, ex partium studio indignis suffragando vel dignos rejiciendo.[3]

9° Legislatores Catholici suffragio suo confirmantes quidquid doctrinæ Ecclesiæ adversetur v. g. quod divortium a vinculo matrimonii detur ob adulterium vel aliam causam. Culpandi vero non sunt quod suam præstant operam legibus ferendis, quibus civium omnium jura juxta Constitutionem vindicentur.[4]

457. — C. *De Civibus.* PRINCIPIA. I. Quamvis liceat civibus ea omnia exercere jura, quæ eis ex Constitutione competunt, servare tamen oportet tum ordinem, tum leges caritatis.[5]

II. In deligendis magistratibus et legislatoribus utilitas publica præ oculis habenda est, et suffragia pro merito danda, adeo ut, qui magis idoneus et utilis videtur, præferatur.[6]

III. De iis, qui munere publico funguntur, non licet *temere* loqui, nec *maligne* res ab iis gestas carpere; licet tamen has scrutari, et de iis publice loqui et scribere, quatenus leges permittunt, ut recte de iis judicetur, et utilitati publicæ prospiciatur.[7]

IV. Nihil *singulorum* arbitrio contra legum auctoritatem tentandum.[8]

458. *Resolves.* — Peccant 1° Qui pecunia, gratia, odio, utilitatis privatæ studio ducti suffragia conferunt indignis.[9]

2° Contra caritatem et justitiam qui *occulta* aliquorum delicta, *quæ aliis non nocent*, publicis foliis annuntiant, vel concionibus (*speeches*) suis, aut colloquiis, ut eos a munere aliquo repellant aut eo privent.[10] An et quando hi ad restitutionem teneantur, vide Tract. *de Just.*

3° Qui magistratuum acta malitiose carpunt, ut eis invidiam conflent.[11]

[1] Tr. VIII. n. 163.
[2] Ib.
[3] Ib.
[4] Ib.
[5] Ib. n. 164.
[6] Ib. n. 164.
[7] Ib. et Tr. X. 139.
[8] Ib.
[9] Ib. n. 165.
[10] Ib. et Tr. X. 167.
[11] Ib. Tr. VIII. 165.

Quibus in casibus jure nostro puniri possint ii, de quibus sub 2° *et* 3° *sermo est, vide apud Kent.*[1]

4° Qui, legum spreta auctoritate, supremum vitæ ac mortis jus sibi usurpant, prout sæpius in hac regione, et *plerumque* temere, prætextu nimirum et non vero titulo necessitatis ac communis salutis, contingit. (*Lynchers*) Kenr.[2]

459. — Quær. *An liceat aliquando non obedire auctoritati temporali, et an liceat aliquando rebellare?*

Resp. Doctrina S. Scripturæ, Patrum, Conciliorum, SS. Pontificum, Catechismi Concilii Trident., S^{i} Alph^{i},[3] et etiam *Encyclicæ Gregorii XVI.*, 15 *aug.*, 1832, quæ totam catholicam traditionem exprimit, sic paucis verbis circa hanc quæstionem resumi potest.

Ad 1^{um} Sicut evidens est, nunquam obediendum esse auctoritati humanæ in iis, quæ evidenter contra legem Dei sunt, ita in iis, quæ per se licita sunt, est omnino obediendum Principibus ETIAM DYSCOLIS, et illis quoque, *qui auctoritate sua abutuntur.* Ex hisce fontibus purissimis, Scriptura nempe et Traditione, ait *Gregorius XVI.* in Brevi 9 junii 1832, apertissime edocemur, obedientiam, quam præstare homines tenentur potestatibus a Deo constitutis, absolutum esse præceptum, cui nemo contraire potest.

Ad 2^{um} Nunquam omnino licitum est rebellare. "Nimis perniciosum in hac re," ait S. Alph.,[4] "fuit principium Joannis Gersonis, qui ausus est asserere, quod monarcha potest legitime a tota natione judicari, si regnum injuste regat; . . . principium, inquio, non tantum falsum, sed perniciosissimum . . . At quale remedium adest, si regimen Principis esset excessive tyrannicum? Remedium quod suppetit, ait S. Thomas, est ad Deum recurrere, ut auxilium præbeat."

"Sed" (ait S. Thomas) "ut hoc beneficium populus a Deo consequi mereatur, debet a peccatis cessare, quia in ultionem peccati, divina permissione, impii accipiunt potestatem."[5] — Vide præsertim *Epistolam encycl. Gregorii XVI.* 15 *aug.* 1832.

[1] Vol. I. p. 607 sq.
[2] Tr. III. 142; Tr. VIII. 165.
[3] H. A. Tr. VIII. 13.
[4] Ib.
[5] De Reg. princ. lib. 1. c. 6.

DE V. DECALOGI PRÆCEPTO.

Non occides.[1]

460. — Prohibet hoc præceptum, quatenus *negativum* est, primario quidem homicidium, id est, injustam hominis occisionem; secundario autem et consequenter omnem injustam læsionem, vulnerationem aut mutilationem corporis, sive proprii sive alieni. Quatenus vero virtualiter est *affirmativum*, præcipit vitæ conservationem.

Distinguendum est homicidium *simplex* a *qualificato*, aliam nempe peccati speciem adnexam habente. Hujusmodi est 1° *sacrilegum*, sive ratione personæ occisæ, sive ratione loci, in quo fit occisio; 2° *parricidium*, cædes nimirum aut parentum aut filiorum, aut fratris seu sororis, aut conjugis aut etiam Principis; 3° *latrocinium*, occisio scilicet aut vulneratio ex prædandi voluntate; 4° *veneficium magicum*, cum nempe ope dæmonis malum corporale aut etiam mors alicui infertur.

Ea autem, quæ de occisione sive licita, sive illicita statuentur, eadem mutilationi vel cuilibet corporis læsioni, servata debita proportione, applicanda erunt.

Agendum 1° de occisione suî; 2° de occisione proximi; 3° de duello; 4° de bello.

CAPUT I.

DE OCCISIONE SUÎ SEU DE SUICIDIO.

461. Principia. — I. Nemini unquam licet se directe, id est, ex intentione et propria auctoritate occidere. Constat 1° ex præcepto divino: *Non occides.*[2] 2° Ex lege naturali. Homo enim dominium *directum* non habet in corpus suum, nec in vitam suam, sed solum dominium *utile*, siquidem hæc non habet a se, sed a Deo accepit et Deo tantum repetenti reddere debet. Ergo suicida lædit Dei supremum dominium destruendo rem non suam. Lædit quoque societatem, cujus est pars, ut ait S. Thom.[3]

II. Nunquam sine divina auctoritate fas est ponere actum externum, per se immediate tendentem ad suî destructionem, nisi actus ille habeat alium effectum bonum et immediatum, qui solus intendatur, et gravissima ratio effectum illum bonum obtineri urgeat. Ratio est, quia ubi actus physicus, etiam per se indifferens, non habet alium effectum quam suicidium, jam fit malus, siquidem tunc nulla adest ratio, qua præceptum conservandi vitam, et cavendi a mortis periculo cesset. Ergo in quocumque casu prohibetur.

III. Licet concurrere indirecte ad occisionem suî, seu ponere actionem, ex qua præter intentionem propria mors certo sequatur; modo ex ista actione sequatur æque immediate aliquod bonum, quod vitæ jacturam compenset, et hoc solum intendatur. Ratio patet ex dictis n. 8.

462. Quæsita. — Quær. 1° *An liceat incendere navim aut arcem, ut hostes grave damnum patiantur, sed cum certa vitæ propriæ jactura?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius;* quia expedit damnum publicum vitari, vel commune bonum procurari etiam cum damno privatorum certissimo. Lugo, Lessius, S. Alph.[1]

Quær. 2° *An virgo ad castitatem servandam se mortis periculo exponere possit?*

Resp. Affirm., saltem si mors non sit certo secutura, idque tum ob amorem castitatis, tum (et hæc ratio valet pro fœmina in genere, et non tantum pro virgine), ob periculum peccati, quod sæpius in tali occasione habetur. — Ita *communiter.* — Imo probabilius adhuc affirmandum est, licet mors certo secutura sit, nec adsit proximum consensus periculum; quia etiam sola corporis integritas maxime æstimatur. — Laymann, S. Alph.,[2] etc.

Quær. 3° *An fœmina teneatur permittere se occidi, potius quam violari?*

Resp. Neg. probabiliter, saltem speculative loquendo, modo voluntate positive resistat, et proximum absit consensus periculum. Ratio est, quia hæc permissio

[1] Exod. 20. 13. [2] Exod. 20. 13.
[3] 2. 2. q. 64. a. 5.

[1] L. IV. 367 et H. A. Tr. VIII. 1.
[2] L. IV. 366 et H. A. Tr. VIII. 1.

non est *formalis* ad peccatum alterius cooperatio, sed *materialis* tantum; justa autem adest permissionis causa, mortis scilicet periculum. Hæc tamen praxis non est consulenda, ob periculum consensus, quod in illa permissione facile adesse potest.

Quær. 4° *An licitum sit reo se sistere coram judice, etsi certo morte puniri debeat?*

Resp. Affirm. Quia actio ista *per se* est indifferens, imo et honesta; in casu enim velle mori perinde est, ac velle justitiæ ordinem; et sicuti ob justam causam mortem alteri desiderare licet, atque etiam legitimo modo procurare, ita et sibi. — Lugo, Lessius, S. Alph.[1]

463. *Resolves.* — 1° Quisque tenetur ad vitam conservandam, cum nemo hujus vitæ donum abjicere sine peccato possit, et perinde sit vitam non conservare, atque eam sibi adimere.

2° Nunquam licet ponere *cum intentione* se occidendi actionem, ex qua mors, licet per accidens tantum, secutura sit; quia nunquam licet velle rem vetitam, et hanc voluntatem ad actum redigere.

3° Non tenetur quis servare vitam, quæ bono communi non sit necessaria, remediis extraordinariis, aut quæ maximum dolorem afferant; ratio est, quia non datur obligatio servandæ vitæ nisi mediis ordinariis, quæ nempe nec magna adducunt incommoda, nec sumptus pro varia cujusque conditione ingentes exposcunt, neque dolores admodum acerbos causant, etc.[2]

4° Non tenetur virgo operationem pati per manus medici, etiamsi vita periclitetur, quando ob verecundiam id ei gravissimum accidit, majoremque illi horrorem ingerit, quam ipsa mors.[3]

5° Nunquam licet macerare corpus ad vitam breviandam, neque, etiam secluso tali fine, immoderatis et prorsus indiscretis pœnitentiis graviter valetudinem pessumdare. Licet tamen ex virtute pœnitentiis ordinarie gravibus uti cum certa quadam vitæ abbrevatione; quia ex communi DD. sententia propter meritum, vel naturæ pravæ mortificationem aliqua longioris vitæ jactura contemni potest.[4]

6° Non peccant artifices, qui super ædificiorum tecta ascendunt, et variis sese periculis, ubi opus sit, exponunt; nec fabri ferrarii, qui quotidie ignem versando vitam sibi minuunt; ratio est, quia ex causa rationabili id agunt. — Contra graviter peccant viri audaces, qui ex temeraria sponsione et vana gloria in gravia discrimina sine causa se injiciunt, in altum ascendendo, deorsum se demittendo, onera graviora ferendo, etc. etc. — Utrum vero peccent, qui ex causa per se licita *nimis fidenter* in occupationibus periculosis versantur, non ita facile definiri potest. Usus, indoles, cautela, etc. efficere possunt, ut pro ipsis periculum nullum sit, vel remotum tantum.

7° Non licet se mutilare, nisi ad conservationem totius corporis sit necessarium, quia homo non est membrorum suorum dominus, sed custos tantum, et quidquid homo est, totum Dei est, nec aliud dominium in corpus suum, nisi utile seu indirectum habet.[1]

8° Non licet se mutilare pro bono spirituali, aut ad vitandum quodlibet peccatum. Ut enim ait S. Thomas, "saluti spirituali semper potest aliter subveniri, quam per membri præcisionem, quia peccatum subjacet voluntati. Et ideo in nullo casu licet membrum præscindere propter quodcumque peccatum vitandum."[2]

9° *Probabilius* licet manum catena ligatam sibi abscindere ad vitandam mortem a bellua vel tyranno, aut incendio impendentem: quia pars bono totius hominis cedere debet. — Lugo,[3] Lacroix,[4] Billuart, contra alios.

CAPUT II.

DE OCCISIONE PROXIMI.

Scilicet 1° de occisione rei; 2° aggressoris; 3° innocentis.

ARTICULUS I.

DE OCCISIONE REI SEU MALEFACTORIS.

464. PRINCIPIA. — I. Licet malefactores publica auctoritate occidere. Ratio,

[1] H. A. Tr. VIII. 2. [2] L. IV. 372.
[3] L. IV. 372 et H. A. Tr. VIII. 2.
[4] L. IV. 371 et H. A. Tr. VIII. 2.

[1] L. IV. 373. 374. [2] 2. 2. q. 65. a. 1. ad 3.
[3] De Justitia disp. 10. n. 22.
[4] L. III. P. I. n. 786.

quia hoc est medium necessarium ad commune totius societatis bonum procurandum, imo ad ipsam societatem servandam; quod quidem plerumque nonnisi morte scelestorum hominum obtineri potest. Deus autem potestatem, sine qua societas stare non posset, contulisse dicendus est. Constat etiam ex praxi cujusvis legislationis, ex Sacra Scriptura, et universali omnium consensu.

II. Non licet autem occidere malefactores auctoritate privata. Quia nemo alium occidere potest sine potestate; at privati nullam ejusmodi potestatem a Deo acceperunt: etenim, ne cædibus omnia impleantur, hæc potestas soli totius civilis societatis Superiori data est. Ergo

465. *Resolves.* — 1° Nemini licet aliquem potestati suæ non subjectum verberare, nisi accedat consensus saltem tacitus illius, qui potestatem habet, v. g. patris in filium, magistri in discipulum; verberatio enim est punitio: hæc autem supponit potestatem gubernativam. Excipe, nisi id necessarium sit ad avertendam præsentem injuriam, ut infra dicetur.— Reuter.[1]

2° Non licet patri proprios filios, nec domino proprios servos correctionis causa mutilare aut occidere; ratio, quia punire per mutilationem et occisionem, quæ damnum irreparabile inferunt, requirit sane potestatem perfectam, quam nec pater, nec dominus habet. — Billuart.

3° Frater natu major non potest fratres minores verberare, nisi id ipsi sit a patre mandatum, aut nisi, mortuo aut absente patre, familiam ipse regat; quia primogenitura ei tale jus non confert. — Billuart et alii.

466. Quæsita. — Quær. 1° *An ii, quibus ex officio incumbit comprehendere et custodire malefactorem, possint eum aufugientem occidere?*

Resp. Neg., etiamsi jam ad mortem fuerit damnatus; quia vi officii sui reum tantum coercere possunt,[2] armis quidem apud nos, si opus est, etiam mortiferis, vitando tamen, quantum fieri poterit, ejus occisionem.

Quær. 2° *An liceat tyrannum occidere?*

Resp. 1° Certum est non licere occidere tyrannum *regiminis*, seu legitimum Principem tyrannice populum regentem, atque etiam opprimentem: *obedire enim oportet dominis etiam dyscolis.*[1] — Ita *communiter* cum S. Alph.[2]

Resp. 2° Nec licet occidere tyrannum *usurpationis*, si jam in pacifica regni possessione sit. Sententia autem opposita dicenda est improbabilis et falsa; quia juxta S. Thomam usurpator ut legitimus haberi debet, saltem in praxi, si postea subditi illum ut talem agnoscant. Præterea bonum publicum requirit, ut obedientia ei præstetur ad Reipublicæ perturbationes et eversiones præcavendas.[3]

Peccat sane tyrannus usurpatione auctoritatis sive dum leges fert, sive dum jus dicit, aut tributa imponit, etc. Quippe usurpat sibi auctoritatem principis, cum princeps non sit.

Neque solum peccat rempublicam aut provincias invadendo, sed etiam peccat dein assidue oppressas ac sibi subjectas servando: quandoquidem assidue opprimit et injuriam infert, non secus ac quempiam inique in carcerem compingens non solum peccat ab initio, sed jugiter etiam postea, quamdiu hanc alterius calamitatem continuat.

Accedit et illud, quod tyrannus dum peccat retinendo usurpatam potestatem, aliam simul obligationem habet, prospiciendi scilicet bono communi usurpatæ provinciæ; atque adeo magis adhuc peccat, si, quando opus est, aut jus non dicat, aut sontes non comprimat, etc. Ratio, quia gravius adhuc civibus nocet, majoremque infert injuriam; sicut nimirum qui rem retinet alienam, eaque utitur, peccat utendo, et simul peccat non utendo, si usus est necessarius rei, ne pereat aut deterior fiat.

Licet nihilominus incolis usurpatæ provinciæ ea præstare, quæ necessaria sunt ad servandum ordinem, sine quo societas ipsa servari non posset. Neque solum id licite præstare possunt, sed etiam tenentur. Id enim exigit necessitas ipsam communitatem seu societatem servandi. Et huc spectat, quod DD. communiter habent, servandas esse leges et sententias a tyranno latas, si justæ per se sint et honestæ, licet justæ non sint, quatenus ab illegitima potestate feruntur. Ratio est, quia societas stare non potest, nisi aliqua potestate, legibus, judiciis, regatur.

[1] n. 369. [2] H. A. Tr. VIII. 9.

[1] I. Petri. 2. 18. [2] H. A. Tr. VIII. 13.
[3] H. A. Tr. VIII. 13.

Atqui ejusmodi leges, sententiæ, etc. tunc haberi non queunt, nisi quæ a tyranno feruntur. Istæ ergo servandæ sunt.

Si vero usurpator illico obedientiam, fidelitatem, etc. exigat, sit pro norma instructio a Pio VII. 22 maii 1809 suis subditis data. Declarabat illicita juramenta *illimitata*, cum implicent infidelitatem versus principem legitimum, non vero juramenta, quæ obligabant solummodo ad obedientiam passivam quoad agnitionem gubernii actualis. (Cfr. 369. *Quær.* 5°.) Prohibebat acceptare vel administrare officia, ex quibus emergeret agnitio usurpationis; alia vero (puta Consulis Regni Italici in Regione nostra) suscipere concessit, cum dispensatione tamen Ordinarii.

Resp. 3° Nec licet occidere tyrannum seu injustum usurpatorem, etiamsi nondum sit in possessione regni, nisi ex auctoritate legitimi Principis, aut ex justa defensione, aut in actu belli Reipublicæ adversus ipsum; nunquam enim licet occidere hominem privata auctoritate. — Ita *communiter*, et certo tenendum est.[1] — Recole dicta n. 459.

ARTICULUS II.

DE OCCISIONE INJUSTI AGGRESSORIS.

467. PRINCIPIA. — I. Licitum est unicuique defendere propriam vitam etiam cum occisione injusti aggressoris; quisque enim habet jus conservandi vitam injuste oppugnatam: ergo potest illam defendere per media necessaria, et proinde etiam mutilatione aut occisione aggressoris, si alio pacto sese morti eripere nequeat; ex jure enim naturali licet vim vi repellere. Constat etiam Jure Canonico, præsertim L. V. Decr. Tit. XXXIX. c. 3, ubi dicitur: "*Vim vi repellere omnes leges et omnia jura permittunt.*" — Dixi: *licitum est*, non aûtem præceptum, nisi vita ejus, qui aggressionem patitur, sit valde utilis bono communi, vel invasus moriturus esset in peccato mortali. — S. Alph.[2]

II. In justa defensione contra iniquum aggressorem servari debet moderamen *inculpatæ tutelæ*, seu nihil fieri debet, nisi id quod absolute necessarium est ad se tuendum; quia, quod necessitas non excusat, est contra justitiam. — Item cavendum, ne occisio, etc., fiat ex odio, vindicta, etc.

468. QUÆSITA. — Quær. 1° *An liceat occidere ebrium vel amentem aggressorem?*

Resp. Affirm. probabilius, nisi tibi constet eum in statu peccati mortalis versari. Ratio est, quia quamvis ebrius vel amens non sit aggressor tuus *formaliter* injustus, est tamen *materialiter* injustus, et tu jus tuum servas vim vi repellendi. Quod si certo scias, eum in statu peccati lethalis versari, cum hic in extrema necessitate versetur, caritas exigit, ut salutem ejus æternam vitæ tuæ temporalis conservationi præferas. Secus autem, si suî ipsius compos esset (proprium enim malum ipsi foret imputandum), aut si nulla prudens spes salutis affulgeat, ut fere in amente.

Quær. 2° *An liceat defendere proximum innocentem occisione aggressoris?*

Resp. Affirm., in omni casu, quo licet propriam vitam defendere; idque ratione caritatis.[1] Raro tamen privatus ad hoc teneri videtur. — Dixi: 1° *raro*; nam excipiendum, si invasus necessarius sit bono publico, vel si sit pater, filius, uxor aut frater, quos tueri pietas obligat, vel si sit ebrius et in peccato mortali, quia tunc versatur in extrema necessitate. Dixi: 2° *privatus*; quia *per se* tenentur ii, quibus speciale munus incumbit defendendi cives, non tamen cum periculo propriæ vitæ, nisi agatur de avertendo malo *publico*,[2] vel sese specialiter *ad hoc etiam* obligarint.

469. — Quær. 3° *An liceat occidere injustum aggressorem etiam pro defensione membrorum?*

Resp. Affirm. cum communi sententia, contra *paucos*. Ratio est, quia quisque jus habet servandi bonum sibi maxime ad vitam necessarium, etiam cum periculo vitæ alterius, modo aliud medium desit, nec mors aggressoris intendatur.[3]

Quær. 4° *An liceat defendere bona fortunæ magni momenti cum occisione furis, si aliter defendi aut recuperari non possint?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*. Ratio deducitur ex dictis in quæsito præcedenti; quisque enim jus habet conser-

[1] H. A. Tr. VIII. 13. [2] L. IV. 380.

[1] L. IV. 389. [2] L. IV. 390.
[3] L. IV. 380.

vandi bona magni pro conditione sua momenti, et eo ipso adhibendi media absolute ad id necessaria. Aliunde præceptum caritatis non obligat, ut quis præferat bona proximi, licet superioris ordinis, nisi quando proximus in extrema necessitate versetur ; secus vero, quando sponte hic mortis periculo se exponit.[1]

470. — Quær. 5° *An mulieri liceat occidere invasorem pudicitiæ ?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia pudicitia est bonum præstantius divitiis : ergo, si licet occidere aggressorem injustum bonorum fortunæ, id a *fortiori* licebit ad pudicitiam servandam. — S. Alph.[2] et alii *communiter*. Ex dictis n. 468. *Quær.* 2° liquet etiam fas esse occidere invasorem pudicitiæ alterius, prout ipsi vim patienti licet ; nisi tamen fœmina consentiat, vel saltem positive non resistat ; imo, etiamsi consentiat, modo sit defensori valde propinqua. — Numquam tamen id licet *post factum*.[3] Cfr. n. 471. 3°.

Quær. 6° *An liceat alium occidere ad conservationem honoris ?*

Resp. Neg., saltem *practice* loquendo : quia honor aliis mediis plerumque servari potest, ideoque aggressio honoris cum aggressione vitæ aliorumque bonorum non potest comparari. Innumeris præterea cædibus aliter pateret aditus. Patet etiam ex pp. 17ª et 18ª inter damnatas ab Alex. VII. p. XIII. et 30ª ab Innoc. XI. p. XVI.

471. *Resolves.* — 1° Non licet occidere furem auferentem rem minoris momenti, etiam cum resistentia domini ; quia licet talis oblatio fiat cum speciali ejus injuria ob violentiam, ejusmodi tamen injuria juxta hominum æstimationem gravis non censetur.[4] Attamen dominus non tenetur rem dimittere, et, servato moderamine inculpatæ tutelæ, potest se defendere, si alter ad eam auferendam vim personæ inferat.

2° Non licet eum occidere, à quo mere suspiceris aggressionem. Secus vero *speculative loquendo*, si moraliter certo constet de prava aggressoris voluntate, nec periculo alia ratione occurri possit. — Dixi : *speculative loquendo ;* nam in praxi, ob hallucinationis periculum, et quia difficillime habetur illa certitudo, vix licebit.[1]

3° Non licet occidere aggressorem post factum, quia esset vindicta, non defensio. Excipitur quando aggressio *effective*, ut aiunt, in fuga aggressoris rem furtivam auferentis perduraret. — Ita *communiter*.

4° Non licet puellæ occidere aggressorem honoris sui post oppressionem ; potest tamen illum percutere et male acerbissimeque tractare, præsertim quia, nisi tali modo constantiam suam et displicentiam ostendat, non facile discedet homo nequam, aut facile ad sollicitationem redire poterit.[2]

5° Non licet, saltem *practice* loquendo, viro etiam honorato aggressorem volentem alapam impingere occisione præoccupare ; semper enim fuga aut alia via proprio honori consulere potest.[3] Licet tamen aggredientem etiam armis paratis arcere, et se promptum ad propriam defensionem ostendere.

ARTICULUS III.

DE OCCISIONE INNOCENTIS.

§ I. *De occisione innocentis in genere.*

472. Principia. — I. Nunquam licet *directe* innocentem occidere, sive auctoritate privata, sive publica, etiam ad bonum publicum procurandum ; est enim actio intrinsece mala et divina lege expresse prohibita.[4] *Insontem et justum non occides.*[5]

II. Licet ob gravem (i. e. vitæ innocentis parem), causam ponere actionem in se bonam, ex qua præter intentionem sequatur mors innocentis, juxta principium D. Thomæ supra expositum.

III. Non est homicidii reus, qui etiam sine causa, sed adhibita diligentia, ponit actionem, quæ mortem per se non infert, ex qua tamen *per accidens* homicidium sequitur ; quia homicidium illud est omnino fortuitum et involuntarium. Secus vero, si ponat actionem, quæ mortem *per se* inferat, seu *valde* periculosa sit, et ex qua mors *sæpe* sequatur, etiamsi diligen-

[1] L. IV. 382.
[2] L. IV. 386.
[3] L. IV. 391.
[4] L. IV. 383.

[1] L. IV. 387 et H. A. Tr. VIII. 19.
[2] L. IV. 386.
[3] L. IV. 381.
[4] Exod. 23. 7.
[5] L. IV. 393.

tia ad damnum præcavendum adhibeatur.[1]

473. *Resolves.* — 1° Non licet occidere lethaliter vulneratos, nec alios quoscumque moribundos, ne diutius patiantur; nec rabidos, ne aliis noceant, dummodo aliter a nocendo cohiberi possint. Ratio est, quia ex noto effato ad obtinendum bonum non sunt facienda mala.

2° Non licet occidere innocentem ad satisfaciendum tyranno mortem ejus postulanti etiam sub pœna urbis subvertendæ, et etiamsi morti suæ ille consentiret; ratio, quia dominium in propriam vitam non habet. Probabilius tamen posset cogi, ut seipsum tyranno pro bono publico traderet, et probabiliter, si nollet, etiam tradi. S. Alph.[2] cum aliis.

3° Licet in bello tormenta adversus hostium stationes dirigere, quamvis inde etiam aliqui innocentes mortem passuri sint; quia eorum mors præter intentionem sequitur.[3]

4° Non licet legatos aut obsides occidere, etiamsi hostes, qui illos miserunt, fidem datam non servaverint, et obsides vel legatos ad eos missos injuste interfecerint; quia sunt innocentes. — Busemb., et alii *communiter* cum S° Alph°.[4]

5° Peccant graviter medici, obstetrices et custodes infantium et infirmorum, si ex gravi negligentia eorum mortem aut non impediant, aut causent, aut accelerent. Item si ex ignorantia graviter culpabili ægrotis noxia præbeant.

6° Non licet navigantibus mari jactatis et scaphâ e naufragio evadentibus, ad levandam scapham, quam mergendam aliàs timent, in mare projicere alios quam qui ultimi in scapham descendentes causa sunt cur mergenda sit.

§ II. *De procuratione abortus.*

Abortus est præmatura ejectio fœtus ex utero matris.

474. Principia. — I. Nunquam licet directe procurare abortum, etiamsi fœtus supponeretur adhuc inanimatus, quæ tamen suppositio hodie, præsertim proclamato jam dogmate Immaculatæ Conceptionis B. M. V., fundamento caret.[5] Ratio est, quia si animatus sit fœtus, est homicidium proprie dictum; si vero non sit animatus, est homicidium anticipatum. Fœtus enim etiam non animatus ordinatur ad hominem formandum; ergo illius ejectio est homicidium anticipatum. S. Alph.,[1] Lacroix.[2]

II. Licet aliquando *indirecte* abortum procurare seu melius permittere, subministrando videlicet matri, morbo gravi laboranti, remedia fœtui nociva, si conditiones sequentes concurrant, scilicet 1° ut agatur de morbo lethali; 2° ut remedia, fœtui nociva, sint *per se* ad morbum curandum directa; 3° ut nulla sit spes fœtui illi vitam æternam per Baptismum procurandi. Hujusmodi autem spes in duplici casu abesse potest; nempe in prioribus conceptionis diebus; vel ubi moraliter certo constat fœtum, moriente matre, simul vel ante moriturum. — S. Alph.,[3] Lacroix,[4] Billuart.

III. Mulieri gravidæ ægrotanti licet porrigere remedia curandis morbis idonea, etsi quandoque abortus sequi possit. Ratio est, quia experientia constat, abortum remediis ordinariis, saltem plerisque, rarissime sequi. — Ita *communiter*.

475. Quæsita. — Quær. 1° *An licita aliquando sit embryotomia, seu occisio infantis in utero matris?*

Resp. 1° Certo illicita est, si *vel* per operationem cæsaream, de qua in Tr. *de Baptismo*, certo vitæ infantis et probabiliter etiam matris consuli possit, *vel* fœtus mox periturus sit, et, expectata ejusdem morte naturali, eoque tunc extracto, spes adhuc aliqua probabiliter remaneat salvandi matrem. Ubi enim effectus bonus ex causa certo licita haberi potest, illicitum est causam adhibere de cujus liceitate *ad minus* dubitatur.

Resp. 2° Cum embryotomia actio sit *per se* seu *directe* occisiva, *directa* autem innocentis occisio nullo unquam in casu licita sit, embryotomia, licet unicum supersit remedium, quo probabiliter consuli possit vitæ matris, permitti nequit. Atque hæc *communis* Theologorum sententia est. Cfr. si lubet, *Acta*[5] et *Revue des sciences ecclés.*[6]

[1] L. IV. 398. [2] L. IV. 393.
[3] L. IV. 393. [4] Ib.
[5] Revue des sciences ecclés. T. XXI. p. 5, sq.

[1] L. IV. 394. [2] L. III. P. I. 823.
[3] L. IV. 394. [4] L. III. P. I. n. 826. sq.
[5] Vol. VII. p. 285. 460. 516.
[6] T. XXV. p. 563; XXVI. p. 194 et 298 XXVIII. pp. 247. 364.

Quær. 2° *An saltem licitus aliquando sit abortus sic dictus medicalis, seu partus acceleratio ante septimum gestationis mensem, arte inducta?*

Resp. Controvertitur. Sunt quibus directa videtur innocentis occisio, quod ex ipsa partus acceleratione ante septimum gestationis mensem mors fœtus *per se* sequi debeat; ante illud tempus enim extra uterum matris vivere nequit; eum igitur ex illo extrahere idem est ac illum positive privare illa præcise re, sine qua vivere nequit. Qui contra sentiunt, dicunt fœtum in hoc casu amoveri tantum a loco, in quo vivere diutius non possit et statui in alio, in quo diu vitam producere nequit; quapropter illam accelerationem partus permittunt si conditiones adsint de quibus n. 474. II. Rem sapientioribus decidendam relinquentes, sequens Kenrickii monitum de embryotomia etiam partus accelerationi applicamus. Si mater petat quid sibi faciendum sit, videtur dicendum, oportere chirurgum orare ut vitæ fœtus omni qua possit ratione consulat.[1]

476. *Resolves.* — 1° Licet expellere fœtum corruptum, quia non amplius nomen fœtus meretur. — Licebit item *in ipsa oppressione violenta* conceptionem impedire, non tamen fœtum actu jam conceptum expellere.[2]

2° Non licet puellæ gravidæ pharmacum sumere ad fœtum expellendum, ne famam amittat, aut ne a patre furioso occidatur, quia directe procuraretur abortus. Constat etiam ex propositione 34ª ab Innoc. XI. damnata, p. XIV.

3° Licet medico præbere remedium *de se* ordinatum ad morbum matris curandum, si certo constet, non dato remedio, et matrem alioquin morituram, et fœtum sine Baptismo exstinctum iri; sic enim tum mater, tum fœtus, quo meliori modo possunt, juvantur; sed rarissime de utroque constabit. Si vero *æquale* sit periculum abortus, sive remedium sumatur, sive non, illud adhibere licitum est; quia sine majori prolis periculo vitæ matris consulitur. — Si autem periculum ex medicina fiat *majus*, utique caute procedendum, cum fas non sit, ad tuendam vitam temporalem proximum positive periculo mortis æternæ exponere. Advertendum tamen, adesse debere, ut hæc prohibitio urgeat, rationabilem spem salvandi vitam prolis post mortem matris, non vero sufficere exiquam et remotissimam; rarissime autem proles matri prægnanti supervivit. Hinc medicus conscientiose, non tamen scrupulose circumstantias perpendat.[1]

4° Homicidæ sunt, qui percutiunt mulierem prægnantem, vel terrefaciunt, ita ut abortus sequatur. Item mulieres gravidæ, quæ cum gravi imprudentia variis modis abortus causam proximam ponunt, v. g. nimiis laboribus operam dando, onera gravia asportando, pedes in aqua frigida lavando, etc. . . .

5° *A fortiori* homicidii reæ sunt puellæ ex fornicatione gravidæ, quæ repetitos conatus adhibent ad abortum attentandum, potionibus, saltibus, oneribus, ventris valida percussione et compressione, etc. . . . Quando hujusmodi feminæ confitentur, sedulo, sed non abrupte, interrogandæ sunt de abortu desiderato vel attentato.

[1] Tom. I. Tr. III. 130. p. 73. col. 2.
[2] L. IV. 394. Quær. I. versus fin.

CAPUT III.

DE DUELLO.

Duellum in genere est pugna duorum vel paucorum inter se. In sensu strictiori est periculosa duorum pugna ex præcedenti condicto de loco, tempore et armis, cum periculo occisionis, mutilationis vel vulneris.

Duellum est 1° *publicum* vel *privatum*, prout fit auctoritate publica vel non; 2° *solemne* vel *simplex*, prout fit coram testibus, vel iis omissis.

477. Principia. — I. Duellum auctoritate publica susceptum est licitum, si fiat ob bonum commune, v. g. ut bellum conficiatur; secus, si aliis de causis imperetur aut permittatur. Ratio utriusque patens est.

II. Duellum auctoritate privata susceptum nunquam licitum esse potest. Ratio est, quia repugnat 1° *juri naturali*, cum Deus nulli hominum directum dominium dederit in suam aut alterius vi-

[1] L. IV. 394.

tam, nec in membra extra casum defensionis contra actualem aggressorem; 2° *Juri Canonico*, ut constat ex Trident.,[1] ubi duellum dicitur: "Detestabilis usus, fabricante diabolo, introductus."[2]

478. *Resolves.* — 1° Non licet acceptare duellum etiam ad avertendam ignominiam; quia repugnat rationi istud medium crudele adhibere cum evidenti suæ aut proximi vitæ periculo, imo et salutis æternæ, ob finem non necessarium vel etiam inutilem. Vera æstimatio, laus et decus posita non sunt in vana opinione hujus mundi, cujus sapientia apud Deum stultitia est.[3]

2° Non licet acceptare duellum viro militari, etiamsi cedere idcirco debeat officio ad sustentationem suam et suorum necessario. Ratio sequitur ex dictis: occisio enim alterius privata auctoritate nunquam licita est, nisi contra actualem aggressorem cum *moderamine inculpatæ tutelæ;* provocans autem ad duellum non est actualis aggressor.

3° Non licet duellum suscipere ea lege, ut, uno vulnerato aut certo numero ictuum completo, pugna cesset; 1° quia etiam in hoc maximum adest vulneris lethalis periculum; 2° quia Clemens VIII. prohibuit etiam duella non fatalia; 3° quia istud duelli genus scandalum creat, et duellis fatalibus occasionem præbet.

4° Non licet duellum suscipere, etiam accedente auctoritate publica, ad noscendam veritatem, ad probandam innocentiam aut ad finiendam litem privatam; quia non est medium ad hos fines ordinatum.[4]

5° Licet autem pugnare in duello ad meram defensionem, etiam arma acceptando ab adversario, si mors ab ipso intentetur, aut amissio bonorum secutura sit, nisi pugna acceptetur, nec adsit alia ratio hoc periculum evadendi; sed non licet se conferre ad alium locum, nisi mors tibi intentetur casu, quo non incontinenter in alium pergas; — nec indicere ad defensionem aliud tempus determinatum; quia tunc duellum proprie dictum haberetur.

6° Non ineunt duellum proprie dictum, et proinde non incurrunt pœnas in duellantes inflictas, qui ob injuriam subita ira excandescentes et ad pugnam se provocantes statim congrediuntur; quia verius est rixa, non vero duellum, quod ex *condicto loco et tempore* fieri debet. Eademque de causa ob improvisum ejusmodi congressum prædictæ pœnæ non incurruntur, quamvis pugnantes ex eodem rixæ impetu ad locum aliquem idoneum statim se simul conferant.[1] — S. C. C. 5 octob. 1744. — Scav.

Quinque propositiones circa duellum damnatas a Benedicto XIV. an. 1752, in Bulla *Detestabilem*, vide p. XXVI.

CAPUT IV.

DE BELLO.

479. — Bellum est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam Reipublicæ defendendæ aut vindicandæ causa.

Hinc differt 1° a *rixa*, quæ est pugna paucorum contra paucos; 2° a *seditione*, quæ est tumultus vel conflictus multitudinis contra politicam societatem, ad quam pertinet.

Distinguitur bellum 1° *offensivum*, si fiat ad injuriam vindicandam; 2° *defensivum*, si ad vim repellendam sustineatur.

Principia. — I. Bellum *per se* licitum est, sive ad injuriam repellendam, sive ad jus suum vindicandum. Ratio est, quia societas quælibet, independens ab alia societate, habere debet medium se tuendi contra injuriam, et jus suum vindicandi; interdum vero non suppetit aliud medium ad hunc finem obtinendum, nisi bellum. — S. Thom.[2]

II. Ad bellum justum et licitum sequentia necessario requiruntur:

1° *Auctoritas legitima*, id est suprema, nullum alium Superiorem in civilibus agnoscens. Ratio est, quia ubi major auctoritas habetur, hæc de lite judicare debet.

2° *Causa justa et gravis*, quæ sit præponderans incommodis ex bello secuturis, v. g. regnum vel provincia recuperanda, aut injuria gravis Reipublicæ propulsan-

[1] Sess. 25. c. 19. [2] L. IV. 399. 400. [3] H. A. Tr. VIII. 27. [4] H. A. Tr. VIII. 27.

[1] L. IV. 401. [2] 2. 2. q. 40. a. 1.

da, vel subditorum rebellio reprimenda, . . . etc.

3° *Debitus bellandi modus*, scilicet ut ante bellum a parte adversa requiratur condigna satisfactio; quæ, si offeratur, ex justitia acceptari debet; ubi enim bellum desinit esse necessarium, desinit quoque esse justum. — S. Thom.,[1] Billuart, etc.

480. Quæsita. — Quær. 1° *An liceat bellum indicere cum probabilitate sui juris?*

Resp. Controvertitur. Sed pars negativa est *longe probabilior*, saltem *intrinsece* et *practice*. Ratio est, 1° quia possessor bonæ fidei nequit re possessa exspoliari, nisi constet, eum injuste illam retinere; 2° quia ad ponendam causam gravissimorum malorum, ut sunt cædes, injustitiæ, morum corruptelæ et alia hujusmodi, quæ bellum ordinarie subsequuntur, requiri videtur moralis certitudo juris sui.[2] Tamburini, Billuart, contra *plures*, quorum alii *majorem* tantum probabilitatem, alii vero *æqualem* sufficere autumant.

Quær. 2° *An milites belligerare possint cum dubio de justitia belli?*

Resp. 1° Si agatur de milite subdito (*drafted*) tenetur obedire, ubi bellum non est evidenter injustum, quia ad ipsum non pertinet rationes Superiorum examinare.

2° Si agatur de milite conducto (*volunteer*) ante bellum declaratum, tenetur obedire; ad hoc enim conducitur: unde fere ac si esset subditus se gerere debet.

3° Si agatur de milite nondum conducto, tenetur inquirere de belli justitia, nec in dubio de justitia se locare potest. Ratio est, quia nemo potest cooperari ad spoliandum alterum re quam possidet, nisi sit certus, injuste eam ab illo possideri.[3]

Quær. 3° *An nocentes vel innocentes a victore occidi possint?*

Resp. 1° Occidi aliquando possunt nocentes, seu milites qui pugnaverint, si hoc ad pacem et securitatem stabiliendam aut injuriam vindicandam necessarium sit, nisi cum pacto vitæ servandæ se dederint. Sed hoc a moribus nostri temporis prorsus alienum est.

2° Innocentes autem, id est mulieres, senes, peregrini, Clerici, Religiosi, etc., . . . *directe* occidi non possunt, nisi constet illos fuisse belli socios. Possunt tamen *indirecte* occidi, non adhuc completa pugna, si cum nocentibus sint permixti, ita ut salvis istis reliqua nocentium turba, quam destruere opus sit, interimi non possit.[1]

481. *Resolves.* — 1° Milites in bello injusto ne defensionis quidem causa licite possunt hostes occidere; si fugere nequeant, curare debent, ne ictibus suis feriant. Ipsi enim sunt injusti aggressores, et jura contraria in eadem re dari nequeunt, nisi per accidens ob aliquam ignorantiam invincibilem utrinque justum putetur; quod in militibus, ad quos in dubio non spectat causam definire, sæpe contingere potest. — Lacroix, et alii *communiter*.

2° Princeps, perspecta belli justitia, eam proponere debet parti adversæ, nec bellum inchoare potest, si satisfactio competens ei offeratur; imo etiam inceptum bellum, oblata satisfactione adæquata, relinquere tenetur, sin minus ex rigore justitiæ, saltem plerumque ex caritate, modo pars altera omnes expensas jam factas compensare velit, nec ad bonum publicum necesse sit, ut ejus petulantia retundatur.

3° Licet in bello insidias parare, stratagemata adhibere, ut hostes fallaciis decipiantur, et in discrimina conjiciantur. Hæc enim non reputantur mendacia, quia culpa sua decipiuntur adversarii, cum media illa in bello adhiberi soleant; sic licet fingere fugam, etc. . . . Illicitæ autem sunt fraudes, quæ nulla prudentia possunt præcaveri, v. g. veneno inficere puteos et fontes, etc.; . . . hæ enim sensu communi contra jura belli pugnant.[2]

4° Licet in bello justo urbes et arces obsidere, tormenta contra illas explodere, imo aliquando monasteria et ecclesias destruere aut comburere, in iis spoliare et occidere, si v. g. hostes ecclesia ut arce ad se defendendum utantur. — Item licet aliquando urbem captam in prædam dare, sed nonnisi ob gravissimas rationes.[3]

5° Duces exercitus et milites summopere præcavere debent, ne excedant post victoriam in victis puniendis: sunt enim legitimæ vindictæ ministri, non vero latrones et sicarii; præsertim vitare debent

[1] 2. 2. q. 40. a. 1. [2] L. IV. 404.
[3] L. IV. 408.

[1] L. IV. 409. [2] L. IV. 410.
[3] L. IV. 410.

quidquid crudelitatem aut animum nocendi sapit.

6° Duces et milites lædere nequeunt legatos partis adversæ, quia jure Gentium ubique sunt inviolabiles; nec mittere possunt spiculatores, qui Principem aut Ducem exercitus vel alios regni Primates occulte trucident, quia hoc ex omnium consensu ad perfidiam pertinet.

7° Mos est, ut, nisi aliter inter bello contendentes statutum fuerit, quæ in mari capiuntur, post tribunalis maritimi judicium, inter captores distribuantur, idque licet bona ad privatos (illius tamen gentis cum qua bellum geritur) pertineant. Pactis conventis inter Europæas plerasque et quasdam Americæ Meridionalis gentes, quibus hic mos aboletur, hucusque non accesserunt Status nostri Fœderati.[1] Quæritur an et quando peccent ii ex nostratibus, qui morem hunc sequuntur?

Resp 1° Bellum vel est justum vel injustum. Si prius, *de se* licitum erit morem hunc sequi; si posterius, ii, qui hunc morem *voluntarie* (prout in casu supponitur) sequuntur aut certi sunt, aut saltem dubitant de injustitia belli; et non erit licitum juxta dicta n. 480. Q. 2°. R. 3°.

Dixi: *de se* licitum erit; nam

Resp. 2° Privati illi, vel cum, vel absque licentia publica agunt; si posterius, seu, ut loquitur Kent:[2] "if they depredate upon the enemy *without a commission*, they act upon their peril" (quod certe non omnibus, nec semper licet), "and are liable to be punished by their own sovereign; but the enemy are not warranted to consider them as criminals."

Sed quid si prædam retinent, non requisito tribunalis maritimi judicio? Ab *injustitia* eos excusat Kenrick,[3] sive cum, sive absque licentia publica prædati (*privateered*) fuerint; nam qui cum licentia publica prædantur et prædam, quam leges suam esse declarant, sibi retinent, non requisito tribunalis maritimi judicio, violant tantum juris ordinem, qui ad justitiam commutativam non pertinet, et jure gentium res capta fit captoris. Qui vero sine licentia prædati fuerint, et prædam, licet vi legum nostrarum reipublicæ cedentem, sibi retinent, iisdem rationibus ab injustitia excusandi videntur; nam *et* licentia hæc ad juris tantum ordinem pertinet, *et* præda absque illa licentia facta in *pœnam tantum* vindicatur reipublicæ, non vi justitiæ commutativæ; jus enim nullum *in* præda habet respublica antequam capiatur; sed nec postquam capta fuit; nam jus est captori ex ipsa occupatione; jurisperiti enim docent per *solam occupationem* dominium prædæ hostibus acquiri.[1]

Animadverte tamen dicta valere tantum de bonis ab hoste vel a privatis illius gentis, cum qua bellum geritur, captis; nam ut recte notat Kent:[2] "When . . . property taken by the enemy is either recaptured or rescued from him by the fellow-subjects or allies of the original owner, it does not become the property of the recaptor or rescuer, as if it had been a new prize; but it is restored to the original owner, by right *of post-liminy*, upon certain terms." Postliminium enim, ut loquitur Jus Rom.,[3] fingit eum, qui captus est, in civitate semper fuisse. Ut vero postliminio non sit locus, jam ubique sententia opus est tribunalis. Plura de hac re habes apud Kenrick.[4]

[1] Kent, Vol. I. p. 104. note 1.
[2] Vol. I. n. 96. [3] Tr. V. n. 31.

[1] Kent, Vol. I. n. 101. pp. 107. 108.
[2] Kent, Vol. I. n. 108. p. 114.
[3] Inst. I. 12. 5.
[4] Tr. V. n. 34.

DE VI. ET IX. DECALOGI PRÆCEPTO.

Non mœchaberis. — Nec desiderabis uxorem ejus (*proximi*).[1]

482. — Juvat imprimis referre, ac propria nobis facere verba S[i] Alphonsi in principio Tract. *de Sexto Præcepto:*

"Nunc ægre materiam illam tractandam aggredimur, cujus vel solum nomen mentes hominum inficit. . . . Utinam brevius aut obscurius explicare me potuissem! Sed cum hæc sit frequentior atque abundantior Confessionum materia, propter quam major animarum numerus ad infernum delabitur, hinc opus mihi fuit, ad instructionem eorum, qui moralem scientiam cupiunt addiscere, ut clare (licet quo castissime fieri potuit) me explicarem, et plurima particularia discuterem. Oro tamen studiosos, qui ad munus audiendarum Confessionum se parant, ut hunc tractatum, quemadmodum et alium de debito conjugali, . . . legant ob hunc unice finem, omnem prorsus curiositatem abjicientes, atque eo tempore sæpius mentem ad Deum elevent, et Virgini Immaculatæ sese commendent, ne, dum aliorum animas Deo student acquirere, ipsi suarum detrimentum patiantur."

483. — Sextum Decalogi præceptum prohibet quamlibet luxuriam *externam*, id est opere patratam. — Nonum vero præceptum prohibet etiam luxuriam *mere internam*, impudicas nempe delectationes, ac desideria.

Luxuria est inordinatus appetitus rei venereæ, et consistit in delectatione venerea voluntarie admissa extra matrimonium. Delectatio autem *venerea* est delectatio, quæ sentitur circa partes genitales, per commotionem spirituum generationi inservientium. Non est igitur confundenda cum delectatione mere *sensibili*, quæ et sensitiva, naturalis et organica audit, et oritur ex proportione objecti sensibilis ad sensum aliquem, v. g. objecti visibilis ad visum, audibilis ad auditum, etc. Alia idcirco est materia seu objectum luxuriæ, alia sensualitatis. Sensibilis autem delectatio in duplicem abit speciem, nimirum in *sensibilem carnalem*, quæ ex contactu carnis humanæ vivæ et calidæ, et *simpliciter sensibilem*, quæ ex contactu cujusvis alius rei mollis et blandæ exurgit. Hæc *in se* spectata omni culpa vacat, dummodo ad finem honestum et rationi conformem referatur; secus venialem non excedit. Illa vero proxime ad materiam *luxuriæ* spectat. Quamvis quippe non semper et necessario, attamen *regulariter* hæc delectatio cum aliqua commotione spirituum genitalium, modica saltem, conjuncta est, *quoties res est de personis diversi sexus, adultis et ad copulam aptis.*

Variæ sunt luxuriæ species, prout diversa sunt ejus objecta. Sic specie differunt tactus et aspectus impudici; actus solitarii, et actus cum aliis exerciti; actus consummati, et non consummati; item actus consummati juxta naturam, et actus consummati contra naturam. Hæ autem species alias etiam subordinatas seu inferiores species sub se continent, ut ex dicendis patebit.

Luxuria alia est *directe* quæsita, alia *indirecte*. Prior habetur, quando voluptas carnalis præcise in se intenditur; posterior vero quando aliud intenditur, ex quo voluptas carnalis præter intentionem suboriatur, ut fit in aspectibus vel lectionibus minus castis ex curiositate vel alio fine habitis.

484. PRINCIPIA GENERALIA. — I. Luxuria cujusvis generis, vel speciei, est *per se* grave peccatum. Ratio est, 1° quia graviter pugnat contra naturam. Usus enim rei venereæ ex natura sua institutus et necessarius est ad solam conservationem et propagationem convenientem generis humani; non potest igitur usurpari extra matrimonium (imo ne in matrimonio quidem nisi debito modo) sine gravi recti ordinis perturbatione; 2° quia sub gravi a Deo naturæ Auctore prohibetur, ut ex innumeris S. Scripturæ locis constat; sic:[1] *Opera carnis quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, . . . quæ prædico vobis sicut prædixi; quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.*

[1] Exod. 20. 14. 17.

[1] Gal. 5. 19. 21.

II. Luxuria *directe* voluntaria in quovis genere nunquam parvitatem materiæ admittit. Ratio est, quia quævis delectatio directe quæsita subversionem naturalis ordinis a Creatore stabiliti necessario inducit. Constat etiam ex propositione 40ª ab Alexand. VII. damnata, quæ sic jacet: "Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis."

III. Luxuria autem *indirecte* voluntaria admittit parvitatem materiæ; quia nullus tunc est consensus seu directa intentio in voluptatem veneream, sed tantum in causam, quæ leviter vel graviter est peccaminosa, prout leviter vel graviter in delectationem influit. — Ita *omnes*.

485. Quær. — *An a mortali excusetur delectatio* 1° *sensibilis carnalis;* 2° *simpliciter sensibilis, consurgens ex tactibus de se pudicis inter personas diversi sexus, adultas et ad copulam aptas?*

Resp. distinguendo. Delectatio *vel* intenditur, *vel* prævisa simpliciter permittitur, *vel* exurgens voluntarie admittitur. Rursum tactus illi fiunt ex causa justa vel sine ea. Si *intenditur*, aut ex tactu sine justa causa habito *prævidetur*, aut, licet nec intenta, nec prævisa, voluntarie admittitur sensibilis carnalis, a mortali excusari nequit. Ratio est, quia tunc delectatio vel directe vel indirecte voluntaria est et cum commotione spirituum genitalium, sin minus vehementi, aliqua saltem, *suapte natura* conjuncta. At vero quælibet hujusmodi commotio est quædam pollutio inchoata; ergo omnis delectatio deliberata cum eadem commotione, quantumvis modica, connexa, nunquam culpa lethali vacat inter solutos, de quibus hic sermo est.

Si quis autem *expresse* nullam aliam delectationem ex tactibus ejusmodi capere *intendit* præter *simpliciter sensibilem*, S. Alph.[1] sententiam, ejusmodi tactus a mortali excusantem, *speculative* admittit; quia nulla delectatio simpliciter sensitiva, in se spectata, culpam venialem excedit. *Practice* vero eam *improbabilem* dicit; quia *regulariter et secundum communiter contingentia* attrectans, proposito et intentione sua non obstante, in delectationem *carnalem*, cum commotione spirituum incidet, aut saltem *periculo proximo* incidendi se exponit, maxime si tactus isti habeantur cum aliquo affectu et mora.

"Excipit tamen" (ait Sanctus) "Croix aliquem, a quo abesset tale proximum periculum. Id vero tantum admitterem, cum P. Holzmann, in aliquo casu raro, quo per longam experientiam quis esset moraliter certus, nullum periculum consensus ipsi imminere; *sed hic casus quando erit?* Notandum vero, aliud esse (ut bene distinguit Continuator Tournely) agere *propter* delectationem capiendam, aliud *cum* delectatione, quæ consurgit ex qualitatibus corporibus annexis, in qua bene potest dari parvitas materiæ, si delectatio sit mere sensibilis sive naturalis; *modo* (addendum) *non sistas in ea*, sed in tactu delectationem detesteris; *aliàs non ageres cum delectatione, sed propter delectationem;* quod non potest esse sejunctum a periculo incidendi in delectationem veneream."

Exceptio magis practica est, si ex justa et proportionata causa, v. g. ex more patriæ, ejusmodi tactus *cum* delectatione sensibili, etiam carnali, (non *propter* eam) habeantur; tunc enim culpa vacant, modo in delectatione non voluntarie sistatur. Recole dicta n. 7. 8. et cfr. *Vind.*[1]

Agendum nobis hic est de peccatis *externis* tantum; de *internis* enim, seu de *morosa delectatione* et *pravo desiderio*, jam dictum est in Tract. *de Peccatis*, n. 228. sq. Hinc 1° de peccatis non consummatis; 2° de peccatis consummatis dicemus.

CAPUT I.

DE PECCATIS LUXURIÆ NON CONSUMMATIS.

Peccata hujus generis sunt oscula, tactus, aspectus, sermones et lectiones turpes.

ARTICULUS I.

DE OSCULIS ET TACTIBUS IMPUDICIS.

486. *Statuenda.* — I. Oscula et tactus vere impudici, id est habiti sine causa in

[1] L. IV. 416.

[1] p. 283.

partibus inhonestis (quales sunt genitales, iisque proximæ) alterius, vix unquam a peccato mortali excusari possunt, etiam secluso affectu venereo, ob gravem indecentiam, et imminens libidinis periculum, quod inducunt. Facilius tamen excusantur a mortali, si in ejusdem quam si in diversi sexus persona fiant.[1] — Hoc autem discrimen inter hujusmodi oscula et tactus est, quod adhibendi illos tactus justa aliquando causa subesse possit, v. g. ad medendum; non item vero deosculandi.

II. Oscula et tactus in partibus honestis vel minus honestis (quales sunt pectus, brachia, crura, etc.) 1° constituunt peccata mortalia, si ex delectatione venerea, — sensibili carnali, — vel etiam (si res practice spectetur et agatur de personis diversi sexus, adultis et ad copulam aptis) simpliciter sensibili fiant; 2° sunt venialia, si fiant ex levitate, joco, curiositate, etc., exceptis tamen osculis in partibus minus honestis; carent vero 3° omni culpa, si fiant in partibus honestis juxta morem patriæ seu urbanitatis causa. Ratio horum *per se* patet.[2] Recole etiam dicta n. 485. de tactibus in se pudicis.

III. Oscula, tactus et amplexus contrahunt malitiam specie diversam pro variis personarum circumstantiis; censentur enim ejusdem naturæ ac actus consummatus, in quem natura sua tendunt. Hinc in confessione explicandum est, an habiti sint cum eodem vel diverso sexu, cum persona conjugata, etc. — Ita *communiter*.[3]

487. *Resolves.* — 1° Culpa vacant oscula, quæ matres aut nutrices infantibus solent infigere. Idemque saltem ordinarie dicito de aliis, qui infantes teneræ ætatis, etiam diversi sexus, secluso pravo quovis affectu, deosculantur.

2° Non statim arguendi sunt de peccato, ac multo minus de gravi, juvenes utriusque sexus, qui in nonnullis jocis decenter et sine prava intentione se invicem amplexantur, quamvis ab ejusmodi ludis ob periculum eis adnexum avertendi sint.

3° Mortalia vero haberi fere debent oscula minus honestis corporis partibus impressa, præsertim inter personas diversi sexus, v. g. pectori, etc., vel etiam si fiant morose, vel cum ardore, aut in ore, lingua præsertim in os introducta; item si sint diuturna, repetita, etc.[1]

488. — 4° Non peccant *per se*, qui se tangunt ad abstergendas corporis sordes, vel ad pruritum sedandum, aut ad infirmitates curandas; si tamen sit tolerabilis pruritus, insinuandum est, ut a tactibus, quatenus possint sine gravi molestia, abstineant.[2] — Magna tamen in his discretione confessarius utatur, oportet. Hujusmodi enim dubia personas præsertim conscientiæ timoratæ vexare solent. Suasiones autem, si paulo vehementiores sint, nec condiantur aperta declaratione de absentia alioquin cujusvis reatus, sæpius et facile conscientias molestissimis scrupulis implicabunt.

Si vero tactus proprii corporis sine causa fiant, veniale non excedunt, quando, secluso affectu venereo, obiter tantum, et ex mera levitate aut curiositate habeantur, quia libidinis non sunt admodum incentivi.[3]

5° Tactus in verendis ejusdem sexus aut partibus vicinis, etiam super vestes, ordinarie non excusantur a peccato gravi, nisi forte ex petulantia, joco, levitate, et obiter fiant.[4]

6° A *fortiori*, excluso necessitatis casu, *practice* excusari nequeunt a peccato mortali tactus in verendis diversi sexus, etiam brevi tempore super vestes habiti; quippe vix ab alia præter libidinem causa procedere queunt, et, præterquam quod maxime indecentes sunt, proximum per se pollutionis aut venereæ delectationis periculum creant.[5] *Probabiliter* tamen arguendæ non sunt de peccato gravi ancillæ, quæ forte tangant pudenda infantium, dum eos vestiunt, nisi cum mora aut carnali delectatione hoc agant.[6] — Lacroix.[7]

7° Veniale non excedit, *per se* loquendo, tangere leviter et absque mora digitos, manus, vultum personæ diversi sexus, secluso pravo fine, atque omni affectu et periculo libidinis, si hæc, v. g. ex mera levitate fiant, nec periculum speciale ratione propriæ vel alterius fragilitatis adnexum habeant.

[1] L. IV. 419. 420.
[2] L. IV. 417. Cfr. Vind. p. 296.
[3] L. IV. 416.
[1] L. IV. 417.
[2] H. A. Tr. IX. 3.
[3] L. IV. 419.
[4] L. IV. 420.
[5] L. IV. 420.
[6] Ib.
[7] L. III. P. I. n. 902.

Cæterum cum in materia tam lubrica non semper facile pateat, quid veniale sit, aut mortale, et aliunde cum non raro proximum adsit periculum graviter delinquendi etiam in iis, quæ leve peccatum *per se* non excedunt, v. g. si crebro et cum mora fiant inter personas ad libidines proclives; quam maxime confessario satagendum est, ut pœnitentes, præsertim juniores, a quibusvis tactibus cum diverso sexu removeat. Recole dicta n. 485.

ARTICULUS II.

DE ASPECTIBUS OBSCŒNIS.

489. *Statuenda.* — I. Aspectus turpes sine causa sufficienti sunt graviter aut leviter peccaminosi juxta 1) intentionem agentis, 2) turpitudinis gradum, et 3) consensus venerei periculum. Hinc facilius a gravi reatu excusantur in se quam in aliis, quia propria minus movent quam aliena. Item facilius excusantur, si agatur de persona ejusdem sexus quam sexus diversi, quia minus ab libidinem provocant.

II. Aspectus graviter impudici sine gravi causa, præsertim quoad personas diversi sexus, a peccato mortali non sunt per se excusandi, licet affectus venereus absit; quia fere proximum libidinis periculum procreant, ut supra (n. 488. 6°) de tactibus pravis dictum est.[1] — Generatim tamen facilius a gravi peccato excusantur aspectus quam tactus turpes, quia minus in libidinem influunt.

Quær. *An aspectus, non secus ac tactus, induant malitiam circumstantiarum personæ, quæ turpitur aspicitur?*

Resp. Neg. probabilius, si absque ullo desiderio fiant. Ratio est, quia non censentur proprie natura sua in actum consummatum tendere.[2] — Hinc aspectus personæ consanguineæ, vel conjugatæ, aut sacræ non induit malitiam incestus, adulterii, aut sacrilegii.

490. *Resolves.* — 1° Excusantur *per se* a mortali personæ ejusdem sexus, quæ se nudas leviter aspiciunt simul natantes aut se lavantes, præsertim si impuberes sint. — Ita *communiter*.

2° Aspectus in verenda diversi sexus aut in partes vicinas sunt peccata mortalia (licet aspiciens sit puer, vel senex, vel frigidæ complexionis), nisi forte visio fiat a longinquo et per brevissimum tempus; quia aspectus hujusmodi aut a libidine oritur, aut certe proximum periculum peccandi inducit. Nec excusaris a gravi, si partes turpes velo tenuissimo et perlucido obductas aspicias, quia fere talis aspectus libidinem auget, nedum minuat. — Ita *communiter*.[1] — Excipiunt, si oculi defigantur in infantulum, quia parum movet. Unde non censentur graviter peccare ancillæ et nutrices, quæ pueros sibi commissos sic aspiciunt, nisi morose, vel iteratis vicibus pravove affectu id faciant.

3° Aspectus in partes honestas personæ diversi sexus, etiam pulchræ, *per se*, non sunt peccata; si autem ex curiositate vel cum morositate *aliqua* fiant, peccata venialia *ordinarie* erunt; a mortali vero non excusabuntur aspectus diuturni, si proximum periculum involvant turpis concupiscentiæ vel morosæ delectationis; quæ procul dubio aderit, si commotio spirituum insurgat, et *a fortiori* si persona inordinato amore diligatur. — Ita *communiter*.[2]

4° Aspectus in partes minus honestas, sed non turpes, mulieris, scilicet pectus, brachia, crura, non sunt *per se* peccata mortalia, secluso tamen proximo pravi consensus periculo, quod alioquin facile aderit, si aspectus sit diuturnus,[3] vel aspiciens valde ad venerem proclivis. — Nec graviter peccant, qui, secluso speciali periculo, matres aut nutrices infantulos lactantes aspiciunt, aut in denudatum pectus mulieris vetulæ, aut junioris non adhuc formatæ, oculos figunt.

5° Aspectus picturarum obscœnarum ex mera curiositate ut mortalia non habentur, si delectatio turpis aut ejus proximum periculum absit. — In praxi tamen vix a mortali posset excusari vir *morose* aspiciens pudenda mulieris depictæ, quia difficulter cavere poterit a delectatione turpi, vel ab ejus probabili periculo, nisi forte per brevissimum tempus aut in magna distantia fiat, aut nisi picturæ vetustas vim artificii imminuerit.[4] — Billuart autem cum aliis excusat a mortali, si aspectus fiant ex levitate, obiter, ex curiositate, aut si picturæ infantes tantum repræsentent: quia picta non commovent

[1] L. IV. 421. [2] Ib.

[1] L. IV. 421. [2] L. IV. 422. L. IV. 423. [3] L. IV. 424.

sicut naturalia; et hoc improbabile non videtur, nisi forte ob aspicientis fragilitatem aliter judicandum sit.

ARTICULUS III.

DE SERMONIBUS ET LECTIONIBUS IMPUDICIS.

491. PRINCIPIA. — I. Turpia loqui, canere, scribere, audire 1) delectationis venereæ causa, vel 2) cum proximo periculo consensus in illam, aut 3) gravis scandali, est grave peccatum. — Si vero absit prava intentio et periculum consensus, simulque adsit legitima causa talia proferendi, scribendi, audiendi, nullum est peccatum.

II. Libros omnino obscœnos legere absque justa causa est peccatum mortale, etiamsi ex curiositate vel recreationis gratia fieri id videatur; quia *per se* hæc lectio valde ad libidinem provocat. Excipe forte, nisi legentes ex sola curiositate ob ætatem provectam et frigidam complexionem aut consuetudinem de rebus venereis tractandi grave libidinis periculum non incurrant.[1]

III. Libros amatorios et leviter obscœnos legere *per se* non est mortale, quamvis in praxi sit valde periculosum, præsertim junioribus. Libros autem quadantenus obscœnos, de scientiis alioquin tractantes, ex solo scientiæ vel utilitatis propriæ vel alienæ intuitu legere, *per se* non est peccatum, secluso tamen consensus venerei periculo, quod alioquin in junioribus raro aberit.

492. *Resolves.* — 1° Graviter peccant generatim, qui sermones permiscent, etiam ex levitate, de actu conjugali, de licitis et illicitis inter conjuges, de modis impediendi generationem, procurandi pollutionem, . . . præsertim si inter juvenes diversi sexus id fiat. Item nominare pudenda alterius sexus, maxime coram adolescentibus et mulieribus, vel juvenibus honestis.

2° Graviter peccant, qui etiam sola verba turpia proferunt, si id faciant ob delectationem captam ex ipsa rerum turpium cogitatione. Nec a gravi excusantur, qui jocandi prætextu verbis æquivocis, sed satis notis, eadem ob eam delectationem exprimunt.[2]

3° Graviter etiam peccant, qui ob jactantiam narrant propria peccata turpia, et quidem ordinarie tripliciter, peccato nempe complacentiæ, scandali et jactantiæ de peccato commisso.

4° Non est per se mortale proferre turpia quidem, sed non graviter obscœna, si fiat breviter, per jocum aut vanum solatium, nisi audientes ita debiles sint spiritu, ut grave scandalum patiantur. Hinc communiter non sunt gravia dicteria turpia, quæ proferuntur a messoribus, vindemiatoribus, mulionibus, quia ad merum jocum ordinarie dicuntur et audiuntur.[1]

5° Non semper ut mortalia sunt habenda tenera colloquia cum personis diversi sexus, quamvis periculis plena sint, præsertim si sint diuturna, sæpe repetita, aut in locis solitariis habeantur.[2]

6° Non peccant graviter, qui ex mera curiositate legunt libros lepidos, quia ad libidinem non graviter excitant, nec magno periculo exponunt, ut sunt multæ comœdiæ vel poemata. — Si vero ob causam legitimam, v. g. ad discendum aut ad acquirendam eloquentiam id faciant, nullatenus peccant.

[1] L. IV. 426. [2] Ib.

CAPUT II.

DE PECCATIS LUXURIÆ CONSUMMATIS.

ARTICULUS I.

DE PECCATIS CONSUMMATIS JUXTA NATURAM.

§ I. *De fornicatione.*

493. — Fornicatio est copula soluti cum soluta ex mutuo consensu.

Fornicatio est graviter prohibita jure naturali et divino positivo, ita ut a peccato gravi excusari nunquam possit. Constat 1° ex Scriptura. *Neque fornicarii . . . regnum Dei possidebunt.*[3] *Omnis fornicator aut immundus . . . non habet hæreditatem in regno Christi.*[4] 2° Ex ratione: nam si fornicatio permitteretur, plerumque homines a matrimonio contrahendo recederent, prolesque ex fornicatione suscepta absque ulla educatione derelinqueretur, unde et subversio ordinis socialis necessario sequeretur.

[1] L. IV. 426. [2] L. IV. 422. 426.
[3] I. Cor. 6. 9. [4] Ephes. 5. 5.

Ad fornicationem referuntur 1° concubinatus, qui est commercium habituale soluti cum soluta; — 2° meretricium, quod est status mulieris omnibus prostitutæ.

Circumstantia concubinatus aut meretricii non est necessario in Confessione declaranda, cum per se speciem peccati non mutet. Per accidens autem sæpius est explicanda ad statum et genus occasionum manifestandum, semperque confessario interroganti aperienda est.[1]

§ II. *De adulterio.*

494. — 1° Adulterium est copula cum alterius conjuge, seu est accessus ad *torum* non suum.

2° Adulterium præter peccatum contra castitatem aliud includit contra justitiam. Patet ex ratione, constatque ex variis Sacræ Scripturæ locis.

3° Adulterium committitur, etiamsi alter conjux consentiat; quia in omni casu violantur jura Sacramenti et contractus indissolubilis; quæ quidem jura natura ipsa exigit, ut prorsus inalienabilia sint.

4° Adulterium inter duos conjugatos duplex est, et duplicis tori violatio, ac proinde circumstantia hæc in Confessione exponenda est.[2]

§ III. *De incestu.*

495. — Incestus est concubitus cum consanguineis aut affinibus intra gradus ab Ecclesia pro matrimonio prohibitos.

Incestus specie differt ab aliis luxuriæ peccatis, quia graviter repugnat reverentiæ naturali debitæ parentibus, et consequenter personis, quæ proxima conjunctione sanguinis aut affinitatis eis devinctæ sunt.

Utrum specie differat incestus cum consanguineis et incestus cum affinibus, et rursus utrum specie differat incestus pro vario affinitatis et consanguinitatis gradu, atque adeo utrum gradus necessario in Confessione exprimendus sit, in Tractatu *de Pœnitentia*, ubi de circumstantiis peccatorum aggravantibus, dicemus.

[1] L. IV. 432.
[2] L. IV. 445.

§ IV. *De sacrilegio.*

496. — Sacrilegium, quatenus est luxuriæ peccatum, est violatio personæ vel loci sacri per actum venereum.

Sacrilegium, præter peccatum contra castitatem, complectitur etiam peccatum contra Religionem seu contra reverentiam Deo, atque adeo locis sacris debitam.

Resolves. — 1° Duplex sacrilegium committit persona Deo consecrata cum alia ejusdem conditionis peccans; quia dupliciter Religionem offendit.[1]

2° Sacerdos simul et Religiosus, qui contra castitatem peccet, *probabilius* non committit duplex sacrilegium; quia quamvis ex duplici titulo maneat obstrictus voto castitatis, tamen contra idem præceptum formale seu ex eodem motivo impositum peccat.[2]

3° Sacrilegus est, qui personam sacram ad peccatum luxuriæ consilio inducit, licet ipse cum ea non peccet; quia ejus peccato cooperatur. Non vero sacrilegus est habens votum castitatis qui idem ageret erga non habentem votum, nisi id ageret ex positivo affectu ad libidinem.[3]

4° Pollutio voluntaria in Ecclesia est sacrilegium, quamvis secreta sit, et quamvis Ecclesia reconciliatione non indigeat, prout in pollutione notoria indiget.

5° Tactus leviter turpes in Ecclesia, juxta communiorem sententiam non sunt gravia, quia ex eis non resultat magna irreverentia in locum sacrum. Secus vero, si sint enormiter graves. — Si autem sint simpliciter graves, duplex datur sententia: ut *absolute probabilius* affirmat S. Alph., quia tactus inhonesti eamdem malitiam habent quam ipsa copula, et licet his actibus non violetur Ecclesia, ipsi tamen gravis irreverentia irrogatur. Idem dicit de verbis et aspectibus graviter obscœnis S. Auctor.[4] — Actus vero interni, seu cogitationes, vel desideria prava habita in Ecclesia non sunt gravia sacrilegia, si desideria peccandi externe in ipsa Ecclesia excipias.[5]

§ V. *De stupro.*

497. — Stuprum est defloratio virginis non consentientis.

[1] L. IV. 456. [2] L. IV. 455.
[3] L. IV. 457.
[4] L. IV. 459–461 et H. A. Tr. IX. 22.
[5] L. IV. 462.

Stuprum, præter peccatum grave contra castitatem, involvit etiam culpam gravem contra justitiam, in Confessione necessario aperiendam.[1]

498. *Resolves.* — 1° Stuprum est fornicari cum amente, ebria aut dormiente, quatenus violatur sine ejus consensu, et proinde gravis ei infertur injuria. Item quando virgo dolo aut alia injusta ratione inducta consentit in deflorationem, ut fit 1° per metum reverentialem; 2° per metum cadentem in constantem puellam; 3° per fraudulentam matrimonii, aut magnæ dotis ad aliud matrimonium promissionem; 4° per repetitas importunas preces, saltem si his adjungantur minæ.

2° Non est stuprum fornicari cum virgine plane consentiente, etsi prima vice corrumpatur; quia domina est sui corporis et libere juri suo cedit.

3° Circumstantia virginitatis puellæ, quæ violata est, si ipsa in rem consenserit, non est necessario *per se* in confessione declaranda, quia stuprum *probabilius* consistit tantum in violentia virgini illata, non vero in violatione integritatis virginalis. Potest tamen aliunde adesse peccatum speciale, scilicet ratione infamiæ, vel mœroris parentum, vel rixarum, vel odii, etc.[2]

§ VI. *De raptu.*

499. — Raptus est personæ abductio libidinis causa e loco *tuto* ad locum *non tutum* per vim vel metum gravem ipsi aut iis illatam, quorum potestati subest,[3] vel etiam per dolum ac fraudem, ut, quatenus est impedimentum matrimonii, decidit S. C. Conc. 27 aug. 1864.[4]

Quoad raptum hæc teneto:

1° Raptus est peccatum speciale, quamvis pravus actus libidinis non sequatur; quia consistit præcipue in injuria, quæ infertur in violenta abductione libidinis causa.

2° Si post raptum desiderium libidinis expleatur, speciem luxuriæ diversam constituit, quæ in Confessione declaranda est.

3° Non est censendus raptus, si mulier plene consentiens abducatur, nisi tamen sit *minor*, et simul ejus parentes seu tutores aut curatores invite hoc patiantur.[1]

ARTICULUS I.

DE PECCATIS CONSUMMATIS CONTRA NATURAM.

Triplex eorum species datur: 1° pollutio; 2° sodomia; 3° bestialitas. His adnumerandus est etiam *Onanismus*, seu peccatum *Onan*, quod est copula incepta, sed exterius consummata vitandæ generationis gratia, sive inter conjugatos id contingat, sive inter alios. Sed de nefario hoc peccato dicemus in Tract. *de Matrim.*, ubi de conjugali debito.

§ 1. *De pollutione.*

500. — Pollutio est seminis effusio sine congressu cum alio. Pollutio voluntaria, de qua sola agimus, est vel directe vel indirecte quæsita. Dicitur etiam mollities. Differt autem a distillatione, quæ est effusio levis alterius humoris subtilioris. In pollutione semen ordinarie cum vehementi delectatione magnaque commotione ejaculatur; distillatio autem cum nulla ordinarie aut levi admodum delectatione et commotione habetur.

501. Principia. — I. Pollutio *directe* et *perfecte* voluntaria est semper peccatum mortale, ita ut nunquam illam procurare liceat. Ratio est, 1° quia pollutio intrinsecam habet repugnantiam cum natura, quæ seminis effusionem unice ad generationem ordinavit; 2° quia, si aliquando permissa, aut tantum sub veniali prohibita foret, facillime ob tantam naturæ corruptæ in luxuriam proclivitatem habitus pollutionis contraheretur, et proinde ordo naturæ brevi subverteretur; 3° constat ex variis Sacræ Scripturæ textibus, v. g. *Neque molles . . . regnum Dei possidebunt;*[2] 4° constat etiam ex proposit. 49ª ab Innoc. XI. damnata, p. XVII. Vide S. Alph.[3]

II. Pollutio *indirecte* seu in causa tantum voluntaria est peccatum grave, quoties causa proxima, id est per se directe et natura sua ad pollutionem tendens, v. g. cogitationes morosæ de rebus valde libidinosis, etc., sine justa ratione poni-

[1] L. IV. 443.
[2] Ib.
[3] L. IV. 444.
[4] Acta, Vol. I. pp. 15–25.

[1] L. IV. 444.
[2] I. Cor. 6. 10.
[3] L. IV. 476.

tur;[1] est autem veniale quoties causa, quæ ponitur, est remota tantum, seu talis, ut ipsi periculum *per accidens* vel raro adjungatur. — Ita *communiter*. — Ratio utriusque patet.[2]

III. Pollutio *indirecte* voluntaria omni peccato caret, quoties habetur ratio sufficiens causam ejus ponendi, consensu seu affectu voluntatis in consequentem voluptatem ejusque proximo periculo secluso. Ratio est, quia ubi sequuntur duo effectus ex eadem causa ex se indifferenti, unus malus et bonus alter aut æquivalens, licet ponere causam intendendo bonum et permittendo malum. Major autem ratio pro majori periculo requiritur. — Recole dicta n. 7. 8. — S. Alph.[3]

502. *Resolves.* — 1° Pollutio omnino involuntaria nullo modo est peccaminosa, ut patet. Hinc omni culpa vacat pollutio, quam pati potest medicus chirurgus, vel confessarius munera officii sui obeundo, modo effectum illum non intendat, nec consensum ullum delectationi præbeat.

2° Pariter culpa vacat pollutio nocturna, quia a voluntate libera non oritur, nec ullus ei præbetur assensus, ut supponitur. Sed nec animum quidem libidinosum semper denotat, cum ex multis causis naturalibus possit provenire, v. g. ex superfluitate naturæ, ex imbecillitate organorum aut dispositione nervorum. Mortalis autem erit vel venialis, si ante cubitum fuerit causata et prævisa pro majori vel minori advertentia et causæ influxu. Sic pravæ cogitationes voluntariæ, prava colloquia, et alia ejusmodi somnum præcedentia illam mortalem facile reddent. Venialem autem tantum efficiet ordinarie intemperantia in cibo vel in potu, etc. Pariter censeri non debet mortalis pollutio nocturna, quæ fit cum imperfecta voluntate et libertate, ut quandoque in semisopitis accidit; judicandum autem est, nullum consensum affuisse, vel ad summum valde imperfectum, quando ordinarie in statu vigiliæ displicet; quia ex ordinarie contingentibus judicandum est. Idem etiam de tactibus nocturnis teneto.

503. — 3° Pollutio, quæ subsequitur ex tactu, aspectu, vel lectione graviter turpi, est peccatum mortale, etiam secluso actuali consensu, nisi justa causa excuset. Ratio est, quia tunc pollutio est voluntaria saltem in causa, cum hæc per se grave pollutionis periculum inducant. Peccatum autem veniale erit tantum, si hæc levitur turpia sint, modo pollutio præter agentis intentionem sequatur; quia, cum causa leviter ad pollutionem concurrat, secluso proximo consensus periculo, non est gravis obligatio causam illam vitandi ob pollutionem, quæ præter intentionem accidit. Hæc enim voluntaria tantum erit in causa; ergo eodem gradu tantum mala erit, quo causa. In *praxi* tamen non excusatur a mortali, "qui *frequentem* pollutionem expertus sit ex aliquibus causis in eodem genere luxuriæ, quæ vehementius ad pollutionem influunt, et illas voluntarie, ac sine necessitate ponit" (ut e. g. ex lectione turpi ob curiositatem, ex turpi aspectu picturæ obscœnæ, vel cœtus animalium, ex tactu propriorum verendorum aut alterius ex levitate, et similibus), "quamvis ipsæ per se non pertingant ad mortalia; . . ratio, quia respectu istius personæ, ob suam pravam dispositionem, talis causa *non leviter* influit. Secus vero . . . si pollutio ex hujusmodi causis *raro* eveniat. . . . Et secus etiam, si causæ sint *omnino leves*, prout essent visus partium honestarum mulieris, lectio leviter turpis, colloquium cum fœmina non diuturnum, vel leviter obscœnum.[1]

4° Omnis deliberata seminis effusio, quantumvis parva, est pollutio et proinde peccatum mortale. — Lacroix.[2] — Item mortale est acquiescere delectationi pollutionis etiam brevissimo tempore, et etiam si præter intentionem et sponte ex quacumque causa accidat. A *fortiori* si pollutio incepta conatu aliquo promoveatur.

5° Qui causavit pollutionem in altero, debet explicare in Confessione, an hic sit persona sacra, cognata, etc.; . . . quia malitiam sacrilegii contraxit, vel incestus, etc.[3]

6° Peccatum non est *per se* equitare rationabilis recreationis causa, certo situ

[1] L. IV. 482.
[2] L. IV. 484.
[3] L. IV. 483.

[1] L. IV. 482–485.
[2] De Sacr. L. VI. P. II. n. 1034.
[3] L. IV. 476.

in lecto cubare, temperate sumere cibos calefactivos, ex honesta causa loqui cum altero sexu, infirmis inservire, eos in balneis adjuvare, artem chirurgicam exercere, et similia; quamvis prævideatur *per accidens* secutura pollutio, modo non intendatur et firmum adsit propositum ei non assentiendi, si accidat, et absit proximum consensus periculum.[1]

504. — 7° Distillatio voluntaria, etiam tantum indirecte, si notabilis sit seu cum notabili spirituum genitalium commotione fiat, peccatum mortale esse potest; quia est pollutio inchoata. Hinc causæ ejus vitandæ sunt eodem modo ac eadem obligatione ac causæ pollutionis. Si vero parva sit et absque commotione, — *directe* voluntaria, nec a mortali potest excusari; quia quæcumque distillatio semper, vel ut plurimum, secum fert commotionem et aliquam seminis effusionem, — *indirecte* tantum voluntaria, sine peccato potest permitti; quia de tali fluxu non est magis curandum, quam de emissione cujuscumque alterius excrementi, quo natura se exonerare solet. Idem resolve de indirecte voluntaria quæ parva sit et cum levi commotione.[2]

8° Motus inordinati cum venerea delectatione, sive *graves* sive *leves*, sunt peccata mortalia, quoties sunt *directe* voluntarii, vel etiam quoties sponte obortis adhæret voluntas; quia tunc adest venerea delectatio in se quæsita, quæ materiæ parvitatem nunquam admittit. Si autem a voluntate non pendeant neque in se, neque in causa, ut sæpe contingit, nullusque consensus eis præbeatur, ab omni peccato sunt immunes. — Denique, si eorum causa libere ponatur, quin intendantur, de iis sicut de pollutione *indirecte* voluntaria dicendum est. Hinc causa levis motuum facile excusabit a gravi peccato, cum id asserant communiter DD. de ipsa pollutione cum S. Alph.[3]

9° Licet alicui pruritum magnum patienti in verendis illum tactu abigere, etiamsi pollutio sequatur, dummodo pruritus ille ex sanguinis acrimonia, — ut ordinarie evenit, — non vero ex libidinis ardore proveniat. Si enim accidat pollutio, secluso consensus periculo, *per accidens* et proinde inculpabiliter accidit.

[1] L. IV. 483. [2] L. IV. 477.
[3] L. IV. 484.

Cæterum adhortandi sunt pœnitentes, ut, in quantum fieri sine gravi molestia potest, ab hujusmodi tactibus temperent, eo tamen modo, quo diximus n. 488.[1]

10° Hodierni medici, nullum in fœminis proprie dictum semen vident in humore, qui ad intra vel ad extra in eis effunditur, et dicunt, semen illud improprie dictum non esse ad generationem necessarium. Et hæc quidem sententia S° Alphonso[2] jam videbatur *probabilior*. Attamen hujusmodi effusiones, quemadmodum et motus inordinati fœminarum, *per se* loquendo, in Confessione declarari debent; et effusiones quidem, ut peccata luxuriæ *consummatæ* (cum in fœminis sint ultimus terminus delectationis veneræ, utpote quæ per eas satiatur et quiescit), et *contra naturam*, cum a Creatore ad sexuum commercium destinatæ sint. Ita Craisson in Ephemer. *Revue des sciences ecclés.*[3]

§ II. *De sodomia.*

505. — Horrendum sodomiæ crimen est concubitus cum persona ejusdem sexus vel diversi, sed in vase indebito.

Hinc duplex sodomia distinguitur: 1° *perfecta*, quæ est concubitus cum persona ejusdem sexus; 2° *imperfecta*, quæ est concubitus cum persona diversi sexus extra vas naturale, vel cum affectu ad vas innaturale.

Sodomia est crimen multo gravius pollutione simplici. Constat ex horrore, quem apud omnes excitat, tum etiam ex inauditis pœnis a Deo inflictis Sodomæ et aliis civitatibus hoc peccato inquinatis.

506. *Resolves.* — 1° Sodomia perfecta specie differt ad imperfecta, quia per illam homo inordinate fertur in sexum indebitum, dum e contrario per istam fertur tantum inordinate in vas indebitum.

2° Coitus viri in vase indebito mulieris est sodomia imperfecta, specie tamen distincta a perfecta.

3° Non tamen sodomia dicenda esset, si fieret tantum applicatio manus, aut pedis ad partes genitales alterius, quia nullus esset concubitus.

4° Probabilius est declarandum, quis

[1] L. IV. 483. [2] L. VI. 918.
[3] Tome XXVII. de la coll. p. 586. sq. et Tome XXIX. p. 98. sq. et p. 205. sq.

fuerit agens aut patiens, quia in agente facilius adest pollutio quam in patiente; ergo ratione periculi illud exponendum est, non quod species peccati sit diversa. — Circumstantia pollutionis ex communiter contingentibus supponitur; ergo tunc tantum, cum *non* adfuit, aperienda est. — Non tamen interrogandum an pollutio fuerit intra vel extra vas, nisi agatur de casu reservato, ad quem requiritur seminatio intra vas.[1]

§ III. *De bestialitate.*

507. — Infandum et execrandum bestialitatis crimen est concubitus cum bestia. Gravissimum est inter luxuriæ peccata, quia naturæ rationali maxime repugnat. Morte puniebatur in lege Mosaica.[2] Peccatum istud est etiam horribilius ipsa sodomia, et specialis ejus deformitas in accessu ad speciem diversam consistit.[1]

508. — Tactus impudici cum bestiis, quamvis non sint peccata bestialitatis proprie dicta, sunt tamen declarandi, quando aliqua venerea delectatio ex eis quæritur. Non autem videtur circumstantia necessario declaranda, si quis mediante lingua jumenti, aut alterius bestiæ, voluptatem venereamaut pollutionem in se excitet. Nec est necesse explicare in Confessione, cujus speciei fuerit bestia, neque utrum fuerit mas aut femella. — Ita *communiter*.[2]

Hic autem adverte, valde cautum, prudentem et parcum debere esse confessarium in interrogandis pœnitentibus de luxuriæ peccatis, imprimis de iis, quæ magis horrenda et inconsueta videntur. Vide regulas infra tradendas in Tract. *de Pœnitentia*, ubi de confessarii muneribus.

DE VII. ET X. DECALOGI PRÆCEPTO.

Non furtum facies. — Non concupisces domum proximi tui, . . . non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.[3]

Septimum Decalogi præceptum prohibet omnem injustitiam externam in bonis fortunæ proximi. — Decimum vero etiam peccata *interna* concupiscentiæ, id est, desiderii bonorum proximi et actionis injustæ vetat. De variis injustitiæ peccatis circa bona fortunæ dicemus in Tractatu particulari *de Justitia et Jure*.

DE VIII. DECALOGI PRÆCEPTO.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.[4] — Non falsum testimonium dices.[5]

509. — Hoc præceptum, quatenus est negativum, prohibet 1° *præcipue* et *primario*, ne dicatur falsum testimonium tum in judicio, tum extra judicium; 2° *indirecte* et *secundario*, ne lædatur fama et honor proximi.

Quatenus autem affirmativum est, jubet, ut, qualibet sublata simulatione et fallacia, simplex et nuda veritas dicatur, et ut tale semper quidem, sed non *pro semper* obligat, cum sæpius veritatem occultare necesse sit.

Hinc prohibet 1° perjurium in proximum; 2° mendacium; 3° detractionem; 4° contumeliam; 5° judicium temerarium et suspicionem injuriosam. De singulis dicendum, excepto pérjurio, de quo satis in secundo præcepto.

[1] H. A. Tr. IX. 24 et L. IV. 466. 468.
[2] Exod. 22. 19. [3] Exod. 20. 15. 17.
[4] Exod. 20. 16. [5] Matth. 19. 18.

[1] L. IV. 474. [2] Ib.

CAPUT I.

DE MENDACIO.

ARTICULUS I.

DE MENDACIO IN GENERE.

510. — Mendacium est locutio vel significatio contra mentem cum voluntate fallendi. Si fiat nutibus vel aliquo facto, *simulatio* vocatur. — Triplex distinguitur mendacii genus: 1° *damnosum*, quo mediante injustum damnum alicui infertur; 2° *officiosum*, quod utilitatis suæ vel alienæ gratia profertur; 3° *jocosum*, quod fit ex joco et sola nugandi causa.

Principia. — I. Mendacium proprie dictum est semper intrinsece malum. Ratio est, 1° quia rectæ rationi repugnat vocibus uti contra earum naturalem finem et institutionem; 2° quia, si alios in loquendo decipere liceret, ordo societatis, qui mutuo hominum commercio nititur, omnino subverteretur. Hinc: *Nolite mentiri invicem.*[1] — S. Thom.,[2] S. Aug.[3]

II. Mendacium *damnosum* grave est pro ratione damni, quod proximo infertur; idcirco obligatio damnum reparandi ex eo sequitur. — Ita *omnes*. S. Thom.[4]

III. Mendacium *officiosum* peccatum veniale est *per se*, quia in eo gravis deordinatio non apprehenditur. — Ita *omnes*. — A *fortiori* mendacium *jocosum per se* veniale peccatum non excedit. Imo interdum id, quod mendacium jocosum dicitur, omni prorsus culpa vacat; quia non est mendacium *proprie* dictum, sed jocus recreationis causa adhibitus absque ulla intentione alium decipiendi, et proinde non ipsi convenit nostra definitio. Hoc autem solum admitti potest, quando talia sunt rerum adjuncta, ut audientes facile intelligere possint, loquentem tantum jocari velle. — Ita *communiter*.

511. *Resolves*. — 1° Non mentiuntur, qui asserunt falsum quod credunt verum, sed errant tantum. E contrario mentiuntur, qui verum dicunt, quod falsum reputant, quia contra mentem loquuntur.

2° Non sunt mendacia locutiones tropicæ, ironicæ, hyperbolicæ, quæ ut tales facile ab audientibus accipi *possunt et solent*. Multo minus parabolæ, quibus tam frequenter ipse Christus utebatur. — Nec sunt mendacia æquivocationes, si non impediant, quominus sensus loquentis cognosci queat.

3° Non mentiuntur, qui fabulas conscribunt, vel ex joco dicunt aperte falsa, ut manifestum est.

4° Ad mendacium referuntur simulatio *formalis*, hypocrisis, adulatio et inanis jactantia, quæ peccatum veniale per se non excedunt; mortale tamen evadere possunt, seu potius mortale accedere iis potest ob aliam peccati speciem, quæ superveniat.

ARTICULUS II.

DE RESTRICTIONE MENTALI.

512. — Restrictio *mentalis* est actus mentis verba alicujus propositionis ad alium sensum, quam naturalem et obvium, detorquentis vel restringentis.

Restrictio mentalis est 1° *pure* seu *stricte mentalis*, si sensus loquentis percipi nullo modo possit, et hæc *proprie mentalis* dicitur; 2° *late* seu *improprie mentalis*, si sensus propositionis ex adjunctis v. g. ex modo respondendi, ex usu recepto, etc. possit colligi.

Ad restrictionem mentalem revocantur æquivocationes seu amphibologiæ, quæ sunt locutiones habentes duplicem sensum, sed unum magis obvium et alterum litteralem.

513. Principia. — I. Nunquam licet uti restrictione *pure* seu *proprie mentali*, nec amphibologia humano modo non perceptibili; *a fortiori* non licet cum iisdem jurare, quia est simpliciter mendacium. Constat etiam ex propositionibus 26ª, 27ª et 28ª ab Innocentio XI. damnatis, p. XV. et XVI.[1]

514. — II. Licet aliquando *ex justa causa* uti restrictione *late*, id est *improprie mentali*, et verbis æquivocis, quando sensus a loquente intentus *intelligi possit*. Ratio est, quia hoc non est malum *in se*, cum proximus non *proprie* decipiatur, sed ex justa causa tantum permittatur ejus deceptio; aliunde ad bonum societatis

[1] Coloss. 3. 9.
[2] 2. 2. q. 110. a. 3.
[3] Lib. de Mendacio et contra Mendacium.
[4] 2. 2. q. 110. a. 4.

[1] L. IV. 152.

requiritur, ut medium adsit licite celandi secretum; aliquando autem aliud medium non suppetit præter æquivocationem; aut restrictionem *late* seu *improprie* mentalem. — Dixi: *ex justa causa;* quia si usus talium restrictionum absque proportionata causa permitteretur, nemo posset aut vellet alteri credere; hoc autem in maximum humanæ societatis damnum cederet. — Ita *communissime* theologi. S. Alph.[1] — Lacroix.[2] — Suarez, Lugo, Laymann, Sporer, Elbel, et alii innumeri.

Licet vero uti ejusmodi lata restrictione etiam cum juramento; quamquam major causa tunc requiratur, cum divinum testimonium non sit sine judicio usurpandum,[3] et eo quidem major, quo verba majorem occasionem præbent errandi. Unde levissima etiam causa excusat, quando verba, e. g. *per se* æquivoca, nullam fere præbent causam errandi.

515. *Resolves.* — 1° Culpa non caret, qui utitur restrictione etiam non pure mentali, aut æquivocatione aliquo modo perceptibili, 1) si id faciat absque ratione, sed ex sola intentione decipiendi, quia est abusus signorum; 2) si interrogans habeat jus inquirendi aut imperandi veritatis confessionem eoque jure legitime utatur, quia juri illi respondet *regulariter* in subdito obligatio fatendi veritatem sine ambiguitate.[4] Adde 3) si exinde damnum proximi emergeret quod ex præcepto caritatis teneamur avertere; 4) quando contractus mutui celebrantur; quo in casu justitia postulat, ut verba nude ad mentem contrahentis proferantur. — Scav.[5]

2° Confessarius interrogatus a tyranno, an Titius confessus sit homicidium, respondere potest et debet: *Nescio;* quia confessarius id nescit scientia communicabili. Imo etiamsi instaret tyrannus et diceret: *An hoc nescis scientia communicabili?* Respondere adhuc posset: *Nescio.* Ratio est, quia tyrannus bene cognoscit, se jus non habere de hoc interrogandi, nec confessarius ut homo intelligit se scire, sed uti vicarius Dei, ac proinde scientia incommunicabili.

3° Reus a judice non *juridice*, aut non *legitime* interrogatus potest respondere se crimen non patrasse, subintelligendo, de quo possit inquiri, seu quod fateri teneatur.[1]

4° Possunt uti hujusmodi restrictione omnes personæ publicæ interrogatæ de rebus suæ fidei commissis, ut sunt secretarii, legati principum, duces exercituum, magistratus, advocati, medici, chirurgi, obstetrices, et quisquis officium et rationem habet veritatem aliquam occultandi. Si enim secreta his personis commissa violarentur, gravissima inde sequerentur incommoda in societate.

5° Potest famulus jussu domini negare, ipsum esse domi, quamvis adsit; quia talis locutio generatim usu recepta est ad significandum, eum non esse domi, quatenus videri aut visitari possit. Attende tamen ad locorum consuetudinem.[2]

[1] L. IV. 151. 152. [2] L. III. 287.
[3] L. IV. 151. [4] L. IV. 154.
[5] Tom. II. n. 85.

CAPUT II.

DE DETRACTIONE.

1° De vitio detractionis; 2° de restitutione famæ.

ARTICULUS I.

DE VITIO DETRACTIONIS.

516. — Detractio est occulta et injusta violatio famæ alienæ, seu denigratio injusta famæ proximi absentis. Fama autem est bona æstimatio, quam alii habent de vita et moribus alicujus.

Detractio dicitur *simpliciter talis*, si fama proximi violetur revelatione criminis veri; *calumnia* autem denominatur, si famæ violatio ex appositione criminis falsi sequatur.

Detractio variis modis fieri potest: 1° *directe*, si *vel* falsum crimen imponatur, *vel* verum amplificetur, *vel* occultum manifestetur, *vel* opus bonum sinistre explicetur; 2° *indirecte*, nempe *vel* negando bona opera proximi, *vel* illa minuendo, *vel* etiam quandoque tacendo aliis laudantibus, *vel* frigide laudando. — Omnes autem hi modi sunt *per se* ejusdem speciei, quia omnes idem bonum *famæ* respiciunt. Attamen *per accidens* novam speciem addere possent, v. g. contumeliam, injuriam in bonis fortunæ, susurrationem

[1] L. IV. 154. [2] L. IV. 165.

(quæ intendit dissolutionem amicitiæ), peccatum contra pietatem, si persona, cui detrahitur, *arctissimo* nexu cum detrahente conjuncta sit, v. g. si sit pater, quod tamen non valet de conjunctis remotioribus.

517. PRINCIPIA. — I. Omnis detractio *directa*, sive sit *calumnia*, sive detractio *simpliciter*, est mortalis ex genere suo, quia est contra justitiam; et quidem gravius est peccatum, quam furtum, quia majori bono proximum injuste privat, ut constat ex sensu communi et ex Scriptura Sacra: *Melius est nomen bonum, quam divitiæ;*[1] et, *Abominatio hominum detractor.*[2]

II. Gravitas vel levitas detractionis desumenda est præcipue ex gravitate vel levitate damni, quod proximus ex ea pati potest, et non præcise ex gravitate defectus seu criminis, quod de proximo narratur. Hinc ad cognoscendam in casu particulari detractionis gravitatem attendendum est ad qualitatem 1° personæ *detrahentis*, scilicet an sit gravis et discreta, an garrula et levis; 2° personæ *læsæ*, an sit bonæ vel malæ famæ, etc. . . . Ratio est, quia major fides præstabitur pro majori vel minori loquentis auctoritate, item majus vel minus sequetur famæ detrimentum pro ratione majoris vel minoris æstimationis, qua persona læsa gaudet.[3]

518. III. Nunquam licet falsum crimen alteri apponere, ut constat ex propositione 44ª ab Innoc. XI. damnata, p. XVI. Licet tamen justa de causa crimen alterius occultum etiam cum jactura famæ ipsius manifestare; quia aliquando bonum publicum vel privatum hoc requirit, et tunc jus proximi ad famam conservandam a potiori jure eliditur.[4]

IV. Causæ autem, propter quas licite, debitis tamen sub conditionibus, crimen alterius revelari potest, sunt sequentes: 1° utilitas notabilis revelantis ipsius, ad consilium vel auxilium in re gravi petendum, secluso tamen quocumque affectu ad detractionem; 2° utilitas delinquentis, nempe ad ipsius instructionem vel correctionem, etc.; 3° utilitas publica, uti ad impedienda mala Reipublicæ vel Religioni aut alicui Communitati imminentia, quo casu per se loquendo quisque ad revelandum tenetur; 4° utilitas gravis etiam privata sive audientium, sive aliorum, v. g. ut a malis, damnis aut incommodis certe aut probabiliter eventuris liberentur; sic certiorem facere potes dominum de infidelitate servi; revelare alteri, qui te ob grave negotium de hoc consulit, defectus alicujus personæ: imo aliquando ad hoc obligaberis juxta regulas caritatis. Sic erit revelandus homicida, si aliquis innocens hujus criminis accusaretur; potior est enim conditio innocentis.

Ratio horum est, quia tunc peccata alterius manifestans non lædit justitiam, nec caritatem. 1° *Non lædit justitiam*, quia proximus non habet jus ita strictum ad suam famam, ut alii obligentur ad tegendam veritatem, quando ejus manifestatio necessaria est ad grave damnum sive proprium sive aliorum vitandum; 2° *Nec lædit caritatem*, quia caritas non obligat cum gravi incommodo; et sicut non teneris impedire damnum proximi tui, quantumvis magnum, cum gravi tuo damno, ita nec teneris in casu occultum crimen proximi celare.[1]

Dixi: *debitis tamen sub conditionibus*, nimirum 1° ut non habeatur ejusmodi notitia ex Confessione Sacramentali, qua, ut patet, *nunquam* uti licet; 2° ut damnum alio modo evitari nequeat; 3° ut sit satis proportionatum amissioni famæ; 4° ut nec plus, nec pluribus manifestetur, quam ad avertendum damnum necessarium est; 5° ut notitiam non acceperis injuste per vim aut fraudem, puta aperiendo litteras, etc., nisi tamen tibi permissum fuisset eam etiam per vim aut fraudem exquirere, qui casus esset, si a) revelatio necessaria foret ad bonum commune; b) alter teneretur ex justitia damnum revelare ad damnum tuum reparandum; c) ille injuste te vexaret.[2]

519. QUÆSITA. — Quær. 1° *An peccet graviter, qui revelat unicum peccatum mortale alterius?*

Resp. 1° Non est semper peccatum grave revelare peccatum alterius, etiamsi pluribus manifestetur. Attendendum igitur est ad rerum et personarum adjuncta, ex quibus colliges, an aliquis gravem famæ jacturam ex peccati revelatione patiatur.

Resp. 2° Si peccatum graviter dedecoret sive in se, sive relative ad infamatum, certo detractor graviter delinquit, quoties

[1] Prov. 22. 1. [2] Prov. 24. 9.
[3] L. IV. 967. [4] L. IV. 972.
[1] L. IV. 968. [2] L. IV. 969.

hujusmodi peccatum, licet unicum, pluribus manifestat, quia grave famæ damnum proximo infertur.

Resp. 3° An vero sit mortale hujusmodi peccatum unico viro prudenti et discreto, a quo scil. periculum non sit ut aliis manifestetur, revelare seclusa speciali malitia, *controvertitur.*

I^a^ Sententia *communior* et *probabilior* dicit, graviter peccari, nisi inadvertentia aut magna levitas excuset. Ratio est, 1° quia læsio famæ etiam apud unam personam gravem gravis censetur, ut patet ex judicio temerario, quod per se grave est; 2° quia sæpe homines ægrius ferunt, se lædi apud unam personam gravem, quam apud tres vel quatuor alias.

II^a^ Sententia satis *probabilis negat.* Ratio est, quia cum fama consistat in communi æstimatione hominum, non censetur absolute diffamatus, qui apud unum vel alterum dumtaxat bonum nomen amisit.[1]

520. — Quær. 2° *An committat peccata numero diversa qui detrahit alicui in pluribus materiis, vel eum diversis contumeliis afficit, aut uni detrahit coram pluribus?*

Resp. Vide dicta n. 227. quær. 1° et 2°.

Quær. 3° *An crimen publicum revelari possit illud ignorantibus, qui degunt in loco, ubi jam est publicum?*

Resp. Affirm., quia hoc nec contra justitiam videtur esse, nec contra caritatem, sive sit publicum publicitate juris, sive publicitate facti.[2]

521. — Quær. 4° *An crimen publicum in uno loco possit revelari in alio loco, ubi ignoratur?*

Resp. 1° *Affirm., probabilius per se,* saltem absque peccato gravi, si agatur de loco vicino, seu de loco ubi facile et brevi publicandum est, nec ex anticipatione sequatur grave damnum pro infamato. Ratio est, quia fama brevi et necessario amittenda nullius aut certe non magnæ æstimationis est, et moraliter loquendo jam abjecta est.[3]

Resp. 2° Si agatur de locis, ad quæ divulgatio non est perventura, aut non nisi post diuturnum tempus, *distinguendum est:*

1° *Quoad notorietatem juris* 1° Non est contra justitiam, quia judex, quando publice aliquem condemnat, intendit reum spoliare fama, ut cæteris ubique sit in exemplum. Ita *communiter.* — 2° Nec *probabilius* est contra caritatem, saltem graviter, quia ad bonum commune magnopere confert, sententiam ubique vulgari, ut efficacior sit pœna, ac reus cognoscatur etiam ab incolis regionis remotæ, qui cum illo negotia tractanda habere possent. — Ita *communius,*[1] cum Lugo, Salmant.

2° *Quoad notorietatem facti, controvertitur inter theologos.*

I^a^ Sententia *valde probabilis* dicit, non esse *per se* illicitum, quia neque contra justitiam peccatur, neque contra caritatem, saltem graviter, modo agatur de criminibus, quæ reddunt hominem *perniciosum.* Ratio est, quia bono publico conducit, facinorosos homines dignosci, ut ab eis cavere omnes possint.[2]

II^a^ Sententia e contrario dicit, esse peccatum tum contra justitiam, tum contra caritatem: 1° *contra justitiam* quidem, quia infamatus in uno loco non amisit jus ad famam in alio remoto, ubi fama criminis non est brevi perventura: ergo ipsi facit injuriam, qui eum ibi diffamat; 2° *contra caritatem,* quia diffamans nocet proximo in re gravi seu in fama, quam alibi sine illius injuria possidere pergit. — Billuart, Antoine.

522. — Quær. 5° *Quandonam crimen seu factum dici possit publicum seu notorium?*

Resp. 1° Dicitur omnino *publicum* seu *famosum,* quando innotuit majori parti communitatis seu civitatis, oppidi, pagi, etc.

Resp. 2° Dicitur *simpliciter publicum* seu *notorium,* quando innotuit tot personis, ut nulla tergiversatione celari possit, et moraliter sit impossibile, quod in notitiam communitatis non deveniat. Valde autem difficile est determinare, quot personarum requiratur cognitio, ut crimen publicum censeri debeat. Varias regulas assignaverunt theologi pro vario numero personarum, quæ communitatem componunt. Juxta communiorem sententiam dici potest publicum crimen, si quindecim sciant ex communitate centum personarum; aut viginti ex tribus saltem familiis diversis in communitate mille personarum; aut quadraginta dispersi in oppido quinque millium personarum.[3]

[1] L. IV. 973. [2] L. IV. 974.
[3] L. IV. 974.

[1] L. IV. 974.
[2] Ib. et H. A. Tr. XI. 12; In Retr. recent. n. 12.
[3] L. IV. 975.

Sed, ut recte inquit Billuart,[1] practice hoc remittitur judicio prudentis, qui, attento communitatis numero, hominum garrulitate et aliis circumstantiis, judicet, an possibile sit, ut res secreta maneat. — Advertit etiam S. Alph.[2] delictum, publicatum in uno monasterio, non posse dici absolute publicum, nec proinde alibi manifestari posse, ne in alio quidem monasterio ipsius Ordinis, licet cum illo frequentem haberet communicationem.

523. — Quær. 6° *An delictum olim publicum, at nunc occultum, publicari possit sine gravi culpa, saltem contra caritatem?*

Resp. Neg., nisi agatur de delicto olim publico notorietate juris, aut ad historiam pertinente.[3]

Quær. 7° *An peccet graviter referens tantum gravia peccata alterius, ut ab aliis audita*, v. g. *si dicat: Fertur, narrant, audivi de tali hoc vel illud?*

Resp. 1° Peccat graviter contra caritatem et justitiam, si *ita* referat, ut alii sint verisimilius et merito id crediturі, v. g. si asserat se, quæ narrat, audivisse a persona fide digna, quia tunc causam sufficientem credendi malum præbet; secus, si probabiliter fides dictis non adhibeatur, quia nulla infamia inde orietur. Multo autem facilius graviter peccabit referens, etiam ut mere dubium, peccatum enorme alterius, v. g. hæresis, sodomiæ, etc.

Resp. 2° Peccat graviter contra caritatem, si audita referat coram iis, qui probabiliter ea credent ex levitate aut malitia propria; quia sub gravi quisque tenetur ex caritate tollere occasionem damni alterius, cum facile potest. Non tamen videtur peccare contra justitiam, quia non est causa efficax damni.[4] — Billuart,[5] et alii *communiter*.

524. — Quær. 8° *Quomodo peccet audiens detractionem?*

Resp. 1° Peccat certe graviter contra *justitiam*, qui efficaciter, — v. g. excitando, laudando, interrogando, — inducit alium ad detrahendum.

Resp. 2° Peccat graviter contra *caritatem*, qui gaudet de detractione gravi ab alio facta, quia gaudet de damno gravi proximi. Excipe, si gauderet tantum de auditione rei novæ vel curiosæ, non vero de ipsa detractione.

Resp. 3° Superior peccat contra caritatem, si detractionem non impediat in quantum commode potest, etiamsi de ea non gaudeat; quia illi specialis obligatio incumbit corrigendi detrahentem, aut damno subditi infamati obviandi. *Probabilius* autem non peccat contra justitiam 1) Superior detrahentis, quia non tenetur invigilare bono alterius non subditi; 2) Superior infamati, quia ipsi non incumbit ex justitia bono temporali subditi attendere.[1]

Resp. 4° Persona particularis plerumque aut omnino, aut saltem a gravi peccato excusatur, si detractionem non impediat, sive ex verecundia, sive ex timore, sive etiam ex negligentia, etiamsi commode possit, modo de illa non gaudeat, nec præter infamiam aliud damnum accedat. Ratio est, quia in hac materia sæpe constare nequit correctionem esse profuturam; imo sæpe periculosum est, et merito timeri potest, ne detractio potius augeatur vel producatur. Culpa tamen aliqua non carebit, si facile correctionem efficacem adhibere possit.[2]

Excusantur autem etiam a veniali, qui ubi advertunt detractionem, discedunt, sermonem ad alia divertunt, aut faciem avertunt, atque tristes se ostendunt juxta illud: *Dissipat facies tristis linguam detrahentem.*[3]

525. — Quær. 9° *An liceat seipsum infamare?*

Resp. Affirm., per se, si recta intentione fiat, secluso scandalo et aliorum damno. Ratio est, quia non est contra justitiam, cum quisque sit famæ suæ dominus; nec contra caritatem, quia hæc non obligat ad bona externa conservanda, nisi quantum id exigat salus propria vel proximi.

Per accidens autem peccabis, et etiam graviter, si fama tua necessaria sit muneri tuo, vel si tibi vitæ, vel aliis infamiæ damnum ex hoc oriri possit.[4]

526. *Resolves.* — 1° Grave est peccatum etiam mortuis detrahere in re gravi; jure enim ad famam non spoliantur, licet e vivis excesserint. Unde historiographi

[1] De Justitia, diss. 15. a. 2. § 5.
[2] H. A. Tr. XI. 12. in fine.
[3] Ib. 13.
[4] L. IV. 978.
[5] Ib. a. 2. § 4.

[1] L. IV. 979.
[2] L. IV. 979.
[3] Prov. 25. 23.
[4] L. IV. 983.

ignominiæ notam memoriæ defunctorum sine causa sufficienti inurentes, occulta manifestando, cognita exaggerando, actam pœnitentiam non referendo, graviter peccare possunt.[1]

2° Lethale esse potest de aliquo in conspicua dignitate constitutò tam multa, etsi non singula gravia, revelare, ut notabiliter lædatur ejus fama, licet intra longum tempus id peragatur.

3° Mortale est, si dicas, aliquem esse adulterum, licet de hoc probabilia habeas indicia; quia ejus famæ grave nocumentum affers. Imo idem tenendum, etiamsi diceres probabile, eum esse talem.

4° Grave est dicere de sacerdote, quod duellum commiserit, quod sit amans puellarum, aliaque id genus. Sæpe autem lethale non est id asserere de milite, aut etiam de juvene mediocris famæ; nec dicere de puella quod sit garrula, superba, etc.[2]

5° Non est mortale de aliquo ignoto vel indeterminato male loqui, v. g. in tali loco esse multos improbos, ebriosos, impudicos; quia nemini gravis injuria irrogatur. Item non est grave, crimen aliquod referre de aliquo, quem audientes non noverunt, nec unquam agnituri sunt, etiamsi nominetur. Imo hoc *per se* omni culpa vacat.

6° Lethale tamen est, saltem communiter loquendo, graviter detrahere alicui Monasterio, licet nullus Religiosus nominetur, v. g. si dicatur, in eo pravam duci vitam, grave peccatum fuisse patratum. Ratio est, quia Religiosi ejusdem Communitatis adeo inter se conjuncti sunt, ut coram externis velut solidarii alii pro aliis censeantur. Hinc tota Communitas apud imprudentes et simplices maculari solet.[3]

527. — 7° Non est mortale dicere de publico ebrioso, eum hac die *inebriatum esse, etsi occulte fecerit;* imo quandoque nullum adest peccatum, si quis omnem famam quoad aliquid amiserit, v. g. si dicas de meretrice, quod fornicata fuerit. Nec est mortale infamem in uno crimine de altero valde affini dedecorare, v. g. si de adultero dicas, eum litteras amatorias misisse, vel de ebrioso, eum cum uxore rixatum esse; quia talis revelatio non est nova infamia, aut saltem non gravis. De disparato tamen et non connexo crimine aliquem infamare potest esse mortale, quia ille, qui dedecorus est in uno vitii genere, non ideo amisit jus famæ quoad reliqua.[1]

8° Non peccat, saltem graviter, qui solatii causa tantum, seclusa detrahendi intentione, alicui amico narrat injuriam ab alio sibi factam, etsi inde aliqua infamia auctori proveniat. Hinc probabiliter excusantur, saltem a mortali, famuli detegentes injurias sibi illatas a dominis, uxores a viris, filii a patre, Religiosi a Prælato, etc.; quia auctor injuriæ non potest esse rationabiliter invitus, remque tam difficilem exigere, ut læsus solatio vel consilio necessario careat. Cavendum est tamen, ne dicatur pluribus, atque apertius nominetur persona, quam necesse sit ad consilium vel solatium.[2]

9° Non peccat graviter, generatim loquendo, qui revelat defectus naturales animi vel corporis alterius, dicendo, v. g. quod sit stupidus, ignarus, etc., quia tales defectus non sunt morales, nec famam notabiliter minuunt. Excipe, nisi grave damnum inde secuturum sit, vel si alter talia sciens magno mœrore afficeretur. Sic aliquando mortale erit illegitimos alicujus natales divulgare. Hæc autem maxime ex circumstantiis pendent.[3]

10° Non licet in genere revelare alterius crimen occultum, simul narrando pœnitentiam actam, quia semper quædam sinistra opinio remanet.

11° *Per se* grave est, nominare directe personam, sed defectus ejusdem solummodo indirecte indicare (dicendo v. g. multa de illo scio, sed patefacere prohibet caritas), si talia apta sunt ad gravem suspicionem ingerendam.

[1] L. IV. 978. [2] L. IV. 967.
[3] L. IV. 978.

ARTICULUS II.

DE RESTITUTIONE FAMÆ.

528. PRINCIPIA. — I. Detractor tenetur ex justitia, quantum fieri potest, 1° ad reparandam famam injuste ablatam; 2° ad compensanda omnia damna temporalia ex diffamatione provenientia et aliquo modo prævisa.

[1] H. A. Tr. XI. 14. [2] L. IV. 973.
[3] L. IV. 967.

Ratio primi est, quia per ablationem famæ irrogata est injuria damnosa; jus enim, quod quisque habet ad famam, auferri privata auctoritate nequit: cum itaque necessaria sit boni injuste ablati restitutio, propterea injuria illa resarciri debet. — Ita *omnes*.[1]

Ratio secundi est, quia omnia damna provenientia ex detractione tribuenda sunt detractori, ut causæ eorum efficaci, sive crimen revelatum sit falsum, sive verum, cum in utroque casu famam injuste detractor læserit. — Ita *communiter*.[2]

II. Obligatio restituendi famam est personalis. Obligatio vero reparandi damna, quæ ex diffamatione orta sunt, est realis, et proinde ad hæredes transit. — Obligatio restitutionis urget etiam si quis mortuis detraxerit. Neque hæredes eam condonare possunt, cum famæ alienæ non sint domini.

529. — III. Restitutio famæ alio modo facienda est a calumniatore, ac a detractore simplici. Hinc

1° *Calumniator* tenetur dicta retractare, et quidem *per se* etiam cum jactura propriæ famæ, si aliter reparatio fieri nequeat; ratio, quia melior est conditio innocentis quam nocentis, et malitiæ suæ imputare debet, quidquid propterea est passurus.

2° *Detractor simplex* dicta retractare nequit, quia sic mentiretur, sed alio modo, quantum in ipso est, famam restituere debet, dicendo, v. g. se male locutum fuisse, se erravisse, aut quid simile; non enim hi solum errant qui a veritate, sed etiam qui a rectitudine recedunt juxta illud:[3] *Errant, qui operantur malum*.[4] Sed sæpe modus ille non sufficit apud intelligentes et astutos, qui potius ex his formulis conjiciunt, verum esse crimen, quod non aperte asseritur esse falsum. Tunc igitur detractor tacendo de dictis, data occasione, cum dexteritate et veritate laudare et honorare debet eum, cui detraxit.

Curet confessarius, ut hujusmodi famæ compensationes, cum commode fieri possunt, ante absolutionem fiant, quia postea difficulter adimplebuntur.[5]

530. *Resolves*. — 1° Qui alium injuste diffamavit verum crimen manifestando, tenetur ad integrum damnum inde proveniens et prævisum, saltem in communi, reparandum; quia injusta illius revelatio est causa vera et unica damni.[1] Hinc qui aliquem hoc modo impedivit ne contractus iniretur cum mercatore, qui honestum lucrum inde fuisset percepturus, pro lucri æstimatione debet ei satisfacere. Item qui alium hac ratione munere privavit, — virum v. g. qui probus jam sit, delicti, quod ante annos aliquot secreto admisit, incusando, — tenetur ad satisfaciendum pro emolumenti amissi ratione. In damnis vero æstimandis *spes* quidem lucri, *speculative* loquendo, cum S. Alphonso[2] considerandа est; at *practice* æstimatio spei ex ipso lucro dijudicanda erit, habita etiam ratione tum laboris, quem muneri amisso impendere cogebatur et quem nunc alii negotio impendit, tum incertitudinis utrum munere diu perfuncturus cæteroquin fuisset, quæ incertitudo in nostra præsertim regione attendenda est. Cfr. Kenr.[3]

2° Qui detraxit per libellum famosum, tenetur, ut efficax sit restitutio, eam facere contrariis scriptis vel publica revocatione. Item innotescere debet reparatio, si cognoscatur diffamationem ad multos pervasisse, sed ignoretur ad quos pervenerit.[4]

3° Item in defectu diffamatoris ad reparationem famæ tenentur, qui ad diffamationem propagandam cooperati sunt, iique omnes pariter tenentur de damnis fortunæ, si quæ acciderint.

4° Diffamator non tenetur ad veniæ petitionem, si famam reparare non possit; quia per veniæ petitionem fama perdita non restituitur; nec ille magis urgetur obligatione veniæ petendæ, quam qui non potest restituere bona fortunæ, in quibus aliquem læserit. — Ita *communiter*.

531. Quæsita. — Quær. 1° *Quænam sint causæ a restitutione famæ excusantes?*

Resp. Sequentes communiter admittuntur:

1° Si delictum quod uni vel pluribus revelasti, alia via publicum evaserit, aut si fama alio modo reparata sit, v. g. per sententiam judicis, etc.

2° Si *prudenter* judicetur, criminis

[1] L. IV. 613. 991. [2] L. IV. 996.
[3] Prov. 14. 22. [4] L. IV. 992.
[5] H. A. Tr. XI. 18.

[1] L. IV. 496. 994. [2] L. IV. 496.
[3] Tr. X. n. 162. [4] L. IV. 495.

memoriam temporis decursu oblivione deletam esse. — In *dubio* autem, crimen *verum* in genere in hominum memoriam non est revocandum, nisi sit periculum evidens, ne infamia illa alio modo in memoriam reditura sit; difficilius enim tunc restitutio effectum desideratum obtinet. Si vero crimen est *falsum*, revocanda est infamatio. Excipe tamen, si majus bonum ipsius infamati forte aliud suadeat, vel si detractori ex retractatione damnum *certum* immineat, quin damnum *dubium* infamati in aliquo casu pluris æstimari debeat.[1]

3° Si restitutio famæ fieri nequeat sine vitæ periculo; quia vita est bonum ordinis superioris quam fama; item si restitutio famæ sit multo minoris valoris ac jactura, quam pati deberet diffamator, v. g. si esset homo honoratus et præsertim bono publico vel Religioni valde utilis.

4° Si reparatio sit moraliter impossibilis ob nimiam locorum distantiam aut alias speciales difficultates, quæ præsertim in reparatione detractionis simplicis reperiuntur; v. g. si, qui audierunt detrahentem, a præoccupata opinione revocari non possint.

5° Si judicetur, detractioni fidem adhibitam non fuisse ab audientibus, ut fit sæpius, quando in iræ calore detrahitur.

6° Si infamatus obligationem expresse vel tacite remiserit, modo remittere possit; imo quandoque sufficit condonatio præsumpta.[2] Eam autem remittere non potest, quando ex ejus infamia sequitur scandalum, aut damnum vel commune vel suorum, etc., v. g. si agatur de infamia sacerdotis, magistratus, etc.[3]

Quær. 2° *An detur obligatio restituendi famam sine formali injustitia læsam, v. g., si quis detrahat ex inadvertentia?*

Resp. Affirm., quia quisque tenetur reparare damnum ex sua actione, licet materialiter tantum damnificativa, proveniens, si commode possit, ut dicemus in Tractatu *de Justitia et Jure*.[4]

532. — Quær. 3° *An infamans teneatur famam restituere etiam coram iis, qui crimen a se revelatum mediate acceperint?*

Resp. Affirm. probabilius, si famam violasti apud audientes, quos *prævidebas* facile infamiam evulgaturos; quia tunc es vera et voluntaria causa damni; secus non teneris.[1]

Quær. 4° *An excuseris a restitutione famæ, si etiam læsus tuam famam violaverit, nec restituere velit?*

Resp. Negat Navarrus, Sporer, et quidam alii; sed *probabilius* affirmandum cum S. Alph.;[2] quia non teneris alteri jus suum reddere, si ille recusat tibi reddere tuum.

Quær. 5° *An tenearis famam pecunia compensare, si eam restituere non possis?*

Resp. Neg., saltem *probabilius*, quia justitia obligat tantum ad reddendum ablatum, aut æquivalens; sed pecunia non fuit ablata per detractionem, neque ipsa est famæ æquivalens, cum sit alterius ordinis.[3] — Damna tamen *prævisa* reparanda sunt ut supra n. 528 diximus.

CAPUT III.

DE CONTUMELIA.

533. — Contumelia est injusta honoris læsio præsenti et scienti irrogata. Honor autem est externa testificatio æstimationis, quæ de alicujus excellentia interne habetur. Præsens vero aliquis esse potest vel personaliter seu physice, vel moraliter per imaginem, perque aliud in quo aliquatenus repræsentetur.

Contumelia autem fieri potest 1° *negative*, per omissionem honoris hic et nunc debiti; 2° *positive*, tum verbis, tum factis seu signis contemptus.

Ad contumeliam referuntur 1° *irrisio*, qua quis verbis et risu contemnitur; 2° *subsannatio*, qua quis gestibus ridiculis irridetur; 3° *improperium*, quo alicui inopia, defectus, vel ortus obscuritas exprobratur.

534. — *Dico* I. Contumelia est peccatum mortale ex genere suo. Est enim quid gravius detractione, quæ *per se* est gravis. Constat præterea ex verbis Scripturæ.[4] *Qui autem dixerit fratri suo: Raca, reus erit concilio; qui autem dixerit: Fatue, reus erit gehennæ ignis.*

[1] L. IV. 998. [2] L. IV. 1003.
[3] L. IV. 1003. [4] L. IV. 994.

[1] L. IV. 991. [2] L. IV. 999.
[3] L. IV. 1000. [4] Matth. 5. 22.

Dico II. Contumelia *per se* strictam inducit obligationem restituendi honorem et reparandi damna, si qua subsecuta fuerint, saltem si in confuso fuerint prævisa, ut patet ex dictis de restitutione famæ.

Licet autem teneamur contumelias tolerare, — animum vindictæ abjiciendo, — quandoque tamen expediet contumelias repellere, quando nempe tolerantia obesse posset bono communi, v. g. si Prælatus tolerando redderetur contemptibilis, et sic subditorum petulantia adaugeretur, etc.[1]

535. *Resolves.* — 1°. Honor publice per contumeliam ablatus, publice est restituendus coram illis, qui dehonorationis testes fuerunt, vel saltem ita, ut satisfactio ad ipsorum notitiam pervenire possit. Sufficit autem, ut satisfactio fiat per aliam personam, quæ nomine dehonorantis veniam petat.[2]

2° Restitui pariter debet honor læsus per contumeliam occultam, quia verum honoris damnum proximo fuit illatum; reparatio tamen occulte fieri potest.[3]

3° Ea honoris restitutio requiritur, quæ censeatur sufficiens ad manifestandam æstimationem juxta personæ offensæ conditionem. Si enim qui dehonoravit fuerit Superior, sufficiet si dehonoratum salutet, domi invisat, aut ei benevolentiam ostendat. Si autem fuerit æqualis, vel *a fortiori* inferior, major requiritur satisfactio, nempe ut præveniat in salutando, cedat locum, veniam petat, etc., si alio modo sufficienter satisfacere nequeat.[4]

4° Si inhonoratus vindictam sumpsit, v. g. alterum percutiendo, vulnerando, . . . *plerumque* pro honore non requiritur ulterior satisfactio; quia ille pro satisfactione videtur acceptare vindictam, alter vero non resistendo videtur fateri suam culpam et æstimationem de altero.[5] — Item a restitutione honoris eximuntur rustici, si inter ipsos impacta mutuo fuerint æqualia convicia aut improperia, quia eo ipso fit compensatio.

5° In praxi multoties expedit, ut confessarius omittat monere pœnitentem in bona fide existentem circa satisfactionis obligationem, maxime si prævideat, monitionem non profuturam esse; vel si putet eum, qui dehonoratus fuit, facile id condonare, aut recusaturum esse reparationem præsertim publicam, ne memoria injuriæ apud alios redeat, aut ne ipse rubore magis afficiatur, etc.[1]

[1] L. IV. 966. [2] L. IV. 984.
[3] L. IV. 985. [4] L. IV. 986.
[5] L. IV. 989.

CAPUT IV.

DE JUDICIO TEMERARIO, SUSPICIONE, ET DUBITATIONE TEMERARIA.

536. — 1° *Judicium temerarium* est firmus assensus ex levibus indiciis conceptus de aliquo peccato vel defectu proximi: distingui debet ab opinione, quæ est assensus minus firmus et cum formidine de opposito.

2° *Suspicio temeraria* est quædam inclinatio ad assensum de malo proximi ex insufficienti ratione.

3° *Dubitatio* est suspensio animi in neutram partem se determinantis.

537. Principia. — I. Judicium *temerarium* de culpa proximi est peccatum mortale ex *genere suo* contra justitiam; quisque enim jus habet ad bonam suî existimationem apud singulos, nec malus præsumi quisquam debet, donec probetur: proinde injuriam gravem proximo infert, qui contra eum in re gravi temere judicat. Sæpius tamen veniale est ob materiæ parvitatem aut actus imperfectionem.

II. Ad gravitatem judicii temerarii requiritur 1° ut sit firmum, seu citra dubium; 2° ut sit plene deliberatum et voluntarium; 3° ut sit in re gravi de persona determinata et cognita; 4° ut innixum sit indiciis, quæ uti levia et inepta ad judicandum cognoscantur. Ratio horum est, quia alias non esset verum judicium, neque vere temerarium, neque graviter proximo injuriosum. Sæpe autem leve est ob defectum alicujus ex commemoratis conditionibus.[2]

III. Suspicio *temeraria*, et dubitatio de labe proximi sunt venialia tantum ex *genere suo*. Ratio est, quia ob debilem et facile mobilem adhæsionem ordinarie leve tantum damnum proximo afferunt, cum famam non tollant, sed tantum minuant et dubiam reddant.[3] — Si quis

[1] L. IV. 988. [2] L. IV. 962.
[3] L. IV. 963.

vero sine ratione, sed ex malevolentia in suspicione vel dubio de re *admodum gravi* persistat, mortale vix effugiet.[1]

538. *Resolves.* — 1° Non peccat graviter, qui de proximo sinistre judicat, si judicium innititur indiciis ad prudentem probabilitatem sufficientibus, quia moralis certitudo et vera probabilitas non adeo distant, ut censeatur gravis injuria habere quasi certum, quod est valde probabile.[2]

2° Non peccat graviter, qui judicando non advertit plene ad motivorum insufficientiam, quamvis advertat se minus prudenter judicare, vel si negligentiam tantum levem admittat in repellendo judicio.[3]

3° Non peccat graviter, qui temere judicat de aliquo indeterminato inter plures, v. g. alicujus cœtus vel communitatis, vel etiam de aliquo determinato quidem, sed sibi ignoto.[4]

4° Non temere judicares, si, audiens aliquid a viro probo et fide digno contra proximum, illud crederes. Multò minus, si suspicareris aut dubitares tantum, cum multo minus requiratur ad prudentem suspicionem aut dubitationem, quam ad prudens judicium; secus autem, si audires aliquid ab homine perverso aut erga alterum male affecto.

5° Suspicio vel etiam dubitatio plane temeraria, nulli scilicet innixa rationi, peccatum mortale esse potest, si versetur circa peccata valde extraordinaria et gravia ratione conditionis personarum, quas respicit; quia hujusmodi suspicio aut dubitatio major injuria est, quam judicium etiam firmum circa peccata minus gravia.[5]

6° Licet damna præcavere ex timore non omnino imprudenti; atque ita, v. g. potes res tuas sub custodia servare, ne surripiantur a peregrino domi tuæ commorante; quia, etsi non possis positive judicare hunc vel illum esse furem, potes tamen optime tibi consulere, cum certo scias inter homines esse aliquando fures, quamvis a furto alieni existimentur.

[1] L. IV. 963.
[2] L. IV. 962.
[3] L. IV. 962 et H. A. Tr. XI. 1.
[4] Ib.
[5] L. IV. 964.

APPENDIX.

DE VIOLATIONE SECRETI.

539. — Secretum in genere dicitur quidquid occultum est: quod rem nostram attinet, secretum vocamus, quidquid vel ex natura sua, vel ex speciali contractu, occultum servari debet.

Triplex distinguitur secretum

1° *Naturale*, si ab ipsa natura imponatur, v. g. si quid scias quod manifestare nequeas sine gravi alterius læsione sive in æstimatione, sive in bonis, etc.

2° *Promissum*, si quis arcanum ab alio audiens vel casu discens, promittat, se id non revelaturum.

3° *Commissum*, si quis alteri quidpiam manifestet, et simul ab ipso silentium circa illud tacite vel expresse exigat.

540. PRINCIPIA. — I. Secretum *naturale* in re gravi obligat *per se* sub gravi, et quidem ex justitia, nisi justa causa excuset. Ratio est, quia ex revelatione secreti sequitur per se damnum proximi, qui jus habet, ne sine causa rationabili lædatur.[1]

II. Secretum promissum obligat *per se* graviter vel leviter pro qualitate materiæ (quæ scilicet citra quamlibet promissionem secretum naturale exigat), et natura susceptæ obligationis, quæ, nisi constet de intentione promittentis volentis se obligare ex justitia, plerumque est ex sola fidelitate. Ratio est, quia contractus continetur simplici promissione, quæ *per se* obligat solum ex fidelitate et juxta intentionem promittentis, ut de voto dictum est.[2]

III. Secretum *commissum* seu *communicatum*, quod dicitur etiam rigorosum, obligat *per se* sub gravi ex justitia, et quidem strictius ac secretum mere naturale, atque etiam promissum; quia præter obligationem naturalem urget etiam obligatio ex contractu oneroso expresse vel tacite suscepta.[3]

541. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *Quænam sint causæ justæ secretum manifestandi?*

Resp. 1° Consensus recte præsumptus illius, cujus interest secretum occultari. — 2° Divulgatio rei aliunde profecta. — 3° Damnum ex secreto secuturum Reipublicæ vel privatis. Attamen si agatur

[1] L. IV. 970. [2] Ib.
[3] Ib.

de damno jam illato, non potes licite secretum commissum revelare, quousque damnificator ipse se prodere non tenetur.[1] Et in hoc differt secretum *commissum* a mere *promisso*, quod in hoc postremo promittens non accepit rei notitiam vi promissionis suæ, sed notitiæ utcumque acceptæ secretum gratuito promittit. Porro dum hoc deinde promittit, etiam addito juramento, non potest per promissionem suam se eximere ab obligatione, qua jam teneatur. Cum ergo quisque judici legitime interroganti teneatur veritatem aperire, promissio secreti ad casum judicis legitime interrogantis extendi non potest. Contra vero accidit in secreto *commisso*. Nam bonum commune postulat, ut ne metu revelationis homines priventur commodo consilii aut auxilii necessarii quærendi, quod tamen quærerent nunquam, nisi certi de secreto servando forent. Postulat ergo bonum commune, ut quousque *committens* licite potest suum secretum servare, jus retineat, ne alter illud prodat. Hinc ratio, cur medici, advocati, obstetrices, theologi consulti, etc. ne judici quidem interroganti rem commisso secreto cognitam aperire teneantur, imo cur teneantur non aperire, quod tamen, quatenus medicos, chirurgos et obstetrices attinet, jure nostro *communi* non agnoscitur, nec a committentibus, utpote quibus hæc juris dispositio nota censetur, exigi potest.

Quær. 2° *An possis revelare secretum, si promiseris illud servare etiam cum vitæ jactura?*

Resp. 1° *Affirm.*, si illud exigat bonum commune, quia promissio facta contra bonum commune nulla est.

Resp. 2° *Neg.*, si agatur de tuo proprio damno simpliciter gravi, quia præstat servare secretum hoc speciali contractu promissum. *Neg.* etiam *valde probabiliter*, si agatur de damno tuo extremo, quia juri tuo expresse renuntiasti, nec illicitum est omittere vitæ conservationem, ut promissum serves. — Ita Lugo, Lacroix, et S. Alph.[2] — Attamen S. Auctor oppositum etiam *satis probabile* merito dicit.

542. — Quær. 3° *An peccet graviter, qui revelat secretum uni vel alteri viro probo sub eodem secreto?*

[1] L. IV. 971. [2] Ib.

Resp. Neg. probabiliter per se; quia in hoc casu gravis injuria erga alium committi non videtur, dummodo non reveletur personæ, cui secretum tibi committens specialiter voluisse illud celari merito præsumitur.[1]

Dixi, *per se;* quia in praxi ob circumstantias secreti revelatio facile gravis evadet, quando scilicet personas, quibus acceptum secretum committis, nimis leviter supponis ita discretas, ut illud sint certo servaturæ, præsertim si cum mulieribus agatur. Etenim tibi commissum est secretum, quia discretus putabaris; si vero illud violes, putasne alium, cui confidis, te ipso discretiorem futurum esse?

Quær. 4° *An graviter peccet aperiens aut legens alterius litteras?*

Resp. Affirm. per se, seu *ex genere suo*. Ratio est, quia jure naturali, et jure gentium obligatio adest secreta litterarum illæsa relinquendi; secus commercium humanum pessumdaretur. — S. Alph.,[2] et alii *communiter*. Et quidem committetur sic in genere peccatum contra justitiam et contra caritatem; mortale vero solum contra caritatem, si existimetur, in litteris contineri res parvi momenti, ille autem, ad quem vel a quo mittuntur, graviter sit inde contristandus. — Idem valet pro iis, qui invito domino furtim scripta aliena legunt, et *probabilius* pro illis, qui litteras in *minutas* partes laceratas jungunt et legunt. — Damnum vero contra justitiam forte illatum reparandum est.

Excipe casus sequentes: 1° si adsit consensus tacitus aut præsumptus illius qui scribit, vel illius ad quem litteræ mittuntur; 2° si cognoscatur vel præsumatur, litteras continere res levis momenti; 3° si justa de causa fiat, v. g. ad damnum publicum aut privatum etiam alterius avertendum, modo ad malum istud propulsandum quis jus habeat litteras aperiendi, nec plus legat, quam ad hunc finem necessarium est. Quibus vero in casibus jure illo gaudeat, v. supra n. 518. — 4° Si litteræ ex levitate aut ex aliqua inadvertentia aperiantur.[3]

543. *Resolves.* — 1° Secretum *promissum* nullo modo obligat, quoties alias te-

[1] L. IV. 971.
[2] H. A. Tr. XI. 5.
[3] L. II. 70.

nebaris rem manifestare, v. g. si legitime interrogeris a Superiore vel a judice.[1]

2° Secretum *commissum* a te servandum est generatim, etiamsi interrogeris a Superiore vel judice, etc.; respondere autem debes, te de hoc nihil scire; quippe ejusmodi notitiam perinde habes, ac si eam non haberes.[2]

3° Eodem modo servandum est secretum *implicite* vel *tacite* tantum *commissum*, ac si *expresse* commissum esset. Sic ad secretum stricte obligantur consiliarii Principum, duces belli, advocati, medici (de medicis cfr. dicta pro hac regione n. 541. quær. 1° in fine), theologi de aliqua quæstione consulti, omnesque universim, quibus vel consilii vel solatii vel auxilii causa secretum committitur.

4° Superior religiosus litteras suorum subditorum aliorumve ad ipsos missas licite aperit sive Religionis statuto, sive ex consuetudine, aut ex prudenti suspicione, quod aliquid minus recti contineant.[1]

5° Superior tamen aperire et legere nequit litteras, quas subditi Superioribus mediatis ac vicissim isti Superiores subditis mittunt; recta enim gubernandi ratio postulat, ut supremi Moderatores cum omnibus subditis libere communicare possint.[2]

[1] L. IV. 970. [2] Ib.

[1] L. II. 70. [2] Ib.

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

544. — Ecclesia gaudet facultate statuendi præcepta fideles sub gravi obligantia. Christus enim legislativam potestatem ei contulit.

Multa existunt Ecclesiæ præcepta, ut ex Jure Canonico constat; præcipua vero, quæ universos respiciunt fideles cujuscumque status aut conditionis, ad sex sequentia reducuntur, scilicet 1° ut festa auctoritate Ecclesiæ instituta fideles colant; — 2° ut saltem diebus Dominicis et festis Sacro intersint; — 3° ut saltem semel singulis annis peccata confiteantur; — 4° ut saltem tempore Paschatis ad S. Eucharistiæ Sacramentum accedant; — 5° ut certis diebus a carnibus abstineant; — 6° ut jejunia statutis temporibus servent.

DE I. ET II. ECCLESIÆ PRÆCEPTO

SEU

DE OBSERVATIONE FESTORUM.

545. — Sancta mater Ecclesia gaudet potestate festa instituendi, eorumque sanctificationem sub gravi omnibus fidelibus præcipiendi, utpote quæ accepit a Christo omnem potestatem in ordine ad bonum spirituale filiorum. Nulla de hoc inter Catholicos controversia agitatur.

Præceptum festa celebrandi, si obligationem respicias, qua aliquo cultu venerari Deum interdum tenemur, divinum sane ac naturale est; quod autem spectat ad tempus diesque huic cultui consecrandos, id in veteri lege per *cæremoniale* præceptum, in nova per *ecclesiasticum* sancitur.[1]

Solus Papa universæ Ecclesiæ festa indicere potest, quia solus in Ecclesiam universam jurisdictione gaudet. Episcopi quoque festos dies instituere in propria diœcesi possunt; habent enim facultatem leges in sua diœcesi condendi. Attamen ex præsenti disciplina, ne nimia Ordinariorum facilitate ultra modum dies festi multiplicentur, vetantur Episcopi, ne Clero fidelibusque contradicentibus, vel de aliquo Beato, festa statuant. — Ita *communiter*. L. II. Decr. Tit. IX. c. 5.[1] Votum celebrandi nonnulla festa de præcepto cum vigilia et processione, licet ab Episcopo confirmatum, non obligat nisi voventes.[2]

Multa olim instituta sunt festa, quæ decursu temporum, refrigescente fidelium fervore vel ob pauperum levamen, in desuetudinem abierunt, vel auctoritate ipsa Ecclesiastica abolita sunt.

546. — Præsens hujus regionis disciplina, in *plerisque* provinciis, novem tantum per annum dies festos ex præcepto servandos injungit, sc. *Immaculatæ Conceptionis B. M. V.* (ex Decr. SS. D. N. Pii P. P. IX. dd. 24 jan. 1868);[3] *Natalis Dni.; Circumcisionis Dni.; Epiphaniæ, Annuntiationis B. M. V.; Ascensionis Dni.;*

[1] L. IV. 263.

[1] L. IV. 266.
[2] S. R. C. 19 nov. 1650. Gardellini.
[3] Conc. Pl. Balt. II. p. CL. Decr. V.

Corporis Christi ; Assumptionis B. M. V. et O. O. Sanctorum. In Luisiana et aliis Statibus meridionalibus, et in quibusdam diœcesibus occidentalibus quinque tantum festa celebrantur, nempe, *Imm. Conc. B. M. V. ;* (ex Decr. Pii IX. supra citato) *Natalis Dni. ; Ascensionis Dni. ; Assumptionis B. M. V. et O. O. Sanctorum.*

DE III. ECCLESIÆ PRÆCEPTO

SEU

DE ANNUA CONFESSIONE.

547. — Præceptum hoc continetur in Concilio Later. IV. sub Innocentio III. habito ann. 1215, canone 21,[1] qui sic se habet : "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti," scilicet Papæ, Episcopo, Parocho vel sacerdoti ab Episcopo approbato. — Bened. XIV.[2]

548. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *Quandonam pueri censeantur annos discretionis attigisse, ut præcepto annuæ Confessionis adstringantur ?*

Resp. Quando sunt capaces peccati mortalis ; quod non ex ætate solum, sed præcipue ex gradu ingenii vel boni malique discretione judicandum est. Satis autem discretionis inesse censetur in iis, qui jam apprehendunt, malum esse mendacium, aut inobedientiam, aut de impuris quibusdam actionibus erubescunt, etc.

Hinc Pastores animarum tenentur puerulos etiam septennes ad Confessionem sensim præparare, et eos, in quibus animadvertunt mortale peccatum etiam dubium, absolvere saltem intra annum vi Concilii Lateranen.[3] In dubio de discretione, absolvantur sub conditione.[4]

Graviter igitur *errant*, neque excusari possunt confessarii, qui pueros sibi commissos nunquam ante primæ Communionis ætatem absolvere volunt.[5]

Quær. 2° *An ille, qui non gravatur mortalibus, teneatur confiteri venialia, ratione præcepti annuæ Confessionis ?*

Resp. Neg., quia Ecclesia illam tantum Confessionem præcipit, quæ est ex Christi institutione. Christus autem nullam aliam præcepit Confessionem nisi peccatorum mortalium, ut explicat Conc. Trid.[1] — S. Alph.,[2] *et alii communiter.*

Cæterum quoad praxim quæstio hæc minimi est momenti ; quis enim fidelis venialibus tantum gravatus omittit semel saltem in anno confiteri, vel ad sacram Synaxim ab anno inconfessus accedere solet ?

Quær. 3° *An teneatur confiteri quamprimum, qui integro anno non est confessus, aut facta occasione, cui per reliquam anni partem ea defutura sit ?*

Resp. ad utrumque. Affirm. Ratio quoad *prius* est quia terminus anni non fuit ab Ecclesia appositus ad finiendam obligationem, sed tantum ad illam urgendam.[3] Ratio quoad *posterius* est quod impotentia excusare non valeat qui voluntariam ejusdem ponit causam. Hinc qui in loco degunt ab ecclesia dissito et omni Sacri ministerii subsidio plerumque carent, debent confiteri, sacerdote eos invisente, si prævideant per reliquam anni partem non fore sibi confessarii copiam.

Quær. 4° *An Confessio annua, quæ Parocho aut alteri ex Parochi venia non fit, valida censenda sit ?*

Resp. Affirm. — Ita *communiter ;* et hodie, inquit S. Alph., certum est ex universali consuetudine. Confer quæ dicenda sunt *de Sacram. Pœnit.*

Vide plura de Confessione in Tractatu *de Sacramento Pœnitentiæ.*

[1] L. V. Decr. T. XXXVIII. c. 12.
[2] De Syn. L. XI. c. 14. n. 2 – 6.
[3] L. IV. 270 et L. VI. 432 – 666.
[4] L. VI. 666.
[5] L. VI. 666.

[1] Sess. XIV.
[2] L. VI. 667.
[3] L. VI. 668.

DE IV. ECCLESIÆ PRÆCEPTO

SEU

DE COMMUNIONE PASCHALI.

549. — I. Præceptum Communionis Paschalis, non secus ac præceptum annuæ Confessionis, divinum est quoad substantiam, ecclesiasticum vero quoad temporis determinationem. Constat de hoc præcepto ex perpetua Ecclesiæ praxi, ex innumeris Conciliis et Constitutionibus Pontificiis, et præsertim ex Conc. Trid.[1]: "Si quis negaverit, omnes fideles teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum Matris Ecclesiæ, anathema sit." — Tempus Paschale ex declaratione Eugenii IV. incipit a Dominica Palmarum et terminatur Dominica in Albis. "Cum vero sacerdotum inopia et locorum distantiæ ferme impossibile reddiderint, ut apud nos tam brevi temporis spatio omnes ad Sacram Synaxim accedere possint, Præsules in primo Concilio Provinciali Baltimorensi suppliciter rogaverunt Sanctam Sedem, ut . . . . facultas sibi fieret *prorogandi tempus Communionis Paschalis a prima Dominica Quadragesimæ ad Dominicam SS. Trinitatis inclusive;* et illorum precibus benigne annuit Rom. Pont. Pius VIII."[2] Aliqui tamen Episcopi arctioribus limitibus tempus illud circumscripserunt. Quisque consulat statuta diœcesis suæ. Annus igitur obligationis apud nos computabitur a tempore, quo ab Episcopo statutum fuerit initium temporis Paschalis.

II. Communio Paschalis in propria parœcia sumenda est, ut aperte colligitur tum ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, tum etiam ex generali Ecclesiæ praxi.

Hinc præceptum Eucharistiæ suscipiendæ triplex est: 1^{um} ad ipsam Communionem, 2^{um} ad tempus, 3^{um} ad locum spectat; ubi autem vel postremum vel secundum impleri nequit, duobus aliis, vel certe primo satisfaciendum est. Cum vero parochiæ apud nos non habeantur, præcepto ubique satisfieri potest.

[1] Sess. 13. can. 9.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 257.

550. QUÆSITA. — Quær. 1° *An qui tempore præscripto omisit Communionem, teneatur quamprimum potest communicare?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia tempus minime determinatum est ad finiendam obligationem, sed ad eam urgendam. Ex dictis enim præceptum communicandi est divinum in se; ergo cum Ecclesia præceptum hoc Paschali tempore adimplendum jubet, ab ipso dispensare non censetur. Constat etiam ex ipsa Ecclesiæ praxi, quæ Romæ fideles censuris ad satisfaciendum præcepto, Paschali tempore elapso, compellit.[1]

Nondum autem cœpto tempore Paschali, nemo tenetur huic præcepto parere, etsi prævideat se postea impeditum fore; sed, incepto tempore illo, tenetur 1) quamprimum obligationi huic satisfacere, si impedimentum prævideat; 2) auferre impedimenta etiam gravia, cum sit præceptum divinum et grave; 3) iterum communicare, etsi S. Communionem, ob impedimentum futurum prævisum, jam anticipaverit.[2]

Quær. 2° *An peccet graviter, qui differt Communionem ad* I^{am} *vel* II^{am} *diem post elapsum tempus Paschale?*

Resp. Affirm., per se. Ratio est, quia licet hujusmodi dilatio in se parva videri possit, pro tempore tamen Paschali est satis notabilis. Nec excusandi sunt a peccato mortali, qui ex gravi negligentia accedunt indispositi ultima die temporis Paschalis, ita ut a confessario ad aliud tempus remitti debeant. Per *accidens* excusantur, qui bona fide existimant satis esse, si ad confessarium tunc accedant inchoandæ Confessionis gratia.

Vide plura de Communione in Tractatu *de SS. Eucharistiæ Sacramento.*

[1] L. VI. 297.
[2] Ib.

DE V. ECCLESIÆ PRÆCEPTO,

SEU

DE ABSTINENTIA A CARNE EXTRA JEJUNIUM.

551. PRINCIPIA. — I. Exstat præceptum ecclesiasticum, omnibus fidelibus impositum, certis diebus a carnibus abstinendi. Constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, ex Catechismis, ex universali consuetudine, et omnium theologorum consensu. Imo præceptum abstinentiæ Apostolicum reputatur, non secus ac præceptum jejunii, a quo primis Ecclesiæ sæculis non separabatur.

II. Præceptum hoc præter tempus jejunii urget, 1° die Veneris cujuslibet hebdomadæ in universo orbe christiano, nisi in hanc diem incidat Nativitas Domini; 2° die Sabbati. Abstinentia tamen die Sabbati ex Sedis Apostolicæ indulgentia apud nos, olim ad annos vigenti, nunc, Episcopis in particulari recurrentibus, relaxatur.[1]

III. Præceptum abstinentiæ obligat *per se* sub gravi, quia materia est *per se* gravis; in eo tamen juxta communem theologorum sententiam admittitur materiæ parvitas.[2]

Quemadmodum autem ab aliis positivis legibus, sic etiam ab obligatione ista dantur causæ excusantes, scilicet impotentia, tum *physica*, tum *moralis* seu magna difficultas, quæ in legis observatione reperitur. — Ita *omnes* theologi cum S. Alph.[3]

552. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An parvulis possint dari carnes illis diebus, quibus prohibentur?*

Resp. Affirm., si usum rationis non sint adepti; secus, *neg.* — Si autem usu rationis potiantur ante septennium *controvertitur;* probabilius *negat* S. Alph.[4] Affirmativa tamen sententia ipsi non videtur improbabilis.[5] Expedit vero, ut pueri ejusmodi abstinentiæ, etiam antequam obligentur, assuescant. — Recole dicta n. 110.

Quær. 2° *Quænam quantitas carnis requiratur ad peccatum grave?*

Resp. Valde controvertitur. Omnes conveniunt gravem esse materiam, quæ notabiliter nutrit; sed ea vix determinari potest. Juxta plures materia gravis excedere debet dimidiam unciam; sed hanc sententiam rejicit S. Alph.,[1] ubi refert et videtur approbare, quod dicunt Salm., materiam parvam esse tantum octavam unciæ partem.

Quær. 3° *An sit peccatum mortale vesci offa, lactucis, etc., carne vel sagimine conditis?*

Resp. Affirm., si ille cibus sit notabiliter jurulentus; secus veniale tantum erit. Hinc mortale est, si jus offæ cum magna carnis quantitate decoctum fuerit, et sic de aliis. Facilius autem excusantur a gravi, vel etiam levi peccato pauperes, qui cum butyrum emere non valeant, exigua sagiminis quantitate ad condiendam offam utuntur.

553. — **Quær.** 4° *Quinam a lege abstinentiæ excusari censeantur?*

Resp. 1° Pauperes mendicantes; manducare enim possunt quidquid eleemosynæ loco accipiunt, ut *communiter* sentiunt theologi.

2° Pauperes operarii, qui nihil aliud habent nisi frustulum sagiminis aut laridi ad offam aut lactucas condiendas.[2]

3° Ægrotantes, v. g. febri laborantes, etc.; ii etiam, qui stomacho ita debiles sunt, ut cibos licitos digerere nequeant; sed ab hallucinatione cavendum est, et medici religiosi et timorati consulendi sunt, si facile fieri possit.[3]

4° Qui quotidie operam dant laboribus adeo arduis et stomachum defatigantibus, ut ægrotantium instar famem non experi-

[1] Kenr. Tr. IV. Parte II. n. 37, et Conc. Pl. Balt. II. p. CXLV. art. X.
[2] L. IV. 1030.
[3] Ib.
[4] L. I. 155 et L. IV. 1012.
[5] Ib. et L. IV. 270.

[1] L. IV. 1029. [2] L. IV. 1008.
[3] L. IV. 1008.

antur, cibosque respuant; cujusmodi sunt qui in fodinis, vel in officinis vitreis et ferrariis vitam degunt. Horum etiam in numero censendi videntur aurigæ, qui, plurium dierum spatio diu noctuque publicos currus ducentes, vix unum vel alterum frustulum cibi deglutire possunt, quod *iisdem in adjunctis* valebit quoque pro iis qui currus ducunt in viis ferreis (*conductors, brakemen*, etc.), non autem pro iis, qui currus, equos vel mulos lente ducunt, et in cauponis nocte feriantur.

5° Viatores, qui præter cibos vetitos nihil in cauponis reperiunt, neque alio facile divertere possunt. Serio tamen et instanter cibos licitos petere tenentur. Sola enim ratio itineris nullo modo a lege abstinentiæ eximit, etiamsi a jejunio ob nimiam defatigationem forte dispenset. Hinc viatores excusari nequeunt ob humanum timorem, ob metum displicendi sociis, ob irrisiones, aliasque hujus generis difficultates; secus enim omnes fere iter agentes ab hac lege eximerentur.

6° Excipiuntur denique milites in castris vel contuberniis versantes, et expensis Gubernii in communi nutriti. "Concessit" præterea "Pius IX., ad preces Episcopi Buffalensis, ut milites et nautæ Americani ab abstinentiæ lege eximerentur universim, sex diebus exceptis, nempe Fer. IV. Cinerum, tribus ultimis Hebdomadis sanctæ diebus, et in Vigilia Assumptionis B. M. V. et Natalis Dni. Id intelligendum de iis, qui actu inserviunt in castris, navibus, præsidiis, non autem qui ex venia absunt. Familiæ cum iis communi victu utentes eo gaudent privilegio, non item quæ procul degunt." [1]

DE VI. ECCLESIÆ PRÆCEPTO

SEU

DE JEJUNIO ECCLESIASTICO.

554. — Jejunium Ecclesiasticum situm est in abstinentia a cibis et a certa ciborum qualitate, et in his provinciis servandum est tempore Quadragesimæ, quatuor Temporum, et quarumdam vigiliarum, scilicet Pentecostes, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, et Nativitatis Domini Nostri, et in *plerisque* diœcesibus singulis Feriis Sextis Adventus.[1]

Agendum 1° de essentia et obligatione jejunii; 2° de causis a jejunio excusantibus.

CAPUT I.

DE ESSENTIA ET OBLIGATIONE JEJUNII.

555. — I. *Fideles omnes*, a vigesimo primo ætatis anno completo, tenentur *sub gravi* ad servandum statutis diebus jejunium, nisi legitime excusentur, vel a Superioribus dispensentur. Est antiquissima obligatio, quæ dicitur ab ipsis Apostolis tradita. Cæterum de hac obligatione constat ex variis SS. Pontificum Constitutionibus, et ex omnibus Provinciarum ecclesiasticarum Catechismis.

Dixi: 1° *sub gravi;* quia lex respicit materiam gravem, quippe quæ ad salutem animarum admodum conducit. Constat insuper ex Propos. 23ª ab Alex. VII. damnata, p. XIV.

Dixi: 2° *a vigesimo primo anno expleto;* quia Ecclesia, pia mater, non vult imponere pueris et adolescentibus legem, eorum vires superantem. Constat ex consuetudine universali, et ex omnibus Catechismis.

II. Jejunium ecclesiasticum tribus tanquam partibus constat, scilicet 1° unica comestione per 24 diei horas, vespertina refectiuncula adjecta; — 2° abstinentia a

[1] Kenr. Tr. IV. Parte II. n. 37.

[1] Conc. Plen. Balt. II. p. 343.

carnibus et in Quadragesima a lacticiniis ; — 3° tempore ad refectionem sumendam determinato. — Animadverte tamen consuetudinem locorum ac temporum maxime conferre ad determinandam, vel modificandam, vel coarctandam legum ecclesiasticarum, maxime jejunii naturam et obligationem.

ARTICULUS I.

DE UNICA REFECTIONE ET REFECTIUNCULA.

§ I. *De unica refectione.*

556. PRINCIPIA. — I. Refectio unica est primaria jejunii conditio : in hoc enim præcipue sita est ejus essentia, qua quidem sublata, nemo unquam jejunare dicitur, dum e contrario jejunium sine abstinentia a carnibus et lacticiniis concipitur.

II. Parvæ autem comestiones, quæ præterea fiant, venialia peccata erunt serosim sumptæ ; at sæpius eodem die repetitæ in gravem materiam coalescere possunt, ut constat ex Propositione 29[a] damnata ab Alexandro VII., p. XIV., et quia secus de jejunio actum esset.

III. Jejunium non frangitur haustu aquæ, vini, aliarumque potionum, quæ de se ordinantur et communiter adhibentur ad sitim sedandam, quamvis juxta primam Ecclesiæ disciplinam Christiani a vino et a similibus liquoribus prorsus abstinuerint. Hinc axioma : *Liquidum non frangit jejunium.*[1] *Per liquidum* autem id solum intelligitur, quod ex *communi usu* sumitur per modum potus, non vero per modum cibi, ut lac, etc.[2]

557. QUÆSITA. — Quær. 1° *An vinum ad famem sedandam haustum frangat jejunium ?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia lex jejunii præcipit tantum abstinentiam a cibo, non autem a potu, et juxta S. Thomam[3] " Statutum legis positivæ non attendit intentionem observantis, sed ipsum actum, eo quod modus virtutis non cadat in præcepto, sed est finis præcepti." — S. Alph.[4]

Quær. 2° *An frangat jejunium potus* cafæi *et* theæ ?

Resp. Neg. probabilius, nisi nimia sacchari copia admisceatur ; quia hæc non habent naturam cibi, sed potus vel medicinæ. — Ita *communius.*[1] — S. Alph. loquens tantum de thea dicit, eam, posita restrictione modo allata, *probabilius* rationem potus habere. Videtur idem de cafæo tenendum esse.

558. — Quær. 3° *An frangat jejunium potus aquæ saccharo immixtæ vel e succis aureorum aut citreorum malorum effectæ ?*

Resp. Neg. per se, id est, nisi magnam eorum substantiæ copiam immisceas, quæ rationem cibi habere censeatur. — Ita *communiter.* — Ratio est, quia hæc omnia ex communi æstimatione tanquam potiones habentur. Præterea S. Alphonsus[2] licere idipsum concedit, etiamsi hæc gelu concreta sint.

Quær. 4° *An potio chocolati frangat jejunium ?*

Resp. Affirm., si pinguem, uti mos est extra tempus jejunii, tibi præbeat nutritionem. — *Neg.* vero, si modica chocolati quantitas, ut apud nos fieri solet,[3] sumatur, et semel tantum in die fiat. Ratio ex generali consuetudine deducitur.[4] — Quænam quantitas sumi potest ? Dicit S. Auctor, non minus quam unciam cum dimidia chocolati in cyathis ordinariis immitti solere ; sic enim ex more ab Ecclesia tolerato, et a piis fidelibus servato communiter fieri solet.

Quær. 5° *An liceat cafœum et theam lacte miscere ?*

Resp., ut ad quæsitum de chocolato ; eadem enim hic valet ratio, servata tamen *in Quadragesima* lege abstinentiæ a lacticiniis, nisi eidem consuetudine derogatum aut in ea dispensatum sit.

559. — Quær. 6° *An liceat die jejunii degustare aliquid cibi, v. g., unciam ante potum, ne hic noceat ?*

Resp. Id sane non licet *toties quoties*, ut aiunt, quamvis Diana, Leander, aliique id quoque concedant ; tunc enim irrisibilis foret lex jejunii. Permitti itaque tantum potest semel aut iterum in die.[5]

Quær. 7° *An electuaria frangant jejunium ?*

[1] L. IV. 1022. [2] L. IV. 1021.
[3] 4 Dist. 15. q. 3. a. 4. q. 1. Sol. I.
[4] L. IV. 1022. Coll. H. A. Tr. XII. 12.

[1] L. IV. 1022. Coll. H. A. Tr. XII. 12.
[2] Ib. q. II.
[3] Kenr. Tr. IV. Part. II. n. 45.
[4] L. IV. 1023.
[5] L. IV. 1018 et H. A. Tr. XII. 11.

Resp. Electuaria dicuntur ea, quæ ex electis rebus, v. g. ex saccharo et junipero, etc. conficiuntur. Non censentur autem illicita diebus jejunii, si per modum medicinæ, et in modica quantitate sumantur. Sufficit autem quælibet causa rationabilis ad excusandum ab omni culpa, v. g. ad ciborum digestionem, stomachum confortandum, oris fœtorem tollendum, vocem conservandam, et similia. — S. Thom.,[1] Sporer, Elbel. — S. Alph.[2] addit, probabiliter eos quoque excusari, qui aliquid sumunt ne vires deficiant, quando prandium ultra horam communem differre debent. — Imo urgebit obligatio aliquid sumendi, si ad jejunium servandum hoc sit necessarium. Nimirum si, adhibito hoc præsidio, potes ferre jejunium, quod aliter non ferres, ipsa jejunii obligatio a te exigit, ut illud præsidium adhibeas. Vid. Croix.[3] Exinde patet, quosdam prorsus male mereri de jejunio, dum vel prætextu consuetudinis, quæ nondum in propria provincia invaluerit, fidelibus interdicunt, ne quid mane sumant, vel hoc ipsum ad meram potiunculam, crustula interdicta, restringunt. Sic enim hoc unum efficiunt, ut plures, qui alioquin jejunii jugum ferrent, illud omnino abjiciant.

560. — **Quær.** 8° *Quænam quantitas cibi censeatur materia levis, si extra refectionem et cœnulam sumatur?*

Resp. Quantitas duarum unciarum. Ita S. Alphonsus.[4]

Quær. 9° *An qui culpabiliter duplicem sumpsit refectionem, graviter peccet, si tertiam superaddat?*

Resp. Neg., saltem *probabilius*. Ratio est, quia præceptum jejunii urget modo indivisibili, durante die præcepti; proinde qui semel illud violavit, non peccat iterum atque iterum comedendo. Ergo patrato semel peccato mortali per jejunii violationem, tota lex tali die urgens violata est. Ergo, etc. — S. Alph.,[5] Mazzotta, Ronc., et alii *communiter*.

Qui tamen frangit jejunium pluries comedens carnes aut lacticinia vetita, toties peccat, quoties comedit.[6]

561. — **Quær.** 10° *An qui inculpabiliter duplicem in die refectionem sumpsit, errore detecto, teneatur sub gravi a tertia abstinere?*

Resp. Affirm., probabilius. Ratio est, quia jejunium *materialiter* tantum, non *formaliter* læsit: quare, cum primum ad legem jejunii advertit, eam, ut cæteri, servare tenetur; secus enim eam formaliter violaret. Ita S. Alph. in *Hom. Apost.*,[1] qui *Vindiciis Alph.*,[2] ob rationem p. LXXXVIII. 2. allegatam, *Operi Majori*,[3] ubi sententia *negans* etiam probabilis vocatur, hic præferendus videtur. Adde S. Doctorem in opere: *Conf. diretto per le conf. della gente di camp*,[4] solam sententiam *affirmantem* referre, cum in opere: *Istr. e pratica pei confess.*[5] solum addat, se non reprobare sententiam *negantem*. Cfr. p. LXXXIX. 4.

562. — **Quær.** 11° *Quid si die jejunii inadvertenter jentatus fueris?*

Resp. 1° Si parum quid sumpseris, v. g. duas cibi uncias, deberes quidem ex more jejunare, quin refectionem ac cœnulam consuetis horis deseras; non enim fuit *substantialiter* læsum jejunium.

2° Si quantitatem sumpseris cœnulæ æquivalentem, transferre debes prandium ad vespertinum tempus, vel a cœnula ipsa abstinere, nisi in grave incommodum hoc tibi cedat.

3° Si tamen ejusmodi quantitas vel duplici fere cœnulæ vel consuetæ refectioni par fuerit, deberes, omisso prandio, vespertinam tantum cœnulam sumere, eam tamen maturius, si absque gravi difficultate exspectare nequeas. Hanc insuper cœnulam pro necessitatis ratione augere posses.

§ II. *De collatione serotina.*

Præter consuetam refectionem licet, ex consuetudine universali a multis sæculis introducta, et ab Ecclesia tolerata, imo tacite etiam approbata, sumere sub vesperam refectiunculam ex levioribus cibis. — Ita *omnes*.

563. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *Quænam cibi quantitas in cœnula sumi possit?*

Resp. Ex hodierna et communi consuetudine *octo circiter cibi unciæ*, saltem ordinarie loquendo, sumi possunt.[6] —

[1] 2. 2. q. 147. a. 6. [2] L. IV. 1019.
[3] L. III. Part. II. 1324. [4] L. IV. 1025.
[5] L. IV. 1030. [6] H. A. Tr. XII. 20.

[1] H. A. Tr. XII. 20. [2] p. 922.
[3] L. IV. 1030. [4] Capo XII. n. 6.
[5] Capo XII. n. 20. [6] L. IV. 1025.

Alii vero permittendam aiunt quartam cœnæ partem. Verum hæc doctrina nimis vaga vel scrupulis obnoxia est. — Quantitas octo unciarum nemini deneganda, major autem concedenda iis, quibus hæc non sufficeret. — S. Alph.,[1] Elbel, Lacroix. — Sane statui nequit regula omnino fixa, cum etiam ad complexionem, munera obeunda, durationem jejunii, etc. attendi debeat. Licet in genere sumere quantum necessarium quis ducit ad evitandam indispositionem, quæ ipsum impediat, quominus officia sua convenienter obeat. — Scav., Gousset. — Habenda etiam est ratio propriæ regionis, sicubi major cibi quantitas necessaria est.

564. — Quær. 2° *Qualis excessus censeatur gravis in cœnula?*

Resp. Omnes conveniunt excessum duarum unciarum esse materiam levem.[2] Vide dicta supra n. 560, q. 8°.

Quær. 3° *An inter octo uncias computandum sit saccharum et lac, quod caffæo aut theæ miscetur?*

Resp. Distinguendo juxta ea quæ n. 557, q. 2°, et n. 558, q. 5° diximus.

Quær. 4° *Quænam ciborum qualitas adhiberi possit in cœnula?*

Resp. Panis, fructus quilibet, olera etiam quælibet, et dulciaria varii generis. Sed imprimis servanda est locorum consuetudo. Plura enim permittuntur in variis diœcesibus, vel provinciis, quæ alibi interdicuntur: sic, v. g. apud nos et alibi generatim caseo vesci licet.

565. — Quær. 5° *An liceat comedere ova et butyrum in cœnula vespertina?*

Resp. Neg., generatim, licet habeatur dispensatio pro lacticiniis, ut constat ex Decreto Bened. XIV. et Clem. XIII. Attamen apud nos ex hodierna consuetudine licet sumere aliquid butyri, aut casei; minime autem ova permittuntur, quia sunt maximæ substantiæ,[3] nisi consuetudo contraria aut dispensatio adsit.

Quær. 6° *An in cœnula permittantur pisces?*

Resp. Affirm., si agatur de pisciculis, præsertim exsiccatis, et probabiliter etiam de piscibus majoribus; putat tamen S. Alph.,[4] ex hisce duarum vel trium unciarum pondus non esse excedendum.

[1] L. IV. 1025. [2] Ib.
[3] Ib. et L. IV. 1027. [4] L. IV. 1028.

ARTICULUS II.

DE ABSTINENTIA CARNIS IN JEJUNIO.

566. Principia. — I. Omnibus fidelibus ratione utentibus, præcepto Ecclesiæ interdicitur esus carnis singulis jejunii diebus. Hinc duplex lege jejunii imponitur præceptum, ut etiam definit Bened. XIV., nempe abstinendi a pluribus refectionibus, et abstinendi a carnibus; contra igitur ac plures antiquiores habent, dispensatus vel impotens quoad unum, non ideo et hoc ipso ab altero excusandus est.[1]

Nomine autem carnis veniunt omnia animalia in terra viventia ac respirantia, ut admittunt communiter theologi ex regula a S. Thoma tradita; non igitur prohibentur pisces, ranæ, limaces, testudines, etc.[2]

II. Tempore quadragesimali prohibentur etiam ova et lacticinia, ea scilicet omnia, quæ originem ex carne ducunt. Constat ex praxi Ecclesiæ, ex ejus dispensationibus et ex Propositione 32ª ab Alexand. VII. damnata, p. XIV. Nunc tamen plerisque in locis conceditur fidelibus fere generalis dispensatio ab illa lege, si pauci dies excipiantur. Imo in multis diœcesibus Episcopi, ex delegata a Romano Pontifice facultate (p. LXXII. 27), quoad esum quoque carnis pro præcipua parte Quadragesimæ dispensationem concedunt.

Cæterum quamvis esus ovorum et lacticiniorum a peccato gravi, per se, excusari non posset juxta communem sententiam, facilius tamen materiæ parvitas in his, quam in esu carnis admittenda videtur.

567. Quæsita. — Quær. 1° *An abstinentia a lacticiniis servari debeat etiam in jejunio extra tempus quadragesimale?*

Resp. Neg. Quia hujusmodi obligatio nulla generali lege imponitur. Est sententia communis, ait S. Alph.[3] Alicubi tamen, v. g. Romæ, invaluit consuetudo, habens vim legis, ut etiam quibusdam aliis diebus, v. g. quatuor Temporibus, ejusmodi abstinentia servetur.

Quær. 2° *An abstinentia a lacticiniis servari debeat in Dominicis Quadragesimæ?*

Resp. Affirm., quia diem Dominicam

[1] L. IV. 1005. [2] L. IV. 1011.
[3] L. IV. 1009.

neque lex, neque consuetudo excipit. — S. Alph.,[1] et alii *communiter* contra nonnullos, quorum sententia non est probabilis juxta S. Alph.

568. — **Quær. 3°** *An tempore Quadragesimæ liceat in refectione comedere panes ovis confectos ?*

Resp. Neg., nisi ova fuerint permissa; ratio est, quia eorum substantia non deperditur ex eo quod farinæ misceatur.[2]

Quær. 4° *An dispensati ad lacticinia censeantur eo ipso etiam dispensati pro ovis ?*

Resp. Affirm., quia hæc *ex consuetudine æquiparantur* (n. 145), nisi distinctio clare in dispensatione exprimatur.

Quær. 5° *An dispensati ad carnes diebus jejunii possint comedere etiam pisces ?*

Resp. Neg. Si agatur de comedendis piscibus in eadem refectione. Constat ex Constit. Bened. XIV. : *Non ambigimus.* Vide tamen *Resp. circa Jejunium, quæs.* 5 et 10 p. L., LI. Dicitur in 10° quæs. "*diebus jejunii*"; nam hujusmodi permixtionem licere diebus quibus sola abstinentia servanda est, patet ex Resp. ad *quæs.* 6° p. LI.

569. — **Quær. 6°** *Utrum fideles exempti a lege jejunii ob artes laboriosas, tempore Quadragesimæ, cum esus carnis et lacticiniorum omnibus ad unam refectionem permittitur, possint carnibus et lacticiniis vesci pluries in die, haud secus ac in Dominicis diebus ejusdem Quadragesimæ, in quibus non urget obligatio jejunii ?*

S. Pœnitentiaria (*die* 16 *jan.* 1834) *respondit :* Fideles, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, licite posse in Quadragesima, cum indultum concessum est, omnibus diebus Indulto comprehensis vesci carnibus aut lacticiniis, per idem Indultum permissis, quoties per diem edunt. Hoc autem non valet in diœcesi, cujus Episcopus auctoritate apostolica concedit fidelibus, ut feria 2ª, 3ª, 5ª temporis Quadragesimæ possint semel in die vesci *carnibus* et ovis; iis vero, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non tenentur, permittit *ut ovis sæpius in die utantur*. Sic declaravit S. Pœnitentiaria, die 27 maii 1863.

570. — **Quær. 7°** *Quid de Catholicis diebus abstinentiæ carnes præbentibus acatholicis, quibus ad eorum mensam esse contigerit ?*

Resp. Non sunt culpandi, si vel 1° ipsis id permittitur vi Indulti Apostolici quod Episcopi nostri impetrare et confessariis communicare solent (vide p. LXXII. 5); vel 2° concurrat justa aliqua causa, dummodo tamen utroque in casu absit scandalum et ecclesiasticæ legis contemptus.

ARTICULUS III.

DE HORA REFECTIONIS.

Nostris temporibus, ex *universali consuetudine*, licite refectio fere sub meridie sumitur.[1]

571. QUÆSITA. — **Quær. 1°** *An hora refectionis pertineat ad essentiam jejunii, ita ut graviter peccet, qui notabiliter eam anticipet ?*

Resp. Sententia, quæ affirmat, sola S° Alph°[2] probabilis est.

Quær. 2° *An frangatur jejunium, si cœnula meridie, refectio autem vespere sumatur ?*

Resp. Non frangitur essentialiter, et proinde si fiat sine causa, non excedit peccatum veniale. Verum etiam ab hoc veniali excusat causa rationabilis, et loci aut conditionis consuetudo. Imo multis in locis ex consuetudine hodierna fieri potest cœnula hora decima matutina, et refectio vespere. Consonat *Resp. ad quæs.* 1. inter *Responsa circa jejunium*, p. L.

Quær. 3° *Quamdiu prandium protrahi possit ?*

Resp. Nihil absolute circa hoc determinari potest; non videtur autem absque aliqua culpa protrahi posse ultra duas horas. — S. Alph.,[3] Lacroix, Billuart, etc.

572. — **Quær. 4°** *An frangat jejunium, qui refectionem interrumpit, et elapso intervallo ad eam rursus accedit ?*

Resp. 1° Si interruptio sit levis, v. g. sesqui quadrantis, aut etiam semihoræ, omni culpa caret, etiamsi absque ratione fiat.[4]

2° Si interruptio sit unius fere horæ sine ratione, non caret aliqua culpa levi, ut videtur.

[1] L. IV. 1007.
[2] L. IV. 1009.
[1] L. IV. 1016 et H. A. Tr. XII. 9.
[2] H. A. Tr. XII. 21.
[3] L. IV. 1020 et H. A. Tr. XII. 10.
[4] Ib.

3° Si interruptio sit valde notabilis, v. g. duarum horarum, non potest excusari a peccato gravi, quia dici nequit unica refectio, nisi justa causa excuset.

Si autem interruptio gravi de causa habeatur, nullum est peccatum ad mensam redire, etiam mora notabili interposita, quando præcedens refectio sufficiens non fuerit; quia Ecclesia nunquam intendit obligare ad diem sine sufficienti refectione transigendam.[1]

Quær. 5° *An ille, qui a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi, possit iterum mensæ accumbere?*

Resp. Affirm., probabiliter, si convivæ adhuc comedant, vel si in mensa apponatur novum ferculum, quod ipse ignorabat apponendum, vel si interruptio fuit levis. Ratio est, quia adhuc moraliter idem prandium censetur.[2]

Quær. 6° *Si quis mane, itineris causa, jentaculum sumpserit, an teneatur jejunare, si postea non proficiscatur?*

Resp. Affirm., per se. Ratio est, quia cum essentia jejunii non sit adhuc destructa, pergit urgere illius obligatio. Excipe tamen, si per unicam illam comestionem non possit ille commode reliquo die jejunare.[3]

CAPUT II.

DE CAUSIS A JEJUNIO EXCUSANTIBUS.

Causæ excusantes a jejunio ad tres præcipue revocari solent, scilicet 1° ad impossibilitatem sive physicam, sive moralem; 2° ad pietatem vel caritatem; 3° ad dispensationem, sicut de aliis præceptis dictum est.

573. *Resolves.* — 1° Excusantur a jejunio pauperes ostiatim mendicantes, aliique omnes, qui nec habent, nec sibi providere possunt, unde *æquam* refectionem comparent.[4]

2° Excusantur ægroti, infirmi, convalescentes et debiles, v. g. qui febri tertiana vel quartana laborant, vel ab ea convalescunt; ii præterea, qui nisi bis reficiantur, *notabilem* ex vacuitate stomachi capitis dolorem aut vertiginem patiuntur.[1]

3° Excusantur illi, qui exercent opera admodum laboriosa, ut arare, fodere, secare lapides, onera gravia portare, et alia hujusmodi.[2]

4° Excusantur famuli et famulæ aut alii ejusmodi, cum tot tantisque occupantur laboribus, ut jejunium cum his conjungi absque magna difficultate vel incommodo non possit; item iter pedibus agentes per notabile tempus cum magna defatigatione.[3]

5° Non autem *per se et ordinarie* excusantur tonsores, sartores, pictores, scribæ, famuli, pedissequi, typographi qui prælum non versant, sed characteres tantum disponunt, cæterisque similibus operam dantes.[4] Idem resolve dum prælum machinæ, non brachiorum motibus versatur.

6° Huc etiam refer *Responsa circa jejunium ad quæs.* 2 et 3, p. L., e quibus concludes a) excusari a peccato uxorem, filiosfamilias et famulos in casu posito carnes comedentes, dummodo tamen illa comestio non exigatur in contemptum religionis, aut, si ita exigatur, comedentes significent se religionem revereri et necessitate facere quod faciant. Famuli vero hujusmodi famulatum deserere tenentur, si sine suo gravi damno alium, in quo leges Ecclesiæ servare possint, habere valeant. b) Puellam, quæ diebus vetitis manducat carnes, verens ne pater acatholicus vehementer excandescat, eam ad Catholicam Ecclesiam transiisse percipiens, neque fidei negatæ, neque violati jejunii ream esse; "non tamen," addit Kenrick,[5] "ob irrisionem vel levem aliquam molestiam erit excusanda." Adderem 1) idem resolvendum de uxore et de filio, si illa respectu mariti, hic respectu patris iisdem in adjunctis versetur; non tamen idem concederem marito respectu uxoris; nam ille hujus iras facilius contemnere poterit; 2) illud filio difficilius concedi posse quam filiæ; ille enim, præsertim si adolevit et hac specialiter in regione, parentum ope generatim minus indiget; 3) nulli horum id diutius concedendum quam ad illud usque tempus, quo

[1] L. IV. 1020. [2] L. IV. 1020.
[3] Ib.
[4] L. IV. 1033 et H. A. Tr. XII. 23.

[1] L. IV. 1033. 1034. [2] L. IV. 1041.
[3] L. IV. 1041. [4] Ib.
[5] Tr. XIII. 30.

conversionem suam ad Fidem Catholicam occultare sibi licitum sit aut possibile.

7° Ubi labor *per se* excusat, in dubio præsumptio stat pro exemptione jejunii; e converso, ubi labor non per se, sed *per accidens*, nempe ob aliquam circumstantiam debilitatis personæ, vel gravitatem laboris excusat, in dubio præsumptio stat pro obligatione jejunii.[1]

8° Advertit Kenrick,[2] in hac regione cibos esuriales, quibus semel per diem vescens quis satis reficiatur, non facile comparari, et quæ ex solo Americano nascuntur, succi et nutrimenti plurimum haud continere atque ideo nostrates facilius a jejunio excusari. Adderem et hanc rationem, diebus jejunii Americanos privari carnibus, quas ad jentaculum vel ipsi operarii comedere solent, quæ privatio illis jejunium reddit difficilius.

574. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An juvenes viribus validiores jejunare teneantur ante* 21^{um} *ætatis annum expletum?*

Resp. Neg., quia lex, ut accipitur et consuetudine approbata determinatur, obligat tantum eos, qui annum 21^{um} expleverunt: in hoc enim attenditur ad id tantum, quod communiter accidit. Suadendum tamen est juvenibus, ut pro modo suæ ætatis interdum jejunent, quo facilius, cum tempus obligationis advenerit, jejunii legem servare queant.[3]

575. — **Quær.** 2° *An excusentur a jejunio senes sexagenarii?*

Resp. 1° Excusantur sane, si sint viribus debiles, ut patet. Imo excusantur etiam juxta communem sententiam in dubio de validitate virium; quia tunc præsumptio stat pro earum imbecillitate.[4]

Resp. 2° Si viribus polleant, *controvertitur*. Prima sententia negat, eos jejunii lege eximi, quia illi qui in ea ætate vires validas habent, ut senes non reputantur. — Laymann, Antoine, Collet, etc. "Hæc quidem sententia est probabilis," ait S. Alphonsus,[5] "sed non minus probabilis est sententia opposita, quam tenent Sanchez, Roncaglia, Salmant. . . . Ratio est, tum quia sic fert universalis consuetudo, ut communius testantur Doctores; tum quia alias esset res multis scrupulis obnoxia, examinare an aliquis sexagenarius sit, necne, sufficienter robustus ad jejunium sustinendum. Sed ratio potior est, quia hujusmodi senes, tam ob virium imbecillitatem, quam ob defectum caloris, nequeunt simul alimentum sufficiens sumere, egentque cibo frequentiori, et licet nonnulli in tali ætate robusti videantur, eorum tamen robur est de facili illusivum et inconstans, cum negari non possit, in hujusmodi senibus vires deficere et prolabi in interitum. . . . Hinc commune adagium: Senectus ipsa est morbus." — S. Doctor loquens de quæstione, an mulieres quinquagenariæ sola ætatis ratione a jejunio excusentur, respondet: "Sententiam" (affirmantem) "non audeo improbare, sed neque audeo probabilem dicere, dum video illam a Laym., Tamb., et Croix cum aliis omnino rejici, et Dianam dubitare de sua probabilitate."[1]

576. — **Quær.** 3° *An excusentur a jejunio fabri, artifices, etc., si sint adeo robusti, ut jejunare sat facile possint?*

Resp. Affirm., probabiliter, quia consuetudo eximit generatim omnes qui ejusmodi artes exercent; leges autem non respiciunt id, quod raro et per accidens evenit, sed quod communiter et *per se* contingit. Negant autem etiam probabiliter Concina Bonacina, etc. — "Hæc secunda sententia," ait S. Alph.,[2] "speculative loquendo videtur probabilior, sed in praxi vix reperietur unus, qui ex hujusmodi labore non graviter relaxetur."

Quær. 4° *An excusentur a jejunio opifices iis diebus, quibus a labore abstinent?*

Resp. Affirm., si uno vel altero tantum die labores intermittant, ratione reficiendæ laxitudinis, et servandarum virium ad proximos labores sustinendos. — Ita *communiter*.

Quær. 5° *An excusentur artifices divites, qui a labore diebus jejunii cessare possint?*

Resp. Affirm., probabilius. Ratio est, quia interest Reipublicæ, ne causa jejunii operarii intermittant exercere artes, quibus ex suo officio incumbunt. Id etiam constare videtur ex declaratione Eugenii IV. apud S. Alph.[3] Neque mens est Ecclesiæ ut fideles ab ordinariis occupationibus impediantur. — Ita *communiter*.

[1] L. IV. 1049. 7°. [2] Tr. IV. P. II. 60.
[3] L. IV. 1035. [4] L. IV. 1036.
[5] L. IV. 1036.

[1] L. IV. 1037. [2] L. IV. 1043.
[3] L. IV. 1042.

577. — Quær. 6° *An peccent, qui sine justa causa inusitatum laborem et cum jejunio incompossibilem assumunt?*

Resp. Affirm., per se, etiamsi in fraudem legis non agant; lex enim, quæ jejunium imperat, consequenter jubet, ne absque ratione apponantur causæ, quæ ejusdem satisfactioni adversentur. — Ita *communiter*. Cfr. n. 139.

Dixi *absque ratione:* quia justa interveniente causa suscipere licet laborem cum jejunio incompossibilem, quamvis labor iste inusitatus sit, v. g. ad maximum percipiendum lucrum, etc. Sola autem meri oblectamenti ratio nunquam sufficit, nisi alia causa honesta accedat.[1]

Quær. 7° *Quale iter justa de causa pedibus susceptum a jejunio eximat?*

Resp. Communiter aiunt, requiri ac sufficere iter 5 ferme leucarum, hoc est quindecim mille passuum; quod si vel perardua foret via, vel tempestas immitis, vel viator debilis, itinerique non assuetus, excusari posset itinere duarum leucarum,[2] vel etiam breviori. — Excusantur proinde litterarum latores et alii, qui per totum diem circumcursant urbem negotiorum causa. Item probabiliter famuli, qui jugiter per diem inserviunt, circumeuntes ad emendum, ad comitandum, ad litteras ferendas et similia.

578. — Quær. 8° *An et quando excusetur iter faciens equo, rheda, vel in via ferrea?*

Resp. Pendet ab adjunctis, et sic iter unius diei poterit excusare aliquem qui illud magno labore conficere deberet, aut esset viribus debilis, aut si tempus esset pluvium et via aspera et laboriosa.[1] Kenrick,[2] generatim excusat, qui publicis curribus vehuntur per totum diem ac totam fere noctem, etiam in via ferrea.

579. — Quær. 9° *An vel quomodo excusentur concionatores, magistri scientiarum et confessarii?*

Resp. 1° Concionatores, qui quotidie vel fere quotidie concionem habent, communiter ratione pietatis ac muneris a jejunio excusantur. Potiori etiam jure missionarii, qui graviori defatigatione in missionibus exercentur. Generatim loquendo non excusantur concionatores, qui ter aut quater tantum in hebdomada concionantur; sed in hoc standum est judicio prudentium.[3]

Resp. 2° Magistri scientiarum excusantur, si magno studio et labore indigeant ad lectiones parandas; non autem ii, qui e scripto tantum tradunt lectiones jam prius ordinatas ac sæpius repetitas. . . . Palaus autem et alii apud Croix, dicunt, magistros grammaticæ, qui per quatuor horas docent, non teneri jejunare plusquam tribus diebus in hebdomada.[4]

Resp. 3° Confessarii non excusantur per se, sed tantum cum extraordinarium laborem subeunt, v. g. cum pluribus succedentibus diebus Confessiones audire debent, ut in Missionibus fieri solet, vel cum ita sunt debiles viribus, ut sine gravi incommodo pœnitentium frequentiæ satisfacere nequeant.[5]

[1] L. IV. 1046. [2] L. IV. 1047.

[1] L. IV. 1047. [2] Tr. IV. P. II. 57.
[3] L. IV. 1049 et H. A. Tr. XII. 34.
[4] L. IV. 1049. 5. [5] L. IV. 1049. 5.

TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

NOTANDUM. — Ea, quæ in hoc et sequenti *de Contractibus* tractatu ex legibus civilibus allegantur, pleraque ad solum Jus Commune (*the common law*) spectant. Neque enim omnes singulorum Statuum in hoc Compendio afferri potuerunt, vel etiam cum aliqua utilitate afferrentur leges, quibus Juri Communi in singulis Statibus aut derogatur aut aliquid additur, et quæ in dies mutantur. Caveat igitur lector ne ea aut sola aut in singulis Statibus omnia valere putet, sed consulat etiam leges locorum, in quibus Sacro Ministerio incumbit. — Advertat præterea, in animo mihi non fuisse Jurisperitum efformare, sed Moralistam, cui satis est id circa leges civiles nosse quod necessarium est ad ingerendum sibi et aliis dubium, de quo consulat vel consuli curet sive libros, sive jurisperitos.

PARS PRIMA.

DE NATURA ET PRINCIPIIS JUSTITIÆ ET JURIS.

Seu 1° de notionibus generalibus justitiæ et juris; 2° de præcipuis juris speciebus.

CAPUT I.

DE NOTIONIBUS GENERALIBUS JUSTITIÆ ET JURIS.

ARTICULUS I.

DE NATURA JUSTITIÆ.

580. *Definitio.* — Justitiæ nomen multiplici sensu usurpatur, etiam in Sacris Litteris, et significat 1° omnium virtutum complexum; 2° caritatem seu gratiam sanctificantem; 3° generatim actum rectum; 4° quemlibet habitum bonum; 5° denique virtutem specialem e quatuor cardinalibus. In hoc tractatu sumitur ut *virtus moralis constanter inclinans hominis voluntatem ad reddendum alteri jus suum ad æqualitatem.*

Dicitur: 1) *Virtus*, seu habitus agendi honeste (v. n. 247); honeste enim agit, qui suum cuique reddit.

Dicitur: 2) *Moralis*, non theologica, quia non Deum, sed hominum honestatem habet pro objecto suo *immediato.*

Dicitur: 3) *Constanter inclinans;* nam virtus supponit *habitum*, non actum aliquem transitorium (v. n. 247); qui enim semel tantum aut bis, non vero semper et in omni eventu jus suum cuique vellet reddere, virtutem justitiæ non haberet.

Dicitur: 4) *Hominis voluntatem;* justitia enim principaliter est actus et habitus voluntatis, non vero intellectus aut memoriæ.

Dicitur: 5) *Ad reddendum alteri;* quia justitia est semper ad alterum; cum nemo justus erga seipsum dici possit. Nemo enim dici potest habere et carere simul; porro justitia habentem et carentem supponit, siquidem redditio debiti exigit habentem seu reddentem, et carentem seu recipientem.[1]

Dicitur: 6) *Jus suum. Jus* hic sumiter non *formaliter*, seu ut legitima facultas ad aliquid; sed *objective*, ut debitum rigorosum, ex cujus violatione non solum contrahitur turpitudo moralis, ut in omnibus iis, quæ debentur ex titulo *honestatis*, puta gratitudinis; sed stricta obligatio restitutionis.

Dicitur: 7) *Ad æqualitatem;* quibus verbis intelligitur rem, quæ redditur arithmetice adæquare debere jus alterius.

[1] Lugo. disp. l. n. 19, 31.

Sic qui centum nummos creditori debitos solvit, servat æqualitatem; quia hæc summa jus creditoris perfecte adæquat. Cfr. dicta n. 247, ubi de medio *rei* et *rationis*.

581. *Divisio.* — Justitia aliis triplex est, aliis quadruplex. Qui triplicem admittunt, aliam *legalem*, aliam *distributivam*, aliam *commutativam* dicunt; qui vero quadruplicem, enumeratis interponunt et *vindicativam*.

1° *Legalis* est virtus specialis, qua quis fertur in bonum reipublicæ seu communitatis, cujus est pars.[1] Vocatur *legalis*, quia *legis* præsertim est ordinare ad bonum commune, ideoque, ut loquitur S. Thomas,[2] "est in principe principaliter et quasi architectonice" (quia nempe modum conferendi ad bonum commune præscribit), "in subditis autem secundario et quasi administrative."

2° *Distributiva* inclinat superiorem ejusve ministros ad *æqualem* seu justam distributionem onerum et bonorum. *Æqualitas* autem, justitiæ *distributivæ* propria, est secundum proportionem *geometricam*, non vero, ut in commutativa, secundum *arithmeticam*. Sic, si sunt duo, quorum unus habet merita vel capacitatem ferendi onera ut quatuor, alter ut octo, posterior excedit priorem in distributione bonorum vel onerum secundum duplum, ita ut, si prior accipiat vel solvat viginti, posterior accipiat vel solvat quadraginta.[3] Justitia distributiva principaliter quidem est in principe; est tamen "etiam in subditis, quibus distribuitur, in quantum scilicet sunt contenti justa distributione."[4]

3° *Vindicativa* inclinat principem ad sontes pœnis congruis pro societatis bono plectendos.

4° *Commutativa* inclinat voluntatem ad jus suum strictum unicuique reddendum, servando æqualitatem rei ad rem, seu arithmeticam. Vocatur *commutativa*, quia circa commutationes et contractus præcipue versatur.

582. *Nota.* — a) S. Alphonsus *vindicativam* non memorat ut speciem distinctam justitiæ, et communius DD. eam ad *legalem* revocant, quatenus aut superior, crimina ulciscendo, prospicit bono communi, aut privatus eodem affectu punitionem criminum exoptat, seu exigit; ad *distributivam* vero, quatenus criminum *gravitati congruas* pœnas infligit; denique ad *commutativam*, quatenus ex *officio*, seu ex quodam quasi contractu cum Republica de recte administrandis negotiis publicis, judex tenetur delicta punire, non secus ac custos tenetur furem arcere, itemque non graviorem, quam res aut lex ferat, pœnam crimini infligere.[1]

b) Divisio justitiæ in legalem, distributivam, vindicativam et commutativam non est habenda, nec a theologis habetur, ut partitio alicujus generis in species; aliis verbis: tres aut quatuor illæ species non sunt *stricti nominis* justitiæ, seu tales, quibus definitio n. 580 data *omnino* conveniat. Tres enim secundum definitionem illam conditiones ad veri nominis justitiam requiruntur: 1) ut sit ad alterum, seu non sit nisi inter ea, quæ ita sunt invicem distincta, ut unum non sit aliquid alterius; 2) ut in uno sit verum jus; in altero verum debitum; 3) ut servetur æqualitas. Jam vero conditio prima *haud perfecte* invenitur in *legali*, cum ea non sit *omnino* ad alterum. Ut enim habet S. Thomas:[2] "Omnes, qui sub communitate aliqua continentur, comparantur ad communitatem sicut partes ad totum: pars autem id, quod est, totius est." Et Card. De Lugo:[3] "Communitas non distinguitur a suis membris, ut constat; et ideo non ita respicit bonum commune, ut præscindat a bono operantis; sed potius ideo illud respicit, quia censetur esse bonum etiam ipsius operantis, sicut bonum corporis est bonum membrorum: justitia autem proprie respicit bonum alterius præscindendo omnino ab utili meo." — Secunda conditio non reperitur in *distributiva*, et ideo præcise, ut infra dicetur, ejusdem læsio *per se* non infert onus restitutionis. Remanet igitur sola *commutativa*, deque ea sola in hoc Tractatu agetur. Cum tamen reliquæ quidpiam quasi per analogiam a stricti nominis justitia participant, justitiæ *secundum quid* appellari solent,[4] et hoc

[1] Lugo. disp. 1. n. 62.
[2] 2. 2. q. 58. a. 6.
[3] Lugo. De Just. Disp. 1. n. 45. S. Th. 2. 2. q. 61. art. 2.
[4] S. Th. 2. 2. q. 61. art. 1 ad 3.

[1] S. Th. 2. 2. q. 80. [2] 2. 2. q. 58. a. 5.
[3] De Just. Disp. 1. n. 68.
[4] De Just. Disp. 1. n. 50. 68. 70.

sensu theologi intelligendi sunt cum triplicem aut quadruplicem justitiam distinguunt.

Objectum igitur *materiale* justitiæ est actio alteri debita; *formale* eadem actio *prout* alteri debita. — Fundamentum autem justitiæ est *jus*.

ARTICULUS II.

DE NATURA JURIS.

583. *Definitio.* — In *stricto* sensu jus dicitur *facultas legitima ad aliquid.*

Dicitur: 1° *facultas*, i. e. potentia seu capacitas; neque enim jus necessario involvit *actuale* alicujus rei dominium.

Dicitur: 2° *Legitima*, i. e. lege justa non impedita; non enim jus habemus ad omne id, quod physice possumus. Lex vero facultatem ad aliquid dupliciter impedire potest, ita nimirum ut vel *ipsam* tollat facultatem, vel facultatis *usum* reddat peccaminosum. Ad jus dominii sufficit, ut eam priori modo non impediat. Sic prodigus non potest dici carere facultate res suas inutiliter expendendi, dummodo id faciat sine læsione juris *stricti* alterius; peccat tamen contra legem naturalem prohibentem, ne eas sic expendat. Differunt igitur v. g. *jus* naturale et *lex* naturalis, quia non omne, quod juri naturali, idem legi naturali est consentaneum.

Dicitur: 3° *Ad aliquid*, i. e. ad aliquid *vel* agendum, *vel* acquirendum, *vel* retinendum. In primo casu facultas seu potestas dicitur *activa;* in secundo *passiva;* in tertio *resistiva.*

584. — Sensu *latiori* jus significat etiam 1) quod est rectæ rationi consentaneum; quo sensu Terentius, ut adolescentes arceret a malorum consortio, inquiebat: "Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum et æquum sciunt?" 2) Scientiam ipsam juris, seu legum; et ideo in hac scientia versatos *Jurisperitos* vel *Jurisconsultos* vocamus. 3) Ipsam collectionem legum, quibus regitur homo in religiosa vel civili societate; quo sensu venit *Corpus Juris* tum *Canonici*, tum *Civilis.* 4) Legem vel regulam juris, et sic dicitur; jus divinum, naturale, positivum, humanum, civile, canonicum, gentium, etc. 5) Judicis sententiam vel locum, ubi judicia fiunt: unde dicitur judex *jus* dicere, et reus in *jus* vocari. 6) Rem ipsam, quæ rigorose debita est: sic res nostra dicitur *jus nostrum;* et jus ita sumptum est justitiæ *objectum.* 7) Titulum quemlibet, quo res debita est, et sic legitima possessio agri dicitur jus domini ad agrum. Ut fundamentum justitiæ est *jus*, ita juris fundamentum est *titulus.*

585. — Titulus est ratio ipsa debiti vel juris, seu fundamentum obligationis vel facultatis aliquid exigendi. Duplex distinguitur, nempe titulus *Honestatis* et titulus *Proprietatis.* Prior consistit in conformitate cum legibus ordinis moralis, seu ille est, qui fundatur in exigentia ordinis moralis, vi cujus homo ad Deum, ad semetipsum et ad alios homines obligatur. Sic jurisdictio et paternitas sunt tituli honestatis, ad subditorum scilicet obedientiam et ad filiorum amorem, etc. *Posterior* vero consistit in connexione rei cum proprietario, independenter ab aliis hominibus spectato. Dixi: *independenter.* Duplex autem distinguitur independentia, *metaphysica* scilicet et *moralis.* Prior est exemptio ab omni subjectione erga alium in iis, quæ pertinent ad *esse* sibi proprium et absolutum. Sic v. g. homo individuus est metaphysice independens ab alio quolibet homine quoad corpus, animam, et alia omnia, quæ esse suum absolutum constituunt. — *Posterior* vero esset exemptio ab omni obligatione erga alium in iis, quæ pertinent *ad esse individui relativum.* Talis esset v. g. independentia cujuslibet hominis, si ad statum socialem non fuisset destinatus. Titulus igitur *proprietatis* essentialiter differt a titulo *honestatis.* Etenim ex dictis titulus proprietatis fundatur in *esse* hominis *absoluto*, seu in individuo, quatenus est metaphysice independens ab aliis quibuslibet, dum titulus honestatis rationem tantum habet in *esse* hominis *relativo.* Hinc titulus proprietatis solus fundat jus *proprie* dictum. Etenim jus illud tale est, ut res, ad quam vel in quam sese extendit, possit dici aut fieri domini vere propria; porro solus titulus proprietatis potest facere, ut res fiat domini propria et ita vocetur, quia solus fundatur in independentia metaphysica, vi cujus

homo facultatem sortitur jus suum sibi vindicandi.

586. *Divisio.* — Jus præcipue dividitur in jus ad rem et jus in re. Jus *in re* (*a complete and perfect right*[1]) est illud, quod quis habet in re *jam* sua, atque adeo tribuit *rei* vindicationem, seu actionem in rem ipsam. Sic venditor, emptore pretium solvere nolente, actionem habet in rem venditam. Jus autem *ad rem* (*an inchoate and imperfect right*) est illud, quod quis habet ut res *fiat* sua, et ideo tribuit tantum actionem personalem contra abnuentes seu impedientes rei ipsius acquisitionem; efficit nempe, ut persona possit per judicis sententiam cogi, ut rem vel ejus pretium tradat; non autem efficit, ut res ante sententiam possit occupari, ut potest si agatur de jure in re. Jus *ad rem* igitur nihil aliud est, quam titulus et medium, quo acquiratur jus *in re*.[2] Sic testamentum constituit jus *ad rem*, seu ad legatum in eo relictum, et dat actionem contra illos, qui illud detinent.

Ex his patet responsio ad quæstionem, quomodo acquiratur jus ad rem et jus in re; nam ut jus ad rem acquiratur, sufficit justus titulus; ut vero acquiratur jus in re, necesse est. 1) *Existentia rei*; neque enim obligata cuipiam dici potest res nondum extans et quæ forte nunquam extabit. Hinc usufructuarius non habet jus in re in fructibus anno sequenti colligendis, quia nondum existunt. 2) *Titulus legitimus.* Hinc fur jus in re non habet in bonis, quæ furto possidet. 3) Pro foro saltem externo *cæteræ conditiones*, quas cujusque regionis leges exigunt ut res aliqua alicui obligetur.

ARTICULUS III.

DE PRINCIPIIS GENERALIBUS JUSTITIÆ.

PROPOSITIO I.

Justitia commutativa obligat sub gravi, et cum onere restitutionis.

587. *Prob.* I^a *pars.* — Justitiæ enim proprium est servare cuique jus suum, et juris alieni violatio ex genere *suo* gravem inordinationem dicit. Dixi: *ex genere* SUO, non ex genere TOTO; quia hac in re materiæ parvitas admittitur, ut omnibus perspicuum est.

Prob. II^a *pars.* — Nam justitia respicit æqualitatem rei ad rem; atqui hujus læsio non potest reparari, nisi per restitutionem, seu quamdiu manet inæqualitas, manet etiam obligatio æqualitatem reducendi; et lædens peccat servando inæqualitatem, sicut peccavit eam inducendo.

PROPOSITIO II.

Cæteræ justitiæ species, legalis nimirum, distributiva (et si placeat hanc uti quartam justitiæ speciem admittere vindicativa), *obligant etiam sub gravi, sed* PER SE *non cum onere restitutionis.*

588. *Prob.* I^a *pars.* — Etenim læsio earum deordinationem gravem inducit, cum graviter necessario societatis ordini noceat.

Prob. II^a *pars.* — In his enim justitiæ speciebus, transacta occasione, seu violata earum obligatione, non amplius subsistet motivum, quo fundatur earum obligatio, quemadmodum illud pergit subsistere, violata justitia commutativa; perdurat enim inæqualitas rei ad rem donec reparetur.

Dixi: PER SE *non cum onere restitutionis.* Nam sæpe justitia *commutativa* aliis adjungitur, et ejus læsio onus restitutionis inducit. Sic restituere tenentur superior, magistratus, judex, qui propter gravem negligentiam in puniendo, vel officiis publicis *indignos* destinando, causa sunt, cur privati vel communitas grave damnum patiantur; quo in casu non solum rei sunt boni communis, ad quod justitia legalis inclinat, non procurati, sed etiam violati contractus, quo, hoc ipso quod officium susceperunt, se *implicite* obligarunt ad damna subditorum præcavenda. Probabilius tamen ad restitutionem non tenetur, qui *minus dignis* officia societatis distribuit; quia non violat jus *strictum* dignioris, nec communitatis, quæ *stricto* jure aliud exigere nequit, nisi ut indigni, a quibus damnum timendum sit, ab officiis arceantur.[1] Secus vero, si *in concursu* superior minus dignum digniori præferret; quia in concursu intervenit pactum, ex quo *jus strictum* digniori competit.

[1] Blackstone, B. II. c. 20. n. 1.
[2] Gousset, Le code civil. ad Art. 544.

[1] L. V. 106. 107.

Nec ad restitutionem tenetur, qui dignitates *mere* honorificas distribuit sive minus dignis, sive etiam indignis; quia neminem jure suo *stricto* privavit, quamvis peccaverit per personarum acceptionem.

CAPUT II.

DE PRÆCIPUIS JURIS SPECIEBUS.

Præcipuæ juris species sunt dominium, usus, ususfructus, et servitus.

ARTICULUS I.

DE DOMINIO.

Dominium *in genere* est *jus gubernandi subditos, vel disponendi de re tamquam sua.* Unde duplex est dominium *jurisdictionis* scil. et *proprietatis.* De solo posteriori hic agitur.

589. *Definitio.*—Dominium Jure Rom. est "jus utendi et abutendi re sua, quatenus juris ratio patitur."

Dicitur: 1° *Jus*, seu facultas legitima, quæ vox tenet locum generis (n. 583).

Dicitur: 2° *Utendi et abutendi*, quibus verbis significatur facultas domini re aliqua non *utendi* solum, salva ejusdem substantia, sed de ea etiam *disponendi*, propria nempe auctoritate, non ex alterius commissione, et quidem *pro arbitrio*, i. e. ad omnem usum, rem videlicet vendendo, donando, vel etiam sine causa destruendo. Improbandus tamen, qui re sua abutitur: quia, esto non offendat justitiam commutativam (n. 583), non tamen, ut debet, publicæ et privatæ utilitati studet; "expedit enim reipublicæ, ne sua re quisque male utatur." [1]

Dicitur: 3° *Re sua*, ut dominium distinguatur a nuda possessione, etiam legitima; sæpe enim contingit, ut quis habeat possessionem rei, cujus tamen non habet dominium, ita ut illa uti possit tanquam sua, prout patet v. g. in pignore.

Dicitur: 4° *Quatenus juris ratio patitur* (n. 583). Facultatem enim re, licet sua, utendi et abutendi coarctat vel *lex*, quæ v. c. minoribus non permittit rerum suarum alienationem, nisi servatis legis solemnitatibus; vel *pactum*, ut si venditorem inter et emptorem conventum sit, ut hic re empta non utatur, nisi post certum diem; vel testator fundum legasset alicui ea conditione, ut illo fruatur tantum post annum. Aliud igitur est dominium seu *jus* disponendi, aliud dominii exercitium seu *actus* disponendi; dominium manet integrum; exercitium prohiberi potest.

590. *Divisio.* — Dominium præcipue dividitur in *perfectum*, seu *plenum*, quod jure nostro audit *Fee simple*, si de *immobilibus* agitur; si de *mobilibus*, communius *the complete and absolute ownership*, — et *imperfectum*, seu *non plenum*, prout est jus disponendi tum de re ipsa, tum de ejus utilitate, aut de alterutro tantum. *Imperfectum* autem, seu non plenum, subdividitur in *directum* et *indirectum* seu *utile*, prout respicit solam rei proprietatem, vel solam ejus utilitatem. Ita dominus (*the landlord*) habet dominium directum prædii, quod alteri locavit; locator vero (*the lessee* or *tenant*) dominium indirectum seu utile.

Communiter distinguunt etiam dominium *altum* (*the right of eminent domain*) et *humile*. Prius dicitur jus, quod habet suprema auctoritas disponendi aliquando ex gravissima causa de bonis privatorum in bonum communitatis; posterius est dominium privatorum.

Prius *improprie* tantum dicitur dominium, cum respublica nullum habeat dominium in bona privatorum, sed jus tantum administrationis, seu jus ordinandi et præscribendi quando et quantum ex bonis privatorum in communem utilitatem sit conferendum. Neque enim ut dominus supremus et universalis territorii, sed ut supremus administrator boni communis respublica leges fert, quibus regitur privatorum dominium. Hoc sensu Seneca "ad reges," inquit, "*potestas* omnium pertinet, ad singulos *proprietas.*"

Hoc jus supremæ potestati competere, ex eo patet quod jus ad finem necessario implicet jus ad media illa, sine quibus finis obtineri nequit. Bonum autem publicum aliquando requirit, ut aliquis re sua privetur, v. g. agro pro via publica construenda, etc.

In usu autem hujus juris hæc cavenda

[1] Inst. L. I. tit. 8.

sunt: 1° Usum illius postulare debet necessitas, seu publica utilitas; 2° usus excedere non debet rationem necessitatis, seu publicæ utilitatis; 3° abesse debet personarum acceptio, ne scilicet quidam graventur, dum aliis in simili causa et conditione parcitur; 4° illata damna, quantum fieri potest, sunt resarcienda, quod Constitutione nostra expresse cavetur: "Nor shall private property be taken for public use without just compensation."[1]

Agendum 1° de objecto; 2° de subjecto; 3° de acquisitione dominii.

§ I. *De objecto dominii.*

591. PRINCIPIA. — I. Homo habet dominium *utile* bonorum, quæ sibi intrinseca sunt, nempe animæ et corporis. Ideo potest iis *uti*, quatenus juris ratio patitur (n. 589). — Non tamen habet dominium *directum* horum bonorum, seu non potest iis *abuti* sensu hujus vocis n. 589 explanato. Constat ex Scriptura Sacra: *Tu es, Domine, qui vitæ et mortis habes potestatem.*[2] — *Ego occidam, et ego vivere faciam.*[3] Constat etiam ex lege naturali, ut diximus n. 461.

592. — II. Homo habere potest dominium *utile* et *directum* in bona externa fortunæ legitime acquisita. Constat 1° *quoad dominium utile*, quia ex una parte bona hæc apta sunt de se ad conservationem vel utilitatem hominis promovendam, et ex alia parte eorum usus juri divino et humano non adversatur; quinimo Deus ipse prædictorum bonorum saltem utilitatem homini permisit his verbis, *Dominamini piscibus maris et volatilibus cœli*, etc.[4] — *Omnia subjecisti sub pedibus ejus*[5] — Constat 2° *Quoad dominium directum*, quia facultas applicandi bona fortunæ ad usus suos nullo jure restringitur; imo expresse permittitur jure humano, ut patet ex variis legibus circa jus possidendi, et jure divino in allatis verbis: *Dominamini*, etc.

593. — Bona fortunæ jure nostro hoc modo distinguuntur. Property is . . . divided

1) Into *things real* and *things personal*. Things real include every valuable thing of a fixed and immovable nature, and pass under the general description of *lands, tenements*, and *hereditaments*, or simply *realty*. Things personal include every valuable thing of an unfixed and movable nature, and pass under the general description of *goods* and *chattels*, or simply *personalty*: "There are certain things occupying a sort of intermediate position between the two, some of which are called *chattels real*, others *fixtures*";[1] to understand which, it should be borne in mind, that "although *immobility* is the distinguishing characteristic of realty, an *indefinite* duration of interest also enters into the idea; and therefore certain determinate interests in land, as leases for years, are called *chattels real*, because, although they have that immobility which is denoted by the term *real*, yet for want of an indefinite duration, they are treated as *chattels*." So also "there are various articles of personalty, which become realty by being annexed thereto; and these are called *fixtures*."[2]

2) Real property is again subdivided into *things tangible* and *things not tangible*. Things tangible include *land* and every corporeal thing permanently connected therewith to an indefinite extent above and below the surface, and pass under the general description of *corporeal hereditaments*, or simply *land*. Things not tangible include certain rights, privileges, or easements, annexed to land in the ownership of another, and pass under the general description of *incorporeal hereditaments*.[3]

Pro Luisiana, vide "Civil Code of Louisiana."[4]

594. QUÆSITA. — Quær. 1° *An homo habeat dominium suæ famæ?*

Resp. Vide n. 525.

595. — Quær. 2° *An homo in alium hominem dominium habere possit?*

Resp. 1° *Neg.*, quoad dominium *directum*; illud enim soli Deo competit, ut constat ex dictis n. 591, et homines a se invicem sunt metaphysice independentes (n. 585).

Resp. 2° *Affirm.*, quoad dominium *utile*, seu hominis operas. Ratio est, quia homo quilibet est dominus propriæ operæ

[1] Amendm. to the Const. of U. S. art. V.
[2] Sap. 16. 13.
[3] Deut. 32. 39.
[4] Gen. 1. 28.
[5] Ps. 8. 8.

[1] Walker, § 122.
[2] Walker, § 21.
[3] Walker, § 122.
[4] a. 460–480.

ac proinde potest illam alienare, et alteri in dominium tradere. Dominus enim re sua uti et abuti potest, quatenus juris ratio patitur.

Hinc 1° homo potest de jure naturali, etiam in perpetuum, se alteri vendere, quin et gratuito tradere quoad dominium suî utile. Si enim potest alteri dominium suî utile conferre pro aliquo tempore, idem facere potest in perpetuum, siquidem cedere potest omne id, cujus est dominus. 2° *Per se* juri naturæ non repugnat *servitus*, seu status subjectionis perpetuus, quo quis pro alimentis tenetur omnes operas suas alteri præstare. Dico: *operas suas;* neque enim licita ullo in casu dici potest *servitus in sensu stricto*, ea scil., per quam servi proprie dicti non *personis* sed *rebus* accensentur, quibus dominus uti possit *et abuti*.

596. *Nota.* — Licet abrogata apud nos sit servitus, oportet tamen confessarios pristinorum herorum aut servorum Confessionem, generalem præsertim, excipientes noscere peccata, quibus communius obnoxii fuere. Quapropter hoc loco ea paucis recensemus. Itaque I. *quoad heros:* —

1° Peccarunt et ad restitutionem tenentur, si qui sic dictum *nigritarum commercium* exercuerunt, eidemve cooperati sunt, aut sibi in servos emerunt, quos noverant libertate injuste spoliatos. — Contra tam immanem negotiationem prodiere variæ Constitutiones Apostolicæ, nempe Pauli III., Urbani VIII., Bened. XIV. et nuper Greg. XVI. c. *In supremo Apostolatus.* 3 dec. 1839. Et merito quidem. Licet enim quis *vel* ex pacto, seu renuntiatione propria, *vel*, ut olim, jure belli; *vel* ex *delicto* seu ex justa condemnatione, *vel* ex nativitate ex matre serva, operas suas alteri in perpetuum tradere aliquando teneatur,[1] injuste tamen ad id adigitur, ubi nullus horum titulorum invocari potest. Atqui in nigritarum commercio nullus horum titulorum invocari potest; nam per illud homines liberi, contra propriam voluntatem, et sine ullo ex parte sua delicto, a regionibus suis transvehuntur et venduntur. Ergo

Dixi: *homines liberi;* si enim agatur de nigritis aut aliis in servitute, aliquo ex prædictis titulis legitima, existentibus, *per se* commercium illud non absolute illicitum est, quia, semel admissa servitute ut legitima, dominus verum jus in servos seu in eorum operas habet, et proinde illud transmittere valet. Dixi: *per se;* obstare enim possunt *vel* circumstantiæ, *vel* leges civiles.

2° Ob *circumstantias* venditioni obstantes peccarunt.

a) Qui vendendo conjugem a conjuge, vel prolem a parentibus sine gravi causa separarunt. Dixi: *sine gravi causa;* quæ adfuisset v. c., si pravus fuisset servus, quem frustra herus tentasset ad bonam redigere frugem, et a quo mortem vel aliud grave malum timeret.[1]

b) Qui vendendo servum, præsertim Catholicum, nihil curarunt de quærendo ei emptore Catholico, humano et justo; neque enim licuit hero curam servi in obvium quemque rejicere. Excusandi tamen forent, qui obvio cuique vendidissent servos, a quibus mortem sibi suisve timebant, nisi statim e domo dimitterentur, dummodo tamen emptori nil cogitanti damnum non fuerit illatum.[2] Excusandi quoque, ut per se patet, illi, per quos non stetit cur servi obvio cuique venditi fuerint, ut si sub hasta venditi fuissent in hæreditatis distributione vel ex legis auctoritate ad crimina punienda, aut ad satisfaciendum creditoribus.[3]

3° Peccarunt qui eis non subministrarunt necessarium victum et vestitum; qui ægrotantes non curarunt; qui senes, vel alias labori amplius non idoneos, non satagerunt remediis sublevare.[4]

4° Qui *inspectores* selegerunt aut retinuerunt, quos sciebant duriora mancipiis onera imponere, vel ea severius et crudelius tractare;[5] itemque qui ira abrepti servos levi de causa verberarunt, vel verberandos jusserunt, præsertim cum membrorum vel vitæ periculo.[6]

5° Qui servis matrimonii ineundi, ejusve juribus utendi libertatem non reliquerunt, licet servi exinde ab opera debita præstanda non abstraherentur.[7]

[1] Lugo. de Jure et Just. disp. VI. n. 11 seq.

[1] Sanch. de Mat. L. VII. disp. XXII.
[2] Kenr. Tr. VIII. n. 97.
[3] Ib.
[4] Ib. n. 93.
[5] Ib. n. 94.
[6] Ib. n. 95.
[7] Ib. n. 96.

6° Qui non curarunt, ut servorum suorum filii baptizarentur.[1]

7° Qui ipsorum servorum saluti non providerunt; quales fuerunt a) qui non curarunt ut rudimenta christianæ doctrinæ addiscerent et copia eis fieret ministerii sacerdotalis ad suscipienda Sacramenta; b) qui omnem omiserunt cautelam ad morum integritatem inter eos servandam, non caventes e. g. ne promiscuo uterentur concubitu; c) qui morum corruptelam pessimo suo exemplo et solicitationibus iniquis foverunt; d) qui servæ delictis ob utilitatem prole sibi adventuram faverunt.[2]

597. — II. *Quoad pristinos servos.* Peccarunt 1° qui opus sibi injunctum, vel curam rerum sibi commissarum neglexerunt; non tamen justitiam violarunt, sed obedientiam hero debitam; actiones enim servi non sunt debitæ domino lege justitiæ, sicut mercenarii, qui pretium pro illis accipit.[3]

2° Qui a domino surripuerunt alia quam esculenta communia, et hi ad restitutionem tenentur, si habeant unde reddant et nisi operis suis damnum illatum resarciisse videantur.[4]

3° Qui nocte circumcursarunt, ut fœminas inviserent, idque non tantum ob impudicitiam, sed et ob alia crimina, quorum periculo sese objiciebant.[5]

4° Qui in concubinatu vixerunt, sive fornicario, sive adulterino; et hoc simplici vel duplici.

5° Qui oblata occasione neglexerunt fidei documenta addiscere, et munia religionis explere.[6]

598. — Quær. 3° *An et quo jure homo habeat dominium in fructus industriæ et ingenii sui?*

Resp. Affirm., et quidem 1° jure naturali. Si enim res fructificat domino, a *fortiori* hoc verum esse debet de facultatibus internis, cum nihil magis homini proprium esse possit.

Hinc a) *Certum* est ad restitutionem et damnorum compensationem teneri tum illum, qui inventori artis alicujus, cujus e. g. machina commercio nondum sit tradita, secretum suum surripit et hoc invito in publicum divulgat; tum illum qui opus manuscriptum alterius typis edit; opus enim manet sub dominio auctoris vel inventoris, quamdiu publico usui non fuerit datum.

b) *Controvertitur* utrum ille, qui librum typis edidit, lege positiva seclusa, jus habeat impediendi, ne quisquam illum prelo committat et vendat cum damno auctoris aut bibliopolæ, cui auctor jus suum transmisit. Qui negant, hanc negationis suæ rationem afferunt, quod res in communitatem tradita, prout est liber typis vulgatus, fit eo ipso de jure communi, et propter eamdem rationem nec illi injustitiæ rei forent qui publicas alicujus professoris lectiones vel concionem oratoris in lucem ederent. Qui affirmant, rationi negantium respondent, jus naturale, quod omnes auctori in fructum ingenii sui tribuunt, exerceri ab eo non posse, nisi hunc fructum in communitatem tradat, ac proinde absurde dici jus illud perdi per illud ipsum, sine quo exerceri non valeat. Practice quæstio hæc minoris momenti est; nam *usus* hodiedum ubique habet, ut opera typis vulgata ab aliis prelo committantur et vendantur casu, quo *vel* auctor ea facere neglexit, quæ lege positiva exiguntur, ut sibi provideat, *vel* lex positiva illi non assistit, sive quod non sanciat proprietatem alicujus generis librorum, sive quod præsidium suum deneget libris in alia regione editis.

Resp. 2° *Affirm.*, etiam *jure positivo* omnium fere gentium. Et lege quidem a Congressu lata, apud nos cavetur, ut qui rei a se inventæ jus (*Patent right*) velit sibi proprium vindicare, exemplar in officina publica (*Patent-office*) Washintonopoli deponat. Qui vero libros suos edendi jus (*copyright*) velit habere, debet exemplar in officina publica in urbe, in qua eduntur, intra tres menses deponere, et in fronte libri typo mandati vel in pagina frontem proxime sequenti id enuntiare verbis sequentibus: "Entered, according to the Act of Congress, in the year —— by A. B., in the clerk's office of the District Court of ——." Qui plura nosse desiderat, adeat *Kent*,[1] vel *Wells's Every Man his own Lawyer*,[2] vel *New Amer. Encycl.*[3]

[1] L. VI. 130.
[2] Ib. n. 102.
[3] Lessius de Just. et Jure, S. II. c. VIII. dub. III. n. 20.
[4] Kenr. Tr. VIII. n. 104.
[5] Ib.
[6] Ib.

[1] Vol. II. n. 365–384. [2] p. 204–215.
[3] V. Patents et Copyright.

Si quis privilegium hujusmodi violet, datur contra ipsum actio civilis. Licet vero inventor, vel auctor aut bibliopola, cui privilegium competit, litem non intentet, violator tamen *in conscientia* tenetur damnum iis illatum reparare. Idem videtur dicendum quoties quis, *levi* quadam mutatione machinæ novæ vel libri, legis et privilegii vim irritam facit.[1]

599. — Quær. 4° *An maria et oceanus alicujus dominio subjacere possint ?*

Resp. cum Kent:[2] "Navigable rivers which flow through a territory, and the sea-coast adjoining it, and the navigable waters included in bays, and between headlands and arms of the sea, belong to the sovereign of the adjoining territory as being necessary to the safety of the nation, and to the undisturbed use of the neighboring shores. The open sea is not capable of being possessed as private property. The free use of the ocean for navigation and fishing is common to all mankind and the public jurists generally and explicitly deny that the main ocean can ever be appropriated."

§ II. *De subjecto dominii.*

600. — Subjectum dominii est rei alicujus dominus, seu ille cujus est res aliqua.

Hinc 1° Deo soli competit *supremum* et *absolutum*, ideoque et *independens* dominium in res creatas, clamante Scriptura: *Domini est terra et plenitudo ejus, orbis terrarum et universi qui habitant in eo.*[3] Imo hoc dominium nulli potest communicare, quia pendet a creatione et conservatione, quibus Deus abdicare se nequit. Id tamen non impedit, quominus Deus queat dominium *particulare* communicare creaturis rationabilibus, juxta illud: *terram autem dedit filiis hominum.*[4]

2° In terra omnis et solus homo est dominii capax. *Probatur.* "Ille solus habere potest jus, qui capax est injuriæ patiendæ . . . ille autem solus patitur injuriam, qui invitus eam patitur: debet autem esse invitus, non quidem per voluntatem, qua velit rem suam, sed per voluntatem, qua velit retinere jus ad rem ipsam, seu obligare alios, ne eam auferant. Bruta vero non possunt habere talem voluntatem, cum nec obligationem moralem, nec turpitudinem cognoscere possint; ergo non possunt esse invita, sicut nec possunt dare licentiam vel transferre dominium ob eamdem rationem; quia, cum non cognoscant jus morale, non possunt cedere juri suo. . . . Sola ergo natura intellectualis, quæ ejusmodi objecta cognoscere potest, capax est dominii habendi."[1]

3° Nec incapaces sunt dominii infantes, nec ipsi amentes; nam usus rationis, quo carent, necessarius tantum est ad *disponendum hic et nunc* de bonis, seu ad *exercitium* juris (n. 589), non vero ad *habendum* dominium *radicale*, utpote quod fundatur in potentiis: porro potentiæ usum rationis præcedunt.

Agendum speciatim de dominio 1° filiorum familias, — 2° uxorum, — 3° publico et nationali, — 4° collegiorum (*corporations*), — 5° Ecclesiæ et clericorum. De dominio autem Religiosorum dicetur infra in Tract. *de Statibus*, ubi *de voto paupertatis*.

Punctum I. De dominio filiorum familias.

601. — Filii familias proprie hoc loco dicuntur utriusque sexus liberi ex legitimo matrimonio orti, vel legitimati, ac paternæ potestati etiamnum subjacentes.

Dicitur: 1° *Ex legitimo matrimonio orti, aut legitimati.* Illegitimorum enim dominium universim non civili, ut legitimorum, sed naturali fere jure regitur. Ideo namque *illegitimi* vocantur, quod *lege* humana non ut filii habeantur.

Dicitur: 2° *Paternæ potestati etiamnum subjacentes*, seu minores, non emancipati a potestate paterna. Licet enim obligationes filiorum ex jure *naturali* existentes, quæque officia honoris, amoris et reverentiæ erga parentes exigunt, *nunquam* dissolvi queant, id tamen quoad illas locum habet, quas jus naturale *non pro* semper imponit, vel quæ ex *solo jure civili* ortum ducunt.

[1] Kenr. Tr. X. n. 13.
[2] Vol. I. n. 26.
[3] Ps. 23. 1.
[4] Ps. 113. 16.

[1] Lugo de Just. disp. 3. n. 1.

602. — Varia in jure Romano distinguuntur filiorum familias bona; sed quum hæ distinctiones non reperiantur in legibus, quibus utimur, harum tantum dispositiones hic exscribimus. Hinc

603. — Quær. 1° *Quorum bonorum filius familias jure naturali vel nostro habeat dominium et quale illud sit?*

Resp. 1° Quoad bona *quæcunque*, quæ filio acquisita sunt aut acquiruntur alio titulo, quam labore proprio, ut v. g. hæreditate, donatione, etc. jure nostro "a father has no other power . . . than as his trustee or guardian; for though he may receive the profits during the child's minority, yet he must account for them when he comes of age." [1] Utrum vero pater hæc bona eorumve fructus in educationem filii expendere valeat, propriis suis bonis parcendo, pro adjunctis casus tribunalia decidere solent.[2]

Resp. 2° Quoad ea, quæ filius *labore suo* acquirit, distinguendum est inter filium, qui in domo paterna degat et a patre alatur, et illum, qui extra eam vivat. In priori casu, quæ filius acquirit, patri acquirit, idque jure non tantum positivo nostræ regionis,[3] sed et naturali; censetur enim agere uti pars familiæ. — Excipe a) ut per se patet, si pater filio laboris sui lucrum cesserit, et "the son, in such case, may make a valid special contract with his employer." [4] Cedere autem censetur pater "if he leaves his child to *manage* and contract for himself for several years," [5] vel si, ipso consentiente matrimonium contraxerit. b) Si filius ex conditione sua non teneatur laborare. c) Si excessu *indubie extraordinario* plus cæteris fratribus operis et laboris impendat, quo casu filius sibi occulte ex bonis paternis vel cohæredum suorum compensare poterit stipendium, quod illi debet pater, et quidem pro rata laboris extraordinarii seu non debiti, idque licet filius *ex timore reverentiali* id non petierit.[6]

In posteriori casu a patre alitur vel non. Si *prius*, idem resolvendum est ac de filio, qui in domo patris degat et ab eo alatur; idque propter rationem supra ex jure naturali allegatam. — Si *posterius*, "in Gale v. Parrott, it was observed, that if the minor was eloigned from the parent, he might, of necessity, be entitled to receive the fruits of his own labor, and that it would require only slight circumstances to enable the court to infer the parent's consent to the son's receipt and enjoyment of his own wages." [1]

Nota. — 1. Filius *major* poterit exigere mercedem pro labore suo; agimus enim hic de iis, qui sunt sub paterna potestate sensu, quo dictum est n. 601. Tenebitur tamen hoc in casu patri resarcire expensas in suî victum, vestitum et habitationem.

2. Quæ filius sive major sit sive minor, sive in domo paterna sive extra eam degat, labore, etiam extraordinario, acquirit, parentibus titulo amoris debentur, si hi ad vitam sustentandam iis indigeant.

604. — Quær. 2° *An filius habeat dominium perfectum in bona mobilia ipsi data a parentibus aut cognatis?*

Resp. 1° *Affirmative*, si primo usu sunt consumptibilia, quia ipsi ad *usum absolute* dantur, nisi forte aliqua restrictio apposita fuerit, v. g. ad usum determinatum, ut esset pecunia ad libros emendos, pensionem solvendam, etc.

Resp. 2° Si non sint primo usu consumptibilia, ut libri, vestes, etc., filius non habet *generatim*, i. e. extra casum consensus parentum vel expressi vel rationabiliter præsumpti, nisi dominium illorum utile, quia parentes vulgo non aliud ipsis conferre intendunt. Quapropter, si filius de iis disponat contra jus a parentibus tributum, onus exurgit restitutionis, nisi rationabiliter judicetur, parentes rogatos id condonaturos esse, quod tamen non facile præsumendum, si v. g. pater non sit dives, etc.

Nota. — Pro Luisiana vide Civ. Code of Louis.[2]

Punctum II. De dominio uxorum.

605. — Jure communi Anglico et Americano bona uxoris dici possunt triplicis generis, scilicet *dotalia*, *paraphernalia* et *communia*.

1 Blackstone, B. I. ch. 16. n. 2.
2 Kent, Vol. II. n. 191.
3 Ib. n. 194.
4 Ib. n. 193. p. 193 (a).
5 Ib. (1).
6 L. IV. 488. III.

1 Kent, Vol. II. n. 193. 2 a. 221 – 235.

Dotalium (*Dowry* or *Dower*) nomine apud nos venit id, quod uxori superstiti juxta cujusque Status leges relinqui debet ex bonis mariti, nimirum ex jure *communi* usufructus tertiæ partis immobilium, vita sua durante.

In Louisiana dos "is meant the effects which the wife brings to the husband to support the expenses of marriage." [1]

That which is termed by the civilians *vidualitia*, though we call it also *dowry* or *dower*, in the legal sense of the word is not a dower, but only that part of the goods of which the wife, after her husband's death, is heiress *ab intestato*, which, according to the *common law*, is the third of the *personalty* of the husband leaving issue, or a moiety, if he dies without issue.

606. — *Paraphernalia* vocantur, quæ *pleno* uxoris dominio prorsus servata sunt.

Hæc quænam ex jure *communi* sint, vix non inutiliter diceretur, cum juris communis hac de re dispositiones in plerisque fere Statibus mutatæ fuerint. Consule, si lubet, Wells's *Every Man*, etc.[2] — Juris vero *communis* dispositiones. V., si placet, apud Kent.[3] — Jus Luisianæ vide Civil Code of Louis.[4]

Ubique ut paraphernalia haberi possunt, tum 1° paraphernalia stricte dicta seu the wife's personal apparel and ornaments, suitable to her rank and condition in life, — tum 2° illud, quod "*pin-money*" audit, i. e. a sum payable by the husband to the wife, in virtue of a particular arrangement, and to be applied by the wife in attiring her person in a manner suitable to the rank of her husband, and in defraying other personal expenses. Demum 3° paraphernalia etiam haberi debent ea, quæ vel legibus cujusque Status, vel pacto antenuptiali uxoris *pleno* dominio sunt reservata.

607. — Bona *communia* apud nos vocari possunt *immobilia*, quæ *marito et uxori*, durante matrimonio, *simul* data sunt, vel quæ ab *iis unà* sunt empta. De his jus nostrum statuit: "They" (the husband and wife) "are both seised of the *entirety*, and neither can sell without the consent of the other, and the survivor takes the whole."

Excipe Luisianam, ubi "the *partnership* . . . of acquets or gains . . . arising during coverture," (i. e. stante matrimonio) "exists by law in every marriage contract in the State, where there is no stipulation to the contrary." [1] "The community of acquets and gains ceases on the death of either party, and the survivor takes only his or her undivided moiety of the common property." [2]

608. QUÆSITA. — Quær. 1° *An uxor ex bonis non paraphernalibus eleemosynas largiri possit?*

Resp. Affirm., etiamsi alioquin habeat paraphernalia seu propria, modo id fiat juxta consuetudinem aliarum mulierum illius loci et conditionis. Ratio est, quia uxor non est serva, sed socia; quamdam ergo administrationem in domo mariti habere debet. — Deinde maritus, *tantum inscius*, merito præsumitur consentire in ea, quæ fiunt ab uxore juxta honestum regionis atque conditionis suæ morem; et si *invitum* se exhibeat, talis dissensus censetur irrationabilis, quia maritus uxorem privare nequit jure ei legitima consuetudine concesso. — Ita cum *communi* Lugo, S. Alph.[3] — Præterea, si quid acquireret uxor labore extraordinario post impensam gubernationi familiæ debitam curam; vel aliquid de sibi concessis ad solatium, vestitum, etc. per parsimoniam subtrahendo, de eo pariter, si aliud non obstet, disponere potest ad pios usus. Ita Theologi ex æquitatis regulis.

609. — Quær. 2° *An peccet uxor accipiendo aliquid de bonis non paraphernalibus ad sublevandam necessitatem parentum vel filiorum, qui ex primo matrimonio suscepti fuerint?*

Resp. Neg., si paraphernalia non habeat, nec vir necessaria dare velit, quia jure naturæ tenetur uxor prædictos consanguineos alere, et maritus in id consentire.[4] Quod hic de parentibus et filiis dicitur, quidam etiam extendunt ad fratres et sorores uxoris.[5]

[1] Civ. Code of Louis., a. 2337. sq.
[2] pp. 81, 82, 242.
[3] Vol. II. n. 130. sq.
[4] a. 2335. 2383. sq.

[1] Kent, Vol. II. n. 183. (a) et Civ. Code of Louis. a. 2399.
[2] Kent, Vol. II. n. 183. (a) et Civ. Code of Louis. a. 2405. sq.
[3] L. IV. 540. [4] L. IV. 542.
[5] L. IV. 542 et H. A. Tr. X. 33.

610. — Quær. 3° *An uxor bona hoc modo accepta restituere teneatur, sive ex paraphernalibus, si habeat aut habitura sit, sive ex iis quæ sibi, mortuo marito, obvenient?*

Resp. 1° *Neg.*, si bona hæc sint parvi momenti, quia tunc habentur ut eleemosynæ communes, quæ, si fiant moderate, restitutionis onus secum non ferunt. — Ita *omnes*.

Resp. 2° *Affirm.*, cum S. Alphonso [1] contra alios, si bona subtracta sint majoris momenti. Majoris autem momenti juxta Varceno [2] sunt ea, quorum substractio notabilissimum, (dicerem potius notabile) detrimentum attulit administrationi domesticæ.

Nota. — Marito bona in detrimentum familiæ dilapidante aut prodigente, uxor ea abscondere et in bonum familiæ reservare poterit.

611. — Quær. 4° *An teneatur ad restitutionem maritus, qui notabilem partem bonorum communium prodige vel male impendit?*

Resp. Affirmative; quia jure nostro hæc bona integra ab utroque conjuge possidentur, et ita quidem ut nequeat alteruter ea vendere absque alterius consensu, et, alterutro defuncto, alter in ea dominium perfectum consequatur.

Disputatur quoad Luisianam ubi *communitas* bonorum significatione juris Gallici habetur. Nobis affirmativa sententia multo probabilior videtur, cum maritus administrator tantum sit, non dominus bonorum communium.

Punctum III. De dominio publico et nationali.

612. — Dominium *publicum* dicitur reipublicæ dominium in res omnes publico et communi civium usui destinatas. Sic in pontes, canales, vias dominium habet Status quilibet.

In vias, quas dicere consuevimus *nationales*, quæ scilicet supremi cœtus (*Congress*) auctoritate per varios Status factæ sunt ob litterarum et documentorum transmissionem, militum faciliorem commeatum, et alios usus toti nationi communes, *auctoritas* competit gubernio generali. Vix autem *dominii* voce auctoritas hæc nuncupanda est, quum quilibet Status supremus sit, ægreque ferat veri nominis dominium a cœtu generali exerceri.[1]

613. — Dominium *nationale* vocare placet agros publicos, quos scilicet ab Indis jure, ut vocant, præemptionis (*right of pre-emption*) comparat Præses, nomine Statuum Fœderatorum, pecunia vel mercibus pro iis traditis. Hac ratione factum est, ut tribus Indicæ paulatim longius recesserint; quæ et quotannis, nova facta cessione agrorum, ob minimum pretium, fisco generali facile præbent medium augendi publicum thesaurum, agros sic emptos novis colonis vendendo.[2]

Punctum IV. De collegiis (corporations).

614. — Non *physicæ* (*individuals*) tantum, sed et *morales* personæ dominii sunt capaces. Has inter præcipuum locum obtinent *collegia* (*corporations*).

Definitio. — "A corporation is a franchise possessed by *one* or *more* individuals, who subsist as a body politic under a special denomination, and are vested, by the policy of the law, with the capacity of perpetual succession, and of acting in several respects, however numerous the association may be, as a single individual." [3]

615. *Divisio.* — "Corporations are divided

1° Into *aggregate* and *sole*. A corporation sole consists of a single person, who is made a body corporate and politic, in order to give him some legal capacities and advantages, and specially that of perpetuity, which, as a natural person, he cannot have. A bishop . . . is given in the English books as an instance of a corporation sole; and he and his successors in perpetuity take the corporate property and privileges; and the word *successors* is generally necessary" (in the grant) "for the succession of property in a corporation *sole*." [4] The corporations generally in use with us are *aggregate*; [5] but

[1] L. IV. 542 et H. A. Tr. X. 33.
[2] Comp. p. 424.

[1] Kent, Vol. I. n. 268.
[2] Kenr. Tr. X. n. 17. Kent, Vol. I. n. 259.
[3] Kent, Vol. II. n. 268. p. 303.
[4] Ib. n. 273. [5] Ib. n. 274.

there are instances also in this country of *sole* corporations.[1]

2° Into *religious* and *lay*.[2]

Lay corporations are again divided into *eleemosynary* and *civil*.[3]

Civil corporations . . . are either *public* or *private*. Public corporations are such as are created *by the government* for political purposes, as counties, cities, towns, and villages. . . . If the foundation be private, the corporation is private, however extensive the uses may be to which it is devoted by the founder, or by the nature of the institution.[4]

616. *How they are created.* — "With us they are created by authority of the legislature," and also *de facto* by that of the Congress,[5] which has exercised it twice by the incorporation of a *national bank*.

617. *The powers and capacities of corporations.* — "The *ordinary* incidents to a corporation are: 1° To have perpetual succession, and, of course, the power of electing members in the room of those removed by death or otherwise. 2° To sue and be sued, and to grant" (except by will) "and to receive" (except also by will unless specially authorized by their charter) "by their corporate name. 3° To purchase and hold lands and chattels. 4° To have a common seal. 5° To make by-laws for the government of the corporation; this power, however, must be exercised within the limits of the charter, and in subordination to the Constitution and general law of the land, and the rights dependent thereon. 6° The power of amotion, or removal of members." But this power also must be exercised for good cause, and for some offence that has an immediate relation to the duties of the party as a corporator.

"It is now very generally the practice to specify, in the act or charter of incorporation, the powers and capacities with which it is intended to endow the corporation."[6]

618. *Dissolution of corporations.* — A corporation may be dissolved, 1° by statute; 2° by the natural death or loss of all the members, or of an integral part; 3° by surrender of its franchises; 4° by forfeiture of its charter through negligence or abuse of its franchises.[1]

Pro Luisiana vide "Civ. Code of Louis."[2]

[1] Kent, Vol. II. n. 273 (b). [2] Ib. n. 274.
[3] Ib. [4] Ib. n. 275.
[5] Ib. n. 276. Kenr. Tr. X. n. 19.
[6] Kent, Vol. II. n. 277, 278.

Punctum V. De dominio Ecclesiæ et Clericorum.

Cum conditio rerum temporalium Ecclesiæ in Fœderatis nostris Statibus omnino peculiaris sit et ob adjuncta in multis ad SS. Canonum normam componi non possit, uberior de iis tractatio necessaria est. Quatuor quæstionibus rem totam comprehendimus. I. An et quarum rerum temporalium dominium Ecclesia habere possit, et qua ratione id jure nostro agnoscatur. II. Quodnam sit subjectum, in quo bonorum ecclesiasticorum dominium directum resideat, et quid requiratur, ut ea legitime acquirantur et teneantur. III. Ad quos pertineat bonorum ecclesiasticorum administratio, et qua ratione ea sit gerenda. IV. Quæ sint variæ bonorum ecclesiasticorum species et quid hic circa singulas servandum.

§ I. *An et quarum rerum temporalium dominium Ecclesia habere possit, et qua ratione id jure nostro agnoscatur.*

619. — I. *Ecclesia legitime res temporales potest acquirere et possidere.* Propositio hæc de fide est, ut evidenter patet ex damnatione propositionum 10, 32, 33 Wiclefi.

II. *Ecclesia acquirere, et possidere potest non solum mobilia, sed immobilia etiam, et quidem jure divino, tum naturali, tum positivo, idque independenter a potestate sæculari.*

III. Ergo non ad potestatem sæcularem, sed ad Ecclesiam pertinet judicare quousque extendi debeat jus acquirendi et tenendi bona temporalia, et leges civiles vulgo dictæ *Amortizationis*, secluso speciali privilegio ab Ecclesia concesso, iniquæ sunt et in Ecclesiam injuriosæ. — Per leges autem *amortizationis* intelliguntur eæ leges civiles, quibus cavetur ne

[1] Kent, Vol. II. n. 305. sq.
[2] a. 427. sq.

Ecclesia bona temporalia, præsertim immobilia, absque sæcularis potestatis consensu acquirat, aut saltem citra certam quantitatem acquirat, ne ultra modum, ut aiunt, ditescat.

IV. *Ergo nec etiam dominium altum habet Respublica* (n. 590) *in bona Ecclesiæ*, et proinde, si hujus bonis illa indigeat, ejus consensum obtineat, necesse est.

V. *Ergo asserenda quoque est jure divino, tum naturali, tum positivo, bonorum ecclesiasticorum, intra certos saltem limites, immunitas a tributis;* negata enim penitus hac immunitate, negandum quoque foret, jus Ecclesiæ circa bona temporalia a civili potestate esse independens.

Has propositiones uberius evolutas ac probatas vide, si lubet, apud *Craisson, Elem. Jur. Can.*,[1] *Devoti, Inst. Jur. Can.*[2] vel *Kenrick*.[3]

620. — *Qua ratione jure nostro Ecclesiæ dominium agnoscatur.* Scite animadvertunt Conc. Pl. Balt. II. Patres. "Quum in Statibus hisce Fœderatis civibus omnibus et incolis integrum sit, juxta religionis suæ præcepta libere et impune sese gerere, idque leges civiles agnoscant et prædicent; nihil omnino obstare videretur, quominus eas Ecclesiæ leges accurate servemus, quæ ad Bona Ecclesiastica rite acquirenda et sarta tectaque servanda a Conciliis et Pontificibus huc usque latæ fuerunt." Verum non minus scite notant has leges in quibusdam Statibus nondum agnosci.[4]

Et re quidem vera Ecclesia apud nos 1° Legi subjicitur *amortizationis*, eo saltem sensu, quod, nisi Episcopo alterive in *proprietatem* (*in fee simple*) tradantur, universim determinatam tantum sive *speciem*, sive *quantitatem* immobilium acquirere et habere possit. 2° Alto Reipublicæ dominio generatim subditur. 3° Immunitas bonorum ecclesiasticorum arctis limitibus circumscribitur; nam ecclesiæ tantum et loca eisdem adjacentia, ac collegia (*corporations*) a tributis eximi solent, nec ea ubique. 4° Non ubique *suo* nomine bona acquirere et tenere potest.

[1] Ed. 1868. n. 761–764.
[2] L. 2. Tit. 13 et 20.
[3] Tr. X. n. 22. 24. 25.
[4] a. 199. 200.

§ II. *Quodnam sit subjectum, in quo bonorum ecclesiasticorum dominium directum resideat, et quid requiratur, ut legitime acquirantur ac teneantur.*

621. — Tres sunt sententiæ circa subjectum, cui bonorum ecclesiasticorum dominium directum inhæreat. *Prima* tenet, illud inhærere ipsis sive ecclesiis, sive institutis, in quorum usum fuerint acquisita. *Secunda*, illud apud S. Pontificem residere. *Tertia*, quæ S. Alphonso[1] verior et communior est, illud apud nullum hominem, sive publicum, sive privatum existere, sed apud Deum, sola *administratione* apud Dei ministros consistente.[2]

622. — Ut instituta ecclesiastica *canonice* bona temporalia acquirant, universim sufficit, ut ea serventur, quæ pro foro conscientiæ requiruntur inter privatos. Sic, ut donatione aliquid acquiratur, sufficit acceptatio per legitimum superiorem ecclesiastici instituti, cui fit donatio.

Ut vero titulo *civiliter* valido apud nos acquirantur et teneantur, oportet ut, vel 1° in fideicommissum (*trust*) cuiquam concedantur, vel 2° jure collegii (*corporation*) comparentur, vel 3° Episcopo aut alteri cuidam in proprietatem (*in fee simple*) tradantur.

Nullus vero horum titulorum canonicus aut omnino tutus est. Non primus. Duplici enim ratione in fideicommissum concedi possunt, Episcopo nimirum vel fideicommissariis (*trustees*), quos e gremio suo elegerint majorennes, sive fœminæ sive mares, qui ad Communionem quamdam religiosam pertinere se profiteantur. Episcopo autem, qua tali, adeoque et successoribus ejus in perpetuum, generatim concessum tantum est certam quamdam bonorum ecclesiasticorum speciem, ecclesias nimirum et presbyteria, in fideicommissum acquirere, idque in quibusdam tantum Statibus. — Hunc titulum canonicum haud esse vel ex eo patet, quod ad certam bonorum speciem coarctetur. Eum vero non omnino tutum esse experientia constat; in commotionibus enim politicis ea, quæ Ecclesiæ aut communitatis cujusdam religiosæ nomine possidentur, de-

[1] L. IV. 931.
[2] Craisson. Elem. Jur. Can. n. 767.

prædationibus sic dictis legalibus magis obnoxia sunt. Titulus tamen ille præcæteris magis canonicus est, cum vi illius Episcopus Ecclesiæ *nomine* possideat, et per eum Ecclesiæ in bona sua dominium agnoscatur. Est etiam reliquis tutior, ut ex dicendis patebit. Pessima omnium est altera ratio acquirendi, per fideicommissarios scilicet a majorennibus alicujus Congregationis electos. His enim ita electis jus competet ecclesiam reparandi, immutandi, novam ædificandi, domum pastoralem aliaque ædificia ad usum Congregationis erigendi; statuta condendi, juxta quæ res temporales Ecclesiæ administrandæ sint; disponendi de ecclesiæ reditibus, locandi sedilia, ministros eligendi et amovendi, horumque salaria, quin et officia determinandi, etc. Præterea statutis temporibus suffragiorum majoritate novos fideicommissarios loco eorum, quorum fideicommissum, quod ad certum annorum numerum definitum est, expirat, aut ipsa Congregatio aut fideicommissariorum collegium substituit, aut antiquos confirmat. Satis patet quantopere hæc omnia disciplinæ, quin et constitutioni Ecclesiæ adversentur, idque licet Episcopus aut Parochus e numero sit fideicommissariorum, aut ab his collegii sui Præses eligatur, vel etiam statuta condantur, quibus jus Ecclesiæ præservetur. Statuta enim illa, sicut et Episcopi aut Parochi in Præsidem electio, qua ceteroquin parum obtinetur, eadem majoritate, qua existunt, annullari poterunt.

Nec secundus titulus canonicus aut omnino tutus dici potest. Jus enim collegii (*of corporation*) obnoxium est infidelitati directorum; revocari etiam potest (vide n. 618), ac adjunctam regulariter habet conditionem, ne bona ultra valorem quemdam definitum collegio acquirantur.

Demum nec tertius titulus canonicus aut tutus haberi potest. "Quæ enim Episcopo," ait Kenrick,[1] "in *proprietatem* sunt tradita plurimis obnoxia sunt periculis, quum ære alieno gravari possint, aut, testamento haud rite confecto, in aliorum manus transire."

Cæterum unus ex tribus his titulis, (aut forte etiam ille, qui *ex contractu societatis* existit, et de quo infra), licet non canonicis nec omnino tutis, necessario eligendus est, ut bona Ecclesiæ, eo saltem, quo fieri possit, modo tutentur. Quis vero ex tribus præferendus sit et quæ cautelæ adhibendæ, ut pericula, quæ cum singulis conjunguntur, quoad ejus fieri poterit, amoveantur, ex sequentibus Conc. Pl. Balt. II. statutis patet.

623. — 1° Monentur Episcopi, sacerdotes et alii omnes "penes quos bona sunt sive mobilia, sive immobilia ad ecclesiasticos usus data, ut ea, quæ in singulis Fœderatis Provinciis tutissima videbitur, ratione quam primum curent ea, juxta leges civiles, usibus a donatoribus designatis servanda."[1] Ex his verbis satis patet adhiberi nullo modo posse fideicommissarios (*trustees*) ea significatione, quæ n. 622 declarata fuit. Quodsi cubi, ubi olim invecti sunt, tolerandi etiamnum videantur, intra justos limites (de quibus infra) cohibendi sunt. Illorum enim jus, quatenus ab Episcopis non dependeat, *immodicum* atque *effrænatum*, non immerito pronunciavit Pius VII. litteris ad Archiepiscopum Baltimorensem 24 aug. 1822 datis.[2]

2° In Statibus, in quibus Episcopi, defectu alterius tituli civiliter legitimi, *cogantur* bonorum ecclesiasticorum proprietatem sibi, ut personis *physicis*, adscribendam curare, eorum conscientia per S. C. de Prop. Fide[3] oneratur, ut testamento (quod etiam conficiendum, si alia quæcumque bona ecclesiastica tenendi ac tutandi methodus in effectum deducatur[4]), vel alio legitimo instrumento consulant illorum securitati; hujus autem testamenti duplicatum exemplar apud Archiepiscopum deponant (Archiepiscopus autem apud Seniorem Episcopum), idque intra tres menses a sua consecratione. Quodsi neglexerit Episcopus aliquis, monebit eum officii Archiepiscopus, eumque diu cessantem" (probabiliter *cunctantem*,) "ad S. Congregationem deferet."[5]

3° "Habeant etiam" (Episcopi) "bonorum ecclesiasticorum inventarium, et

[1] Tr. X. n. 33.

[1] a. 187.

[2] Bullar. S. C. de Prop. Fide. t. 4. p. 401. Romæ. 1841.

[3] Bullar. S. C. de Prop. Fide, t. 5. p. 81. Secundo.

[4] Conc. Pl. Balt. II. a. 204.

[5] a. 191.

titulos et instrumenta omnia rite disposita." [1]

4° "Si contigerit eos," ad longius tempus, "extra diœcesim versari, litteras procurationis" (*power of attorney*) "apud quemdam virum probatum relinquant, qui ea bona valeat usibus ecclesiasticis servare." [2]

5° "Optamus maxime" aiunt Patres "nullam in posterum erigi ecclesiam aut consecrari, nisi fuerit Episcopo, in cujus diœcesi erigenda est, in cultum divinum et utilitatem fidelium instrumento scripto adsignata, quandocumque id fieri poterit; Regularium privilegiis" (de quibus infra) "sartis tectis servatis." [3]

6° Monentur episcopi, "ne sinant sacerdotes penes se retinere *suo nomine* quæ a fidelibus in publicos et ecclesiasticos usus donata sunt, eorumque fidei commissa." [4]

7° Communitates religiosæ, tum virorum, tum etiam puellarum, et quæcumque aliæ piæ institutiones uno ex quatuor sequentibus modis bonorum suorum securitati providere coguntur.

a) Obtinendo, ubi obtineri possit, jus collegii (*Right of Corporation*). b) Per societatis contractum, quo bona in communi possidentur a tribus vel quatuor Communitatis membris, ita ut omnes socii jus illud possideant naturalis suæ vitæ tempore; sed, quocumque ex illis mortuo, jus apud superstites socios remaneat possidendi bona universa, nulla facta cuique ex ipsis potestate alienandi suæ vitæ tempore, vel per testamentum relinquendi bona prædicta post mortem: curandum tantummodo erit, in hoc casu, ut, uno ex sociis mortuo, alius ex Communitatis membris in societatem adsciscatur. c) "Si unica testamenti remaneat via transmittendi bona ad successores, illi, qui suo proprio nomine Communitatis bona possidet, curandum erit, ut statim testamentum juxta leges civiles perficiat, quod in Communitatis scriniis diligenter asservetur." d) "Ad Communitates autem" quod attinet, "quarum bona ab Episcopo possidentur, . . . per testamentum Episcopi satis bonorum illorum securitati" prospicitur. Hæc juxta mentem Decreti S. C. de Prop. Fide, 15 dec. 1840.[1]

[1] a. 188.
[2] Ib.
[3] a. 183.
[4] a. 188.

§ III. *Ad quos pertineat bonorum ecclesiasticorum administratio, et qua ratione ea sit gerenda.*

624. — Administratio *juris*, seu ipsum bona ecclesiastica administrandi jus, ad eam auctoritatem pertinet, ad quam dominium illorum bonorum pertinet; accessorum enim sequitur suum principale; porro administratio est accessorium dominii; ergo quemadmodum bonorum ecclesiasticorum dominium (*utile* ex sententia S. Alphonsi. V. supra n. 621) ad Ecclesiam pertinet, ad ipsam pariter spectat eorum administratio.

Ecclesiæ autem nomine hic venit S. Pontifex pro toto orbe; Episcopus pro sua diœcesi; Capitula et Superiores Ordinum et Congregationum pro bonis Ordinis, Provinciæ, Conventus; hi vero, Episcopi nimirum et Superiores Ordinum, cum subordinatione ad S. Pontificem et conformiter legibus Ecclesiæ, Conciliorum, Ordinis.

Administratio autem *facti* ad eos pertinet, quibus *legitime* committitur ab his, quibus competit administratio *juris*, et necessario subjicitur committenti.

625. — *Qua ratione gerenda sit administratio.*

I. *Quoad bona diœcesis universim* hæc habet Conc. Pl. Balt. II.[2]

"Valde in Episcopi solatium Ecclesiæque utilitatem verteret, si . . . Œconomum, seu in temporalibus rebus gerendis Procuratorem, laicum sive clericum nominaret, cujus foret muneris domus Episcopalis curam in temporalibus habere, necnon et ecclesiarum bonorumque ecclesiasticorum ad nutum Episcopi temporalem gerere administrationem, eidemque statutis temporibus omnium sibi commissorum reddere rationem."

II. *Bona singularum ecclesiarum* administrant *Missionarii* iis præpositi, et *Æditui*.

A) Missionarios quod attinet, Episcopi a Conc. Pl. Balt. II. Patribus monentur,

[1] Bullar. S. C. de P. F. t. 5. p. 81. Secundo. n. 10. sq. Cfr. Conc. Pl. Balt. II. a. 189–191.
[2] a. 75.

1° "Ut invigilent ne sacerdotes, vel ecclesiis temere erigendis aut reparandis, vel alia ratione ære alieno contrahendo, res ecclesiæ onerent, aut fidem fallant cum Religionis dedecore; ideo exigant rationem saltem quotannis, nec sinant eos æs alienum absque licentia scripto data, ecclesiæ *nomine* vel *causa*, contrahere.[1]

2° Ut "moneantur sacerdotes, ne res suas rebus ecclesiæ immisceant, cum famæ suæ discrimine vel offensione fidelium, qui injuriam fieri ecclesiæ facile existimant. Idcirco habeant librum, quo res omnes ecclesiæ recenseantur; et, si ipsi pecuniam in ecclesiæ usum contulerint, id fiat probante Episcopo, et cum virorum fide dignorum notitia, et in libro referatur, ut Episcopus, visitationem habens, possit singula inspicere, et jura omnium tueri."[2]

3° "Sacerdotes, qui ecclesias administrant, quarum titulus Episcopis traditus est, ne ædituos in iis absque Episcoporum auctoritate constituant, vel eligi a fidelibus permittant, ne *liberæ* earum administrationi impedimentum aliquando nascatur."[3]

Vide præterea quæ supra n. 623. 1°, 5°, 6° ex eodem Concilio retulimus.

626. — B) Quod *Ædituos* laicos attinet, "ut intra debitos limites cohibeantur, quocumque demum modo eligantur" (comprehenduntur igitur hoc decreto non tantum illi, qui sola Episcoporum auctoritate, sed et illi qui ea, qua n. 622 dictum est, ratione olim constituti fuere), Concilium Pl. Balt. II.

a) Declarat "universalem Catholicæ Ecclesiæ legem esse, omnes illos, qui Ecclesiæ bona quocumque modo administrant, nonnisi consentiente Sede Apostolica vel Episcopo id licite facere, eosque in illorum administratione auctoritati et jurisdictioni Episcoporum, vel si exempti sunt, auctoritati et jurisdictioni eorum, quos Sedes Apostolica designaverit, esse subjectos."[4]

b) Patres ad omnes harum provinciarum ecclesias extendunt, et ubique servari consulunt, sequentia Conc. Prov. Neo-Eboracensis Tertii statuta.[5]

1° "Ut ne ille Ædituorum numero adsciscatur, de quo, sub ipsam electionem vel paulo ante, constiterit eum Societati cuivis secretæ nomen dedisse, vel Sacramenta Paschalia non suscepisse."

2° "Probe intelligant Ædituí, nefas sibi *omnino* esse, vel minimum bonorum Ecclesiæ partem in suos usus quovis titulo vel prætextu traducere, aut *in extraneos, nisi de venia Episcopi, et servatis Constitutionibus Apostolicis de rerum ecclesiasticarum alienatione.*"

3° "Ordinariis sumptibus exceptis, ne liceat Ædituis pecuniæ summam, ultra trecentos scutatos nummos" ($ 300), "in ullum peculiare opus erogare, nisi Episcopus de scripto assentiatur."

4° "Norint Ædituí, penes Episcopum esse arbitrium nominandi et creandi Parochum ecclesiæ, eumque in officio detinendi vel contra. Ipsius quoque Episcopi unice est, certam nummorum summam Pastoribus animarum attribuere pro eorumdem sustentatione; neque licet Ædituis stipendia ejusmodi retinere, vel imminuere, vel augere."

5° "Pastoris est designare Organistam, Cantores, Sacristam, Custodem seu Apparitorem, Ludimagistrum (si qua schola in parochia extat), et hujus generis homines alios qui altari vel templo inserviant."

6° "Caveant Ædituí, ne, Parocho inconsulto, quidpiam tamquam legem aut normam Parochianis præfiniant. Si qua porro discrepantia Pastorem inter et Ædituos de rebus gerendis conferentes exoriatur, nec dissensionem componere ipsi per se valeant, controversiam dirimet Episcopus, cujus judicio et sententiæ parebunt omnes."

627. — III. Quod Regulares attinet, vel opera diœcesana, i. e. quæ per pecunias aliaque media ex diœcesi desumta sustentantur, — e. g. — quasi parochiam, regenda assumserunt, vel non. Priori casu in administratione bonorum, quæ ad opera illa pertinent et quæ *Ordini* in usum tradita fuisse probari scripto documento nequit, aut *per se* non patet; jurisdictioni Episcopi vel pactis inter ipsum et Ordinem conventis subjiciuntur. Dicitur: *aut per se non patet*, ut excludantur mobilia domorum religiosarum, e. g. suppellex, libri, etc. Hæc enim Regulares ex pecuniis suis vel sibi ad hoc datis compa-

[1] a. 192. [2] a. 193.
[3] a. 198. [4] a. 202.
[5] a. 201.

rant. — In posteriori casu non subjacent Ordinario, nisi aliter in limine fundationis ipsos inter et Ordinarium conventum sit.

Quod Moniales attinet, vide dicenda in Tract. *de Stat. partic.*

§ IV. *Quæ sint variæ bonorum ecclesiasticorum species, et quid hic circa singulas servandum.*

Nota. — Nomine bonorum ecclesiasticorum hoc loco veniunt non tantum ea, quæ *stricto*, sed ea etiam, quæ *lato* sensu ut talia habentur. Agemus igitur 1° de bonis beneficialibus; 2° de tributis Episcopo pendendis; 3° de reliquis bonis ecclesiasticis.

628. — Beneficium definitur a Canonistis: *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ propter officium aliquod spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum et proprio nomine exercendum.*

Dicitur: 1° *jus perpetuum;* hæc autem perpetuitas duplici modo intelligi potest, ratione scil. a) *beneficii*, quod semel erectum semper permanet; b) *beneficiarii*, qui non ad tempus, sed quamdiu vixerit jus ad percipiendos fructus beneficii consequitur. Communiter DD. asserunt perpetuitatem in utroque sensu acceptam de natura esse beneficii ecclesiastici: hoc tamen non ab omnibus admittitur, et Leurenius a Card. Soglia [1] citatus solam prioris generis perpetuitatem ut beneficiis essentialem admittit. Sententiam Leurenii amplectitur Bouix,[2] S. Alphonsus [3] et alii.

Dicitur: 2° *percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ.* Bona ecclesiastica, ex quibus fructus illi percipiuntur, vocantur *dos* beneficii, et consistunt sive in prædiis rusticis aut urbanis, sive in pascuis, silvis aut similibus, sive in illis jūribus, quæ fructuum vicem obtinent et in Jure Romano rebus immobilibus æquantur, uti sunt census vel reditus annui.

Dicitur: 3° *propter aliquod officium spirituale*, ut e. g. propter obligationem recitandi horas canonicas, deserviendi alicui Ecclesiæ per Sacramentorum administrationem, prædicationem, Missæ celebrationem, etc. Hoc autem officium spirituale fundamentum quidem est et causa beneficii, sed non est ipsum beneficium.

Dicitur: 4° *auctoritate ecclesiæ constitutum*, S. Pontificis videlicet vel Episcopi.

629. — Ex data beneficii definitione satis patet, vix non inutiliter quoad has provincias tractari quæstionem de dominio *Clericorum*. Bona enim ad Clericorum dominium pertinentia, quadruplicis generis distinguuntur, scilicet; — 1° *patrimonialia*, quæ proveniunt ex paterna hæreditate aut ex qualibet alia causa profana, puta ex donatione, etc.; — 2° *quasi patrimonialia*, quæ acquiruntur occasione et intuitu functionum ecclesiasticarum, beneficio non adnexarum, v. g. Missam celebrando, concionando, etc. Vocantur etiam *quasi ecclesiastica* vel *casualia*, et ad ea pertinent *Oblationes* fidelium ad sacerdotum sustentationem, ut constat etiam ex responsione S. Pœnitentiariæ Stata die 9 aug. 1824; — 3° *ecclesiastica*, quæ ex beneficiis Ecclesiæ oriuntur; — 4° *parcimonialia*, quæ Clericus seponit parce vivendo ex beneficii fructibus, et quæ honeste vivendo consumere posset. — Jam vero beneficium "unum tantum, sc. in civitate Neo-Aurelia, adhuc noscitur in his Provinciis"; [1] ergo bona Clericorum alia hic non sunt, nisi *patrimonialia*, et *quasi patrimonialia;* de parcimonialibus enim quæstio esse nequit, ubi beneficialia, quibus parcatur, non sunt. Itaque Clerici nostri *omnium* bonorum suorum *perfectum* habent dominium, et inutilis nobis est quæstio an ad restitutionem teneantur male impendentes superflua bonorum ecclesiasticorum, seu beneficialium, ac cæteræ quæstiones cum ea connexæ; nimirum, quid per superfluum intelligatur; an Clerici possint servare superfluum in futurum; an Clericus habens ex patrimonio, unde vivat, etiam integre ex fructibus beneficii se sustentare possit; — an etiam pensionarii (pensio ex fructibus *beneficii* extrahitur) superfluum in pauperes erogare debeant; de quibus omnibus, si casus occurreret quoad sacerdotes aliunde, ubi beneficium habuerint, in has Provincias

[1] Inst. Jur. Priv. § 81.
[2] De Parocho, p. 207.
[3] L. IV. n. 673.

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 108.

advenientes, vel circa eos ex nostris Episcopis, quibus beneficii dos constituta sit (vide n. 628. Dicitur 2°), videri potest vel S. Alphonsus,[1] vel Kenrick.[2]

630. *Nota.* — Contendit Kenrick[3] beneficiorum instar habenda esse munera, quæ in pluribus Statibus sacerdoti committuntur cum agrorum fructibus, qui presbyteriis adnectuntur, itemque pensionem, quæ presbyteris ab ædituis ob curam animarum solvitur eique adnectitur. At immerito, ut nobis quidem videtur. Nam quod agrorum istorum fructus attinet, licet immobilia sint, ac ob officium spirituale data, et Episcopi vel alterius fidei commissa, beneficia tamen non sunt; officium enim spirituale, propter quod dantur, non *proprio*, sed Episcopi *nomine* apud nos exercetur. Deficit igitur una saltem ex conditionibus ad beneficium requisitis (vide n. 628). Nec pensio ab ædituis soluta beneficium est aut ejus loco datur. Quapropter, nostro quidem judicio, non recte Kenrick[4] huic pensioni applicat responsionem, quam S. Pœnitentiaria[5] dedit circa salaria, quæ in Gallia et Belgio a Gubernio sacerdotibus solvuntur. Solvuntur enim hæc in *compensationem bonorum beneficialium*, quæ tempore perturbationis Gallicæ subrepta fuere, atque exinde *eamdem* habent naturam ac bona, quibus substituuntur; quæ quidem de pensione ab ædituis soluta nemo affirmabit.

Unus tantum casus est, in quo apud nos injustitiæ reus foret ac ad restitutionem teneretur sacerdos reditus ex istis agris, aut pensionem ab ædituis solutam percipiens, nimirum si officium, propter quod dantur, i. e. munera, quæ curam animarum respiciunt, negligeret. Deficit enim tunc *titulus*, quo percipiantur. Cæterum non facile definiri potest quantum restituendum sit, si quis aliqua neglexerit munera, v. g. Confessiones excipere, vel verbum Dei prædicare. Plerumque sufficiet socordiam discutere et liberalem se præstare erga pauperes.

631. — *Tributa*, Episcopo solvenda, vel *ordinaria* sunt, vel *extraordinaria*.

Inter ordinaria præcipuum est *Cathedraticum*, pendendum a quibuscumque parochis, beneficiariis et *ecclesiis sæcularibus*, non vero ab illis *Regularium* ecclesiis, quæ Episcopo non subjiciuntur, eo quod animarum cura parochialis, vel, ut apud nos, quasi parochialis in iis non exerceatur.[1]

Extraordinarium tributum maxime constituit *Procuratio*, seu illud, quod Episcopo tribuitur alimentorum nomine ab ecclesiis, quas canonice visitat.[2] Vide dicta n. 356. Resp. 3° a).

632. — Cætera bona ecclesiastica sunt A) *Decimæ*[3] quæ hic nullæ habentur. B) *Primitiæ*,[4] quæ nunc fere ubique desierunt, nec hic umquam *jure* tribuendæ fuerunt. C) *Distributiones quotidianæ*, quæ Canonicis, in choro præsentibus, obveniunt,[5] et de quibus apud nos, Capitulis nullis hucusque erectis, inutiliter quæstio moveretur. D) *Oblationes*, de quibus nunc, et nobis quidem uberius, agendum est.

633. — Incerta, sed quæ hucusque generatim non fefellit, fidelium largitas præcipuum, et plurimis in locis unicum est medium, quo Clerus noster sustentetur. Jam vero

Quær. 1° *An et qua ratione fideles nostri teneantur ad sustentationem Cleri, et universim religionis conferre?*

Resp. cum Kenrick,[6] "Id . . . omnibus persuasum esse debet, oportere, ut singuli pro sua parte aliquid conferant, ne sustentatione necessaria indigeant sacerdotes" et religio: "sed quamdiu *nulla certa lege* onus injungitur et definitur, non audemus peccati mortalis damnare eum, qui omittit æquam portionem conferre, quoties non est periculum ne sacerdotes ea de causa indigeant, vel alii fideles nimium graventur. Illi autem, qui præ avaritia recusant quid dare, *in iis, quæ indicavimus adjunctis*" (quæ quidem adjuncta rarius occurrunt), "videntur graviter rei, et indigni venia sacramentali; violant enim legem Christi Domi-

[1] L. IV. n. 491, 492 et Q. X. inter retract. recent.
[2] Tr. X. n. 35.
[3] Tr. X. n. 36. 37.
[4] Tr. X. n. 37.
[5] Apud Gury, P. I. n. 563. 564.

[1] Devoti. Instit. L. II. Tit. XV. § III (4). Cfr. Conc. Pl. Balt. II. a. 100 et Kenr. Tr. IV. P. II. n. 65.
[2] Devoti. Instit. L. II. Tit. XV. §§ V.–VIII.
[3] Ib. Tit. XVI.
[4] Ib. Tit. XVII. §§ I. II.
[5] Ib. Tit. XVII. §§ VIII.–X.
[6] Tr. IV. P. II. n. 64.

ni de Ministrorum Evangelii sustentatione, et se aliosque objiciunt discrimini salutis."

634. — Quær. 2° *Quæ sint præcipuæ oblationum species in his Provinciis?*

Resp. Comprehensis iis, quæ latissimo tantum sensu oblationes dici valent, præcipuæ sunt; a) pecuniæ, quæ in singulis parochiis colligi solent ad determinatas causas pias; b) donationes et legata pia; c) variarum Societatem contributiones; d) subsidia in quibusdam Statibus a potestate civili Catholicis scholis, orphanotrophiis, hospitalibus ac similibus locis piis seu institutis data; e) subsidia ab Europæis Missionum Societatibus præstita; f) collectiones infra divina Officia haberi solitæ; g) reditus ex sedilium seu scamnorum locatione; h) stipendia Missarum; i) Oblationes proprie dictæ seu jura stolæ.

635. — Oblationes, de quibus n° 634 sub a), b), c), d), ex justitia, ac proinde sub onere restitutionis, impendendæ sunt ad fines speciales, ad quos fiunt.

Pecuniæ, de quibus eodem n. 634 sub a), illæ scil., quæ in singulis parochiis colligi solent ad determinatas causas pias,

1° A sacerdote *extra* congregationem sibi concreditam vel in alia diœcesi colligi nequeunt sine licentia scripta Ordinarii, idque sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ. "Religiosi autem meminerint sui Superioris licentiam secum afferre." [1]

2° Si de Missione in aliqua parochia tradenda agitur, "Patres consultum futurum duxerunt, . . . si antequam . . . Missionarii collectas aggrediantur, vel etiam libros pios, Rosaria, Cruces, Numismata, aliaque hujusmodi in congregationibus, ubi fiunt Missiones, vel per se vel per alios vendant, tam Pastoris prævium assensum, quam Ordinarii obtineant approbationem." [2]

3° "Nulla excusatione contegi posse videtur praxis pecunias in usus ecclesiasticos iis mediis comparandi, quæ peccandi directam præbeant occasionem, scandali publici causæ sint haud infrequentes, et nomen Catholicum alienorum ludibriis et opprobriis exponant." [3] — Ideo Episcopi in Litteris Pastoralibus ad Clerum et fideles datis "We forbid," aiunt, "all Catholics from having anything to do with them" (*the Fairs, Excursions, and Picnics*), "except when managed in accordance with the regulations of the Ordinary, and under the immediate supervision of their respective Pastors." [1]

4° Conscientia Episcoporum oneratur, ut curent ne sacerdotes intra Missarum solemnia ab altari recedant, ædemque sacram circumeant, a singulis fidelibus eleemosynam petentes.[2]

636. — Æs collatitium, quod inter Missarum solemnia solet colligi, et sedilium seu scamnorum reditus, quum Sacrificii occasione proveniant, ex sententia Kenrick [3] ad parochum pertinent in suî sustentationem, nisi tamen Episcopus aliter disposuerit. Consulenda igitur sunt Statuta diœcesana.

Nota. — Sedilia seu scamna

1° Locare non est simoniacum; nam licet hic temporale spirituali, assistentiæ sc. divinis Officiis, *concomitanter* sit annexum, tamen *extrinsece* tantum eidem annectitur, cum divinis Officiis non *necessario* in aliquo sedili aut scamno sit assistendum, et hoc commodum, utpote *omnino temporale*, pretio dignum sit. At "praxim, si qua existat, pecuniam exigendi ad fores Ecclesiarum, ut fideles ingredi possint et divinis mysteriis adesse, *sibi minime placere declaravit S. Pontifex, Pius P. P. IX. et eliminandam prorsus voluit.*" [4]

2° Ad præcavenda gravissima incommoda et mala "oportet," ait Kenrick [5] "a *vendendis* scamnis abstinere, ne ementes jus *plenum* (n. 590) in iis obtineant, cum satis sit ut ea possint occupare, dum solemnia Missarum peraguntur, servatis alioquin legibus et regulis."

637. — De Missarum stipendiis statuit Conc. Pl. Balt. II.

1° "Ne quis plus, neve *regulariter* minus exigat, quam Episcopo suo opportunum ac justum visum fuerit." [6]

2° "Ne fundationes" Missarum sive

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 119.
[2] Ib. a. 476.
[3] Ib. a. 396.
[1] Conc. Pl. Balt. II. p. CXXI.
[2] Ib. a. 364.
[3] Tr. X. n. 38.
[4] Conc. Pl. Balt. II. a. 397.
[5] Tr. IV. P. II. n. 64.
[6] a. 369.

ad tempus, sive in perpetuum " acceptentur absque prævio assensu Episcopi, si de sæculari instituto agitur, vel prælati regularis, si fundatio in gratiam Communitatis exemptæ fiat." [1] — Quod vero harum stipendium attinet, ut norma commendatur Decr. IV. Syn. Cincinn. II., quo statuitur " ut pro Missa privata pondus saltem 50 scutatorum " ($ 50), " pro cantata vero 100 scutatorum ($ 100) " existat." [2] — Statuunt etiam Patres " sine mora per Episcopos et prælatos " tollendum esse abusum, quo " invitationes publicæ et frequentes ad eleemosynas in hujusmodi fundationes erogandas, per plures menses continuos ephemeridibus popularibus inter alia negotia profana inserantur." [3]

3° " Ut in singulis ecclesiis sæcularibus ac regularibus adsit catalogus sive tabella onerum, quæ ad perpetuum vel ad certum præfinitumque tempus imposita ipsis, ac respective acceptata fuerunt; utque ibidem in sacrario asserventur libri, in quorum altero perpetua hujusmodi sive temporalia onera, in altero vero Missæ manuales et adventitiæ inscribantur, una cum fideli et distincta adnotatione subsecuti utrorumque implementi." [4]

Quod *jura stolæ* attinet, vide n. 356.

§ III. *De acquisitione dominii.*

Dominium præcipue acquiri potest: 1° occupatione; 2° præscriptione; 3° accessione; 4° variis contractibus, de quibus in Tractatu particulari dicetur.

Punctum I. De occupatione.

638. *Definitio.* — Occupatio (*occupancy*) est apprehensio rei corporeæ, quæ nullius sit, cum animo eam acquirendi.

Dicitur: 1) *apprehensio rei corporeæ;* incorporea enim, uti jura (vide n. 593. 2) corporaliter apprehendi nequeunt.

Dicitur: 2) *Quæ nullius sit,* i. e. ad neminem in particulari spectet; dominium enim rerum, quæ jam sunt alicujus, aliis modis acquiritur, v. g. emptione.

Occupatio est *naturalis* dominium acquirendi modus seu titulus; extitit enim ante omnem legem civilem, et per hanc non inductus fuit, sed regulis tantum quibusdam subjectus.

Ut vero occupatio sit *legitimus* acquirendi dominii titulus, requiritur; — 1° ut res dominii capax et nullius sit; quapropter Oceanus occupari non potest, quia dominii non est capax; nec res ab alio jam occupata, cum non amplius sit nullius; 2° ut occupans velit rem suam facere, cum eam de facto apprehendit; 3° ut res corporea sit; 4° ut humana aliqua lege dominium non applicetur alteri.

Occupatio est vel *sedium*, vel *animalium*, vel *rerum inventarum.*

I. *Occupatio sedium.*

639. — " Quum generi humano totus terrarum orbis in habitationem divinitus datus sit, licet genti numerosiori novas acquirere regiones, in quibus vitam degat. Nemo quidem est, qui terras incolis *vacuas* primo occupanti sic cedere negat. Sed et regiones vastæ, quas incolunt homines *numero pauci*, et *sylvestres* seu *barbari*, possunt " ab aliis " occupari in suî utilitatem et ad humani generis decus, ut homines, pecudum fere instar viventes, ad mores humanos traducantur, ut nihil dicamus de Evangelii notitia communicanda, quæ Christi cultoribus imprimis æstimanda est." [1]

640. — Hæc sedium occupatio, jure gentium tunc vigente, Europæis titulus fuit dominii in Indorum nostrorum territoria; Status autem Fœderati jure sive belli, sive pactorum in titulum illum Europæorum successerunt, et vi illius dominium directum in territoria illa sibi vindicant, solo jure usus Indis relicto, et hoc ea lege, ut Indi illud nemini, nisi Supremo Gubernio, quod sibi jus *præemptionis* illius reservavit, vendere possint.[2]

Quodsi Supremum Gubernium bello injusto, aut Indos ad venditionem injuste cogendo, aut pactorum cum iis initorum iniqua violatione jus illorum læderet, peccarent, ut per se patet: 1) Magistratus Supremus actione sua; 2) deputati ad Congressum suo suffragio; 3) officiales Gubernii sua cooperatione; 4) privati a Gubernio ementes aut accep-

[1] a. 370.
[2] p. 319. XVIII.
[3] a. 370.
[4] a. 371.

[1] Kenr. Tr. V. n. 6.
[2] Kent, Vol. I. n. 258 – 260.

tantes terras, quarum usu Indi injuste fuissent privati.— Cæterum officiales Gubernii et privati facilius a peccato excusari poterunt, cum non teneantur inquirere de justitia actionis Gubernii Supremi.

II. *De occupatione animalium.*

641. — Quadruplicis generis animalia distinguuntur.

1° *Sylvestria* seu *fera*, quæ indole sua humano consortio abhorrent, et naturali fruuntur libertate, uti lepores in agris, pisces in mari, aves in aere moventes.

2° *Mansueta* seu *domestica*, quæ indole sua humano consortio gaudent, sed naturali libertate non fruuntur, cum hominum subsint dominio, ut oves, equi, gallinæ ad alicujus dominium spectantes.

3° *Mansuefacta*, quæ natura quidem sua fera sunt, sed hominis industria mansuefiunt, ut columbæ, apes, etc.

4° *Efferata*, quæ pristinam feram indolem, postquam fuerunt mansuefacta, resumpserunt, ut columbæ columbarium relinquentes et in agris degentes.

642. *Principia juris naturalis et nostri.* — I. *Sylvestria* seu *fera*, necnon *efferata*, fiunt *primi occupantis*. — Res enim, quæ nullius sunt, jure naturali licite occupantur, et proinde fiunt primi occupantis, saltem nisi aliqua lex positiva earum dominium cuipiam alteri applicet (vide n. 638). In dominium autem alicujus redacta, tamdiu sub dominio illius manent, quamdiu custodia retineantur, nec naturalem libertatem recuperaverint aut resumpserint. Recuperasse autem libertatem censentur, cum ita custodiam effugerunt, ut earum consecutio difficilis evaserit: et tunc ita desinunt esse sub dominio, ut alterius occupantis fieri possint, veluti nunquam dominum habuissent.

643. *Resolves.* — Fera læsa vel laqueo capta,

a) In fundo alterius ita clauso, ut feræ ex una parte non possint inde exire, ex alia vero facile *singulæ* capi queant, non est vulnerantis aut illaqueantis, quia hoc in casu feræ censentur amisisse libertatem suam et ad fundi dominum pertinere,[1] idque eodem jure, quo feræ in horto zoologico inclusæ ad dominum pertinent horti.

[1] Lugo. Disp. 6. n. 72.

b) In fundo alterius, etiam clauso, at ita pervio, ut feræ inde exire possint, est vulnerantis vel illaqueantis, si ita læsa sit, ut lædens sit moraliter certus, eamdem se facile apprehensurum, vel ita laqueo capta, ut non sit evasura[1] ("that the animal cannot escape," Kent[2]). Ratio est, quia feræ in hoc casu nullius sunt, cum e fundo possint exire, et minime habendæ sunt ut fructus fundi; ergo fiunt primi occupantis; revera autem eas occupasse dicendus est, qui vel ita læsit, ut sit moraliter certus easdem se facile apprehensurum (sic enim eas moraliter jam apprehendit), vel ita illaqueavit, ut non sint evasuræ. Ergo dominus ejusmodi fundi accipere non potest prædam ab alio *occisam*. Potest tamen 1) impedire, ne ab eo, qui occidit, capiatur, non permittendo ut fundum ingrediatur; id enim permittere non tenetur; 2) si fera capta sit laqueo, quem quis, invito fundi domino, posuerit, præda potiri; quia sicut jus habet, ne ingrediaris ad laqueum ponendum, ita etiam, ut ne ad eximendam feram introeas. Posset igitur ipse feram dimittere; sed dimittendam plane potest occupare. Ergo; 3) compensationem petere damni, quod venator sibi, seu fundo suo intulit.

Quod de venatione hic resolvimus, idem, servata proportione, de piscatione resolve; nam et in hac de feris agitur, quæ, nisi naturali libertate ita priventur, ut nulla possit e vivario aut piscina, in qua quis eas conclusit, evadere et omnes facile capi valeant, res sunt nullius ac proin primi occupantis seu capientis.

Nota.— Ostreæ (*oysters*), quas quis habet in ea parte aquæ, in quam dominium habet, sine injustitia ab aliis capi nequeunt; habentur enim in strato (*bed*), unde exire nequeunt et ex quo omnes facile capiuntur.

644. — Obligationes e legibus civilibus, ad venationem et piscationem pertinentibus, enascentes, *aliæ* regimen externum ac bonum ordinem spectant, et referuntur v. c. ad tempus, quo venatio aut piscatio permittatur, et hæ, ex sententia S. Alph.,[3] mere pœnales sunt; — *aliæ* urgent ex jure naturali respectu proprietarii fundi; et hæ obligant ex jus-

[1] H. A. Tr. X. 71. L. IV. 604.
[2] Vol. II. n. 349.
[3] L. I. 145.

titia commutativa, si fundus vel stratum ita clausum sit, ut feræ vel pisces non possint evadere et a domino fundi omnes facile capi valeant; *aliæ* respiciunt obligationes, quæ oriuntur ex jure venandi vel piscandi exclusive alicui concesso, et hæ ex justitia commutativa eatenus tantum stringunt, ut quis *jure* isto privari non possit. *Jure* autem illo tunc privaretur, quando quis tantam multitudinem v. c. piscium, in flumine exclusive alicui ad piscandum assignato caperet vel destrueret, ut ipsius jus piscationis notabiliter læderet.

645. PRINCIPIUM II. — Animalia ex natura sua *sylvestria*, sed *mansuefacta*, prioris domini remanent, quamdiu custodiam ipsius non evaserint aut consuetudinem revertendi non amiserint; ejusmodi enim animalia ad possessorem pertinent tum ratione occupationis, tum etiam ratione educationis et detentionis. — At vero, si custodiam domini evaserint aut revertendi consuetudinem amiserint, alterius primi occupantis fiunt, quia suam naturam recuperarunt et *efferata* facta sunt (vide n. 642).

646. *Resolves.* — 1° "If a swarm of bees had flown from the hive of A, they were" (at common law) "reputed his so long as the swarm remained in sight, and might easily be pursued; otherwise they became the property of the first occupant. Merely finding a tree on the land of another, containing a swarm of bees, and marking it, does not vest the property of the bees in the finder. Bees which swarm upon a tree do not become private property until actually hived.[1]

2° Columbæ fugientes proprio motu, quin fraude attractæ sint, fiunt ejus, in cujus columbarium veniunt. Secus, si fraude, v. g. cibo *omnino extraordinario*, seu *valde exquisito* alliciantur, nisi tamen consuetudo id permittat.[2]

Licebit autem, nisi facile eas abigere valeas, occidere columbas alienas agro tuo *graviter* nocentes aut noctiuras, easque post damnum illatum pro noxa capere. Licet enim unicuique rem propriam servare, etiamsi exinde alteri sequatur *indirecte* damnum æquale damno, quod damnificandus vult *directe* a seipso avertere. Columbæ autem non præsumuntur graviter nocere, nisi tempore messis aut seminum.[1]

Pro Luisiana quoad apes et columbas vide Civ. Code of Louis.[2]

647. PRINCIPIUM III. — Animalia *mansueta* seu *domestica* remanent prioris domini, quantumvis aberrent; unde non possunt ab alio occupari, et fructus naturales ex occupatis forte percepti (v. g. ova, etc.) restituendi sunt. Ratio est, quia animalia domestica numquam possunt dici recuperasse suam libertatem, cum ex natura sua libertatem nullam habeant. Quoad illa igitur occupationi locus numquam dari potest, nisi inventione.

III. *De occupatione rerum inventarum.*

648. — Res, quæ inveniuntur, *aliæ* dominum neque habent, neque umquam habuerunt, v. g. lapilli et gemmæ, quæ in littore maris interdum reperiuntur; *aliæ* dominum quidem jam habuerunt, sed nunc desierunt habere, uti sunt thesaurus, bona vacantia et derelicta; *aliæ* dominum habent, sed ignoratur quisnam sit, ut sunt res nuper amissæ.

649. PRINCIPIA. — I. Res inventæ, quæ dominum neque habent, neque habuerunt, pertinent ad ipsum inventorem. Hinc lapilli, gemmæ, ambrum, margaritæ, coralla, etc., quæ in littore maris aut in fluminum fundo reperiuntur vel scopulis adhærent, sunt inventoris.

Illa autem universim dominum neque habere, neque habuisse juxta leges moresque nostros censentur, quæ non habentur ut partes alicujus fundi. Hinc non inventoris, sed domini fundi sunt venæ metallicæ, lapicidinæ, carbonariæ, cretariæ, arenariæ, itemque illæ, quibus petroleum continetur.

650. — II. Bona quæ dominum quidem habuerunt, sed nunc desierunt habere, sunt *vel* thesaurus, *vel* bona derelicta, *vel* bona vacantia.

Thesaurus (*treasure-trove*) est quæcumque res mobilis infossa vel abscondita, cujus domini memoria non extat, ita ut nemo possit demonstrare illam esse suam. Dicitur: 1) *Quæcumque res mobilis* (intel-

[1] Kent, Vol. II. n. 350.
[2] Lugo. Disp. 6. n. 42.

[1] Lugo. Disp. 6. n. 42.
[2] a. 519.

lige quæ sit pretio æstimabilis) : ergo pecunia, numisma, vasculum, campanula possunt esse materia thesauri. — Dicitur : 2) *Infossa*, v. c. in agro ; *vel abscondita*, v. c. in arca veteri. Si non foret infossa aut abscondita, res non haberetur ut verus thesaurus, sed ut amissa.

Thesaurus jure naturæ ad inventorem spectat, quia habetur uti res nullius, non autem uti pars loci ; unde esse debet primi occupantis. Et cum leges nostræ nihil de eo decernant, solo hoc naturæ jure regimur, excepta Luisiana, ubi thesaurus in *proprio* inventoris *fundo*, aut fortuito in fundo ad neminem pertinente repertus totus est inventoris ; in alterius vero fundo, item *fortuito* inventus, inter proprietarium fundi et inventorem æque dividendus est.[1]

651. — Quær. *An opifex, in domo aliqua laborans, si inveniat in aliquo angulo parietis vel in arca veteri summam pecuniæ, illam* (*aut in Luisiana illius partem dimidiam*) *retinere possit ?*

Resp. Dist., Neg., si adsint vestigia, ex quibus judicetur pecuniam hanc esse talis personæ vel familiæ ; quia tunc pecunia illa reputanda est ut nuper amissa. Secus *affirm.*

652. — *Bona derelicta* sunt bona, quæ dominus ipse rejicit animo ab se abdicandi eorum dominium. Unde primi occupantis fiunt. Ejusmodi sunt *glandes, nuces, castaneæ*, quæ collectione ; — *spicæ*, quæ messe ; — *uvæ*, quæ vindemia facta supersunt. Plerumque etiam quæ in terra jacent ligna arida et mortua, non ita quæ sepium (*fences*) instar sunt, vel alias usui alicui destinata.

Qui vero in sylvis alienis cædunt ligna, de damno tenentur, quod tamen hic in locis nondum excultis nullum plerumque est ; interest enim dominorum, ut arbores tollantur ad solum frumento parandum ; sed in locis excultis majus vel minus est pro rerum adjunctis. Prope civitates et oppida ligna plurimi valent, sicut omnibus in locis, in quibus raræ sunt arbores, e. g. in immanibus pratis occidentalium quorumdam Statuum, præsertim Illinoisiensis.[2]

653. — Quær. *Quid de bonis, quæ dicuntur* DERELICT AT SEA *et* WRECKS ?

[1] Civil Code of Louisiana, Art. 3423.
[2] Kenr. Tr. X. n. 66.

Resp. 1° "The right of acquisition, by finding, . . . does not extend to goods found *derelict* at sea, though abandoned without hope of recovery." [1]

Resp. 2° "A *wreck* is understood to be goods cast or left upon land by the sea," [2] nec hæc inter derelicta censenda sunt.

Ratio utriusque responsi est, quod dominus *spem* quidem, non tamen *animum* ea recuperandi abjecisse censendus sit, nisi casu, quo expensæ ad ea recuperanda valorem eorum saltem æquarent. Pro *foro interno* igitur, et extra casum, quo expensæ ad ea recuperanda valorem ipsorum saltem æquarent, idem de iis est tenendum, quod de nuper amissis ; in foro autem externo maximis quandoque pœnis plectuntur, qui ea sibi appropriant.[3]

654. — Bona *vacantia* dicuntur, quæ quis intestatus reliquit, cui nullus hæres juxta *legem* seu ab intestato succedat. Etiam hæc, jure *naturali*, sunt *primi occupantis*, cum nullum amplius dominum habeant. Jure autem *nostro* duplicis generis bona vacantia distinguenda sunt. Legum enim nostrarum dispositio hæc est : "Whenever the owner dies intestate, without leaving any inheritable blood, or if the relations, whom he leaves, are aliens, there is a failure of competent heirs." [4] In priori casu, nimirum "whenever the owner dies intestate, without leaving any inheritable blood," leges nostræ, saltem quoad mobilia, in foro interno ante judicis sententiam haud obligare videntur, et solo jure naturali, quo primi occupantis fiunt, conscientiam regi putamus. In posteriori casu, sc. "if the relations, whom he leaves, are aliens," notandum est : —

1) Bona, etiam immobilia, in quibusdam Statibus, — et mobilia in omnibus, — distribuuntur hæredibus.

2) Ubi hæc legum liberalitas non viget, a) "*justitiam* non violat filius bona patris sibi usurpans, quum illi faveat naturæ jus, vel saltem gentium omnium consuetudo naturæ admodum consentanea, cui vix derogare valet lex specialis, nisi in foro externo. b) Propinqui bona de-

[1] Kent, Vol. II. n. 357.
[2] Ib. n. 359. c.
[3] Kenr. Tr. X. n. 65.
[4] Kent, Vol. IV. n. 424. Cfr. Vol. II. n. 61.

functi usurpantes, si filii desint, non videntur injustitiæ rei, si ea inter se distribuant, eo modo, quo fieret ex legis sanctione, si civis fuisset: quod enim jus illud lex deneget alienigenæ, et Statui vindicet bona, referendum est ad externum regimen, potius quam ad proprietatis definitionem, ideoque non ligat conscientiam, quamvis — c) si executioni demandetur, necesse sit haud resistere. d) Cæteri qui nullum jus habent, si bona defuncti," cui *filii* non supersint, "haud defe'ant Statui, sed in usus pios impendant, . . . non sunt culpandi, cum nullius jus "strictum violent: quæ tamen nulla ratione possunt sibi usurpare, . . . nisi illis constet de voluntate defuncti sibi ea donandi. e) Si supersint filii, iis bona omnino tradenda sunt, nisi fisco dentur, vel nisi plane sint indigni et prodigi. f) Si propinqui inopia premantur, iis præ aliis subveniendum est. g) Non auderemus autem damnare eum, qui neglectis propinquis haud indigentibus, daret bona defuncti pauperibus" vel aliis causis piis ea applicaret: "propinqui enim jus strictum non habent." Ita Kenrick.[1]

655. III. — Res nuper amissæ domino, si inveniatur, reddi debent, quia amissionis factum non est titulus ad dominum re sua spoliandum: ergo cum res nuper amissæ dominum etiamnum habeant, huic, si detegatur, reddendæ sunt.

656. — *Resolves.* 1° Ergo circa rem a quopiam, sive noto, sive ignoto amissam, quam forte reperias, multiplex adesse potest obligatio. Nam

a) Obligare te potest caritas ad curam rei suscipiendam, si prævideas secus rem quomodocumque domino perituram.

b) Itidem caritas exiget, ut, si quando tibi constet de re ab alio aut amissa aut inventa, id aliis aperias, quando prudenter judices, id profuturum, ut res in manus domini redeat.

c) Si rem forte inventam ipse accipias, ex justitia teneris imprimis diligentem rei curam gerere, eamque custodire; accipiendo enim rem speciem illam quasi contractus inis, quæ negotiorum gestio dicitur, et de qua infra, ubi de *Contractibus*.

[1] Tr. X. n. 64.

d) Pariter, si ignotus est tibi rei dominus, ex justitia teneris rem non occultare: quam obligationem violabis non modo, si caute rem ita abscondas, ut rescire dominus non possit, rem apud te latere, sed etiam, si media idonea non adhibeas, ut notitia rei apud te existentis ad dominum perveniat.

2° Diligentia adhibita, quæ rei inventæ valori correspondeat, vel aliqua apparet spes inveniendi dominum, vel non. Si *prius*, res conservanda est, aut, si servari nequeat, ejus pretium: quodsi neutrum servari potest, debet impendi in causas pias; nam, tali spe durante, dominus habet dominium rei; ideo illa impendenda est juxta præsumptam ejus voluntatem, et tunc si, postquam in causas pias tradita fuit, dominus compareat, res si etiamnum in æquivalenti existat, ipsi a paupere vel eam habente restituenda est; traditio enim talis hanc videtur includere conditionem: *nisi dominus innotescat.* — Si *posterius* (quod dijudicandum est e circumstantiis temporis, distantiæ, loci, vel impossibilitatis recognitionis rei, ut accidit in nummis ordinariis), inventor potest illam sibi retinere, cum sit nullius; quodsi casu postea dominus compareat, nihil ei debetur, cum amiserit omne jus. Ita S. Alphonsus,[1] aliis alia opinantibus. Hinc famula cauponis, quæ tabernam verrendo aliquos nummos invenit, quin spes adsit, ob magnum scilicet concursum fore ut dominus inveniatur, eos sibi retinere potest. Hinc etiam qui animalia, quæ a dominis aberraverunt, retinet, omissa diligentia ad inveniendos dominos, injustitiæ reus est; debetque deinceps, si dominus inveniri nequeat, vel ipse nequeat rem prodere, ob omissam diligentiam, pretium impendere in causas pias.[2]

3° Dominus comparens inventori vel detentori rei resarcire tenetur expensas factas, ut res conservetur, aut dominus ejus inveniatur.

Punctum II. De Præscriptione.

657. *Definitio.* — Præscriptio definitur: medium institutum ab acquirendum aliquod jus, vel ad se liberandum ab aliqua obligatione per certum tem-

[1] L. IV. n. 589. 590. 603. H. A. Tr. X. 69.
[2] Kenr. Tr. X. 60.

poris lapsum, servatis conditionibus a lege statutis.

Differt præscriptio a consuetudine; præscriptio enim est *quid facti*, per se jus legale neque constituens neque mutans, sed mutans *directe* dominia rerum vel jura æquivalentia. At consuetudo est quid *juris*, quia, ut notat Suarez,[1] habet primario et ex se vim legis.

658. *Præscriptio est legitimus acquirendi modus.* — Nam non solum a jure positivo tum civili, tum canonico[2] approbatur, vim proinde habens in utroque foro, externo et interno; sed et valde conformis est juri naturali et in eo fundamentum habet, cum tota innitatur bono communi, quatenus boni communis summopere interfuit: 1) ne quarumdam rerum diu, et fere semper incerta essent dominia; 2) ut aliquis litium foret finis; 3) ut possessores tranquillo animo in possessione sua serventur, neque ipsi prope immortali timore teneantur; 4) ad vitandam dominorum segnitiem, et longi temporis errorem et confusionem.[3] Quare Angelicus: "Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post præscriptionem."[4]

659. — *Dividitur* in *acquisitivam*, quæ et *usucapio* dicitur, et qua jus aliquod acquiritur, — et *liberativam*, quæ simpliciter *præscriptio* audit, et qua quis obligatione quadam liberatur. *Acquisitiva* apud nos proprie "*limitation*" audit, et ad bona corporea refertur; *liberativa* "*prescription*," et ad sola incorporea, ut servitutes, pertinet. Hodie tamen voces illæ promiscue adhibentur; communius tamen "*limitation*," et quidem ad utramque præscriptionem significandam.[5]

660. — Præscribere possunt omnes, qui capaces sunt acquirendi dominii, iidemque, quoad res tamen præscriptibiles, præscriptioni subduntur; ergo non tantum personæ physicæ, sed et morales, ut Ecclesia, communitas, publica instituta. Personæ tamen morales præscriptionem aliis in foris nostris civilibus opponere nequeunt, nisi quatenus *civiliter* dominii sint capaces.

Nemo autem contra seipsum præscribere potest, cum justitia sit ad alterum, et sic, si beneficiatus jam a multo tempore ex errore quatuor celebravit Missas, cum tamen ex beneficii fundatione non obligetur nisi ad duas, non ideo imposterum tenebitur ad quatuor. — *Conditiones* ad legitime præscribendum sunt: *res præscriptibilis, possessio, titulus, tempus requisitum, bona fides.*

I. *Res præscriptibilis.*

661. — Præscribi nequeunt:

a) *Quæ sunt Juris naturalis aut divini.* — Ita subditus, quamdiu talis est, nequit præscribere immunitatem ab obedientia erga suum Superiorem.

b) *Res publicis usibus deputatæ*, uti via publica, platea, pontes et similes, *nisi earum usus in populo cessaverit.* — Inde quocumque tempore tolli possunt domus, sepes, aliaque, quæ vias publicas alicujus civitatis obstruunt.

c) *Quæ non sunt in commercio*, uti res sacræ, Ecclesiæ, cœmeteria.

d) *Quæ lex ipsa, sive ecclesiastica sive civilis, imprescriptibilia declarat.* Sic ex dispositione legis ecclesiasticæ præscribi nequeunt dicœceseon limites, si de ipsis constat,[1] aut onera et conditiones piis fundationibus appositæ.[2]

e) Res furtive aut vi possessæ numquam præscribuntur a fure, cum bona fides ei desit; sed eædem res, bona fide a fure acceptæ cum titulo (intellige: contractus onerosi), præscriptione longissimi temporis acquiruntur.[3]

II. *Possessio.*

662. — Possessio est detentio rei vel fruitio juris, proprio nomine, per se, aut per alium, qui nostro nomine rem illam detinet, vel illud jus exercet. Fruitio juris appellari solet possessio *impropria*, seu *quasi possessio*; nam proprie *possessio* dici consuevit solum de corporeis rebus, non autem de incorporeis, cujusmodi est v. g. jus eligendi, servitutum, etc.

[1] De Relig. L. 1. c. 12.
[2] Q. 3. c. 2. caus. 16. S. Alph. L. IV. 504. 517.
[3] Cod. L. VII. T. XXXIX. l. 7. Decr. L. II. T. XXVI. c. 5.
[4] Quodl. XII. a. 24.
[5] New Amer. Encycl. *v.* Prescription.

[1] C. 16. qu. 3. c. 2.
[2] Trid. S. XXV. c. 4. Rf. [3] L. IV. 515.

663. — Possessio, ut præscriptionem inducere possit, debet esse :

1° *Dominativa*, seu res debet haberi, vel jus exerceri nomine proprio, ut dicitur in definitione, seu animo proprietarii. Hinc qui detinet rem, vel exercet jus nomine alterius, v. g. ut colonus, depositarius, usufructuarius, nequit præscribere ; quod et valet de eorum successore titulo universali, non vero de successore titulo particulari, ut e. g. de eo, qui emptione rem tenet a depositario. — Hinc etiam actus *simplicis tolerantiæ* nequeunt esse fundamentum præscriptionis ; nam actus hujusmodi fiunt ex tacito vel præsumpto consensu domini ; ergo nomine alterius. Sic titulo amicitiæ aut viciniæ multa tolerantur aut permittuntur, quin ex iis aliquod jus acquiratur. — Nec actus *meræ facultatis*, seu *simplicis non usus* præscriptionem inducere possunt. Sic ex eo, quod per 20 annos non ædificaverim in fundo meo, vicinus nequit impedire, quominus hodie ædificem.

2° *Tranquilla* seu *pacifica*, seu quæ quemlibet violentiæ actum excludat. — Unde, si vis adhibeatur ad acquirendam possessionem, nulla erit præscriptio, sed simpliciter furtum, non vera possessio, seu nomine proprio.

3° *Certa*, non æquivoca seu dubia, ita ut, qui possidet, moraliter certus sit se jus habere rem detinendi vel jus exercendi : alioquin enim deesset conditio *bonæ fidei*, ad præscriptionem requisitæ.

4° *Continuata* seu non interrupta donec tempus requisitum compleatur. Qui tamen in rem succedit sive titulo universali, nempe ex hæreditate, sive titulo particulari, puta quia rem emit, ad præscribendum recte unit tempus, quo ipse possedit, cum tempore, quo possidebant ejus antecessores.

5° Pro *foro externo* demum *publica*, ita ut is, contra quem currit præscriptio, eam cognoscere possit et reclamare, si velit accurate attendere. Si enim non esset ita publica, in foro externo mala fides seu animus occultandi præsumeretur.

III. *Titulus.*

664. — Titulus hic dicitur causa *per se* ad dominium transferendum sufficiens, v. g. emptio, donatio, etc. Quintuplex autem distinguitur titulus : — *Verus*, seu qui nullo laboret vitio ; — *Coloratus*, sive apparens, seu qui occulta laborat nullitate ; qualis adesset, si v. c. a Titio rem emissem, quam putabam esse Titii, cum tamen esset Sempronii ; — *Existimatus*, qui prudenter creditur adfuisse, licet de facto non adfuerit, ut si filius ex hæreditate possideat rem, quæ a patre putetur empta, cum empta non sit ; — *Præsumptus*, quando allegari non potest certus titulus, sed ob temporis diuturnitatem præsumitur adfuisse ; — *Vitiosus*, qui caret aliqua conditione *a lege* statuta.

Jam vero ad legitimam præscriptionem titulus *verus* non potest requiri ; nam tunc non esset necessaria præscriptio, cum nemo rem suam præscribere possit. — *Vitiosus* autem allegari non potest, quia dispositiones legis, quibus consentaneus non est, nunquam *reputantur* ignotæ. Unde axioma : *melius est non habere titulum, quam titulum vitiosum.* — Titulus autem vel *coloratus* vel *existimatus* requiritur et sufficit, cum tunc satis salvetur bona fides. Imo ad præscriptionem annorum viginti, quæ in plerisque Statibus nostris " *longissimi temporis* " præscriptio dicenda est, sufficit *præsumptus*, seu nullus exhibendus est, cum ex ipso facto possessionis tranquillæ per tantum temporis intervallum supponatur adesse. Titulus præsumptus etiam in conscientia valebit, si adfuerit bona fides.

Ergo pro foro interno semper requiritur titulus, et pro solo externo valere potest effatum. *Pro mobilibus possessio titulo æquivalet.* Repugnat enim quod aliquid meum esse existimem, si nulla sit causa, seu titulus, cur id existimem.

IV. *Tempus requisitum.*

665. *Nota.* — 1° Quæ de tempore, in singulis Statibus nostris ad præscriptionem requisito, dicturi sumus, applicari *jure* non possunt, at *facto* vix non debent, sed in foro externo tantum, ad bona (probabiliter immobilia [1]) ecclesiarum et locorum piorum, quæ non præscribuntur nisi post annos quadraginta.

2° De tempore ad præscribendas *servitutes* (*easements*) requisito loquemur, ubi de ipsis servitutibus.

[1] L. IV. 510.

3° Si res aliena possessa fuerit a pluribus successive, ultimus possessor ad præscribendum computare potest omne tempus, quo ab aliis bona fide detenta fuerit, etiamsi eam a paucis diebus habeat, quando præscriptionis tempus completur, vide n. 663. 4°.

4° De rebus *furtivis* aut vi *possessis* vide n. 661. e).

5° Dispositiones legum nostrarum circa tempus ad præscriptionem requisitum in conscientia non valent, nisi in possidente adsit *bona fides*.

666. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *Quid leges nostræ disponant circa tempus ad præscribendum requisitum?*

Resp. 1° *Immobilia* seu *real property* sine titulo præscribuntur spatio annorum 40 in *Maine*, 30 in *Alabama* et *Louisiana*, 21 in *Kansas*, *Nebraska*, *Ohio*, *Pennsylvania*; 15 in *Connecticut*, *Vermont*, *Virginia*; 10 in *Indiana*, *Michigan*, *Mississippi*, *Nevada*; 7 in *Florida*, *Georgia*, *North Carolina*, *South Carolina*, *Tennessee*; 5 in *California*; 20 in cæteris Statibus et Territoriis. Ita juxta Wells.[1]

Resp. 2° quoad mobilia, census (*interest*), debita, etc. lectorem remittimus ad cujusque Status leges, vel ad Wells.[2]

667. — **Quær.** 2° *Quomodo infirmetur præscriptio?*

Resp. Renunciatione, interruptione, suspensione.

1° *Renunciatione.* Quisque enim potest *generatim* juri suo renuntiare. Cessat autem præscriptio per renunciationem non solum expressam, sed etiam tacitam, eam nimirum, quæ ex aliquo facto deducitur, ut si quis, non obstante præscriptione, quæ ipsum liberat a solutione, adhuc sciens solvat. Diximus: *generatim*; nam ut valeat renuntiatio, requiritur; 1) ut renuntians sit capax alienandi, quia per renunciationem alienat jus recurrendi ad præscriptionem. Sic renuntiare nequeunt religiosi singuli privilegiis Ordinis sui; 2) ut alienatio non lædat jus creditorum et aliorum interesse habentium.

2° *Interruptione*, cum nempe ob impedimentum interpositum cessat tali modo, ut iterum inchoari debeat. Hoc autem duplici modo fieri potest; 1) *naturaliter* quod dupliciter contingit, nimirum; a) si quis a possessione dejicitur et rei fruitione privatus fuit per illud tempus quod leges singuli Status aut quandoque judicis arbitrium statuunt; b) si mala fides superveniat. — 2) *civiliter*, si lis moveatur *juridice*, nec interpellatio a judice rejecta fuerit. Item si debitor vel rei possessor recognoscit jus illius, contra quem præscribitur.

3° *Suspensione*, seu dormitione, quando nempe impedimentum adest, quod nisi removeatur, præscriptio *ulterius procedere* nequeat. Impedimentum autem generatim dici potest quidquid obstat, quominus quis propriis rebus invigilare valeat suaque jura tueri, juxta illud: "contra non valentem agere non currit præscriptio." Porro impedimentum existere potest vel ex parte *personarum*, vel ex parte *causæ* alicujus *externæ*.

Ex parte personarum. — Sic leges nostræ generatim disponunt: "Minors, married women, persons out of the United States (and generally out of the State), insane or imprisoned, may bring action within the times of limitations after such disability is removed." Minoribus Jure Canonico æquiparatur ecclesia, dum caret rectore aut superiore.

Ex parte causæ externæ. — Si justitiæ administratio, clausis tribunalibus, omnino suspenditur, adeo ut privatus suum nequeat tueri jus, ut e. g. contingere posset tempore belli.

668. — **Quær.** 3° *An valeant præscriptiones brevis temporis, quibus quis liberatur a solvendo debito?*

Resp. 1° *Neg.*, si de primo debitore agatur, quia in eo bona fides magis, quam in fure, supponi nequit, siquidem bona fides debiti ignorantiam omnino requirit.

Resp. 2° *Affirm.*, quoad successores primi debitoris, saltem titulo particulari, juxta dicenda infra, si debitum auctoris ignoraverint.

V. *Bona fides.*

669. — Bona fides hic intelligitur illa animi affectio seu persuasio, qua quis prudenter judicat rem, quam possidet, esse suam, quamvis revera non sit: unde bona fides supponit ignorantiam invincibilem.

[1] pp. 321–338.
[2] Ib.

I. Hæc bona fides omnino necessaria est ad acquirendum dominium ex præscriptione. Etenim qui advertit se possidere bona aliena, eo ipso statim obligationem restitutionis contrahit, et de jure naturali, ac etiam positivo sive divino, sive humano, res aliena scienter neque *subripi*, neque *retineri* potest. Constat etiam ex Conc. Later IV.,[1] necnon ex Reg. 2ª Juris in 6°, quæ sic habet: "*Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.*"

Potest tamen probabilius præscribere, qui rem putat esse suam per ignorantiam leviter culpabilem, seu possessor fidei *venialiter* malæ, cum in jure[2] sola fides mortaliter mala damnetur.[3]

Ergo dispositiones legum civilium, quatenus bonam fidem non expresse exigant, in foro interno non valent, et velut mera actionis seu recursus denegatio sunt habendæ.

II. Requiritur autem bona fides non solum ad præscriptionem *acquisitivam*, sed etiam ad *liberativam*, quia pro utraque eædem auctoritates et rationes æque urgent. — Verumtamen juxta multos theologos et juristas bona fides non requiritur, ut libereris ab aliqua servitute *passiva* rustica, e. g. *viæ*, seu potius dicendum est, tunc bonam fidem in hoc consistere, ut nullum ponas obstaculum, quo alter ab usu juris sui impediatur. Ratio est, quia ad ejusmodi præscriptionem non requiritur ullus actus præscribentis, sed tantum non usus ex parte illius, cui jus servitutis competit, quem præscribens, decurrente præscriptionis tempore, monere non tenetur, ut contra se servitutis jure, v. c. via, utatur. Alii tamen negant, et certo quidem negandum est de servitutibus urbanis, v. c. ut fenestra in muro non aperiatur. Contra has enim servitutes non præscribitur sine actu aliquo positivo præscribentis, qui sine bona fide injustus foret.

670. QUÆSITA. — **Quær. 1°** *An præscribat hæres, qui dubitat de bona fide antecessorum?*

Resp. Affirm., supposito quod debitam diligentiam ad dubium solvendum adhibuerit. Ratio est, quia mala fides præsumi non debet, *saltem ordinarie et per se*; nemo enim malus præsumitur, nisi probetur. — Idem tene in genere de eo, qui legitime succedit in aliquam possessionem. — Qui autem certus est de mala fide antecessoris, non præscribit.

Quær. — 2° *An mala fides antecessoris ignorata semper impediat successorem a præscriptioue?*

Resp. 1° *Affirm.*, si hæres succedat ex titulo universali, i. e. tali, qui complectitur universitatem vel quotam partem bonorum, puta dimidium universalitatis, ut locum habet in institutione hæredis proprie dicti. Ratio est, quia fictione juris hæres titulo universali censetur esse unica persona moralis cum auctore, in omnes hujus obligationes et onera succedens.

Resp. 2° *Neg.*, si succedat titulo particulari, i. e. tali, qui respiciat rem aliquam particularem, ut obtinet in legatis et contractibus. Ratio est, quia tunc non censetur unicam personam constituere cum antecessore.

Quær. 3° *An mala fides antecessoris noceat hæredi mediato?*

Resp. Affirm., probabilius. Ratio, quia censetur unicam facere personam cum antecessore.[1]

Punctum III. De Accessione.

671. *Definitio.* — Accessio ("*the right of accession*") est ille dominii acquirendi modus, quo nostrum fit, quod vel rebus jam nostris (mobilibus sive immobilibus) adjungitur, vel ab ipsis rebus nostris (mobilibus sive immobilibus) producitur, sive industria, sive ipsa suî natura.

Divisio. — Accessio tripartito dividitur, nempe in *naturalem*, *artificialem* et *mixtam*.

1° Accessio est *naturalis*, cum ex *natura tantum* una res ab alia *nascitur*, uti agnus ab ove; — vel una res alteri *naturaliter conjungitur*, uti terra, quæ *sensim* (non repentine) per aquam alterius ripæ accedit.

2° *Artificialis*, cum *ex alterius materia res nova conficitur*, uti si ex alterius lanis vestem conficias, ex alieno tritico panem, vel calicem ex alieno argento; — vel dum res alienæ cum propriis aut *conjunguntur*, ut si alienam pingas domum; aut *confun-*

[1] L. II. Decr. T. XXVI. c. 20.
[2] Ib.
[3] L. IV. 511.

[1] L. IV. 512.

duntur, ut si vinum tuum cum alterius confundas vino; aut *commiscentur*, ut si granum tuum cum alterius commisceas grano.

3° Accessio denique est *mixta*, cum simul et naturâ et industriâ una res alteri conjungitur, uti plantæ in alieno fundo positæ, semina in agro alieno diffusa, aut vice versa.

672. PRINCIPIA. — I. Accessio naturalis fit vel *nativitate*, vel *alluvione*.

Nativitate, seu quando tibi nascitur animal conceptum de masculo ad alium pertinente. Qui habet matrem, jus habet ad omnia animalia ex ea nata. Hinc axioma: "*Partus sequitur ventrem.*"

Alluvione, de qua hæc nota ex Kent. a) "If a *fresh* water river, running between the lands of separate owners, *insensibly* gains on one side or the other, the title of each continues to go *ad filum medium aquæ;* but b) if the alteration be *sensibly and suddenly* made, the ownership remains according to the former bounds, and if the river should then forsake its channel and make an entire new one in the lands of the owner on one side, he will become owner of the whole river, so far as it is enclosed by his land. . . . c) If soil be formed out of the sea or a river by slow and imperceptible alluvion and accretion, it belongs to the owner of the adjoining land. d) Islands situated in a river . . . belong to the person who owns the land on that side of the river to which they are nearest, though, if they be situated in the middle of the river, they would belong in severalty to the owners on each side, according to the original dividing line or *filum aquæ*, continued on from the place where the waters begin to divide." [1]

673. — II. Quoad *accessionem artificialem*, "the English" (as also the American) "law will not allow one man to gain a title to the property of another upon the principle of *accession*, if he took the other's property *wilfully* as a trespasser.[2] Sin autem *bona fide* fiat accessio, tunc.

a) Si ex alterius materia res nova conficitur, — quod *specificationem* vocant, — sequens valet regula: "If A should make wine out of the grapes, or meal out of the corn of B, or make cloth out of the wool of B, or a bench, or a chest, or a ship out of the timber of B, the most satisfactory decision, according to the Institutes of Justinian, is, that if the species can be reduced to its former rude materials, the owner of the materials is to be deemed the owner of the new species"; artifici tamen pretium laboris sui solvendum est, si bona fide egit, et opus sit domino utile; "but if the species cannot be so reduced, as neither wine nor flour can be reduced back to grapes or corn, then the manufacturer is deemed to be the owner, and he is only to make satisfaction to the former proprietor for the materials which he had so converted," [1] et damna, si quæ sint, compensare tenetur.

Luisiana Jure Gallico utitur, ex quo dominus materiæ novam speciem repetere potest, laboris pretium solvendo. Si tamen pretium industriæ longe superet pretium materiæ, artifex retinere potest speciem a se confectam, soluto materiæ pretio. Si artifex mala fide egerit, damna domino rei illata reparare tenebitur.[2]

b) Si res alienæ propriis

1) Conjunguntur, et ita coalescant, ut separari non possint, — quod *adjunctionem* vocant, — tunc totum compositum est illius, cujus res se habet ut *principale*, altera vero adjecta se habet uti *accessorium*, juxta effatum nempe: "*Accessorium sequitur principale.*" Dominus tamen rei, quæ principalis existimatur, alterum pro accessorio indemnem facere debet. — Sic usufructuarius, qui domus parietes pinxerit, nequit picturam delere cum parietum detrimento. Econtra si in tela aliena pictor pulchram imaginem exhibeat, tela illius fit, dummodo ejus pretium solvat: "Ridiculum enim est picturam Apellis . . . in accessionem vilissimæ tabulæ cedere." [3] Haud facile tamen subinde est definire quid principale, quid accessorium censeri debeat, et aliqua ex iis, quæ olim principalia habebantur, nunc accessoria dicenda sunt. Sic, si quis alieno papyro, vel pergameno inscripsisset seu poema, seu opus quodcumque,

[1] Vol. III. n. 428.
[2] Vol. II. n. 363.

[1] Vol. II. n. 364.
[2] Civil Code of Louisiana, Art. 520 sq.
[3] Inst. L. II. Tit. 1. § 34.

jure Romano cedebat rei domino; id tamen hodie absurdum foret, quum charta vili sit pretio, et opus jam æstimetur principale.

2) Si res alienæ propriis confunduntur, — *confusio* audit et locum habet cum *liquida* vel *liquefacta* ejusdem sive alterius speciei ita coeunt, ut nulla pars assignari queat, quæ de utroque non participet, — vel commiscentur, — *commixtio* dicitur et ad *solida* refertur, — jure communi Anglico, quod et Americanum est, totum confusum vel commixtum cedit ei, cui confundens vel commiscens voluntarie injuriam intulit, juxta principium generale supra de accessione artificiali ex mala fide relatum. Confundens tamen vel commiscens totum ante sententiam probabiliter cedere non tenetur.[1] "But this rule is carried no further than necessity requires; and if the goods can be easily distinguished and separated, — as articles of furniture, for instance, — then no change of property takes place. So, if the corn or flour mixed together were of equal value, then the injured party takes his given quantity and not the whole. . . . But if the articles were of different value or quality, and the original value not to be distinguished, the party injured takes the whole. It is for the party guilty of the fraud to distinguish his own property satisfactorily, or lose it. No court of justice is bound to make the discrimination for him.[2]

"Where" the goods "of two persons are so intermixed that they can no longer be distinguished, each of them has an equal interest in the subject as tenants in common, if the intermixture was by consent,"[3] vel casu facta.[4] Dividenda igitur tunc erit pro rata quantitatis propriæ singulorum, idque judicis arbitrio, nisi partes inter se concordent. — In cæteris casibus (etiam iis, in quibus confusio vel commixtio facta est mala fide) ante sententiam dominus materiæ præstantioris totum cumulum servare potest, facta debita compensatione. Tunc enim aliena pars habetur ut accessoria ad rem tuam.[5] Si autem res mixtæ vel confusæ sint inseparabiles et circiter æquales, compositum pertinet ad utrumque dominum, et ut supra vel ipsum vel ejus pretium post venditionem dividendum est.[1]

674. — III. Accessionis *mixtæ* species sunt *ædificatio*, *implantatio* et *satio*. De hac extra casum malæ fidei (quo casu ex jure Anglico et nostro idem resolvendum est ac de mala fide in accessione artificiali) valent vulgares versus:

> Quidquid plantatur, seritur vel inædificatur,
> Omne solo cedit, radices si tamen egit.

Hæc delucide sic explicat Kent.[2] "If A builds a house with his own materials upon the land of B, the land, said Pothier, is the principal subject, and the other is but accessory; for the land can subsist without the building, but the building cannot subsist without the land, on which it stands; and, therefore, the owner of the land acquired" (according to Roman law), "by right of accession, the property in the building. It is the same thing if A builds a house on his own land with the materials of another; for the property in the land vests the property in the building by right of accession, and the owner of the land would only be obliged . . . to answer to the owner of the materials for the value of them," et damna si quæ sint reparare. "The same distinctions apply to trees or vines planted or seed sowed by A in the land of B. When they take root and grow, they belong to the owner of the soil, and the other can only claim, upon equitable principles, a recompense in damages for the loss of his materials."

Nota. — "In plerisque Statibus novis plurimi inveniuntur, qui agros sine titulo occupantes, eos excoluerunt et in eis ædificia erexerunt. De hujusmodi hominibus (*squatters* vocantur) consulendæ sunt leges; nec enim de iis valent principia mox allegata. Plerumque iis favent leges, ne agri inculti jaceant; quapropter dominus titulum iis dat, modico accepto pretio; vel iis pro labore et impensis satisfacit."[3]

[1] L. IV. 499.
[2] Kent, Vol. II. n. 365.
[3] Ib. n. 364.
[4] L. IV. 498.
[5] Ib.

[1] L. IV. 498.
[2] Vol. II. n. 362.
[3] Kenr. Tr. X. n. 74.

ARTICULUS II.

DE USU ET USUFRUCTU.

675. *Definitio.* — Usus (*use*) est jus utendi re aliena, salva ejus substantia, tam quoad formam, quam quoad materiam. Is, cui competit usus, dicitur *usuarius* (*user*); is vero, ad quem pertinet rei dominium, *proprietarius*.

Dicitur: 1° *jus;* hic enim agitur de *usu juris*, non de *usu facti*, qui nihil aliud est quam actualis usus rei alienæ, revocabilis ad nutum concedentis, qualis est Religiosorum quoad res communitatis sibi a Superiore vel a regula in usum traditas.

Dicitur: 2° *utendi*, quo significatur 1) jus, usuario competens, ad illa dumtaxat extendi, quæ *sibi et familiæ suæ* (et filiis sibi nascituris, ac hospitibus), pro conditione sua, ad *usum quotidianum* sunt necessaria. Unde, si usuarius initio anni acceperit, quæ sibi sunt necessaria ad integrum annum et ante anni finem decedat, illius hæredes proprietario restituere debent id, quod superest. — 2) Usuarium jus suum in alterum transferre non posse, domum e. g. alteri locando, aut usum equi alteri cedendo; nam sibi tantum suisque concessus censetur usus, quousque clare non pateat largiorem ipsi facultatem fuisse factam.

Dicitur: 3° *salva ejus substantia tam*, etc. Unde usuarius 1) ne in meliorem quidem formam rem, cujus usum consecutus est, immutare potest; 2) tenetur ad rem integram, i. e. in eo statu, in quo eam accepit, servandam, rebus, quæ primo usu consumuntur, ut per se patet, exceptis.

676. *Definitio.* — *Ususfructus* (*usufruct*) est jus utendi simul et fruendi re aliena, sicut ipse proprietarius, salva tamen ejus substantia, tam quoad materiam, quam quoad formam. Usufructuarius (*usufructuary*) vocatur ille, cui competit usus-fructus.

Dicitur: 1) *jus utendi simul et fruendi, sicut ipse proprietarius.* Quibus verbis præcipua differentia significatur, quæ inter usum et usumfructum intercedit. Habet enim usufructuarius non usum solum, sed *plenum* etiam dominium fructuum, ita ut de ipsis pro nutu suo disponere possit sive per se, sive per alium; censetur enim personam agere proprietarii quoad dominium *utile* rei.

Dicitur: 2) *Salva tamen ejus substantia tam*, etc. Unde usufructuarius; 1° rem reddere debet domino in statu, in quo reperiri debet post *bonam* administrationem; 2° non potest immutare rem, etiam in melius. Hinc, si ei datus sit fundus voluptuarius, non posset arbores infructuosas amœnis deambulationibus inservientes destruere, ut forte hortos olitorios faciat. Quapropter "if the tenant for life" qui usufructuario apud nos æquiparatur, "should, by neglect or wantonness, occasion any permanent waste to the substance of the estate, whether the waste be voluntary or permissive, as by pulling down houses" (*voluntary waste*), "suffering them to go to decay from the want of ordinary care" (*permissive waste*), cutting the timber unnecessarily, opening mines, or changing one species of the land into another, he becomes liable, on a suit by the person entitled to the immediate estate of inheritance, to answer in damages, as well as to have his future operations stayed."[1]

677. *Divisio.* — Usufructus dividitur:

1° In *proprium* et *improprium*. Ille constituitur in rebus non primo usu consumptibilibus, deque eo proprie agitur in definitione. Hic vero in primo usu consumptibilibus, uti sunt panis, vinum, etc. *Improprius* seu *quasi-usufructus* dicitur, quia res primo usu consumptibiles servari nequeunt, et proin per eorum usum non manet salva rei substantia, prout ad usumfructum requiritur. Usufructus tamen in his haberi potest, quatenus res ejusmodi absumere quis potest, et deinde æstimationem earum domino reddere.

2° In usumfructum *titulo particulari* et *universali*. Ille constitutur in una vel pluribus rebus mobilibus vel immobilibus, determinatis tamen, v. g. in tali vel talibus designatis domibus vel fundis. Hic fundatur in totalitate vel quota parte bonorum omnium proprietarii. Sic ex jure communi uxor usumfructum habet tertiæ partis immobilium mariti defuncti.

3° In *legalem*, qui lege, e. g. uxori in tertiam partem immobilium mariti defuncti, et *conventionalem*, qui contractu constituitur, v. g. donatione.

[1] Kent, Vol. IV. n. 76.

678. — *Jura* et *onera* usufructuarii, seclusa conventione, in genere sunt :

I. *Jura.* — 1° Ut possit fructus omnes percipere sive naturales, sive industriales, eosque suos facere, sive eos per se collegerit, sive per alios. Hinc usufructuarius *gregis* jus habet ad lanam ; — usufructuarius *fundi* ad fœnum, segetes, lapides, salices, et omnes arbores cœduas, seu quæ succisæ ex stirpibus radicibusque renascuntur. *Collecti* autem intelliguntur fructus, cum a solo vel a re fuerint separati. — Hinc si usufructuarius moriatur, fructus quidem maturi, sed nondum a solo vel a re separati, non pertinebunt ad ejus hæredes, sed ad proprietarium, quin ulla fiat culturæ compensatio, etc. Quod si usufructuarii jam morituri hæres fructus immaturos collegerit, tenetur eos proprietario restituere ; nam neque ipse usufructuarius poterat fructus immaturos colligere. — Habet autem jus in omnes fructus civiles, e. g. pretium locationis domus vel agri, qui tamen non censentur acquiri nisi de die in diem ; ideo spectant ad usufructuarium pro ratione tantum temporis, quo usufructus perdurat.

2° Ut possit fructus vendere, donare, locare, pignori tradere (nam qui per alium fruitur, per se frui censetur) ; attamen sine proprietarii damno. Idcirco " tenants for life have power of making underleases " but only " for any lesser term." [1]

II. *Onera.* — 1 °Ut salvet rei substantiam, juxta dicta n. 676. Ideo ad reparationes *ordinarias*, seu *modicas* tenetur, quibus res integra servetur, non vero ad extraordinarias. Inde etiam usufructuarius gregis tenetur ad substituenda in locum capitum demortuorum alia capita e fœtu, nisi singulorum capitum *divisim*, non autem omnium *collective* habeat usumfructum.[2] Ob eamdem rationem arbores frugiferas evellere nequit, et in locum demortuarum arborum tenetur alias substituere ; [3] " arbores vero vi tempestatis . . . eversas substitui non placet." [4]

2° " If the estate be charged with an incumbrance " (or taxes), " the tenant for life is bound, in equity, to keep down the interest " (or the amount of the taxes) " out of the rents and profits." [1]

679. — *Cessat* usufructus et usus ; 1° morte naturali usufructuarii aut usuarii ; 2° tempore statuto ; 3° interitu totius rei ; 4° consolidatione, i. e. si usufructuarius vel usuarius fiat dominus rei ; 5° omnimodâ mutatione, v. g. si pratum fiat stagnum ; 6° abusu, quo res fiat deterior per culpam utentis ; 7° non usu, accedente præscriptione, si interim utatur proprietarius ; 8° renuntiatione usufructuarii, modo non fiat in fraudem creditorum. Legalis autem extinguitur modo a lege ipsa definito.

ARTICULUS III.

DE SERVITUTE.

680. *Definitio.* — *Servitus* (*servitudes, services, easements*) est jus tertio competens in re aliena, vi cujus dominus rei in ea aliquid pati vel non facere cogitur, in tertii utilitatem.

Dicitur : 1) *jus in re ;* nam servitutis proprium est *rei* adhærere, ideoque in possessorem quemcumque cum re ipsa transit.

Dicitur : 2) *aliena ;* commoda enim, quæ dominus percipit e re *sua*, jure *dominii* percipit, non jure *servitutis.*

Dicitur : 3) *vi cujus dominus rei in ea aliquid pati vel non facere cogitur. Pati ;* v. g. ut tertius aquam e suo fundo ducat. — *Non facere*, v. g. ut altius domum suam non ædificet. Unde servitus est diminutio dominii, cujus pars tollitur ab eo, qui servitutem debet, et accedit ad eum, cui ipsa debetur : et ideo additur : *in tertii utilitatem.*

Servitus igitur vel *active* sumitur, — et est jus, quod habet quis in re aliena, ut sibi serviat ; — vel *passive*, et est subjectio rei alienæ, ut aliquid in ea fiat vel non fiat, in commodum alterius.

681. *Divisio.* — Servitus dividitur :

1° Ratione originis in *naturalem*, quæ ex positione locorum fluit, — et sic dominus prædii inferioris non potest aggerem jacere, ut aquæ prædii superioris non amplius per fundum suum defluant ; sicut nec dominus prædii superioris quidquam facere valet, ut aquarum fluxus insolite

[1] Kent, Vol. IV. n. 74. (3.)
[2] Inst. L. II. T. I. § 38.
[3] Leg. XVIII. de usufructu.
[4] Inst. de rer. div. § 38.

[1] Kent, Vol. IV. n. 74. (4.)

augeatur. — *Legalem*, quæ ex lege, — et *Conventionalem*, quæ ex contractu oritur.

2° *Ratione modi* in *continuam* et *non continuam*. Illa durare potest absque hominis facto, ut cursus aquæ per fundum. Hæc sine hominis facto durare nequit, uti haurire aquam e puteo in fundo alieno existente. — Præterea in *apparentem*, quæ exteriori signo aperte declaratur, v. g. janua, fenestra, — et *non apparentem*, quæ tali signo caret, ut est v. g. prohibitio ædificandi in aliquo loco.

3° Ratione *objecti* in *personalem*, quæ a persona debetur personæ, et propria est mancipii erga dominum; *mixtam*, quæ a re debetur personæ, cujusmodi sunt usus et ususfructus; et *realem* seu *prædialem*, quæ rei a re debetur et in quam solam quadrat definitio supra data, et de qua sola hic agitur. Res seu prædium cui servitus *active* inhæret, prædium *dominans*; cui *passive*, *serviens* dicitur.

Realis seu *prædialis* subdividitur in *urbanam* et *rusticam*, prout vergit in utilitatem prædii urbani vel rustici. Prædium *urbanum* dicitur omne ædificium *habitandi* causa erectum, sive in urbe, sive in villa, — et hortus ei annexus. Prædia *rustica* dicuntur ager, vinea, pratum, pecorum stabulum a domo sejunctum.

Urbanæ servitutes sunt quatuor: 1° ut lignum in tuum parietem admittatur (*Right of support*); 2° ut stillicidium in tuas ædes recipiatur (*Right of drip*); 3° ut murus altius non attollatur (*Right of light and air*); 4° ut fenestra in muro non aperiatur.

Servitutes *rusticæ*, aliæ dicuntur *nominatæ*, eo quod nomen in jure sortitæ sunt; aliæ *innominatæ*, quæ nomine speciali in jure carent. — *Nominatæ* sunt *iter*, *actus*, *via* (quæ tres uno nomine *Right of way* veniunt) et *aquæductus* (*Right of drain*).

682. — *Jura* et *obligationes* servitutum *generatim* pendent a natura rei, a lege, a conventione. Præcipue autem hæc statuuntur: 1° Is, qui active jus habet ad servitutem, omnia opera perficere potest, quæ necessaria sunt ad ea utendum atque ad illam conservandam. — 2° Si dividatur fundus, ad cujus utilitatem constituta est servitus, hæc cuique parti istius fundi debetur. — 3° Dominus prædii servientis nihil agere potest, quo servitutis usus minui possit, et vicissim is, cui debetur servitus, nihil, quo conditio prædii servientis gravior fiat. Ita fert naturalis æquitas.

683. — *Constituuntur* servitutes:

1) *Mutua partium conventione*, quæ conventionales dici possunt. Constituuntur autem hoc modo: a) *Titulo*, v. g. donatione. Solus autem prædii dominus, non usufructuarius (cujus tamen consensus, quoties sua interest, exigitur), servitutem rei imponere potest. Quodsi duo habeant commune rei dominium, neuter absque alterius consensu servitutem inducere valet. — Nihil vetat, quominus modus vel conditio contractui apponatur, e. g. ut aquam e puteo vicini mei certis tantum horis hauriam. — b) *Destinatione*, ut vocant, *patrisfamilias*, si de servitutibus continuis et apparentibus agitur. Aderit autem, si e. g. dominus duorum prædiorum vicinorum in uno eorum canalem foderit, ut aquam in alterum ducat, et alterutrum vendat, quin in contractu venditionis mentio fiat de aquæductu; servitus enim aquæductus existet active in prædio vendito, passive in non vendito. c) *Præscriptione*, nimirum continuæ et apparentes, et hæ quidem sicut immobilia (vide supra n. 666); continuæ vero non apparentes, et non continuæ sive apparentes, sive non apparentes, sine titulo nunquam præscribuntur; an cum titulo, disputatur.

2) *Lege*, et tunc vocantur *legales*, cujusmodi apud nos est e. g. ut via publica juxta canalem libera relinquatur.

Nota. — 1° Jus, quod dicitur *Right of light and air*, non potest præscriptione acquiri in Statibus New York, Connecticut, Massachusetts. Consonat praxis in cæteris *fere* Statibus; nam, ut advertit Kent: "By such a prescriptive claim the value of vacant lots with old and low buildings upon them, would be destroyed, if substantial buildings could not be erected on them, lest they might obstruct the lights of some building in an adjoining lot which has stood for twenty years."[1]

2° The right of free and pure air, as incident to the estate, is under the protection of the law. If, therefore, any-

[1] Kent, Vol. III. n. 448.

thing offensive be erected so near the house of another, as to corrupt or pollute the air (or probably even as to render the enjoyment of life there uncomfortable), it becomes a nuisance and an action lies for the injury." [1]

3° Circa *iter, actum, viam* (*Right of way*), quisque apud nos, sine alio titulo, curiæ auctoritate, jus illud obtinere potest, quatenus opus sit, ut e suo fundo ad viam publicam vel civitatem veniat; damnum autem, quod dominus prædii, per quod transitus quæritur, subire poterit, compensandum erit.

684. — *Extinguuntur* servitutes: 1° Elapso statuto tempore, si ad tempus existunt, vel impleta conditione, si conditionatæ fuerint. 2° Renuntiatione expressa vel tacita proprietarii. 3° Consolidatione, qua dominus prædii dominantis fit simul dominus prædii servientis, aut vice versa. 4° Si amplius non inserviant, v. g. si fons, ex quo haurire poteras aquam, exsiccetur. Si tamen res reducuntur ad pristinum statum, servitutes reviviscunt, nisi obstet præscriptio. 5° Præscriptione, seu non usu per tempus pro immobilium præscriptione requisitum (n. 666).

Jura et onera, quæ inter vicinos intercedunt, servitutibus sunt affinia, et respiciunt.

685. — I. Parietes duabus domibus communes (*Party-walls*). "If there be a party-wall between two houses, and a) the owner of one of the houses pulls it down in order to build a new one, and with it he takes down the party-wall belonging equally to him and his neighbor, and erects a new house and new wall, he is bound, on his part, to pull down the wall and reinstate it in a reasonable time, and with the least inconvenience; and if b) the necessity of the reparation of the old wall be established, the neighbor is bound to contribute ratably to the expense of the new wall. But he is not bound to contribute to the building of the new wall higher than the old one, nor with more costly materials. — If c) the owner of a house in a compact town finds it necessary to pull it down, and remove the foundations of his building, and he gives due notice of his intention to the owner of the adjoining house, he is not answerable for the injury which the owner of that house may sustain by the operation, provided he remove his own with reasonable and ordinary care. d) The common use of a wall separating adjoining lots belonging to different owners is *prima facie* evidence that the wall, and the land on which it stands, belong equally to the different owners, in equal, undivided moieties, as tenants in common." [1]

686. — II. Sepes (*division fences*). a) "The legal obligation of the tenants of adjoining lands to *make* and *maintain* partition fences, where no prescription exists, and no agreement has been made, rests entirely on positive prescriptions by statute; and trespass will lie against the owner of cattle entering on the grounds of another, though there be no fence to obstruct them, unless he can protect himself by statute, or prescription, or agreement. The public have no rights, even in a public highway, but a right of way or passage; and if cattle be placed in the highway for the purpose of grazing, and escape into an adjoining close, the owner of the cattle, unless he owns the soil of that part of the highway on which he placed his cattle, cannot avail himself of the insufficiency of the fences in excuse of the trespass." [2]

687. — III. Aquas, quæ prope agros vel per eos currunt (*Running waters*). "Every proprietor of lands on the banks of a river has naturally an equal right to the use of water which flows in the stream adjacent to his lands, as it was wont to run (*currere solebat*), without diminution or alteration. No proprietor has a right to use the water, to the prejudice of other proprietors, above or below him, unless he has a prior right to divert it, or a title to some exclusive enjoyment. He has no property in the water itself, but a simple usufruct while it passes along. (*Aqua currit et debet currere ut currere solebat.*) Though he may use the water while it runs over his land as an incident to the land, he cannot unreasonably detain it, or give it another direction, and he must

[1] Kent, Vol. III. n. 448.

[1] Kent, Vol. III. n. 437. 438.

[2] Kent, Vol. III. n. 438. 439. Cfr. Wells. Every Man, etc. p. 236. seq.

return it to its ordinary channel when it leaves his estate. Without the consent of the adjoining proprietors he cannot divert or diminish the quantity of water which would otherwise descend to the proprietors below, nor throw the water back upon the proprietors above, without a grant or an uninterrupted enjoyment of twenty years, which is evidence of it."[1]

PARS SECUNDA.

DE VIOLATIONE JURIS SEU DE INJURIA.

CAPUT I.

DE INJURIA IN GENERE.

688. *Definitio.* — Injuria est juris alieni violatio.

Divisio. — Est 1° *formalis* vel *materialis*, prout fit scienter et voluntarie, aut absque cognitione et consensu.

2° *Gravis* vel *levis*, prout ex ea proximus damnum grave vel leve tantum patitur.

3° *Directa*, vel *indirecta*, prout intenditur in se, aut in causa tantum prævidetur et permittitur.

689. PRINCIPIA. — I. Datur præceptum naturale a Deo promulgatum atque sancitum, vetans ne lædatur jus strictum alterius: unde omnis injuria juri naturali adversatur. Quandoquidem enim quispiam factus sit legitimus quorumdam bonorum dominus, necessario jus inviolabile in ea habere debet: secus jus ipsius esset illusorium, seu non esset jus; quod contradictionem involvit.

II. Injuria seu læsio juris alieni est peccatum grave *ex genere suo*. Ratio est, quia rectæ rationi, bono ordini, et legi divinæ graviter adversatur.

III. *Scienti et volenti non fit injuria;* quia volens cedit e jure suo, et proinde jus servare non vult. Hinc de essentia injuriæ est, ut erga nolentem seu in invitum exerceatur.

Excipe casus, in quibus homo jus suum cedere nequit, quantumvis volens, sive quia de se inalienabile sit, sive quia sine aliorum injuria ei cedi nequeat. Sic conjugatus nequit consensu suo impedire, quin violatio uxoris suæ sit adulterium, quia natura postulat, ut jus conjugale sit prorsus inalienabile. Adde pro christianis jus Sacramenti, quod violari nequit. Cfr. prop. 50 inter damnatas ab Innoc. XI. p. XVII.

690. *Resolves.* — 1° Consentienti ex dolo vel metu injuste incusso fit injuria, quia consensum aut nullum reipsa præstat, aut non præstat libere, sed tantum ad se redimendum ab injusta vexatione.

2° Peccat itidem contra justitiam, qui alium id rogantem occidat; ratio, quia vitæ humanæ dominium sibi reservavit Deus; homo vero est mere usufructuarius, qui idcirco jus in vitam abdicare a se nequit: unde sin minus hominis, certe Dei jus violatur.

3° Usurarius injuriam facit mutuatario solventi usuras, sicut venditor emptori pretium ultra summum pro merce concedenti; nam neuter horum censetur velle donare; deest ergo titulus, quo dominium vel exactæ usuræ, vel excessus in pretio transferatur.

4° Tortores martyribus injuriam fecerunt, etsi martyres mortem desideraverint et libenter pertulerint.

691. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quænam materia censeatur gravis vel levis in injuria?*

Resp. Gravis censetur ea materia, quæ ex natura sua, vel ex hominum æstimatione, apta est ad causandam alteri tristitiam difficile sedandam seu ad caritatem mutuam dissolvendam. — Ita Lacroix,[2] et *alii*. Ratio est, quia, cum finis justitiæ sit pacem communem, tranquillitatem publicam, mutuumque amorem per conservationem jurium promovere, gravis merito censetur illa materia, quæ ex natura sua,

[1] Kent, Vol. III. n. 439.
[2] n. 979.

vel hominum æstimatione, mutuum amorem dissolvere cum pacis communis jactura, seu tristitiam difficile sedandam causare potest.

Dixi : *ex natura sua*, etc. ; quia in regula generali statuenda attendi illud debet, quod communiter in hominibus temperato judicio atque affectu utentibus usu venit, non vero quid affectuum tumultus et intemperantia in iis adjunctis suggerit ; justitia enim rationis dictum et prudentiæ dictamen sequitur.

Quær. 2° *An injuria alteri inferri effective possit per actum mere internum ?*

Resp. Affirm. Quia aliquando solo actu interno jus strictum alterius lædi potest. — Patet exemplo judicii temerarii, quo juxta communem sententiam justitia erga proximum violatur, quandoquidem quisque jus strictum ad bonam suî existimationem apud singulos habet. — Recole dicta n. 537 — Cæterum in hoc casu nulla est *specialis* difficultas ; siquidem cum injuria mere interna nullum damnum externum læso inferat, nulla exterior reparatio facienda est, sed imprudens dumtaxat mentis judicium est abjiciendum.

692.— Quær. 3° *An actus internus efficere per se possit, ut actus externus evadat injustus ?*

Resp. 1° *Neg.*, si actus externus *per se* materialiter jus alterius non lædat, non obstante prava nocendi intentione in agente. Ratio est, quia ubi nullum jus læditur, nulla potest esse injuria. Hinc non peccat contra justitiam recusans ex odio succurrere alteri, nisi ex officio teneatur. — Ita *communissime*. — Lugo,[1] contra *paucos*.

Resp. 2° *Neg.* pariter, quando agens jus habeat directe ponendi actum externum, qui est alteri nocivus, etiamsi ex intentione nocendi agat. Ratio est, quia intentio prava facere nequit injustum, quod *de se* justum est, siquidem naturam actus externi mutare non potest. Hinc non peccat *actu externo* contra justitiam judex homicidam ex odio ad mortem promeritam damnando ; nec mercator merces suas infimo pretio vendens, ut alios mercatores emolumentis privet ; nec qui dimittit famulam, conditionibus pacti cum ea persolutis, licet animo iniquo id agat, v. g. ad puniendam eam quod libidini suæ consentire noluerit. Ita *Lugo*.[1]

Resp. 3° *Neg.* quoque, si actus externus sit tantum *occasio*, non vero *causa per se* damni proximi. Sic, licet homicida ea intentione occidat ut crimen suum imputetur innocenti, prava illa intentio non efficiet ut actio sua causa sit damni innocentis.[2]

Resp. 4° *Affirm.* autem, si opus externum sit indifferens ad nocendum vel non nocendum, secluso jure directo agentis : tunc enim sæpe prava intentio determinat opus externum, ut damnosum evadat. Itaque non peccas quidem contra justitiam accipiens rem e manibus furis, ut eam domino restituas ; secus vero, si accipias, ut retineas. Idem resolve de famulo pecuniam domini accipiente ; injustus enim non erit, si accipiat, ut in familiæ usum aliquid comparet : erit autem, si surripit ut in suos usus impendat. Nec injuriam facis amico ejus librum tollendo, ut illum obiter percurras ; secus vero, si ut subripias. Eadem ex ratione fur dicendus non erit, qui pecuniam alterius sumit in suos usus, animo firmiter determinatus eam quamprimum restituere ; licet ea agendi ratio, qua injustitiæ discrimini se objicit, et rem usurpat, domino haud monito, improbanda sit.

Hoc ex capite plurimi peccarunt, num mularii pecuniam sibi concreditam usurpantes etiam reddendi consilio : quod tamen spe frustrati perficere non valuerunt.[3]

Resp. 5° *Affirm.* pariter, si prava intentio prodit in vim vel fraudem externe injustam, qua quis justo bono privetur, ut si quis intendens nocere creditori hujus debitorem occideret.[4]

CAPUT II.

DE INJURIA IN SPECIE SEU DE PECCATIS CONTRA JUSTITIAM.

Hic tantum de injuriis in bonis fortunæ agendum est, scilicet de furto et ejus speciebus. — De aliis enim injuriis, in

[1] D. 19. n. 100.

[1] D. 8. n. 79 et D. 18. n. 98.
[2] L. IV. 636.
[3] Kenr. Tr. X. P. II. p. 328. n. 113.
[4] L. IV. 633. 634.

bonis scilicet corporis, honoris et famæ, sat dictum est in Tractatu *de Quinto et Octavo Decalogi præcepto*.

Agendum 1° de natura et gravitate furti; 2° de causis, ob quas furtum cesset esse tale.

ARTICULUS I.

DE NATURA FURTI.

693. *Definitio.* — Furtum est occulta ablatio rei alienæ, domino rationabiliter invito.

Divisio. — Furtum sic distinguitur.

1° Furtum *simpliciter* si fiat *occulte*. — 2° Rapina, si fiat *aperte* cum vi domino illata. — 3° Sacrilegium, si fiat circa rem sacram.

694. PRINCIPIA. — I. Furtum, quocumque nomine appelletur, peccatum grave est *ex genere suo*, quia graviter *per se* legi naturali adversatur, ut patet tum ex ratione, tum ex Scriptura Sacra, in qua adnumeratur peccatis, quæ a regno cœlorum excludunt. Sic enim Apost.[1] *Neque fures, . . . neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

II. Furtum sacrilegum et rapina speciem malitiæ diversam constituunt: illud, quia præter justitiam violat religionem; ista, quia injustæ ablationi rei alienæ addit injuriam personæ illatam. Cæteri autem modi, vel alia objecta furti speciem non mutant, quia per ista damnificationis natura non mutatur.

695. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quænam materia censeatur gravis in furto?*

Resp. 1° Non potest rigorose determinari. Juxta sententiam communem, quæ omnino tenenda videtur, materia hæc spectanda non est *absolute in se*, sed *relative* ad varias hominum conditiones et necessitates, ita ut gravior materia requirenda sit ad grave peccatum in furto erga divitem, quam erga pauperem. Ratio est, quia gravitas furti, sicut gravitas cujuslibet injuriæ, pendet præsertim a majori vel minori privatione, dolore et reluctantia voluntatis, quam patitur ille, cui surripitur; jam vero nemo non videt eamdem materiam nunc levem, nunc gravem causare contristationem, prout dominus, a quo aufertur, dives est vel pauper. Attendendum tamen est ad reluctantiam voluntatis, ut inter homines *communiter* et *rationabiliter* habetur, non vero respectu ad homines majori vel minori amore pecuniæ allectos. — Ita *communiter* cum S. Alph.[1] contra Billuart et alios *nonnullos*, qui contendunt materiam, sive gravem, sive levem, absolute in se spectandam esse, eamque consistere in eo, quod ad quotidianam sustentationem viri honesti seu mediocriter divitis requiritur.

Aliqua tamen determinanda est absoluta materia, quam nunquam sine culpa gravi prætergredi liceat; secus enim, si proportio omnimoda servanda foret inter omnes conditiones, profecto maxima quantitas pro materia gravi, ubi quis surripit ditissimo, requireretur: hoc autem in societatis damnum sane cederet.

Resp. 2° Ad gravem materiam *relative* spectatam Kenrick,[2] attentis hujus regionis, et temporum nostrorum adjunctis, requirit valorem, — 1° Circiter $ 0.25 relative ad pauperes; 2° circiter $ 0.50, relative ad plerosque divitiis haud auctos; 3° $ 5.00, relative ad ditissimos; 4° $ 1.00, relative ad cæteros. Notandum vero Kenrick loqui de moneta metallica.

Attendant quoque confessarii ad sequens cl. Scav.[3] monitum: "Non præsumant . . . individuales casus certo resolvere; — hoc est mortale; hoc est veniale, — nisi id constet aperte; sed plerumque expedit cum S. Augustino suam ignorantiam fateri. Et dum ea de re a pœnitentibus interrogantur, prudenter responsionem absolutam et decretoriam declinent, illisque omnium peccatorum etiam venialium horrorem incutiant."

696. — Quær. 2° *Quænam materia requiratur, ut furta uxorum, filiorum et famulorum gravia evadant?*

Resp. 1° Certum est apud omnes, in furtis *uxoris* et *filiorum* plus requiri ad gravem materiam constituendam, quam in furtis extraneorum; quia paterfamilias est minus invitus, aut saltem minus rationabiliter invitus in priori casu, quam in posteriori, et sæpe invitus est magis quoad *modum* (quod clam accipiatur), quam quoad *substantiam*;[4] sed nulla regula generalis assignari potest; res enim ex variis personarum vel conditionum circumstantiis plerumque definienda erit.

[1] I. Cor. 6. 10.

[1] L. IV. 526. [2] Tr. III. 171.
[3] Tom. II. n. 773. [4] H. A. Tr. X. 32.

Resp. 2° Pro *famulis* pendet etiam a majori vel minori liberalitate dominorum, ex qualitate vel situ rei surreptæ, v. g. si sit comestibilis vel non, custodita vel aperta, . . . etc. . . . Juxta multos per furta minuta facta a famulis in cibis et esculentis, quæ non solent caute servari, generatim non devenitur ad mortale, modo hæc non vendantur aut e domo educantur, aut in quantitate extraordinaria accipiantur, aut sint pretii extraordinarii.[1] Si autem famuli furentur pecuniam aut res sedulo custoditas, non requiritur quantitas major ad peccatum grave, quia domini tunc non sunt minus inviti erga ipsos, quam erga alios.

Quær. 3° *An a filio explicanda sit circumstantia quod a patre furatus sit ?*

Resp. Neg. cum Lugo, quia furtum regulariter non opponitur directe et graviter virtuti speciali, quam filius erga parentes exercere tenetur, i. e. pietati, sicut eidem opponitur contumelia, vulneratio, odium et similia. Diximus : *regulariter ;* nam aliquando potest utique eidem graviter opponi, v. g. si filius a patre tantum auferret ut hic inde reduceretur ad egestatem, vel multum hac de causa pateretur circa statum et conditionem suam. — *Scav.*[2]

697. — Quær. 4° *An furta minuta coalescere possint ad gravem materiam constituendam ?*

Resp. 1° *Affirm.* prorsus, si agatur de furtis adversus *eamdem* personam commissis, quia unita facile damnum grave domino inferre possunt. Constat etiam ex propositione 38 ab Innoc. XI. damnata, p. XVI.

Resp. 2° *Affirm.* cum sententia communi, etiamsi agatur de furtis minutis in damnum *diversorum* commissis. Ratio est, quia talis fur, si non individuis singillatim sumptis, certe communitati grave damnum infert. Et sane, nisi hujusmodi furta prohiberentur sub gravi, homines non pauci facile ex furtis ditescere vellent, cum id absque salutis æternæ dispendio facere possent ; proinde magna deordinatio in societate subsequeretur. Ergo hæc furta *sub gravi* jure naturali prohiberi debuerunt. — S. Alph.,[3] Lugo.[4]

698. — Quær. 5° *An minuta furta etiam coalescant, si inter ipsa magnum ponatur intervallum ?*

Resp. Neg. juxta sententiam communiorem. Ratio est, quia posito magno intervallo, furtula ex communi hominum æstimatione moraliter uniri non censentur, nec proinde unum objectum in genere moris constituunt. Insuper tunc non apparet grave damnum domino illatum, cum vix illud persentire possit ; adeoque graviter invitus non censetur.[1]

Quær. 6° *Quandonam intervallum censeatur magnum ?*

Resp. S. Alphonso[2] magis arridet sententia docens furta non amplius coalescere ultra spatium duorum mensium, etiamsi ad materiam quasi gravem accederent.

Cæterum furta minuta, etiam posito quocumque intervallo, ex omnium sententia coalescunt, quoties patrata sunt cum intentione ad summam notabilem perveniendi ; quia per hanc intentionem vere inter se uniuntur.[3] — Billuart, etc.

699. — Quær. 7° *Quandonam evadat materia gravis in furtis minutis ?*

Resp. 1° Si furta minuta *eidem* fiant *diversis vicibus*, vel *diversis eodem tempore*, materia erit gravis, quando hæc ex dimidia parte excedet summam ad furtum grave communiter requisitam. — Ita *communiter.*

Resp. 2° Si furta minuta fiant *diversis* personis, et *discontinuatim*, materia gravis *per se* censebitur, cum erit duplo major, quam summa ad furtum grave communiter requisita.[4]

Quær. 8° *An retractatio voluntatis impediat, quominus furtula sequentia cum præcedentibus uniantur ?*

Resp. 1° *Affirm.*, si retractatio fuerit efficax, id est, si de facto prius ablata fuerint restituta, quia semel separata jam hic et nunc amplius non existunt. — Ita *communiter.*

Resp. 2° Rursus *affirm.*, si furtum subsequens ex aliquo particulari motivo fieret ; tunc enim non videretur efficaciter destruere præcedentem restituendi voluntatem ; vel etiam si fur expresse et serio iterum simul proponat prius surrepta restituere ; quod tamen vix in praxi admitti potest ; quandoquidem qui serio

[1] H. A. Tr. X. 34.
[2] Tom. II. n. 773.
[3] L. IV. 534.
[4] Disp. 16. n. 37.

[1] L. IV. 530.
[2] Ib.
[3] Ib.
[4] Ib.

proponit restitutionem, hic et nunc furta non iterat.— *Negat.* tamen, ubi hæc voluntas quodammodo revocari videatur per novum furtum; etenim in hoc casu nihil obstat, quominus retineatur summa notabilis, et furta in unum coalescant.

700. — Quær. 9° *An graviter peccet, qui post completam materiam gravem leve quid adhuc furatur?*

Resp. Disputatur. Sententia, *valde probabilis, negat,* seclusa intentione ad novam summam gravem perveniendi. Ratio est, quia furtulum illud non videtur referendum ad summam gravem jam completam, sed potius ad novam, quam tunc fur inchoat et prosequitur. — Ita S. Alph.[1]

701. — Quær. 10° *An graviter peccet, qui levi furto complet materiam gravem ab aliis apud eumdem inchoatam?*

Resp. 1° *Neg.,* si nescivit furtula ab aliis fuisse commissa, quia non est conscius damni gravis domino illati. — Ita *omnes.*

Resp. 2° *Neg.,* saltem *probabilius,* etiamsi damnum fere grave ab aliis patratum noverit, secluso tamen casu conspirationis. Ratio est, quia iste parum quid tollens neque est per se causa gravis nocumenti, neque in causa est, quod alii alia acceperint; ergo nullo modo illi imputari debet grave damnum, quod dominus patitur. — Nec dicas, quod talis fur tam graviter peccet, quam homicida mortem inferens ictu levi homini ab aliis jam innumeris levibus vulneribus percusso; nam postremo huic vulneri mors debetur, quæ alias secuta non fuisset. Aliter autem se res habet in casu furti; neque enim ob ultimum furtulum notabilis aliqua calamitas seu damnificatio accedit. — Lugo,[2] et alii *communiter,* contra Bonacina, et alios.

702. — Quær. 11° *An si plures sine communi consilio, sed exemplo, levia furta committant, ita ut damnum totale sit grave, singuli peccent graviter?*

Resp. Neg. probabilius ratione *justitiæ,* etsi peccare possint contra caritatem. Ratio est, quia exemplum non est causa positiva influens in damnum alienum. — Ita S. Alph.[3] et alii *communius* contra *nonnullos.*

[1] L. IV. 538.
[2] D. 16. n. 53 sq.
[3] L. IV. 537.

Quær. 12° *Quandonam ex parte furis ablatio rei levis fiat peccatum grave?*

Resp. Fit triplici modo, scilicet 1° per *intentionem* perveniendi ad materiam gravem; — 2° per *multiplicationem,* si furta minuta ad summam gravem perveniant; 3° per *conspirationem,* ubi plures conspirant inter se, et furtula singulorum collecta materiam gravem constituunt.

703. *Resolves.* — 1° Si fur, intendens pervenire per furtula ad summam gravem, renovet intentionem hanc, quoties furatur, toties graviter peccat. Idem resolve si ab initio intendat surripere aliquam summam determinatam per minuta furta, v. g. ne detegatur, cum unumquodque furtum distinctam malitiam in se contineat.[1] Recole dicta n. 225. 3°. a).

2° Qui a domino aufert exiguam rem ipsi valde caram, v. g. florem rarum ac singularem, primos fructus ex arbore ad aliquem præcipuum virum honorandum destinatos, prævidetque simul, dominum graviter ex tali amissione affligendum, graviter peccat contra caritatem; contra justitiam vero leviter, nisi forte grave damnum inde secuturum videatur.

3° Graviter peccant mercatores falsis ponderibus utentes, quamvis singulis vicibus in parva materia defraudent; quia ad materiam gravem intendunt pervenire, aut certe norunt, se ad eam perventuros esse.

4° Sartores et ipsorum famuli lethaliter peccant contra justitiam, ubi retinendo sibi aut vendendo panni quæ supersint fragmenta, alioqui dominis adhuc utilia, ad materiam gravem pervenerint. Excipe, nisi alicubi vigeat consuetudo, ut minus solvatur, et fragmenta sartoribus remaneant; aut nisi constet, dominos opulentos non velle fragmenta sibi restitui, vel de illis parum curare.

5° Furti arguendi sunt qui fallaci mendicitate (non qui veræ exaggeratione), aut circumvagando, ementitis rationibus, cives pecunia emungunt. Non tamen damnandi sunt qui modicam quamdam pecuniam in arca parcimoniæ (*savings-bank*) repositam habent, ut senectuti et infirmitati consulant, ne in publicum pauperum hospitium recedere cogantur, vel ut funeris impensæ solvantur, interim a privatis quibuscumque, seu a cœtibus piis

[1] Elench. 2. quæst. reform. q. 6.

stipem colligentes, ut quotidianis necessitatibus provideatur. Equidem brevi pecunia illa, quam servatam tenent, impenderetur, ipsique forent oneri vel cœtibus piorum, vel hospitiis. Secus dicendum, si pecuniam habeant, quæ vitæ sustentandæ sufficiat. Hæc pariter de iis accipi poterunt, qui pecuniam modicam apud amicum reponunt, in hospitium se conferentes, ut, si postea inde exire contigerit, non omni careant subsidio, vel, si moriantur, sepulturæ mandentur eorum corpora.[1]

6° De juvenibus in seminariis gratis educatis, vel privatorum impensis, ea spe ut ecclesiastico inserviant ministerio, tenendum est, eos fraudem facere, si seminaria ingrediantur absque animo se sacris muneribus dicandi, et eo tantum consilio ut litteris imbuantur, vel otio indulgeant; ideoque ad reparandum damnum teneri. Opus autem non est ut certi omnino sint suæ vocationis; nam otium sanctum iis ideo conceditur, ut de tanto incœpto consilium maturius habeant; sed nec temere debent ingredi, nec in sacris ædibus morari, postquam spem abjecerunt et propositum. Quod si sua culpa faciant ut indigni habeantur, non ideo videntur ad restituendum obligati, quoties animus fraudandi defuerit: nec enim donatores censendi sunt conditionem restituendi apposuisse ob inertiam, vel alias culpas consuetas.[2]

7° Qui carbones effodiunt, prohibentur ab iis in suî usum auferendis, nisi certo quodam pretio soluto: attamen facile contingit ex rei opportunitate, ut carbones familiæ suæ necessarios quisque sumat. Mos ille quidem reprehendendus est, sed restitutio non videtur exigenda, quum tanta sit ibi carbonum copia, et domini vix censendi sint omnino inviti; nec enim adhibent solicitudinem ad fures detegendos. Qui ex canalium et fluminum ripis, ubi carbones ex scaphis deponuntur, auferunt nonnullos in suî usum, peccant et quidem graviter, si copiam magnam sumant; non ita si paucos, præsertim qui hac illac dispersi jacent. Cæterum qui consueverunt per totam hiemem, vel aliud tempus diuturnum carbones sic sibi sumere, gravis furti rei sunt, debentque pro æqua damni æstimatione satisfacere; sed sæpe perdifficile est pretium ad dominos tuto mittere. De colligentibus ligna, quæ alius in suî usum excidit, vel de asportantibus ea, quæ alius sibi comparavit, idem dicendum: gravis enim est culpa eorum copiam sibi sumere, sine domini venia.[1]

[1] Kenr. Tr. III. n. 177. [2] Ib. 178.

ARTICULUS II.

DE CAUSIS OB QUAS FURTUM CESSET ESSE TALE.

Causa duplex assignatur: 1° necessitas; 2° occulta compensatio.

§ I. *De necessitate a furto excusante.*

Necessitas alia est extrema, alia gravis, et alia communis. *Extrema* dicitur, in qua vita ipsa periclitatur, aut gravissimum malum imminet; *gravis* vero, in qua vita valde molesta ducitur; *communis* autem, in qua pauperes mendicantes communiter versantur.

704. PRINCIPIA. — I. Homo potest in extrema necessitate propria vel suorum uti bonis alienis, quantum satis est ad se a tali necessitate eximendum, supposito, quod alia media per se licita et moraliter possibilia non adsint. Ratio est, quia divisio bonorum, quomodocumque evenerit, non potest derogare juri naturali, quod cuique competit, ut sibi provideat, dum extrema necessitate laborat. In tali itaque casu omnia fiunt communia; adeoque accipiens rem alienam ad sibi subveniendum, accipit rem vere communem, quam suam facit, sicut ante bonorum divisionem contingebat. Ergo furtum non committit. — S. Thom.,[2] S. Alph.[3]

II. Ut quis aliena surripere possit, non sufficit gravis, nec *a fortiori* communis necessitas; in his enim adjunctis domini sunt rationabiliter inviti, et secus facilis direptionibus aditus pateret. Confirmatur ex Prop. 36. inter proscriptas ab Innoc. XI., p. XVI.

705. *Resolves.* — 1° Pauperi in extrema necessitate posito plus auferre non licet, quam sibi est necessarium. Unde si sufficiat solus usus rei, v. g. equi, cessante necessitate, obligatio restituendi manet.[4]

[1] Kenr Tr. III. 179. [2] 2. 2. q. 66. a. 7.
[3] L. IV. 520. [4] H. A. Tr. X. 15.

2° Si extreme indigens habeat alibi in re vel in spe probabili, unde solvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi cum onere restitutionis; quia necessitas non exigit, ut rei proprietate sublevetur, qui sufficienter re mutuo accepta vel commodata sublevari potest.[1]

3° Qui vero in extrema egestate rem alienam consumpsit, ad nihil post usum rei tenetur, si nullam probabilem spem habuit, fore ut aliquando restituere posset, etsi postea ad meliorem perveniat conditionem.[2]

4° Quæ de extrema necessitate dicuntur, possunt etiam dici de necessitate quasi extrema seu gravissima. Talis autem necessitas tunc adesse censetur, quando quis est in probabili periculo incurrendi mortem, amittendi membrum aliquod principale, incidendi in captivitatem perpetuam, aut subeundi pœnam durissimam vel gravissimum aut perpetuum morbum. In his quippe casibus necessitas extrema jam est moraliter præsens.[3]

5° Dives res suas occultans, vel alia utens industria, ne pauperi succurrat, cessante pauperis necessitate, non tenetur ad restitutionem, quia ex una parte obligatur dives ex caritate tantum in hoc casu, ex altera vero necessitas etiam extrema tamdiu solummodo confert pauperi jus ad usum rei alienæ, quamdiu ipsa necessitas urget.[4]

6° Qui vero *vi* impediret pauperem a re quapiam in tali casu sibi sumenda, contra justitiam peccaret, ut ex infra dicendis patebit, et teneretur ad damna compensanda hæredibus *necessariis* inde obvenientia; quod si nulla his obvenerint, cessante necessitate, atque adeo jure pauperis, etiam restitutionis onus cessat.[5]

706. Quæsita. — Quær. 1° *An possit quis rem alterius surripere non tantum ad subveniendum necessitati propriæ, sed etiam alienæ?*

Resp. Affirm., cum S. Thom.[6] et aliis *communiter*. Ratio est, quia tunc gerit quodammodo vices indigentis, et ostendit, se diligere proximum sicut seipsum. Excipe tamen si potuisset largiri rem suam; quo casu ad restitutionem teneri videtur, si dedit alienam; quia non potuit determinare alienam cum propria sibi suppetebat.[1]

707. — Quær. 2° *An dici possit versari in extrema vel quasi extrema necessitate, qui est occidendus a latronibus, nisi talem summam pecuniæ tradat, vel ille cui imminneret perpetua aut gravissima captivitas, vel aliud simile infortunium?*

Resp. Affirmant non pauci cum S. Alph.[2] et Lugo.[3] Ratio est, quia illa necessitas consistit in gravissimo seu extremo periculo, quod imminet, quando quis est ad maximam miseriam redactus, aut jam jam moriturus, non solum ex penuria ciborum, sed ex alia qualibet causa. Hinc in istis casibus licet sibi ex alienis providere.

Quær. 3° *In qua necessitate uxori, filiisfamilias, famulis liceat alimenta accipere a marito, patre, domino fure?*

Prænot. a) Necessitas uxoris, filiorumfamilias, famulorum potest esse — vel *extrema*, eaque aut temporalis, aut spiritualis, ut e. g. si filiæ periculo prostitutionis vel filii injustitiarum exponantur, nisi a patre fure alantur; — vel *quasi extrema*, puta periculum grave sive infirmitatis moraliter certo mortalis, sive infamiæ injustæ, gravis et moraliter irreparabilis; — vel *gravis*, seu talis, in qua deessent necessaria statui juste acquisito.

b) Id, ex quo alitur familia, erit *vel* ipsum illud, quod furto ablatum est, aut ejus æquivalens, e. g. pecunia ex venditione rei furatæ, *vel* aliud quidpiam.

c) Fur poterit restituere ex bonis juste jam acquisitis, vel non.

d) Uxor et filiifamilias ex propriis ali possunt vel non, — iidemque familiæ aliquid lucrantur vel nihil omnino. His prænotatis:

Resp. 1° Si familia non alatur ex re furata vel ex ejus æquivalenti, et fur nihilominus possit restituere ex bonis juste *jam acquisitis*, licite ab hoc accipit etiam ea, quæ non sunt necessaria sive vitæ, sive statui. Ratio est, quia tunc neque accipitur alienum, neque furi ex accepto impotentia restitutionis inducitur. — Idem resolve, licet fur non possit restituere ex bonis juste jam acquisitis, et licet uxor et filii propriis bonis parcant, dummodo a) labore suo familiæ tantum lucrentur,

[1] H. A. Tr. X. 19. [2] Ib.
[3] Ib. n. 15. [4] Ib. n. 20.
[5] L. IV. 520. [6] 2. 2. q. 66. a. 7.

[1] L. III. 33. [2] L. IV. 520.
[3] Disp. 16. n. 146.

quantum ipsis in alimenta a fure subministratur, et b) non alantur ex ipsa re furata vel ex ejus æquivalenti. Ratio est, quia accipiendo quod lucrantur, furi non inducunt majorem impotentiam restitutionis.

Resp. 2° In necessitate sive temporali sive spirituali, eaque vel extrema vel quasi extrema, si non habeant propria, accipere possunt, etiam ex re furata, omne id, quod requiritur ad necessitatem illam sublevandam. Patet ex principio I. n. 704.

Resp. 3° In necessitate gravi accipere possunt illud, quod est necessarium statui, dummodo a) sibi providere non possint ex propriis; b) nihil recipiant ex re furata vel ex ejus æquivalenti; c) creditores furis non versentur in eadem necessitate. Ratio est, quia necessitas gravis propria vel suorum excusat a restitutione, ut infra dicetur.

Dicitur: *nihil accipiant ex re furata vel ex ejus æquivalenti.* Ex æquivalenti tamen accipere poterunt casu, quo fur illud commiscuit cum suis eo modo, quo dictum est n. 673. b). 2°; tunc enim æquivalens erit furis, licet cum obligatione restituendi.

Ita fere quæstionem resolvit Pavone.[1]

§ II. *De occulta compensatione.*

Occulta compensatio est rei propriæ recuperatio per occupationem rei debitoris, hoc inscio factam.

708. Principia. — I. Occulta compensatio aliquando justa et licita esse potest, si requisitis conditionibus non careat, id est, si nulla fiat injuria debitori, neque ulla sequatur perturbatio ordinis juris, neque Reipublicæ. Atqui hæc tria haberi possunt. Ac 1° Nulla injuria fit debitori; nam ex hypothesi in tali compensatione accipis tantum id, quod certo tuum est, seu quod ex stricta justitia tibi debetur. — 2° Nulla est ordinis juris perturbatio, siquidem supponitur, vel judicem adiri non posse, saltem sine notabili incommodo, vel eum jus suum parti læsæ restituere non valere. Non enim prætermitti id dicitur, quod incassum quæreretur. — 3° Nulla est perturbatio, seu damnum Reipublicæ; satis enim ei consulitur per cautiones in conditionibus apponendis. — Ita S. Alph.,[1] Lacroix,[2] etc.

709. — II. Conditiones autem requisitæ sunt sequentes; 1° *Ut debitum sit ex justitia* et *certum*, saltem moraliter. — *Ex justitia*, non ex sola caritate vel gratitudine. — *Certum;* in dubio enim valet principium: *Melior est conditio possidentis.* Ergo in dubio compensatio illicita et injusta est.

2° *Ut debitum non possit aliter recuperari*, saltem sine gravi incommodo. Nam si creditor possit per meram petitionem vel recursum ad judicem obtinere quod sibi debetur, se compensando injuriam publicæ potestati facit, adeoque contra juris ordinem delinquit.

3° *Ut sumatur res in eadem specie*, si fieri possit. Secus enim res debitoris sine ejus consensu, et proinde injuste permutatur.

4° *Ut fiat ex re debitoris.* Secus fieret cum damno tertii, uti contingeret, si fieret ex re apud debitorem deposita vel ei commodata.

5° *Ut damnum debitoris præcaveatur*, scilicet procurando ut debitor vel ejus hæredes periculo bis solvendi non exponantur, si forte restituturi sint. Hinc si casus ille aliquatenus prævideatur, aliquo modo monendi sunt, v. g. per fictam renuntiationem, seu condonationem, etc. Si autem, facta compensatione, restituant, ipsis iterum erit restituendum.[3]

710. Quæsita. — Quær. 1° *An famuli, operarii, officiales gubernii, municipii, etc. judicantes salarium esse infra operam a se præstitam, uti possint occulta compensatione?*

Resp. Neg., saltem generatim loquendo, cum sententia communi. Constat 1° ex proposit. 37 ab Innocentio XI. damnata, p. XVI. 2° Ex ratione; nam agerent contra pactum, cum in pretium minus consenserint, et aliunde nihil ipsis debeatur, nisi pretium, de quo conventum est. Præterea, si id liceret, via innumeris furtis panderetur; famuli enim sibi facile persuaderent, stipendia esse justo minora, et sic nulla securitas dominis superesset. — Idem etiam dicendum, ex paritate rationis, de omnibus operariis, artificibus et mercatoribus, qui ad compensationem recur-

[1] Spicilegio Canonico, etc. Diss. II. C. I.

[1] L. IV. 521. [2] n. 959.
[3] L. IV. 521.

rere vellent prætextu vilioris pretii, quo operas suas locaverint, vel merces suas vendiderint.

Dixi: *Saltem generatim loquendo;* quia ad infimum usque pretium compensare sibi potest famulus. 1° Si vi aut metu compellatur ad consentiendum in pretium inæquale. 2° Si necessitate compulsus in illud consenserit, modo tamen dominus alios famulos eodem vili pretio jam juste i. e. intra justi pretii, saltem infimi, limites non invenisset, vel hunc rogantem ex misericordia non exceperit. 3° Si invitus operibus indebitis gravetur. 4° Si dominus in compensationem consentire censeatur, ut e. g. contingere potest in casu illorum, qui apud nos "*horse-car conductors*" vocantur; supponitur nimirum a plerisque dominis homines istos ideo pretio infimo minori conduci, quod norint se a plerisque fraudandos fore, nec velle dominos (quod cæteroquin irrationabiliter vellent) honestos conductores debito salario privare, eo quod sibi caveant ab inhonestis. In determinando autem suo salario, "*conductors*" maxime attendant ad numerum horarum, quas dominorum suorum servitio impendunt, et ad salarium quod suæ conditionis operariis ad singulas horas datur. Hortandi interim sunt ut aliud opificium quærant, propter periculum injustitiæ, cui se exponunt.

Quær. 2° *An saltem famulus, augens operas debitas, se compensare possit?*

Resp. 1° *Neg.*, si ita agat electione propria, quia tunc censetur operam suam condonare ad sibi conciliandam domini gratiam.

Resp. 2° *Affirm.*, si operas augeat ex voluntate domini sive expressa, sive tacita, quia tunc operarius dignus mercede sua de jure censetur.[1] — Quænam autem compensatio justa sit, judicio etiam famuli relinqui quandoque potest, si timoratus sit ac prudens, et proprii amoris periculum absit; quod tamen admodum raro eveniet.[2]

[1] L. IV. 523. [2] L. IV. 524.

711. — Quær. 3° *An uti possit occulta compensatione, qui damnatur a judice ad solvendum debitum, quod certo non contraxit, vel cui certo jam satisfecit?*

Resp. Affirm., quia sententia judicis est injusta, utpote innixa falsa præsumptione facti, ac proinde in conscientia obligare nequit. Licet enim standum semper sit sententiæ judicis in *materia juris*, nisi de lege seu sententia evidenter injusta agatur, secus tamen, secluso scandalo, si judex certo erret circa factum, quod ex errore verum putat; aliunde vero judex non habet facultatem dominium transferendi; neque qui sententiam favorabilem obtinuit, etiam detecto errore, rem sibi adjudicatam servare potest. — Ita *communiter.*

712. — Quær. 4° *An graviter, et contra justitiam peccet, qui se compensat, quin prius ad judicem recurrerit?*

Resp. 1° Non peccat *per se contra justitiam*, modo tantum accipiat, quantum sibi debetur; nec proinde ad restitutionem tenetur. Ratio patet, quia facta hac compensatione, restituitur æqualitas inter ipsum et debitorem. Dixi: *per se;* quia quandoque sequi posset detrimentum pro debitore ex privatione cujuspiam rei determinatæ, v. g. equi, rei pretiosæ, etc. — Lugo,[1] et alii.

Resp. 2° Nec peccat *graviter*, generatim loquendo; quia ordinarie non sequitur ex hac ordinis inversione grave scandalum, nec gravis Reipublicæ perturbatio. — Lugo.[2]

Resp. 3° Nullo modo peccat, si difficilis sit recursus ad judicem, si scandali sit periculum, aut sumptus extraordinarii, etc., quia tunc recursus est moraliter impossibilis.

Monitum. — Confessarii ne facile compensationem suadeant et raro etiam permittant. At vero compensationi jam factæ, cui nulla ex necessariis conditionibus desit, eatenus connivere licet, ut pœnitens ad restitutionem haud obstringatur.

[1] D. 16. n. 91. [2] Ib.

PARS TERTIA.

DE RESTITUTIONE.

SECTIO I.

DE RESTITUTIONE IN GENERE.

Agendum 1° de obligatione restitutionis; 2° de radicibus restitutionis; 3° de circumstantiis restitutionis; 4° de causis a restitutione excusantibus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONE RESTITUTIONIS.

Restitutio, quoad nomen, idem sonat ac positio rei in pristinum statum. Quoad rem, est juris alieni læsi reparatio.

713. PRINCIPIA. — I. Restitutio *in re* vel saltem *in voto* absolute ad salutem *per se* necessaria est, si de materia gravi agatur.

1° Constat ex principiis supra statutis, n. 587. Nam justitia commutativa necessario exigit, ut violatio juris alieni cesset; atqui cessare nequit nisi per restitutionem. Ergo.

2° Constat etiam ex Scriptura Sacra. Sic: *Si autem dixeris impio: morte morieris; et egerit pœnitentiam a peccato suo feceritque judicium et justitiam, et pignus restituerit ille impius, rapinamque reddiderit, . . . vita vivet et non morietur.*[1] — Et: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat; et clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*[2]

3° Constat ex unanimi consensu SS. Patrum. Sic S. Aug.[3] "Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, cum restitui potest." — Hæc verba S. Doctoris inserta sunt Juri Canonico;[4] et exinde regula 4ª juris in 6°: *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*

Dixi: *in re vel in voto:* restitutio enim non est necessaria necessitate medii ad salutem *in re;* quare si impossibilis est *in re,* saluti non obstat; sed nemo a restitutione *in voto* excusari potest; et quisquis jus alienum læsit, semper firmum habere debet propositum restituendi quando poterit; secus enim affectum ad rem malam retineret, sicque in peccato habituali versaretur. — Ita *omnes.* — Hinc S. August. in textu modo citato dicit: "cum restitui *potest.*"

714. — II. Præceptum restitutionis est primario *negativum,* secundario autem *affirmativum.* Ratio 1ᵐⁱ est, quia restitutionis præceptum immediate fundatur in obligatione non violandi jus alienum, seu in obligatione rem alterius neque accipiendi, neque retinendi. Hæc autem obligatio est primario *negativa,* ut patet, ac proinde urget *semper* et *pro semper,* id est, urget quolibet momento, usquedum restitutio facta fuerit. Ratio 2ᵈⁱ est, quia obligatio rem alienam non recipiendi nec retinendi, in qua primario et immediate fundatur præceptum restitutionis, non potest impleri, quin inde fiat actio positiva, qua domino id reddatur, quod suum est.

III. Non datur obligatio restitutionis, nisi ob violationem juris *stricti,* seu justitiæ *commutativæ;* secus vero ob violationem juris honestatis simpliciter. Ratio est, quia restitutio efficit, ut res proximo debita exæquet jus illius injuste violatum. Jam vero hoc fieri nequit, cum de violatione juris honestatis sermo est. Si quis enim jus lædat Superioris sui vel proximi, illi denegando obedientiam, huic caritatis officia, violatio illa stricte reparari nequit, quia novus actus obedientiæ vel caritatis non repararet jus violatum, sed satisfaceret tantum præcepto, quod semper urget, obediendi scilicet Superiori, et proximum in angustiis sublevandi.

715. QUÆSITA. — Quær. 1° *An impotens restituere ex bonis ejusdem ordinis teneatur restituere ex bonis ordinis diversi?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia non datur comparatio inter bona diversi ordinis; ergo nec dari potest compensatio. Et sane decerni nunquam posset,

[1] Ezech. 33. 14. [2] Epist. S. Jac. 5. 4.
[3] Ep. 153 ad Macedonium.
[4] c. 1. causa 14. qu. 6.

quantum *arithmetice* restitui deberet, siquidem inter bona diversi ordinis non datur mensura communis. — S. Alph.,[1] Lacroix, etc., . . . et alii *communius*.

Affirmant tamen quidam alii, quia (inquiunt) qui non potest totum damnum resarcire, tenetur saltem compensare partem, quam potest. — S. Th.[2]

Attamen per justitiam vindicativam potest a judice vel a Superiore imponi, ut quis pro injuria circa unum bonorum genus, e. g. circa bonum famæ, aliquid præstet in bonis alterius ordinis, e. g. pecuniam; *probabilius* tamen ratione pœnæ tantum, non vero ratione justitiæ, nisi et hæc simul voluntarie læsa fuerit, ut si damna in bonis fortunæ prævisa fuerint ex diffamatione. Læsus insuper jus habet apud judicem denuntiandi illum, a quo injuriam accepit, adeoque ab isto pecuniam accipiendi, ut denuntiationem omittat; sic v. g. mulier ab aliquo violenter oppressa violatorem ad judicem compellere potest, vel pecuniam a nebulone exigere, ut juri suo renuntiet.

716. — Quær. 2° *An inducatur obligatio restitutionis ex actione affective tantum, non vero effective juris alieni læsiva?*

Resp. Neg. prorsus, quia nulla injuria realis proximo infertur, quamvis agens peccet actu interno contra justitiam. Hinc ab onere restitutionis eximendus est judex malevolus proferens sententiam, quam putat injustam, si reipsa justa est; vel ille qui rapit rem, quam existimat alienam, dum sua ipsius est.[3] Recole dicta supra n. 692.

Quær. 3° *An multiplicentur peccata dilatione restitutionis?*

Resp. Neg. probabilius, si habitualiter perseveret, seu non moraliter interrumpatur mala voluntas non restituendi.[4] Recole dicta n. 224. B.

717. — Quær. 4° *An furtula diversis personis facta ad restitutionem* SUB GRAVI *obligent, si ad gravem materiam pervenerint, et utrum dominis ipsis etiam* SUB GRAVI *restituendum sit?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.*, quia præceptum non furandi non solum prohibet ne damnum alteri inferatur, sed etiam ne quis injuste ditescat ex re aliena. — Ita *communiter*. V. n. 721. 4°.

[1] L. IV. 627. [2] 2. 2. q. 62. a. 2.
[3] L. IV. 556. [4] L. II. 40.

Resp. ad 2^{um} *Neg. probabilius*. Ratio est, quia ex hypothesi nullus dominus gravem injuriam passus est. — Potest ergo, etiamsi domini sint noti, sine gravi cujusvis læsione restitutio fieri pauperibus, vel locis piis; imo si causa rationabilis accedat, v. g. necessitas urgens pauperum, etc., veniale quoque aberit.[1] Si vero domini sint ignoti, sub gravi pauperibus seu locis piis restituendum est.[2]

Quær. 5° *An* SUB GRAVI *restituere teneatur, qui in furtis minutis non graviter peccavit, sed ex inadvertentia ad materiam gravem pervenit?*

Resp. Affirm.; quia quamvis graviter non peccaverit furando, est tamen injustus *possessor* materiæ gravis, et proinde graviter peccabit rem surreptam *retinendo*. Hoc valet, etiamsi furta diversis personis facta fuerint; secus enim ille injuste re aliena absque gravi peccato ditescere posset, quod ex dictis non licet.

718. — Quær. 6° *An fur, qui gravem pecuniæ summam surripuit, teneatur eam integram sub gravi restituere?*

Resp. Neg. Tenetur enim sub gravi tantum id restituere, quod materiam gravem complet, quia, hoc restituto, materia retenta jam gravis non est. Hinc potest quis obligari sub gravi ad materiam levem restituendam; sed tunc obligatio non ex re levi, sed ex quantitate gravi oritur.[3]

719. *Resolves.* — 1° Qui versatur in impotentia rem alienam aut ejus valorem restituendi, debet semper firmum habere propositum restituendi, quando poterit, et interim comparare, si quid possit, ut obligationi suæ quamprimum satisfaciat.

2° Si quis totum nequeat restituere, et de re divisibili agatur, ad partem, quam possit, tenetur. Persona enim læsa jus habet ad singulas partes, sicuti ad totum.

3° Qui leve damnum proximo intulit, tenetur ad restitutionem erga dominum læsum sub levi, et cum incommodo rei proportionato; debet enim reparari injustitia levis sub levi, sicut gravis sub gravi. Facilius tamen adesse tunc potest ratio excusans a restitutione, præsertim ipsi domino facienda. Si autem de re levissima agatur, difficultas quæcumque sufficiet, ut pauperibus restitutio fieri possit.[4]

[1] L. IV. 534. 595. [2] Ib.
[3] L. IV. 553. [4] L. IV. 534.

4° Absolutione indignus merito habetur, qui recusat restitutionem promittere; — qui hæredibus suis curam restituendi relinquit, dum per seipsum id facere potest; — qui ære alieno gravatus, in victu, vestitu, famulatu, . . . ejusmodi expensas subit, ob quas prævidet, se postea debitorum suorum solutioni imparem fore. — Idem dicendum de illo, qui bona gaudens fortuna, non vult statum suum paulatim minuere, ut creditoribus satisfaciat. — Quin et *regulariter* non est absolvendus is, cui *moraliter* possibilis est restitutio, priusquam restituerit; experientia enim docet *post* absolutionem restitutionem *rarissime* fieri.[1]

5° Caute agere debet confessarius cum moribundis restitutioni obnoxiis. Sic autem procedere poterit: 1° Si pœnitens videatur esse in bona fide, nec supersit tempus eum de sua obligatione prudenter monendi, aut prævideatur, non profuturam esse monitionem, hac omissa erit absolvendus. 2° Si vero fructus monitionis speretur, aut si pœnitens non sit in bona fide, fortiter simul et suaviter admonendus erit de restitutionis obligatione, et ad illam statim peragendam adjuvandus. 3° Si obligatio occulta sit, nec statim fieri queat, erit inducendus æger ad summam pecuniæ sibi confessario, seu potius, si fieri possit, viro fideli committendam, ut postea creditori secrete committatur, vel ad eam summam in testamento ipsi, aut, ubi prudentia id non dissuadet, aut lex non irritat (quemadmodum irritat in Luisiana[2]), confessario relinquendam, omissa restitutionis mentione. 4° Si obligatio non sit occulta, nec statim adimpleri possit, confessarius efficiat, ut per hæredes certo facienda curetur, sive per schedulam creditori tradendam, etc.

CAPUT II.

DE RADICIBUS RESTITUTIONIS.

720. — Radices restitutionis dicuntur causæ, ex quibus oritur obligatio restituendi. Ex triplici autem capite desumuntur, scilicet 1° ex acceptione rei alienæ; — 2° ex injusta damnificatione; — 3° ex injusta cooperatione: quod tamen, quoad rem, in alterutrum e præcedentibus recidit.

ARTICULUS I.

DE ACCEPTIONE REI ALIENÆ.

721. Principium generale. — Solus rei dominus *per se* habet jus eam possidendi, nec rei dominium amittit, ad cujuscumque manus illa demum deveniat. — Dicitur, *per se;* quia alius possessor quilibet, etiam bonæ fidei, non nisi *per accidens* et ex errore invincibili jus habet rem possidendi. — Ita omnia jura statuunt. — Ex hoc autem generali principio sponte sua fluunt quatuor hæc notissima axiomata, quæ sæpe sæpius in decursu hujus tractationis recurrent, scilicet

1° *Res clamat domino*, id est domino competit jus strictum rem suam recuperandi, ubicumque eam inveniat.

2° *Res fructificat domino;* quia usus et fruitio necessario in idea dominii perfecti includitur.

3° *Res naturaliter perit domino;* quia, deficiente dominii objecto, evanescit et ipsum dominium. Si tamen existat adhuc in æquivalenti, istud æquivalens domino competit.

4° *Nemo ex re alterius locupletari injuste debet:* aliis verbis: *Mensura restitutionis est quantitas rei alienæ sine causa detentæ.* Ratio patet; soli enim domino rei competit utilitatem ex eadem percipere.

Verum hæc principia, præterquam quod aliquando juxta diversas locorum leges diversam sortiuntur applicationem, insuper modificantur pro diversa possessoris conditione. Quippe potest quis rem alienam possidere vel cum bona, vel cum mala, vel cum dubia fide. Dicendum itaque 1° de possessore bonæ fidei; 2° de possessore malæ fidei; 3° de possessore dubiæ fidei.

§ I. *De possessore bonæ fidei.*

Possessor *bonæ fidei* ille est, qui *invincibiliter* ignorat rem a se possessam esse alienam, ac prudenter judicat esse suam, v. g. quia illam acquisivit titulo dominii *de se translativo*, puta, hæreditatis, legati, donationis aut emptionis. Supponitur

[1] L. IV. 682.
[2] Civ. Code of Louis. a. 1489.

autem, illum rem possessam nondum præscripsisse; secus enim jam non esset detentor *rei alienæ*, sed suæ.

722. PRINCIPIA. — I. Possessor bonæ fidei, statim ac novit rem a se possessam esse alienam, tenetur eam adhuc extantem in toto vel in parte vel in emolumento, domino restituere; secus enim *bonum alienum*, invito rationabiliter domino, retinet; et proinde illius jus strictum violat. — Ita *omnes*.

II. Possessor bonæ fidei ad nihil prorsus tenetur, si, durante bona fide, rem alienam consumpserit, amiserit, vel etiam destruxerit, modo ditior inde non evaserit. Etenim non tenetur ratione rei acceptæ, quæ amplius non extat; neque ratione injustæ acceptionis, aut consumptionis, aut destructionis, quia rem bona fide possidebat. Hoc etiam valet, si de industria rem destruxerit, aut ex ejus negligentia illa perierit. Ratio est, quia nulli injuriam inferebat, rem, quam credebat suam, destruendo, aut negligendo. Jure etiam positivo confirmatur. Sic enim Jure Romano: "Qui quasi rem suam neglexit, nulli querelæ subjectus est."

Dixi: *modo ditior inde non evaserit;* quia id, in quo ditior factus esset, loco rei succederet; est autem contra jus naturale, ut quis cum alterius injuria ditescat, juxta regulam 48 Juris, in 6°: *Locupletari non potest aliquis cum alterius injuria seu jactura.*

723. QUÆSITA. — Quær. 1° *An possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus, quos durante bona fide percepit?*

Resp. Distinguendi sunt fructus. Nam 1° alii sunt *naturales*, qui ex ipsa rei substantia, sine ulla aut modica hominis opera proveniunt, ut sunt gramina, etc. 2° Alii sunt *industriales*, qui potissimum industriæ possessoris tribuuntur. 3° Alii *mixti*, qui sunt partim naturales et partim industriales, ut segetes, etc. 4° Alii demum *civiles*, qui non sunt fructus proprie dicti, sed ut tales a Jure habentur, ut sunt reditus annui, pretium locationis domus, etc.

Dico: 1° Possessor bonæ fidei *nulla* ratione tenetur restituere fructus mere *industriales;* quia isti ratione industriæ ad possessorem omnino pertinent. — Ita *omnes*.

Dico: 2° *Ex jure naturali* possessor bonæ fidei restituere debet omnes alios fructus, sive *naturales*, sive *civiles*, extantes, et, in quantum ex iis factus est ditior, etiam consumptos, expensis tamen et laboribus deductis. Ratio est, quia ex jure naturali fructus ad eum pertinent ad quem causa ipsa *fructifera* pertinet, cum ex re ipsa proveniant, juxta axioma: *Res fructificat domino.*[1]

724. — Quær. 2° *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, si rem alienam alteri donaverit?*

Resp. Ad nihil tenetur, si ditior minime factus sit, ut sequitur ex dictis supra in principio II. Secus restituere debet id, in quo ditior evasit, ut ex principio I. constat.

Quær. 3° *An facta donatione, et errore detecto, teneatur monere donatarium, ut rem domino reddat, vel ipsum dominum, ut rem suam recuperare valeat?*

Resp. Tenetur certo ex generali caritatis principio, si facile id præstare possit. Sed videtur etiam, si sine gravi suo damno monere possit, teneri ratione justitiæ, ex generali obligatione, quam incurrit injustitiæ etiam mere materialis auctor.[2]

725. — Quær. 4° *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, si rem a fure emptam alteri vendiderit?*

Resp. 1° *In casu evictionis*, id est, si dominus rem suam ab emptore vindicaverit, venditor emptori pretium reddere tenetur. Ratio est, quia venditio est omnino irrita ex jure naturali; interveniente ergo evictione, contractus resolvendus est, et emptor recursum ipso facto in venditorem acquirit: quippe rem emptori tradendo se implicite obligavit ad damnum reparandum, si forte futura esset evictio. Excipe: 1) Si venditor ex pretio non sit factus ditior, quia v. g. illud bona fide in largitiones aut in lusum expendit, et secus ita non expendisset. 2) Nisi bona fide expresse conventum fuerit de non restituendo pretio.[3] — Idem dicendum, si res aliena in manus variorum possessorum titulo oneroso transiverit. Si enim ultimus possessor rem domino reddere cogatur, et ipse et singuli emptores jus habent venditorem suum persequendi, ut pretium solutum recuperent. — Id tamen non valet, i. e. pretium emptori venditor, in nihilo

[1] L. IV. 609. 610. [2] L. IV. 601.
[3] L. IV. 601. 800.

ex eo factus ditior, restituere non tenetur, si emptor spontanee, seu non evictus, rem domino restituat et *sic* venditorem impediat quominus pretium suum recuperare possit.[1]

Resp. 2° *Extra casum evictionis* venditor ad nihil tenetur nisi ex venditione ditior factus fuerit. Ratio est, quia venditio rei alienæ cum bona fide non habetur in jure omnino irrita. Licet enim per eam non transferatur dominium rei in emptorem, transfertur tamen dominium pretii in venditorem. Et hic quidem, etiamsi deinde detegat rem venditam alienam esse, casu, quo non possit amplius pretium, quo rem emit, recuperare, cum gravi suo damno non tenetur aut monere dominum, ut rem suam recuperare possit, aut indicare emptori rem esse alienam. Ratio est quia rem amplius non habet, nec causa *formalis* fuit quod dominus re sua privatus sit.[2] Cfr. dicta n. 724. q. 3°.

726. — **Quær.** 5° *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, si rem alienam gratuito acceptam alteri vendiderit ?*

Resp. 1° In casu evictionis tenetur emptori damnum rependere, ut in casu præcedenti.

Resp. 2° Extra casum evictionis, quando scilicet res a domino recuperari nequit, sive quia ultimus possessor eam consumpsit, sive quia iste amplius non comparet, venditor juxta communem sententiam totum pretium ab emptore receptum, si et in quantum ex eo factus est ditior, in dominum refundere debet. Ratio est, quia ex pretio vere ditior factus nullam jacturam illius occasione patitur; dum e contrario dominus re sua injuste spoliatus totum rei damnum subire cogitur. Unde hic indemnis servandus est ex lucro, quod venditor absque ullo titulo percepit.[3]

727. — **Quær.** 6° *Si quis bona fide rem alienam mediocri pretio emerit et majori eam vendiderit, an lucrum perceptum domino reddere teneatur ?*

Resp. 1° *Neg.*, si lucrum istud industriæ extraordinariæ tribuendum sit, v. g. si alium locum notabili labore adierit, ut opportunam occasionem rem carius vendendi inveniret, etc. Idem dicendum, si res tempore detentionis melior effecta fuerit cura detentoris.

Affirm. è contrario, si res ex natura sua, aut ex communi hominum æstimatione, non vero ex detentoris industria creverit, quia in eo casu domino crescit.

Resp. 2° In aliis vero casibus *controvertitur*. Alii affirmant, quia ex eo lucro possessor ditior factus est.— Billuart, etc.

Negant vero alii *communius* et *probabilius ;* quia totum illud lucrum fructus industriæ possessoris esse videtur. — Ita Lugo,[1] et alii *sat communiter*, ut fatetur Billuart.

728. —**Quær.** 7° *Ad quid teneatur possessor bonæ fidei, si rem alienam vendiderit, et illa in manibus emptoris perierit ?*

Resp. 1° Si rem habuit *ex titulo oneroso, probabilius* ad nihil tenetur, ut sequitur ex dictis in quæsito quarto. Etenim 1° non tenetur *ratione rei*, cum illam jam non habeat: 2° neque *ratione damni*, cum non sit causa ejus interitus, nec aliunde ullo modo formaliter cooperatus ablationi rei fuerit.

Resp. 2° Si rem habuit ex titulo gratuito, haud ita facilis evadit solutio, quia ditior evasit. In varias sententias quoad istam quæstionem abeunt Theologi, et tibi undique adstant ambages. Triplex sententia præcipue distinguitur.

I^a^ Sententia, quæ *probabilior* videtur et *conformior* principiis S. Alphonsi (vide supra n. 726. q. 5° R. 2°), docet pretium emptori restituendum esse. Etenim illud servare nequit venditor, cum ex illo ditior evaserit. Aliunde istud domino reddere non tenetur, quia res domino periit. Insuper si primus possessor malæ fuerit fidei, ut sæpius accidit, ille de rei valore erga dominum tenetur. Aliunde vero cum venditio invalida fuerit, emptor jus habet ad suam pecuniam recuperandam. — Bouvier, Carrière, etc.

II^a^ Sententia *sat probabilis* tenet, pretium domino esse restituendum. Ratio est, quia cum injuste re sua spoliatus sit, indemnis fieri debet. Re autem jam non existente, æquum est ut accipiat id, quo res repræsentatur. Atqui repræsentatur pretio, quod habet venditor. Ergo . . . Aliunde nullitas venditionis emptori minime nocet; quia ei non magis nocet, quam si contractus validus foret; porro si validus esset, nihil posset repetere. Ergo . . . Excipiunt plures recte,

[1] L. IV. 601. [2] Ib.
[3] L. IV. 607. 608.

[1] Disp. 17. n. 20.

si res æque periisset apud dominum, v. g. ex vitio intrinseco, aut ex vetustate; tunc enim revera ipsi periisset.

III[a] Sententia dicit, venditorem posse pretium sibi retinere, quia nec domino, nec emptori illud restituere debet. Ac 1° *non domino*, quia res ipsi periit in omni casu; 2° *non emptori*, quia pecunia, quam venditor accepit, non præcise rem repræsentat, sed potius obligationem, quam in se suscepit servandi indemnem emptorem in casu evictionis. Sed emptor non fuit evictus; ergo venditor pretium retinere potest ratione rei derelictæ. Hæc sententia paucos adnumerat patronos, nec sat probabilis videtur.

729. — Quær. 8° *Quid agendum, si inter varios possessores bonæ fidei unus malæ fidei adfuerit?*

Resp. Illa circumstantia nihil prorsus conditionem aliorum possessorum immutat, quemcumque tandem locum in serie possessorum ille occupaverit. Singulis enim incumbit eadem obligatio erga dominum, ac si possessor ille bonæ fidei fuerit, siquidem mala ejus fides in alios nullatenus redundat. Iste autem tractandus erit, prouti mox de possessoribus malæ fidei dicetur.

Quær. 9° *Quid agendum, si possessor bonæ fidei detegat quidem rem a se possessam esse alienam, sed dominus non compareat?*

Resp. De hoc statuendum est sicut de re inventa. — Recole dicta n. 655. 656.

730. — Quær. 10° *An possessor bonæ fidei subducere possit expensas necessarias, quas in re conservanda vel augenda subiit?*

Resp. Deducere potest omnes expensas *necessarias*, imo et *utiles*, quæ nempe rem conservant et meliorem efficiunt; secus enim dominus plus, quam suum est, reciperet. Nihil autem repetere potest pro expensis mere voluptuariis; quia æquum non est, ut dominus solvat expensas, quæ nullam sibi utilitatem afferunt.

Inter expensas autem non sunt computandi casus fortuiti, nec damna *per accidens* causata. Sic, v. g. si in colendo agro alieno perierint equi tui valor equorum deduci nequit, sed tantum æstimatio laboris facti ab equis pro agri cultura.

731. — Quær. 11° *An qui rem furtivam bona fide emit, possit eam furi reddere ad pretium suum recuperandum?*

Resp. 1° *Neg.*, si compareat dominus rem suam ab illo repetens; tunc enim debet eam ipsi reddere, etiam cum pretii sui jactura; quia de jure naturali dominus rem suam occupare potest ubicumque eam reperiat. Actio tamen emptori datur in furem.

Resp. 2° Si dominus sit quidem cognitus, sed rei inscius, *valde probabiliter* et forte *probabilius* potest emptor rem furi remittere, ut pecuniam recuperet; tum quia emptor non tenetur rem domino servare cum proprio damno, tum quia nemini interdicitur actio, quæ per se est necessaria, et directa ad suum damnum reparandum, licet indirecte et per accidens damnum inde alteri eveniat.[1]

Resp. 3° Si fur, aut alius venditor non appareat, aut pecuniam reddere nolit, emptor, cognito domino, rem aliis vendere non potest, nec in proprios usus convertere, ut se servet indemnem, quia non est rei dominus; sed eam domino reddere debet, non obstante pretii jactura. Recursum autem in venditorem servat. Quod si eum invenire nequeat, damnum ipsi est subeundum.

§ II. *De possessore malæ fidei.*

Possessor malæ fidei ille est, qui cognoscit rem, quam accipit, aut possidet, non esse suam.

732. Principia. — I. Possessor malæ fidei restituere debet rem ipsam in *individuo*, si existat, vel in *æquivalenti*, si non existat, et insuper, si fructus industriales exceperis, id omne in quo factus est ditior, ut de possessore bonæ fidei dictum est.

II. Tenetur præterea ad compensandum omne damnum ex acceptione injusta proximo illatum, etiamsi ditior non fuerit factus. Ratio est, quia per acceptionem *formaliter* injustam ac per se damni efficacem, violavit jus proximi. Requirit autem justitia commutativa, ut jus violatum integre reparetur. Ergo . . .

III. Potest tamen retinere fructus omnes industriales et deducere expensas tum necessarias, tum utiles; imo et mere voluptuarias, ubi intacta rei substantia separari possunt, nisi in pœnam delicti ad expensas amittendas condemnatus fuerit.[2]

733. Quæsita. — Quær. 1° *An tenea-*

[1] L. IV. 569. [2] H. A. Tr. X. 74. 77.

tur ad restitutionem fur, qui surripuit rem secus certo perituram ?

Resp. Affirm., deductis tamen expensis factis cum pretio operæ adhibitæ ad rem a periculo liberandam. Ratio est, quia res illa non cessavit ad dominum pertinere, licet summo periculo exposita fuerit.

Excipiunt plures *probabiliter*, si fur consumat rem in certo periculo remanentem, v. g. esculenta vel poculenta incendio jam peritura : quia sola injuria non obligat ad restitutionem, ubi damnum non intercessit.[1] — Lugo.[2]

734. — Quær. 2° *An fur teneatur ad restitutionem, si res furtiva apud ipsum perierit ?*

Resp. 1° *Affirm. absolute*, si perierit culpa furis vel alterius cujuslibet, quia fur fuit causa damni efficax, sive ipse, sive alius rem ex negligentia culpabili perdiderit aut consumpserit, donaverit, destruxerit. — Ita *omnes*.

Resp. 2° *Affirm. generatim*, si pariter res periit apud furem, etiam absque ulla ejus culpa. Ratio est, quia fur rem subducendo totum illius periculum in se suscepit.[3]

Resp. 3° *Neg.* tamen, si res fuisset peritura apud dominum eodem tempore et casu, seu ex vitio ejus intrinseco, quia tunc nullum prorsus damnum domino infertur. *Probabilius* hoc valet, etiam si res certo peritura fuisset eodem tempore et in eodem periculo communi, quo apud furem periit, v. g. in eodem incendio, vel in eadem publica calamitate. Ratio est, quia tunc furtum non fuit causa damni, sed res æque et eodem modo et tempore periisset. — Ita *communiter*.[4] Lugo,[5] contra Concina, etc.

Dixi : 1° *si res peritura fuisset eodem tempore apud dominum ;* quia si peritura fuisset antea, et furto adscribendum est, quod non perierit, jam ad dominum, dum penes furem manebat, semper clamabat, nec periisset, si jam fuisset restituta ; ergo fur ad restitutionem tenetur : si vero postea peritura fuisset apud dominum, urget eadem obligatio restitutionis pro fure, qui eo instanti, quo res penes se periit, obligationem restituendi contraxit.

[1] L. IV. 620. [2] D. 18. n. 77. 144 et seq.
[3] L. IV. 620. [4] Ib. et H. A. Tr. X. 79.
[5] D. 18. n. 141.

— Probabilis tamen in hoc casu est 8° Alph° sententia excusans a restitutione furem, si res peritura fuisset æque apud dominum in eodem *communi* periculo, et eo casu teneri eum tantum, ratione moræ, ad restituendos fructus, quos dominus percepturus fuisset ex re. Ratio est, quia mora fuit quidem causa cur dominus privetur *fructibus*, non vero cur *re*, cujus amissionis causa fuit periculum.[1]

Dixi : 2° *eodem periculo*, quia ubi periculum est omnino diversum, bene potest imputari furi quod pereat, quia sine ejus furto res huic periculo exposita non fuisset, quamvis aliud discrimen subiisset.[2]

735. — Quær. 3° *Ad quid teneatur possessor malæ fidei, quando res varium habuit valorem tempore detentionis ?*

Resp. 1° Si res apud furem deterior facta fuerit, restituenda est secundum valorem, quem habebat quo tempore sublata est. Secus enim dominus non reciperet id omne, quod suum erat.

2° Si res apud furem crevit, restitui debet cum omnibus incrementis hic et nunc existentibus ; quia res semper ad dominum pertinet, et pro ipso crescit.

3° Si dominus rem suam fuisset venditurus eo tempore, quo fuit sibi ablata, et fur eodem tempore eam vendiderit aut consumpserit, tenetur tantum restituere valorem, quem habebat quando illam surripuit.

4° Si res apud furem creverit et postea decreverit, et constet dominum, eo tempore, quo majoris erat pretii, venditurum illam fuisse aut consumpturum, fur ad totum majus pretium reddendum tenetur.

5° Si fur rem a domino non servandam consumpserit tempore minoris pretii, non tenetur ad restitutionem incrementi, saltem *probabilius :* quia non ditescit ex re aliena, nec injuriam infert domino. — Ita *communius*, contra aliquos.[3]

6° Si fur rem a domino non servandam vendidit vel consumpsit tempore majoris pretii, tenetur illud pretium domino reddere, licet aliud dominus de re facturus fuisset ; quia res domino suo *fructificat*. — Ita *communiter*.[4]

7° Fur restituere tenetur rem furtivam juxta majorem, quem aliquando habuit,

[1] L. IV. 620. [2] Ib.
[3] L. IV. 621. [4] L. IV. 621.

valorem, etsi dominus eamdem rem usque ad tempus minoris pretii servaturus fuisset, vel etsi eam, antequam pretium ejusdem crevisset, fuisset consumpturus, quia res pertinebat ad dominum cum suo incremento tempore majoris *pretii*, et proinde tunc eam reddere tenebatur. Ergo, etc. — Ita *S. Alph.*[1] *contra alios*, quorum sententiam improbabilem judicat.

In praxi cum fere non innotescant omnes præfatæ circumstantiæ, plerumque sola urgenda est compensatio valoris, quem res tempore furti habebat.

736. — Quær. 4° *An fur præter pecuniam furtivam etiam restituere debeat* INTERESSE (*the interest*)?

Resp. Affirm., si constet vel præsumatur, — ut hodie, si pecuniæ furtivæ summa sat notabilis sit, fere præsumi debet, — quod dominus illud lucrum fuerat percepturus, quia hic respectu possessoris malæ fidei omnino indemnis fieri debet; secus vero *probabiliter* in alia hypothesi, quia non constat dominum ad illud auctarium jus habere.

Quær. 5° *An teneantur restituere, qui ut eleemosynas accipiant, fingunt se pauperes, vel veri pauperes, qui dicunt se probos, cum non sint?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.* Ratio est, quia isti nullum jus habent ad eleemosynas; qui enim erogant eas, *veris* tantum pauperibus opitulari intendunt. Igitur restituendum est vel danti, vel saltem *vere* pauperibus. *Probabilius* sufficit si pauperibus restituatur. Non videtur tamen urgenda restitutio, si de eleemosynis valde modicis, quales ostiatim dantur, agatur; quia erogantes quoad eas sunt minus inviti. — Ita *communiter*.[2]

Resp. ad 2^um^ *Neg. generaliter*, quia sola indigentia, non vero probitas, est conditio, ad quam donator attendit aut attendere præsumitur. — Ita *communiter*.

737. — Quær. 6° *Quid, si res aliena per manus plurium malæ fidei possessorum transierit ex donatione aut venditione?*

Resp. 1° Quoad rem, hæc restituenda est ab eo, qui eam adhuc tenet vel in alium valorem mutavit, aut consumpsit, aut quovis modo amisit. Hoc autem deficiente, tenetur raptor. Quod si neuter debito suo satisfecerit, cæteri per æquas portiones rei pretium solvere debent.

[1] L. IV. 621. [2] L. IV. 622.

Tandem, in cæterorum defectu, quisque ad totum tenetur.

Resp. 2° Quoad rei fructus et damna, singuli ad compensationem tenentur pro parte temporis, quo unusquisque rem detinuit; si autem reliqui pro sua damnificationis et fruitionis parte non compensent, totius damni reparatio singulis incumbit, nempe tenetur quisque eorum ad reparanda damna, non quæ secuta prius sunt, quam ipse fieret possessor rei alienæ, sed quæ postea. — Ita *communiter*.

Quær. 7° *An ille, qui scienter rem alienam emit a fure, possit ipsam huic reddere ad pretium recuperandum?*

Resp. Controvertitur. Affirmat S. Alph.;[1] quia licet iste peccaverit rem mala fide emendo, post emptionem tamen jus habet, haud secus ac possessor bonæ fidei, ad contractum rescindendum; nec rem furi reddens, hanc in pejori ac ipse illam invenerit, ponit conditione, e qua insuper nec tenebatur sane ex justitia ipsam liberare.

738. *Resolves.* — 1° Possessor malæ fidei non tantum tenetur ad compensandum damnum domino emergens ex carentia rei suæ, et in confuso saltem prævisum, sed et omne lucrum cessans; scilicet non illud tantum, quod dominus ob rei suæ carentiam reipsa amisit, sed illud etiam, quod modo licito fuisset percepturus.

2° Qui frumentum alienum surreptum transvexit in alium locum, ubi vendidit majori pretio, quam dominus erat venditurus, non tenetur augmentum pretii domino tribuere.[2] — Quod si idem frumentum fur in agro suo seminaverit, tenetur solum ad simile frumentum reddendum, ita ut dominus indemnis servetur. Item si quis aliena ova supponat gallinæ suæ incubanda, ad ovorum valorem tantum restituendum tenetur.

3° Si quis furatus sit triticum, quod dominus tempore majoris pretii vendendum servabat, illudque minoris pretii tempore consumpserit, ad illud pretium restituendum tenetur, quod dominus expectabat; nisi forte tam mature fiat restitutio, ut dominus minori pretio simile triticum emere et sine incommodo in tempus pretii majoris reservare possit.

4° Si quis raptum agnum occiderit, aut

[1] L. IV. 570. [2] L. IV. 618.

aliam rem hujusmodi furto ablatam consumpserit, id tantum pecuniæ (*saltem probabilius*) solvere tenetur, quod valori harum rerum tempore occisionis aut consumptionis respondebat; nisi forte dominus eadem pecunia rem ejusdem valoris jam non potuerit emere, simulque voluerit rem illam servare, ut majorem pecuniæ summam ex ejus venditione obtineret.[1]

5° Si fur surripuit et consumpsit triticum, quod dominus usque ad ultimum venditionis tempus servaturus erat, post furtum vero modii valor primo quidem crevit, sed deinde, cum fur vult restituere, decrevit iterum ad eum valorem, quem furti tempore habebat, non satisfacit pretium huic valori respondens solvendo. — Vide dicta n. 635. Quær. 3°. Resp. 7°.

§ III. *De possessore dubiæ fidei.*

Possessor dubiæ fidei est ille, qui dubitat, utrum res, quam accipit aut possidet, sit sua an aliena.

739. Principia. — I. Possessor dubiæ fidei, sive a principio, sive in decursu tantum possessionis dubitaverit, serio inquirere tenetur, ut dubium deponat. Ratio patet; secus enim se exponit periculo rem alienam ex culpabili negligentia sua retinendi.

II. Si diligenti inquisitione facta dubium perseveret, *probabilius* rem totam retinere potest, si ante obortum dubium bona fide possidebat. Ratio est, quia in *pari causâ, vel dubio, melior est conditio possidentis;* et possessio cum bona fide incepta creat de se maximam præsumptionem de justitia possessionis, et possessori jus certum tribuit, quod, nisi aliis rationibus vel præsumptionibus fortioribus vincatur, in foro tum interno, tum externo prævalere debet. — S. Alph.,[2] Lugo,[3] Lacroix,[4] Carrière,[5] et alii *communiter*, contra *aliquos*, qui dicunt rem pro rata dubii esse dividendam.

III. Si dubium præcesserit possessionem, distinguendum est. Nam, qui in dubio incepit possidere spoliando alium possessione sua, tenetur rem totam restituere priori possessori quando non constet, hunc mala fide incepisse rem possidere; quia in pari causa melior est ejus conditio, utpote possidentis. — Lugo,[1] Carrière.[2]

Qui vero rem accepit alio titulo, v. g. emptionis, et post examen diligens adhuc dubium perseverat, an ille, a quo accepit, ejus sit dominus, restituere debet, pro rata dubii, probabili domino, vel pauperibus, si dominus ignoretur. Ratio est, quia possessio incepta cum dubia fide ipsi non favet, et ideo non potest totum retinere; nec aliunde videtur æquum eum teneri ad totum restituendum, cum dubium adsit, an res sit aliena. — S. Alph.,[3] Lugo.[4]

740. Quæsita. — Quær. 1° *Ad quid teneatur, qui accepit rem aliquam mala fide, ratus eam esse alienam, et postea dubitat, an res sua sit necne?*

Resp. Æquiparandus est ei, qui possessionem cum dubia fide incepit; prior enim æstimatio falsa reperitur, nec proinde in solutione casus attendenda est. Perpende igitur utrum sua possessione alterum spoliaverit, necne, et resolve juxta dicta in principio III.

Quær. 2° *Quid, si talis possessor inquirere neglexerit ab initio, et postea non possit amplius rei dominus inveniri?*

Resp. Videtur aliquid restituendum esse pauperibus pro rata spei, quam habere potuisset dominus rem suam recuperandi. Generatim spes illa pretii medietatem non attingit, sed multo minoris est valoris.[5] — Lugo, Lacroix.[6]

741. — Quær. 3° *Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei, si inquirere neglexerit, et dominus compareat?*

Resp. Generatim post dubii initium tractandus est ut possessor malæ fidei; obligandus est igitur non solum ad rem domino reddendam, sed etiam ad damna omnia ei resarcienda. — Carrière.[7]

Excipiendus videtur is, qui incepit possessionem bona fide, et deinde oborto dubio inquirere neglexit, putans dominum difficilius inveniri posse; hic enim possessori bonæ fidei æquiparandus foret.

742. — Quær. 4° *An possessor dubiæ fidei præscribere possit, si, facta inquisitione debita, dubium perseveret?*

[1] L. IV. 621. [2] L. I. 35.
[3] D. 17. n. 86. [4] n. 563.
[5] n. 1094.

[1] D. 17. n. 80. [2] n. 1100.
[3] L. IV. 625. [4] D. 17. n. 80.
[5] L. I. 37. [6] n. 564.
[7] n. 1088.

Resp. 1° *Affirm. probabilius*, si bona fide incepit possidere; quia dubium illud perseverans, non obstante diligentia adhibita, invincibile est, et proinde, etiam illo manente, conscientia efformari potest ex illo præsertim principio: *Melior est conditio possidentis.*

Resp. 2° *Neg.* autem, si dubia fide incepit possidere, quia bona fide ad præscribendum requisita destituitur.[1] — Vid. supra, n. 669.

Quær. 5° *An possessor dubiæ fidei, qui bona fide incepit possidere, ad restitutionem teneatur, si, facta inquisitione, inveniat rem* probabilius *alienam esse?*

Resp. Neg. probabilius, quia ex possessione certa jus moraliter certum oritur. Insuper donec alter jus suum certum probaverit, valet axioma: *Melior est conditio possidentis* S. Alph.,[2] et alii *communissime* contra *aliquos*, qui docent tunc esse pro rata restituendum.

Quær. 6° *An debitor, in dubio de peracta debiti solutione, integre vel ex parte solvere teneatur?*

Resp. Affirm., et quidem integre vel ex parte, prout dubitat de integritate vel de parte soluta. Ratio est, quia debito certo non satisfit per solutionem dubiam.[3]

743. *Resolves.* — 1° Si bona fide possederis rem alienam, et superveniente dubio, eoque post inquisitionem remanente, innixus principio possessionis, illam consumpseris, deinde vero dominus ex improviso compareat, id solum teneberis restituere, in quo ditior factus es.[4]

2° Quando nemo eorum, de quibus dubitatur, utrum rei sint domini, rem ipsam de facto possidet, si dubium æquale sit, res æqualiter inter illos est dividenda; si vero dubium sit inæquale, dividenda videtur juxta dubii proportionem. Quod si res dividi nequeat, vendenda est ut dividatur pretium; vel ex consensu partium est concedenda uni, qui obligetur ad jus unicuique cæterorum reddendum; aut etiam in sortes conjicienda, ut ei tribuatur, cui sors favebit. — Lacroix,[5] Carrière,[6] et alii.

3° Si dubites, an antecessor tuus bona legitimo titulo possederit, potes, re perpensa et perseverante dubio, hæreditatem nihilominus accipere et retinere, dummodo non constet, eum saltem dubia fide possessionem incœpisse. Etenim, si axioma *in dubio melior est conditio possidentis* favet antecessori tuo, etiam tibi successori favet: nam in hoc casu applicandum est principium possessoris dubiæ fidei, qui possessionem bona fide incepit, quandoquidem antecessor et successor unicam personam moralem ex jure efficiunt.

[1] L. IV. 504. [2] L. I. 35. [3] L. IV. 700. [4] L. IV. 607. 608. [5] n. 566. [6] n. 1101.

ARTICULUS II.

DE INJUSTA DAMNIFICATIONE.

744. — Damnificator injustus dicitur, qui jus alienum lædit, et proximo in bonis suis nocet, nec tamen inde ditior evadit.

Duplex distinguitur culpa, qua damnum inferri potest, nempe culpa *theologica* et culpa *juridica*. — Culpa *theologica* est, quæ includit offensam Dei, id est peccatum formale, sive mortale, sive veniale. — Culpa vero *juridica* est omissio diligentiæ, unde alteri damnum provenit, sive ea sit formale peccatum, sive non.[1]

Culpa autem juridica, ex communi interpretatione Juris Romani, est vel lata, vel levis, vel levissima. Culpa *lata* est omissio diligentiæ, quam communiter adhibere solent homines in similibus negotiis, ut, si quis, ex officina ad longius tempus recedens, relinquat ostium scriniaque aperta et pecuniam seu merces quisquam facile auferre possit. *Levis* est omissio diligentiæ, quam adhibere solent homines prudentiores et diligentiores, ut, si idem paululum recedens, negligit secum deferre scrinii claves, quas nullatenus verisimile est alium, eo absente, arrepturum ad furandum. *Levissima* est omissio diligentiæ, quæ adhiberi solet solum a prudentissimis et diligentissimis, ut si domus custos, qui cubitum iturus omnia ostia obserat, negligit singula scrutari loca, ne forte fur lateat.

745. PRINCIPIA. — I. Injustus damnificator restituere tenetur 1° totum æquivalens rei damnificatæ; ita v. g. si quis domum alterius culpabiliter incendat, integrum ejus pretium domino rependere debet; 2° totum æquivalens damnis prævisis præter rei damnificationem, si quæ ex ea provenerint. Hinc v. g. si opifex

[1] L. IV. 549.

solitam operam aliquo tempore omittere cogatur, propterea quod instrumentum ei necessarium destruxeris, et tu illud prævideris, illum non modo de valore instrumenti, sed etiam de lucro cessante teneris compensare.

Hujusce principii ratio patet ex dictis n. 587 et 713. Etenim dominus læsus *omnino indemnis* fieri debet. Ad hoc autem non satis est, si damnificator intrinsecum pro re pretium ei solvat, quando alia detrimenta ex privatione rei suæ passus alter fuerit; siquidem non recuperaret id omne, quod ex injusta damnificatione amisit. Neque obstat, quod nullum damnificatori commodum ex damno obvenerit; nam tota restitutionis ratio non ex percepta utilitate de aliena re, sed ex damno illato petenda est.

746. — II. Ut actio damnificans obligationem restitutionis inducat, jure naturæ, requiritur triplex conditio, nempe ut sit 1° injusta, 2° causa damni efficax et quidem certo efficax, 3° theologice culpabilis:

1° *Injusta.* Obligatio enim restitutionis necessario supponit jus strictum alterius violatum. Jus autem strictum violari nequit, nisi per actionem injustam seu justitiæ commutativæ oppositam, juxta dicta supra n. 587, etc.

2° *Causa damni efficax*, scilicet 1° ut actio *per se* influat in damnum, ita ut hoc inde vere consequi censeatur; 2° ut tali agenti possit imputari. Ratio utriusque perspicua est. Actio enim imputari nemini potest, nisi sit ipsius propria; nec potest detrimentum actionis cuipiam adscribi, nisi ejus actio causa fuerit detrimenti vera et efficax *physice* et *moraliter*.

Hoc autem fit quando ponitur actio, quæ ex natura sua, vel ex circumstantiis cum damno connexionem habet saltem probabilem. Hinc 1° non sufficit ad restitutionem *causa occasionalis* tantum damni, quia non est causa efficax, sed tantum occasio causæ efficacis. Unde si occasione furti a te patrati alius accusatus fuerit et damnatus, nulla obligatione damni ejus reparandi teneris. — Nec 2° sufficit ad restitutionem *causa accidentalis;* nam hæc ea est, quæ in se spectata, attentisve circumstantiis, connexionem probabilem cum eventu non habet, adeoque causa efficax non est dicenda. Unde, si tradas gladium Titio absque prævisione probabili ejus abusus, non es injustitiæ reus, si ille homicidium cum eo gladio patraverit.

Et quidem certo efficax; neque enim restitutionis obligatio adesse potest nisi de ejus causa certo constet.

3° *Theologice culpabilis.* Etenim dari non potest restituendi obligatio in foro conscientiæ, nisi in eodem foro injuria commissa fuerit, neque conscientia ligari potest obligatione reparandi injuriam, quam ipsa non intulit; secus etiam dormientes et amentes, si damnum quodpiam intulissent, ad restituendum in conscientia tenerentur, quod absurdum est. Porro nulla est injuria in foro interno, ubi nulla est culpa theologica; ad injuriam enim requiritur voluntas nocendi saltem indirecta, seu prævisio aliqua saltem confusa damni injusti. Ergo, etc.[1]

747. — III. Tamen etiam ex culpa mere juridica adesse potest restituendi obligatio in conscientia post sententiam judicis. Obediendum enim est justæ judicis sententiæ; secus leges securitati publicæ non providerent, et inanes forent. Porro sententia, de qua agitur, est justa. Ista enim lex fertur pro bono communi et tendit ad homines cautiores reddendos, ne aliis damnum inferant. Insuper ante omnem eventum omnibus civibus æque favet. Nemo igitur de ea conqueri potest. Ergo, etc. — Ita communiter. — Billuart,[2] S. Alph.[3]

748. QUÆSITA. — Quær. 1° *An requiratur culpa theologica ad inducendam restitutionis obligationem pro damno illato rei alienæ, quæ detinebatur ex* CONTRACTU *aliquo, v. g. locationis, depositi vel commodati*, etc?

Resp. Duplex est sententia probabilis.

SENTENTIA, quæ S° Alph°[4] *valde probabilis* est, *affirmat absolute*, requiri culpam theologicam. Ratio est, quia non sufficit culpa mere juridica ad obligationem in conscientia inducendam, ut constat ex supra dictis in principio II., nisi speciale pactum intercesserit. Porro de hujusmodi pacto nullatenus constat; imo non præsumitur, contrahentem voluisse in

[1] L. IV. 550. sq. et H. A. Tr. X. 39. 41.
[2] Diss. 8. a. 4.
[3] L. IV. 554.
[4] Ib.

conscientia sub gravi tantam suscipere obligationem cum sola culpa juridica.

749. — Quær. 2° *An requiratur culpa theologica ad restitutionis obligationem ob damnum alteri illatum in officio implendo, seu in* QUASI CONTRACTU *servando, v. g. si medicus ex errore inculpabili remedium nocivum ægroto præbuerit?*

Resp. Affirm probabiliter, ut in quæsito præcedenti. Ratio est, 1° quia non potest probari obligatio restituendi ob culpam mere juridicam in officio, seu in quasi contractu, sive ex jure naturali, sive ex partium conventione; 2° quia talis obligatio esset nociva bono publico; inde enim fieret, ut viri probi et timorati a suscipiendis aliorum negotiis, necnon ab officis publicis arcerentur. S. Alph.,[1] Billuart,[2] Lacroix.[3]

Quær. 3° *An teneatur ad restitutionem, qui inculpabiliter quidem causam damni posuit, sed postea non illud impedivit, licet impedire potuisset?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia quisque tenetur ex justitia impedire, ne actio sua proximo noceat; ergo tenetur etiam impedire, ne malum ex actione sua secutum perseveret. — Ita *communiter*.[4]

Hinc 1° qui inculpabiliter subjecit ignem domui alienæ, quando advertit ad incendii periculum, ex justitia illud impedire tenetur, si possit; 2° pariter pharmacopola, qui venenum pro medicamento ex errore vendidit, ex justitia emptorem monere debet; 3° item qui errore aliquid grave contra famam alterius dixit, tenetur postea, cognito errore, illum corrigere; et ni faciat, peccat graviter, et obligatur ad reparationem omnium damnorum, quæ ex hoc proveniunt.

750. — Quær. 4° *An reparari debeat damnum sequens ex causa culpabiliter quidem posita, sed jam retractata, quando damnum infertur?*

Resp. Affirm., saltem si damnum illud fuerit determinatum, et in specie præcognitum. Sic, v. g. si quis voluntarie alteri venenum propinaverit, et postea ejus effectum impedire non possit, utut facti pœnitens maxime velit; damna ex homicidio provenientia reparare tenebitur. Ratio est, quia ille, qui posuit causam damni, semper pergit efficaciter in illud influere. — Ita *communiter*.

Quær. 5° *An reparari debeat damnum* PER ACCIDENS *quidem, sed vacando operi illicito, illatum?*

Resp. Neg., quia damnum illud non est voluntarium, cum ne in confuso quidem prævisum fuerit. Nec refert, quod actio fuerit illicita; hoc enim ad justitiæ rationem nihil pertinet. Sic Clericus, qui venationi contra Ecclesiæ prohibitionem vacando, hominem pro fera occidit, non magis injustitiæ reus est, quam laicus qui hoc fecisset. Imo damnum *per accidens* illatum ne reparari quidem debet, etiamsi occasione actionis *injustæ* evenerit, quia connexionem cum illa actione non habet. Hinc ad restitutionem non tenetur, qui occidit Titium, quem minime videbat, nec præsentem sciebat, dum sclopetum in Caium dirigeret. — Ita *communissime*. — Lugo,[1] S. Alph.[2]

751. — Quær. 6° *An tenearis reparare damnum quod alicui ex errore intulisti, dum alteri nocere intenderes, v. g. si incendas domum Caii, quam putas esse domum Titii inimici tui?*

Resp. Negant cum S. Alph.,[3] Lugo,[4] Lacroix.[5] Ratio est, quia actio non fuit voluntaria erga damnificatum.

Quær. 7° *Ad quid teneatur ille, qui damnum grave quidem intulit, sed cum culpa levi, v. g. defectu advertentiæ*, etc.?

Resp. Probabilius ad nihil tenetur. Etenim obligari non potest neque sub gravi, neque sub levi; 1° non *sub gravi*; gravis enim obligatio cum culpa levi proportionem non habet; 2° neque *sub levi*; quia levis obligatio non habet proportionem cum re gravi. — Ita S. Alph.,[6] Lugo,[7] etc.

752. — Quær. 8° *An qui grave damnum intulit per plures culpas veniales deliberate commissas, teneatur sub gravi totum illud damnum reparare?*

Resp. 1° *Affirm.*, si damnum illatum est *eidem personæ*, licet damnificator graviter non peccaverit. Ratio est, quia hic tenetur reparare totum damnum voluntarie et libere commissum. Porro totum damnum libere illatum est, et insuper

[1] L. IV. 555. [2] Diss. 8. a. 7.
[3] n. 184.
[4] L. IV. 564.

[1] D. 8. n. 72. 82. [2] H. A. Tr. X. 39.
[3] L. IV. 629. [4] D. 17. n. 75.
[5] n. 200 sq. [6] L. IV. 552.
[7] D. 8. n. 56.

grave est in hypothesi; ergo illud totum sub gravi reparandum est. — Lugo,[1] etc.

Resp. 2° *Neg.* autem *probabilius*, si damna minuta diversis personis illata fuerint. Ratio est, quia ex una parte nemo grave damnum patitur, et ex alia parte damnificator re aliena non ditescit. Hinc differt casus præsens a quæstione simili relata supra n. 717. q. 4°, quia fur ditescit ex furtis minutis, non vero damnificator.

Quær. 9° *An existimans ex errore invincibili, damnum a se illatum multo minus esse ac revera sit, teneatur ad totum illud restituendum, si postea verum pretium agnoscat, v. g. si quis projiciat in mare gemmam alterius valentem* 100, *dum credit eam* 10 *tantum valere?*

Resp. Probabiliter tenetur ad restituendum solummodo pro rata damni cogniti; quia non censetur volitum damnum, quod invincibiliter est ignoratum. — S. Alph.,[2] Carrière,[3] contra alios.

Dabitur tamen obligatio reparandi totum damnum, si quando ob majoris pretii suspicionem, saltem in confuso obortam, totum damnum evadat voluntarium.

753. — Quær. 10° *An dominus teneatur reparare damnum per sua animalia proximo illatum?*

Resp. 1° *Affirm.*, si ex culpa theologica in animalia invigilare neglexerit. Quisque enim ex jure naturali tenetur animalia sua diligenter custodire, ne damnum aliis inferant, sicut præcavere debet, ne ex actionibus suis proximo detrimentum eveniat.

Resp. 2° seclusa vero culpa theologica, non tenetur quidem ante judicis sententiam, ut patet ex principio II. n. 746, bene vero prolata sententia, ut ex principio III. n. 747 constat. — Legibus autem, juxta quas *passim* apud nos sententia fertur, animalia damnum inferentia retinentur, donec læso satisfiat, et publica auctoritate venduntur, si dominus negligat ea redimere. Quod si prædii dominus sepe legitima illud includere omiserit, nihil potest recuperare: sed ipse tenebitur ad damnum reparandum, si animal vulneraverit, vel occiderit.[4]

Quær. 11° *An ille teneatur ad restitutionem, qui pravo suo exemplo alios ad damnum inferendum induxit, si præviderit pravi exempli efficaciam?*

Resp. Sententia *probabilior negat*, quia qui dat pravum exemplum, non est causa damni, sed mera occasio. Neque enim actio mala *per se* ad id tendit, ut alios ad eam imitandam excitet. Ergo alii damnificatores ex se omnino determinantur ad damnum inferendum. S. Alph.,[1] Salmant, Laymann, Sanchez, Lugo, etc.

754. — Quær. 12° *An teneatur ad restitutionem, qui dubitat an damni causa ipse fuerit?*

Resp. Neg. probabilius; sive dubium versetur circa existentiam damni, sive circa influxum actionis in damnum, modo post diligentem inquisitionem dubium perseveret. Ratio est, quia cum factum damni non sit certum, non potest producere obligationem certam illud reparandi. Constat ex hoc principio: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet.* Item ex hoc alio principio: *Factum non præsumitur, sed probari debet.*[2]

Hinc *probabilius* non urgenda est restitutio, quoties dubium est, quisnam fuerit damnificator inter plures, qui eodem modo actionem damnificam posuerunt. — Ideo a restitutione excusatur adulter non tantum in dubio an proles sit sua an mariti, sed etiam in dubio an sit sua vel alterius adulteri. Excipe 1° si secundus adulter, sciens adulterium factum ab altero, cum adultera rem haberet advertens se suo secundo adulterio fieri causam incertitudinis an possint a primo adultero exigi alimenta. — 2° Si plures adulteri ex communi consilio adulterium patrarent. At non valet quidem ratio pro adultero anteriori, qui nihil cogitaret de adulteriis futuris. Et ut secundus teneatur, requiritur ultra, ut ipse advertat ad illud damnum, quod evenire potest ex suo adulterio: quia tamen rarissima erit hæc advertentia, rarissima etiam erit hæc adulteri obligatio.[3]

755. — Quær. 13° *An tenearis reparare damnum alicui obveniens occasione injustæ actionis tuæ, v. g. si furatus fueris, et furtum illi imputetur?*

Resp. 1° *Neg. certo*, si damnum illud non prævideris. Patet ex dictis supra in principio II. n. 746.

[1] D. 8. n. 69. [2] L. IV. 613.
[3] n. 1151. [4] Kenr. Tr. X. n. 185.

[1] L. III. 45. et L. IV. 537. [2] L. IV. 562.
[3] L. IV. 658.

Resp. 2° *Neg.* etiam *probabilius*, licet damnum hoc prævideris. Ratio est, quia actio tua, posita cum sola damni prævisione, non illius causa *per se*, sed tantum *per accidens* habenda est. Constat etiam ex II° principio, ibid. Excipe, si quando tales fuerint circumstantiæ, ut inter eas et gravem de altero suspicionem vera daretur connexio. — S. Alph.,[1] Lessius, Lacroix,[2] etc., contra alios.

Resp. 3° Imo *probabiliter* etiam negandum est, licet de industria egeris, ut actio tua imputetur; quia semper hæc actio est tantum causa damni *per accidens*, et non *per se*; non enim in illud ex natura sua efficaciter influxit. Prava enim intentio non efficit, ut injustum sit illud opus, quod ex se respectu tertii injustum non est. Excipiendum tamen est, si quis iis uteretur mediis, quæ gravissimam suspicionem alterius accusandi præbeant, v. g., si vestibus ejus indueretur ad homicidium patrandum, has sanguine fœdatas projiceret, etc. — S. Alph.,[3] Lessius, Vogler, contra alios.

756. — Quær. 14° *An teneatur ad restitutionem iniquus distributor officiorum?*

Resp. 1° *Probabilius* ad nihil tenetur erga dignum prætermissum, secluso casu concursus, quia nullius jus strictum violavit. — S. Alph.,[4] et alii *communiter*.

Resp. 2° Ratione electionis *indigni* tenetur *certo* erga societatem de omnibus damnis exinde provenientibus. Ratio est, quia censetur adesse pactum strictæ justitiæ inter societatem et electorem, quo iste adstringitur ad non eligendos ministros indignos. — Ita *communiter*.[5]

Probabilius autem ad nihil tenetur ratione electionis minus digni, etsi graviter peccare possit. Ratio est, quia non censetur societas electores obligare titulo *justitiæ commutativæ* ad digniores eligendos.[6]

757. — Quær. 15° *An teneatur ad restitutionem, qui alium impedivit a consecutione alicujus boni vel beneficii?*

Resp. 1° *Affirm.* si proximus habeat jus strictum ad rem obtinendam, v. g. in casu concursus.

Resp. 2° Si proximus non habeat jus strictum ad rem consequendam, distinguendum est; 1° affirmandum, si *mediis injustis* id impediatur, v. g. *vi, fraude, calumnia, metu*, etc. . . . Obligatur scil. tunc ad compensationem damni arbitrio viri prudentis juxta certitudinem vel probabilitatem, quam alter habebat bonum illud consequendi, dummodo tamen sit dignus et bonum illud sine injustitia consequi potuerit; si enim indignus esset, non teneretur impediens, nisi ad restitutionem famæ, si hanc forte injuste læsit.[1] 2° negandum vero, si impediatur *mediis in se justis*, v. g. *suasione, precibus*, etc. Ratio est, quia nullum jus alterius tunc violatur, nec *in se*, nec *in mediis*. — Ita *communiter*.[2]

Quær. 16° *An tenearis ad restitutionem, si ex mala intentione, v. g. ex odio, seclusis tamen mediis de se injustis, avertas alium a consecutione boni, ad quod jus strictum non habet?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia nulla injuria proximo infertur. Etenim ad injuriam non sufficit mala intentio, sed requiritur actio externa, quæ vera et efficax causa damni injusti sit. — S. Alph.[3] et alii *communius* contra alios.

Quær. 17° *An quis in periculo debeat rem alienam suæ præferre, adeo ut teneatur de damnis, si eam non præferat?*

Resp. Contractus, vi cujus habet rem alienam, *vel* cedit in suî tantummodo utilitatem; *vel* in utilitatem alterius tantum; *vel* in utilitatem utriusque. Si *primum*, ut e. g. si rem commodato acceperit, debet rem illam suæ præferre, vel, si hæc sit pretiosior, dominum de suæ rei pretio facere indemnem, quia in suî solius gratiam res alterius adducta est in ruinam. — Si *secundum*, ut e. g. si rem deposito accepi, distinguendum. Si res aliena sit pretiosior, debeo illam conservare; attamen possum exigere compensationem totius damni, quod passus sum eam servando. Si res mea æque pretiosa sit, non teneor rem alienam præferre meæ, cum hanc in illius tantum utilitatem retineam.[4] Si *tertium*, ut e. g. si ut proxeneta (*agent*) ad rem alterius vendendam pretio conductus sim, sunt qui putant, posse me, cæteris paribus, rem meam præferre, cum caritas me non

[1] L. IV. 635. [2] n. 157.
[3] L. IV. 636. [4] L. V. 106.
[5] H. A. Tr. XIII. 39. [6] H. A. Tr. XIII. 39.

[1] L. IV. 587. [2] H. A. Tr. X. 61.
[3] L. IV. 584.
[4] L. IV. 752. H. A. Tr. X. n. 137.

obliget, ut in pari necessitate rem alienam præferam meæ; alii vero existimant alteri parti deberi aliquam compensationem, quod Varceno[1] magis justum videtur.

758. *Casus.* — 1° *Didacus* vas crystallinum *Caii* valde pretiosum sub nocte reponit in angulo domus, quà nemo erat proxime transiturus, intendens illud summo mane in tuto loco collocare. Sed *Basilius* hac eadem nocte domum sine lumine ingrediens in vas offendit, illudque frangit. Quid juris? — *Resp.* Nec *Didacus*, nec *Basilius* ad restitutionem tenetur, quia ex utriusque parte deest culpa theologica; neuter enim cogitavit de damno vel ejus periculo. Imo nec teneretur alteruter, si aliquod valde remotum periculum prævidisset; quia in moralibus ad meram possibilitatem non attenditur.

2° *Quirinus* pannum furari intendens, officinam nocte ingreditur, et lumen accendit, adhibita diligentia ad omne periculum incendii vitandum; sed inopinato casu, nimirum saltu felis, candela in paleas dejicitur, et brevi tota officina incenditur, vixque, arrepta fuga, incolumis fur evadit. Quid de *Quirino?* — *Resp.* Ad nihil tenetur, quia minime periculum prævidit. Imo nec tenetur de panno, quem furari voluit, etiamsi hunc apprehendisset, quia etiam illud damnum est involuntarium; nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelæ proximum periculum incendii, adhibita sufficienti cautela, creabat. Si tamen pannum non tantum apprehendisset fur, sed furtum consummasset illum e potestate et custodia domini subducendo, quando casu, v. g. candela accensa, pannus combureretur, de illo teneretur, sicut dicitur de qualibet re furtiva, quæ casu fortuito apud furem perit. — Ita Lugo,[2] Lacroix.[3]

3° *Pomponius*, animo vindictæ impulsus, dum a nemine cerneretur, glandem explosit in capram *Mauri* in prædio domini placide pascentem; sed loco capræ illæsæ attigit et occidit vaccam *Marini* post sepem, ipso prorsus ignorante, jacentem. Ab quid obligandus sit *Pomponius?* — *Resp.* Ad nihil. Etenim non tenetur ad quidpiam pro capra prædicta, cum illæsa maneat; nec pro vacca, cum illius damnum nullatenus præviderit. Quid autem si vacca ad eundem dominum pertineat? Crescit difficultas, siquidem damnificator tali personæ damnum inferre vere intendit; quamvis enim non destruat rem specialiter intentam, cum in genere inimico nocere velit, actio damnificativa, quam ponit, eidem domino formaliter injuriosa videtur. Attamen sistendo in rigore principiorum adhuc probabilius excusari potest, si nullatenus, ne in confuso quidem, hoc aliud damnum præviderit. Dici enim potest, mere per accidens illud evenisse; nec prava intentio eidem nocendi facit, ut rei prorsus ignoratæ damnum evadat voluntarium. Secus tamen si volens generatim inimico nocere, quantum posset, varia objecta damnificanda aliquatenus in confuso cognovisset. Recole dicta n. 746 et 755.

4° *Sidonius* videns *Justinum* prætereuntem, putansque esse *Titium*, dicit sociis: En, iste non est scrupulosorum *primipilus!* .... Sed est homo nihili, fur, fornicator et bibulus. *Quær.* quid *Sidonius*, detecto errore? — *Resp.* Dicta retractare debet coram iisdem sociis, quamvis involuntarie in *Justinum* hæc dixerit; et ni faciat, omnia damna, quæ ex diffamatione subsequuntur, reparare tenebitur.

5° *Babinus Rogerium* moribundum iterata prece et blanditiis, seclusa tamen omni fallacia, inducit ad lacerandum testamentum in favorem *Pauli* jam conditum, ut ipse, vel amicus, aut consanguineus hæres constituatur. Determinatur autem *Babinus* ad id agendum præter proprium, vel amici commodum, ex inveterato odio, quod contra *Paulum* fovet. An injustitiæ reus sit *Babinus?* — Nequaquam. Etenim licet propter odium graviter contra caritatem peccaverit, non tamen justitiæ virtutem videtur læsisse, quia nullum jus *Rogerii* strictum violavit. Idem dicendum foret, si quis ex odio avertisset testatorem a constituendo *Paulo* hærede, ut alius quilibet ejus loco constitueretur. — Recole dicta n. 757. q. 15°.

6° a) *Joannes* intercipit litteras, quibus *Paulus* munus aliquod postulat, et sic eum ab illo munere consequendo impedit; b) *Petrus*, Gubernatoris scriba, litteras, quibus *Caius* officium quoddam efflagita-

[1] p. 557. [2] D. 18. n. 88.
[3] n. 165 sq.

bat, aliquantulum seponit, ut officium interim conferatur *Titio ;* c) *Iphigenius* litteras ad *Cornelium* missas ac casu apertas legit, et notitia inde derivata in suum commodum, at sine damno aliquo *Cornelii*, utitur ; d) *Antonius* scriba ab *Huberto* pretio conductus utitur notitia, officii sui occasione accepta, in detrimentum *Huberti*, vel etiam eorum, qui litteras huic scripserunt. Ad quid tenentur *Joannes, Petrus, Iphigenius, Antonius ?* — *Joannes, Petrus, Antonius* de damno tenentur respective erga *Paulum, Caium, Hubertum*, vel eos qui huic litteras scripserunt, cum mediis injustis usi sint ad hos impediendos a consecutione boni. Et *Joannes* quidem ac *Petrus* tenentur ad compensationem æstimandam pro ratione spei, quæ *Paulo* et *Caio* affulgebat obtinendi munus. *Iphigenius* vero ad nihil tenetur, cum damnum nullum intulerit.

7° *Carolus* suadet Gubernatori, ut *Patricium* præ *Kiliano*, alias certe designando, ad munus eligat. Ad quid obligandus *Carolus ?* Ad nihil, dummodo suadendo nulla fraude, calumnia, aliisve mediis injustis usus sit.

8° *Hilarius* a) ex odio erga *Philippum*, tabellionem inducit ne in gratiam *Philippi* actus coram eo fiat, qui alias irritus erit ; b) ut noceat *Berthæ*, alias hæredi instituendæ a *Caio*, scribam, vel alium conficiendo testamento idoneum, subdole amovet, ne opera ejus utatur *Caius* moribundus, qui alterius operam vix habiturus est. An injustæ damnificationis reus *Hilarius ?* Est profecto in priori casu, quia cum tabellio vi muneris ad operam suam *Philippo*, eam ut supponitur expostulanti, præstandam tenebatur, *Philippum* jure suo stricto privavit. Idem *per se* resolve in casu posteriori. Dico : *per se ;* nam quum passim apud nos alio etiam modo morientis voluntas vim obtinere valeat, coram testibus scilicet eam declarando, vix aderit obligatio restituendi *Berthæ*, nisi vis a *Hilario* fuerit adhibita, ne testamentum ulla, qua valere possit, ratione condatur.

9° *Felix* a) detinet cursorem, ne negotium peragatur *Ferdinando* utile ; interim vero occasione in suî utilitatem utitur ; b) alias veredos omnes in oppido pretio conducit, ne idem *Ferdinandus* ad locum quemdam se conferat, ubi lucrum ingens facturus fuisset. An *Felix Ferdinandum* indemnem facere tenetur ? *Distinguendum.* Si vi vel minis detinuit cursorem aut veredos conduxit, *affirm.* Si suasione tantum vel arte, *negat.* ; et tunc in priori casu de damno tenebitur cursor ; in posteriori nemo, cum *Felix* usus sit jure suo veredos omnes conducendo.

ARTICULUS III.

DE INJUSTA COOPERATIONE.

Cooperatio ad damnum proximi novem modis fieri potest, quorum sex priores sunt positivi, tres posteriores negativi. Omnes sequentibus versibus continentur :

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

§ I. *De jubente.*

759. — *Jubens* seu *mandans* dicitur, qui alterum inducit ad agendum, ut damnum suo nomine alteri inferat.

Jubens tenetur ad reparandum omne damnum imperatum et ex vi mandati illatum ; secus autem, si damnum nomine suo factum solum approbet. Ratio est, quia in priori casu, non vero in posteriori, efficaciter in damnum influit. Ad hoc autem requiritur, ut egerit tanquam verus dominus, seu ut per vim, metum, vel auctoritatem, mandatarium moraliter coegerit.

760. QUÆSITA. — Quær. 1° *An teneatur ad restitutionem mandans, si mandatum revocaverit, antequam damnum fuerit illatum ?*

Resp. Neg., si revocatio innotescat mandatario ante executionem mandati ; secus autem, si nullatenus aut tardius innotescat : quia in priori casu non influit in damnum, bene vero in posteriori. — Ita Vogler cum pluribus aliis.

Quær. 2° *An mandans teneatur de damnis, quæ mandatario in mandati executione obveniunt ?*

Resp. Affirmat Lacroix cum aliis, quia mandans, damnum jubendo, censetur suscipere in se obligationem mandatarium indemnem servandi. At videtur id coarctandum ad casum, in quo mandans per vim, aut metum, alium coegit. Secus enim mandatarius videtur sponte in se

suscepisse totum onus et illius consectaria; et, nisi pactum de indemnitate præcesserit, mandans tantum ex quadam æquitate tenebitur.

Quær. 3° *An mandans teneatur reparare damnum, quod executor ex errore invincibili alteri intulit?*

Resp. Neg. Quia vera damni causa est error mandatarii.

Quær. 4° *An Superior, ratum habens damnum, mandanti comparandus sit?*

Resp. Neg., si ratihabitio executionem damni subsequatur, quia tunc in damnum influere nequit. Secus vero, si damnum præcedat, seu propositum damni inferendi respiciat, et in illud vere influat.

761. *Resolves.* — 1° Mandans ad nihil tenetur, si tempestive mandatum revocaverit, licet mandatarius, ad mercedem promissam accipiendam, finxerit se revocationem ante damnum illatum non accepisse.

2° Si constet mandati revocationem non fuisse auditam vel intellectam a mandatario ob surditatem vel distractionem, mandans ad restitutionem tenetur; quia effectus sequitur vi prioris mandati. Eadem ratio valet, si mandans literas revocantes mandatum mittat, et hæ casu aliquo intercipiantur.

§ II. *De consulente.*

Consulens dicitur ille, qui consilio, precibus, promissis, suggestione motivi, vel ostensione viæ aut medii nocendi alium induxit ad damnum inferendum.

762. Principia. — I. Consulens peccat contra justitiam, quoties sciens et volens præbet iniquum consilium, quo alter efficaciter inducatur ad damnum injuste inferendum; quia damnum est et ipsi imputabile. Constat etiam ex propositione 39ª ab Innoc. XI. damnata, p. XVI.

II. Consulens, qui bona fide dedit damnosum consilium, cognita veritate tenetur illud retractare, et quidem ex justitia. Sequitur ex supra dictis de illo, qui inculpabiliter causam damni posuit, n. 749. q. 3°.

III. Consulens vero non tenetur ad restitutionem, si executor absque illo consilio æque bene et eodem modo damnum fuisset illaturus; quia tunc consilium non efficaciter in damnum influxit. Secus vero, si exsecutor simul consilio alterius motus fuit, licet damnum etiam sine hoc consilio evenisset; esset enim *de facto* vere concausa efficax.[1]

763. Quæsita. — Quær. 1° *An teneatur ad restitutionem consulens, qui consilium suum revocat ante executionem damni?*

Resp. 1° *Neg.* si consilium fuerit *nudum*, id est simplex, quia per revocationem tollitur tota vis consilii. — Ita *communiter*.

Resp. 2° Si consilium fuerit *vestitum*, seu motivis innixum, *controvertitur*. Secundum *S. Alph.*[2] *satis probabiliter* etiam *neg.*, modo adhibita fuerint in retractatione alia motiva, saltem æque efficacia, v. g. æternæ salutis, — contra *alios*, quorum sententiam probabiliorem quidem, non tamen *longe probabiliorem* dicit. Excipe, si furi ad damnum inferendum determinato ostenderis modum ingrediendi domum, quem secus non invenisset, aut quid simile; quia cooperatio tua tunc fuit vere efficax, præsertim si prævideris, furem pravum suum propositum non esse mutaturum; nisi tamen monueris eum, cui damnum imminet, ad quod in casu teneris, ut censent Doctores apud S. Alph.[3]

Quær. 2° *An teneatur ad restitutionem consulens minus malum ad majus avertendum?*

Resp. Neg., si agatur de eadem persona, quia consilium ipsi favet, nedum noceat; secus autem, si agatur de alia, de qua damnificator non cogitabat, quia hæc rationabiliter invita merito censetur.

764. — Quær. 3° *An consulens malum alteri id advertenti teneatur etiam de damnis, quæ hic passus est exequendo pravum consilium?*

Resp. Neg., per se. Ratio est, quia ipsi nullam intulit injuriam, cum nulla injuria *scienti* et *volenti* fiat. — Secus tamen, si consulens adeo executorem circumvenerit fraudibus vel sophismatibus, ut hic ad consilii iniquitatem non adverterit.

Quær. 4° *An consulens tantum modum injustæ actionis teneatur ad restitutionem?*

Resp. Neg., si modus sit mere accidentalis, ut sunt communiter circumstantiæ temporis, loci, medii. Secus autem, si

[1] L. IV. 561. [2] L. IV. 559.
[3] L. IV. 559.

modus aliquatenus redundet in substantiam, v. g. si damnum augeat, etc.[1]

Quær. 5° *An teneatur ad restitutionem suadens, ut damnum citius inferatur?*

Resp. Neg., si certus sit, alterum esse ad malum determinatum, nec pravum animum esse mutaturum; secus in alia hypothesi.[2]

765. — Quær. 6° *An consulens primario vel secundario tantum ad restitutionem teneatur?*

Resp., per se secundario tantum tenetur, quia executor est *principaliter agens*, utpote qui nomine proprio et in propriam utilitatem agere censetur. Si autem consilium utile sit consulenti, hic primario tenebitur; secus si soli executori. Si autem sit utile utrique, aut si ex damno illato neutri utile provenerit, uterque tenebitur pro rata.[3]

Quær. 7° *An vel quomodo teneatur ad restitutionem dans consilium* DOCTRINALE *nocivum ex ignorantia graviter culpabili?*

Resp. 1° Si dans consilium, id agat ex suo statu vel officio, v. g. advocatus, medicus, confessarius, etc., tenetur ad restitutionem de damno injusto, quod ex suo consilio sequitur, sive erga petentem consilium, sive erga illum, contra quem datur. Ratio est, quia societas jus habet, ut ille scientiam habeat muneri suo convenientem. — Ita *communiter*.

Resp. 2° Si consulens non sit talis persona, quæ ratione muneris vel status sui peritiam præ se ferat, 1° non tenetur erga petentem consilium, nisi ex consilio doloso, seu nisi affectet magnam peritiam, qua caret; 2° obligatur tamen erga tertiam personam, quæ inde damnum patitur, si ipse propriam imperitiam noverit, et damnum secuturum saltem in confuso præviderit.[4]

766. *Resolves.* — 1° Mulieres, plebeii et alii generatim, quorum nota est insufficientia, si peritiam non dolose affectent, nihil restituere tenentur iis, qui consilium ab ipsis petierint. Attamen tenentur erga alios, quibus ex ipsorum consilio damnum illatum est, si damnum istud sufficienter præviderint; rei enim sunt, dum temeraria dantes consilia in iis, quæ ignorant, se exponunt periculo innocentem invitum lædendi.[1] — Quid vero si quis ope v. g. ephemeridum, aut alias publice, magnam in medendo aliquo morbo affectet peritiam, aut medicinæ cuidam, cæteroquin innocuæ, vim tribuat vix non extraordinariam aut generaliorem quam habeat? Ex consuetudine dicta illa non obtinent *plenam* fidem, nec injustitiæ reus erit, nisi *aut* scientia ordinaria careat, *aut* diligentiam ordinariam omittat, *aut* propter falso existimatam scientiam salarium, vel propter medicinam haud extraordinariam pretium supra commune exigat.

2° Si suasione vel hortatu causa fueris, ut majus damnum inferatur, quam alioquin illatum esset, teneris tantum de damni excessu. Unde si furi *per se* parato ad surripiendum $ 100, persuasisti, ut 200 surriperet, probabilius contrahis tantum obligationem 100 restituendi.

3° Si duo simul consulant furtum *Petro*, qui eorum consilio inductus furetur, uterque tenetur ad restitutionem; nam licet etiam altero tantum consulente *Petrus* furatus fuisset, de facto tamen uterque consilio suo influxit, et eo ipso uterque causa fuit furti. — S. Alph.,[2] Lugo.[3]

4° Si fur jubeat, ostendi sibi thesaurum meum, et ego ostendam thesaurum alterius, teneor restituere, quia sum causa damni; fur enim non habet determinatam voluntatem ad thesaurum alterius surripiendum.[4]

5° Consulens non eximitur ab obligatione reparandi damnum, quod consuluit, si executor, quem monuit de restituendo, non restituat; quia efficaciter in damnum cooperatus est; cooperatio autem efficax reparationem efficacem necessario exigit. Damnificatus enim omnino indemnis fieri debet.

§ III. *De consentiente.*

767. PRINCIPIA. — I. Consentiens ad restitutionem tenetur, quotiescumque scienter ac libere emittit suffragium vel sententiam, ex quibus directe pendet violatio juris alterius, id est, quoties dat consensum efficacem in damnum seu injuriam proximi. Dixi: *consensum efficacem*; quia

[1] L. IV. 563. [2] L. IV. 563.
[3] L. IV. 560. [4] L. IV. 564.

[1] L. IV. 564. [2] L. IV. 561.
[3] D. 19. n. 2. [4] L. IV. 565.

si consensus efficaciter in injuriam non influeret, non teneretur ad restitutionem, cum affective quidem, sed non effective in nocumentum consentiret: itemque si, seclusa fraude aut pacto speciali, alium a consecutione boni, ad quod nullum jus haberet, suffragio suo impediret.

II. Non tenetur de damno, qui sententiam aut suffragium prius datum authentice revocat, antequam consummetur nequitia; neque suffragans bona fide, quamvis ut supra n. 765. q. 7° dictum fuit detecto errore teneatur ex justitia, votum suum revocare, si per tempus id ipsi liceat.

768. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An teneatur ad restitutionem consentiens, qui dat injustum suffragium, si non desint alia suffragia jam ad damnum sufficientia?*

Resp. 1° Certum est, consentientes omnes æque ad restitutionem teneri, si de condicto suffragia dederint; cum, inita conspiratione, omnium sit unica actio moralis.

Resp. 2° Certum est etiam, omnes consentientes contrahere obligationem restituendi, quando eodem tempore suffragium tulerunt; quia, cum nullus tunc prior fuerit neque posterior, sententia resultans ex suffragiorum summa singulis suffragantibus merito tribuitur.

Resp. 3° Certum quoque est, non excusandos esse a restitutione eos, qui primi dant suffragium, antequam numerus sit completus, etiamsi prævideant non defuturos alios, qui consentiant, quia vere influunt in damnum; quamvis enim sine illis esset inferendum, per illos tamen partialiter de facto infertur. — Ita *communiter*. — Lugo.[1]

Resp. 4° Utrum vero, seclusa conspiratione et simultanea suffragiorum collatione, possint excusari a restituendi obligatione ultimi suffragantes, quando jam votorum numerus ad negotii definitionem requisitus expletus est, *controvertitur*. S. Alph. et plures alii graves theologi affirmant, quia ejusmodi suffragatores nullo modo sunt causa damni, cum jam illud sufficienter ab aliis præparatum ac determinatum fuerit.[2] — Lugo.[3] — *Negant* alii, quia cum nunquam perfecta censeatur sententia, nisi concludatur per omnium suffragiorum collationem, ultimi non secus ac primi in sententiam injustam influunt.

769. — **Quær.** 2° *An in dubio, utrum tuum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis ad damnum inferendum, tenearis ad restitutionem?*

Resp. Vera, juxta S. Alph., sententia docet quemlibet teneri pro rata; aliis vero non restituentibus te teneri ad totum. Ratio prioris per se patet. Posterioris vero hæc est, quod tuo suffragio saltem jus, quod habebat damnum patiens ad recuperandum ab aliis suffragatoribus damnum illatum, deterius fecisti.

Quær. 3° *An obligationem restituendi contrahas, si suffragium non fers, cum ferre possis?*

Resp. 1° *Neg.*, si suffragii dandi jus sit tibi in merum tuî favorem aut gratiam concessum; quia nullam tunc alteri infers injuriam.

Resp. 2° *Affirm.*, si dandum foret ex officio, et ipsius omissio esset causa efficax damni gravis et injusti. — Lugo et alii *communiter*.

§ IV. *De palpone.*

770. — *Palpo* dicitur qui laudando, adulando, vituperando, injuriam exaggerando movet alium ad damnificandum. De palpone hæc tenenda:

1° Qui induxit alium ad damnum inferendum proponendo laudem aut secus ignominiam secuturam, tenetur de damnis. Talis enim cooperatio se habet instar consilii, cum nempe agendi motiva de se communiter efficacia proponuntur. Quocirca palpo iisdem omnino obligationibus obnoxius est, ac consulens: de quibus vid. supr. n. 762 et seqq.

2° Qui homini injuria affecto ita repræsentant hujus injuriæ magnitudinem, ut ille commotus vindictam sumat, ad restituendum tenentur, modo saltem damnum probabiliter secuturum esse adverterint.

3° Non tenetur autem ad restitutionem, qui facinus jam patratum approbat vel ratum habet, nisi causa sit, cur non fiat restitutio, aut nova damna inferantur.[1]

[1] D. 19. n. 17. [2] L. IV. 566.
[3] D. 19. n. 17.

[1] L. IV. 567.

§ V. *De recursu, seu de receptante, vel recursum præbente,* hæc tenebis:

771. — 1° Receptans, — nimirum qui scienter ac libere malefactori, quatenus malefactori, præbet assecurationem et commoditatem, ut vel malum inferat confidentius, vel illatum non reparet, — tenetur de damnis exinde provenientibus. Sic enim furis voluntatem in proposito vel furandi, vel non restituendi, vel iterum furandi, efficaciter ac injuste determinat, aut firmiorem efficit.

2° Pariter ad restitutionem tenentur mercatores et præsertim caupones, qui accipiunt furta filiorumfamilias, famulorum, etc., vel ea occultant, aut etiam sibi vindicare in pretium mercium, compotationum, etc. solent.

3° Inter receptantes computandi non sunt illi, qui amicos vel consanguineos malefactores domi recipiunt; nec illi, qui eos sub spe emendationis occultant, vel iis ostendunt viam, qua fugere possint, cum ad carcerem vel ad necem quæruntur.[1]

§ VI. *De participante.*

Participans duplex est: alius in præda, alius in actione damnosa. Hinc statuenda sunt sequentia

772. Principia. — I. Participans in præda tenetur ad restitutionem partis, quam accepit et apud se detinet; patet ex superius dictis de possessore malæ fidei.

II. Participans in actione damnosa per cooperationem *formalem,* seu talem, quæ vere concurrit ad *ipsam* damnificantis *malam voluntatem* (cfr. n. 303), ipsum v. g. tutando; munusculum ab eo accipiendo, ne clames dum damnum infert; eum certiorem faciendo de tempore vel modo commodiori actionis damnificativæ ponendæ, — *semper* ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia in hoc casu adsunt tres conditiones quæ requiruntur ut actio damnificans restitutionis obligationem inducat, sc. actio est *injusta; causa damni efficax; theologice culpabilis.*[2] *Vide dicta* n. 746.

III. Participans in actione damnosa per cooperationem *materialem,* sive immediatam, sive mediatam, ita agit ob metum gravis mali, vel non. In posteriori casu tenetur ad restitutionem ut per se patet. In priori distingue inter metum mali superioris, et metum mali æqualis aut inferioris ordinis. Si de metu mali *superioris* ordinis, v. g. mortis aut infamiæ in casu non cooperationis ad furtum, agitur, non tenebitur, quia dominus foret irrationabiliter invitus, et, si de vita tuenda agitur, omnia bona sunt communia. — Sin autem malum quod timet, sit vel *inferioris* ordinis, ut si quis timeat verbera, nisi morti alterius cooperetur, — vel *æqualis* ordinis, uti si quis timeat damnum in bonis fortunæ, nisi cooperetur in furto, non poterit ullo modo concurrere; tum quia non adesset proportio; tum quia in pari casu quisque legitime jus habet, ut sua bona possideat. — Excipe 1° nisi nimia sit inæqualitas, ut si furando parum de alienis possis servare te indemnem in magnis; sed eo in casu teneris rei ablatæ valorem domino restituere; cum agatur de re in eodem genere, et æquivalenter possideas quod alterius est;[1] 2° si cooperans ad damnum in bonis fortunæ possit ac velit ea reparare; 3° si damnum in bonis fortunæ absque cooperante æqualiter et certo ab agente illatum fuisset.[2]

§ VII. *De muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperatoribus negativis.*

Cooperatores negativi ii sunt, qui non impediunt damnum proximi, cum ex officio illud impedire teneantur. Dicuntur vulgo *mutus, non obstans, non manifestans.* 1° *Mutus* ille est, qui non loquitur, non clamat, non præmonet damnificandum, dum ad id ex officio vel contractu tenetur. 2° *Non obstans* dicitur, qui non præbet auxilium quod potest, et ex justitia debet præbere, ne damnum inferatur. 3° *Non manifestans* vocatur, qui, dum potest et ex justitia debet, malefactorem domino lædendo vel læso, aut Superiori non manifestat, vel ante læsionem, ne fiat, vel post eam, ne resarciatur. Cæterum eadem principia, eædemque applicationes morales omnibus hisce conveniunt.

773. Principia. — I. Nemo ratione damni non impediti tenetur ad restitutionem, nisi ex officio illud impedire teneatur; qui enim non adigitur ad damnum

[1] L. IV. 568. [2] L. IV. 571.

[1] Scav. Tom. II. n. 675. [2] L. IV. 571.

ex officio impediendum, ex sola caritate obligatur, cujus violatio ad restitutionem non obligat.

II. Omnes, qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, si id culpabiliter negligant, ad restituendum tenentur; ex justitia enim damnum impedire debent. Ergo si omittant, contra justitiam peccant, et proinde ad damna resarcienda obligantur.

III. Ut negative cooperans ad restitutionem teneatur, necesse est, ut damnum sine gravi incommodo impedire potuerit; quia nec contractus, nec lex positiva cum gravi onere, saltem ut plurimum, obligare solent.[1]

774. QUÆSITA. — Quær. 1° *An confessarius teneatur ad restitutionem, si pœnitentem de restitutione facienda ex gravi negligentia vel ignorantia monere omiserit?*

Resp. Neg. probabilius. Etenim licet ex officio confessarius teneatur bene instruere pœnitentem, ideoque peccet graviter, si id omittat, quando necessarium est; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium. Excipe, si confessarii silentium positivæ approbationi æquivaleat, v. g. si interrogatus responsum ita declinet, ut absentia obligationis pœnitenti suadeatur. — S. Alph.,[2] Lugo, Suarez, et alii *communiter*.

Quær. 2° *An famuli teneantur ad restitutionem, quando culpabiliter non impediunt damna, quæ domino inferuntur?*

Resp. 1° *Affirm.*, ut videtur, si agatur de damno illato ab extraneis. Ratio est, quia eo ipso quod famuli in familiam admittantur, censentur obligationem suscipere eam adversus extraneos defendendi. — S. Alph.,[3] Lugo, Vogler, etc.

Resp. 2° *Neg. probabilius*, si agatur de damno illato ab aliis famulis, nisi res ipsis specialiter commissa fuerit; quia non videntur conducti famuli nisi ad laborem et familiam ab extraneis defendendam.[4]

775. — Quær. 3° *An superior teneatur ad reparandum damnum a suis subditis illatum?*

Resp. 1° Quoad *forum externum Neg.* generatim ex Jure nostro quoad damna a *famulis* vel *filiis* culpabiliter illata.[5]

[1] L. IV. 573. [2] L. IV. 578.
[3] L. IV. 344. [4] L. IV. 344.
[5] Kent, Vol. II. n. 192. Note 3. n. 259. 260.

Resp. 2° Quoad *forum internum* 1° *Affirm.*, si Superioris silentium positivo impulsui æquivaleat; 2° Non tenetur autem, quoties culpa theologica deficit. 3° Nec tenetur *probabiliter*, licet damnum non impediendo graviter peccaverit, si nullatenus silentio suo in illud influxerit, cum præcipue agatur de damno, quod alteri non subdito illatum est. Ratio est, quia qualitas Superioris per se non sufficit, ut quis constituatur quasi sponsor de damnis subditorum, nisi ex speciali officio publico ea impedire debeat.

Quær. 4° *An maritus teneatur de damnis ab uxore illatis, quæ ipse non impedivit?*

Resp. In foro *interno* de uxore dicendum videtur, quod de filiis familias aliisve subditis in *Resp.* 2° præc. dictum est. Hinc *probabiliter* ad nihil tenetur ex mero silentio, etiam graviter culpabili. In foro autem *externo* Jure nostro datur actio civilis in maritum.[1]

776. — Quær. 5° *An teneatur ad restitutionem, qui per omissionem suffragii injustæ sententiæ non obstiterit?*

Resp. Affirm. si suffragium ferre debeat *ex officio*, quia officium ex justitia adimplendum est saltem communiter loquendo, et seclusa justa causa. *Neg.* autem si jus suffragii habeat *ex privilegio*, seu ex mero favore; tunc enim potest absque injustitia suffragium omittere. — Lugo.[2]

Quær. 6° *An teneatur ad restitutionem, qui accepit pecuniam a fure, ut taceat, si ex officio clamare non debeat?*

Resp. Neg. probabilius, saltem *per se*. Ratio est, quia tacere posset ob preces furis absque injustitia, siquidem clamare ex justitia non tenetur. Ergo *a pari* ob munera promissa vel tradita tacere potest absque injustitia. — Lugo, Tamburinus, etc. — Secus autem dicendum esset, si pecuniam acciperet, ut observet, num quis adveniat; quia tunc furto positive cooperaretur.

Quær. 7° *An custodes non denuntiantes damnificatores teneantur compensare omnia damna et etiam solvere mulctam?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.*, *per se*, quia ad damna impedienda constituuntur; excipe, si agatur de rebus levioris momenti, pro quibus, ex consuetudine et præsumpta

[1] Kent, Vol. II. n. 149 (3).
[2] D. 19. n. 61. sq.

domini voluntate, sufficit secreta admonitio.

Resp. ad 2^um^ *Neg. probabilius* ob praxim contrariam, cui communis sensus concordat. — Lugo, Lessius, Vogler, etc. Idem dicendum de judice non procurante damni compensationem, vel mulctam punitoriam non exigente. Attamen si apud judicem facta fuerit damnificatoris denuntiatio, ille ad puniendum, et ad damni reparationem tenetur.[1]

CAPUT III.

DE CIRCUMSTANTIIS RESTITUTIONIS.

Præcipuæ circumstantiæ restitutionis hoc versu habentur :

Quantum restitues ? cui ? quo ordine ? quomodo ? quando ?

ARTICULUS I.

QUANTUM SIT RESTITUENDUM ?

777. — Quantitas restitutionis mensurari debet ex quantitate rei acceptæ, vel ex quantitate damni illati, aut influxus in injuriam proximi.

Cum speciales difficultates de sola solidaritate occurrant, de ea solum specialiter agemus.

De solidaritate.

Definitio. — Solidaritas, seu obligatio restituendi *in solidum* est onus incumbens singulis cooperatoribus integrum damnum illatum reparandi.

Divisio. — Duplex distinguitur solidaritas, scilicet 1° *absoluta*, quæ locum habet, quando quis tenetur totum damnum reparare ; 2° *conditionata*, quando singuli cooperatores restituere tenentur pro aliis cooperatoribus deficientibus.

778. PRINCIPIA. — I. Quilibet ex cooperatoribus concurrens efficaciter ad damnum, ita ut hoc *totum ei moraliter adscribi possit*, tenetur ad restitutionem in solidum, idest in integrum, sive absolute, sive saltem conditionate. Ratio est, quia quilibet est causa efficax et injusta totius damni, et proinde totum reparare debet. — Vogler,[2] et alii *communiter*.

II. Alicui autem cooperatori *totum damnum adscribi potest* certo in casu duplici, scilicet 1° *quoties illius cooperatio est necessaria*, licet non sufficiens, ad totum damnum inferendum ; v. g. si præbeas suffragium necessarium ad injustam sententiam ; 2° *quoties cooperatio fit ex conspiratione efficaci*, qua damnificatores ita se efficaciter ad damnum excitant, ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret.[1]

III. Quicumque est causa principalis damni, tenetur restituere in solidum *absolute ;* cæteri autem cooperatores æquales, vel causæ secundariæ, *conditionate* tantum tenentur. Ratio est, quia principalis agens, uti mandans, dux, etc., ipso facto in se suscipit absolute totum onus damni reparandi, cum ipse primario illud inferat, nec utatur aliis nisi velut instrumentis ad proximum damnificandum. Quisnam autem dici debeat causa principalis, dicetur infra.

Quoad causas vero secundarias merito monet S. Alph.,[3] in praxi raro expedire rudes monere seu obligare ad totum damnum reparandum, licet certo teneantur in solidum ; quia, ait, "difficulter isti sibi persuadent se teneri ad restituendam partem a sociis ablatam. Quinimo satis præsumi valet, quod ipsi domini, quibus debetur restitutio, consentiant, ut illi restituant tantum partem ab eis ablatam ; cum aliter valde sit timendum, ut nihil restituant, si obligentur ad totum."

"Hinc est," pergit S. Doctor,[3] "quod confessarius quemlibet istorum (præcipue si est conscientiæ parum meticulosæ) hortetur ut restituat quod debet, quin quantitatem explicet, sed remittens dictamini conscientiæ illius."

779. QUÆSITA. — Quær. 1° *An tenearis* IN SOLIDUM, *in dubio, an influxeris in totum damnum ?*

Resp. Neg. probabilius cum sententia communi, quia onus certum imponi nequit pro incerta obligatione.[4]

Quær. 2° *An tenearis* IN SOLIDUM *in dubio, an alii suam partem pro rata restituerint ?*

Resp. S° Alph° minime probatur sententia negans. Opinor quia hic agitur de debito certo et solutione dubia.[5]

[1] H. A. Tr. XIII. 73. [2] n. 342.

[1] L. IV. 579. [2] L. IV. 579.
[3] H. A. Tr. X. 54. [4] L. IV. 579.
[5] L. IV. 579.

Quær. 3° *An detur obligatio restituendi* IN SOLIDUM, *ubi cooperatio influit quidem in totum damnum rei individuæ, sed non est de se sufficiens, nec necessaria, neque procedit ex conspiratione stricta, v. g. si quatuor asportent trabem, quam tres etiam asportassent ?*

Resp. Neg. probabiliter, quia, cum tota ratio obligationis sit influxus in damnum, illa non debet esse major quam ipse influxus. Aliunde si quis opere suo concurrat tantum ad partem damni, v. g. vastationis horti, ad totum autem damnum eatenus cum aliis concurrat, quatenus reliqua horti pars vastata ab aliis jam fuerat, ipse autem quod integrum ab illis relictum reperit, hoc pessumdet ; hic sane non tenetur reparare nisi partem damni, cujus auctor fuit ; ergo, *a pari*, qui concurrit partialiter ad damnum individuum, partialiter tantum ad damni reparationem tenetur, quia causam partialem posuit.[1] — Lugo.[2]

780. — Quær. 4° *An tenearis* IN SOLIDUM, *si actio tua fuit quidem sufficiens ad totum damnum inferendum sed minime necessaria, neque ex conspiratione processit, v. g. si ignem domui alienæ simul cum pluribus aliis apposueris ?*

Resp. Controvertitur. Affirmant probabiliter, imo et *probabilius* non pauci, quia ubi actio tua fuit *sufficiens* ad effectum damnosum, reapse totum damnum moraliter tibi et singulis aliis est adscribendum. Roncaglia, Sanchez, Salmant., etc. — *Negant* vero alii *probabiliter*, quia, licet actio damnificativa sufficiens fuerit ad totum damnum, non habuit tamen nisi influxum partialem in illud, cum nec fuerit necessaria, neque communis cum aliis ex conspiratione. Ergo non est causa moralis totius damni. Nec refert quod de re *individua* agatur ; quia cooperatio ad totum damnum non extenditur. Attamen id intellige, quoties sine tuo concursu damnum nihilominus evenisset ; secus enim etiam actio tua ad illud necessaria dicenda foret. — Sporer, Navar., etc. — Utramque sententiam probabilem habet S. Alph.[3]

781. *Resolves.* — 1° Si quis ex cooperatoribus totum damnum reparaverit, alii liberantur ab omni debito erga creditorem ; sed ille, qui totum restituit, recursum habet contra alios damnificatores æque obligatos, seu tales quorum quisque pro sua rata tenetur, ut ratio perspicua demonstrat.

2° Si furi, qui propter efficacia motiva jam omnino determinatus est ad furandum, suggeras novum motivum, quod stimulum ei addat, non teneris, deficientibus cæteris cooperatoribus, totum damnum resarcire, quia motivum tuum in damni substantiam non influxit.

3° Imo *probabiliter* ob eandem rationem nihil refundere debes ex justitia, si tantum inducas alium, ut aliquanto citius aut alacrius damnum inferat.

[1] L. IV. 579. [2] D. 19. n. 82.
[3] L. IV. 579 et H. A. Tr. X. 55.

ARTICULUS II.

CUI SIT RESTITUENDUM ?

782. — 1° Restituendum est domino certo et noto, quoties absque gravi difficultate et alterius injuria fieri potest, nec alia adest causa a restitutione excusans.[1]

2° Qui subduxit rem apud alium depositam, vel locatam aut commodatam, non domino, sed ipsi possessori ordinarie loquendo restituere debet. Possessor enim sine injuria privari nequit jure custodiæ, usûs, vel possessionis. Dixi *ordinarie loquendo ;* nam excipiendum 1° si bona restituenda in manu possessoris periclitentur, v. g. si iisdem sit abusurus in suî aut aliorum perniciem ; utiliter scilicet tunc geret negotium domini ille, qui possessori ea non restituat ; nisi aliud obstet ;[2] 2° si possessorum nihil intersit, ut domino restituantur, quia id v. g. sine illorum damno et infamia fieri potest.

Quid autem agendum est, si dominus sit dubius, aut incognitus, vel si licet cognitus sit, adiri non possit ? Hæc tenenda videntur :

1° Si post diligentem inquisitionem dubius sit dominus ; vel dubium vertitur inter paucos, vel inter multos. Si prius, ipsis pro rata restituendum est, vel ad compositionem inducendi sunt domini præsumpti. Si posterius, v. g. quia aliquis vendens in aliqua civitate defraudavit multos in pondere vel pretio, restitutio facienda est augendo eodem modo

[1] H. A. Tr. X. 64.
[2] Scav. Tom. II. n. 678.

pondus vel mensuram, aut pretium minuendo erga ementes ordinarios, qui damnificati præsumuntur, si facile fieri possit; secus restitutio pauperibus facienda est, vel in pias causas, idque pauperibus illius loci, vel in pias causas utiles eidem loco, cujus multi illi domini sint incolæ.[1]

2° Si dominus sit plane incognitus, vel si, licet cognitus, moraliter tamen neque immediate neque mediate adiri queat, distinguendum est: vel enim res aliena bona fide acquisita possidetur, vel mala vel dubia. Si bona, tunc agendum est ut in rebus nuper amissis, quarum dominus inveniri non potest (vide supra, n. 656). Si vero mala fide, possessor tali re omnino se expoliare debet, atque in opera pia, aut communi bono utilia impendere. Nefas enim est malitiam furi aut malæ fidei possessori prodesse.[2] Si demum dubia, perseverante post debitam inquisitionem dubio, res partim pauperibus vel ad causas pias impendenda est et partim retineri potest. Cfr. n. 739.

3° Si nullus ex dominis graviter læsus fuerit, et cogniti sint, sub *gravi* restituendum est pauperibus vel ad causas pias; *sub levi* dominis, et ne his quidem sub levi, si rationabilis causa excusat. Dixi: 1° *sub gravi pauperibus vel ad pias causas.* Ratio est quia notabiliter ditescendo ex re aliena grave intulit damnum reipublicæ. Dixi: 2° *sub levi dominis;* nam singulis illorum intulit tantum damnum leve.[3]

Nota pro praxi. — Obligatis ad restitutiones pauperibus seu causis piis prudenter declaratur, se satisfacere si ea, quæ contribuere solent in pauperum, ecclesiarum, sacerdotum, etc. sustentationem, ea intentione contribuant ut obligationi restituendi satisfaciant. Excipe, si summa restituenda tanta sit, ut solitæ ejusmodi contributiones eam non exæquent.

783. QUÆSITA. — **Quær. 1°** *An quando creditor tuus coactus fuit cessionem bonorum facere, ipsi vel ejus creditoribus restituere debeas?*

Resp. Generatim loquendo, ei penes quem post factam bonorum cessionem administratio et custodia eorumdem maneat. Huic enim uni restitutio seu debitorum solutio fieri potest et debet, adeo ut, si alteri fiat, valida non sit, pereatque solventi, si forte res tradita ad manus administratoris non perveniat. Quapropter si de debitis ageretur, quæ ab eo, qui bonis cedit, occulta serventur, fraudi cooperarentur illius debitores, qui, cognita bonorum cessione, ipsi debitum solverent; quocirca et in foro conscientiæ tuti non forent, et conveniri in foro externo ad iterum solvendum possent. Attamen quandoque posses tuo creditori restituere, v. g. si debitum sit exiguum, si probus sit, et credas illum esse creditoribus restituturum; item si versetur in gravi necessitate, et debito illo valde indigeat ad vitam ducendam, quia, ut docent communiter theologi, bona cedens potest subducere ea, quæ ad vivendum omnino necessaria sunt. — S. Alph.,[1] Gousset.[2]

784. — **Quær. 2°** *Cuinam restituere debeat debitor* EX DELICTO, *si dominus læsus inveniri nequeat?*

Resp. Juxta *communem sententiam* restituere debet pauperibus, vel causis piis. Ratio est, quia ex sensu communi dominus incognitus per pauperes vel pias causas censetur repræsentari; præsumitur enim talem esse ejus voluntatem, quoties rem suam injuste ablatam vel damnificatam recuperare nequit. — Ita S. Thom.[3] De hoc certo constat ex Jure Can. quoad lucrum usurarium et simoniacum. Videtur etiam lex canonica *ex consuetudine* ad cæteros casus extendi: *Consuetudo autem optima est legum interpres.* Apparet igitur circa hoc *jus quoddam gentium* introductum esse.

Dicunt *quidam*, debitorem posse ea impendere in utilitatem quamlibet publicam etiam profanam. Verum in praxi consuetudini generali standum est. Numquam autem possessor malæ fidei, neque damnificator injustus debitum retinere potest, nisi, ut ait Lugo,[4] sit ipse vere pauper; quia nemo ex malitia sua commodum reportare debet, ut jam dictum est supra n. 721. 4°.

[1] L. IV. 595 et H. A. Tr. X. 67.
[2] H. A. Tr. X. 67. 69.
[3] L. IV. 534. q. II.

[1] L. IV. 699.
[2] n. 772.
[3] 2. 2. q. 62. a. 5.
[4] De Just. D. 20. n. 6. 8.

ARTICULUS III.

QUO ORDINE SIT RESTITUENDUM?

Ordo restitutionis spectari potest tum ex parte eorum qui restituere debent, quando plures in idem damnum cooperati sunt, tum ex parte eorum quibus restituendum est.

§ I. *De ordine restitutionis inter cooperatores.*

785. — Ad ordinem restitutionis in solidum assignandum inter cooperatores in damnum alienum, inspiciendum est, num damni causa sit principalis, seu primaria; utrum secundaria, seu subordinata; an denique collateralis, seu æqualis. Cooperatores enim in damnum concurrere possunt vel eodem modo seu gradu, vel modo diverso.

PRINCIPIA. — I. Si omnes eodem modo concurrerint, singuli æqualiter in solidum conditionate restituere debent, absque ullo ordine determinato, quia nemo eorum majus periculum suscepit. Dixi: *conditionate*, id est, quando cæteri cooperatores non restituerent, vel nullus in solidum solveret.

II. Si diverso modo concurrant, distingues iterum: nam vel ex furto, vel ex mero damno restituendum est.

Si ex furto, primo loco tenetur possessor, qui rem habet in individuo vel in æquivalenti, vel qui illam injuste consumpsit: deinde mandans, vel si mandans desit raptor; tertio tenentur cæteri cooperatores positivi; tandem cooperatores negativi.

Si vero ex damno, tenetur primo mandans, ut causa principalis; secundo executor, etiamsi nomine mandantis egerit, quia relative ad alios juxta communem sententiam est causa principalis; deinde cæteri cooperatores positivi; — demum cooperatores negativi.[1]

786. *Resolves.* — 1° Ad nihil tenentur causæ secundariæ, si causa principalis restituerit aut remissionem debiti obtinuerit; causæ enim secundariæ tantum tenentur in defectu causæ principalis, cujus obligatio cessavit.[2]

2° Si una ex causis minus principalibus restituit, causa principalis tenetur eam indemnem facere, quia minus principalis jus creditoris contra principalem acquirit.[1]

3° Si creditor solvat ab obligatione causam secundariam, non ideo liberatur causa principalis, quia obligatio principalis causæ est independens ab obligatione causæ secundariæ. Imo quamvis uni e secundariis creditor remittat, non ideo liberæ sunt aliæ causæ secundariæ ab obligatione suam partem restituendi, nisi condonatio fuerit omnino plena, vel talis merito præsumi possit. — Lugo, Vogler, S. Alph.[2]

4° Si una ex causis æqualiter obligatis totum debitum restituerit, aliæ tenentur ei partem rependere, quia quisque pro rata suæ culpæ satisfacere debet. Quod si unus non posset aut nollet suam partem restituere, cæteri eam inter se dividere deberent.

5° Consulens vel consentiens non tenetur *per se* ante executorem; hic siquidem prior tenetur, quia executor, deficiente mandante, est causa principalis damni. — Vide tamen exceptiones de quibus n. 765. q. 6°.

§ II. *De ordine restitutionis quoad creditores.*

787. — Agendum hic est de solo casu, in quo debitor ad satisfaciendum omnibus suis creditoribus impar est; alias enim nullus ordo in solvendis debitis necessario servandus est.

Creditores autem sunt 1° alii *privilegiati*, qui ex legis positivæ privilegio jus habent debitum suum ante alios repetendi; 2° alii *hypothecarii*, qui ex titulo *hypothecæ* seu *assecurationis* in bonis debitorum fundatæ, jus habent solutionem obtinendi statim post creditores privilegiatos; 3° alii *communes*, qui nullo privilegii aut hypothecæ beneficio gaudent.

788. PRINCIPIA. — I. Ante omnia solvi debent debita privilegiata. Debita autem privilegiata ex legibus cujusque Status, et in casu cessionis bonorum (*Bankruptcy*) ex lege, quæ vocatur "Bankrupt Law," noscuntur.

II. Secundo loco satisfaciendum est

[1] L. IV. 580 et H. A. Tr. X. 60.
[2] L. IV. 581.

[1] L. IV. 581. [2] Ib.

creditoribus hypothecariis, servato temporis ordine, juxta Regulam 54 Juris in 6°: *Qui prior est tempore, potior est jure.*

III. Demum tertio loco solvi debent debita communia, utpote nullum jus prælationis habentia.

Res aliena apud debitorem existens, v. g. in deposito, locato, commodato, vel ut vendatur, ante omnia debita quantumvis privilegiata restitui domino suo debet; res enim illa in specie existens *domino clamat.* Item res empta ad creditum, non soluto pretio, nec pretii fide data, si adhuc in sua specie exstet.[1]

789. QUÆSITA. — Quær. 1° *An debita ex delicto sint solvenda ante debita ex contractu?*

Resp. Neg. probabilius, sed omnia æque solvenda sunt pro rata, quia nullo jure constat, priora posterioribus esse præferenda.[2]

Quær. 2° *An debita ex titulo oneroso solvi debeant ante debita ex titulo gratuito?*

Resp. Affirm., quia qui gratuito promittit, apponit semper tacitam conditionem: *si commode præstare valeam;* nec gratis bona expendere potest cum præjudicio creditoris ex delicto vel ex contractu. — S. Alph.[3]

Quær. 3° *An creditores pauperes divitibus necessario præferri debeant?*

Resp. Neg., nisi sint in extrema vel gravi necessitate, casu quo creditor dives eis ex caritate subvenire teneatur. Ratio est, quia nullum jus prælationis habent pauperes; et jus divitis tam strictum est quam pauperis, cum justitia commutativa ad personas non attendat. — S. Alph.,[4] Lugo.[5]

Quær. 4° *An præferendi sint creditores tempore priores posterioribus?*

Resp. Controvertitur. Prima sententia *negat,* quia lex nullam prælationem inter hæc credita assignat; ex jure autem naturali omnes creditores sunt æquales, cum singuli dumtaxat in debitoris personam, quæ sola æque singulis obligata est, non autem in hujus bona jus habeant. Si enim essent obligata bona debitoris, creditores eorum dominium jam haberent, nec debitor ea vendere posset, quod falsum est.

Secunda *affirmat,* quia *prior tempore* debet esse potior etiam jure. — Ita Lugo, Salmant.; et hoc dicit *probabilius* S. Alph.,[1] licet priorem sententiam ut *probabilem* habeat.

790. — Quær. 5° *An creditores certi incertis, seu incognitis, sint a debitore anteponendi?*

Resp. Utrinque *probabiliter* disputatur. Qui *affirmant,* dicunt certa dominis deberi *jure naturæ,* incerta pauperibus *jure* tantum *positivo;* quod *negant* patroni alterius sententiæ, qui contendunt etiam pauperibus pro rata restituendum esse, cum hæc præsumatur esse creditorum voluntas, ut quod sibi restitui nequit, restituatur pauperibus.[2]

Quær. 6° *An prius petenti liceat prius solvere, etiamsi tempore posterior sit?*

Resp. 1° *Affirm.*, si *juridice* petat, quia legitima judicis sententia vim privilegii creditori confert. — Ita *omnes.* — S. Alph.[3]

Resp. 2° *Affirm. probabilius* etiam si petat extra judicium, quia actionem personalem in debitorem habet, et totum debitum petendo, jus suum prosequitur; cæteri vero creditores negligentiæ suæ expensum ferre debent.[4] — Jure tamen nostro invalidatur solutio accepta a creditore, qui noscere potuit statum labilem debitoris, si fiat intra quatuor menses computandos a die, quo a debitore vel contra ipsum rogata fuit bonorum cessio.[5]

Quær. 7° *Utrum debitor, sciens suum statum labilem, etiam non petenti integre satisfacere possit?*

Resp. Neg., quia cum omnes creditores sint jure æquales, nec ullus inter illos jus suum prosequatur, et proinde per diligentiam nemo potior in petendo evadat, postulat æquitas naturalis, ne alicui integra restitutio fiat cum aliorum præjudicio. — S. Alph.,[6] Lessius, et alii *communiter.* — Et hæc quoque restitutio jure nostro invalidatur, si fiat a debitore,

[1] L. IV. 685.
[2] L. IV. 688.
[3] L. IV. 689.
[4] L. IV. 691.
[5] D. 20. n. 161.

[1] L. IV. 690.
[2] L. IV. 687. Coll. L. V. 71.
[3] L. IV. 692.
[4] Ib.
[5] General Bankrupt Law, Sec. 35. apud Wells. p. 599.
[6] L. IV. 692.

qui novit suum statum labilem, intra sex menses qui immediate præcedunt diem, quo a debitore vel contra ipsum rogatur cessio bonorum.[1]

Quær. 8° *An creditor, qui in hoc casu solutionem accepit, ad restitutionem erga alios creditores teneatur?*

Resp. Sententia S° Alph° *verior affirmat*, quia nullum jus habet, ut sibi integre solvatur cum aliorum detrimento; unde his pro rata satisfacere tenetur.[2]

ARTICULUS IV.

QUOMODO SIT RESTITUENDUM?

791. — Generatim dici potest, requiri et sufficere, ut restitutio eo modo fiat, quo justitia violata plene seu ad æqualitatem reparetur, et sic dominus læsus indemnis fiat.

Hinc 1° non est necessarium *per se*, ut restitutio palam fiat; imo sæpe eo modo fieri nequit, quando famæ quoque et honori restituentis consulendum est.

2° Non est necessarium, ut restitutio fiat per ipsum debitorem, sed fieri per alium potest, modo res domino reddatur. Potest aliquando fieri per confessarium; magna tamen cautela tunc opus est, tum ut sigillum Confessionis illæsum remaneat, tum ut pœnitens, casu quo aliqua ex ejus parte suspicio contra confessarii probitatem timenda foret, resciat, creditori reipsa satisfactum fuisse.

3° Non est necessarium, ut restitutio fiat advertente domino; quia hoc non requiritur, ut hic sit indemnis. Unde debitor restituere potest, v. g. augendo pondus vel mensuram in vendendo, aut debitum opus in laborando, et sexcentis aliis modis.

792. Quæsita. — Quær. 1° *An valeat restitutio facta per simulatam donationem?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*. Ratio est, quia ad solutionem non requiritur, ut debitor externe fateatur, se solvere. Hinc satisfacit debitor, quoties solvit etiam in iis circumstantiis, in quibus creditor existimat sibi fieri donum. — Ita *communis*. — Carrière,[3] etc., contra Billuart.

Quær. 2° *An si creditor gratitudine motus aliud donum illi rependat, hoc ei restituendum sit?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia donatio ista non videtur plene voluntaria et spontanea, prout esse debet essentialiter donatio mere gratuita; procedit enim ex opinione obligationis antidoralis seu gratitudinis, quæ falso nititur fundamento. — Ita Carrière, contra Tamb., etc.

Quær. 3° *Quo loco, et cujusnam expensis facienda sit restitutio?*

Resp. 1° Si obligatio restituendi sit ex re bona fide accepta et retenta, restitutio non necessario facienda est in alio loco, quam in quo nunc res existit; nec hujusmodi debitor in alium locum, ubi jam dominus forte degit, rem transmittere tenetur. Ratio est, quia non tenetur dominum in statum pristinum restituere, ex quo illum non dejecit per formalem injuriam.

Resp. 2° Si obligatio restituendi orta sit ex delicto, restitutio facienda est in loco, in quo dominus rem esset possessurus, si ablata non fuisset, idque debitoris sumptibus, iis solummodo deductis, quos fecisset dominus in rei conservationem et translationem. Ratio est, quia creditor debet indemnis servari, et nullum ex iniquitate debitoris damnum pati, sed in statum pristinum restitui.[1]

Resp. 3° Si res ex contractu solvi debeat, standum est clausulis contractui appositis, si de loco et modo translationis fuerit conventum. Quando autem nulla de his conventio facta est, ad leges speciales pro contractuum diversitate attendendum est.

793. — Quær. 4° *An debitor ex delicto etiam expensas solvere debeat pro re domino remittenda, si illæ expensæ valorem rei ipsius superent?*

Resp. 1° *Affirm.*, si excessus non sit valde notabilis, quia et debitor, committendo injustitiam, tale onus in se suscepit, et dominus non tenetur rei suæ jacturam pati. — Ita *communiter*. Lugo.[2]

Resp. 2° *Neg.* autem *probabilius*, si istæ expensæ essent maximæ respectu valoris rei remittendæ. Tunc autem ex præsumpta creditoris voluntate restitutio pauperibus facienda esset. Recta enim ratio et caritas dictant, creditorem non posse exigere, ut sibi fiat restitutio cum

[1] Wells. p. 599. [2] L. IV. 692.
[3] n. 1265.

[1] L. IV. 677. [2] D. 20. n. 190.

quibuscumque expensis. — Ita Lugo,[1] Billuart,[2] S. Alph.,[3] qui dicit, hanc esse sententiam *communissimam*.

Quanta autem esse debeat jactura debitoris, ut a restitutione ipsi domino facienda excusari possit, non conveniunt theologi. Hanc regulam sat communiter tradunt: Quando omnibus pensatis damnum, quod debitor patietur, damnum creditoris tantum duplo superat, non est sufficiens, ut dominus re sua privetur. Si vero hanc proportionem superet, sufficit ut restitutio saltem differatur. Sed pro variis circumstantiis hæc regula modificanda est. — Ita Lugo,[4] S. Alph.,[5] etc. Hodie vero hæc controversia vix locum habere potest propter facilitatem res vel pecuniam alio transferendi.

794. — **Quær.** 5° *An debitor iterum restituere debeat, si debitum per personam fidelem miserit, et illud casu vel culpa tertii pereat?*

Resp. 1° Debitor *ex possessione bonæ fidei* ad nihil tenetur; quia, seclusa culpa et pacto, res perit domino, qui est ipse creditor. Teneretur tamen post judicis sententiam, si culpa juridica intercessisset.

Resp. 2° Debitor *ex contractu* ad nihil tenetur, si agatur de re alterius existente in natura, accepta in commodatum vel depositum, etc., quia res perit domino, nisi aliter conventum sit. Secus, si agatur de re in genere debita; quia debitor dominium in illud servat, donec ad creditorem pervenerit, et respondere debet de casibus pretii vel rei transmissæ, usquedum in manus ejusdem tradatur.

Resp. 3° Debitor *ex delicto* a restitutione non liberatur, et tamdiu ad illam obstrictus manet, quamdiu dominum vere indemnem non effecerit; quia semper remanet culpabilis causa damni, quod hic patitur. — S. Alph.,[6] tamen non audet damnare excusantes hujusmodi debitorem, qui per confessarium rem debitam remisit, valde tamen dubitat de probabilitate opinionis eorum.

Excipe casum triplicem, in quo ab omni onere debitor eximitur, nempe 1° si dominus designaverit personam, per quam, aut modum, quo sibi rem debitam mitti velit; 2° si creditor personam aut modum quidem non elegerit, sed debitori reliquerit libertatem eligendi quam aut quem vellet, modo prudens et fidelis eligatur; 3° si persona hæc aut modus arbitrio judicis designata fuerit. — Igitur confessarius qui onus restituendi pro pœnitente in se assumpsit, prudenter dominum interrogabit qua ratione rem ad se permitti cupiat.

795. — **Quær.** 6° *Quomodo restituendum pro damnis Reipublicæ illatis?*

Resp. Variis modis fieri potest, sc. 1° per litteras, etiam anonymas, ad thesaurarium sive Supremi Gubernii, sive Status, sive Comitatus, sive loci, prout restituendum est Fœderatis Statibus, vel Statui, Comitatui, vel loco alicui speciali, requisita ab eo restitutionis notificatione in Ephemeride ad hoc destinata. 2° Emendo et destruendo chirographa publica (*Bonds*) Gubernii Supremi, Status, etc. 3° Si de restitutione Supremo Gubernio debita agitur, emendo et destruendo chartam signatam signo Reipublicæ (*Stamps of all kinds*), vel pecuniam chartaceam (*Greenbacks*).

Quær. 7° *Quis restitutionis modus in multis casibus recte suggeratur uxoribus, filiisfamilias, famulis, operariis ad eam erga maritum, parentes, dominum obligatis?*

Resp. Ut, si alius modus non facile habeatur, damnum illatum reparent majori parcimonia, diligentiori rei familiaris cura, labore supererogatorio, etc.

ARTICULUS V.

QUANDO SIT RESTITUENDUM.

796. — I. Quoad debita *quælibet*, generatim restituendum est quamprimum fieri potest sine gravi incommodo. Jus enim naturale exigit, ut rem alienam, invito rationabiliter domino, non retineas.

Hinc 1° qui culpabiliter differt restitutionem, manet in peccato continuo, et absolvi nequit. Insuper si ex dilatione restitutionis damna domino obveniant, ea compensare tenetur.

2° Si quis habens propositum restituendi, aliquo tempore differat citra grave domini incommodum, non facile, ex hac præcise ratione, damnandus est de pec-

[1] n. 185. [2] Diss. 8. a. 16.
[3] L. IV. 598. [4] D. 20. n. 190.
[5] L. IV. 598. [6] L. IV. 704.

cato mortali, imo nec de veniali, si aliqua sit causa differendi, v. g. spes occasionis commodioris, etc.[1] — Recole tamen dicta n. 719. 4° de non concedenda absolutione iis, qui, cum moraliter possint, non restituunt ante absolutionem.

3° Qui vellet restituere per partes, cum facile possit totum restituere, non esset absolvendus; quia dominus etiam in hoc est rationabiliter invitus. Idem dicendum de eo, qui, cum per vitæ decursum possit restituere, differt tamen usque ad mortem; vel qui in periculo mortis constitutus rejiceret absque ratione sufficienti obligationem restituendi in hæredes suos. — Recole dicta. n. 719.

II. Quoad debita ex injuria; — compensanda sunt damna omnia, quæ ex dilatione secuta sunt, etiam quando mora fuit inculpabilis.[2]

Utrum autem debeant compensari etiam damna extraordinaria, seu quæ non necessario sequuntur ex dilatione restitutionis, *controvertitur*. — *Probabiliter* negandum videtur, quia hæc damna prævideri non potuerunt, nec proinde imputari possunt.

797. — III. Quoad debita *ex contractu*, generatim standum est conditionibus contractui appositis circa tempus, vel circa alias circumstantias; nisi prudenter præsumatur, aliam esse alterius contrahentis voluntatem.

Hinc 1° restitutio, seu potius solutio fieri debet tempore, de quo expresse vel tacite conventum est.

2° Debitor anticipare potest, si terminus solutioni assignatus sit in ejus favorem, ut ordinarie fieri solet; secus vero, si idem terminus in creditoris utilitatem vergat, ut v. g. in præstatione pecuniæ cum lucro percipiendo.

3° Si terminus non sit fixus, ex plurium sententia debitor absque peccato saltem gravi exspectare potest generatim, donec moneatur a creditore, nisi tamen hic inde damnum capiat, vel ex timore monere non audeat, vel ex oblivione aut impotentia monitionem omittat, vel debitor se obligarit cum juramento; nam juramentum *de se* obligat quam primum.[3]

4° Si debitor habeat justam causam differendi, non tenetur ad compensandum damnum ex dilatione proveniens.[1] — Ita *communiter*.

Quær. *An qui distulit restitutionem ex justa causa, teneatur compensare lucrum cessans vel damnum emergens?*

Resp. Tenetur, quando debitum provenit *ex delicto*; quia licet non peccaverit restitutionem differendo ex justa causa, attamen ex præcedenti læsione est vere causa injusta et culpabilis illius damni, si tunc sufficienter prævisum fuit. — Ita *communiter*, cum S. Alph.[2] contra alios. — Si vero debitum *ex contractu* proveniat, non tenetur; quia tunc debitor non est causa injusta et culpabilis illius damni, cum in mora culpabili minime supponatur, adeoque non apparet, quo titulo ad id teneatur.[3]

[1] H. A. Tr. X. 104. 105. [2] Ib.
[3] L. IV. 678.

[1] L. IV. 680. [2] L. IV. 680. 704.
[3] L. IV. 680. 704. [4] H. A. Tr. X. 117.

CAPUT IV.

DE CAUSIS A RESTITUTIONE EXCUSANTIBUS.

798. — I. *Excusant ad tempus* 1° *impotentia physica*, seu omnimoda impossibilitas, quæ habetur in necessitate extrema; imo etiam in necessitate valde gravi sive debitoris ipsius sive suorum, id est uxoris et proximorum consanguineorum; 2° *impotentia moralis*, seu gravis difficultas restituendi, quando nempe restitutio fieri nequeat absque gravi incommodo debitoris, v. g. si debeat restituendo notabiliter decidere e statu suo juste acquisito, aut in gravem necessitatem incidere, etc., dummodo tamen creditori ex omissione vel dilatione æquale damnum non obveniat. Ratio est, quia tunc est vera impossibilitas restituendi; in moralibus enim dicitur impossibile, quod est valde difficile, et quod decenter et honeste fieri non potest. — Hinc si primarius Gubernii officialis, v. c. Præses, Gubernator non potest restituere, nisi se privet famulis, equis; vel civis satis notabilis, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel opifex, nisi vendat artis suæ instrumenta, aut magnum damnum subeat, restitutionem differre potest et debita paulatim solvere.[4]

Excipiunt plures, si debitor culpabiliter, v. g. ludis, crapulis, in talem necessitatem se conjecerit. — Ita Laymann, Lacroix, Busemb. cum aliis. Sed S. Alph.[1] ait: "Hoc non obstante, semper ac debitor a statu suo juste acquisito casurus esset, mihi et aliis doctis durum videtur ad integram restitutionem illum obligare. Cæterum recte advertunt S. Anton., Sporer, Elbel, quod in tali casu semper tenetur debitor expensas diminuere, ut possit restituere saltem quod potest."

Potest etiam regulariter debitor, etiamsi status *injuste* acquisitus sit, *paulatim* restituere, quando secus bonum superioris ordinis v. g. famam amitteret, modo tamen jactura famæ non sit minima respectu damni creditoris.[2]

799. — II. *Excusant in perpetuum* 1° *remissio*, vel condonatio debiti ex parte creditoris; requiritur autem, ut creditor possit condonare, et dominium et administrationem rei sibi debitæ habeat: item ut remissio non fiat vi, vel fraude, sed omnino libere et spontanee; 2° *compensatio*, id est, quando creditor auctoritate propria æquivalens sibi vindicat, quæ compensatio *impropria* vocatur, ut si e. g. tu furatus sis equum meum, et ego occupem tuum, — vel idem debitum sibi retinet, quæ *propria* audit et a restitutione excusat, si utrumque debitum, a) habeat objectum ejusdem speciei, v. g. pecuniam; b) sit æque certum ac liquidam; c) eodem tempore exigibile; d) personale. Ita Varceno.[3] 3° *præscriptio* debitis vestita conditionibus. Præscriptio autem pro debitis communiter haberi non potest quoad ipsum debitorem, qui debitum contraxit, quia bona fides in eo reperiri nequit,[4] etc. . . . Recole dicta de præscriptione, n. 668.

800. Quæsita. — Quær. 1° *An debitor restituere teneatur, si versetur in eadem necessitate sive gravi, sive extrema cum creditore?*

Resp. 1° Si creditor jam reperiatur in gravi necessitate, et debitor restituendo in illam decidat, restituere debet juxta omnes.

2° Si uterque jam reperiatur in necessitate gravi, *disputatur*. *Probabilius* excusatur a restitutione, quæ non debetur *ex delicto*. Imo *probabiliter* etiam si *ex delicto* debeatur; quia debitor tunc restituendo se subjiceret damno multo graviori, dum ex gravi necessitate in quasi extremam prolabi deberet. Excipe, si res ipsa in specie adhuc existat, vel si creditor præcise per illam ablationem in gravem necessitatem sit conjectus. — Ita *communiter*.

3° Si uterque sit in extrema necessitate, *probabilius* omitti potest restitutio; quia tunc omnia fiunt communia. — Excipe, ut mox 2°, si præcise ob subtractionem illam dominus in extremam necessitatem sit conjectus, quia auferre alicui rem sibi ad vitam necessariam, est idem ac eum occidere, unde in casu melior debet esse conditio domini prius possidentis.[1]

801. — Quær. 2° *An restituere teneatur, qui rem alienam in extrema necessitate accepit et consumpsit?*

Resp. 1° Si habeat alibi propria, *affirm.*; ratio est, quia etiam tempore necessitatis non est vere impotens.[2]

2° Idem dicendum est, si actu quidem nihil habeat, sed habeat in spe probabili; quia ejusmodi necessitatem patienti sufficienter per pecuniam mutuam sine censu prospicitur.[3]

3° Si nulla spes affulgeat actu, non tenetur; quia tunc rem suam fecit. — Ita *communius* theologi. — Excipe, si non indiguit absolute re illa peculiari, vel si solus rei *usus* ipsi fuit necessarius, v. g. equi ad effugiendum homicidam.

Quær. 3° *An excusetur a restitutione qui debiti immemor aliquid gratuito creditori suo donavit?*

Resp. Duplex datur sententia:

I[a] Sententia *negat*. Ratio est, quia quod gratuito donatur, nequit haberi ut debiti solutio. — Ita Sanchez, Vogler.

II[a] Sententia *affirmat* cum Lacroix,[4] Tamb., etc. Ratio est, quia censetur quisque velle prius obligationi justitiæ satisfacere, quam meræ liberalitati. Prima sententia est *communior* et *valde probabilis*; sed secunda non caret sua probabilitate, ait S. Alph.,[5] et hanc sat probabilem dicit, quoties certe præsumitur, debitorem, si debiti fuisset memor, nequaquam donaturum fuisse.[6]

[1] H. A. Tr. X. 118. [2] L. IV. 698. 10. [3] p. 577. [4] L. IV. 700.

[1] H. A. Tr. X. 119. [2] L. IV. 520. [3] L. IV. 520. [4] n. 452. [5] L. IV. 700. [6] H. A. Tr. X. 120.

Quær. 4° *An gravatus debitis possit ingredi religionem, et liberetur a debitis, si ingressus fuerit?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, si brevi, i. e. intra biennium,[1] habere possit unde solvat; secus *probabilius per se*, si debeat per tempus notabile exspectare, vel etiam si ex *brevi* mansione in sæculo immineat probabile periculum incidendi in peccata vel amittendi vocationem. Ob debita vero incerta nemo tenetur, ne ad breve quidem tempus, differre ingressum; cum nihil sit tam pium, quam se suaque omnia Deo dicare.[2] . . . Attamen, si debita sint magni momenti, talis ingressus, licet *validus*, Jure Canonico prohibetur ut *illicitus*. Hæc tamen Juris dispositio non comprehendit moniales, quæ in odiosis non veniunt nomine religiosorum, nec gravatos debitis incertis, nec eos qui sine culpa gravi restitutionis impotes facti sunt, nec debitores ratione donationis.[3] Cæterum imprudenter Superiores debitores reciperent, in quos civilem actionem habere possint creditores.

Resp. ad 2^um^ 1° Religio non tenetur hæc debita solvere ex bonis propriis, ut patet; nec religioso licentiam dare ad laborandum, ut satisfaciat, nisi, dum nihil obstat, ex caritate.[4] Bona tamen, quæ debitor Religionem ingressus huic tradidit, restitutioni subjacent, quia Religio in ea successit cum onere eisdem annexo. Ita Varceno.[5] 2° Religiosus tenetur ea solvere ex bonis, quæ habuit ante professionem, vel quæ ei obveniunt per legatum, si vota simplicia tantum emiserit; secus vero, si solemniter professus fuerit. — Ita *communiter*.

802. — Quær. 5° *An liberetur a restitutione, qui debitum solvit creditori creditoris sui, v. g. tibi debeo* $ 100, *tu vero debes* 100 *Titio, an satisfaciam solvendo* 100 *Titio?*

Resp. Affirm., per se ad juris apicem. Ratio est, quia ego solvens creditori tuo id, quod ipsi debes, acquiro jus, quod ille habebat suum a te debitum requirendi: unde jus quod in te habeo, juri quod in me habes, æquivalet, et fit compensatio. Etenim potest creditor tuus in me jus suum transferre, seu possum ego illud emere, sicut quilibet alius, qui nihil tibi debeat. — S. Alph.,[1] Billuart,[2] et alii *communiter*.

Dixi: 1° *per se*, quia non liberor, si forte tu adhuc cogeris solvere, vel creditores privilegiatos aut hypothecarios habeas.

Dixi: 2° *ad apicem juris;* quia talis solutio, si absque causa fiat, illicita erit ob varia incommoda, quibus obnoxia est. Est autem ratio sufficiens, si creditor tuus debitum suum recuperare nequeat. — Billuart.[3]

803. — Quær. 6° *An debitor liberetur in dubio, vel probabilitate solutionis?*

Resp. Neg., juxta S. Alphonsum,[4] quia solutio dubia vel probabilis æquare non potest debitum certum.

804. — Quær. 7° *An excuset a restitutione condonatio rationabiliter præsumpta?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*, quia retentio rei alienæ, seu omissio restitutionis, non est injusta, nisi invito domino fiat. Non fit autem invito domino vel creditore, si fiat ex ejus voluntate rationabiliter præsumpta. Ergo, etc. Sic excusari possunt facilius filiifamilias, si pecuniæ summam sat exiguam parentibus surripuerint. Item famuli, qui esculenta communia consumpserunt. Ita quoque Frassinetti apud Scavini[5] excusat famulum, qui domino suo *longissimo abhinc tempore*, v. g. ante annos viginti, surripuisset scutum ($ 1), licet dominus ille furtum illud non condonaret, si *recens* foret. Et hæc quidem resolutio mihi non videtur irrationabilis. Sed abusus hac in re quam maxime cavendus est, ne sic janua innumeris injustitiis aperiatur. — Lacroix,[6] Lugo,[7] S. Alph.,[8] Vogler, etc.

[1] H. A. Tr. XIII. 27.
[2] L. V. 71.
[3] L. V. 71.
[4] Ib.
[5] p. 577.

[1] L. IV. 700.
[2] Diss. 8. a. 14. § 1.
[3] Ib.
[4] L. IV. 700 in fine et L. I. 34.
[5] Tom. II. n. 776.
[6] n. 462.
[7] D. 21. n. 54.
[8] L. IV. 700.

SECTIO II.

DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

Agendum hic de restitutione ob damnum proximo illatum in bonis 1° animi, 2° corporis, 3° fortunæ in quibusdam casibus.

CAPUT I.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS ANIMI.

Generatim quisque tenetur ex justitia reparare damnum, quod efficaciter et injuste attulit proximo in bonis tum naturalibus, tum supernaturalibus animi, dummodo damnum istud in eodem ordine reparari possit. Neque enim jus minus strictum quisque habet, ne in bonis hujusmodi, quam ne in bonis fortunæ lædatur.

805. *Resolves.* — I. Quoad damnum in bonis *supernaturalibus:*

1° Qui vi, mendacio, fraude, metu injusto induxit aliquem in peccatum lethale, tenetur sub mortali ex justitia ad damni reparationem, vim vel seductionem tollendo, errorem manifestando, etc. Qui autem sine vi aut fraude, sed tantum consilio induxit aliquem ad peccandum lethaliter, tenetur quidem ex caritate ad consilium illud revocandum, non vero ex justitia; quia *scienti et volenti non fit injuria*.[1]

2° Qui dolo induxit alium in errorem præsertim practicum, ex quo damnum grave oriri illi possit in materia morum, ex justitia tenetur reparare damna, quæ inde proveniunt, et idcirco omni cura eum ab errore removere. Idem dicito de errore speculativo circa Fidei articulos.

3° Qui per vim, metum gravem, vel fraudem, aliquem ab ingressu Religionis impedivit, aut jam ingressum ad Religionem deserendam induxit, ex justitia tenetur fraudem et dolum amovere; quisque enim jus habet, ne injuste a consecutione aut possessione tanti boni impediatur vel abstrahatur. Tenetur pariter reparare damna monasterio vel Ordini causata per egressum professi, vel etiam *probabilius* novitii.[2]

4° Qui inculpabiliter causam damni in spiritualibus posuit, v. g. prædicans falsa in re morali, quæ vera putabat, ad idem tenetur ad quod damnificator materialis, qui damnum etiamnum impedire potest. Recole dicta n. 749. q. 3°.

806. — II. Quoad damnum in bonis *naturalibus:*

1° Qui alium privavit memoria, ratione, etc., per venenum, philtrum, etc., tenetur ex justitia reparare id omne, quod ex damno injuste illato reparabile est.

2° Qui fraude impedit, ne alter scientiam, artem . . . addiscat, vel alios doceat, tenetur fraudem depellere, et damna temporalia, quæ inde sunt orta, reparare.

3° Qui ex officio docere debet artem vel scientiam, tenetur errores corrigere, si quos alicujus momenti admiserit. Eadem obligatio ipsi quoque incumbit, si probabilia improbabilibus ex incuria vel levitate permiscuerit.

4° Si quis autem gratuito et sine obligatione pacti vel officii male, i. e. sine ullo aut exiguo profectu discipuli, doceret ex negligentia vel ignorantia, seclusis fraude et dolo, ad reparationem non teneretur.

5° Qui inculpabiliter causam damni in bonis naturalibus posuit, ad idem tenetur ac is, de quo n° proxime superiori sub 4° dictum est.

CAPUT II.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM IN BONIS CORPORIS.

Scilicet 1° ob homicidium, 2° stuprum, 3° adulterium.

ARTICULUS I.

DE RESTITUTIONE OB HOMICIDIUM.

807. PRINCIPIA. — I. Homicidæ vel mutilatores et ipsorum hæredes tenentur

[1] L. IV. 660. 661. [2] L. IV. 662.

ad compensanda omnia damna temporalia, si qua ex homicidio vel mutilatione secuta fuerint. Nihil autem probabilius restituere debent præcise pro vita, membro, etc., quia hæc non sunt pretio æstimabilia. Communiter tamen Auctores monent, congruum esse, ut confessarius imponat pœnitenti pro pœnitentia, vel ex æquitate, ut aliquid læso largiatur.[1]

II. Omne et solum homicidium voluntarium et injustum hanc obligationem parit, quia sola damnificatio injusta et voluntaria est radix obligationis. Hinc ad nihil tenetur, qui mere causa defensionis alterum occidit, etc.

III. Ut sciatur *quid* et *quibus* sit restituendum, si persona mortua læsa fuerit, distinguendum est triplex genus tum *damnorum*, quæ — tum *damnificatorum*, quibus — occisor reparare tenetur. Nam 1° alia sunt damna, quæ *personæ læsæ* inferuntur ante ipsius obitum, et dicuntur *debita realia* contracta cum ipso læso. Ejusmodi sunt impensæ factæ in curationem vulnerati vel occisi; item si quid per id tempus et eam ob causam vel ex operæ intermissione, vel ex omissa negotiatione, vel ex lucro impedito, etc. amisit; non vero expensæ funeris, quia illæ aliquando tandem faciendæ fuissent, nisi forte occasione illatæ necis, v. g. extra patriam, majores fieri oportuerit. 2° Alia sunt damna non quidem occiso illata, sed necessario obvenientia illius *hæredibus*. 3° Alia demum sunt damna quævis et quorumcunque, quæ *directe* per eam mortem *occisor inferre voluerit*. — *Primi* generis damna solvenda sunt occisi hæredibus, quicumque illi sint, deducto tamen, quoad lucrum amissum, pretio laboris, quod præsumitur occisus libenter daturus fuisse pro redemptione laboris, quem pro lucro obtinendo impendere debuisset. Excipe, nisi læsus debita occisori condonaverit, et condonare potuerit. Dico: *potuerit*; nam condonare ea nequit, qui ita forte pauper sit, ut ex suis bonis expensas solvere non possit, et sic injuriam inferat aliis, qui forte ad eas solvendas cogantur, aut quibus (v. c. medicis) eæ non solvantur. — *Secundi* generis damna, — ad quæ refertur etiam lucrum, quod defunctus verosimiliter percepisset, juxta valorem spei, quam attenta ætate, valetudine, etc., habuisset, — restituenda sunt filiis, uxori, parentibus occisi. — Excipe, si isti sibi facile subvenire possint; tunc enim nullum iis damnum illatum est. — *Tertii* generis damna, qualia sunt, quæ creditoribus vel hæredibus non necessariis, ut fratribus, sororibus, etc., obveniunt, probabilius reparare non tenetur, etiamsi ea præviderit, dummodo ea directe non intenderit. Cfr. n. 692. 5° et S. Alph.[1]

[1] L. IV. 627 et H. A. Tr. X. 82. 83.

808. QUÆSITA. — Quær. 1° *An remaneat obligatio justitiæ in hæredibus, si homicida morte plectatur, quin damna reparaverit?*

Resp. Affirm. Pœna enim satisfacit justitiæ vindicativæ, non verò commutativæ. Hæredes igitur debita ex justitia commutativa solvere debent, nisi læsi non reclament; tunc enim hi juri suo cedere censentur.[2]

Quær. 2° *An ad restitutionem teneatur, qui alium occidit excedendo modum justæ defensionis, seu* MODERAMEN INCULPATÆ TUTELÆ?

Resp. Affirm., si deliberate excesserit, quia invasor jus habet, ne injuste occidatur: ergo occisor limites justæ defensionis scienter excedendo gravem committit injuriam. — Ita *communius*. S. Alph.,[3] cum Lugo,[4] contra nonnullos antiquiores apud eundem Lugo.[5]

Quær. 3° *An ad aliquid teneatur, qui alterum occidit in duello?*

Resp. Neg. probabilius, sive fuerit provocans, sive provocatus. *Scienti* enim *et volenti non fit injuria*, quando jus remitti potest; atqui etiam acceptans pugnam voluit et potuit damnum temporale remittere. Ergo . . . S. Alph.,[6] Lugo,[7] etc.

Alii dicunt ad restitutionem teneri quidem provocantem, si adversarium occiderit, non vero provocatum. — Alii autem utrumque obligant. Sed hæ sententiæ sat probabiles non apparent.

Quær. 4° *Ad quid teneantur qui dominium habent viarum ferrearum, et navium, quæ ope vaporis moventur, si, non servatis*

[1] L. IV. 681–684. 639. et H. A. Tr. X. 87.
[2] H. A. Tr. X. 90.
[3] L. IV. 637.
[4] D. 11. n. 50.
[5] Ib. n. 51.
[6] L. IV. 638.
[7] n. 66.

prudentiæ regulis, aliquis in iis occidatur aut vulneretur ?

Resp. Tenentur ad solvendum quantum judex æquo arbitrio solvendum decernit; et peccant ac ad restitutionem tenentur, si fraude, dolo, muneribus, prout sæpe fit, judicem inducunt, ut injustam ferat sententiam.

ARTICULUS II.

DE RESTITUTIONE PROPTER STUPRUM ET FORNICATIONEM.

Recole dicta de stupro et fornicatione in Sexto Decalogi præcepto.

809. PRINCIPIA. — I. Pro damno mere naturali, seu pro læsione integritatis corporalis et amissione virginitatis, nihil, *saltem probabilius*, restituendum est; quia damnum illud pecunia compensari nequit. — S. Alph.,[1] etc. Recole dicta supra, n. 715.

II. Etiam pro damno temporali, quod ex turpi consortio subsecutum sit, nihil, excepta prolis educatione, restitui debet, quando mulier sollicitationi consenserit; nam *scienti et volenti non fit injuria.*[2]

III. Si stuprator vi, fraude, dolo, minis puellam violaverit, tenetur reparare omnia damna ei vel ejus parentibus inde obvenientia; quia horum damnorum est causa efficax et injusta.[3] — *Jure* quidem *communi* pater litem intentare potest stupratori ob operam filiæ amissam; qua ratione pecuniam obtinet pro damni gravitate et puellæ conditione. Ipsa etiam puella legibus plerorumque Statuum actionem habet in stupratorem pro damno sibi illato.

810. QUÆSITA. — Quær. 1° *An violator teneatur ducere puellam violatam sub promissione matrimonii ?*

Resp. Sententia communis et juxta S. Alph.[4] omnino tenenda, *affirmat.* Ratio est, 1) quia aliter damnum adæquate reparari nequit; 2) quia contractus innominatus *Do, ut des*, etc., tunc perficitur, quando fit rei traditio seu operis præstatio, et tunc cessat ratio et vis legum, quæ pacta turpia irritant; neque enim obligatio, quæ tunc contrahitur ab altera parte, turpis est, aut ad rem turpem adigit. — Adverte tamen sequentia.

a) Si ista promissio causa motiva fuit consensus puellæ,

1° Obligat ex justitia, nisi ex alio capite invalida sit, v. g. quia ex matrimonio timendæ sunt consequentiæ pessimæ, etc.

2° Promissio ejusmodi ficta æquivalet veræ. Si tamen deceptio ista facile cognosci poterat, læsa decipi voluit, ideoque censenda est libere consensisse. Item valde probabiliter sufficit compensatio damni alio modo facta, si defloratoris conditio notabiliter excedat conditionem mulieris, et hæc disparitatem illam omnino ignoraverit.

3° Quando impedimentum matrimonium contrahendi subest et seductor expresse addidit pactum, se dispensationem obtenturum, standum est promissioni, nisi agatur de impedimento, in quo nunquam vel raro dispensari solet.

4° Idem valet in tali casu (saltem pro foro conscientiæ), etsi nullum pactum additum sit. Excipe, si fornicator impedimentum invincibiliter ignoravit et sine magno incommodo auferre nequit.

5° Remanet in hisce casibus, etiamsi matrimonium ex legitima causa non contrahatur, obligatio resarciendi damna. Excipe, si læsa vel nullitatem promissionis probabiliter prævidere potuerit vel promissionem aperte ob alium finem, quam ad damnum resarciendum, exegerit.

6° Si vero seductor paratus sit, promissioni stare, puella autem sine ratione sufficiente renuat, ad nihil ille tenetur; si autem solummodo parentes matrimonium impediant, probabilius damnum reparare debet, nisi exceptiones sub 5° expositæ eum liberent.

b) Si tandem promissio matrimonii non fuit causa motiva consensus puellæ, promissio, ut quævis alia gratuita promissio interpretanda erit.[1]

711. Quær. 2° *Quid si quis puellam acatholicam matrimonii promissione ad crimen induxit ?*

Resp. "Ad eam," inquit Kenrick,[2] "ducendam non videtur obligatus, quum matrimonia hujusmodi sint illicita, ob Ecclesiæ ea vetantis leges, et periculum

[1] L. IV. 640.
[2] L. IV. 641.
[3] L. IV. 641.
[4] L. IV. 642.

[1] L. IV. 642 – 650 et H. A. Tr. X. 93 – 98.
[2] Tr. X. 222.

prolis subversionis. Quod si fama ideo periclitetur puella alioquin honesta, quæ in conditionem de prole catholice instituenda consentiat, promissio implenda est, necessaria dispensatione impetrata."

Quær. 3° *An violator ad aliquid teneatur erga parentes virginis violatæ, si ipsa libere in peccatum consenserit?*

Resp. Neg. probabilius, quia nullum eorum jus strictum violatum fuit; nec impedire possunt filiam, quominus de jure suo quoad temporalia damna cedere possit. Excipe, si violator, violationem propalando, puellam infamaverit, quo casu ex justitia tenetur omne damnum ex infamatione proveniens puellæ et parentibus resarcire.[1]

Quær. 4° *Ad quid teneatur violator erga prolem spuriam?*

Resp. 1° Si matrem vi oppresserit, ad omnes expensas nutritionis et educationis tenetur. Ratio patet ex dictis. Attamen in ejus defectu mater curam filii suscipere debet, licet nullam culpam admiserit, *quia mater est.* Sed tunc recursum servat in corruptorem, qui omnes expensas, quas occasione prolis illa fecit, ipsi compensare tenetur.

Resp. 2° Si mulier in peccatum consenserit, jure nostro corruptor proli necessaria suppeditare tenetur ea mensura, quam vel magistratus vel judices plerumque definiunt, eum patrem habentes, quem mater jurata affirmat prolem genuisse.[2]

ARTICULUS III.

DE RESTITUTIONE PROPTER ADULTERIUM.

Obligationes utriusque adulteri spectandæ sunt juxta varias circumstantias, prout scilicet adulterium fuerit, nec ne, plene ex utraque parte voluntarium, ac familiæ damnosum, vel non.

812. PRINCIPIA. — I. Uterque adulter tenetur in solidum ad omnia damna familiæ reparanda, si ex utraque parte crimen voluntarium fuerit, quia totum utrique imputandum est. Hinc 1° restituendi sunt omnes sumptus, quos maritus in prole alenda et educanda sustinuerit; 2° si filius illegitimus cum legitimis jam hæreditatem acceperit, his pro rata compensatio facienda est.[1]

II. Adultera, si paraphernalia habeat, ex ipsis restituere debet marito et filiis læsis per donationes manuales, per contractum, testamentum, legata, etc. Si non habeat, diligentius familiam administret, parciorque sit in sumptibus privatis, ac laboret diligentius, in quantum status permittit.

III. Si adulter vi aut metu gravi consensum mulieris extorserit, solus ad totum damnum reparandum ex dictis supra n. 809. III. tenetur.

813. QUÆSITA. — Quær. 1° *An mulier crimen suum revelare teneatur, si alio modo damnum reparare nequeat?*

Resp. Neg. generatim loquendo. Ratio est, 1° quia communiter hæc revelatio sine magna infamia, et sæpe etiam sine periculo mortis, vel odii perpetui, aliorumve gravium malorum fieri nequit; 2° quia difficile damnum reparare etiam per id posset, præsertim cum filius, præterquam in casu, quo mater ut adultera in foro externo condemnaretur, huic fidem adhibere non teneatur. Excipe: 1) si mater sit perditæ famæ; 2) si se manifestando filio spurio verosimiliter speraret filium ei crediturum, bonisque cessurum, nec timeretur ulterius magna infamia aut vexatio matris; 3) si damnum vitare posset, manifestando se soli marito; at casus harum exceptionum, secundæ præsertim et tertiæ, rarissimi sunt, ne dicam metaphysici.[2]

814. — Quær. 2° *Quid in dubio, an proles sit mariti aut adulteri, vel ex hoc adultero potius, quam ex alio?*

Resp. ad 1^um^ *probabilius*, ad nihil tenentur adulteri, quia de damno non constat. — S. Alph.,[3] Lugo,[4] et *alii plures* contra alios, qui dicunt pro rata restituendum esse.

Resp. ad 2^um^ *Neg.* pariter juxta S. Alph.,[5] quia, ut ait, onus certum imponi non potest, ubi dubia est obligatio. Excipit nihilominus, si adulter secundus adverterit saltem implicite se incertitudinis illius causam fore. Item si adulteri ex communi consilio adulterium patraverint.

815. — Quær. 3° *An si adulteri, vel fornicatores opulenti prolem ad brephotro-*

[1] L. IV. 641.
[2] Kenr. Tr. VIII. 85.
[1] L. IV. 659.
[2] L. IV. 653. 654.
[3] L. IV. 657.
[4] D. 13. n. 17.
[5] L. IV. 658.

phium miserint, ad impensas resarciendas teneantur?

Resp. Controvertitur. Sententia S° Alph°.[1] *probabilior negat*, quia brephotrophia erecta sunt pro omnibus indiscriminatim infantibus, qui a parentibus abjiciuntur. Neque obstat, quod subsidia a Gubernio vel a Municipio pro istis parvulis præbeantur; quia hæc pro puerulis derelictis generatim tribuuntur, quin ad parentes attendatur. Insuper hujusmodi hospitia instituta sunt eo fine, ut infantes illegitimi liberentur a periculo mortis tum æternæ, tum temporalis, cui maxime exponerentur, nisi in piis illis locis exciperentur. Quot enim parentes impios et barbaros infamiæ metus adegit, sive ad abortum prolis suæ procurandum, sive ad necem ipsi inferendam? Porro filii divitum non minus ac filii pauperum tale periculum incurrunt.

Attamen conveniunt etiam patroni hujus sententiæ, in praxi enixe adhortandos esse genitores ad aliquid, saltem titulo pœnitentiæ, brephotrophio tribuendum.

CAPUT III.

DE RESTITUTIONE OB DAMNUM.

In bonis fortunæ in casibus particularibus, scilicet 1° quoad tributa; 2° quoad militiam.

ARTICULUS I.

DE TRIBUTIS.

816. *Definitio.* — Tributum est totum id, quod a legitima potestate imperante civibus solvendum imponitur ad sustinenda communia reipublicæ onera.

Divisio. — Hodie maxime obtinet illa tributorum divisio, per quam distinguuntur in *directa* et *indirecta*. Directa dicuntur, quæ personam vel ejus bona *immediate* afficiunt. Hujusmodi sunt tributa realia, quæ super agros et domos imponuntur, et quæ alicubi super personam, et vulgo personalia dicuntur, et quæ in aliquibus regionibus supra divitias mobiles statuuntur et alia hujusmodi.

[1] L. IV. 656.

Indirecta sunt, quæ cadunt *immediate* in quamdam actionem circa aliquas res, et *mediate* in personas, quæ circa illas res agunt actionem, quæ cadit sub lege tributum imponente, puta vendunt, emunt, consumunt, introducunt, etc., prout a lege taxatur emptio, venditio, consumptio, introductio, etc. Ad hæc revocantur, quæ solvenda sunt in aliquibus provinciis pro jure successionis, pro descriptione contractuum, etc.

817. — *Conditiones ad tributi justitiam requisitæ.* Tres communiter recensentur.

1° Ut procedat a legitima potestate, ab ea scilicet, quæ suprema est in republica; a Congressu nimirum supremo apud nos pro tota Confœderatione, at intra limites a Constitutione præfixos;[1] a Comitiis legislatoriis cujusque Status pro Statu respectivo, et, ex facultate a suprema cujusque Status potestate ipsis concessa, a collegiis Municipiorum et Comitatuum pro incolis Municipiorum et Comitatuum.

2° Ut statuatur ex justa causa, necessitatis scilicet vel utilitatis communis.

3° Ut debita proportione dividatur. Hæc autem requirit a) ut, quum causa tributi omnes æqualiter spectat, plus graventur qui ditiores sunt, et minus solvant qui minores habent facultates. Si vero causa non omnes æqualiter spectet, magis illi onerandi sunt, quos magis spectet; b) ut servetur etiam proportio ad res, super quas imponitur tributum. Nam si imponatur super rem immobilem, non debet excedere quantitatem moderatam, consideratis fructibus ejus et laboribus ac expensis, quæ circa rem illam fiunt. Si autem imponatur super res mobiles, quæ venduntur et emuntur vel arte fiunt, observari debet ne tales sint hujusmodi res, vel tantum sit tributum, ut redundet in majus onus pauperum, aut artificum, aut mercatorum, quam commode possint sustinere ad vitam et familiam sustentandam.

818. — *Obligatio legis tributorum in conscientia.* Leges quæ versantur circa tributa, generatim spectatæ, juxta sententiam, quam S. Alph.[2] vocat *communissimam* et *probabiliorem*, non sunt mere pœnales, sed in conscientia obligant. Deducitur: 1° ex verbis Christi.[3] *Reddite*

[1] Art. I. Sect. 8. 9. [2] L. IV. 615. 616.
[3] Matth. 22. 21.

quæ sunt Cæsaris, Cæsari. — Subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam; ideo enim et tributa præstatis. . . . Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.[1] 2° Patet etiam ex ratione; Princeps enim ad onera Reipublicæ ferenda tenetur: ergo a pari subditi tenentur ad media bono communi promovendo necessaria subministranda.

Non desunt tamen qui leges tributarias universim mere pœnales censent. Horum expositis rationibus, S. Alph.[2] ait: "An autem, propter has rationes, quæ cæterum non videntur contemnendæ, ipsa" (affirmativa sententia) "sit sufficienter probabilis, sapientioribus me remitto." Et in Hom. Apost.[3] concludit. "Hoc tamen non obstante, ego non omitto primam" (negantem) "sententiam suadere." —Præcipua autem eorum Doctorum ratio in consuetudine universali *taliter* legem accipiendi et interpretandi innititur, cui illud hodie accedit, quod supremi imperiorum moderatores nusquam ad conscientiam, imo nusquam ad religionem populos provocant, sed dum innumeros custodum, præpositorum, exactorum exercitus sibi conscribunt ad vectigalia aliaque tributa exigenda, omnino iis magis confidere videntur, quam subditorum conscientiæ. Cfr. dicta n. 178.

819. — *Praxis cum pœnitentibus quoad leges tributarias servanda.*

Utriusque sententiæ patroni fere conveniunt quoad hæc:

I. Non expedit, ut confessarius petat a pœnitentibus, qui in Confessione de tributis tacent, utrum alicujus defraudationis rei sint; ne forte iis, qui in bona fide sunt, malam fidem inutiliter injiciat.

II. Generaliter vero loquendo de omnibus vectigalibus, putat Lugo[4] monendos esse populos ad tributa solvenda, sed post factum non esse cogendos ad restitutionem tributi defraudati, si probabiliter sibi suadeant in tanta vectigalium multitudine se aliquid injustum solvisse, vel competenter contribuisse ad publicas necessitates." Ita S. Alph.,[5] Lugonis sententiam referens, quin verbulo aliquo eam reprobet.

[1] Rom. 13. 5. [2] L. IV. 616.
[3] Tr. X. 81. [4] D. 36. n. 43.
[5] L. IV. 616.

820. — III. Ad restituenda tributa non sunt urgendi.

1° Ii, a quibus non fuere petita, idque ex consuetudine legitime recepta, ultra quam leges non obligant. Unde vectigalia, quæ ad pontem, ad viam publicam solvuntur, non necessario præstari debent antequam petantur. Itaque si nullus sit exactor, qui vectigal petat, dum mercator seclusa omni fraude transit, contra justitiam nihil solvendo non peccat. Ita fere S. Alph.[1] refert Sanchezii sententiam, quin eam reprobet.

2° Ii, qui actionem, quæ sub tributo cadit, ponunt occulte, ita ut exactor præpositus non veniat in illius cognitionem, ut sic evadendo tributi petitionem et evadatur illius solutio; ut quum quis consulto merces occultat, quas invehit in regionem, et pro quibus esset solvendum vectigal, vel invehit per loca invia et importunis horis, aut occulte merces vendit, pro qua venditione pariter esset solvendum tributum. Ratio, quia si tributa ita sunt a republica recepta, ut non debeantur nisi petita, cur non poterit aliquis occultare se ne ab eo petantur? Ipsi exactores, vel quorum interest, vigilare debent, ne quis res suas v. g. vendat occulte: alii enim non tenentur facere ut sui contractus veniant ad notitiam publicanorum vel aliorum. Hanc sententiam tenent Molina cum aliis apud Lugo,[2] et alii viri docti apud Sanchez,[3] qui illam probabilem dicit, et illam refert S. Alph.[4]

3° Ii, qui interrogati ab exactoribus quas vehant merces aut vendiderint, etc., mentiuntur minus declarando quam res sit; quia quum posset publicanus summo rigore incedere rem verificando, si id non præstat, satis indicat quod tributa in casu summo rigore non petit, et quod contentum se habet declaratione facta, idque iterum probabile dicit Sanchez[5] et tenet Molina penes Lugo.

4° Ii, qui non solvunt tributa dubie tantum justa, sive dubium sit negativum (conjunctum tamen cum aliqua præsumptione de injustitia tributi), sive positivum. Ratio est quia Regulæ: "Superiori præcipienti in dubio parendum est," et "Lex

[1] L. IV. 616. [2] D. 36. n. 44.
[3] De Consc. L. II. cap. 4. dub. 10. n. 11. 12.
[4] L. IV. 616.
[5] Ib. n. 16

in dubio præsumitur justa," in re tributorum applicari nequeunt. Non *prior*, quia omnes DD. fatentur subditum in dubio non teneri ad obediendum, quando præceptum (in casu solvendi tributum) est nimis difficile, vel grave illi affert damnum. Non *posterior*, cum præsumptio militet contra leges tributarias; nam ut multi, iique gravissimi DD. dicunt, pauca sunt tributa, in quibus conditiones omnes ad eorum justitiam necessariæ de facto concurrunt.

5° Ii, qui sunt ita pauperes, ut, si tributa solverent, se et suos alere non possent, sive quia mediocre lucrum percipiunt ex negotiatione sua, sive quia numerosa gravantur prole, sive quia debitis onerati sunt, sive quia aliis necessitatibus præpediuntur. Postulat enim naturale jus, ut quis prius alat se et suos, quam tributa solvat. Cfr. S. Alph.[1]

6° Ii, qui vectigal non solvunt de rebus ad usum proprium et familiæ deservientibus.[2] — Adderem

7° Ii, qui adversus potestatem, tributa exigentem, justum habent compensationis titulum, et

8° Ii, qui vi immunitatis ecclesiasticæ, adhuc vigentis (n. 112), ad solvenda tributa non tenentur.

821. — IV. Damnandi sunt:

1° Ex communi DD. sententia, non solventes tributa *realia* super terras et agros imposita, dummodo tamen certo adsint conditiones ad justitiam tributi requisitæ. Tributum autem *reale* dicitur quod non imponitur ratione tantum personæ.

2° Qui se compensarent post sententiam judicis saltem definitivam, a qua appellari non possit, et quæ nullo valeat juris remedio infirmari.

3° Qui tributis exigendis præpositos, aut judices, ad quorum tribunal aliqua de tributis causa defertur, quocumque modo corrumpunt; peccant enim saltem ad horum peccatum cooperando.

4° Qui violenter resistunt ministris vectigalia exigentibus; hi enim peccant 1° contra obedientiam: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*[3] — 2° contra justitiam legalem; nam lex, quæ respicit tributa, etiamsi aliquando ut mere pœnalis haberetur, gubernatoribus tamen jus certum tribuit ad mulctam exigendam, si subditi in fraude deprehendantur.

5° Qui per fas et nefas defraudationem veluti commercium quoddam exercent, atque animo resistendi etiam armati diu noctuque vagantur; hujusmodi enim homines fiunt cives rebelles et societati perniciosissimi.

6° Nec indulgendum est iis, qui licet nunquam resistant, nec animum resistendi habeant, omni tamen studio et opera in artem defraudandi incumbunt, eamque veluti vitæ professionem habent; hi enim saltem fortunarum et etiam animæ periculis haud raro exponuntur. — Cfr. quæ diximus *Tr. de Juramento* n. 374. 9°.

822. QUÆSITA. — Quær. 4° *An peccent contra justitiam præpositi, quoties tributum non exigunt?*

Resp. Affirm., per se generatim, et quidem graviter in materia gravi. Ratio patet; siquidem se obligarunt ad rite invigilandum, et ad tributa diligenter exigenda. Quare, si officio suo desint, ad restitutionem tenentur erga Principem, vel Rempublicam. — Ita *communiter*.

Dixi: *generatim*, quia juxta plures præpositi vectigalibus exigendis non semper damnandi sunt, quando subinde benignius agunt in re levi, præcipue cum pauperibus, vel etiam cum iis, qui alias diligenter solvunt, aut res deferunt ad proprium usum.

Quær. 2° *An iidem præpositi teneantur etiam de mulctis, quas infligere debuissent non solventibus tributum, vel de mercium ipsarum valore, si aliquando illæ in commissum incidere debuissent, præcipue quando talem pœnam per se absque alio processu potuissent infligere gabellarii et culpabiliter non fecerunt?*

Resp. Affirmant probabiliter non pauci, quia, aiunt, isti custodes in casu vere sunt causa damni, quod inde sentit ille, qui jus habebat ad illud lucrum, quod per pœnam decernebatur; illud enim illorum culpa non percipit.

Negat tamen communior sententia, quia isti custodes solum tenentur vi officii vectigalia recipere, et invigilare ne hæc fraudentur, non vero mulctas infligere illa fraudantibus. Istas igitur restituere non tenentur, etsi eorum negligentia non solvantur, quia contra justitiam in hoc cus-

[1] L. IV. 616 in fine.
[2] Ib. Quær. IV.
[3] Ad Rom. 13. 2.

todes non peccant. La Croix,[1] Lugo,[2] Gousset.[3] Quod etiam valet pro casu, quo ipsi custodes possent ex se mulctas infligere; nam etiam pro hoc casu videntur militare rationes adductæ, et, dissimulando vel connivendo cum fraudatoribus, prout argumentatur Lugo, l. c., videntur solummodo supra se assumere illud damnum, quod alii inferunt, et constituere se quasi auctores illius damni; non ergo tenebuntur ad majorem restitutionem, quam si ipsi soli fuissent revera auctores illius damni.

823. — **Quær.** 3° *An primo loco teneantur restituere præpositi, qui fraudationi consentiunt, an vero ipsi fraudantes qui præpositos corrumpunt?*

Resp. In strictiori sententia circa tributi solutionem in conscientia, ad quæstionem videtur facilis responsio, et dicendum custodes teneri restituere solum secundo loco, et nonnisi post eos, qui ipsos custodes induxerunt ad fraudationem tributi permittendam. At in sententia minus stricta primo loco teneri videntur.

Quær. 4° *Cuinam debeat fieri restitutio, si quando facienda sit ratione tributi defraudati?*

Resp. Parti læsæ; ergo vel 1° Fœderatis Statibus, Statui particulari, Municipio, Comitatui, modo quo diximus n. 795. q. 6°; vel 2°, si his ex aliqua causa fieri tuto nequeat, ad pias causas; vel 3° tributorum conductoribus, si agatur de vectigalibus, quæ Status, Municipium, Comitatus locavit.

ARTICULUS II.

DE DAMNO OCCASIONE MILITIÆ ILLATO.

824. PRINCIPIA. — I. Ad nihil tenentur milites ratione damni per actionem communem illati, nisi ipsis de injustitia belli constet, quia non sunt damnificatores *formaliter* injusti. — Recole dicta *Quinto præc. Decalogi*, n. 480. q. 2° et seq.

II. Milites autem in bello *evidenter injusto* tenentur de damnis omnibus, quæ per actionem privatam intulerunt; et tenentur singuli pro rata de damnis a toto exercitu illatis, nisi forte ex gravi metu ad belligerandum coacti fuerint. — Vide supra de injusto damnificatore n. 746 et seq. et de participante n. 772. III.

III. Duces autem seu Principes tenentur primario et in solidum de toto damno per exercitum illato, quia sunt vere mandantes; vel, si damnum non imperarunt, illud tamen ex officio impedire tenebantur.

825. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An singuli milites in aliorum defectu teneantur in solidum de toto damno ab exercitu illato?*

Resp. Neg. probabilius; quia singuli non totius damni causa sunt, sed partis tantum. Cæterum in praxi ex impotentia absoluta forent excusandi. — Lugo cum aliis.

Quær. 2° *Ad quid teneantur milites conscripti desertores?*

Resp. 1° Ex obedientia seu ex justitia legali tenentur ad castra redire. — Ita *communiter.*

Excipe 1° si grave salutis periculum offenderent, v. g. si media confitendi non suppeterent, etc., ut aliquibus in locis evenire potest; 2° si redeuntes morte, aliisve gravissimis pœnis plectendi forent; 3° si bellum sit evidenter injustum.

Resp. 2° Certo autem ad nullam restitutionem tenentur desertores, ubi, quemadmodum in ultimo bello nostro, lex alios ipsorum loco non requirit: quia nullo modo justitiam commutativam lædunt, cum nulli alteri damnum inferant.

826. — **Quær.** 3° *Ad quid teneantur, qui se locaverunt pro aliis, et deinde militiam deseruerunt?*

Resp. Per se tenentur pretium acceptum restituere illi, a quo acceperunt, quia ipsis deest ratio retinendi pecuniam, quæ non nisi propter militiæ onus erogatur. — Attamen hoc videtur valere tantum, ubi ille, qui militem loco suî conduxit, periculo militiam subeundi exponitur. Periculum autem illud in ultimo bello apud nos non suberat. Ergo restituere debent ad causas pias.

827. — **Quær.** 4° *Ad quid teneantur sorte designati ad militiam, qui ab hac se subtrahunt, vel exemptionem sine veris causis obtinent?*

Resp. 1° Qui magistratus vel medicos corrumpunt, ut ab eis invalidi declarentur, ad restitutionem, tamquam cooperatores, certo tenentur. — Ita *omnes.*

[1] Lib. III. p. 2. n. 48.
[2] D. 37. n. 102.
[3] n. 1000.

Resp. 2° Item juxta communiorem sententiam, qui mendaciis, fraudibus aut prævia mutilatione magistratus decipiunt, casu tamen quo lex alios ipsorum loco *immediate* (quod in ultimo bello apud nos non obtinebat) requirit. Ratio est, quia postquam sors, prouti leges statuunt, definivit, quinam militiæ onus subire debeant, quinam vero eo eximantur, postulant sane justitiæ jura, ne militiæ jam adsignati iniquis mediis utantur ad onus excutiendum, quod in exemptos recidat necesse est. — Ita Bouvier,[1] Gousset,[2] Collat., Andeg., etc.

Negant tamen alii *plures*, quorum sententia sat probabilis apparet. Ratio horum est, quia hi conscripti non sunt causa efficax, cur alii requirantur; deceptio enim neque *physice*, neque *moraliter* incitat magistratus ad alios inscribendos. Nec sunt etiam causa injusta, siquidem non constat, alios jus strictum habere, ut sorte designati in militiam proficiscantur. Igitur, licet peccent contra justitiam legalem seu obedientiam legi debitam, non tamen peccant contra justitiam commutativam, nec proinde ad restitutionem tenentur. Utramque opinionem, ut æque probabilem, admittit Lyonnet. Nec desunt, qui hanc legem justitiæ distributivæ adversari existiment, cum solæ familiæ, juvenes militiæ idoneos habentes, tantum onus subeant.

Quidquid sit, in praxi sapientissimum erit, etiam in prima sententia non valde urgere juvenes, qui prædictis mediis a militia sese liberarunt. Plerique enim nequaquam committi injustitiam putant, et alioquin raro monitis obtemperarent. — Ita Auctores citati.

[1] De Restit. q. 2. a. 2. [2] n. 1002.

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

Agendum 1° de contractibus in genere; 2° de contractibus in specie.

PARS PRIMA.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

828. *Definitio.* — Contractus est conventio, per quam unus aut plures se obligant erga unum aut plures alios ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

Divisio. — Contractus præcipue distinguitur 1° *unilateralis* (*unilateral*), vel *bilateralis* (*bilateral*). Prior fit, cum unus aut plures se obligant erga unum aut plures non obligatos, ut in contractu gratuitæ promissionis. Posterior habetur, quando unus aut plures se obligant erga unum aut plures pariter obligatos, ut in permutationibus. Contractus bilateralis dicitur etiam synallagmaticus ex verbis græcis *σύν*, cum, et *ἀλλάσσω*, permuto.

2° Gratuitus seu beneficentiæ, qui et *imperfectus*, vel *onerosus*, qui et *perfectus* audit. Contractus dicitur gratuitus, si quis ex contrahentibus alteri aliquid tribuat, nihil ab eo ex obligatione exigens. Onerosus autem dicitur, si quilibet contrahentium ad aliquid alteri præstandum se obliget, ut in contractu venditionis. Hæc divisio in præcedentem recidit. Contractus enim gratuitus est unilateralis, et onerosus bilateralis.

Contractus vero onerosus iterum subdividitur in commutativum et aleatorium. Est *commutativus*, si unus contrahens det rem in una specie, et alter det rem æquivalentem aut diversæ speciei. Est *aleatorius* (*contingent*), si unus det rem, alter vero contrahens det non rem, sed spem probabilem rei alicujus adipiscendæ: quæ spes, cum falli possit, efficit ut contractus hujusmodi aleæ similitudinem præ se ferat.

3° *Solemnis* (*contract by deed* or *specialty*) vel *simplex* (*simple contract*) prout requirit speciales legis formalitates, vel non. *Simplex* subdividitur in *scriptum* (*written*), et *verbalem* (*verbal.*)

4° *Nominatus* vel *innominatus* prout nomen proprium habet, sicut, v. g. *venditio*, aut proprio nomine caret, v. g. *do ut des*, *facio ut facias*, etc.

5° *Nudus* aut *vestitus*. Contractus *nudus* dicitur, ex quo in foro externo non datur actio. Talis Jure Communi est omnis contractus, qui æqua consideratione non nititur.[1] Contractus *vestitus* est, qui præter conscientiæ obligationem parit in foro civili actionem, eo quod habeat aliquod juris firmamentum. Firmamenta juris sunt scriptura, stipulatio, testes, juramentum, conjunctio contractus innominati cum nominato.

6° *Formalis* seu *expressus* (*express*) aut *virtualis* seu *tacitus* (*implied*). Prior ille est, qui fit verbis, scriptis, aliisve signis consensum explicite manifestantibus; posterior vero est, cujus consensus in rem conventam existit quidem realiter, sed implicite tantum, aliquo dicto vel facto, manifestatur. Sic medicus artem suam exercens promittere censetur, se facturum id esse, quod ejus professio requirit. Contractus iste communiter etiam *quasi-contractus* nuncupatur.

7° *Realis*, qui in sua specie non perficitur, nisi per traditionem rei, de qua convenitur, qualis est pignus, commodatum, depositum, etc., et *consensualis*, qui solo contrahentium consensu rite exhibito completur, qualis est locatio.

8° *Purus* aut *non purus*. *Purus* voca-

[1] Kent, Vol. II. n. 464.

tur, quando simplex est et nullo adjuncto oneratus : *non purus*, quando habet aliquid adjunctum.

9° *Bonæ fidei* et *stricti juris*. *Bonæ fidei* ille est, in quo judex multa ex æquo et bono potest moderari, quæ scilicet contractui secundum bonam fidem inesse censentur : tales sunt emptio, locatio, conductio, negotiorum gestio, mandatum, depositum, pignus, societas. *Stricti juris* est ille, in quo ad verba contrahentium judex omnino adstringitur, ita tamen ut intentioni eorum manifestæ inserviant : tales sunt census, feudum, emphyteusis, testamentum, mutuum, stipulatio, donatio, et promissio liberalis. In foro conscientiæ æquitas præcipue spectatur. Jure Americano contractus omnes in utraque curia, legis scilicet (*at law*) et æquitatis (*of equity or chancery*), iisdem regulis explicantur.

10° In *actione* (*in action or executory*), si postea executioni mandandus sit ; vel in *possessione* (*in possession* or *executed*), si jam executioni mandetur. "If, for instance, one person sells and delivers goods to another for a price paid, the agreement is *executed*, and becomes complete and absolute ; but if the vendor agrees to sell and deliver at a future time, and for a stipulated price, and the other party agrees to accept and pay, the contract is *executory* and rests *in action* merely." [1]

829. — In omni contractu tria sunt distinguenda, scilicet essentia, natura et accidentalia. 1° Ad *essentiam* pertinent ea, sine quibus contractus existere nequit. Sic v. g. in contractu venditionis tria dantur essentialia, nempe, *res*, *pretium*, et *consensus*. Uno deficiente, nullus est contractus. Si loco pretii v. g. res alia detur, jam non erit contractus *venditionis*, sed *permutationis*. 2° Ad *naturam* vero spectant ea, quæ, licet non expressa, ex lege tamen, vel consuetudine, vel æquitate in contractu comprehensa intelliguntur, quamvis essentialia non sint, v. g. rei venditæ præstita ab evictione securitas, quæ a contrahentibus excludi posset, quin invalida foret venditio. Conditione vero non expressa, venditor rei venditæ securitatem præstare debet. 3° *Accidentalia* vero dicuntur ea, quæ contractui speciali conventione adjungi possunt, quin lege, aut rei natura censeantur adjecta : v. g. talis pretii dilatio, aut alia hujusmodi. — Bouvier, etc.

[1] Kent, Vol. II. n. 450.

Hisce præmissis tractandum occurrit 1° *de requisitis ad contrahendum ;* 2° *de obligatione contractus ;* 3° *de modificationibus contractuum.*

CAPUT I.

DE REQUISITIS AD CONTRAHENDUM.

Tria requiruntur : 1° materia apta ; 2° subjectum capax ; 3° consensus legitimus.

ARTICULUS I.

DE MATERIA CONTRACTUS.

830. — Materia contractus generatim sunt res et facta, seu ea omnia, quæ sub hominis dominium cadere possunt, et de quibus contrahentes liberam administrationem habeant.

Materia contractus hisce conditionibus gaudere debet, scilicet, debet esse possibilis, existens, honesta, propria contrahentis, certa, pretio æstimabilis.

1° *Possibilis*, tum physice, tum moraliter ; quia ad impossibile nemo obligari potest. Nemo igitur obligari potest ad fortuitos casus vitandos, cum id impossibile sit. Proinde si quis eos in se suscipiat, tantum se obligat ad reparanda damna ex eis provenientia.

2° *Existens*, vel in re, vel saltem in spe certa, seu probabili exstitura ; secus nullum jus in illam haberi posset, utpote quæ nullo foret pretio æstimabilis.

3° *Honesta* et *licita in se*, id est nullo jure prohibita ; quia ad rem inhonestam et prohibitam nulla dari potest obligatio. Ad contractus autem validitatem satis est, ut materia sit *substantialiter honesta ;* contractus enim validus esse potest, licet ob aliquam accidentalem circumstantiam illicitus sit.

4° *Propria contrahentis ;* nemo enim potest in alium transferre jus, quod ipse non habet. Hinc invalida est venditio rei alienæ, saltem quoad rei — licet non semper quoad pretii — translationem.

5° *Certa* et *determinata*, sive in individuo, sive in quantitate et qualitate; secus enim illusorius foret contractus, ut si cui promitterem e. g. animal quodcumque, vel frumentum in genere; promissioni enim satisfacerem dando culicem vel unum frumenti granum; quod foret absurdum.

831. QUÆSITA. — Quær. 1° *An possis pretium accipere pro actione tua ex justitia alicui jam debita, si eadem actio alteri prodesse possit, illæso jure prioris, cui debetur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia non lædis jus prioris, quocum contraxeras, et posteriori te utilem præstas. Sic v. g. si *Titius* te conduxerit, ut pergas ad certum locum negotii alicujus pertractandi gratia, potes etiam a *Petro* conduci ad iter illud peragendum pro tractando novo negotio, modo posterius mandatum priori non noceat.

Quær. 2° *An pretium accipi possit pro re debita, non quidem ex justitia, sed ex alia virtute, v. g. si accipias pecuniam ad jejunandum tempore Quadragesimæ?*

Resp. Affirm., saltem *probabilius*, quia illud ex mera liberalitate datur, et donum mere gratuitum censetur.[1] Supponitur tamen, actionem vel rem, ad quam donatarius tenetur, esse pretio æstimabilem; secus enim invalidus foret contractus. Hinc ad restitutionem teneretur, qui pecuniam exigeret ad viam homini transeunti ostendendam, quando absque ullo labore aut temporis jactura ostendere eam possit; quippe actio ista non est pretio æstimabilis.

Quær. 3° *An valeat contractus, si materia sit ex parte tantum possibilis?*

Resp. Affirm., si res sit divisibilis in se, et divisibiliter de ea contractum sit; secus, si sit indivisibilis vel indivisibiliter de ea conventum fuerit. Hinc v. g. si emeris 100 mensuras tritici, ita ut contractus non sit perfectus nisi re tradita, et 50 pereant, contractus pro reliquis 50 adhuc tenet. Si vero horologium manuale promiseris, et rescias, te jus tantum partiale in illud habere, promissio tua nulla erit.

832. — Quær. 4° *An res mere spiritualis possit esse objectum contractus sive gratuiti, sive onerosi?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.* Nihil enim obstat jus naturæ, cum hujusmodi conventiones nihil inordinati habeant; sed neque jus divinum, cum Deus permiserit, imo præceperit rerum spiritualium gratuitam communicationem: sic ex obligatione fidelitatis promittere potes orationes, Missas, Reliquias, etc.

Resp. ad 2^um^, 1° *Affirm.*, si res spiritualis sit ex utraque parte et nulla obstet Ecclesiæ prohibitio, quia tunc nulla simonia in permutatione adesse potest, siquidem nulla est comparatio rei spiritualis cum temporali.

2° *Neg.* autem, si res mere spiritualis sit ex una parte, temporalis vero ex altera; quia nulla comparatio inter spirituale et temporale dari potest, ut constat ex dictis de Simonia, n. 352 et seq.

833. — Quær. 5° *An materia contractus onerosi esse possit res temporalis spirituali adnexa?*

Resp. 1° *Affirm.*, si adnexa sit *antecedenter*, seclusa Ecclesiæ prohibitione in casibus particularibus, modo tamen pretium propter spirituale adnexum non augeatur. — Vide dicta de Simonia ibid.

Resp. 2° *Neg.*, si adnexa sit consequenter, saltem ex Jure ecclesiastico. Hæc autem quæstio præcipue beneficia respicit.

Resp. 3° Si vero adnexa sit *concomitanter, disting.*: 1° *Neg.*, si adnexa sit *intrinsece* et necessario, quia tunc res temporalis nullum habet valorem independenter a re sacra, ut est labor sacerdotis in celebrando, absolvendo, etc. — 2° *Affirm.* vero, si adnexa sit *extrinsece*, ut dictum est de Simonia, ibid.

834. — Quær. 6° *An semper restituenda sit res ex turpi contractu accepta?*

Resp. 1° Ante positionem operis turpis, *affirm.*; quia dominium rei hujus non fuit valide translatum. — Ita *omnes*.

Resp. 2° Post operis positionem *controvertitur*. Duplex datur sententia probabilis.

I^a^ SENTENTIA *communis* et S° Alph° [1] *probabilior* dicit, pretium posse accipi et retineri, imo et dari ex justitia debere. Ratio est, 1° quia ibi intervenit duplex contractus, unus *absolutus*, nempe de opere turpi pro pretio ponendo, et hic irritus est; alter *conditionatus* de tradendo pretio, si opus turpe positum fue-

[1] L. IV. 713.

[1] L. IV. 712.

rit, et hic, impleta conditione, fit validus. Etenim, posito opere, jam insurgit contractus: *do ut des*, cujus natura exigit, ut semper, quoties unus contrahens præstitit partem suam, teneatur alter suam implere, si licite possit; 2° quia licet actio turpis, quatenus illicita, nullo pretio digna sit, pretium tamen, quatenus laboriosa, ignominiosa, periculosa agenti, vel utilis alteri, habet. — Lacroix, Lugo, Lessius.

II^a^ Sententia etiam *probabilis* negat, quia contractus, invalidus ante operis positionem, per hanc validari nequit. Hinc Regula Juris 18 in 6°: *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Ergo, etc. . . . Cæterum Jure Communi non datur actio ex contractu sive turpi, sive contra leges.[1]

Quær. 7° *Utrum, si vir aliquid mulieri ad eam seducendam donaverit, hæc, denegato consensu, rem retinere possit?*

Resp. Affirm., quia nullum intercessit pactum de peccato patrando, et proinde donatio omnino liberalis habenda est, cum mulier nihil prorsus ex sua parte promiserit.[2] Difficile tamen accipiens excusabitur a peccato scandali ac contra caritatem, si novit quo animo fiat donatio.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO CONTRACTUS.

835. — I. De jure naturali contrahere possunt ii omnes et soli, qui liberum rationis usum habent, quia isti soli dominium bonorum suorum transferre, et obligationes suscipere possunt. Hinc contrahere nequeunt 1° infantes usu rationis necdum pollentes; 2° amentes et furiosi; 3° perfecte ebrii.

II. De jure positivo, præter usum rationis et voluntatem liberam contrahendi, quæ de jure naturali exiguntur, requiritur etiam, ut contrahens liberam habeat bonorum dispositionem, nec lege incapax contractus faciendi declaretur. Inhabiles autem sunt ad contrahendum, saltem *in multis*, aut *firmiter* 1° minores; 2° uxores; 3° mortui civiliter; 4° interdicti; 5° alienigenæ. Pauca de singulis.

[1] Kent, Vol. II. n. 466.
[2] L. IV. 712.

§ I. *De minoribus.*

836. — *Minores* (*minors, infants*) appellantur, qui ætatem lege præfixam non attigerunt, ut, seclusa patris aut tutoris vel curatoris auctoritate, *civiliter* agere valeant. Jure apud nos vigente quicumque vigesimum primum annum complevit major habetur. Multis in Statibus fœminæ 18, alicubi 16 annos natæ majores sunt. Quisque consulat Status sui leges.

Minores alii non sunt emancipati, alii vero emancipati. Priores simpliciter auctoritati patris, vel tutoris subjiciuntur. Posteriores autem ii sunt, qui a prædicta auctoritate per beneficium emancipationis liberati sunt; liberantur autem vel facto patris minorem per aliquot annos administrare et contrahere permittentis, vel sententia judicis.[1]

837. — In plerisque, ne dicam in omnibus Statibus nostris præcipua legum civilium circa minorum contractus statuta hæc fere sunt.

1° "No minor can bind him or her self by contract for anything except *necessaries*, — such as food, clothing, or education, and for which the parent had failed to provide. If he or she contracts for other than necessaries, on attaining his or her majority, the contract is voidable at his or her option."

2° "Every contract made by a minor which is to his or her injury, is void; but a contract which is clearly to his or her benefit, is good; and any contract that is uncertain, whether injurious or beneficial, is voidable or not, as he or she may choose."

3° "If a minor be coaxed, cajoled, or forced into an unwilling contract, he or she may repudiate the same on becoming of age."

4° "If a minor obtain goods on the pretence that he or she is of age, and then refuse payment on the ground that he or she is or was not then of age, the creditor cannot recover the value of the goods, but he can have the minor so guilty punished for fraud."

5° "When a minor executes a contract, and pays money, or delivers property on the same, he cannot afterward

[1] Kent, Vol. II. n. 193. 194: note 1.

disaffirm such contract and recover the money or property, unless he restores to the other party the consideration received from him for such money or property." [1]

6° A minor emancipated cannot contract beyond the limits of his emancipation.

838. — Tutorum (*guardians*) ad minores relationem his fere explicat Kent.[2]

1° "He cannot act for his own benefit in any contract, or purchase, or sale, as to the subject of the trust."

2° "The guardian of the estate has no further concern with or control over the real estate than what relates to the leasing of it, and the reception of the rents and profits, and it is his duty to place the ward's land upon lease. . . . If he neglects to put the ward's money at interest, but negligently, and for an unreasonable time, suffers it to lie idle, or mingles it with his own, the court will charge him with simple interest, and, in cases of gross delinquency, with compound interest. . . . Every guardian . . . is bound to keep safely the real and personal estate of his ward, and to account for the personal estate, and the issues and profits of the real estate; and if he makes or suffers any waste, sale, or destruction of the inheritance, he is liable to be removed, and to answer in treble damages."

3° "He cannot sell without the authority of the Court of Chancery. He may sell the personal estate for the purposes of the trust, without a previous order of the court. . . . The power resides in the Court of Chancery to change the property of infants from real into personal, and from personal into real, whenever it appears to be manifestly for the infant's benefit."

839. *Resolves.* — 1° Minor tuta conscientia uti potest beneficio legis, secluso casu malæ fidei, cum lex in ejus favorem lata sit. Utrum vero possit rescissionem postulare, ut eximatur a restitutione *pecuniæ*, quam mutuo accepit et dilapidavit, licet nullum lucrum inde reportaverit, *disputatur;* S° Alph° [3] *probabilior* est sententia affirmans in casibus, in quibus id a lege civili minori conceditur (v. supra n. 837). Neque enim potestas humana facultate caret dominia ob bonum commune transferendi.

2° Qui contraxit cum minore, contractui stare potest, donec nullitas a *minore*, vel ab ejus patre aut tutore invocetur. Sufficit tamen postulatio privata, ut ad rescissionem teneatur, quando læsio omnino aperta est.

3° Minor solus tum per seipsum, tum per alios, a quibus repræsentatur, rescissionem contractus postulare potest; unde ii, qui cum ipso contraxerunt, ejus *incapacitatem* opponere nequeunt.

4° Minor non potest amplius actum in minoritate peractum impugnare, quando illum jam major factus ratum habuit; quia plene habilis erat ad contrahendum, quando actum ratum habuit.

§ II. *De uxoribus.*

840. — Jure nostro uxor contrahere potest:

1° Circa bona, quorum *perfectum* (v. n. 605. sq.) habet dominium. Marito tamen suo ea, Jure Communi, tradere nequit, nisi a) instrumento scripto liberum suum consensum testata, et b) viro non præsente de eo interrogata.[1]

2° Quoad ea, quæ ad suam conditionem et decentem sustentationem necessaria sunt, excepto tamen casu, quo sive cum adultero, sive aliter absque gravi causa e domo mariti sponte discesserit.

3° Ubi, quemadmodum id ei in quibusdam Statibus permittitur, commercio publico et separato vacat.

841. *Resolves.* — 1° Si uxor contrahat sine consensu mariti cum læsione jurium vel bonorum ejusdem, irritus omnino est contractus. Sed uxor malæ fidei, licet in eo casu maritum obligare non possit, tenetur tamen damnum alteri illatum reparare.

2° Nullitas contractus uxoris a viro invocari potest in conscientia, etiamsi læsionem proprie dictam non passus fuerit, quia nullitas præcipue in ejus gratiam sancita est.

3° Nullitatem contractus etiam uxor ipsa invocare potest, ut videtur, quamvis lex præcise ipsi favere non intendat; quia

[1] Wells, p. 240. 241.
[2] Vol. II. n. 228–231.
[3] L. IV. 757.

[1] Kent, Vol. II. n. 166. 167.

non videtur sufficiens motivum eam a beneficio legis excludendi, modo alteram partem non deceperit. — Sed reddere debet id omne, in quo ditior evaserit, et res restitui debent in eumdem statum ac erant ante contractum, modo ipsa læsa et decepta non fuerit. Sæpius autem ratione doli a beneficio legis excludenda est.

4° Uxor, quæ ab alio pecuniam mutuam petit pro marito, se obligans ad eam restituendam in mariti defectu, restituere tenetur, si vir restitutionem facere non possit, aut nolit : fuit enim causa absolute determinans contractûs. Ergo obligationem libere susceptam adimplere debet, præsertim viro defuncto ; secus malæ fidei evaderet. *A fortiori* uxor restituere debet pecuniam a se in propriam utilitatem, inscio marito, mutuatam. Sic enim clamat naturalis æquitas.

§ III. *De civiliter mortuis.*

842. — Rarissimus apud nos est casus, cum mors civilis (*outlawry*) ex solo crimine læsæ majestatis (*high-treason*) existat.

§ IV. *De interdictis.*

843. — Interdicti sunt illi, qui judicis sententia incapaces declarantur actus civiles exercendi ob statum imbecillitatis, aut dementiæ, aut furoris. Cessat interdictio, cessante causa ; cujus cessatio certis testimoniis constare debet.

Nullitas porro contractuum initorum ab interdictis opponi quidem ab ipsis potest aut ab agentibus illorum causam, non vero ab iis, qui cum illis contraxerunt, sicut de minoribus dictum est. Ei tamen, qui amenti merces vendit, quin norit amentiam, tribunalia favent. — Nonnunquam ebriosis tollitur facultas contrahendi, et tota bonorum suorum administratio alteri committitur.[1]

§ V. *De alienigenis.*

844. — I. Alienigena (*alien*) est, qui caret jure civis Fœderatorum Statuum. Civis autem est qui *vel* natus est in Fœd. Statibus, *vel* triennio ante suam majoritatem, *vel* ante annum 1812 domicilium hic habuit et deinceps habere perrexit, *vel* ea præstitit quæ lege requiruntur ut jure civis (*naturalization*) gaudeat (v. Wells [1]), itemque hujus filii minores eo tempore hic residentes.

II. Alienigenæ habentur ut cives,

1° Quoad ea, quæ commercium spectant (*for commercial purposes*).[2]

2° Quoad contractus circa mobilia.[3]

3° Intra quinquennium, quod proxime præcedit ejus admissionem ad jus civitatis, quoad *usum necessarium* immobilium.[4]

III. Alienigenæ, acquirentes dominium immobilium, periculo exponuntur, ne vel ipsi, vel hæredes sui iis priventur. Mitius tamen circa eos hodiedum disponunt passim leges.[5]

ARTICULUS III.

DE CONSENSU REQUISITO.

1° ejus dotes ; 2° vitia opposita.

§ I. *De dotibus legitimi consensus.*

845. — Consensus esse debet externus, internus, mutuus, liber et deliberatus.

1° *Externus*, id est manifestatus, quia comparti patefieri debet ; nequit autem alteri parti patefieri, nisi aliquo signo visibili exterius prodeat.

2° *Internus*, quia obligatio contractus oritur a sola contrahentis voluntate. — Ita *communiter*.

3° *Mutuus*, quia contractus est conventio duorum vel plurium ; hinc, si sit *onerosus*, requiritur ex utraque parte cessio et acceptatio. Si *gratuitus* sit, requiritur cessio ex una parte et acceptatio ex altera.

4° *Liber* et *deliberatus*, ita ut contrahens non solum sit suî compos, sed etiam agat cum ea deliberatione, quæ ad peccatum grave requiritur ; secus enim voluntas esset imperfecta, atque adeo imperfectus actus, qui perfectam obligationem parere non posset.

[1] Kenr. Tr. XI. n. 6.

[1] p. 116.
[2] Kent. Vol. II. n. 49. 50.
[3] Ib. n. 62. 63.
[4] Ib. n. 62.
[5] Ib. n. 54 – 56. 61.

846. Quæsita. — Quær. 1° *An valeat contractus initus sine animo se obligandi, vel sine animo illum implendi ?*

Resp. ad 1^um^ *Probabilius* non valet, quia conditio apposita est contraria substantiæ contractus.[1]

Resp. ad 2^um^ Valet contractus. Ratio est, quia potest consistere voluntas non implendi cum voluntate se obligandi.[2]

Quær. 2° *An consensus utriusque partis simul elici debeat ?*

Resp. Neg., quia consensus unius semel datus, nec revocatus, moraliter perseverat, ita ut, accedente alterius consensu, statim perficiatur contractus.

847. *Resolves* — 1° Qui ficte in contractum consentit, tenetur in conscientiæ foro partem deceptam indemnem facere, et, si aliud non suppetat medium reparandi injuriam, consensum internum præbere et contractui stare.[3]

Quod si contractus ficte initus executioni fuerit mandatus, nullum dominium reipsa translatum est. Unde, ratione rei acceptæ, deceptus habendus est tanquam possessor bonæ fidei, deceptor autem tanquam possessor malæ fidei.

2° Si offeram tibi domum $ 100 venalem, et tu acceptes, contractus perficitur, non quando interne consentis, sed quando tua acceptatio mihi per aliquod signum externe prodit. Consensus autem meus est tibi sufficienter intimatus per hoc quod tibi domum meam pro pretio statuto offeram.

3° Si mecum contrahas per procuratorem, contractus perficitur, quando tuus procurator acceptat, licet tu necdum acceptaveris, quia acceptatio tui procuratoris moraliter tua est.

4° Taciturnitas regulariter reputatur pro consensu, si materia sit favorabilis tacenti. Hinc Regula Juris 43 in 6° : *Qui tacet, consentire videtur.*

5° Si *Paulus* dicat coram *Joanne :* Do $ 100 *Petro ;* et si *Joannes* injussus *Petro* id referat, et hic dicat : *Accepto ; Paulus* non censetur obligatus ; quia intimatio promissionis non fuit facta *Petro* de mandato *Pauli*, qui cæteroquin per relata verba nihil aliud ostendit nisi merum dandi propositum.

[1] L. IV. 710.
[2] Ib. et n. 172. III.
[3] II. A. Tr. X. 93.

§ II. *De vitiis consensui oppositis.*

Præcipua sunt error, dolus, vis et metus.

Punctum I. De errore et dolo.

848. — Error in contractibus versari potest 1° circa substantiam rei, ut si emas cuprum pro auro ; 2° circa naturam seu speciem contractus, v. g. si sumas locationem pro venditione ; 3° circa qualitatem seu accidentia rei, puta si equus sit tardus, dum reputatur velox ; 4° circa personam, v. g. si quis daret *Petro*, volens dare *Paulo ;* 5° circa motivum, v. g. si quid dares *Caio* ob paupertatem vel pietatem, dum dives est, vel impius.

Error tamen circa qualitatem, licet *accidentalem*, potest esse *causa* contractus.

849. Principia. — I. Omnis error circa rei *substantiam* aut contractus *naturam*, contractum nullum reddit. Ratio est, quia tunc nullus est consensus, qui rem omnino diversam respicit.[1]

II. Error circa *solam qualitatem* non invalidat per se contractum, saltem si cognito errore nihilominus contractus fuisset initus. Consensus enim prorsus voluntarius circa objectum principale conventionis habetur. Si autem cognito errore initus non fuisset contractus, *controvertitur*, ut statim dicemus.

850. Quæsita. — Quær. 1° *An error circa qualitatem dans causam contractui irritet contractum sive onerosum, sive gratuitum ?*

Resp. 1° *Neg. probabilius* quoad contractus *onerosos*, quia talis error non impedit *cognitionem*, neque *consensum* quoad rei substantiam. Secus vero vix ullus contractus validus foret, quod in commercii humani subversionem cederet. Excipe, 1° si qualitas velut *conditio sine qua non* expresse intendatur, quia tunc in rei substantiam transit, 2° si error fuit invincibilis et res adhuc integra ; re vero non amplius integra, seu ab altera parte jam impleta, contractum in conscientia rescindere potes, si res magni est momenti, et licet altera pars non fuerit erroris conscia.[2]

Resp. 2° Quoad contractus *gratuitos affirm. probabilius.* Ratio, quia tales con-

[1] L. IV. 714. [2] L. IV. 715.

tractus ex natura sua plenum voluntarium et omnimodam spontaneitatem requirunt; atqui hæc plane defuit, quando causa ad donandum movens deesse supponitur. — Ita *communiter* contra *nonnullos*, qui cæteroquin admittunt, hosce contractus ad nutum donatoris sic decepti esse rescindibiles. Vid. S. Alph.[1]

Quær. 2° *An error circa personam contractum invalidet?*

Resp. 1° *Neg. generatim loquendo*, quoad contractus *onerosos*, quia in his error hujusmodi est mere *accidentalis;* et parvi sane interest tum venditoris, cuinam rem vendat, dummodo congruum pretium accipiat, tum emptoris, a quonam emat, si res ipsi conveniat. Excipiendus est contractus matrimonii, in quo consensus ipsammet afficit personam, quæ fit simul et pars contrahens et ipsius contractus objectum.

Resp. 2° *Affirm.*, plerumque quoad contractus *gratuitos*, quia in his persona donatarii a donatore specialiter intendi solet. Spectanda sunt tamen rerum adjuncta, e quibus benefactoris voluntas dignosci melius potest.

851. — Quær. 3° *An contractum invalidet error circa motivum?*

Resp. 1° *Affirm.*, si error cadat in motivum *finale:* v. g. si dares eleemosynam *Titio*, quia illum pauperem reputas, cum dives sit; tuus enim consensus quoad ipsam rei substantiam deficit.

Resp. 2° *Neg.*, si error cadat solum in motivum *impellens*, v. g. si eleemosynam dares *Petro* pauperi, quem valde probum credis, cum sit minus probus; hic error enim mere accidentalis est.[2]

852. *Resolves.* — 1° Si sacerdos sub nocte emat pro se pannum putans esse nigri coloris, dum viridis aut violacei est, non valet contractus, si expresse declaravit, se nigri coloris pannum velle; licet enim color in se sit mere qualitas, in hoc casu transit in substantiam, proindeque error evadit substantialis.

2° Si tibi volenti emere vinum Catawbanum, Californiense offeratur, valet contractus *per se*, non obstante errore vel dolo, quia error non est substantialis. Sed justitia læditur accidentaliter, si Catawbanum carius sit; ideoque venditor restitutioni obnoxius erit. Si vero utriusque vini pretium sit æquale, vel si pretium imminuatur pro rata excessus, venditor immunis erit ab injustitia, quamvis non a peccato mendacii. Dixi: *per se;* quia facile error posset esse *substantialis*, ut v. g. si emptor intentionem expressis verbis Catawbano vino alligasset ob certum finem, ad quem aliud quodlibet non conduceret.

3° Dolus in eo differt a simplici errore, quod error ex dolo proveniens productus fuerit artificiis ad hunc finem adhibitis. Error qui *per se* non esset sufficiens ad irritandum contractum, potest nullitati locum dare, si dolus intercesserit ex parte alterius contrahentis, qui præterea tenetur ad damna ex dolo orta.[1]

[1] L. IV. 715 et H. A. Tr. X. 124. 125.
[2] L. IV. 737 et H. A. Tr. X. 132.

Punctum II. De Metu.

Metus est 1° vel gravis vel levis; 2° inductus a causa intrinseca vel extrinseca, necessaria vel libera, justa vel injusta; 3° incussus in ordine ad contrahendum, vel ad alium finem. — Recole dicta n. 15 et seq.

853. Principia. — I. Metus quilibet ita perturbans rationis usum, ut a gravi culpa excuset, contractum, qui ex eo subsequitur, prorsus irritat ex omni jure. Ratio, quia tunc deficit consensus ad contrahendum requisitus, sive usum rationis metus omnino tollat, sive ita impediat, ut consensus dici plenus et perfectus non possit.

II. Nullus contractus ex metu ab intrinseco, aut causa necessaria, seu naturali est invalidus, nisi forte qui ex timore contrahit, suî compos non fuerit. Ratio est, quia nulla injuria contrahenti irrogatur, et aliunde hic sufficientem servat libertatem. Idem dicendum est, si metus a causa libera seu ab homine justa de causa incussus fuerit; hinc stuprator metu gravi, sed justo, adactus ad ducendam puellam, quam seduxit, valide contrahit.

III. Exceptis sponsalibus, quæ rescindibilia sunt, *probabilius* nullus contractus, initus ex metu levi, est invalidus, nec rescindibilis ad nutum illius, qui metum passus est. Ratio est, quia metus undecumque levis in jure pro nullo reputatur, cum facile contemni possit. — Secus enim

[1] L. IV. 715.

gravissima incommoda in commercio humano sequerentur, cum metus levis frequentissimus sit. Contradicit tamen Lugo cum aliis, quorum sententia a S. Alph.[1] non dicitur improbabilis. Excipe tamen matrimonium et professionem religiosam, quæ ex omnium sententia metu levi non invalidantur.[2]

854. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An metus gravis, incussus a comparte in ordine ad contrahendum, irritet contractum, si rationem minime perturbet?*

Resp. 1° Ex omnium sententia, et jure etiam nostro,[3] contractus hujusmodi sunt rescindibiles, sive gratuiti sint, sive onerosi.

Resp. 2° Utrum jure naturæ irriti sint, triplex datur sententia probabilis. Juxta S. Alph.,[4] *communissima* et *probabilior* est *negativa*, cum metus non tollat simpliciter voluntarium.

Adverte tamen, ex Jure Canonico certo invalidos esse contractus seu actus ex metu gravi elicitos, ubi agitur 1° de matrimonio, et probabilius etiam de sponsalibus; 2° de traditione rerum Ecclesiæ et renuntiatione beneficii; 3° de voto et professione religiosa; 4° de jurisdictione ecclesiastica et absolutione a censuris.

855. — **Quær.** 2° *An rescindibilis sit contractus propter metum reverentialem initus?*

Resp. Neg. probabilius, quia non videtur *per se* sufficiens causa rescindendi contractum, nisi simul includat metum gravem, puta diuturnæ indignationis, etc. . . . Item nec preces importunissimæ metum gravem constituunt, nisi forte cum metu reverentiali erga Superiorem jungantur.[5] Sanchez, Salm. et alii *communiter*.

Quær. 3° *An sit irritus, vel privata auctoritate rescindibilis contractus, si metus gravis et injustus a tertio tantum incutiatur, ita ut pars altera non sit injuriæ particeps?*

Resp. Controvertitur. I[a] SENTENTIA *probabilis affirmat*, quia ratione injuriæ, etiam a tertio illatæ, res priori domino obligata manet, et consequenter cum illo onere ad quoslibet transit; non autem par est, ut quis per alterius injuriam jus omne in rem suam amittat. — Billuart, etc.

II[a] SENTENTIA, *et ipsa probabilis, negat;* quia cum neutra pars injuriam fecerit, nulla ex natura rei ratio adest, cur irritus sit contractus, et cur possit ad libitum unius rescindi, invito altero. — Lugo.[1]

856. — **Quær.** 4° *Quid si metus gravis fuerit quidem injuste incussus, sed non ad consensum extorquendum?*

Resp. Controvertitur, sed videtur sic distinguendum: 1° Si metus ab altero contrahentium sit incussus, non valet contractus vel saltem rescindibilis est, quia incutiens metum tenetur tollere omnia incommoda, quæ ex injuria proveniunt. — Lugo,[2] etc. . . . 2° Secus, si metus proveniat a tertio, quia nullus contrahentium injuriam intulit; tertius autem, qui metum infert, non potest auferre contractus obligationem, consentiendo in ejus rescissionem, siquidem contractus cum ipso initus non fuit: tenetur tamen inducere ad rescissionem, ut ab innocente injuriam avertat, si hic velit. Hinc valida est emptio gladii facta ex metu hostis tui. Excipit Lugo,[3] contractum matrimonii, quem ex tali metu initum putat esse invalidum. Alii excipiunt etiam contractus gratuitos, quia sic melius innocenti consulitur, et alter conqueri non potest, siquidem solo lucro privatur, ac manet in statu, in quo antea versabatur; et sicut ipse nollet in iis adjunctis obligari, ita nec alterum obligare debet.

857. *Resolves.* — 1° Si mineris alicui in furto deprehenso, te eum delaturum esse ad dominum læsum, vel ad custodem, aut judicem, nisi munus certum tibi promittat, tenet promissio, nec munus acceptum teneris reddere, nisi forte judicio viri prudentis excessivum videatur. Hoc etiam verum est, etsi intentionem illum deferendi non habuisses, sed solum terrendi, quia cederes e jure tuo id faciendi; quod pretio æstimabile est.

2° Si *Titius* intulit tibi metum, ut rem aliquam *Caio* tradas, saltem rescindibilis est contractus. Etenim si *Caius*, quo tempore rem a te acceptat, injuriam tibi illatam novit, metum ipse incutere cense-

[1] L. IV. 718. coll. H. A. Tr. X. 125.
[2] Ib.
[3] Kent, Vol. II. n. 453.
[4] L. IV. 716.
[5] Ib. 717.

[1] D. 22. n. 117. [2] D. 22. n. 177.
[3] Ib. n. 178.

tur per *Titium*. Si vero novit postea, assimilandus est possessori bonæ fidei, qui rem possessam restituere debet, statim ac comperit esse alienam.

3° Si quis tibi damnum ex mera malevolentia paret, atque adeo nihil a te postulat; tu vero sponte pecuniam promittas, ut illæsus evadas, eam tradere non teneris; quia, licet metus non fuerit incussus in ordine ad contrahendum, contractus habet tamen pro objecto solam injustæ vexationis cessationem; atqui vexator hanc cessationem vendere nequit: ergo quidquid sic acquirit, ut malæ fidei possessor accipit, adeoque restituere debet.

4° Si viator a latrone oppressus transeuntem hominem in auxilium advocaverit, ei pecuniam promittendo, valet promissio; quia metus non est ejus causa, sed occasio tantum; et aliunde auxilium a transeunte præstitum est pretio æstimabile. Attamen, si summa enormis esset, imminuenda foret.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE CONTRACTUS.

Obligatio contractus est vinculum, quo quis vi contractus adstringitur ad aliquid dandum, faciendum vel omittendum.

858. PRINCIPIA. — I. Quilibet contractus rite initus parit obligationem in foro conscientiæ, saltem ex parte unius e contrahentibus; quia in contractu jus aliquod tribuitur uni vel utrique parti; omni autem juri sua correspondet obligatio; ergo, etc.

II. Contractus rite initus, nisi quid aliud pro casu particulari leges statuant, vim non habet, nisi inter solas personas contrahentes, aliasve, quæ aut eorum locum teneant, aut cum iisdem causam habeant, ut sunt hæredes, mandantes, etc. Ratio est, quia nemo privatus alteri invito onus imponere, vel beneficium concedere potest, nec contractus vim habent, nisi a privata contrahentium voluntate.

III. Contractus rite initus non solum obligat ad id, quod pacto exprimitur, sed ad omnia consectaria, quæ pro conventionis natura postulant æquitas, lex, aut usus. Ratio est, quia contrahentes censentur agere cum bona fide, et propterea velle non tantum quod expresse in stipulatione includitur, sed etiam quod ab ea nasci solet.

Hinc studiose inquirenda est contrahentium intentio, si de ea clare et expresse constare possit. Si autem obscura et ambigua maneat, explicari potest tum ex materia conventionis, tum ex usu locorum, tum ex indole personarum. Tandem, si omnibus perpensis dubium tolli nequeat, amicabilis transactio suadenda est.

859. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quorsum obliget contractus rescissioni obnoxius?*

Resp. Contractus ille dici potest conditionate obligans, scilicet si nullitas non invocetur. Ratio est, quia legislator ad bonum pacis noluit, ut ejusmodi contractus invalidi censerentur et essent, nisi quando eorum nullitas expresse invocaretur, et obtineretur. Sequitur ex dictis de contractibus minorum, uxorum, et interdictorum, n. 836 et seq.

Quær. 2° *An valeant et in conscientia obligent contractus initi absque formalitatibus ad ipsorum valorem a jure civili præscriptis?*

Resp. Triplex est sententia probabilis.

I^a SENTENTIA *affirm.*, quia de jure naturali solus consensus partium sufficit ad obligationem inducendam, et lex humana naturalem obligationem inter personas aliunde habiles non tollit, quamvis actionem civilem neget.

II^a SENTENTIA *negat*, quia leges irritantes contractus prædictos fundantur in præsumptione non tantum doli, sed etiam periculi communis; postulat siquidem bonum commune, ut ansa quibuslibet fraudibus tollatur; et proinde naturalem quoque obligationem contractus irriti in foro externo lex tollere potest et debet.

III^a SENTENTIA tenet, in his contractibus præferendum esse possessorem, donec per sententiam judicis condemnetur ad restituendum. — Ita S. Alph.,[1] qui addit, "hanc sententiam esse in praxi omnino tenendam, ex eo quod, cum possessio jus certum tribuat, nequit possessor re exspoliari, nisi *constet* de jure alterius."

860. — Quær. 3° *Quomodo cesset obligatio contractuum?*

Resp. Obligatio contractuum cessat 1°

[1] L. IV. 711.

Per *solutionem*, seu per *præstationem* cujuslibet rei debitæ, aut etiam per executionem facti promissi aut alias debiti.

2° Per *novationem*, seu substitutionem novi debiti debito veteri, quod sic extinguitur: v. g. promissi tibi dare singulis annis decem vini dolia; nunc convenio tecum, ut vinum amplius dare non tenear, sed $ 1,000: obligatio dandi vinum tunc extinguitur.

3° Per *condonationem*, seu actum, quo creditor debitori suo ex plena libertate debitum remittit. Quisque enim de jure suo cedere potest in iis omnibus, quæ ad bonum publicum non spectant, modo ad contrahendum inhabilis non fuerit.

4° Per *compensationem*, seu fictam et reciprocam solutionem, quæ locum habet, quando personæ sunt erga se invicem debitrices.

5° Per *confusionem*, quæ locum habet, cum obligatio debitoris et jus creditoris in eadem persona coadunantur, v. g. si creditor fiat hæres sui debitoris, vel debitor sui creditoris, vel eadem persona fiat hæres creditoris simul et debitoris.

6° Per *destructionem*, aut *perditionem* rei debitæ, quæ aliquando debitorem ab obligatione liberat, ut in contractibus mere gratuitis, et aliquando in aliis, ubi non incidit culpa debitoris. . . . Aliquando vero non liberat, v. g. si evenerit culpa debitoris, vel fuerit in mora culpabili . . . etc.

7° Per *rescissionem*, seu *rescindibilitatem*, quæ locum habet, quando contractus essentialibus conditionibus constans ob aliquos defectus dissolubilis est. Contractus ille valet, donec rescindatur, ut supra dictum est.

8° Per *præscriptionem*, de qua dictum est supra, *Tract. de Justitia*, n. 657 et seq.

861. — Quær. 4° *An cessio bonorum a solutione integra liberet?*

Resp. 1° *Neg.* quoad cessionem voluntariam, seclusa speciali conventione inter creditores et debitorem, vi cujus hic omnino liberetur. Ratio est, quia creditores non sunt facti omnino indemnes, et proinde remanet adhuc inæqualitas reparanda, et quamvis creditores tunc componant cum debitore de certa tantummodo parte solvenda, sic tamen agunt, quia plus habere nequeunt, nec propterea renuntiant juri, quod ad integram solutionem habent, si debitor aliquando solvere queat.[1]

Sunt tamen hodie, qui putant ab anteriorum theologorum sententia ob immutatam omnino commercii rationem decedi posse. Commercium enim, ut aiunt, hodie ad creditum præcipue agitur, et totum pene credito nititur. Hinc creditores, prævidentes aliquos ex multis suis debitoribus non fore solvendo, ut se indemnes servent, pro mercibus ad creditum, ut solet, venditis majus pretium et majus etiam auctuarium pro pecunia exigere consueverunt. Accedit, addunt, quod inter commercium agentes tacite conventum censeatur, ut a debitore infelici, bonis cedente, nihil ultra id, de quo conventum sit, requirant. Demum, inquiunt, lex, debitorem deobligans, in antecessum omnibus favet, ita ut idem beneficium, quod hodie Petro ex ea obvenit cum damno Pauli, Paulo post aliquod forte tempus obventurum sit cum damno sive Petri, sive alterius. Hæc quanti valeant, et utrum, saltem simul sumpta, opinionem illam probabilem efficiant, viderint sapientiores, qui merito reponent, — creditores, licet in genere prævideant aliquos e suis debitoribus solvendo non fore, id in individuo et quoad singulos non prævidere; iis enim, quos solvendo non fore prævideret, ad creditum neque venderent, neque pecuniam præstarent; — de tacita illa inter mercatores conventione non certo constare; — legem vero civilem, licet verbis illis utatur: "forever discharged from all *debts and claims*,"[2] de conscientia parum curare et nihil aliud intendere quam creditori denegare actionem. — Interim certo certius ad restitutionem, ut damnificatores formaliter injusti tenentur, qui culpa sua gravi in necessitatem illam, cedendi scil. bonis suis, venerunt.

Resp. 2° *Neg.* etiam quoad cessionem judiciariam; privilegium enim cessionis consistit tantum in eo, quod debitor infelix et bonæ fidei amplius judicialiter urgeri non possit; proinde si nova bona acquirat, usque ad integram solutionem creditoribus satisfacere debet.[3] Excipe, si ex rerum adjunctis videantur creditores omnia antiqua debita condonare.

[1] L. IV. 699. [2] Wells, Every Man, etc. p. 598. [3] L. IV. 699.

Quær. 5° *An bona cessurus aliquid occulte sibi reservare possit?*

Resp. 1° Certo peccat contra justitiam, si ultra illa, quæ sibi a lege in unoquoque Statu (*by the exemption laws*[1]) relinquuntur, res magni valoris retinet, quia damnum creditoribus infert.

Resp. 2° Qui cedit bonis, si in magna versetur indigentia, non peccat contra justitiam, si bona quædam servet, quibus sustentetur cum familia, donec per legis beneficium ipsi provisum fuerit. Post factum autem inquietandi non sunt illi, qui res vere sibi necessarias, modici valoris, retinuerunt. — Gousset.[2]

862. — Addere hoc loco ex Kenrick juvat plures casus, in quibus justitia violatur et restituendi obligatio contrahitur ab iis, qui aere alieno se gravant aut gravarunt.

1[us] est eorum, qui æs alienum contrahunt animo illud nunquam solvendi; prout contingit aliquando mercium emptoribus, qui, pecunia ex earum venditione comparata, aufugiunt.[3]

2[us] eorum, qui temere illud contrahunt, nulla affulgente spe probabili eos pares futuros solvendo; nam non licet cum aliorum damno rerum facere periculum, vel lucrum quærere.[4]

3[ius] eorum, qui illud solvere negligunt cum creditorum detrimento, quod reparare tenentur, quoties iis tempore præfinito, culpa sua, recusant satisfacere, etiamsi legis beneficio utantur: si enim inde eveniat ut bonorum jacturam patiantur creditores, his satisfaciendum est; secus, si absit culpa: tunc enim casu damnum evenire censendum est.[5]

4[us] eorum, qui variis usi artibus creditores inducunt ad partem debiti remittendam, ne totum amittant, vel ne diutius differatur solutio, vel ne litibus implicentur: qui autem ob solutionem anticipatam partis remissionem impetrant a creditoribus nulla necessitate adactis, sed libere consentientibus, possunt excusari, quum ita ferat consuetudo, et commodum communi æstimatione plurimi valeat.[6]

5[tus] Injustiæ mariti et patris cooperantur uxor, quæ nimios sumptus facit in vestibus emendis, aliave ratione, et filii, qui pecuniam sibi datam prodigunt, si noverint maritum et patrem non esse solvendo parem.

6[tus] quandocumque quis se novit imparem solvendo, nec sperat se posse negotiando rem augere, tenetur ad negotia deserenda, bonis suis in æris alieni solutionem traditis: nam nemini licet cum damno alieno negotiari. Sæpe autem excusantur mercatores, quibus plerumque spes aliqua affulget.[1]

7[us] qui bona apud se occultanda acceperunt vel pecuniam, ea conditione, etiam tacita, ut debitori deinceps subvenirent.[2]

8[us] qui, translatis rebus suis ad alios titulo ficto, beneficio legis utuntur ut eximantur ære alieno, perjurii et injustitiæ rei fiunt: nam juramentum emittunt, quo omnis hujusmodi fraus negatur.[3]

863. — Quær. 6° *Quibusnam signis distingui possit, utrum lex irritet contractum ipso facto, vel ob defectum solemnitatis, vel post judicis sententiam tantum?*

Resp. In assignandis istis signis non concordant inter se sive theologi, sive jurisperiti. In dubio recurrendum ad interpretationem DD. et ad consuetudinem.

CAPUT III.

DE CONTRACTUUM MODIFICATIONIBUS.

Modificationum nomine designantur quædam clausulæ præter contractuum naturam et essentiam adjectæ, ita ut eorumdem contractuum obligationem nunc obfirment, nunc etiam augeant vel determinent, nunc suspendant vel perimant.

Præcipuæ autem contractuum modificationes sunt 1° juramentum; 2° modi; 3° conditiones. — De his tribus breviter agendum.

ARTICULUS I.

DE JURAMENTO CONTRACTUI ADJECTO.

864. — Juramentum, prout hic sumitur, est advocatio Dei in testem eorum, quæ per contractum promittuntur. Obli-

[1] Eas vide, si lubet, apud Wells, p. 288. sq.
[2] n. 772.
[3] Tr. X. n. 205.
[4] Ib.
[5] Ib.
[6] Ib.

[1] Tr. X. n. 206. [2] Ib. n. 210.
[3] Ib. n. 210.

gatio juramenti ab obligatione contractus in hoc etiam differt, quod obligatio juramenti afficit et obstringit immediate jurantis personam, unde ad hæredes non transit; obligatio vero contractus confert alteri jus *strictum*, seu jus *proprietatis*, afficiens contrahentis bona, ideoque ad hæredes obligatio integra transit.

865. PRINCIPIA. — I. Contractus, jure naturæ irriti, juramento non firmantur. Ratio est, quia juramentum est actus omnino extrinsecus contractui, et proinde ejus vim supplere nullatenus potest. Hinc axioma: *Juramentum sequitur naturam actus.*

II. Nec firmantur juramento contractus ipso facto *irriti* de jure positivo, si irritantur propter bonum commune. Ratio est, quia juramentum tunc foret contra bonum commune, et proinde vinculum immorale, quod Deus, societatis auctor, sancire non potest. Irriti autem in favorem tantum promittentium servandi quidem sunt ex virtute religionis quousque non relaxatur juramentum, non tamen ex justitia.[1]

III. Juramentum semper est invalidum, quoties sine jurantis peccato servari non potest. Ratio est, quia juramentum nequit esse vinculum iniquitatis, nec contra bonos mores obligare valet. — Ita *omnes* Theologi.

866. QUÆSITA. — **Quær. 1°** *An juramentum firmet contractus, non quidem lege positiva irritos, sed rescindibiles tantum?*

Resp. Ex mente S^i Alphonsi [2] respondendum videtur, juramentum et contractum ex virtute religionis (non ex justitia) servandum esse casu etiam, quo rescindibilitas intuitu boni publici inducta est. Sic servandum dicit contractum a minore, qui juravit se mutuum restituturum, licet dissolubilitas hujus contractus intuitu boni publici sit inducta. Patet quoque ex Resp. ad Quæs. proxime sequens.

867. — **Quær. 2°** *An valeant juramenta metu extorta ad firmandos contractus ex metu irritos?*

Resp. SENTENTIA *communior* et S° Alph° [3] *longe probabilior, affirmat*, quia ex motivo religionis juramentum servari debet, quoties sine peccato servari potest. Qui vero sic juravit, vel juramenti relaxationem impetrare potest, vel post præstationem rei, de qua contractum fuit, illam in judicio repetere, aut pro ea occulte sibi compensare potest.

[1] L. IV. 177. [2] Ib. 174. 177. 757.
[3] Ib. 174.

ARTICULUS II.

DE MODIS CONTRACTUI PRÆFINITIS *seu* DE CONTRACTIBUS NON PURIS.

868. — Modus est qualitas adjecta, plerumque non suspendens contractum, sed addens aliquid in onus aut favorem unius contrahentium.

Contractus modales præcipue fiunt 1° in diem, — 2° sub causa, — 3° sub pœna, — 4° sub demonstratione, — 5° sub disjunctione.

Resolves. — 1° Modus servandus est ex justitia, nisi repugnet substantiæ contractus.

2° Illius violatio ordinarie, et nisi aliter conventum fuerit, non irritat contractum; quia ut quid mere accidentale habetur. Hinc legatum annuum alicui factum cum onere in favorem pauperum solvendum est, licet oneri illi non satisfiat: sed insistendum erit juris remediis, ut ei satisfiat.[1]

3° Si modus sit turpis aut impossibilis, habetur pro non adjecto; nec contractus est invalidus, nisi modus illius naturæ repugnet, vel nisi voluntas contrahentis omnino ad illum restricta fuerit.

4° In contractu *ad diem*, obligatio statim oritur, sed *effectus* ad diem determinatum suspenditur.

5° In contractu *sub causa* (*quia*), vel sub *demonstratione* (*vendo hoc, vel tantum*), error non invalidat, nisi ad essentiam rei pertineat.

6° Si error sit in quantitate, res tota debetur, si quantitas designata fuerit *demonstrative;* si vero *taxative*, ut aiunt, excessus quantitatis non debetur. Porro res censetur designata *demonstrative*, si res primo loco exprimatur, et postea ejus quantitas: v. g. lego *Titio* prædium meum triginta jugerum; *taxative* vero, si primo loco quantitas exprimatur, deinde res; v. g. lego tres aureos in tali capsula. Sed adjuncta rerum perpendenda sunt.

[1] Kenr. Tr. XI. n. 20.

7° In contractu *sub pœna*, id est, quoties resilienti pœna imponitur, pœna hæc ex justitia debetur, si petatur, saltem si culpabiliter contractus adimpletus non est. Pœna tamen moderata esse debet; secus non obligaret.

8° In contractu *sub disjunctione*, v. g. promitto bovem aut equum, nulla res determinata debetur, et unius solutio totam obligationem tollit. Electio rei *per se* pertinet ad debitorem.

ARTICULUS III.

DE CONDITIONIBUS CONTRACTUI APPOSITIS.

869. — Conditio est qualitas contractui adjecta, quæ plerumque illum suspendit, donec impleatur. Exprimi solet per particulam : *si, nisi, modo* . . . etc.

Multiplex est conditio, quæ contractibus apponi potest, scilicet 1° *expressa* vel *tacita;* — 2° de *præsenti* vel de *futuro;* — 3° *possibilis* vel *impossibilis;* — 4° *necessaria* aut mere *contingens;* — 5° *honesta* vel *inhonesta;* 6° *potestativa* vel *casualis*, prout est in potestate contrahentis vel non est; — 7° *positiva* vel *negativa;* — *contraria* substantiæ contractus, vel non.

870. *Resolves.* — 1° Omnes conditiones impleri debent eo sensu, quo contrahentes prudenter censentur se obligare voluisse.

2° Conditio de re turpi aut impossibili contractum nullum tum jure naturæ, tum civili reddit. Ratio est, quia nemo potest ad aliquid turpe aut prohibitum se obligare. Excipiuntur tamen, in Jure Civili, donationes inter vivos et per testamenta, in quibus conditiones *turpes* pro non adjectis habentur. — Idem dicendum de conditione turpi aut impossibili matrimonio adjecta, modo substantiæ contractus contraria non sit. — Ita ex Jure Canonico. Hinc, si quis leget alicui pecuniam, vel agros, ea conditione ut hæresim profiteatur, vel filios hæresi imbuat, legatum valebit, licet impiam illam conditionem implere nolit. Cæterum tribunalia civilia voluntatem testatoris plerumque ratam habent.[1]

3° Conditio de *præsenti* vel *præterito* non suspendit obligationem, sed illam statim vel adducit, aut non inducit, quia vel existit, vel non; proinde hic et nunc vel contractus validus est, vel nullus.

4° Conditio non tantum æquivalenter, sed in propria forma adimpleri debet. Excipiunt aliqui conditionem, si *nupseris*, quam impleri dicunt per ingressum in Religionem; secus enim conditio turpis esset. Admittit hoc S. Alph.,[2] si agatur de legato relicto personæ determinatæ et non constet aliam fuisse testatoris mentem, prout constaret, si conditio esset determinata ad aliquam personam, v. g. si nupseris *Paulo;* quia justa et honesta ratio tunc adesse potest. Sin autem agatur de legato relicto indeterminatis, *certo probabilior* ipsi est sententia negans, idque ob dispositionem Juris Civilis.[3] Tribunalia tamen nostra conditionem in utroque casu in propria forma adimpleri jubebunt.

5° Conditiones *potestativæ*, seu quæ a voluntate unius contrahentium pendent, adimpletæ censentur, non solum cum id præstatur, quod instar conditionis injunctum fuit, de quo nulla esse potest controversia, sed etiamsi id reipsa non præstatur, quando scilicet ille, qui se obligavit, vel 1° impedivit quominus conditio adimpleretur; vel 2° ab altero impeditus est, ne conditioni satisfaceret.

[1] Kenr. Tr. XI. n. 18.
[2] L. IV. 930.
[3] Auth. de Sanctiss. Episc. § Hoc quoque.

PARS SECUNDA.

DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

AC 1° DE CONTRACTIBUS GRATUITIS; 2° DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

SECTIO I.

DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

Nimirum 1° de promissione; 2° de donationibus; 3° de commodato et precario; 4° de deposito et sequestro; 5° de mandato et gestione negotiorum; 6° de mutuo.

CAPUT I.

DE PROMISSIONE.

871. — Promissio est contractus, quo quis libere et spontanee sese obligat ad aliquid gratuito præstandum vel omittendum in alterius favorem. Conditiones ad obligationem promissionis requisitæ sunt, 1° Ut adsit voluntas se obligandi, saltem virtualis et implicita, quam censetur habere, quisquis serio vult promittere, etsi ad obligationem non advertat.

2° Ut consensus ejusdem promittentis plene sit liber et spontaneus, ac proinde absit omnis error et dolus circa substantiam et causam finalem, omnisque coactio vel metus injustus.

3° Ut ipsa promissio sit exterius manifestata, et acceptata; siquidem omne pactum debet constare mutuo consensu duorum vel plurium in idem objectum; et aliunde nemo censetur velle sese erga aliquem obligare, nisi iste acceptet.

872. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quæ et quanta sit obligatio promissionis semel acceptatæ?*

Resp. Controvertitur inter Theologos. Triplex datur sententia probabilis, juxta S. Alph.[1]

1ª SENTENTIA tenet, promissionem, *per se*, solum obligare sub peccato veniali, et ex mera fidelitate. Ratio est, quia contractus gratuitus obligat solum vinculo fidelitatis, et fidelitas non videtur obligare sub peccato mortali, si alia incommoda absint.

IIª SENTENTIA dicit, promissionem seriam in re gravi obligare sub gravi ex justitia, independenter ab intentione promittentis. Ratio est, quia promissio gratuita non est diversi ordinis ac promissio onerosa, ratione obligationis.

IIIª SENTENTIA, *communior* et *probabilior*, docet obligationem promissionis pendere ex intentione promittentis. Unde, si ille intendat se ex justitia obligare, obligatur sub mortali in gravi materia; si autem solum intendat se obligare ex fidelitate, sub levi tantum obligatur. Porro ad materiam gravem in promissione requirunt quantitatem quadruplo majorem quam in furto mortali.

Certum vero est promissionem *per accidens* obligare ex justitia, si proximus damnum patiatur ex promissione non servata, idque sub gravi vel levi pro ratione quantitatis damni. Promisi e. g. tibi mutuum dare quo graviter indiges, et tu mihi confisus tibi aliunde non prospexisti; vel filium meum educari curavi, ideo quia tu mihi promisisti expensas, quas postea recusas.[1]

Et hæc quidem de promissione *proprie* sumpta. Nam sæpius promissiones, quales communiter fiunt, neque ex justitia, neque ex fidelitate obligant; quia promittens non intendit suam fidem stricte obligare, sed mere propositum suum enuntiare.

873. — Quær. 2° *Quid in dubio, an aliquis voluerit se obligare sub gravi aut sub levi juxta patronos tertiæ sententiæ?*

Resp. Probabilius pro minima parte standum est, quia in dubio non est imponendum onus certum, præsertim in promissione, quæ maximam requirit spontaneitatem.[2] Certum præterea est, promissionem serio factam et acceptatam in re

[1] L. IV. 720.

[1] L. IV. 720. [2] Ib.

gravi posse *per accidens* obligare sub gravi ex justitia; ut si intercederet ratio ingentis damni proximo obvenientis ex promissione non servata. — Scavini.

Quær. 3° *An aliquis possit promissionem acceptare per alium?*

Resp. Affirm. Potest quis acceptare promissionem per quempiam ad id electum, aut per familiarem, quia unam moraliter personam cum eo constituere censetur. Potest etiam promissionem acceptare per alium, qui ejus curam gerit, v. g. pater pro filiofamilias, Religiosus pro monasterio, Prælatus pro Ecclesia sua, uxor pro marito.

Quær. 4° *Quandonam cesset vis promissionis acceptatæ?*

Resp. 1° Si promissarius sponte condonet, aut juri suo cedat. — 2° Si res promissa fiat illicita vel inutilis. Quodsi prodiga fuerit, obligabit ad servandum, quod prodigum non est; in re autem indivisibili nil debetur.[1] — 3° Si promissarius non stet suis promissis. — 4° Si status rerum vel personarum ita mutetur, ut promissio non videatur illum eventum comprehendere. — 5° Si causa, quæ ad promittendum movit, nullatenus subsistat.

874. — Quær. 5° *An, vel quatenus obliget promissio, si ante executionem moriatur promissarius, vel promittens?*

Resp. ad 1^um^ *Disting.* Nullo modo obligat, si promissio facta fuerit principaliter in gratiam promissarii; quia, eo mortuo, cessat finis in promissione intentus; secus autem, si promissio facta sit præcipue intuitu familiæ promissarii, vel ipsius hæredum.

Resp. ad 2^um^ Mortuo promittente, promissio debitis vestita conditionibus ab ejus hæredibus adimplenda est; quia omnis obligatio realis ad hæredes transire debet eodem modo, eodemque titulo, quo promittens obligabatur. Proinde sub gravi vel sub levi, ex justitia vel fidelitate, tenebuntur hæredes, sicut promittens, dum vivebat, tenebatur. Poterunt tamen ab omni obligatione liberari, si ex adjunctis rei, aut ex signis manifestum sit, promittentem voluisse tantum se personaliter obligare. — Lugo, Reuter, etc.

Casus. Sylvinus famulæ suæ *Perpetuæ* interdum dictitat, se ipsi, præter annuum stipendium, $100 erogaturum esse, vel eamdem pecuniæ summam in suo testamento mox conficiendo, legati instar, esse relicturum. Sed ecce! repentina morte corripitur *Sylvinus*, antequam propositum perficere potuerit. *Perpetua* vero absque mora promissam sibi pecuniam clam surripere festinat. An recte? *Resp.* Minime. Promissio enim non dat jus *in re*, nec proinde ullam facultatem rem promissam propria auctoritate occupandi. — Vide supra, n. 586. — Cæterum communiter hæ promissiones non sunt nisi mera *propositi* significatio, et dumtaxat voluntatem aliquid donandi enuntiant. — Gousset. — *Perpetua* tamen non erit inquietanda, si *vel* in bona fide versetur et ex monitione non speretur fructus, *vel* promissio *Sylvini* censeri possit remuneratoria servitii præstiti; promissio enim remuneratoria quamdam potius solvendi debiti declarationem denotat, quam contractum gratuitum.

Nota. — Jus Anglicum, quod et in his regionibus obtinet, nullam vim in foro externo tribuit promissioni verbo tantum factæ, vel prorsus gratuitæ, quæ scilicet nulla æqua causa (*a valuable consideration*) nititur.[1] Æqua autem consideratio est vel opera præstita aut præstanda, vel generis propinquitas, vel alia gravis ratio. Cfr. Kent.[2]

CAPUT II.

DE DONATIONIBUS.

ARTICULUS I.

DE DONATIONE IN GENERE.

875. *Definitio.* — Contractus *donationis*, sive doni dationis, est conventio, qua quis dominium rei suæ aut juris sui *gratis* concedit alteri, illud acceptanti. — Unde ad contractum donationis non sufficit promissio dandi, sed omnino requiritur *actualis datio*, eaque *gratuita* i. e. datio quæ sine debito ex parte dantis, et sine onere retributionis ex parte accipientis, voluntarie conceditur ex liberalitate; ita quidem ut datio, in quantum recedit a liberalitate, in tantum quoque deficiat a perfectione et ratione donationis.

[1] L. IV. 735.

[1] Kenr. Tr. XI. n. 22.

[2] Vol. II. n. 439. 465.

876. *Divisio.* — *Dividitur* 1° in *stricte dictam* sive *mere gratuitam*, et *remuneratoriam* sive *antidoralem*. Prior illa est, quæ fit seclusa omni prorsus obligatione tam *justitiæ*, quam *gratitudinis* ex parte donantis, atque ideo tota quanta in ejus liberalitate fundatur. Posterior illa est, quæ fit ex aliqua obligatione, non quidem *justitiæ*, sed *gratitudinis*, nimirum ad remunerandum aliquod beneficium a donatario acceptum. — Convenit igitur utraque donatio in hoc, quod non sit debita ex justitia, ac proinde non posset rigorose sive legaliter exigi. Et in tali sensu latiori utraque donatio dici poterit *gratuita*. Sed in eo est utriusque differentia, quod donatio *stricte dicta* sive *mere gratuita* excludat omne debitum, etiam gratitudinis, ideoque ex mera liberalitate procedat; dum donatio remuneratoria in debito gratitudinis fundetur, ideoque a mera liberalitate deficiat. Unde ex multorem opinione, donatio *remuneratoria*, proprie loquendo, donatio non est. Hinc probabilius inferre licebit: a) Quod, quando in jure, sive Ecclesiastico, sive civili nostro, prohibita sit donatio simpliciter, sicut v. g. prohibita est in Jure Ecclesiastico donatio Religiosorum et in jure civili donatio conjugum inter se, non ideo per se prohiberi censeatur remuneratoria. Hujusmodi enim prohibitio, *utpote odiosa*, juxta communes interpretationis regulas, restringenda est ad donationem proprie et stricte talem; sola autem donatio *mere gratuita* proprie ac stricte donatio est, non vero donatio *remuneratoria*. b) Quod, quando in Jure præscripta sit certa quædam formalitas pro donatione simpliciter, non ideo per se eadem formalitas videatur præscripta pro *remuneratoria*; talis enim præscriptio, sicut supra memorata prohibitio, est *odiosa* et consequenter restringenda ad donationem stricte dictam, nisi contrarium satis a legislatore exprimatur. Tutius tamen erit formalitates servare, cum sententia judicis sæpe sæpius a modo pendeat, quo casum de facto considerat.

Tandem quoad donationes *remuneratorias* notari meretur cum Card. de Lugo [1] "posse etiam esse donationem remuneratoriam, quando nihil das ei, a quo beneficium accepisti, sed ejus intuitu das aliis, qui ad eum pertinent."

[1] Disp. 23. Sect. 9. n. 141.

877. — *Dividitur* 2° in *puram* et *non puram* seu *qualificatam*. *Pura* illa est, quæ fit sine ulla limitatione; *non pura* seu *qualificata* illa, cui accedit aliqua limitatio, nempe: a) aliqua *conditio* (n. 869. 870) vel aliquis *modus* (n. 868), qua voce intelligi solet impositio alicujus oneris, v. g. solvendi quædam debita donatoris.

Donatio *non pura* plerumque vocatur *mixta* i. e. partim gratuita et partim non gratuita, et revera talis est quoties fiat *sub modo*, vel *sub conditione* donatario *onerosa*.

Sedulo tamen hic advertendum est, onera donatario imposita non posse esse tanta, ut compensent ejus commoda; quia tunc omnis *donationis* species evanesceret, ut patet ex supra dictis sub n. 875; sed tam moderata ista onera sint oportet, ut, iis non obstantibus, datio ipsa moraliter dici valeat saltem ab initio gratuita et proficua donatario.

878. — *Dividitur* 3° in *perfectam*, quæ et *realis* audit in Jure Anglico et nostro, et *imperfectam*, quæ et *verbalis*. *Perfecta* dicitur donatio conjuncta cum rei donatæ traditione, quæ est veluti donationis consummatio; *imperfecta* vocatur donatio non conjuncta cum rei donatæ traditione, sed tantum cum obligatione eam suo tempore tradendi. Hic tamen pro praxi notandum, imperfectam non raro *videri* adesse, quin revera adsit. Frequentius nempe contingit, ut ille, qui, spectatis verbis adhibitis, primo intuitu videtur *donare*, reapse tantum velit *simpliciter promittere*. Si autem velit tantum promittere, aderit utique contractus promissionis, regulariter obligans ex fidelitate ad donandum; sed non contractus donationis, ne imperfectæ quidem.

879. — *Dividitur* 4° donatio in donationem *inter vivos*, et donationem *mortis causa*; quæ quidem divisio in Jurisprudentia celeberrima est, magnamque proinde attentionem sibi vindicat.

Donatio *inter vivos* ea est, qua quis sic donat, ut velit, rem donatam, *se vivo*, *irrevocabiliter* fieri propriam donatarii. Vox irrevocabiliter importat, quod donator rem donatam non possit repetere pro libitu suo, sed tantum in casibus a lege expressis.

Donatio *mortis causa* ea est, qua quis

intuitu mortis suæ sic donat, ut velit, rem donatam, *se vivo*, repeti posse pro libitu, eamque proinde *non nisi se mortuo* irrevocabiliter fieri propriam donatarii.

Unde donatio *inter vivos* et donatio *mortis causa* in hoc conveniunt, quod utraque sit contractus, ut supra n. 828 definitus, scil. conventio, qua quis dominium rei suæ aut juris sui gratis concedit alteri illud acceptanti; sed in eo præcipue et essentialiter differunt, quod donatio *inter vivos* de se sit irrevocabilis, dum donatio *mortis causa* de se a donatore pro libitu revocari possit ad ejus obitum usque. Quapropter, ad discernendum in praxi, utrum aliqua datio gratuita, a donatore facta et a donatorio acceptata, sit *inter vivos* an *mortis causa*, non tam refert attendere, num donatio facta sit tempore morbi aut instante morte donatoris (certum enim est, fieri posse donationem inter vivos etiam a moriente); sed diligenter attendere sufficit, utrum donatio facta sit *irrevocabiliter*, an *revocabiliter usque ad mortem donantis*. In prima hypothesi aderit donatio *inter vivos*, etiamsi moriens donet; in altera vero donatio *mortis causa*, etiamsi sanus donaret. — Pro clariori horum intelligentia sint quæstiones sequentes.

880. QUÆSITA. — Quær. 1° *Qualis sit donatio in hoc casu: Titius, periculose ægrotans, dat Cajo consentienti et acceptanti certam pecuniæ summam ea lege, ut sibi reddi debeat, si eam repetat ante mortem suam; gratuito autem illam cedit Cajo, si non repetierit ante mortem?*

Resp. Sine dubio est donatio *mortis causa;* cum sit revocabilis pro libitu donantis usque ad mortem suam.

Quær. 2° *Qualis sit donatio in casu hoc altero: Petrus, gravi laborans morbo, dat Joanni, consentienti et acceptanti,* $ 100, *sed addita conditione resolutoria, quod res donata sibi reddenda sit, si forte convalescat?*

Resp. Resolvendum *videtur*, talem donationem esse *inter vivos;* quia revera fit *irrevocabiliter* (i. e. non revocabiliter ad nutum donantis), et simpliciter additur conditio resolutoria, cujus impletio (nempe convalescentia) non pendet a donantis voluntate.

Quær. 3° *In quo præcipue conveniant et in quo differant donatio* MORTIS CAUSA, *et* LEGATUM *sive donatio per testamentum?*

Resp. Conveniunt in hoc, quod utraque sit pro libitu revocabilis a donante usque ad ejus mortem; sed in eo maxime differunt, quod donatio *mortis causa*, cum sit contractus, requirat ut ante mortem donantis a donatario acceptetur; dum e contra donatio per testamentum neque proprie contractus sit, neque ullam acceptationem ante testatoris mortem exigat.

His præmissis, jam singillatim et attento Jure civili nostro explicare nitemur singula donationis validæ requisita, quæ numero sunt sex, videlicet: a) ut donator sit habilis ad donandum, b) ut donatarius sit habilis ad acquirendum, c) ut res sit apta donationis materia, d) ut donatio fiat in debita forma, e) ut debito modo acceptetur, et f) ut sit de se irrevocabilis. Unde

§ I. *Quis donare possit.*

881. — Donare potest quicumque nec *de facto*, nec *de jure* ad id sit inhabilis.

Inhabilis autem de *facto* est ille, qui, quando donatio perficitur, *vel* non est sanus mente, *vel* non agit cum sufficiente libertate.

Inhabiles de *jure*

1) Ad donationem *inter vivos* sunt: a) Minores non emancipati juxta dicta n. 837, nisi agatur de rebus parvi momenti. b) Uxores juxta dicta n. 840. c) Conjuges inter se, nisi vel donatio sit modica, vel certæ adhibeantur solemnitates, et salvis creditorum juribus. Sic vir potest aliquibus tradere sua bona in uxoris usum, æquam ob causam. Qua ratione uxor donare possit viro, dictum fuit n. 840. 1°. d) Inderdicti juxta dicta n. 843. e) Is, qui solvendo non est, si donet in creditorum fraudem.

2) Ad donationes *mortis causa*, omnes et soli, qui non possunt testari, de quibus infra, ubi de *Testamentis*.

882. QUÆSITA. — Quær. 1° *An præfatæ dispositiones juris nostri in conscientia obligent?*

Resp. Excepto casu donantis in fraudem creditorum, *negative*, saltem in praxi et graviter, quoties inhabiles donando neminem notabiliter lædant ac injuste damnificent. Recte tamen monent Moralistæ uxores, sine maritorum consensu donantes, regulariter præbere maritis suis grave

scandalum. Unde summopere cavendum est confessario, ne nimium indulgeat uxoribus, plus æquo liberalibus, sed potius eas hortetur, ut, quantum fieri potest salva sive justitia, sive caritate, sive bono ac decore familiæ, maritorum voluntati morem gerant.

Quær. 2° *An lex civilis circa donationes attingat etiam* PRO FORO INTERNO *donationes* AD PIAS CAUSAS ?

Resp. Donatio *ad pias causas* est materia spiritualis ac proinde subjecta jurisdictioni Ecclesiæ ; hinc in praxi valeat regula sequens : In dispositionibus piis *pro foro interno* servandum est Jus Canonicum, in quo regulariter hac in re ratio tantum habetur juris naturalis et divini, ut advertit La Croix.[1]

Speciatim tamen hic notari oportet : ex Conc. Trid.[2] Novitios in *Ordine* Religioso inhabiles esse ad donandum bona sua donatione inter vivos sive monasterio, sive aliis, nisi cum licentia Episcopi aut ejus Vicarii intra duos menses proximos ante professionem ; imo et donationes eorum intra illud tempus cum debita licentia factæ non alias intelliguntur effectum suum sortiri, nisi professione secuta. — Sapienter hoc statuit S. Synodus, ne forte Novitius, bonis suis semel spoliatus, professionem emittat invitus.

Idem, secundum sententiam, quæ a S. Alph.[3] vocatur *verior* et *communis*, dic de iis, qui mala fide ab eo, qui solvendo non est, cum damno creditorum accipiunt, et hi tenentur ad compensationem damni, quod inde obvenerit creditoribus. Nam sicut donans in casu lædit justitiam se reddendo imparem solvendis debitis suis, ita lædit quoque donatarius, qui positive cooperatur ad injustam donantis actionem cum creditorum præjudicio. Donatio nempe non consistit in sola voluntate donantis, sed etiam in voluntate accipientis, sine qua donatio non potest perfici ; atque ideo, licet donatarius non sit causa *motiva*, reapse tamen est causa vere influxiva et *efficax* alienationis rei in damnum creditorum.

Quodsi hujusmodi donationes omnino bona fide essent peractæ, neque caderent sub dispositionibus legis de cessione bonorum ; tunc culpare non vellem, qui sic accepta retineret ; cum lex civilis in favorem commercii multa indulgeat bonæ fidei agentium.

[1] De Contr. n. 873. [2] Sess. 25. c. 16.
[3] L. IV. 722.

§ II. *Quis possit ex donatione acquirere ?*

883. — Ad acquirendum ex donatione habiles sunt, qui recipiendi donationes per legem non constituuntur incapaces. Nec inhabiles habendi sunt infantes, amentes, vel alii usu rationis carentes, cum sint dominii capaces, et res acceptare vel occupare per alios possint, v. g. per parentes, tutores, etc., juxta dicta n. 600. 3°. Hinc acquirere ex donatione nequeunt :

a) Omnes accipientes ab iis, qui sive *facto*, sive *jure* incapaces sunt donandi, n. 881. Accipientes autem ab iis, qui *facto* incapaces sunt, in neutro foro ex donatione acquirunt. Cæteri pro foro interno tractandi sunt juxta dicta n. 882. Quær. 1° et 2°.

b) Qui non erant concepti tempore donationis, vel, quoad testamentum, tempore mortis testatoris.[1] De exceptione *substitutionis* infra agetur.

c) Communitates, nisi a civili potestate jure acquirendi donatæ sint, et eatenus tantum, quatenus eo donatæ sint. Collegia autem (*corporations*) ex testamento acquirere nequeunt, nisi et quatenus id ipsis in Charta, qua constituuntur, specialiter concedatur.[2] (n. 617. 2°). Quæ hic de communitatibus dicimus pro foro interno non sunt attendenda, si de communitatibus agatur, quæ Ecclesiæ subsunt ; neque enim leges amortizationis, quales sunt eæ, vi quarum communitates illæ acquirendi incapaces sunt, nisi eo jure a civili potestate donentur, juribus Ecclesiæ prævalere possunt. Vide dicenda infra ubi de testamento informi ad causas pias et dicta n. 882. Quær. 2°.

d) In Luisiana "doctors of physic or surgeons, who have professionally attended a person during the sickness of which he died, cannot receive any benefit from donations *inter vivos* or *mortis causa* made in their favor by the sick person during that sickness. To this, however, there are the following exceptions :

1. Remunerative dispositions made on a particular account, regard being had to

[1] Kent, Vol. IV. n. 412. [2] Ib. n. 507.

the means of the disposer and to the services rendered.

2. Universal dispositions in case of consanguinity.

The same rules are observed with regard to ministers of religious worship."[1]

§ III. *Quid possit donari.*

884. — Generatim loquendo, donari possunt omnia bona, i. e. res aut jura, donatoris.

Dicitur: *generatim loquendo;* nam in certis hypothesibus non sunt valida, aut saltem licita donationis materia; et sic:

1. In hypothesi quod donator habeat filios, de *jure naturæ* illicita donationis materia erit illud quod ad necessariam eorum sustentationem requiritur.

2. In hypothesi, quod donator sit vir conjugatus, apta donationis materia non erit dos uxoris. Cfr. n. 605.

3. In hypothesi, quod donator debitis suis solvendis sit impar, nullum ejus bonum apta donationis materia erit, cum nemo, ut aiunt, possit esse liberalis nisi sit liberatus. Cfr. n. 881. 1). e).

§ IV. *Quæ forma jure nostro pro valida donatione sit præscripta.*

885. — 1. Ad donationem *inter vivos* requiritur et sufficit donatio *perfecta* seu *realis;* non vero sufficit *imperfecta* seu *verbalis.*[2] Cfr. n. 878.

2. Ad donationem *mortis causa* requiritur *vel* contractus *solemnis* (n. 828. 3°) *vel* scriptura, *vel* traditio rei aut fide digunm hujusce traditionis documentum.[3]

Quær. *Quid statuendum pro foro interno de valore donationis informis?*

Resp. Disting. Vel agitur de donatione *ad causas pias*, et valet pro foro interno (cfr. n. 882. q. 2°), *vel* de donatione *ad causas profanas*, et videtur requiri judicis sententia, ut pro foro interno invalidetur; nam vix supponi posse videtur legem voluisse onus tam durum imponere subditis, ut hi teneantur in conscientia, propria sponte, et sine ulla judicis interventione, renuntiare favoribus sibi oblatis, idque solum ob defectum alicujus formalitatis. Unde pro praxi, et nisi donatio verbalis seu imperfecta sit promissio potius, quam vera donatio (n. 878), statuendum opinamur, donatarios, omni fraude seclusa, licite posse ex donatione informi acquirere et accepta retinere, donec illi, quorum interest, irritationem talis donationis juridice petant.

[1] Civ. Code of Louis. a. 1489.
[2] Kent, Vol. II. n, 438. 439.
[3] Ib. n. 447 and note 2.

§ V. *Quo modo donatio debeat acceptari.*

886. *Prænotanda.* — Ex ipsa definitione contractus *donationis* manifestum est, ad ejus essentiam omnino requiri, ut donatio acceptetur; ita quidem ut *ante* acceptationem nullam de se pariat obligationem, ac consequenter a donatore pro libitu possit revocari. *Non censetur donatum quod non est acceptatum.* Ita, teste S. Alphonso[1] sententia *communis*, in hoc præsertim argumento fundata: quod nemo jus aut dominium suum transferre valeat in alterum, nisi illud alter accipere velit atque de facto acceptet. Licet enim quisque sola voluntate sua possit amittere jus aut dominium suum; non potest tamen sola voluntate sua efficere, ut illud transeat in alterum, cum ad hoc necessario requiratur alterius consensus, i. e. unio voluntatis ex parte acceptantis cum voluntate ex parte transferentis.

887. — His prænotatis de necessitate acceptationis ad validam donationem, exponenda nunc sunt legitima acceptationis requisita.

1^{um} est, ut donatio acceptetur ab ipso donatario vel a tertio, qui ejusdem vices legitime gerit. 2^{um} Ut acceptatio fiat vivente donatore.

888. Quæsita. — Quær. 1° *Quid requiratur, ut valeat donatio in gratiam absentis?*

Resp. Donatio sicut et promissio absenti facta per litteras ad ipsum nominatim scriptas, vel per nuntium aut procuratorem, debet acceptari coram nuntio aut eo, qui donatorem repræsentat, vel per alias litteras ad donatorem ex parte donatarii missas; aliter enim constare nequit de mutuo donatoris et donatarii consensu in idem placitum.[2]

[1] L. IV. 724.
[2] H. A. Tr. X. 130.

Quær. 2° *Quid si donator, misso nuntio, donationem revocaverit?*

Resp. 1° Si donator revocet donationem antequam acceptetur, et revocatio innotescat nuntio quem misit, jam nuntius nihil amplius potest efficere; siquidem omnis potestas offerendi vel tradendi est ipsi adempta.[1]

Resp. 2° Si autem revocatio non innotescat nuntio ante executionem, tunc distinguendum est: *vel* ille se habet solum instar nuntii referentis alterius donationem, aut rem tradentis, *vel* habet mandatum faciendi donationem. Si prius, per factam revocationem donatio subsequens irritatur, quia deest omnino consensus ex parte donantis. Si posterius, valent ejus acta, et donatio valide acceptari potest. Tenetur enim mandans ratum habere id, quod ex vi mandati bona fide ejus nomine gestum est.

889. — Quær. 3° *Quid tenendum de acceptatione donationis* AD PIAS CAUSAS?

Resp. Abstractione facta a dispositionibus *mere civilibus*, quæ valorem donationis piæ *pro foro interno* non attingunt; quæstio proposita solvenda est *cum distinctione*, nimirum:

Vel agitur de donatione, quæ fit immediate Deo et quæ proinde naturam induit *voti* ac vocari solet *ex voto*, v. g. promitto aut dono Deo hanc pecuniæ summam pro altari in Ecclesia ad Missæ celebrationem erigendo;

Vel agitur de donatione, quæ fit immediate ipsimet Ecclesiæ aut causæ piæ, v. g. dono hanc pecuniæ summam, non immediate ipsi Deo, sed ipsimet Instituto religioso pro infirmis curandis.

Si primum; valet donatio per se sine ulla acceptatione ex parte Ecclesiæ aut causæ piæ; quia tunc donatio, ut dictum est, se habet ad instar voti, quod a Deo ipso illico acceptari censetur.

Si secundum; probabilius, ex plurium Auctorum sententia, ad valorem donationis necessaria est acceptatio; quia tunc donatio se habet ad instar contractus, qui sine utriusque partis consensu non perficitur. Addunt tamen acceptationem istam nomine Ecclesiæ *valide fieri posse a qualibet persona particulari.*

Quodsi circa hujusmodi donationes pias occurrat dubium de intentione donantis, utrum scil. donans voluerit donare immediate Deo, an causæ piæ; practice teneatur hæc regula, a St. Alphonso[1] ex Lugone tradita: in tali dubio præsumendum est, donantem habuisse intentionem donandi immediate Deo, sive intentionem vovendi; quia juxta communiter contingentia in causis piis voluntas donantis in Deum primario fertur, et *ex communiter contingentibus solida stat præsumptio.*

Cæterum, ubi talia sunt rerum adjuncta, ut obscuritati locus remaneat, consulendus est Ordinarius, cui ex Conc. Trid. specialis incumbit cura dispositionum piarum.

890. — Quær. 4° *An valeat donatio, si donator ante acceptationem moriatur?*

Resp. Neg., si tantummodo mandatum donationis faciendæ dederit.[2] — Utrinque autem probabiliter controvertitur, si donatio jam facta sit, et donans ante mortem mittat nuntium aut epistolam ad illam manifestandam.

Quær. 5° *An, mortuo donatario ante acceptationem, possit hæres ejus donationem acceptare?*

Resp. Neg. probabilius, quia hæres succedit quidem in juribus realibus defuncti, non vero in personalibus, cujusmodi est jus acceptandi donationem; nisi forte sit filius donatarii, quia tunc præsumeretur, talem esse donantis mentem, — prouti quidam admittunt, — sin minus stricto jure, saltem ex quadam æquitate.

Quær. 6° *An obliget donatio jurata, sed non acceptata?*

Resp. Neg., quia juramentum sequitur naturam actus; atqui donatio ante acceptationem non est firma. Ergo[3] . . .

§ VI. *Quo sensu donatio debeat esse irrevocabilis; et quibusnam in casibus revocari possit.*

891. — 1° Donatio *inter vivos* quæcumque revocari potest ante acceptationem.[4]

2° Donatio *mortis causa* revocari a) *potest*, si donatorem pœniteat; b) revocatur *ipso facto*, si donator *vel* alteri rem donet, *vel* dedit intuitu alicujus instantis periculi, ex quo metuebat mortem, e. g. in gravi morbo vel instante prælio, — et

[1] H. A. Tr. X. 130.

[1] L. IV. 726. [2] L. IV. 730.
[3] Ib. 727. [4] Ib. 727.

periculum evasit; c) revocatur *ipso jure*, si donatarius moriatur ante donatorem.

3° Donatio *inter vivos* perfecta et acceptata jure nostro revocari nequit; at jure naturæ revocabilis est, si non adimpleantur *conditiones* donationi adjectæ, quod, ut per se patet, de donatione ad pias causas valet. Pro praxi tamen hic notari meretur, quod rarius occurrat donatio pia, quæ vere et proprie conditionalis dici possit, quamvis eidem forte adjectum sit aliquod onus implendum, puta: onus celebrandi quasdam Missas. Ratio est: quia donatio pia de se et ex natura sua fieri solet primario et principaliter propter Dei cultum, bonum Ecclesiæ, etc., ita quidem ut onus adjectum sit tantum motivum secundarium, a quo non pendet nec limitatur consensus donantis. Unde donatio pia cum onere adjecto regulariter non erit donatio sub conditione, nec proinde revocari poterit titulo *non impletæ conditionis*; sed ordinarie erit tantum donatio *sub* simplici *modo*, qui donationem piam non reddit revocabilem, licet modus iste ex justitia servari debeat, ut patebit ex jam sequentibus. Vide n. 868.

ARTICULUS II.

DE VALORE DONATIONIS SUB MODO, DONATIONIS ALLECTIVÆ ET DONATIONIS OB CAUSAM FALSAM.

A. *De valore donationis sub modo.*

892. — Per donationem *sub modo* intelligitur donatio facta cum adjectione alicujus oneris, a donatario suo tempore implendi, quin tamen impletio ista sit satis expressa et proprie dicta conditio. Jam vero certum est, donatarium, accepta semel tali donatione, in conscientia obligari ad servandum modum impositum, eumque teneri ad restituendum pro rata, si modum culpa sua non servaverit.

At, modo non servato, nec invalidatur, nec revocari a donatore potest donatio. Juris tamen remediis insistendum est ut servetur.[1] Vide n. 868.

B. *De valore donationis allectivæ.*

893. — Per donationem *allectivam* hic intelligitur donatio eo fine a donatore facta, ut donatarius non quidem obligetur, sed tamen excitetur et alliciatur ad aliquid præstandum v. g. donatio facta puellæ ad eliciendum ejus consensum in commercium illicitum. — Quod attinet ad valorem talis donationis, vide dicta n. 834. q. 7°.

[1] Kenr. Tr. XI. n. 20. Kent, T. IV. n. 126.

C. *De valore donationis ob causam falsam.*

894. — Per donationem *ob causam falsam* intelligitur donatio facta ob causam sive præsentem, sive præteritam, quæ certo putatur adesse, quin revera adsit v. g. donatio facta Petro, qua pauperi, dum pauper non est, aut donatio facta Petro, qua pauperi et probo, dum reapse quidem pauper, sed minime probus est. — Quoad valorem talis donationis hæc statuere licebit:

a) Si causa *principalis* sit falsa, donatio per se invalida est, et donatarius rem donatam restituere debet, nisi forte rationabiliter præsumi possit, quod donator *post factum* non amplius sit invitus ut donata retineantur. Et sic, in primo exemplo allato, donatio facta *Petro*, qua pauperi, ita ut paupertas sit causa *principalis*, deficiente paupertate, per sese corruit, atque ideo accepta a *Petro* restituenda sunt danti vel saltem aliis vere pauperibus, nisi aliter præsumere liceret de donantis voluntate post factum (n. 736. q. 5°).

b) Si causa *secundaria* sit falsa, donatio per se non videtur invalida, sed a donatore poterit revocari; ipse autem donatarius, si fuerit causa erroris, tenetur errorem detegere; nisi donator ita sit affectus, ut censeri possit non velle revocare, etsi errorem agnosceret. Et sic, in secundo exemplo allato, donatio facta Petro, *principaliter* qua pauperi et *secundario* qua probo, existente paupertate sed deficiente probitate, per se non videtur irrita, sed tantum revocabilis; Petrus autem si causa fuerit erroris, fingendo nempe se probum, dum minime probus est, errorem detegere debebit, nisi aliter præsumere liceat de donantis voluntate, uti ordinarie contingit in materia eleemosynæ, in qua sola paupertas, sed non probitas, ut causa aut conditio considerari solet (n. 736. q. 5°).

Ex dictis liquet, pro resolvendis hujusmodi casibus donationis ob causam falsam in praxi sedulo animadvertendum esse; a) quæ fuerit expressa donatoris intentio

in donatione facienda, et b) quæ sit aut saltem recte præsumatur esse ejus voluntas *post factum*. Cfr. S. Alph.[1]

ARTICULUS III.

DE SUCCESSIONE HÆREDITARIA.

NOTA. — *Agendum hic foret de sola illa successione hæreditaria, quæ ex* TESTAMENTO *existit, cum hæc sola ad donationem referri possit; de illa vero, quæ* LEGALIS *seu ab* INTESTATO *vocatur, agendum fuisset in* TRACT. DE JURE ET JUSTITIA *eo loco, ubi de variis dominii acquirendi modis sermo est. At, cum altera alteri intime connexa sit, et multa utrique sint communia, de utraque hic loci agere placuit.*

PRÆMITTENDA.

A. *De notione et divisione successionis hæreditariæ.*

895. *Notio.* — *Successio hæreditaria* (*hereditary succession*) est modus acquirendi, vel ex legis dispositione, vel ex ultima defuncti voluntate (legitimo testamento), dominium bonorum et jurium, quæ defunctus habebat tempore mortis. — *Viventis non est hæreditas.*

Ipsa bonorum ac jurium, quæ per successionem hæreditariam acquiruntur, universitas vocatur: *inheritance;* singulorum hæredum pars: *portion.*

Divisio. — Ex allata successionis hæreditariæ descriptione sponte fluit notissima ejusdem successionis divisio in legalem et testamentariam.

Successio *legalis*, quæ etiam dicitur successio *ab intestato* (*succession by operation of law*, or *ab intestat*), ea est, qua defuncti bona et jura acquiruntur ex legis dispositione, sine causa testamenti.

Successio *testamentaria* (*by testament or will*), qua defuncti bona et jura acquiruntur ex ultima ipsius voluntate, sive legitimo testamento.

B. *De notione et divisione hæredum.*

896. *Notio.* — Nomine hæredum (*heirs*), jure nostro veniunt illi, qui ex lege vel testamento in defuncti bona et jura succedunt *titulo universali* i. e. qui ex lege vel testamento acquirunt aut totam hæreditatem aut saltem aliquam hæreditatis quotam, puta dimidiam, tertiam partem. Qui vero ex testamento in defuncti bona et jura succedunt *titulo particulari* i. e. qui ex testamento acquirunt aliquas tantum res determinatas v. g. domum, agrum, omnia bona mobilia, omnia immobilia, omnium vel quorumdam bonorum usumfructum; hi non vocantur hæredes, sed legatarii (*legatees*).

897. *Divisio.* — Hæredes distingui solent:

a) In hæredes *legales* sive *ab intestato* (*heirs by operation of law*, or *at law*, or *right heirs*, or *lawful heirs* or *by descent* or *ab intestat*, or simply *heirs*), qui ad hæreditatem vocantur ex lege; et *testamentarios* sive *institutos* (*heirs by will*), qui ad hæreditatem vocantur ex ultima ipsius defuncti voluntate, per legitimum testamentum declarata.

b) In hæredes *necessarios*, qui a testatore quoad certam bonorum partem, a Jure determinatam (quam *legitimam* vocant seu *reservatam portionem*), præteriri nequeunt; et *voluntarios*, qui a testatore pro libitu præteriri vel institui possunt.

Hisce præmissis; jam summatim ea, quæ de successione hæreditaria Theologis Moralistis ignota esse non debent, exhibere satagemus, disserendo:

Primo loco de successione hæreditaria *in genere* i. e. de iis dispositionibus Juris, quæ omni successioni sive *legali*, sive *testamentariæ* sunt communes; probe tamen semper distinguendum est inter *hæredem* et *legatarium;* quæ enim dicentur de hæredibus, ea non per se applicari possunt legatariis.

Secundo loco de successione *legali* i. e. de iis dispositionibus Juris, quæ hæredibus *legalibus* sunt propriæ.

Tertio loco de successione *testamentaria* i. e. de iis dispositionibus Juris, quæ pertinent ad hæredes *institutos*, et ad *legatarios.*

§ I. *De successione hæreditaria in genere, seu de iis dispositionibus Juris nostri, quæ omni successioni tam* LEGALI, *quam* TESTAMENTARIÆ *sunt communes.*

898. *Quid generatim requiratur ut quis hæres esse valeat.* — Requiritur 1° Ut

[1] L. IV. 737.

sit saltem conceptus eo momento, quo moritur ille, cujus est hæres vel legatarius. *Substitutione* tamen etiam non conceptus ad hæreditatem vel legatum vocari potest. Sic valet e. g. dispositio, qua quis bona sua aut aliquod suum bonum alicui relinquit cum onere, ut aliquis ex hujus descendentibus ea inhæreditet.

2° Ut non sit jure *inhabilis*.

899. *Jura hæredum.* — 1° Acquirunt *dominium* bonorum et jurium ejus, cujus sunt hæredes, idque eo ipso momento, quo hic moritur, et quin necesse sit, ut declarent se velle acquirere illud dominium, et licet inscii sint se esse hæredes. Hæc tamen *dominii* acquisitio a) non est confundenda cum *actuali ejusdem possessione*, quæ per executorem seu administratorem hæreditatis procuratur. b) Cum *acceptatione* hæreditatis; potest enim repudiari.

2° Jus habent ad petendam hæreditatem (i. e. ad bona et jura defuncti recuperanda) ab omnibus, qui eam ejusve partem detinent.

900. *De hæreditatis aditione et repudiatione.* — Juxta axioma juris: "Nemo hæres, nisi velit." Ergo nemo tenetur hæreditatem adire seu acceptare. Nullus apud nos, si Luisianam excipias,[1] actus requiritur, quo hæreditatem quis repudiet; sufficit, ut hæreditatem neque petat, neque adeat intra tempus ad præscriptionem juris sui statutum, quo tempore lapso jure suo cadit, licet ignoraverit se esse hæredem.[2]

901. *Quid ad hæreditatem pertineat.* — Ad hæreditatem pertinent

1) *Ut onera;* a) debita et onera realia defuncti; expensæ sepulturæ et funeralium; necnon eæ, quæ cum executione testamenti aut administratione hæreditatis conjunguntur. b) Legata.

2) *Ut bona;* a) bona et jura defuncti; b) omnia, quæ *collationi* subjiciuntur. Collatio autem est actus, quo unus ex hæredibus ad summam bonorum, quam testator inter hæredes dividendam reliquit, ea bona refert, quæ a defuncto per donationem *inter vivos* accepit, ut inter omnes ex æquo dividantur. "Si igitur pater filiæ occasione nuptiarum agros, vel domos, vel magnam pecuniæ copiam tradiderit" vel dotem satis insignem ut monasterium ingrediatur; "vel si filio hujusmodi dona contulerit, ut ei provideret; qui apud eum manserunt filii, nullo dono aucti, exigere possunt, ut eorum habeatur ratio in hæreditate dividenda. Poterunt quidem qui a patre ea acceperunt, omni juri renuntiando, a divisione ineunda abstinere; quod si aliquid ultra sibi velint vindicare, id tantum debebitur quod addatur necesse est, ut par sit omnium portio." [1]

A collatione tamen eximuntur a) quæ defunctus dedit, hæredem a collatione nominatim eximendo, vel titulo *præcipui juris* (*by benefit*); b) expensæ nutritionis, educationis, nuptiarum (*wedding*), artis vel scientiæ addiscendæ, et similia, nisi de contraria intentione defuncti clare constet; c) donationes manuales, nisi sint maximi momenti; d) fructus rerum *referibilium*, quos percepit donatarius ante mortem testatoris usque ad diem, qua successio aperta fuit; e) pecunia adhibita ad filium ex militia redimendum; cum enim id apud nos locum tantum habeat tempore belli et durum esset filio periculis belli exponi præ aliis cohæredibus, suis quasi expensis, — præsumendus est pater, nisi de contrario clare constet, hanc pecuniam a collatione eximisse; f) quæ de bonis paternis filius *inhoneste* expendit, v. c. in ludis, potationibus, etc., si plus non expendit, quam pater contentus fuisset, ut in *honestas* recreationes impenderet.

Pro Luisiana vide, si lubet, "Civil Code of Louisiana.[2]

902. *Vis originaria successionis hæreditariæ.* — Multum apud Auctores agitata est quæstio de vi originaria successionis hæreditariæ; utrum nempe successio, sive ab intestato, sive ex testamento, vim suam transferendi dominium originarie repetat ex jure naturæ; an vero ex positiva hominum lege, ita ut, seclusa *hac* lege, bona et jura defuncti per se fierent res nullius. — Nobis, quid ea de re probabilius tenendum videatur, hic paucis exponere sufficiat.

A) *Quoad successionem ab intestato.* — Attentis tum natura proprietatis, tum indole societatis parentalis et familiæ, tum etiam exigentia ordinis publici; omnino

[1] Civ. Code of Louis. a. 1014. sq.
[2] Kenr. Tr. X. 92.

[1] Kenr. Tr. X. 88. [2] a. 1227. sq.

resolvendum esse censemus, eam successionem vim suam originariam mutuare *a lege naturæ*, maxime quidem ubi agatur de successione, qua proxime consanguinei consanguineis defunctis, puta, qua filii parentibus defunctis succedant.[1] — Attamen, cum lex naturæ in genere tantum et quasi indefinite successionem ab intestato dirigat, et per consequens multa in hac materia legi positivæ magis specificanda ac determinanda relinquat; hinc merito etiam dices: Successio ab intestato vim suam transferendi dominium principaliter repetit ex lege naturæ, et secundario ex positiva hominum lege, quippe qua vis naturalis successionis magis ordinata, multoque validior evasisse videtur.

B) *Quoad successionem ex testamento.* — Defendimus cum Grotio,[2] cujus sententia a multis vocatur communior et probabilior, quemlibet hominem, non legitime impeditum, *jure naturali* posse de bonis suis *per testamentum* valide disponere, et consequentur etiam successionem *testamentariam* vim suam transferendi dominium principaliter mutuare a lege naturæ, et non a sola lege humana; quamvis tamen legislatori humano iterum competat hac in re ea ordinare, quæ necessaria sunt, ut res debito modo et ordine peragantur. "Quamquam," ait Grotius l. c., "testamentum, ut actus alii, formam certam accipere possit a jure civili; ipsa tamen ejus substantia cognata est dominio, et, eo dato, juris naturalis. Possum enim rem meam alienare non *pure* modo, sed et *sub conditione;* nec tantum irrevocabiliter, sed et revocabiliter, atque etiam retenta interim possessione et plenissimo fruendi jure. Alienatio autem in mortis eventum, ante eam revocabilis, retento interim jure possidendi ac fruendi, est testamentum. . . . Hoc jure Abrahamus, si sine liberis decessisset, res suas Eliezero relicturus fuerat, ut indicat locus Gen.[3] Quod vero alicubi *externis* testamentum facere non conceditur, id non est ex jure gentium; sed ex jure proprio illius civitatis, et, ni fallor, ab illa veniens ætate, qua *externi* quasi *pro hostibus* habebantur: itaque apud moratiores populos merito exolevit."

903. — Equidem fateri oportet, propositam sententiam de vi *naturali* dispositionis testamentariæ non admitti a nonnullis Theologis et Juristis, qui ex adverso contendunt, testamentum sive ultimam voluntatem vim et efficaciam transferendi dominium non habere a *naturali*, sed tantum a *positiva hominum lege;* eamque assertionem suam sequenti argumento, hodiedum satis celebri, probare nituntur:

Ad translationem dominii, *de jure naturæ*, requiritur, ut dominus rem suam in alium transferre *velit* ac *valeat;*

Atqui testamentum, ex indole sua, hoc requisitum excludit; cum testator rem suam in alium transferre *ante mortem non velit*, et *post mortem non valeat;*

Ergo testamentum, de *jure naturæ*, ad translationem dominii ineptum est; atque ideo, si qua testamento adscribenda sit vis, ea ex sola lege positiva repetatur necesse est.

Verum Auctores isti hujusmodi aphorismis nil efficere videntur; cum nullatenus attendant ad naturam *donationis sub conditione suspensiva*, de qua loquitur Grotius l. c.; hac enim attenta, sic potius in favorem sententiæ nostræ argumentari oporteret:

Ad translationem dominii, *de jure naturæ*, requiritur, ut dominus rem suam in alium transferre *valeat* ac *velit*, vel *absolute et actualiter*, vel *sub conditione;*

Atqui testamentum, ex indole sua, hoc requisitum includit; cum testator eo ipso momento, quo testamentum conficit, rem suam in alium transferre *valeat* et reapse etiam *velit, nempe: sub conditione suspensiva mortis.*

Ergo testamentum de jure naturæ ad translationem dominii ineptum non est.

Instant autem præfati Auctores producendo argumentum hoc alterum:

Saltem, ad translationem dominii, *de jure naturæ*, requiritur, ut voluntas acceptantis *uniatur* cum voluntate transferentis;

Atqui, in casu testamenti, voluntas acceptantis non *unitur* cum voluntate transferentis, qui, tempore acceptationis, mortuus est;

[1] St. Thomas in l. 4. Sent. Dist. 33. q. 2.
[2] De jure belli et pacis Tom. I., Libr. II., Cap. VI. § XIV.
[3] 15. 2.

Ergo, in casu testamenti, de jure naturæ non fit dominii translatio.

Sed et hæc argumentatio valde infirma videtur, utpote non distinguens inter unionem voluntatum *actualem* et *virtualem*. Esto enim, quod, in casu testamenti, non detur unio voluntatum *actualis;* certo tamen datur unio *virtualis*, cum voluntas transferentis, in ipso testamento, ex vulgari æstimatione (quam fundatam puto in fide immortalitatis animæ) saltem *virtualiter* perseverare censeatur. Minime autem probari potest, ejusmodi unionem *virtualem*, in casu testamenti, de jure naturæ non sufficere; quinimmo, eam unionem revera sufficere, satis constat ex facto, notatu hic dignissimo, quod usus Gentium et ipsa omnium hominum inclinatio naturalis ultimam defunctorum voluntatem sacram semper et speciali honore prosequendam esse censuerit.

Cæterum, quidquid sit de valore sententiæ, a nobis impugnatæ; *pro historia* saltem adhuc notari meretur:

Omnes Communismi fautores avide amplexos esse doctrinam de repetenda vi successionis ex sola lege humana, utpote systemati suo magis faventem. Admissa enim hac doctrina, eo majori jure exigere sibi videntur, ut Potestas Civilis vim et efficaciam, quam successioni antea tribuit, nunc demum ab ea auferat, atque ita desideratam omnium bonorum communitatem tandem aliquando agnoscat et promoveat. Quæ autem, quæso, esset omnium, quotquot sunt, Theologorum vox, ubi potestas civilis huic Communistarum voto satisfaceret? Nonne omnes uno ore edicerent, ejusmodi indulgentiam potestatis civilis prorsus improbandam et civibus injuriosam esse? Qua autem ratione indulgentia ista dici posset injuriosa, nisi admittatur, vim successionis *principaliter* derivari a *lege naturæ!*

Ita acute cl. Van Egeren, ex cujus præclaris Notationibus hæc et multa alia de Donationibus, de Successione hæreditaria deque Emptione-Venditione pene ad verbum excripsi.

§ II. *De Successione hæreditaria legali sive de iis dispositionibus Juris, quæ hæredibus* LEGALIBUS *sunt propriæ.*

904. — *Quinam ad hæreditatem* AB INTESTATO *vocentur, et quam partem hæreditatis singuli hæredes obtineant.* "In the United States . . . each State has established a law of descent for itself. . . . There is no entire, though there is an essential, uniformity on this subject. . . . It will be sufficient to state those leading principles . . . which are of the most general application."[1]

The debts of the intestate having been paid, and the dowry of the wife (vide n. 605), if she survives, subtracted, the rest of the inheritance passes to the heirs according to the following rules.

905. — I. *Rule.* The inheritance "shall descend to" the "lawful descendants in the direct line of lineal descent; and if there be but one person, then to him or her alone, and if more than one person, and all of equal degree of consanguinity to the ancestor, then the inheritance shall descend to the several persons as tenants in equal parts, however remote from the intestate the common degree of consanguinity may be."[2]

II. *Rule.* "If a person . . . leaves lawful issue of different degrees of consanguinity, the inheritance shall descend to the children and grandchildren of the ancestor, if any be living, and to the issue of such children or grandchildren as shall be dead, and so on to the remotest degree as tenants in common. But such grandchildren and their descendants shall inherit only such share as their parents respectively would have inherited if living."[3]

III. *Rule.* "If the owner of lands dies without lawful descendants, leaving parents, the inheritance shall ascend to them, either first to the father and next to the mother, or jointly, under certain qualifications" for which you may consult Kent.[4]

IV. *Rule.* "If the intestate dies without issue or parents, the estate goes to his brothers and sisters, and their representatives. If there be several such relatives, and all of equal degree of consanguinity to the intestate, the inheritance descends to them in equal parts, however remote from the intestate the common degree of consanguinity may be. If they all be brothers and sisters, or nephews and

[1] Kent, Vol. IV. 374. [2] Ib. n. 375.
[3] Ib. 390. [4] Ib. 393 – 400.

nieces, they inherit equally; but, if some be dead leaving issue, and others living, then those who are living take the share they would have taken if all had been living, and the descendants of those who are dead inherit only the share which their parents would have received if living. The rule applies to other direct lineal descendants of brothers and sisters, and the taking *per capita* when they stand in equal degree, and taking *per stirpes* when they stand in different degrees of consanguinity to the common ancestor, prevails as to collaterals, to the remotest degree, equally as in the descent to lineal heirs." [1]

V. *Rule.* "In default of lineal descendants and parents, and brothers and sisters, and their descendants, the inheritance ascends to the grandparents of the intestate, or to the survivor of them." [2]

VI. *Rule.* "In default of lineal descendants, and parents, and brothers and sisters, and their descendants, and grandparents, the inheritance goes to the brothers and sisters equally, of both the parents of the intestate, and their descendants. If all stand in equal degree of consanguinity to the intestate, they take *per capita;* and if in unequal degrees, they take *per stirpes*. . . . The rule is controlled in . . . some . . . States by the following rule." [3]

VII. *Rule.* "If the inheritance came to the intestate on the part of his father, then the brothers and sisters of the father, and their descendants, shall have preference, and, in default of them, the estate shall descend to the brothers and sisters of the mother, and their descendants. But if the inheritance came to the intestate on the part of his mother, then her brothers and sisters, and their descendants, have the preference; and, in default of them, the brothers and sisters on the father's side, and their descendants, take." [4]

VIII. *Rule.* "On failure of heirs, under the preceding rules, the inheritance descends to the remaining next of kin to the intestate." [5]

IX. *Rule.* "If there be no remaining next of kin, or if none lay claim to it within the time required in every State for the prescription of inheritances, the State is heir."

X. *Rule.* "The next of kin is" generally "determined by the rule of the Civil," and not of the Canon "law." [1] Vide *Tract. de Matrim. de impedimento cognationis.*

XI. *Rule.* "In *a majority* of the States the descent of *real* and *personal* property is to the same persons and in the same proportions." [2]

906. — *Quinam ab hæreditate* AB INTESTATO *excludantur.*

1° Qui tempore, quo intestatus moriebatur, necdum conceptus est, aut (quod tamen non in omnibus Statibus valet), licet conceptus eo tempore fuerit, postea non est natus vivus.

2° Alienigenæ *quoad immobilia* in certis Statibus omnino excluduntur; in aliis, ut cives, hæredes esse possunt; in aliis demum jus hæredum obtinent, si juramento probaverint animum semper in Fœderatis Statibus commorandi, vel eos incolant eo momento, quo moritur intestatus.

3° Illegitimi ex parte patris, non vero ex parte matris, neque erga se invicem.

Illegitimi autem apud nos *universim* habentur illi soli, qui non sint legitimati per subsequens matrimonium; nati autem ex matrimonio *non legitimo*, habentur legitimi. [3]

907. QUÆSITA. — Quær. 1° *An parentes in conscientia teneantur agnoscere, aut, occasione nuptiarum, legitimare prolem suam illegitimam, ut sic eidem procurent favores a lege civili concessos?*

Resp. Quamvis parentes injuriam, proli suæ illegitimæ, per procreationem extra-matrimonialem causatam, sola ejusdem agnitione et ligitimatione auferre valeant; atque ideo, si grave non obstet impedimentum, ad hanc agnitionem et legitimationem sedulo inducendi sint; non tamen ad hoc *sub gravi* obligari posse videntur; modo aliter satisfaciant officio suo *naturali*, quo proli suæ saltem debent necessaria ad vitæ sustentationem, ad Christianam educationem et ad statum decentem.

Quær. 2° *An* INJUSTE *agant nupturientes, qui occasione matrimonii (uti non raro contingit), falso agnoscant et legiti-*

[1] Kent, Vol. IV. n. 400. 401. [2] Ib. n. 407.
[3] Ib. n. 408. 409. [4] Ib. n. 409.
[5] Ib. n. 409.

[1] Kent, Vol. II. n. 422. [2] Ib. n. 427.
[3] Walker, § 159.

ment prolem illegitimam, quæ non utriusque, sed tantum alterutrius proles est ?

Resp. Præmissa monitione, quod hic *unice* moveatur dubium de stricte dicta *injustitia*, saltem inchoativa, erga hæredes futuros, dicendum, de *stricta injustitia* erga hæredes futuros, in proposito casu, iis certe in Statibus ubi filii non sunt hæredes necessarii, non certo constare; atque ideo tales nupturientes ad restitutionem non esse cogendos.

908. — *Occupatio hæreditatis.* "Power to administer the property" of an intestate is "granted" by the Court in "the following order: 1st, to the widow; should there be none, then, 2d, to the children; should there be none, then, 3d, to the father; 4th, to the brothers; 5th, to the sisters; 6th, to the grandchildren; 7th, to any other of the next of kin. If any of the persons so entitled are minors, then to their guardians; if the relatives or guardians will not accept, then to the creditors of the deceased, the creditor first applying, if otherwise competent, to have the preference."[1]

§ III. *De successione testamentaria, sive de iis dispositionibus Juris, quæ pertinent ad* HÆREDES INSTITUTOS *et ad* LEGATARIOS.

909. *Quid sit testamentum ?* — "Testamentum est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit." Ita Modestinus in Jure Romano.[2] Hæc definitio Juri nostro conformior est, eo quod non requirat, ut *vel* hæres in testamento instituatur, *vel* legatum aliquod in eo relinquatur. Sufficit nimirum, ut testator declaret quid post mortem suam fieri velit, e. g. qua ratione funus habendum sit, etc.

910. — *Qua ratione testamentum interpretandum sit ?*

1° Verba clara non recipiunt interpretationem.

2° Si verba multiplicem admittunt sensum, mens testatoris attendenda est. Mens autem testatoris ea censetur fuisse, quæ naturæ et objecto ultimæ suæ voluntatis conformior sit. Censendus etiam est voluisse, ut testamentum suum aliquid operetur, et noluisse aliquid quod legibus sit contrarium.

3° Conditio ultimæ voluntati adjecta habenda est, a) ut non apposita, si sit vel inintelligibilis, vel impossibilis, vel bonis moribus aut legibus contraria (vide tamen dicta n. 870. 2°); b) ut impleta, si is, cujus intererat eam non impleri, implementum ejus impedivit (n. 870. 5°).

4° Dispositio testamentaria innixa motivo finali, aut falso aut contrario legibus aut bonis moribus, nulla est habenda.

5° Ultimæ voluntatis dispositio, vi, dolo aut malis artibus obtenta, nulla est.

911. *Qui possint, et qui non possint testari ?* — "All persons of sound mind, except infants, . . . married women," corporations, and with regard to real estate aliens, "are legally entitled to dispose of their property by will; and infants of the age of fourteen, if males, and twelve, if females, may make wills of personal property. But this rule of the common law has been generally modified by statute."[1] So for instance in *many* States married women are not excluded, and in *all* "the wife may dispose, by will or by act in her lifetime, of her separate *personal* estate, settled upon her, or held in trust for her, or the *savings* of her real estate given to her separate use."[2] "Equity will carry into effect the will of a *feme* covert, disposing of her *real* estate in favor of her husband or other persons than her heirs at law, provided the will be in pursuance of a power reserved to her in or by the antenuptial agreement with her husband."[3] On the contrary, in many States the restriction laid upon infants has been increased by the prescription, that personal property may be willed by males at the age of eighteen, and by females at sixteen. With regard to aliens, see n. 654.

Si agatur de testamento ad pias causas, de Jure Canonico habiles sunt *puberes*, i. e. masculi, qui ætatem 14 — et fœminæ, quæ ætatem 12 — annorum compleverunt.

912. *Quis hæres aut legatarius institui possit ?* — Generally in this country all natural persons, without exception, are capable of taking by will, provided

[1] Wells, p. 95.
[2] Dig. XXVIII. T. 1. L. 1.

[1] Wells, p. 92. [2] Kent, Vol. II. n. 170.
[3] Kent, Vol. II. n. 172.

a) They be in being at the time of making the will, or be the immediate issue of persons then in being;

b) They be not subscribing witnesses to the will.

Whether corporations can take by will or not, depends upon the express provisions of their charters. With regard to aliens see n. 654.

913. *De quibus bonis quisque disponere possit?* — All a man can dispose of in anticipation of death is the surplus which remains a) after all his debts are paid, and b) the widow's dowry (n. 605). has been subtracted. Jure tamen naturæ, ut n. 902 dictum est, filiis etiam pars aliqua bonorum relinquenda est, et ratione caritatis et pietatis sub *gravi* etiam fratribus et sororibus in necessitate *extrema* aut *gravi* constitutis.[1] — In Luisiana quota bonorum, de qua testator disponere possit, aliter determinatur.[2]

914. — *Qua forma testamentum conficiendum sit ut valeat?*

Prænotandum. — Testamentum est vel *olographum*, quod totum propria testatoris manu descriptum est; vel *solemne*, quod ritu a lege præscripto confectum est; vel *nuncupativum*, quod verbis tantum profertur; vel *privilegiatum*, quod ex legis favore valet, consuetis solemnitatibus omissis; nautis namque aliisque in mari versantibus, et militibus concedunt leges pleræque privilegium disponendi de rebus mobilibus absque consueta solemnitate. *Codicillus* vocatur ultimæ voluntatis dispositio, qua circa testamentum aliquid explicatur, aut addendo vel demendo immutatur. *Fideicommissum* est ultimæ voluntatis dispositio qua testator fidei alicujus aliquid committit, v. g. agros, quorum fructus in alterius utilitatem impendat.

Quænam ex his testamentis in singulis Statibus valeant, et qua forma, et pro quibus bonis valeant, quisque videat ex legibus sui Status. Sufficiat hæc generalia notasse.

1° Nuncupative, unwritten wills are always unsafe; and, although they are legal under many circumstances, they rarely fail to leave room for troublesome and expensive litigation."[3]

[1] L. IV. 946.
[2] Civil Code of Louis. a. 1493. sq.
[3] Wells, p. 93.

b) "A codicil . . . must be executed with the same formality as a testament, — that is, in the presence of the same number of witnesses."[1]

c) In making a will the intention of the testator . . . should be fully and plainly stated; if the testator intends to give the property for a certain number of years, or for life, or forever, he should say so; he ought also to describe the property with reasonable certainty, as, for instance, "my house and lot known No. 65 Bond Street, New York," or "my six houses and lots known as Nos. 81, 83, 85, 87, 89, and 91 Pearl Street," or "my farm of one hundred and sixty acres, in Claverack, Columbia County, State of New York," or "my gold watch," or "my horse," etc., etc.[2]

d) "All wills" (the nuncupative excepted) "must be made in writing, with the testator's full name at the end."[3] Written either by himself or some other person in his presence, and by his express direction. Every person, however, who shall sign the testator's name to a will by his direction, must write his own name as a witness to the will in the presence of two other witnesses.

e) "Witnesses should always write their respective places of residence after their name."[4]

f) The number of witnesses required varies in the different States. In Pennsylvania, however, no subscribing witnesses are required, provided the signatures to the will can be proved by the oaths of two respectable witnesses.

915. — *De valore testamenti informis, i. e. testamenti, cui desunt formalitates, a lege civili sub pœna nullitatis requisitæ.*

Quær. 1° *An valeat hujusmodi testamentum, conditum ad pias causas?*

Resp. Præmissa animadversione, quod testamenta ad pias causas condita esse censeantur, quatenus in iis aliquid Ecclesiæ, aut Loco Pio, aut Sodalitio, aut certæ personæ relictum est, ut cultus divinus, vel bonum animarum promoveatur, vel pauperum calamitas sublevetur; sine ulla hæsitatione profitemur, cum sententia, hodiedum *communissima* et *certa*: talia testamenta, licet formis legalibus desti-

[1] Wells, p. 93.
[2] Ib. pp. 92. 93.
[3] Ib. p. 93.
[4] Ib. p. 93.

tuta, in foro conscientiæ valida et executioni mandanda esse; modo hæredi *constet* (non dico: de velleitate aut proposito inefficaci, sed) de voluntate testatoris, sive per scripturam ipsius indubitatam, sive per verba ex ipso audita aliove modo simili, sive etiam per testes; quo ultimo tamen in casu, nimirum, si certitudo acquirenda sit *unice* ex aliorum testimoniis, non sufficit, juxta St. Alph.,[1] testimonium unius, etiam parochi aut confessarii, sed requiruntur testes saltem *duo*, sive masculi, sive feminæ.

Ratio hujus assertionis est: quia eo ipso, quod quis de bonis suis disponit ad pias causas, materia hæc fit *spiritualis*, ideoque subjecta jurisdictioni *Ecclesiæ*, quæ utique libera est et immunis a potestate civili in omnibus, quæ suæ jurisdictioni directe subsunt. Atqui Ecclesia præfata testamenta, modo de voluntate testatoris, ut supra, constet, pro foro conscientia valida et exequenda esse decernit; uti manifeste eruitur *tum* ex variis textibus Juris Canonici; *tum* ex diversis responsionibus S. Pœnitentiariæ, inter quas hic præsertim notandam ducimus sequentem responsionem datam Canonico Andegavensi, die 23 junii 1844.

POSTULATUM.

"Eudorius, . . . hæredibus necessariis destitutus, . . . statuit, partem bonorum in pia opera erogare. Ad hunc finem Bonifacium legatarium universalem instituit per testamentum, debitis vestitum formis. Scriptum autem privatum Bonifacio tradit, in quo piam manifestat voluntatem postulatque ab ipso, ut eamdem fideliter exequatur. Bonifacius vero, mortuo Eudorio, integram hæreditatem servat ex eo, quod testamento valido illam teneat. Postulatur, utrum in conscientia tutus esse possit."

Sacra Pœnitentiaria respondit: Bonifacium *teneri in conscientia ad implendam voluntatem Eudorii certo cognitam.*

Licet igitur, in proposito casu, de pia intentione Eudorii non constet, nisi ex scripto, *formis legalibus destituto;* S. Congregatio nihilominus declarat, Bonifacium debere implere cognitam testatoris voluntatem.

[1] L. IV. 924.

Quapropter, agentes de testamentis piis, pro *foro conscientiæ* simpliciter dicamus oportet: Patrimonium Deo creditum, nec respublica eripere, nec fiscus invadere, nec calumnia aliqua forensis evertere valet.

916. *Resolves.* — Ergo hæredes, qui testamentum ad pias causas, certo cognitum, licet informe, exequi renuunt, sacramentaliter absolvi non possunt; nisi forte (uti hac in re sæpius contingit) obligationem suam bona fide ignorent, et confessarii monito non obtemperaturi timeantur. Hoc tamen in casu confessarius, si fieri possit, recurrat ad consilium Ordinarii, cui, ex Conc. Trid.,[1] cura executionis piarum dispositionum demandata est.

917. — Quær. 2° *An valeat testamentum informe* AD CAUSAS PROFANAS?

Resp. Quemadmodum omnino affirmandum esse arbitramur, defectum formalitatum civilium non præjudicare testamentis *piis;* ita e contra facile concedimus, defectum earumdem formalitatum plurimum nocere posse testamentis *profanis*, si talis fuerit mens legislatoris, cujus jurisdictioni causæ profanæ subjacent. An autem mens legislatoris talis reapse fuerit, irritandi nempe per se, etiam pro foro interno, testamenta informia, summopere controvertitur. Tres communiter afferri solent sententiæ, quarum *prima* affirmat, *secunda* negat, dum *tertia*, media quasi via incedens, propugnat: legislatorem voluisse quidem testamenta informia irritare, sed ita dumtaxat, ut irritatio ista plenum effectum non habeat, nisi post sententiam judicis.[2]

In tanta animorum conflictatione, sequentia statui posse opinamur, utpote æquitati naturali et communiori praxi satis consona.

1° Hæres *ab intestato* beneficio legis uti, et rescissionem testamenti informis a judice petere licite potest; modo non aliunde ad executionem talis testamenti obligetur, puta, si vi vel fraude confectionem testamenti validi impedivisset, vel si ageretur de testamentis ad pias causas, ad debita solvenda aut ad restitutionem faciendam.

2° Testamento informi per sententiam judicis rescisso, hæres aut legatarius ex tali testamento, vi hujus, nihil amplius

[1] Sess. 22. c. 8. de Ref.
[2] Cfr. St. Alph. L. IV. 927.

sibi accipere poterunt, et, si quæ forte jam antea bona fide occupaverint, ea hæredi *ab intestato* reddere debebunt; nec ullo modo uti posse videntur *compensatione occulta*. Imo, quod attinet ad *compensationem occultam*, eam, nequidem ante judicis sententiam, St. Alphonsus [1]) (contra alios) admitteret adversus hæredem *ab intestato*, supposito quod hic jam erat in reali (et non solum in fictiva) hæreditatis possessione. — Quodsi testamentum informe nondum a judice rescissum sit, sed hæres *ab intestato* eam rescissionem certo petere proposuerit; hæres aut legatarius ex tali testamento ad idem, quod supra, obligari videntur, saltem *ex caritate;* quia, cum rescissio futura sit certa, in causa esse non debent, cur pars adversa sumptus et incommoda litis sustineat. Affirmare tamen non auderemus, inquit Bouvier, eos, qui etiam in hoc casu judicis sententiam expectare vellent, contra *justitiam* esse peccaturos.

3° Hæres aut legatarius ex testamento informi, tuta conscientia hæreditatem adire, partemque sibi contingentem accipere, aut bona sibi legata postulare ac retinere possunt, si hæredes *ab intestato* jure suo non utantur. Neque tenentur eos monere de vitio formalitatum, quod forte ignorent, modo nec dolo, nec alia via injusta iisdem vitium istud occultaverint.

4° Hæredes *ab intestato*, si donationes testamenti informis semel voluntarie ratas habuerint, confirmaverint, aut solverint, non amplius habere videntur recursum ad judicem.

Nota. — Qui ex testamento informi hæreditatem acquisivit et retinet, eo ipso tenetur ad solutionem legati, in eodem testamento sibi forte impositam. Non enim licet sententiam probabilem, semel electam, deinceps mutare, si ex tali mutatione certo una lex violaretur, ut patet ex dictis n. 76.

918. — **Quær. 3°** *An hæres ab intestato, qui testatori promisit, se certo soluturum esse legata, etiamsi testamentum esset informe, promissione ista vere obligetur?*

Resp. Cum distinctione: *vel* testator, ob hanc promissionem, abstinuit a conficiendo testamento, debitis formis vestito, aut ab inscribendo tali legato, *vel* non.

[1] L. I. 35.

Si prius; existimamus, promittentem in foro conscientiæ teneri ad indemnem servandum legatarium; nam si faciendo promissionem intendebat eam non implere, dolum commisit et sic injuste alterum impedivit a consecutione boni, ac proinde ad reparationem tenetur; si vero sincere promiserit, culpam quidem non commisit, sed eam committeret propositum mutando et ita verum damnum inferendo illi, qui alioquin legatarius fuisset institutus.

Si posterius; nempe si testator ob hanc promissionem non abstinuit; varia erit solutio pro varietate sententiarum de valore testamenti *informis*. Si admittatur sententia, quæ docet, *tale* testamentum esse validum; resolvi debet, promittentem *ex justitia* teneri ad implendam promissionem. Si vero admittatur sententia, quæ docet *tale* testamentum esse invalidum; resolvi potest, promittentem *ex stricta justitia* non teneri; cum conventio privata derogare nequeat dispositioni legum, in hac sententia suppositæ.

Occurrente igitur casu hic assignato, impletio promissionis multum suaderi et titulo fidelitatis urgeri, non autem sub *gravi* obligatione imponi posse videtur, nisi forte agatur de solvendis debitis, aut de causis piis, ad quas tota hæc quæstio tertia nullatenus spectat.

Quodsi promissio ista juramento esset firmata, ea, juxta S. Alph. (vide n. 866) *sub gravi* servanda esset, non quidem ex justitia, sed ex religione; nisi juramenti vinculum a competente auctoritate spirituali relaxetur.

919. *Qua ratione revocetur testamentum?* — "Ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum," [1] i. e. revocari potest, vel mutari testamentum, quamdiu testator inter vivos est. Casus, in quibus testamentum jure nostro revocatum censetur, hi fere sunt.

1° "Marriage and the birth of a child after" the will has been made, "provided such wife and child were unprovided for." [2]

2° "The will of a single woman is annulled in law by her marriage. But a woman," as has been said (n. 911), "may make a deed of settlement of her estate before marriage which shall empower her

[1] Dig. XXXIV. T. IV. L. 4. [2] Wells, p. 93.

to retain her right to make a will after marriage." [1]

3° "A sale of, or an agreement to sell, property devised in a will, is a legal revocation of a will." [2]

4° "Children born after" the will has been made, "and not provided for by settlement, are entitled, at the death of the testator, to such share of the property as they would have had if no will had been made." [3]

5° A will is also revoked; a) by intentionally destroying, tearing, cancelling, or obliterating it; b) by making a subsequent will; but generally the subsequent will must either contain words expressly revoking the former, or make a disposition of the property different from, and incompatible with the preceding; [4] c) by making a *codicil* for the *express* purpose of revocation.

Qua ratione in Luisiana revocetur testamentum, vide "Civil Code of Louis." [5]

920. *De executione testamenti.* — 1° The executor is instituted by the testator; but "no person can be an executor of a will who, at the time the will is proved, is either an alien, under 21 years of age, a drunkard, a convict, or deficient in understanding." Nor can a married woman be appointed. If no executor be appointed by the testator, or if the one appointed renounce such appointment, the law provides for one in different ways in the different States.

2° A will is of no effect until *probate* has been made, and the first duty of an executor is to have the will proved in the proper court.

3° After probate of the will, the executor is to follow its directions as far as they go; in every case, however, he has to make an inventory of the goods of the testator and to pay his debts according to the order prescribed by law.

CAPUT III.

DE COMMODATO ET PRECARIO.

921. — *Commodatum* est contractus, quo res ad solum usum *gratis* conceditur pro certo tempore, cum onere rem eamdem in individuo restituendi.

Precarium, quod commodato affine est, definitur: contractus, quo alicui petenti rei alicujus usus conceditur, revocabilis tamen ad concedentis voluntatem. Et in hoc a commodato precarium differt, quod ad concedentis arbitrium revocabile sit.

Hinc commodatum differt 1° a locatione, qua usus rei conceditur quidem, sed non gratuito; 2° a deposito, quo res traditur non ad usum, sed ad custodiam; 3° a mutuo, quo res in eadem tantum specie restituenda est.

Objectum porro commodati aut precarii esse possunt res quæcumque, sive mobiles, sive immobiles, in civili commercio positæ, modo consumptibiles non sint primo illo usu, cui destinantur.

Obligationes commodatarii.

922. — Generatim uti debet re sibi commodata tanquam bonus paterfamilias; speciatim vero

1° Non potest uti re commodata, nisi ad usum vel sibi concessum, vel cui prudenter judicat consentire commodantem, vel cui res ex natura sua destinatur; secus re aliena abutitur, omniaque inde provenientia damna reparare tenebitur.

2° Subire debet expensas necessarias ad rei conservationem, alere v. g. equum commodatum; sed non tenetur ad sumptus extraordinarios, v. g. ad curandum equum gravi morbo citra culpam suam laborantem.

3° Rem commodatam præfixo tempore et propriis expensis reddere debet, etiamsi non repetatur; quia dies statuta pro domino interpellat. Si restitutionis tempus præfinitum non fuerit, restitui res commodata debet statim ac postulatum usum præstiterit.

4° Si res commodata detrimentum aliquod ob concessum usum patiatur absque culpa commodatarii, iste ad compensationem non tenetur. Si deterior facta sit culpa ipsius juridica, tenetur in foro externo compensare, et juxta Theologos non paucos etiam in foro interno, cum contractus sit in solam ejus utilitatem initus. Negant tamen *valde probabiliter* alii, nisi de hoc peculiaris conventio intercesserit. Cfr. n. 748.

[1] Wells, p. 93. [2] Ib.
[3] Ib. [4] Kent, Vol. IV. n. 528.
[5] a. 1690–1696, 1710.

Obligationes commodantis.

923. — 1° Tenetur rem commodatam non repetere ante tempus præfixum, vel saltem, si hoc præfixum non fuerit, antequam commodatarius ea uti valeat : alioquin tenebitur de damno, quod alius expertus est ex intempestiva ejus revocatione, cum jus alienum pacto acquisitum sic violaverit. Excipe, si res commodata fuerit in favorem solius commodatarii, qui ante tempus præfixum moriatur ; vel si ipse commodans ex casu improviso re sua statim indigeat.

2° Tenetur restituere expensas extraordinarias, quas urgentes et ad rem conservandam necessarias subiit commodatarius, dum alioqui commodantem monere facile non potuit.

3° Rei commodatæ vitia nociva, si qua noscit, commodatario aperire tenetur ; alias damnum inde proveniens compensare debebit.

4° Tandem rei pericula atque detrimenta ex casu fortuito enata, seclusa mora, culpa, pacto, et peculiari lege, sustinere tenetur, quia juxta axioma : *Res perit domino.*

CAPUT IV.

DE DEPOSITO.

924. — Depositum est contractus, quo gratis res custodienda committitur et accipitur in integrum restituenda, quando deponenti libuerit. Accipi autem cura depositi censetur ab aurigis, nautis, stabulariis, aliisque ex officio obligatis ad res custodiendas, quoties ipsis videntibus res in domo, curru vel navi deponitur.

Obligationes depositarii.

1° Tenetur rem depositam servare ac custodire ea cura et diligentia, quam homines diligentes adhibere solent in consimili re propria conservanda ; hanc enim rei traditæ custodiam suscepit. Si res deposita ex dolo vel ejus incuria theologice culpabili pereat, ad restitutionem tenetur.

2° Uti re deposita non potest sine consensu domini expresso vel tacito, vel saltem prudenter præsumpto ; neque enim re aliena inconsulto domino uti licet. Consensus autem ille prudenter præsumitur, si res ex non usu deterior sit futura. Licet idcirco aliquando equo vehi apud te deposito ne diutius in stabulo manenti pedes tumeant. Item si agatur de re usu consumptibili, e. g. tritico, vel etiam de pecunia sacculo vel arcæ non inclusa, nec sigillo munita, dummodo certus sit depositarius se tantumdem ejusdem bonitatis habiturum, quando repetetur a deponente.

3° Tenetur rem depositam petenti statim reddere ; nam secus rem alienam haberet, domino rationabiliter invito. Excipe, — nisi deponens eam repetat in suum vel alienum damnum ; et sic non peccat differens pecuniam reddere ebrioso, qui ea ad potationem abusurus est ; — vel nisi res sit furtiva, et dominus eam repetat ; — vel etiam (saltem in foro conscientiæ) nisi depositarius justam habeat compensationis causam. Res autem deposita reddi in eo statu debet, in quo reperitur tempore restitutionis, et cum fructibus ex ea perceptis. Si vero culpa depositarii deterior facta fuerit, hic ad damnum reparandum obligatur.

Obligationes deponentis.

Deponens tenetur solvere expensas, quas depositarius subiit in re deposita servanda, illumque indemnem reddere pro omnibus, quæ occasione depositi passus fuerit. Sic v. g. si deposueris in alterius stabulo equum, solvere debes nutritionis expensas ; et si equus ille morbo contagioso laboret, ex quo equi depositarii inficiantur, hunc indemnem reddere debes. Hinc effatum : *Officium suum nemini debet esse damnosum.*

CAPUT V.

DE MANDATO ET NEGOTIORUM GESTIONE.

I. *De mandato.*

925. — *Mandatum* est contractus quo obligatio aliquid agendi in commodum alterius gratuito suscipitur, v. g. negotium aliquod perficiendi, aliquid emendi, vendendi, etc. . . . Dixi : *gratuito ;* nam si ob sancitum pretium suscipiatur, potius *operæ locatio* nuncupatur.

Obligationes mandantis.

1° Adimplere debet omnes obligationes a mandatario contractas et mandato consentaneas ; non autem id, quod ultra mandatum actum est, nisi expresse vel tacite ratum habuerit.

2° Ea præstare mandatario debet, quæ ad mandati executionem necessaria sunt, eique legitimos sumptus, quos fecit occasione mandati, refundere, etiamsi rem ad felicem exitum non perduxerit.

3° Indemnem præstare tenetur mandatarium ratione damnorum, quæ, præcisa culpabili imprudentia, occasione mandati passus fuerit ; nemo enim tenetur, nec censetur velle alteri beneficium cum proprio dispendio conferre.

Obligationes mandatarii.

926. — 1° Tenetur mandantis negotium diligenter ac velut proprium gerere. Unde saltem de dolo, et incuria theologice culpabili tenetur.

2° Intra mandati limites se continere debet. Unde nihil pluris emere vel minoris vendere potest, quam ipsi præscriptum sit ; secus enim vi mandati non ageret.

3° Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel ipse eam antea petierit, nec ei licet suam operam occulte compensare.

4° Non potest *per se* sibi retinere lucrum, si vendat, nec pretii excessum, si infra pretium determinatum emat, nisi dominus consentiat. *Per accidens* tamen potest mandatarius seu proxeneta sibi retinere pretii excessum, 1° si res ejus industria et labore melior evaserit ; 2° si tacite convenit cum domino, se nihil ei daturum esse ultra pretium seu valorem determinatum ; 3° si in meram ipsius gratiam venditor pretium imminuerit, vel emptor majorem summam obtulerit ; 4° si lucrum sit parvi momenti ; 5° si, adhibita diligentia ordinaria et non invento pretio majori, rem tibi emas, et postea pluris vendas, solvasque domino solum pretium assignatum. Idem resolve, si alter tibi commiserit aliquid emere tali pretio, et tu invenias rem pretio minori ; poteris sc. tunc rem tibi emere, et postea eam vendere pretio majori, dummodo postea, adhibita diligentia ordinaria, non invenisses occasionem rei emendæ, nisi illo majori pretio.[1]

Mandatum tribus modis scinditur : 1° revocatione mandati, quam mandans pro libitu facere potest ; 2° renuntiatione mandatarii tempore debito notificata ; 3° morte naturali vel civili, aut interdictione sive mandantis, sive mandatarii.

II. *De negotiorum gestione.*

927. — *Gestio negotiorum* est quidam *quasi-contractus*, quo quis absentis et ignorantis negotium utiliter gerendum suscipit, sine mandato expresso, sed ex ejus commissione rationabiliter præsumpta.

1° Gestor negotii, perinde ac mandatarius, tenetur alterius rem administrare tanquam bonus paterfamilias, et damna absenti illata ex suo dolo, negligentia vel culpa resarcire. In pluribus tamen circumstantiis temperari potest obligatio compensandi damna, maxime quando ista proveniunt ex imperitia vel negligentia gestoris, qui rem alterius in defectu peritioris gerendam sumpserit.

2° Absens, cujus negotium geritur, tenetur conventiones a gestore rite factas servare, et ipsi expensas et damna ex tali gestione provenientia resarcire, etiamsi res male successerit.

Probabilius jus habet ad mercedem congruentem ; secus enim pauci invenientur, qui negotia absentis gerenda sponte suscipiant. — Ita Antoine[2] et alii.

CAPUT VI.

DE MUTUO.

Agendum 1° de natura contractus mutui ; 2° de lucro ex mutuo percepto, seu de usura ; 3° de titulis ab usura excusantibus.

ARTICULUS I.

DE NATURA CONTRACTUS MUTUI.

928. — Vox *mutuum* juxta vim nominis significat aliquid *ex meo tuum fieri* et reciproce *tuum illud*, quod accepisti,

[1] L. IV. 825. 826. [2] C. 4. in fine.

rursus *fieri meum*. Aliquando sumitur pro ipsa re mutuo tradita; aliquando vero, et sæpius, pro contractu, quo ea res alteri utenda traditur. In postremo hoc sensu hic accipitur.

Mutuum definiri solet *contractus*, quo res primo usu consumptibilis alteri traditur, cum obligatione rem similem reddendi statuto tempore, atque in eadem specie et bonitate.

Res autem primo usu consumptibiles censentur ea omnia, quæ natura sua destruuntur et consumuntur ad humanis necessitatibus subveniendum, ut panis, frumentum, vinum, oleum, sal, fructus, etc. Item pecunia, quæ, licet non consumatur, nec pereat in se, perit tamen exponenti.[1]

Hinc mutuum differt a commodato, locato et deposito; 1° quia in mutuo res debet esse primo usu consumptibilis, secus in aliis; 2° quia res non in individuo, sed in specie tantum eadem reddenda est; 3° quia in mutuo transfertur rei dominium, et non in aliis; 4° quocirca in mutuo res perit accipienti, in cæteris tradenti.

Ratio porro, quare in mutuo stricto et proprie dicto transferatur rei dominium, est, quia, cum res mutua sit primo usu consumptibilis, ejusmodi usus non esset licitus sine dominio ipso. Hinc expensæ omnes et rei traditæ pericula cedunt mutuatario, utpote vero domino.

929. Principia. — I. Datur præceptum strictum mutuandi respectu pauperum, qui in extrema necessitate versantur, et habituri sunt, quo restituant. Ratio est, quia adest stricta caritatis obligatio subveniendi proximo in ea necessitate posito juxta regulas et principia statuta ubi de caritate erga proximum.

Sæpius abest præceptum mutui erga pauperes, eo quod non præsumantur habituri, unde æquivalens reddere valeant. Sed tunc urget præceptum eleemosynæ *alicujus* ipsis erogandæ. Dico: *alicujus;* quia non teneris tantum eleemosynæ præstare, quantum pauper mutuo efflagitabat. Sunt enim etiam alii, qui opitulari possunt et tenentur.

II. Datur præceptum concedendi mutuum etiam divitibus, qui ob peculiarem circumstantiam eo summe indigeant, non tamen illis divitibus, qui ad augendas opes idem postulent. Ratio 1^mi est, quia præceptum caritatis nos obstringit erga omnes homines, etiam divites, et exigit, ut hoc libenter præstemus, quod in pari casu nobis præstari vellemus, saltem si absque incommodo ipsis per mutuum succurrere possimus. Ratio autem 2^di est, quia hujusmodi divites in nulla necessitate constituuntur, nec proinde ullum erga eos urget caritatis præceptum.

930. Quæsita. — Quær. 1° *Quæ sint obligationes mutuatoris et mutuatarii?*

Resp. ad 1^um Obligationes mutuatoris sunt sequentes:

1° Tenetur mutuatarium monere de vitio rei traditæ, si quod sit; item de imminente damno, lucro cessante, periculo sortis, nisi gratis mutuari velit, seu condonare illud, quod titulis damni emergentis, lucri cessantis, etc. exigere juste potuisset; alias hic non consentit, et sustinet injuriam, quam reparare tenebitur mutuans.

2° Tenetur non repetere rem ante tempus aliquod judicio prudentium definiendum, consideratis circumstantiis et fine, ob quem res mutuo data est. Tenetur tamen rem recipere, si afferatur ante, quando in meram gratiam mutuatarii tempus concessum est.

3° Tenetur *per se* non plus recipere, quam res mutuata valuerit, quando mutuo data est; quia mutuum per se est contractus gratuitus hoc sensu, quod aliud onus mutuatario non imponat, quam ut reddat in specie, debito tempore, id quod accepit. Sic *per se* non liceret mutuatori exigere ut pro pecunia chartacea moneta metallica sibi reddatur, licet tempore mutui utramque valore parem esse contingat; nam onus foret pretio æstimabile, mutuatario impositum. Advertit tamen S. Alphonsus contractum in aliqua regione usitatum, et a viris probis celebrari solitum, non esse facile damnandum.[1] "Sed injustum plane foret" addit Kenrick[2] "mutuas dare chartulas quasdam nummarias, quæ minus valent, et exigere ut reddatur aurum vel argentum" (aut auri pretium), "veluti ac si ejusdem forent valoris."

Resp. ad 2^um. Quoad obligationes mutuatarii, —

[1] L. IV. 754. 759.

[1] L. IV. 755.

[2] Tr. XI. 80.

1° Utcumque res mutuata forte pereat, mutuatarius non liberatur, donec mutuator suum vel per se vel per alium designatum receperit; ratio, quia debitum non est de re in individuo, sed in specie, vel de valore, si pecunia tradita mutuo fuerit.

2° Rem debet reddere præstituto tempore, et in eadem specie physica, mensura, numero, pondere. Quoad pecuniam vero, quæ moraliter tantum perire censetur, sufficit (nisi de eadem pecuniæ specie reddenda conventum fuerit), ut juxta eumdem valorem restituatur: quia in pecunia potius ad valorem, quam ad speciem attenditur.

931. — Quær. 2° *An possis rem mutuatam in eadem mensura et quantitate recipere, si mutui tempore crescat ejus pretium? An plus repetere, si decrescat?*

Resp. 1° Si quando res mutuo traditur, æquale sit utrinque dubium, an tempore restitutionis res valitura sit pluris vel minoris, licet pacisci, ut servata eadem bonitate et mensura reddi suo tempore debeat, etsi pretium ejus valde sit auctum. Ratio est, quia cum utrinque æquale fuerit periculum, eo ipso jam æqualitas servatur.[1]

Resp. 2° Licitum non est per se pactum prædictum, si certo constet, vel longe probabilius sit, tempore solutionis valorem auctum iri. Ratio est, quia sic non servatur æqualitas, sed plus exigitur, quam detur tempore mutui. Hinc si modius tritici nunc valeat $ 3.00, et valiturus sit $ 4.00 tempore restitutionis, non licet pacisci, ut tantumdem solvatur. Excipe tamen, nisi statueris rem servare in tempus pretii aucti; quia tunc plus exigitur ratione lucri cessantis. Deducenda tamen tunc erit æstimatio periculi, vel expensarum in re servanda.[2]

Resp. 3° Si prævideas valoris seu pretii immutationem, tantum potes repetere, et mutuatarius solvere debet, quanti res valebat, cum mutuo tradita est; quia revera non plus exigis, quam dedisti.[3]

ARTICULUS II.

DE USURA, SEU DE LUCRO PERCEPTO EX MUTUO.

Usura, lato sensu sumpta, dicitur omne *lucrum* perceptum ex mutuo, vel illius occasione, sive cum titulo, sive absque titulo legitimo. Usura autem *sensu strictiori* est lucrum immediate proveniens ex mutuo, id est præcise vi mutui, et absque justo alio titulo. Usuræ tamen crimen non adest, si quis expectet pro mutuo aliquid, non ut debitum, sed ex mera benevolentia (dummodo non subsit usura implicita), vel si exigat rem aliunde jam ex justitia debitam, cum sic de facto nullum onus novum imponatur.[1] — Si limites justi tituli excedat, vel erga pauperes exerceatur, usura *oppressiva* nuncupatur.

932. PRINCIPIA. — I. Usura percepta *vi mutui* in re primo usu consumptibili, ut in vino, tritico, etc., . . . est prorsus illicita. Ratio est, quia "in re" primo "usu consumptibili, ut vino, tritico, pecunia, non adest usus rei distinctus a dominio, cum usus rei sit ipsa rei consumptio, et ideo in mutuo ex natura sua transfertur rei dominium in mutuatarium: si igitur aliquid exigeretur pro usu rei consumptibilis, injuste quidem exigeretur, ait S. Thom.[2] et *omnes*, quia exigeretur pro re, quæ non extat." Ita S. Alph.[3]

II. Usura *oppressiva* juri naturali repugnat, sive erga pauperes, sive erga divites fiat; 1° *si fiat erga pauperes*, quia mutuans ex caritate mutuum gratuito dare tenetur; 2° *si fiat erga divites* ultra limites justi tituli (vel saltem taxæ legalis), quia justitia requirit, ut sit proportio inter hunc titulum et lucrum inde perceptum, seu inter lucrum et usus valorem. Constat ex variis textibus Scripturæ.

III. Usura poterit ab omni injustitia excusari, si adsit titulus justus, v. g. *damni emergentis*, etc. Ratio est, quia tunc lucrum non vi mutui accipitur, sed ratione extrinseci tituli. Licet enim tibi accipere, quantum tradidisti; porro, si ex datis centum nummis decem perdas, erogas aliquo modo centum et decem: ergo centum et decem accipere potes.

IV. Usurarii eorumque cooperatores ex justitia ad restitutionem tenentur, quippe qui justitiam commutativam lædunt haud secus ac ipsi fures; iis igitur regulæ, in Tractatu *de Restitutione* traditæ, applicandæ sunt.

[1] L. IV. 782. [2] Ib. et Lacroix, n. 910. [3] L. IV. 782.

[1] L. IV. 774. 777. sq. [2] 2. 2. q. 78. art. 1. [3] L. IV. 759.

933. QUÆSITA. — Quær. 1° *An in dubio, utrum mutuatarius dederit aliquid supra sortem gratis vel non, possis id retinere?*

Resp. Disting. accepisti enim vel in bona, vel in dubia fide. Si *prius*, superveniente dubio, eoque post debitam inquisitionem permanente, acceptum retinere potes; si *posterius, speculative* loquendo non potes, quia cum dubio inchoare non potes possessionem; *practice* deferendum est illi parti, pro qua est potior præsumptio, et sic mutuatarius præsumi potest gratis donasse, si non sit pauper, aut avarus, aut non dederit impulsus ex metu, aut ex molestia vel petitione mutuantis.[1]

Quær. 2° *An mutuans retinere possit, quod mutuatarius dedit ex timore, ne alias mutuum sibi denegetur?*

Resp. Affirm., probabilius. Ratio est, quia requiritur ad usuram, ut detur ex vi pacti, sive ut debitum ex justitia. — Ita *communius.* S. Alph.[2] in hanc sententiam inclinat.

934. — Quær. 3° *An sit usura, si mutues ea lege, ut mutuatarius sibi necessaria justo pretio in tua officina emat?*

Resp. Affirm., si hoc in pactum deducatur. Ratio est, quia onus mutuatario imponitur, et ipsius libertas restringitur, quod illicitum et injustum est.[3] Secus tamen dicendum si onus, quod imponitur, a mutuatario aliunde debeatur. Sic poteris alteri proponere te mutuam daturum pecuniam, dummodo ille chirographo includat quod tibi antea debuerat. Sic pariter poteris pecuniam mutuam dare eo pacto, ut alter injustam, quam instituerat, litem deserat.

Quær. 4° *An possit in pactum deduci donatio* ANTIDORALIS, *seu quæ ex animo grato fiat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia ex *pactis* necessario oritur justitiæ titulus, non vero donatio mere ex animo grato erogata. — S. Alph.,[4] et alii *communiter*. Hinc cum eo, cui mutuum das, non potes *pacisci*, ut tibi munus aliquod impetret.[5] Nihil autem vetat *rogare* ut suas preces interponat.

[1] L. IV. 761.
[2] Ib. 763.
[3] Ib. 780.
[4] Ib. 764.
[5] Ib. 779.

ARTICULUS III.

DE TITULIS AB USURA EXCUSANTIBUS.

Quatuor præcipui numerantur, scilicet 1° damnum emergens; 2° lucrum cessans; 3° periculum sortis; 4° pœna conventionalis.

I. *De damno emergente.*

935. — Damnum *emergens* est detrimentum, quod patitur mutuans occasione mutui proximo præstiti.

I. Si mutui causa mutuans damnum patitur, legitimus est titulus aliquid supra sortem accipiendi. Ratio est, quia æquum non est, ut damnum ex mutuo feras; nemo enim tenetur cum damno proprio beneficium præstare, nisi in proximi necessitate. — Ita *omnes*.[1]

II. Ad hoc vero conditiones sequentes requiruntur: 1° ut mutuum sit causa damni; 2° ut nihil præter compensationem exigatur; 3° ut auctuarium, quatenus excederet taxam a lege statutam, ab initio in pactum deducatur.[2] Dico: *quatenus excederet taxam a lege statutam;* nam, ut rite, meo quidem videri, advertit Kenrick,[3] si agatur de auctuario a lege taxato non opus erit illud ab initio in pactum deducere, "quum omnes censeantur nosse communes utilitates pecuniæ, et quæ plerumque contingunt damna ex ejus defectu; quibus ipsa lex," quæ taxam auctuarii determinat, "nixa videtur. Imo ex communi agendi ratione in hac regione vix haberi potest" ut necessarium hoc prævium pactum.

936. — QUÆSITA. Quær. 1° *An mutuans compensationem damni emergentis exigere possit, si ipse ultro se ad mutuandum offerat?*

Resp. Affirm., probabilius, cum S. Alph.,[4] etc. Ratio est, quia etiam tunc mutuatarius, cum mutuum acceptat, est vera causa damni emergentis. Mutuans enim non offert absolute, sed conditionate, nempe sub conditione compensationis obtinendæ.

Quær. 2° *An liceat mutuanti ab initio pacisci de certo lucro percipiendo, si damnum emergens sit tantum probabiliter futurum?*

[1] L. IV. 768.
[2] L. IV. 769.
[3] Tr. XI. 85.
[4] L. IV. 769.

Resp. Affirm., dummodo proportio juxta damni probabilitatem servetur.[1]

Dum ista de damno emergente statuimus, omnino præscindimus a variis contractibus, vi quorum ex pecunia alteri mutuata forte legitimari lucrum aliquod posset, ut ex dicendis patebit. Quæ quidem animadversio etiam pro aliis titulis, mox exponendis, *lucri cessantis*, etc. valere debet.

II. *De lucro cessante.*

937. — I. Lucrum *cessans* est id, quod mutuans servata re vel pecunia sua lucratus fuisset, si eam in alio contractu licito adhibuisset.

Lucrum cessans legitimus est titulus aliquid supra sortem exigendi. Ratio est, 1° quia tunc vere damnum *emergens* habetur; 2° quia spes lucri est mutuo extrinseca, et simul pretio æstimabilis.

II. Conditiones requisitæ, 1° eædem sunt ac in titulo præcedenti; 2° debet mutuans mentem habuisse pecuniam suam in negotiationem impendendi; secus enim lucrum non cessaret.[2]

Quær. *An aliquid exigere possis ratione lucri cessantis ob pecuniæ mutuum, si aliam pecuniam otiosam serves?*

Resp. 1° *Affirm. certo*, si hanc reservaveris ad usum familiæ, vel ne tuum statum periculo exponas, quia non teneris ratione mutui tuam rem negligere.[3]

Resp. 2° *Affirm. probabiliter* etiam in cæteris casibus, dummodo, cum mutuum das, vere habeas animum pecuniam illam, quam otiosam servas, non exponendi negotiationi; quia mutuum est vera causa, cur lucrum cesset.[4]

III. *De periculo sortis.*

938. — Periculum *sortis* est timor prudens, ne sors recuperari queat. Periculum sortis, dummodo verum et extraordinarium sit, juxta *communiorem* et *probabiliorem* sententiam est legitimus alicujus lucri titulus. Ratio est, tum quia, si abdicata spes lucri pretio est æstimabilis, æstimabile erit *a fortiori* periculum damni probabilis; tum quia pluris æstimantur res in tuto, quam in periculo positæ; tum etiam quia constat ex decisione Sacr. Congreg. de Propaganda pro Missionariis Sinensibus ab Innoc. X. approbata, anno 1645. — Vide S. Alph.[1]

Excipe 1° Si mutuatarius sit pauper, quia tunc præceptum mutui ex caritate urget; 2° si mutuatarius sortem per pignus assecuret, quia sic periculum cessat.[2]

Dixi: *dummodo . . . extraordinarium sit*, periculum. *Commune* enim, v. g. timor ne cuncta bona mutuatarii incendio pereant, etc., mutuo intrinsecum est, et proinde ab eo separari nequit. *Extraordinarium* vero esset v. g. si mutuum daretur prodigo, vel homini dubiæ fidei, aut naviganti, aut impensæ magnæ in sorte recuperanda timerentur.

939. — *Objicies:* Vel sors peribit, vel non: si *prius*, nihil mutuans accipiet, neque sortem scilicet, neque auctuarium stipulatum; si *posterius*, nullum de facto patietur detrimentum: ergo nihil exigere debet.

Resp. 1° Etiamsi sors peritura sit, non sequitur necessario, mutuantem nihil omnino accepturum; nam fieri potest, ut sors non statim pereat, et tunc *interesse*, quod interea solvitur, ut quædam compensatio pro sorte habebitur.

Resp. 2° Quamvis nullum damnum de facto patiatur mutuans, nihilominus aliquid supra sortem percipere potest; nam periculum pretio æstimabile vere subit. Pari profecto jure, qui pro navi assecuranda de pretio cum alio convenit, illud sane exigere potest, licet de facto navis non pericrit. Ergo *a pari*, etc.

IV. *De pœna conventionali.*

940. — Pœna *conventionalis* consistit in hoc, quod mutuatarius se obliget ad aliquid supra sortem solvendum, si tempore præfixo illam non restituat.

I. Pœna *conventionalis* legitimus est titulus accipiendi præter sortem id, de quo conventum est. Ratio est, quia ita consulitur firmitati contractus, et simul negligentia mutuatarii præcavetur.[3]

II. Conditiones requisitæ sunt, 1° ut mora debitoris sit notabilis et culpabilis; 2° ut pœna sit moderata et culpæ proportionata; 3° ut absit animus lucrandi per pœnam appositam. S. Alph.,[4] et alii *communiter*.

[1] L. IV. 770. [2] H. A. Tr. X. 149. sq.
[3] L. IV. 771. [4] L. IV. 771.

[1] L. IV. 765. [2] Ib.
[3] Ib. 766. [4] Ib. 766.

941. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quid hodie de iis, qui nihil curantes, utrum necne adsit aliquis ex prædictis quatuor titulis, lucrum ex pecunia mutuo data percipiunt, ut ex eo ditescant?*

Resp. Ex variis S. Sedis responsis (vide p. LI. sq.) patet eos non esse inquietandos, i. e. eis id positive permitti,[1] dummodo agatur de mutuo non ex caritate debito, et parati sint S. Sedi parere, quæ nullam hactenus de illa re protulit definitionem. Qui mala aut dubia fide sic egerunt, peccarunt certo, sed non tenentur ad restitutionem, ut patet ex Resp. S. C. Univ. Inq. dd. 17 jan. 1838.

Multum laborarunt theologi ut hanc S. Sedis declarationem cum jure naturæ componerent. Nimirum 1° alii docuerunt legem civilem, vi alti dominii proprietatem lucri transferentem, legitimum esse auctuarii percipiendi titulum. 2° Alii ad *fœcunditatem pecuniæ*, hodiedum saltem, ut aiunt, admittendam recurrunt, et contractum, quo pecunia diviti traditur, non ut contractum mutui proprie dicti, sed commodati potius vel locationis, prout gratis vel pretio datur, habendum esse contendunt. 3° Alii auctuarium haberi volunt ut pretium venditi lucri, quod ex inita societate speratur, et mutuum commercii assimilant *triplici contractui societatis* (de quo infra) et *assecurationis* tum sortis tum lucri, qui contractus probabiliter censeri potest legitimus juxta Ben. XIV., S. Alph., et alios. Qui plura hac de re desiderat, adeat Bouvier, Gousset, Rousselot, Dublin Review,[2] etc. Quoad *praxim* variæ illæ theoriæ, post declarationes a S. Sede emanatas, minoris sunt momenti.

Quær. 2° *Quantum auctuarium liceat percipere?*

Resp. Illud, quod lege cujusque Status statutum est, vel, ubi nulla lex adsit, consuetudine existit; nam sicut pretium in emptione-venditione, ita et in auctuario *legale* est, vel *vulgare*.

942. — Quær. 3° *An liceat excedere taxam legalem vel vulgarem ratione damni emergentis, vel lucri cessantis?*

Resp. 1° *Neg.* respectu pauperum vel aliorum, qui in necessitate mutuum petunt, et qui auctuario majori opprimerentur, ut constat ex dictis. Non tamen teneris ad mutuum eis concedendum, si detrimentum, quod ob lucrum cessans vel damnum emergens subire debes, haud leve sit; quia caritas sola tunc te obligat: caritas autem non obligat cum gravi incommodo.

Resp. 2° Si pecunia in utilitatem, non vero in necessitatem alterius tradatur, *controvertitur*, et duplex fertur sententia. I^a SENTENTIA *affirmat* ratione indemnitatis seu justæ compensationis. Ita inter alios Kenrick[1] et Pagès Lugdunensis, etsi in materia usuræ notissimus severitatis fama evaserit. — II^a SENTENTIA *neg.* Ratio est, quia compensationes damnorum ex obligatione pecuniaria provenientium tantum exigi possunt juxta taxam legalem. Quæ quidem sententia locum habere potest, si mutuator cogat aut obliget alium ad mutuum a se accipiendum; secus non apparet ratio, cur mutuator emergentis damni detrimentum in gratiam alterius subire debeat.

943. — Quær. 4° *An auctuarium ab initio pecuniæ mutuæ datæ subtrahere liceat?*

Resp. Neg. per se, quia mutuatarius, si ab initio subtrahitur auctuarium, solvit illud pro summa majori eâ, quam vere accepit.[2] "Attamen," ait Kenrick,[3] (et ideo dixi: *per se*,) "mos est in mensis nummariis receptus, ut auctuarium ita ab initio deducatur; qui communi omnium consensu et usu quum probetur, forsan hac ratione excusari potest. Idem fit quoties pecunia pro chirographo a privatis datur."

944. — Quær. 5° *An liceat percipere* INTERESSE *ex ipso* INTERESSE (*interest upon interest* or *compound interest*)?

Resp. 1° *Affirm.* ex lege civili. Sed requiritur, that the agreement be made *after* interest has become due; an *original* agreement, though not void, would prevent the party from recovering the interest either at law or in equity.[4]

Resp. 2° *Affirmandum* etiam videtur pro foro interno, 1° si præcesserit conventio, sive explicita sive implicita; quia reditus, elapso termino, summæ capitali adjiciuntur: idem enim omnino est, quod debitori pecuniam meam, quam jam habet

[1] L. IV. 765.
[2] Jan. 1874. p. 69. sq.
[1] Kenr. Tr. XI. 96. sq.
[2] L. IV. 770. quamvis autem.
[3] Tr. XI. 88.
[4] Kenr. Tr. XI. 94 (2).

ex mutuo, relinquam, vel ei aliam tradam; 2° si ex dilatione solutionis damnum creditori obveniat.

945. — Quær. 6° *Quid dicendum de institutionibus, quæ vulgo dicuntur* Arcæ Parcimoniæ (*saving-banks*)?

Resp. Non tantum tolerandæ, sed et laudandæ sunt ejusmodi institutiones, quippe quæ subveniunt viduis, famulis, ancillis et pauperibus, dum modica eorum pecunia quodammodo accipitur mutuo, et census ipsis rependitur. Confirmatur ex Resp. S. Pœnitentiariæ 17 dec. 1832 apud Kenr.[1]

946. *Resolves.* — 1° Absolvi possunt, imo absolvendi sunt, qui taxam legalem aut vulgarem non excedunt ratione lucri ex mutuo percepti; cum minime constet, eos injustitiæ reos esse, proinde nec ad restitutionem ullam faciendam obligari possunt.

2° Quamvis igitur unusquisque oppositam opinionem circa lucrum ex mutuo proveniens, ut *probabiliorem speculative* defendere possit; adversam tamen sententiam damnare nequit, ut doctrinæ Catholicæ contrariam, nec restitutionem, denegata secus absolutione, exigere. Imo qui urgeret pœnitentem ad restitutionem, ipse ad damnum pœnitentis resarciendum adigendus foret; siquidem ex doctrina communiter recepta confessarius indebitam restitutionem temere præscribens, damnum illatum tenetur reparare.

3° Nec sunt obligandi ad restitutionem illi pœnitentes, qui lucrum acceperunt juxta legem cum mala fide, idest, putantes se tale lucrum percipere non posse; quia ex eo quod peccaverint agendo contra conscientiam, non sequitur, eos fuisse injustitiæ reos.

4° Pœnitentes ex clausula in plerisque responsis S. Congregationis adjecta semper parati esse debent judicio S. Sedis se submittere; sed non sunt necessario interrogandi a confessario de tali dispositione; 1° quia hoc non exigitur in præfatis responsis; 2° quia confessarius præsumere debet, pœnitentem, utpote bonum Catholicum, in tali dispositione versari, nisi de contrario constet. Imo, ait Kenrick,[2] hanc conditionem S. Sedes jam consuevit omittere.

947. — 5° Non est damnandum de injustitia lucrum perceptum ex pecunia mutuata etiam pauperi, qui gravem necessitatem non patitur, quique non temere sperat, se ope istius pecuniæ adeo divitem evasurum, ut sortem cum moderato auctuario facile restituere possit. Nam præceptum mutuandi gratuito tunc non urget, et pecunia etiam tunc utilitatem et suum pretium retinet.

6° Si nihil lucri debeat percipi ex pecunia pauperi ad sustentationem mutuata, hoc fit, quia mutuans vi præcepti caritatis tenetur velle pecuniam a se mutuatam applicari ad solam pauperis sustentationem.

7° Lucrum excedens taxam legalem vel vulgarem est illicitum et injustum, proindeque restitutioni obnoxium. Excipe, nisi ratio majoris damni emergentis vel lucri cessantis aliud suadeat. Ita *communiter recentiores Theologi.*

948. — 8° Pariter qui mutuo accipit pecuniam juxta taxam legis, v. g. ad 5%, non ideo eamdem pecuniam alteri remutuando exigere potest 10%; quia deficit titulus ad quinque superflua accipienda; at non videtur contra legem civilem aut naturalem *per se*, quod quis mutuo accipiat pecuniam pro 3 vel 4, et eamdem remutuet pro 5 in 100.

9° Auctuarium taxam legalem vel vulgarem excedens accipi potest a mutuatario, qui intuitu lucri majoris, et nulla rei familiaris cogente necessitate, illud læto animo offert; consensus enim vitium tituli sanat. Ita Kenrick.[1]

10° "In mensis nummulariis pecunia mutua plerumque datur post sexaginta dies solvenda: quod si quis sex mensium petat dilationem, conceditur aliquando majori accepto auctuario: sed, ne lex violari videatur, actiones venduntur pretio majori, quod emens post sex menses soluturus est; vel chartæ nummariæ alienæ, quæ minus valent, tribuuntur. Usuram plane sapit hæc agendi ratio." Ita idem Kenr.[2]

11° Titulus ad auctuarium majus accipiendum desumi aliquando potest ex incerta rerum conditione "qua fit," ut fides fere nulli, etiam ditissimo "constet," quippe qui aliorum casu "possit" solvendo fieri impar, vel legum auxilio nectere moras. . . . Hinc "fit" ut ob

[1] Tr. XI. 116. [2] Ib. 101.

[1] Tr. XI. 96. [2] Ib. 97.

rerum angustias nummi mutui "quærantur, oblato auctuario duorum singulis mensibus pro centum; . . . sed quum id" contingere soleat "non unius alteriusve fraude, vel ex necessitate, qua" premantur pauci, non audeo damnare eos qui nummos, "dum ea est rerum conditio, dant" mutuos, auctuario quod "tunc" datur "accepto; quamvis fatear rem non carere mali specie, et ipsam rerum conditionem longe a recta negotiandi regula abhorrere." Ita iterum Kenr.[1]

12° Nihil prorsus exigi potest a pauperibus ex necessitate mutuum petentibus, non obstante legis civilis titulo; et proinde, si quid lucri perceptum fuerit, restituendum est; quippe lex civilis, quæ juris naturalis obligationem perimere nequit, hunc casum comprehendere non censetur, atque adeo nec dominium lucri in mutuatorem transferre.

APPENDICULA.

DE MONTIBUS PIETATIS, MENSIS PUBLICIS NUMMULARIORUM, ET ACTIONIBUS UNIVERSIM.

I. *De Montibus pietatis.*

949. — *Mons pietatis* vocatur pecuniæ aliarumve rerum mutuabilium cumulus ad id collectus, ut pauperes, dato pignore, quæ sibi sunt necessaria ex eo accipere mutuo possint.

I. Ejus conditiones hæ sunt: 1° quidquid ex eo mutuo datur, ad certum tempus, v. g. ad annum dari debet, nihil vero ad tempus indeterminatum: 2° pauperibus tantum ex Monte Pietatis mutuum dare licet, nisi adeo abundans sit, ut sine pauperum damno aliis etiam satisfieri possit; 3° mutuatarius debet aliquid supra sortem dare ob sumptus ad mercedem ministrorum domusque administrationem necessarios; 4° debet etiam pignus rei mutuatæ æquivalens tradere, quod, nisi accepta statuto tempore reddat, vendendum est. — Ita *communiter*.[2]

II. Montes istis conditionibus instituti liciti sunt, nec ullo modo usurarii, independenter a quocumque alio titulo ad lucrum. Ratio est, quia, etiam independenter a quocumque alio titulo, nullam usuræ labem sapiunt; siquidem satisfieri debet expensis Montis et ministris, quorum labor et cura est vere pretio æstimabilis.[1]

950. — Quær. *An Montes Pietatis institui possint a privatis?*

Resp. Affirm. probabilius cum Lessio. Ratio est, quia parvi refert ad rationem usuræ, utrum institutio sit publica an privata, dummodo privatus non amplius accipiat, quam quod lege, vel consuetudine legitima statutum est. Apud nos autem soli privati Montes Pietatis habent, seu imitantur, ne dicam simulant, et vocantur *Pawn-brokers*. Quando pignora vendi contigerit ob mutuum haud redditum, pretii *excessum* dominis reddere, vel, his, tempore a lege, consuetudine, vel in harum defectu per conventionem statuto, non comparentibus, ad causas pias applicare oportebit.[2] Venditio autem pignoris legibus nostris, extra casum contrariæ conventionis inter partes, rescindibilis est, nisi fiat debitore (*pawnor*) de tempore et modo venditionis præmonito, aut in Luisiana post sententiam judicis.[3]

II. *De publicis nummulariorum mensis (Banks).*

951. — Mensæ publicæ nummulariorum existunt vi contractus societatis initi inter plures pecuniam conferentes, quam repetere non valeant, sed ex qua censum annuum incertum expectant, illam scilicet fructuum pecuniæ partem, quam *rectores* mensæ (*the directors of the bank*) singulis sex mensibus adjudicaverint. Pars pecuniæ a singulis collata *actio* (*action* or *share*) vocatur. Hanc singuli quidem alienare possunt, v. c. emptione, sed non ideo tollitur societas, vel damni periculum; nam ille, in quem actio translata est, in societate locum occupat illius qui recedit. — Societati ab auctoritate competenti potestas fit emittendi chirographa (*bank-notes*). — Fines mensarum sunt; 1) ut mercatorum cæterorumque pecunia apud alias securitatis, apud alias modici etiam auctuarii causa deponi possit, retrahenda pro arbitrio, si securitatis, —

[1] Tr. XI. 98. [2] L. IV. 755. in fine.

[1] L. IV. 755. in fine. [2] Kenr. Tr. XI. 109.
[3] Kent, Vol. II. 583.

post definitum vero tantum tempus, si auctuarii — causa fuerit deposita; 2) ut pecunia mutua ab eis, ad interesse legale, accipi possit; 3) ut cambia moderentur.

952. *Resolves.* — Peccant mensarum *rectores*, et cum eis cooperantes,

1° Si deposita pergunt accipere postquam norunt se esse solvendo impares; nam deponentium fidem cum gravi horum damno fallunt.

2° Si emittant chirographa ultra limites in Charta incorporationis designatos: sic enim lucrum quærunt ex Charta monetali absque legitima auctoritate emissa, et faciunt ut ipsa vilescat.

3° Si auctuarium nimium exigant, vel ex litteris cambialibus (*checks*, *drafts*) lucrum majus eo, quod fert campsorum generalis consensus.

4° Contingit nonnumquam chirographa mensarum alienarum in mensam publicam deferri, vel in solutionem æris alieni, vel depositi loco. Hæc si a quopiam e vulgo offerantur, *vel* non accipiuntur, *vel* minoris habentur quam communiter valent; sin autem ab amico præcipui nummularii, vel ab aliquo e mensæ rectoribus, accipientur et quidem ad valorem quo communiter accipiuntur, vel etiam auri vel argenti, quia nummulario copia erit, rebus dextere gerendis, integrum recipiendi valorem. In ea agendi ratione injustitia manifesta est, nisi specialis causa adsit faciendi ejusmodi discrimen. Hæc specialis causa forsan adesse poterit in beneficiis mensæ collatis, v. c. in pecunia plurima apud eam per aliquem deposita, ex qua nullum percipiat auctuarium.

5° Si pecunia deposita utuntur ad suas utilitates promovendas, sive quod ex ea actiones emant in aliena mensa, sive quod alio quocumque modo ea utantur contra mensæ leges: fiducia enim creditorum vel sociorum mensæ, qui deposita ad rem communem cum suî lucro augendam impendi volunt, abutuntur, et pecuniam discrimini forte abjiciunt.

III. *De Actionibus universim.*

953. — Distinguuntur actiones 1) mensarum, de quibus n. 951 dictum est; 2) societatum ad vias ferreas extruendas, ad canales fodiendos, ad ephemerides edendas, officinas industriales erigendas, et ad omnia fere rerum genera; 3) Gubernionum, vel etiam municipiorum (*bonds*). Actiones istæ, si ad finem licitum emittuntur, licite comparantur, et lucrum ex iis licite percipitur. Crucem quidem alicui figere potest, quod plurima fiant a mensarum vel societatum rectoribus vel officialibus, quæ justa videri non possint; at quum ipsa mensarum et societatum illarum institutio cum magna omnium utilitate sit conjuncta et plurimæ suppetant rationes lucri honesti ex illis actionibus, socii tuto rectorum et officialium conscientiæ et judicio permittere possunt, quid in unaquaque re liceat necne.

SECTIO II.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

Nimirum 1° de venditione et emptione; 2° de societate et trino contractu; 3° de locatione et conductione; 4° de cambio; 5° de censu; 6° de fide-jussione, pignore et hypotheca; 7° de assecuratione, sponsione, sortitione seu loteria et ludo.

CAPUT I.

DE VENDITIONE ET EMPTIONE.

ARTICULUS I.

DE EMPTIONE AC VENDITIONE IN GENERE.

§ I. *De natura contractus emptionis ac venditionis.*

954. — *Quid sit et quomodo perficiatur contractus emptionis ac venditionis?*

I. *Quid sit?* Contractus emptionis ac venditionis a Blackstone[1] sic definitur: "A transmutation of property from one man to another, in consideration of some price or recompense in value." — Ex qua definitione patet, ad contractum emptionis-venditionis hæc tria essentialiter requiri:

a) legitimum vendentis et ementis consensum;

b) Mercem i. e. rem vendibilem, pro pretio tradendendam; et

c) Pretium pro merce solvendum, idque ab ipsis contrahentibus determinatum vel ad judicium tertii determinandum.

Nomine autem *pretii* hic intelligitur sola *pecunia;* nam conventio de merce pro merce tradenda est contractus *permutationis* (*exchange*), et non proprie dicta *emptio-venditio.*

Definitio igitur Blackstonii etiam *permutationem* comprehendit.

955. — II. *Quomodo perficiatur contractus emptionis ac venditionis.*

Perficitur solo partium consensu. Nec refert pro foro conscientiæ utrum consensus exprimatur verbo, an scripto. Scriptura tantum adhibetur ad *probandum* quod contractus initus sit. Licet vero emptio-venditio solo partium consensu, apud nos, perficiatur, tamen "periculum rei," ait Kenrick,[2] "non videtur umquam transire ad emptorem, nisi ei *aliqua ratione* tradita" sit, aut tradi cœperit. "There must be," ait Kent,[1] "a) a delivery or tender of it, or b) payment, or tender of payment, or earnest given, or c) a memorandum in writing signed by the party to be charged."

Hæc tamen non omnimode valent pro Luisiana et Virginia. "Ex mercatorum consuetudine" (adderem et conventione) "omnia pendent.[2] *Certum* autem est.

1° *Ecclesias* et *causas pias* ex dispositione Jur. Rom.[3] dominium absque ulla traditione acquirere.

2° Periculum rei pertinere ad venditorem, si agatur, vel a) de venditione rerum ad pondus, numerum aut mensuram, quæ nondum appensæ, numeratæ aut mensuratæ sint; vel b) de venditione rerum ad degustationem vel probationem, quæ nondum sint degustatæ vel probatæ.

3° Si res vendita pereat, *vel* ex vitio intrinseco, tempore venditionis jam existente, *vel* ex culpa venditoris, *vel* etiam casu fortuito tempore, quo venditor fuit in mora culpabili ad rem tradendam, venditorem teneri de pretio accepto et de sumptibus contractus.

Casus. — 1. *Josephina* verbis consensum expressit, quo pro pretio determinato agrum suum vendit monasterio cuidam.— Dominium agri absque ulla traditione transit ad monasterium; venditum enim est Ecclesiæ.

2. *Titius* vendidit *Cajo* decem mensuras frumenti, in suo granario abunde proviso existentis; priusquam autem ea' quantitas mensurâ fuit determinata, æqualis frumenti quantitas incendio perit vel furto aufertur. Cujus damno? Damno *Titii*, nisi aliter ferat conventio.

3. *Titius a Cajo* absolute emit determinatum equum post mensem traden-

[1] Com. Vol. II. p. 446. [2] Tr. XI. 47.

[1] Vol. II. 493 (2). [2] Kenr. Tr. XI. 47.
[3] L. fin. de S. eccl.

dum; equus autem ante mensem elapsum perit. Cujus damno? Damno *Caji*, si pereat *vel* ex vitio intrinseco tempore venditionis existente, *vel* defectu debitæ vigilantiæ aut curæ ex parte Caii, *vel* post mensem elapsum, si *Cajus* in mora culpabilis fuit ad equum *Titio* tradendum, dummodo tamen in hoc ultimo casu equus non eodem casu fortuito, v. g. incendio, æque periisset apud *Titium*.

956. QUÆSITA. — Quær. 1° *Ad quem pertineant fructus rei venditæ, e. g. vituli ex vacca vendita?*

Resp. Dist. Etenim vel ea de re inter partes conventum est, vel non. Si *prius*, standum est conventioni; si *posterius, subdistingue*. Vel enim res jam est tradita, vel etiamnum tradenda. Si tradita, spectant ad emptorem, idque *practice* etiam in casu, quo hic in mora est quoad solutionem pretii; nam auctuarium (*interest*), pretii tantum, juxta contrahentium conventionem, venditor sibi vindicat. — Si res determinata, v. c. hæc vacca, tradenda etiamnum sit, i. e. juxta supra n. 955 dicta, si *nulla* ratione tradita sit aut tradi cœperit, iterum distinguendum est. Vel enim res venditur *absolute*, vel *conditionate*. Si *absolute*, fructus rei pertinent ad emptorem, et leges civiles, oppositæ in hoc puncto, reprobatæ sunt a Jure Canonico, qua favorabiles lucro usurario.[1] Casu tamen, quo *ex consuetudine* periculum rei ad emptorem non spectaret, contrarium resolverem; nam tunc æquitatis ratio a S. Alph. allegata, — scil. ut qui incommodum habet, commodum etiam habere debeat, — militat potius pro venditore. Si *conditionate*, i. e. sub conditione suspensiva, sic distinguendum esse putamus. Vel res ista vendita producit fructus — *post impletam conditionem*, et fructus spectabit ad emptorem, ut in venditione absoluta, qualis, impleta conditione, fit ea, de qua agitur: — vel *ante impletam conditionem*, et tunc disputatur. Quapropter in hoc casu melior erit conditio possidentis, venditoris, præsertim cum ad hunc, usque ad conditionis implementum, rei venditæ periculum spectet.

Quær. 2° *Cujus expensis veniant* ACTUS *qui in emptione-venditione rerum præsertim immobilium confici solent; cujus item expensis traditio seu transmissio rei?*

[1] H. A. Tr. X. 169.

Resp. ad 1^um^. Excepto casu specialis conventionis, consulendæ sunt cujusque Status leges.

Resp. ad 2^um^. Nisi aliter conventum sit, expensis emptoris.

Quær. 2° *Quid tenendum de firmitate contractus emptionis-venditionis, initi cum datione arrhæ; utrum nempe, si quando detur arrha, liceat danti resilire a contractu cum jactura arrhæ?*

Prænotandum. — Nomine *arrhæ* (*earnest-money*), intelligitur id, quod ab una contrahentium parte alteri quandoque datur *vel* tamquam pignus firmitatis contractus initi, *vel* tamquam pignus obligationis non resiliendi a contractu nisi cum rei datæ jactura. Unde arrha duplex distinguitur, videlicet: arrha, quæ simpliciter datur ad majorem securitatem contractus initi, a quo proinde resilire non licebit; et arrha, quæ datur tantum ad statuendam obligationem non resiliendi a contractu, nisi sub pœna eam amittendi; ita ut a contractu quidem resilire liceat, sed non nisi cum arrhæ jactura.

Resp. In dubio utrius generis sit arrha, et nisi consuetudo aliter habeat, habenda est ut pignus firmitatis contractus initi.[1]

§ II. *De iis, qui emere ac vendere possint.*

957. — Possunt ii omnes inire contractum emptionis-venditionis, qui ad contrahendum *naturaliter* habiles sunt, et non declarantur inhabiles a lege positiva. Duplex autem civium classis jure nostro declaratur inhabilis. *Prima* eorum est, qui declarantur inhabiles ad quemlibet contractum in genere, et per consequens etiam ad contractum emptionis ac venditionis. *Secunda* eorum est, qui declarantur inhabiles speciatim ad contractum emptionis ac venditionis in casibus, a lege assignatis.

Ad primam classem pertinent: 1° minores, qui ea tantum emere possunt, quæ necessaria sunt, sensu n. 837. 1° declarato, et de quibus a parentibus non providerentur; — 2° uxores, quæ tamen possunt; a) emere ea, quæ ad quotidianas familiæ necessitates et ad suam conditionem et decentem sustentationem pertinent; b) vendere omnia, quorum *plenum* habent

[1] Kent. Vol. II. 495.

dominium et ex iis emere; c) in multis statibus commercium gerere separatim a marito; d) vendere et emere conjunctim cum marito quoad bona communia, n. 607. Qua ratione conjuges sibi invicem quid vendere possint, vide n. 840; — 3° interdicti; — 4° alienigenæ quoad immobilia in quibusdam Statibus, ut n. 844 dictum est.

Ad secundam classem præcipue pertinent 1° Officiales Gubernii Supremi, Statuum, Municipiorum, etc., qui emere non possunt res, quas nomine Gubernii Supremi, Status, Municipii, etc. vendunt.

2° Proxenetæ (*agents*), qui *universim* emere nequeunt illud mercium genus, quod nomine alterius vendunt.

3° Tutors, who "cannot act for their own benefit in any contract, or purchase, or sale, as to the subject of the trust."[1]

958. — Quær. *Quid pro foro conscientiæ statuendum de valore contractus emptionis ac venditionis, ab eo initi, qui naturaliter quidem habilis, sed civiliter inhabilis est?*

Resp. Attentis iis, quæ n. 882. q. 1° tradita sunt, probabiliter defendi posse opinamur, talem contractum ex mente legislatoris civilis non esse ipso facto in conscientia invalidum; sed ejus invaliditatem a judice esse declarandam. Unde, priusquam judex contractus nullitatem declaraverit, neutra contrahentium pars ex justitia tenetur a conventione semel inita resilire, modo *naturaliter valida* et *justa* censeri possit. Generatim tamen dicendum existimamus, *obedientiam* legi civili debitam postulare, ne inhabilis contractum ineat, et ne cum inhabili contractus ineatur; nisi forte agatur de iis contractibus, quos quotidianus usus et vulgaris prudentia, neglecta lege civili et tacente gubernio, quasi legitimos fecit, et in quibus pars habilis ab omni fraude aut arte malitiosa abstinet. Quinimo quoad *hos* contractus rationabiliter præsumi posse videtur, legislatorem civilem *eos* non tam stricte sub lege sua inhabilitante comprehendere voluisse; ita quidem ut partem inhabilem, cui petitio sententiæ declaratoriæ nullitatis a Jure concessa est, æquitate suadente, minime *deceret* jus suum *summum* quoad *tales* contractus urgere et in judicio prosequi.

[1] Kent, Vol. II. 229.

§ III. *De merce seu materia emptionis ac venditionis.*

959. — Suppositis iis, quæ juxta ea, quæ dicta sunt de contractibus in genere n. 830. sq., ad materiam cujuslibet contractus requiruntur; hoc loco circa materiam emptionis-venditionis pro regula statuere sufficiat:

Ea omnia, quæ in civili commercio sunt posita, emi ac vendi possunt, modo nulla intercedat legis prohibitio, qualis reapse intercedit quoad quædam bona, in Jure assignata, quorum venditio vel absolute vel saltem in certa hypothesi expresse prohibita est. Et sic:

1. Extra casum matrimonii, absolute prohibita est omnis pactio circa hæreditariam successionem personæ adhuc viventis, etiamsi hæc ipsa consentiat.

2. In hypothesi, quod a tutoribus et curatoribus non serventur formalitates de jure servandæ, ipsis prohibita est venditio bonorum ad pupillos suos pertinentium.

3. In hypothesi, quod quis, debitis solvendis impar, bonorum suorum fecerit cessionem, ipsi eorumdem bonorum venditio prorsus vetatur.

4. In hypothesi, quod cujusdam debitoris bona a legitima auctoritate sub custodia sint posita, eorumdem bonorum venditio interdicitur, nisi in ea serventur de Jure servanda.

5. Tandem, sub pœna mulctæ pecuniariæ vel carceris, prohibita est venditio (saltem si promiscue fiat) certarum rerum, quæ de se noxiæ sunt ordini sociali sive sub respectu physico, sive sub respectu morali.

960. — Speciatim autem circa materiam emptionis ac venditionis apud Auctores moveri solet quæstio quadruplex, nimirum:

Quær. 1° *An res aliena sit* VALIDA *emptionis ac venditionis materia?*

Resp. Neg. Bonæ tamen fidei emptor; 1° fructus acquirit rei emptæ juxta dicta n. 723; 2° rem præscribere potest, dummodo adsint conditiones ad legitimam præscriptionem requisitæ.

Reprobanda igitur est praxis eorum, qui res furtivas aut deperditas, bona fide emptas, domino comparenti easque repetenti restituere nolunt, nisi dominus prius pretium, pro iisdem expensum, refuderit.

Quær. 2° *Cujusnam sit res, ab emptore proprio nomine empta, pro pecunia* ALIENA ?

Resp. Resolvendum esse putamus, talem rem esse emptoris ; ita ut hic non teneatur rem istam tradere domino, cujus fuit pecunia ; modo aliter obligationi suæ restituendi satisfacere valeat. Excipe tamen casum, quo pecunia fuerit Ecclesiæ, quia tunc de Jure Romano et Ecclesiastico res ipsa Ecclesiæ acquiritur. Cfr. S. Alph.[1]

Quær. 3° *An apta venditionis materia sit res, quæ ipso venditionis tempore jam periit ?*

Resp. Neg. Si vero pars rei tantum periit, emptori liberum erit partem illam sibi æquo pretio vindicare.

Quær. 4° *An res, quæ valide vendi potest, etiam* LICITE *vendatur in casu, quo emptor ea prævidetur abusurus ?*

Resp. Solutio hujus quæstionis petenda est ex doctrina, quam exposuimus, de cooperatione ad peccata aliena. Speciatim autem hic valet regula, quam ibidem n. 312 tradidimus, nempe : Quum malum non sit sine ratione præsumendum, hinc omnino, seclusa speciali legis prohibitione, licitum videtur, ut mercatores, solo titulo commercii, vendant merces suas cuilibet emptori, modo 1° merces istæ sint res indifferentes, quæ bonum usum facile habere possunt, licet multi in genere iis abutantur v. g. liquores fortes, aleæ, etc., et 2° modo in ipsa emptione aut circumstantiis nulla appareat mala emptoris intentio. Quodsi autem hæ duæ conditiones non verificentur, venditio vel nullatenus, vel non nisi ex gravi et proportionata causa licita erit, prout ibidem n. 312 latius explicavimus.

§ IV. *De justo pretio.*

Prænotanda. — De natura justi pretii ejusque divisione.

961. *Natura.* — Postulat justitia commutativa, ut in contractu *oneroso*, qualis imprimis est contractus emptionis-venditionis, omnino servetur æqualitas inter id quod traditur et id quod acquiritur ; in contractu enim *oneroso* non *donare* volunt contrahentes, sed *permutare* et acquirere *æquivalens* ejus quod ceditur. Quapropter *justum* in emendo ac vendendo *pretium* erit : ea pecuniæ summa, quæ constituit æquivalens rei venalis, sive : ea pecuniæ summa, quæ adæquat rei venalis valorem.

Valor autem rei venalis non est aliquid *mere subjectivum*, ac si pendeat ab arbitraria ementis et vendentis voluntate ; sed est aliquid *objectivum*, ita ut principaliter desumi debeat ex ipsa rei venalis *natura*, quatenus hæc consideratur, non præcise in esse suo physico, i. e. secundum suam substantiam aut perfectionem physicam, sed in *esse* suo *usuali*, i. e. secundum suam necessitatem, utilitatem aut voluptabilitatem in communi usu ac convictu humano. Res siquidem temporales a Deo factæ sunt ad hominum usum, et eumdem etiam in finem ab hominibus emuntur ac venduntur ; ita ut per se tanti valere dicendæ sint, quanti, spectata diversitate temporum, locorum, etc., communi hominum usui inserviunt.[1] Quanti autem res istæ humano usui inserviant, et quanti proinde valeant, id definiendum relinquitur, non iterum privatæ vendentis ac ementis prudentiæ, sed vel legitimæ auctoritatis judicio, vel communi hominum opinioni ; ita ut finaliter sic paucis statuere liceat : Justus rei venalis valor ille est, qui, spectata tum rei natura usuali, tum diversitate circumstantiarum temporis, loci etc., definitur vel a legitima auctoritate, vel, hac deficiente, a communi hominum opinione ; et per consequens : Justum rei venalis pretium ea erit pecuniæ summa, quæ, spectata rei natura, etc., vel a legitima auctoritate, vel, hac deficiente, a communi æstimatione taxatur tamquam rei venalis *æquivalens*. Exinde jam sponte fluit sequens justi pretii divisio notissima.

962. *Divisio.* — Pretium justum dividitur in *legale* et *vulgare*, seu *naturale*. *Legale* est illud, quod a legitima auctoritate statuitur pro bono communi alicujus regionis, provinciæ, vel loci. *Vulgare* est illud, quod taxatur communi æstimatione incolarum loci, ubi res venalis existit (non autem ubi fit contractus, nisi venditor conveniat huc rem transferri. S. Alph.[2]) Valde autem notabilis est duplex, quæ inter pretia ista assignari solet, differentia, nimirum :

[1] L. IV. 799.

[1] S. Thomas 2. 2. q. 77. a. 2.
[2] L. IV. 804. 808.

Differentia prima. — Pretium *legale* punctualiter sive arithmetice definitur; sed *vulgare* quamdam admittit latitudinem, cum communis hominum æstimatio præcise in unum convenire non soleat.[1] Unde etiam merito pretium *vulgare*, manendo intra limites justi, subdistinguunt Auctores in pretium vulgare *summum* sive rigorosum, *medium* sive moderatum, et *infimum* sive pium. *Summum* est illud, supra quod — *infimum* illud, infra quod — res communiter non æstimatur; *medium* est illud, quod intra summum et infimum consistit. Quanta autem sit distantia sive latitudo inter pretium vulgare *supremum* et *infimum*, id magis ex usu fori et communi negotiatorum sensu dijudicare, quam fixa mensura definire licebit. Regulariter tamen admittenda est doctrina, quam hic tradere solent Moralistæ, videlicet: Quod *in rebus necessariis et frequentioris venditionis*, puta: in pane, oleo, sale, etc., pretium vulgare *infimum* parum distet a *summo*, et sic v. g., si pretium *medium* sit 5, *summum* erit 6 et *infimum* 4, ita ut admittenda tantum sit latitudo duorum graduum, 6 – 4; si pretium *medium* sit 10, *summum* erit 12 et *infimum* 8, ita ut admittenda tantum sit latitudo quatuor graduum, 12 – 8; si pretium *medium* sit 100, *summum* erit 105 et *infimum* 95, ita ut admittenda tantum sit latitudo decem graduum, 105 – 95; et pariter, servata proportione, judicandum de cæteris, semper tamen attendendo ad usum fori seu communem negotiatorum sensum, et insuper advertendo quod major sit pretii latitudo in rebus *superfluis ac pretiosioribus*, puta: palatiis, villis, etc., — quarum emptio-venditio infrequens est, — et major adhuc in rebus *omnino raris ac pretiosis*, cujusmodi sunt gemmæ singulares, picturæ aut statuæ antiquæ, etc., quarum valor neque ex lege, neque ex communi opinione æstimatus habetur. Vide S. Alph.[2] et infra dicenda.

Differentia secunda. — Pretium *legale* est *stabile*, ita ut de se permaneat et nullatenus varietur, nisi ipsa lex cesset, aut nisi detur justa ratio hic et nunc a lege excusans; sed pretium *vulgare* cum sua latitudine est *variabile*, ita ut quovis tempore mutationi, i. e. crescentiæ aut decrescentiæ, obnoxium sit pro diversitate circumstantiarum, quæ continuo variare solent communem hominum æstimationem; et sic (ut præcipuas hic circumstantias assignemus):

1° Crescere ex communi sensu solet pretium:

a) *Ratione copiæ emptorum aut abundantiæ pecuniarum*, et *penuriæ mercium*; id enim communiter pluris æstimatur, quod a pluribus quæritur et difficilius invenitur.

b) *Ratione modi vendendi merces minutatim* (*retail*); id enim majoris appretiatur, pro cujus conservatione majores per se a mercatoribus impendi debent labores, curæ et expensæ.

2° Decrescere e contra solet pretium:

a) *Ratione penuriæ emptorum aut pecuniarum*, et *copiæ mercium*; quod enim minus quæritur et passim invenitur, minoris quoque æstimatur.

b) *Ratione modi vendendi merces in magna simul quantitate* (*wholesale*); quod enim minores per se postulat mercatorum curas, expensas, etc., id minoris etiam pretii esse communiter censetur.

Pretium igitur *vulgare*, practice loquendo, illud esse rectissime dices, quod, deficiente pretio legali, in præsentibus circumstantiis communiter currit = *pretium hic et nunc currens* (*the current price*).

Hisce prænotatis de natura et divisione justi pretii jam paulo accuratius inquiramus, 1° quali pretio *per se* ex justitia standum sit; 2° qui sint tituli, ob quos aliquando *per accidens* supra commune pretium *supremum* vendere, vel infra commune pretium *infimum* emere liceat.

I. *Quali pretio* PER SE *ex justitia standum sit?*

Hujus quæstionis solutioni inserviant tres regulæ sequentes:

963. *Regula prima.* — Si res venalis habet pretium *legale*, illud punctualiter servari debet ex justitia; ita ut venditor, qui pretium *legale* excedit, injuste agat et teneatur ad restitutionem *excessûs*.

Pro recta autem hujus regulæ intelligentia et applicatione, sedulo advertendum est:

1° Taxationem a lege fieri pro mercibus

[1] S. Thomas 2. 2. q. 77. a. 1.
[2] L. IV. 804.

communis bonitatis ac qualitatis; atque ideo regula de pretio legali non obtinet, si agatur de mercibus, quæ sunt *notabiliter* pretiosiores aut deteriores *solito*; sed venditor in priori hypothesi licite pretium augere potest, et in altera pretium minuere debet.

2° Taxam legalem debere esse justam et adhuc vigentem; et hinc regula de pretio legali iterum non obtinebit, a) si taxa legis a majori civium parte non amplius servetur, magistratu tacente; et b) si, mutatis circumstantiis, puta ob sterilitatem, etc., taxa evadat injusta. Cfr. S. Alph.[1]

3° Taxam legalem ordinarie constitui in favorem emptorum, ita ut ordinarie etiam solus venditor ea taxa ligetur, et emptor per consequens infra taxam istam licite emere possit, modo maneat intra limites pretii vulgaris.

4° Taxam legalem hisce nostris temporibus admodum raram esse, et vix occurrere, nisi quibusdam in locis quoad *panem*, aut in urbe, tempore belli obsessa, quoad *res vitæ necessarias*. Censent nempe plures politici, hodiedum, dum tanta sit facilitas transvehendi merces per viam ferream, etc., et tanta reperiatur mercatorum concurrentia, regulariter non amplius expedire, ut pretia rerum *legaliter* taxentur. Unde etiam resolutiones Moralistarum circa pretium *legale*, nostro tempore, rarius usu venient.

964. *Regula secunda.* — Si res venalis non habeat pretium *legale*, ex justitia standum est pretio vulgari hic et nunc currenti; ita ut non liceat vendere supra pretium vulgare *summum*, nec emere infra *infimum*.[2] Unde, qui vendit supra pretium vulgare *summum*, contra justitiam peccat et tenetur ad restitutionem *excessûs*; qui emit infra *infimum*, contra justitiam peccat et tenetur ad restitutionem *defectûs*. Seclusa tamen fraude, de se licitum est vendere pretio vulgari *summo*, vel emere *infimo*.

Dicitur: *Seclusa fraude*; quamvis enim per se liceat vendere *summo* aut emere *infimo*, unusquisque tamen jus habet, ne fraude decipiatur; atque ideo contra justitiam delinquet et ad restitutionem tenebitur venditor, etiamsi pretium *summum* non excesserit: a) si, facta semel conventione de pretio *medio* aut *infimo*, occulte sibi comparet summum decipiendo emptorem in numeratione pecuniæ, in pondere aut mensura; et b) si ante factam conventionem *dolose* inducat emptorem ad solvendum pretium majus, quam secus juste dedisset.

Hic tamen adverte pro praxi: communiter fidem non præstari venditorum mendaciis aut perjuriis, quibus affirment se rem venalem sibimetipsis tanti comparasse, vel tanti aliis vendidisse, ut sic pertrahant emptorem ad pretium *summum*; neque emptorum mendaciis aut perjuriis, quibus affirment, se rem tanti emisse ab aliis, vel alios tanti eam sibi obtulisse, ut sic venditorem pertrahant ad pretium *infimum*. Satis nempe notum est, hujusmodi dicteria communia esse negotiatorum stratagemata, quæ fidem non merentur, et proinde proprie dictam *deceptionem* non constituunt. Unde ejusmodi venditores aut emptores peccant quidem mentiendo aut pejerando; sed, cum reapse per talia mendacia alterum non decipiant, non ob ea delinquunt contra justitiam, adeoque ad restitutionem non tenentur, supposito semper quod non vendant supra *summum*, vel emant infra *infimum*. Si tamen in casu particulari constaret præfatis venditoribus aut emptoribus, suis mendaciis, etc., fidem haberi, eaque vere esse causam majoris vel minoris pretii; tunc a culpa deceptionis et injustitiæ non forent excusandi. — Quod vero attinet ad agendi rationem plurium mercatorum, qui aliquid supra pretium *summum* petant, ut emptores, minus offerre solitos, ad pretium justum adducant, dicendum videtur: talem agendi rationem, utpote vulgariter receptam, et de se non mendacem, culpæ damnari non posse; modo tamen mercatores isti, ubi forte obtinerent quod petunt, illud emptori remittant, quod pretium justum excederet.

965. *Regula tertia.* — Si agatur de rebus extraordinariis, quarum pretium nec per legem est taxatum, nec per vulgi æstimationem, quales sunt extraordinariæ gemmæ aut lapides; singulares picturæ aut statuæ antiquæ; libri rari ac pretiosi; equi eminenter pulchri; aves peregrinæ, etc. (*so-called rarities*), quæ ad communem usum ac convictum humanum

[1] L. IV. 803.
[2] S. Thomas 2. 2. q. 77. a. 1.

non spectant, sed ad luxum, splendorem, et hominum jucunditatem, et inter quas recenseri etiam possunt saltationes, cantus, abusus mulieris, etc.; solutio quæstionis de *justo pretio* sæpe sæpius valde ambigua est. Ego quidem, ut, quid hac de re sentiam, aperte profitear, sic, salvo meliori, statui posse opinor:

Tales res valde raræ juste vendi ac emi possunt illo pretio, de quo ipsi contrahentes sine fraude et libere conveniunt, in casibus sequentibus:

1° Si emptio-venditio fiat inter partes, quæ ambæ majorem minoremve talis rei singularis pretiositatem prorsus ignorant; quia in hac hypothesi contractus initus non est simplex contractus emptionis-venditionis, sed simul quasi contractus *aleatorius*, in quo utraque pars se sorti committit. Sic v. g. injustitiæ arguendus non esset Titius, qui insignem picturam antiquam viliori pretio emeret a Cajo, ubi ambo, pretiositatem hujus picturæ ignorantes, sine fraude et libere de tali pretio convenerunt.[1]

2° Si emptio-venditio fiat *sub hasta* i. e. *in auctione publica;* quia auctio publica est titulus extraordinarius (ut infra dicetur), ob quem justum censeri potest qualecumque pretium, quod, seclusa fraude, a licitatoribus determinatur.

Pariter resolvi posse existimo *relative ad emptorem*, nempe: quod emptor talem rem, licet pretiosam et qua talem a se cognitam, juste emere possit vili pretio (*for a trifle*):

a) Casu, quo res ista, v. g. liber antiquus ac pretiosus, publice vendenda exponitur in foro apud antiquarios, i. e. apud illos, qui res antiquatas divendere solent; quia eo ipso quod res sit exposita in foro, amisit quasi pretium suum antiquum, et pretium accipit ex judicio emptorum, ad forum illud concurrentium, eodem fere modo, ac supra diximus de rebus in auctione publica venditis.

b) Casu, quo res ista jam actualiter ad vilem usum destinata est, v. g. si liber antiquus jam vendendus defertur ad dilacerandum, aut pictura quædam jam traditur pueris ad lusum et mox forte dilacerabitur; hisce enim in adjunctis res ista pretium suum iterum censetur amisisse, et consequenter emi posse illo pretio, quo ad usum illum vilem communiter valet. Sic etiam passim ab Auctoribus asseritur, quod emptor, dum inter res communes, ad vulgarem usum destinatas, inveniat rem, quam fortuito novit esse pretiosam, v. g. herbam medicinalem inter herbas communes, ad pabulum equorum et vaccarum destinatas, possit juste res istas communes emere pretio, quo vulgariter ab aliis ad talem usum emerentur.

c) Casu, quo res ista, v. g. pictura singularis, ex communi judicio peritorum vilis est, et emptor ex privato studio in ea quamdam pretiositatem agnoscit; hac enim in hypothesi, cum res ab ipsis peritis talis regionis non soleat pluris æstimari, soli fortunæ et industriæ emptoris adscribendum est, quod inde noverit sibi commodum procurare.

d) Casu, quo res ista, ex judicio etiam peritorum, non habet valorem stabilem ac realem, qualem v. g. habere censetur pictura celebris magistri, Raphaelis, Rubentii, etc.; sed tantum valorem prorsus volatilem et relativum, sive valorem, ut aiunt, *affectionis*, fundatum nempe in particulari affectione unius alteriusve emptoris, rem istam quæritantis ad complendum v. g. suum singulare Musæum talium raritatum; nulla enim apparet ratio, cur emptor pro determinando pretio affectum suum particularem in computum ferre debeat.

966. — Seclusis autem casibus hucusque assignatis, quæstio de justo pretio rerum singularium, quæ nec legale nec vulgare pretium habent, magnopere apud Moralistas controvertitur:

S. Alphonsus[1] cum Lugone, Lessio aliisque velut *probabilius* defendit: in emptione-venditione rei singularis ex justitia servari debere pretium illud, quod taxatur a personis talis regionis in ea re peritis; quia justitia exigere videtur, ut etiam in iis rebus servetur æqualitas, si servari potest; servari autem potest, ubi adsint periti res istas appretiare valentes. Unde in emptione-venditione, v. g. alicujus gemmæ singularis, indagandum foret judicium a gemmariis talis loci, in emptione-venditione picturæ raræ judicium pictorum, etc. Admittunt tamen ipsi hujus sententiæ patroni, quod justum hujusmodi rerum pretium valde magnam patiatur latitudinem, cum visum sit taxari v. g. pic-

[1] Cfr. S. Alph. L. IV. 805.

[1] L. IV. 808.

turam a pluribus peritis $500, pro qua non darentur 100, si venderetur; ita ut taxari debeat pretium rei, *qua hic et nunc vendendæ*, cum omnibus circumstantiis concurrentibus.

E contra Card. Toletus [1] cum Navarro Valentia, Medina et aliis, defendit: res singulares, ad vitæ ornatum aut delectationem pertinentes, cum non habeant pretium legale aut vulgare, habere tantum pretium quod vocant *conventionale*, i. e. de quo contrahentes, citra fraudem, libere conveniunt; et sic injustitia non foret si quis v. g. acciperet $4000 pro statua antiqua, aut alia re simili, dummodo talis sit res, qualis venditur; aliis verbis: dummodo non adsit error circa substantiam, ita ut v. g. id, quod venditur pro gemma, non sit vitrum. Et huic sententiæ, quoad substantiam, etiam inhæret recentior Auctor Anonymus in Libro, cui titulus: *Examen Raisonné*,[2] etc. Imo ipse S. Alphonsus [3] circa hanc sententiam asserit, eam recte a Salmanticensibus vocari *probabilem*.

Stante igitur descripta opinionum diversitate, pro praxi dicere licebit, non esse inquietandos illos, qui bona fide et libere ad proprium arbitrium in talibus rebus conveniunt.

II. *Qui sint tituli, ob quos per accidens supra vulgare pretium summum vendere, vel infra vulgare pretium infimum emere liceat?*

Ubi addetur triplex quæstio specialis: a) de merce ultronea; b) de anticipata vel dilata solutione; et c) de notitia particulari pretii mox minuendi aut augendi.

PUNCTUM I.

967. — Tituli, venditioni extrinseci, ob quos per accidens licitum est vendere supra pretium vulgare *summum*, præcipue sunt:

1° *Damnum* ex præsenti venditione *emergens*: si nempe venditor ex eo quod rem suam emptori vendat, damnum patiatur, quod passurus non esset, si eamdem non venderet; puta, si alteri vendas instrumentum, ad artis tuæ exercitium necessarium aut valde utile, quod ipse postea non nisi carius emere poteris.[1]

2° *Lucrum* ex præsenti venditione *cessans*: si nempe venditor ex eo quod rem suam emptori vendat, amittat lucrum, quod obtineret, si eamdem non venderet; puta, si nunc vendas alteri frumentum, quod esses reservaturus pro tempore, quo frumentum pluris est valiturum.

3° *Periculum* aliudve *incommodum, pretio æstimabile*, ex præsenti venditione exurgens; si nempe venditor ex eo quod rem suam vendat tali emptori, vere exponatur periculo nunquam ab eodem recipiendi pretium sive in toto, sive in parte; vel periculo non recipiendi ab emptore pretium nisi cum extraordinariis expensis.

Pro justo autem horum titulorum usu *practico* sedulo advertendum est, a Moralistis communiter requiri: a) ut venditor de hujusmodi titulis præmoneat emptorem, quatenus hic possit, si velit, rem istam alia via sibi comparare; et b) ut venditor vi talium titulorum rem non vendat pluris, quam ex prudenti æstimatione tituli ipsi valeant. Imo non pauci adhuc requirunt, c) ut venditor rem vendat ad instantiam sive in gratiam emptoris; et hinc, juxta illos, venditor non juste posset pluris vendere, si tantum vendit ad subveniendum propriis necessitatibus, licet ex hac venditione pateretur damnum emergens aut lucrum cessans; quia in casu ipse venditor, et non emptor, videtur esse causa talis damni emergentis, etc. "Sed," inquit S. Alphonsus,[2] "probabilius mihi est oppositum; . . . quia emptor, acceptando contractum, jam ipse est vera causa damni venditoris."

4° *Specialis affectus venditoris* erga ipsam rem venditam; nam privatio rei, erga quam dominus singulariter est affectus, puta, quia eam acceperit a Principe vel a majoribus suis, merito censetur pretio æstimabilis; atque ideo licite poterit venditor in casu tanti excedere pretium vulgare, quanti rationabiliter ille affectus æstimatur. Hic tamen iterum requiritur, sicut supra de aliis titulis notavimus, ut

[1] L. VIII. c. 45.
[2] Tom. I. p. 343.
[3] L. IV. 808.

[1] S. Thomas, 2. 2. q. 77. a. 1.
[2] L. IV. 807.

venditor de speciali suo affectu præmoneat emptorem, etc.

Porro, cum præfato titulo specialis affectus *venditoris* minime confundas oportet specialem affectum *emptoris ;* nam ex sententia, apud Theologos, præsertim antiquiores, communissima, specialis affectus (non dico plurium emptorum, sed) præsentis emptoris in individuo non est titulus, quo solo rem carius vendere liceat ; quia venditor hoc solo titulo injuste pretium exigeret pro eo, quod non est suum.[1] " Si aliquis," inquit S. Thomas,[2] " multum juvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendit non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere ; quia utilitas, quæ alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione mentis. Nullus autem debet alteri vendere quod non est suum, licet possit ei vendere damnum, quod patitur." — Et hæc quidem sententia a quolibet Theologo etiam recentiori, imo et a quolibet venditore timorato velut certa admittitur, quoties sermo sit de casu, quo præsens emptor erga rem venditam specialiter afficitur *ratione necessitatis aut indigentiæ* (*on account of necessity or present embarrassment*) ; cum nemo non intelligat, quam sit injuriosum velle ditescere præcise ex capite necessitatis aut indigentiæ proximi. Quoties vero agatur de casu, quo emptor erga rem specialiter affectus est, non ratione necessitatis, sed tantum *ratione utilitatis, commoditatis, aut delectationis*, quam ipsi res procurabit ; eadem sententia vix consonare videtur cum usu, hodiedum satis communi, vi cujus venditores vulgo in tali casu augmentum pretii ab emptore exigunt. Unde exoritur dubium : an usus iste tolerari possit, vel potius, prudentia duce, sit reprobandus tamquam abusus et corruptela ? Equidem censeo, cum nonnullis Doctoribus recentioribus, usum istum satis communem tolerari posse, saltem in hypothesi, quod res, erga quam emptor specialiter afficitur ratione utilitatis, etc., ex hodierna æstimatione vulgari censetur habere majorem quemdam valorem *realem*, licet *relativum*, v. g. agrum *Titii* majorem habere valorem realem relative ad vicinum fundum *Caji*. Quinimo putaverim, usum istum *in hac hypothesi* non posse dici e diametro oppositum sententiæ S. Thomæ supra relatæ, quippe quæ supponit quod utilitas, emptori accrescens, oriatur ex singulari *emptoris conditione ;* atque ideo etiam fundata mihi videtur resolutio, quam Cl. Kenrick,[1] allegata prius et admissa S. Thomæ sententia, hisce tradit verbis : "si ex adjunctis constet rem pluris æstimari *communiter* ob specialem illam utilitatem, quam emptori est allatura, pretium majus licebit petere. Sic nonnumquam agellus, qui per se parum valet, et domino nullam fere utilitatem præbet, magni valoris est domino vicini fundi : et proinde juste venditur eo pretio quod *plerisque* videtur æquum, ea re considerata."

Cæterum in genere adhuc notasse juvabit, hodiedum, ob mutata temporum adjuncta, rarius, uno alterove casu singulari excepto, occurrere specialem emptoris affectum ratione utilitatis, etc., saltem nude et simpliciter i. e. sine alio titulo concomitante. Tanta siquidem nunc est in commercio concurrentia, tanta cujusvis speciei merces acquirendi facilitas, tam frequens ac variabilis earumdem rerum, v. g. eorumdem agrorum aut domuum alienatio, ut vel specialis affectus erga talem rem determinatam vix detur, vel saltem adsit emptorum pluralitas.

5° Quintus tandem titulus juste excedendi in venditione pretium vulgare summum, est modus vendendi *sub hasta* sive *auctio publica ;* in tali enim auctione justum censetur qualecumque pretium, quod a licitatoribus libere et sine fraude determinatur, uti latius explicabitur in Art. II., ubi de venditione in specie.

968. — Præter quinque titulos hucusque assignatos, a multis Auctoribus adhuc assignantur : *rerum penuria, copia emptorum, raritas pecuniarum, modus vendendi in parva quantitate*, etc. Verum, hujusmodi circumstantiæ, stricte loquendo, non sunt tituli excedendi pretium vulgare ; sed tantum sunt causæ, ob quas pretium vulgare ex communi æstimatione crescit, quin desinat esse vulgare. Unde venditor, in præfatis circumstantiis majus pretium exigens, revera non vendit supra pretium vulgare ; sed servat pretium, hic et nunc vulgare, sive hic et nunc currens. Vide supra n. 962.

[1] Cfr. L. IV. 806.
[2] 2. 2. q. 77. a. 1.

[1] Tr. XI. 51.

PUNCTUM II.

969. — Tituli, ob quos per accidens licitum est emere infra pretium vulgare *infimum*, præsertim sunt :

1° Damnum ex præsenti emptione *emergens*. 2° *Lucrum* ex præsenti *emptione cessans*. 3° Periculum aliudve incommodum, pretio æstimabile, ex præsenti emptione oriens, v. g. periculum nunquam recipiendi a venditore rem venditam, pro qua jam pretium ab emptore solutum est. 4° Venditio *sub hasta* sive *auctio publica ;* cui hic assimilari posse videtur venditio *facta a veteramentariis ;* cum res, apud eos expositæ, censeantur pretium suum antiquum amisisse, et aliud accipere pretium ex consuetudine seu contrahentium conventione.

Ulterior præfatorum titulorum explicatio cuilibet per se aperta erit ex iis, quæ in *Puncto I.* notata sunt de iisdem titulis, relative ad venditorem consideratis.

970. — Assignatis autem titulis, ob quos per accidens infra pretium vulgare *infimum* emere licet, denuo a variis Auctoribus adjunguntur : *paucitas emptorum, copia mercium, modus vendendi in magna quantitate*, etc. ; ast istæ similesve circumstantiæ ex communi æstimatione decrescere quidem faciunt pretium vulgare, sed minime constituunt titulum emendi infra pretium infimum, in prædictis circumstantiis *currens*. Vide supra n. 962.

Nota. — Pro complemento doctrinæ de justo pretio triplex nobis remanet solvenda quæstio, initio hujus sectionis jam indicata, nimirum :

971. — Quær. 1° *An vilioris emere liceat merces ultroneas, i. e. merces ultro oblatas a venditore, emptores quæritante ?*

Resp. Quum *ultronea* mercium oblatio, ex communiter contingentibus, arguat vel paucitatem emptorum et abundantiam mercium, vel periculum defectus latentis aut palliatæ præstantiæ, etc ; hinc vulgaris invaluit opinio, quod justum sit commune adagium : *Merces ultro oblatæ vilescunt ;* idque probabilius, ait S. Alph.,[1] pro tertia parte. — Hæc autem resolutio valeat non tantum in casu, quo ultronea mercis oblatio a venditore fiat ratione lucri acquirendi, quemadmodum fieri solet a venditoribus, cum mercibus suis per vicos et domos cursitantibus ; sed probabiliter quoque, *spectata justitia stricta*, admitti posse videtur (licet suaderi non debeat) in casu, quo ultronea oblatio a venditore fiat ratione paupertatis, qua premitur (modo non agatur de talibus rebus, quæ communiter emuntur et offeruntur, ut frumentum, oleum et similia) ; inopia enim venditoris non efficit, ut pretium mutetur. Notanter tamen diximus : *spectata justitia stricta ;* nam, ut merito observat S. Alphonsus,[1] facile peccabit emptor *contra caritatem*, si rem, a paupere, necessitate presso, ultro oblatam vilius emat non unice in gratiam pauperis, sed ob propriam utilitatem, puta, quia ipse ea re indiget, etc. Lapis Lydius, ad quem honestas talium contractuum examinare oportet, non est, ut insinuat sapientissimus Pontifex Benedictus XIV., sola justitia rigorosa, sed insuper Christiana caritas.

[1] L. IV. 802.

972. — Quær. 2° An res *ob dilatam solutionem* supra pretium vulgare *summum* vendi, — vel *ob anticipatam solutionem* infra *infimum* emi possit ?

Resp. Dilata vel anticipata solutio a Theologis quamplurimis consideratur tamquam virtuale mutuum ; ita ut vendens ad creditum sive cum dilata solutione (*on credit*) eo ipso censeri possit quasi mutuo dare pecuniam emptori pro tempore crediti sive dilatæ solutionis ; et similiter, ut emens cum anticipata solutione eo ipso censeri possit quasi mutuo dare pecuniam venditori pro tempore anticipationis. Atque ideo dilatæ vel anticipatæ solutioni ab iisdem Theologis applicari solet doctrina *de mutuo*, quæ huc paucis reducitur :

a) Illicitum est percipere auctuarium sortis, i. e. plus quam mutuo datum est, immediate *ex* mutuo, sive vi solius mutui. Per consequens illicitum quoque erit percipere lucrum sive carius vendere præcise ob dilatam solutionem, vel vilius emere præcise ob solutionem anticipatam.

b) Econtra licitum est proportionatum quoddam auctuarium percipere *occasione* mutui ob justum titulum mutuo extrinsecum, nempe, ob damnum emergens, lucrum cessans, aut periculum sortis. Per consequens licitum quoque erit rem, pro-

[1] L. IV. 802.

portione servata, carius vendere occasione dilatæ solutionis, vel vilius emere occasione solutionis anticipatæ, ob damnum emergens, lucrum cessans aliudve periculum pretio æstimabile, dummodo de his moneatur, in prima hypothesi emptor, et in secunda hypothesi venditor, juxta antea dicta n. 967. — Insuper multi [1] adhuc *relative ad dilatam aut anticipatam solutionem* velut probabile defendunt, licitum etiam esse occasione dilatæ solutionis carius vendere, et occasione anticipatæ solutionis vilius emere *titulo consuetudinis et vulgaris æstimationis loci*, nempe: si in tali loco viget consuetudo vendendi ad creditum, et stante hac consuetudine, merces vulgo pluris æstimentur, cum ad sic emendum occurrere *soleat* emptorum pluralitas, et in ea pluralitate periculum ne pretium sæpius amittatur; vel similiter, si in tali loco viget consuetudo (rara utique) emendi cum anticipata solutione, et stante ista consuetudine, merces vulgo minoris æstimentur, cum tunc regulariter occurrat emptorum paucitas et venditorum pluralitas. — Advertas autem hanc multorum resolutionem, stricte loquendo, versari extra quæstionem, supra propositam; cum in suppositione hujus resolutionis pretium mercis ex vulgari æstimatione crescat aut decrescat; ita ut proprio sensu non vendatur *supra* pretium vulgare *summum*, aut ematur *infra infimum*, uti per se intelligitur ex antea traditis, n. 962.

c) Tandem a nonnullis recentioribus defenditur thesis, olim in scholis rarius audita, sed hodiedum, ut aiunt, ob tantam (comparative ad tempora anteriora) mutationem usus pecuniæ in negotio commerciali et industriali, magis invalens, nempe: quod, seclusis titulis hucusque assignatis, neque illicitum videatur, *occasione* mutui pecuniæ, ideoque et *occasione* dilatæ aut anticipatæ solutionis, proportionatum quoddam auctuarium percipere *titulo usus pecuniæ alteri concessi;* cum ipse usus pecuniæ, juxta illos, in præsenti commercii et industriæ statu, censeri possit pretio æstimabilis, excepto tantum casu, quo agatur de pauperibus, quibus pecunia mutuatur ad consumptionem et ad subveniendum eorum indigentiæ. — Quidquid autem sit circa valorem hujus opinionis; illud sane absque hæsitatione velut probabile defendere licebit: quod, seclusis titulis supra allegatis, *occasione* mutui pecuniæ, ideoque et *occasione* dilatæ aut anticipatæ solutionis, aliquod auctuarium proportionatum a non pauperibus juste percipi possit juxta taxam legis civilis, vel, hac deficiente, *vulgarem*.

973. — Quær. 3° *An ille, qui scientia* PRIVATA *novit mercium pretium brevi augendum vel minuendum, possit nihilominus vendere aut emere pretio hic et nunc currente?*

Præmissa monitione, quod hic non agitur de casu, quo quis occulte noverit pretium rei mox minuendum ob vitium ejus intrinsecum jam existens, puta, pretium alicujus debiti mox minuendum quia debitor jam est solvendo impar; sed tantum de casu, quo quis privatim sciat pretium rei mox minuendum aut augendum esse ob causam quamdam extrinsecam, v. g. pretium censuum publicorum (*bonds*) mox minuendum aut augendum esse ratione quorumdam eventuum certo aut probabiliter futurorum:

Resp. Affirm., modo absit fraus atque læsio caritatis. Nam, ut recte notat S. Thomas,[1] "Venditor, qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si, quod futurum est, non exponat." Respiciendus namque non est, valor futurus, sed valor præsens; et valor præsens non variatur ex notitia quadam particulari. Ob eamdem rationem licebit quoque emptori merces pretio currente emere, quamvis privatim sciat pretium mox augendum; et sic v. g., teste Genesi,[2] Joseph, sciens sterilitatem futuram ob quam frumenti valor erat augendus, pretio currenti magnam ejus copiam emit et reclusit.

Dixi: a) *modo absit fraus;* dubitari enim non potest, talem venditionem aut emptionem injustam esse, si fraude aut dolo causetur v. g. spargendo per diaria publica aut relationem telegraphicam falsos rumores pretii mox minuendi ac augendi, etc., quemadmodum hodiedum, proh dolor! frequentius practicatur, præsertim relative ad census publicos.

Dixi: b) *modo absit læsio caritatis;* interdum enim plus minusve repugnaret caritati, taliter emere aut vendere, nimi-

[1] L. IV. 811.

[1] 2. 2. q. 77. a. 3.

[2] C. 41.

rum: si altera pars exinde conjiceretur in gravem necessitatem, vel etiam si facile vendi res possit pluribus aut emi a pluribus, et vendatur uni aut ematur ab uno, qui proinde solus totum damnum patietur. Verumtamen, exceptis hujusmodi casibus singularibus, caritas non urgere videtur. *Abundantioris* quidem *virtutis est*, inquit S. Thomas,[1] *si pretium minuatur;* sed stricte loquendo non lædit caritatem, qui utitur jure suo juste consulens rebus suis, quamvis alter per accidens damnum ex eo patiatur.[2]

974. *Observatio practica.* — Finaliter circa materiam justi pretii adhuc notare juvat, regulariter, ni fallor, a recta via non aberraturum esse confessarium, qui in tam multiplici casuum, huc spectantium, varietate maxime attendat ad id, quod, juxta prudentum judicium, *fieri solet* in contractibus, in quibus nulla intervenit fraus ac mala fides.

§ V. *De obligationibus venditoris.*

Præter obligationem servandi justum pretium, plures venditori incumbunt obligationes, quarum aliæ spectant ad manifestationem vitiorum mercis; aliæ ad traditionem (*delivery*); et aliæ ad assecurationem (*warranty*).

I. *De obligatione venditoris ad manifestanda vitia sive defectus mercis.*

975. — Venditor relative ad vitia mercis generatim obligatur ad caute evitandam omnem fraudem, qua emptor injuste decipieretur. Dupliciter autem venditor relative ad mercis suæ vitia committere potest fraudem, videlicet: *positive* vel *negative*.

a) *Positive* committit fraudem, quando dolose occultat defectus mercis, idque vel *verbis* vel *factis*. *Verbis* quidem, si falso asserat mercem suam omnino carere vitio alicujus momenti, quo tamen reapse infecta est, v. g. si asserat equum esse valde mansuetum, dum revera est furiosus; non autem si generaliter tantum mercem suam extollat juxta usum mercatoribus communem, quo emptores regulariter non *decipiuntur*, uti antea jam observavimus n. 964. *Factis*, si arte, quam vocant *mangonium*, efficiat, ut merces suæ notabiliter meliores, quam revera sunt, appareant, v. g. si grana multo selectiora in summitate sacci ponat, quasi totum sit optimæ qualitatis; si guttulam mercurii infundat in aures equi tardioris, ut hic multo generosior et vegetior appareat; si angulum et tenebras quærat, ne mercis suæ vitium detegatur; si lanam aspergat aqua, ut majoris fiat ponderis, etc. Hæc tamen omnia, ut recte notat Billuart, accipienda sunt cum hoc moderamine: nisi ejusmodi artificiosa agendi ratio sit communis et satis nota emptoribus, sicut omnibus notum est, mercatores solere aliquantulum fucare merces suas, et meliores exterius apponere; ista enim in hypothesi emptores iterum non proprie *decipiuntur*.

b) *Negative* committit fraudem venditor, quando non manifestat vitia mercis, a se cognita, quoties ea manifestare tenetur. Quoties autem vitia ista manifestare teneatur, quæstio est satis difficilis, pro cujus solutione sit sequens tractatio brevis:

976. *De manifestandis a venditore mercium suarum vitiis a se cognitis.* — Triplicis generis esse possunt vitia mercium:

1° Vitium circa *substantiam* i. e. circa rem ipsam, quæ venditur, ita ut hæc omnino diversa sit ab ea, quam de se et principaliter emptor intendit, v. g. si pro gemma vendatur vitrum, pro auro aurichalcum, pro vino aqua, etc.

Sedulo tamen hic advertas, non quamlibet diversitatem *physicam* constituere vitium circa *substantiam* in emptione-venditione; in hoc enim contractu, ut supra n. 961 dictum est, non tam consideratur res vendenda in *esse* suo *physico*, quam in *esse* suo *usuali;* atque ideo non raro contingit, ut duæ res, in substantia physica diversæ, non censeantur substantialiter diversæ in commercio, quoties nempe eosdem habent usus eosdemque effectus. Quapropter, agentes de vitio circa *substantiam*, non accipimus substantiam in sensu absoluto, sed in sensu relativo, scil.: in ordine ad usum humanum et finem propter quem emitur.

2° Vitium circa *quantitatem*, i. e. circa numerum, pondus aut mensuram, v. g. si dolium vini, quod quadraginta tantum mensuras continet, vendatur pro quadraginta quinque.

[1] 2. 2. q. 77. a. 3. [2] L. IV. 824.

3° Vitium circa *qualitatem*, i. e. circa accidens, rei usum et utilitatem plus minusve afficiens, v. g. si vendatur equus tardus pro veloci, vinum recens pro vetere, ovis morbida pro sana, etc.

Jam vero, pro triplici hoc genere vitiorum, triplex etiam danda est resolutio distincta:

977. *Resolutio I. De vitio circa substantiam.* — Si res venalis laboret vitio circa *substantiam*, absque dubio debet venditor vitium istud manifestare emptori; quia tale vitium, ab emptore ignoratum, omnino impedit ejus consensum, ad contractus validitatem requisitum. Unde venditor, qui alteri vendit rem substantialiter vitiatam, quin vitium illud satis detegat, fraudulenter agit et ex justitia tenetur, ad nutum emptoris decepti, vel contractum rescindere, vel saltem excessum pretii restituere, et insuper compensare damna ex deceptione sua emptori secuta, modo aliquatenus sint prævisa. — Pro recta autem hujus regulæ intelligentia iterum monere liceat, in ea tantum agi de re substantialiter vitiata relative ad usum humanum et finem propter quem emitur; et hinc præfata regula applicari non posse videtur casui, quo venditor traderet, ut aiunt, *quid pro quo* i. e. pro una re aliam, æque vel fere æque utilem, v. g. casui, quo apothecarius loco medicamenti præscripti, quod præ manibus non habet, traderet aliud medicamentum ejusdem utilitatis. Adverte tamen cum S. Alph.,[1] quod venditor, ut in casu ab injustitiæ labe excusetur, debeat a) esse certus, non dubius, de tali æqualitate utilitatis, et b) diminuere pretium, in quantum res tradita forte minoris valeat.

978. *Resolutio II. De vitio circa quantitatem.* — Si res venalis laboret vitio circa *quantitatem*, rursus tenetur venditor illud manifestare emptori, minuendo saltem pretium pro quantitatis defectu. Quamvis enim talis contractus de se non sit invalidus, modo salvus maneat consensus circa substantiam; neque etiam de se rescindi possit ad nutum emptoris, nisi dolus veram dederit causam contrahendi; certo tamen contractus iste illicitus et injustus est ratione dolosi excessus in pretio, qui proinde emptori restitui debet. Unde dicitur in libro Deut.:[2] *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus et minus, nec erit in domo tua modius major et minor. . . . Abominatur enim Dominus eum, qui facit hæc, et aversatur omnem injustitiam.* — Probabiliter tamen a resolutione proposita excipere licebit casum, quo venditor, recta mensura utens, non possit consequi justum pretium propter injustitiam taxæ legalis,[1] vel propter injustum monopolium emptorum, inter se convenientium, ne justum pretium offerant. Hoc nempe in casu, ex plurium opinione, licite potest uti mensura in tantum manca, in quantum ad pretium, infimum tamen dumtaxat, perveniat, atque ita juste se liberet ab injusta vexatione. S. Alph.[2]

979. *Resolutio III. De vitio circa qualitatem.* — Si res venalis laboret vitio circa *qualitatem*, imprimis generatim resolvendum opinamur: venditorem ex justitia obligari ad vitium illud manifestandum, *quando emptor eum de tali vitio serio interrogat*, atque sic sufficienter ostendit, se rem, ejusmodi vitio infectam, aut nullatenus aut saltem non tanto pretio emere velle; hac enim in hypothesi vitium circa *qualitatem* redundaret in *substantiam*, tolleretque emptoris consensum vel in toto vel saltem in tanto; ita ut venditor celando, in casu, veritatem, reus sit fraudis, hujusque fraudis debeat subire sequelas. — Verumtamen, si emptor interrogaret tantum *in genere*, nulla adesse videtur justitiæ obligatio ad indicanda vitia *levioris momenti*; talis enim interrogatio generalis in tanto rigore non accipitur; cum vix ulla sit res, ab omni defectu plane immunis. — *Nota.* De modo, quo venditor, ad vitii manifestationem obligatus, huic obligationi satisfacere possit, vide infra.

980. — Supposito autem, quod emptor venditorem nullatenus interroget; ante omnia attendere oportet, an vitium, non interrogatum, sit patens vel occultum; et si occultum, an censeri debeat notabile vel non notabile; atque hisce attentis resolvi poterit:

981. A) *De vitio patente.* — Si vitium est *patens*, ita ut a quolibet generatim cognosci possit communi diligentia, v. g. si equus est monoculus, venditor, non interrogatus, *regulariter* non tenetur illud indicare emptori, *saltem ex justitia*; modo

[1] L. IV. 821. [2] 25. 13.

[1] Vide supra n. 963. [2] H. A. Tr. X. 186.

justum rei pretium non excedat. Ubi enim res ipsa loquitur, non opus est voce venditoris ; et emptor, si per incuriam forte ejusmodi vitium non advertat, sibimetipsi hoc imputandum habet.

Dixi : 1° *regulariter* non tenetur ; *per accidens* enim venditor, etiam ex justitia, debet vitium de se patens detegere, nimirum : quando ipsi *certo constat*, emptorem propter apertam imperitiam, hebetudinem etc. vitium istud, moraliter loquendo, advertere non posse ; quia tunc vitium respective ad talem emptorem censetur occultum, ideoque manifestandum, quoties vitia occulta, uti mox dicetur, manifestari debeant.

Dixi : 2° regulariter non tenetur *saltem ex justitia ;* nam aliquando postulabit caritas, ut venditor, si sine gravi incommodo possit, emptorem incurium aut imprudentem, saltem post contractum, admoneat, nempe si venditor videt, emptori, ratione incuriæ suæ, damnum aut periculum ex re empta imminere.

982. B) *De vitio occulto notabili sive redhibitorio.* — Si vitium est *occultum* et simul *notabile* i. e. si vitium, communi diligentia non cognoscibile, rem venalem reddat noxiam, inutilem, aut notabiliter minus utilem, *ad finem, propter quem, in præsentibus circumstantiis, communiter emi solet ;* venditor ex justitia illud aperire debet ; nam alioquin emptor in emptionem aut emptionis saltem pretium consensisse non censetur. — Unde malitiosæ fraudis rei sunt, et obligatione restitutionis constringuntur venditores, qui alteri vendunt rem, laborantem vitio hic et nunc occulto, quo ejus usus ministeriumque impeditur, puta, qui vendunt alteri equum, *hic et nunc latenter* infectum vitio contumaciæ (*stubbornness*) ; qui vendunt bovem occulte jam laborantem phtisi pulmonaria, aut ovem latenter scabiosam, aut porcum occulte rancidum ; item qui vendunt vestes aut caligas, apparenter bonas, sed ex panno aut corio adusto confectas, ideoque ad usum satis durabilem ineptas ; pariter qui vendunt medicinas ex latenti defectu noxias aut inutiles, etc.

Bene autem nota verba supra cursive impressa : *ad finem propter quem, in præsentibus circumstantiis, emi solet ;* nam si res ad hujusmodi fines solitos satis apta est, non tenetur venditor per se inquirere, an forte emptor habeat alium finem specialem aut extraordinarium, ad quem res foret noxia aut inepta ; sed e contra recte præsumit fines solitos, nisi alius emptoris finis ei manifestus fiat sive *explicite*, sive saltem *implicite* ex rerum adjunctis. Unde, vendens justo pretio bovem, optimum pro macello, sed ineptum pro aratro, non tenetur emptori indicare, bovem ad arandum ineptum esse, excepto tantum casu, quo venditori constaret ex verbis expressis emptoris sive ex nota ejus conditione, eum unice quærere bovem ad finem arandi ; nam tunc venditor, bovis ineptitudinem reticendo, ab omni injuria non videtur excusandus ; licet injuria ista non reputetur gravis, ubi emptor possit de facili et sine incommodo aut damno bovem alteri usui accommodare, vel eum æquali pretio aliis revendere. — Quod autem aliquando, saltem post contractum, dari possit obligatio quædam *caritatis*, ex antea dictis n. 981 *in fine* satis patet, et denuo patebit ex dicendis in resolutione sequenti :

983. C) *De vitio occulto, non notabili, sive non redhibitorio.* — Si vitium est occultum, sed *non notabile*, ita ut rem non reddat noxiam aut notabiliter minus aptam ad usum solitum, v. g. si ovis laboret spernenda quadam febricula ; si vestes aut caligæ ex panno aut corio aliquatenus debiliori, satis tamen durabili, confectæ sint ; venditor, *non interrogatus*, nulla justitiæ lege constringitur ad manifestationem talis vitii, etiam occultissimi, modo pretium servet proportionatum. Id enim abunde constare videtur ex communi, etiam timoratorum, usu et praxi, circa quam emptores rationabiliter inviti esse non possunt ; cum secus tota inter bonos cives negotiatio subverteretur in societatis detrimentum.

Attamen, si venditor per accidens probabiliter suspicaretur, emptorem, vitium ignorantem, rem diutius servare velle, quam servari possit, vel eam revendere velle tertio pluris quam valeat ; tunc venditor, licet non interrogatus, deberet, *saltem* ex caritate, emptorem, post contractum, monere, ad præcavendum damnum aut periculum, secus ipsi aut aliis verosimiliter imminens. Et sic v. g., ut notat de Lugo, si vendis vinum, quod quidem diu servari non potest, sed tamen in eo statu,

quem adhuc habet, communiter ad usum quotidianum venditur tali pretio; nec emptor ostendit se petere vinum ad conservandum, sed, prægustato vino, illud emit; non videris ex justitia obligatus ad dicendum periculum. At si probabiliter timeres emptorem illud forte diutius conservare velle; tunc oportebit, ex caritate, emptorem monere per te vel per alium, ut vinum brevi expendat, saltem si possis sine gravi damno proprio.

984. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quo modo venditor, ex justitia obligatus ad manifestanda vitia mercis, huic obligationi satisfacere possit?*

Resp. Obligationi isti satisfacere potest, non solum si vitia mercis sincere et nominatim assignet; sed generatim etiam, a) si in *talibus* adjunctis merces suas vendat, ut earum defectuositas ab emptore per se intelligi aut præsumi debeat, puta: si vendat qua veteramentarius; et b) si simpliciter et candide asserat, se nolle rationem reddere de quocumque vitio, sed vendere rem *sicuti est*, per hujusmodi enim protestationem venditor regulariter satis admonet emptorem, ut sibi consulat. Et hinc merito, ex sententia S. Alphonsi,[1] toleratur consuetudo, quæ alicubi viget, *præsertim in nundinis magnis*, ut ita vendantur animalia, etiamsi vitia sint occultissima; ad tollendas enim lites et ad bonum commune promovendum, hoc satis cohonestatur a consuetudine; dummodo (quod caute præ oculis habendum) res ultra pretium justum, saltem summum, non vendatur, habita ratione illius vitii occulti.

Nota. — Hac occasione etiam observari meretur, quod monet S. Alph.[2] circa justitiam contractuum in genere, videlicet: "Si reperiantur aliqui contractus, usu per longum tempus in aliqua regione; . . . confessarius non debet eos condemnare, nisi inspectis prius omnibus circumstantiis; siquidem primo aspectu multi contractus apparent usurarii aut injusti; sed postea, re melius perpensa, tales non sunt habendi."

985. — Quær. 2° *Quid resolvendum de merce, cui alia merx vilior admixta est?*

Resp. Attentis variis opinionibus, quæ hac de re apud Auctores reperiuntur, equidem in praxi non auserim damnare peccati *injustitiæ* et ad restitutionem obligare venditorem, qui faceret admixtiones *communiter fieri solitas*, atque pro mercibus ita admixtis peteret pretium *communiter exigi solitum*. Non tamen excusandæ sunt *tales* mixtiones sive corruptiones, quæ res ad finem, ad quem destinantur, reddant *notabiliter deteriores*, uti contingeret si res ratione mixtionis non amplius retineant *eam* bonitatem, qua ejusmodi rerum emptores solent, aut, propter universalem consuetudinem, vix non debent esse contenti. Cæterum fateamur oportet, quamlibet commixtionem etiam de se non stricte injustam, communiter tamen illicitam esse, utpote bonæ fidei ac securitati commercii adversam; nisi mixtio fiat ex rationabili causa, puta: ut obtineatur justum pretium, quod secus obtineri non posset propter extraordinariam bonitatem mercis, propter injustam taxationem Magistratus, propter injustam conspirationem emptorum, vel propter usum communem.

[1] L. IV. 823. [2] Praxis Conf. n. 44.

II. *De obligatione venditoris quoad rei venditæ traditionem.*

986. — Venditor ex omni Jure obligatur ad rei venditæ traditionem; nisi forte obligatio ista ex legitima causa cessaverit, v. g. quia emptor non solvit pretium, vel quia post emptionem bonis cessit.

De ea jure nostro hæc fere servanda sunt.

I. Si de immobilibus agatur, requiritur contractus solemnis (*a deed*).

II. Si de mobilibus a) "A delivery to the carrier, or to the agent of the buyer, is a delivery to the buyer himself." b) "As to the time of delivery and payment, the rule is, that when no time is agreed upon, they are concurrent acts to be performed forthwith." c) "When no place of delivery is specified in the contract, the law implies that it is the place where the article is at the time of sale." [1]

III. *De obligatione venditoris quoad rei venditæ assecurationem (warranty).*

Nota. — Quæ de assecuratione dicturi sumus, solo naturali jure innixi dicemus,

[1] Walker, § 181.

cum variorum Statuum hac de re leges multum inter se differant et in dies mutentur.

987. — Quilibet venditor per se censetur vendere tantum ac tradere talem rem, quæ ab emptore tuto possideri et ad usum destinatum adhiberi valeat; atque ideo etiam quilibet venditor per se, *nisi contrarium fuerit stipulatum*, tenetur emptori rem venditam *assecurare* (*to warrant*), i. e. præstare, ut emptor rem emptam tranquille possidere, eaque frui possit.

Quum autem tranquilla rei possessio tollatur *per evictionem*, et fruitio rei *per ejusmodi vitia occulta*, quæ rem ad finem destinatum plane aut saltem notabiliter ineptam reddunt (quæ vitia in Jure vocantur *vitia redhibitoria*): hinc duplex distinguitur assecuratio, a venditore debita, nimirum a) assecuratio contra rei evictionem (*warranty of the title*), et b) assecuratio contra rei vitia redhibitoria (*warranty of the quality*).

His generatim positis, jam pauca de utraque assecurationis specie, singillatim notemus.

A. *De assecuratione contra evictionem.*

988. — Quær. 1° *Quid sit evictio?*

Resp. Evictio est legitima deturbatio emptoris in possessione rei quam emit; vi cujus emptor debeat rem a se emptam, sive totaliter sive partialiter, reddere alicui tertio, qui nempe certo probat, eam, sive totaliter sive partialiter, esse suam, vel saltem eam jure suo reali, puta, jure hypothecæ, gravari; et qui proinde quod suum est legitime repetit, stando in juris naturalis principio: *res clamat ad dominum*, vel insuper stando in sententia judicis, juxta terminos legis civilis evictionem decernentis. E. g. si Titius emit a Cajo, et, facta traditione, jam possidet aliquam domum, quam deinceps Jacobus valide probat non pertinuisse ad Cajum, sed vere esse suam, et quam proinde legitime a Titio reclamat; tunc adest evictio respectu Titii, qui domum istam Jacobo, legitime reclamanti, reddere debet, et sic re a se empta juste spoliatur, sive, ut aiunt Juristæ, de re a se empta evincitur.

Ex data autem evictionis descriptione liquet, eam non inepte distingui posse a) in *totalem* et *partialem*, prout emptor de re integra vel de ejus parte tantum evincitur; et b) in *naturalem* et *juridico-civilem*, prout fundatur in solo jure naturæ, vel insuper in jure civili, per judicem applicato.

989. — Quær. 2° *Ad quid venditor per se* (*i. e. seclusa alia stipulatione*) *teneatur ex ipso jure naturæ, erga innocentem emptorem in casu evictionis?*

Resp. cum distinctione: vel venditor fuit malæ fidei i. e. satis novit rem esse evictioni obnoxiam, et emptori id celavit; vel fuit bonæ fidei i. e. periculum evictionis prorsus ignoravit.

Si *primum*, nempe si fuerit *malæ fidei*, venditor ex jure naturæ, ideoque in foro conscientiæ, tenetur emptori evicto reddere pretium ab ipso solutum, atque eum servare omnino indemnem; quia emptorem vere decepit et simpliciter dicendus est injustus damnificator. — Quodsi evictio esset *partialis tantum*, idem venditor emptori debet restituere pretium pro rata, et damna compensare; imo debet, ad nutum emptoris, contractum rescindere, quoties pars, de qua emptor evincitur, sit tam notabilis, ut per se præsumi posset, quod emptor sine tali parte contractum non iniisset; quia tunc dolus venditoris vere dedit contractui causam.

Si *secundum*, nempe si fuerit *bonæ fidei*, venditor etiam ex jure naturæ tenetur emptori evicto reddere pretium solutum sive in toto sive in parte, prout evictio integra vel partialis sit; modo pretium istud adhuc habeat in se vel in æquivalenti; sed præter hoc ex jure naturæ ad nihil aliud in conscientia obligatus videtur; nisi forte, in casu evictionis *partialis*, ad rescindendum contractum, quando per se patet, quod emptor, spectata notabili parte, de qua jam evincitur, noluisset contractum inire, si *talis* evictionis periculum scivisset; nam tunc ejus consensus omnino in *errore* fuit fundatus. — Diximus, venditorem teneri ad reddendum pretium acceptum, *modo illud adhuc habeat in se vel in æquivalenti*, sive, ut alii dicunt, idem intelligentes: *in quantum ex eo ditior factus est;* nam si venditor bonæ fidei pretium illud forte insumpserit in ludum vel largitiones, ita ut ex eo

non sit factus ditior (quod accipe : si tales expensas secus non fecisset) ; tunc nec ad pretii restitutionem ex jure naturæ obligari poterit, uti constat ex principiis, antea expositis de obligationibus possessoris *bonæ fidei*.

990. — **Quær.** 3° *Quid statuendum pro casu, quo venditor bona fide stipulaverit, se rem non assecurare ?*

Resp. Tenetur reddere pretium, in quantum illud adhuc habet in se vel in æquivalenti.

Nota. — Si malitia, ait S. Alph.,[1] aut culpa judicis, aut vi alterius, aut negligentia emptoris res evincatur, venditor ad nihil tenetur ; periculum enim *fortuitum* ad emptorem pertinet.

B. *De assecuratione contra rei vitia redhibitoria.*

991. — Ut omnis confusio præcaveatur, in antecessum hic monere liceat, tradenda jam de assecuratione contra vitia redhibitoria, simpliciter consideranda esse velut supplementum tractationis, superius n. 975 seq. exhibitæ, de manifestandis a venditore mercis suæ vitiis. Quum enim in ea tractatione sermo tantum fuerit de obligatione, quæ, *ex jure naturæ*, venditori incumbit relative ad rei vitia, *ipsi cognita*, et consequenter de ejusdem obligatione erga emptorem, si ejusmodi vitia manifestanda non manifestaverit, ideoque fraudulenter et mala fide egisse censendus sit ; hinc per se liquet, quædam adhuc dicenda remanere de obligatione, quæ venditori *ex jure naturæ* incumbit, casu quo ipse rei vitia ignoraverit, ac proinde sincere et bona fide vendidisse censeri debeat.

992. — **Quær.** *Ad quid venditor* BONÆ FIDEI *erga emptorem ex jure naturæ teneatur quoad vitia rei venditæ ?*

Resp. Cum talis venditor nullum commiserit dolum, solutio quæstionis petenda erit ex doctrina, de contractibus in genere tradita, *circa errorem*. Ea igitur doctrina supposita, statui potest ;

1° Si vitium sit *circa substantiam*, venditor bonæ fidei ex jure naturæ debet contractum rescindere et reddere pretium acceptum, in quantum illud adhuc habet in se vel in æquivalenti.

2° Si vitium sit *circa quantitatem*, debet, pro quantitatis defectu, reddere partem pretii, in quantum illud adhuc habet in se vel in æquivalenti.

3° Si vitium sit *circa qualitatem, vere notabilem*, debet pro diversitate erroris, in quo fuerit emptor, vel contractum rescindere et reddere pretium, in quantum, etc., vel saltem contractum reducere ad æqualitatem, reddendo pro rata partem pretii, in quantum, etc. Excipiendus tamen hic videtur casus, quo venditor bonæ fidei contrarium stipulaverit et pretium acceperit huic stipulationi proportionatum ; nam tunc contractus potius est *aleatorius*.

§ VI. *De obligationibus emptoris.*

Tres dantur obligationes emptoris, quarum una est principalis ; dum duæ reliquæ sunt minus frequentes et accidentariæ.

A. *De obligatione principali emptoris.*

993. — Principalis obligatio emptoris est : ut rem venalem justo emat pretio, illudque debito loco ac tempore fideliter solvat.

B. *De duplici emptoris obligatione, minus frequenti et accidentaria.*

994. — *Prima obligatio, minus frequens et accidentalis*, est obligatio (sive expresse, sive saltem tacite, i. e. augendo pretium usque ad vulgare infimum) manifestandi venditori simplici et ignaro bonitatem mercis, quam is vilioris vendere vult, nesciens ejus valorem ; secus enim emptor non emeret pretio justo i. e. non tanti, quanti in communi æstimatione res valet. Neque excusandus est emptor, quando in tali casu a venditore ignorante petat, ut condonet, si forte res amplius valeat ; nam ejusmodi donatio esset invalida, utpote in ignorantia fundata. Cæterum, ad rite intelligendam obligationem emptoris prædictam, adverte :

a) Eam obligationem probabiliter non eousque extendi posse, ac si emptor deberet venditorem, etiam interrogantem, certiorare de *summo* rei valore ignorato : nullam enim cum S. Alph.,[1] apprehen-

[1] L. IV. 800.

[1] L. IV. 819.

dere valeo injustitiam apud emptorem, qui juste emit, pretium infimum solvendo, et cæteroquin venditorem non positive decipit aut ad vendendum cogit. — Quod autem venditor ignoret, pretium illud esse infimum, per accidens se habet et ipsi imputandum est.

b) Eamdem obligationem non comprehendere casum, quo agitur de re, quæ in communi æstimatione loci vilis habetur, licet emptor scientia privata majorem ejus valorem agnoscat; neque casum, quo et emptor et venditor, ignorantia laborantes, bona fide ineunt contractum quasi aleatorium, fortunæ se committendo.

Secunda obligatio, minus frequens et accidentalis, est obligatio emptoris ad candide et totaliter manifestanda venditori vitia pretii, si quæ forte hic et nunc existant, puta, si emptor monetas aut chirographa pro pretio solvit, quæ *hic et nunc* sint dubii aut litigiosi valoris. Dicendo autem: *hic et nunc*, satis innuimus, obligationem ejusmodi non attingere casum, quo sermo sit de pretio, quod hic et nunc est optimum, sed quod emptor privatim novit mox minuendum ob circumstantiam quamdam extrinsecam in futuro. Vide de hoc casu resolutionem antea traditam n. 973.

ARTICULUS II.

DE PRÆCIPUIS EMPTIONIS-VENDITIONIS SPECIEBUS.

Quum varia omnino esse possit emptionis-venditionis materia, variusque plane emendi ac vendendi modus; hinc variæ etiam distinguuntur emptionis-venditionis species, de quarum præcipuis, utpote in praxi plus minusve scitu necessariis, in hoc Articulo singillatim simul ac compendiose dicetur, nimirum: 1° de venditione cum pacto redimendi; 2° de venditione jurium incorporeorum; 3° de venditione sub hasta, sive auctione publica; 4° de venditione per proxenetas et 5° de monopoliis.

§ I. *De venditione cum pacto redimendi.*

995. — Venditio cum pacto redimendi est contractus, quo venditor sibi reservat jus rem suam redimendi, sub conditione quod sumptus, meliorationem, vel similia resarciat.

996. — Quod attinet ad moralitatem *hujusmodi venditionis*, cui pro foro interno assimilari posse videtur *emptio cum pacto, quod res empta, ad arbitrium emptoris, a venditore redimi debeat;* hæc ex doctrina satis communi Moralistarum statuere licebit:

Venditio vel emptio cum pacto redimendi de se est licita, modo rei pretium minuatur pro rata gravaminis, quod una pars, pasciscendo jus redimendi, alteri parti imponit; cum tale gravamen revera sit quasi pars pretii, quod proinde minui debet in quantum id postulat debita in contractu emptionis-venditionis æqualitas. Quapropter:

1° Si pactum redimendi fiat unice in gratiam venditoris et gravamen emptoris; venditor debet descendere in pretio pro æstimatione gravaminis, emptori impositi. Quanti autem gravamen illud æstimandum sit, id, spectatis adjunctis, prudentum arbitrio relinquatur oportet, quamvis non raro gravamen istud æquivalebit *tertiæ* vel saltem *quartæ* parti pretii; ita ut non raro quoque pretium pro *tertia* vel saltem *quarta* parte sit minuendum; et sic v. g. si pretium rei de se sit 100, et venditor eam vendit cum pacto redimendi in gratiam suí, tunc sæpius eam vendere debebit pro 65 – 75, sive, generatim loquendo, pro pretio, quod, spectatis adjunctis, prudentum æstimatione determinatur.

2° Si vero pactum redimendi fiat unice in gratiam emptoris, et in gravamen venditoris; tunc e contrario emptor tenetur pretium augere juxta æstimationem oneris a venditore subeundi.

3° Si denique pactum redimendi fiat in gratiam utriusque; ita ut scil.; quoties venditor reddiderit pretium, emptor teneatur reddere mercem, et e contra, quoties emptor reddiderit mercem, venditor teneatur reddere pretium; tunc servanda erit æqualitas pretii media; cum par utrique sit onus. Cfr. S. Alph.[1]

997. — Cæterum pro praxi quoad ejusmodi emptiones ac venditiones cum pacto redimendi adverte, eas quandoque fieri non animo emendi aut vendendi, sed animo plane usurario, nimirum ad palliandam, sub fallaci specie emptionis-venditionis, usuram in conventione latentem. Facile autem intelligitur, tales conven-

[1] L. IV. 812. sq.

tiones, ratione usuræ latentis, illicitas ac injustas esse, saltem quoties lucrum inde perceptum excedat auctuarium, quod occasione mutui percipere liceat juxta superius dicta n. 972. Exemplum hujusmodi conventionis usurariæ præsto est in contractu Hispanice dicto mohatra, quo quis rem majori pretio credito vendit, cum pacto ut emptor ipsi minori pretio, numerata pecunia, retrovendat. Cfr. S. Alph.[1]

§ II. *De venditione jurium incorporeorum.*

Prænotandum.—Bona, quæ ad materiam emptionis-venditionis spectant, distinguuntur in *corporalia* et *incorporea*. *Corporalia*, ut n. 593. 2) diximus, ea sunt, quæ suî natura tangi i. e. sensibus percipi possunt, velut fundus, vestis, aurum similesque res materiales. *Incorporea* sunt, quæ tangi nequeunt, utpote in mero jure consistentia, sicut jus hæreditatis apertæ, jus usufructus et generatim quæcumque credita. Hoc prænotato:

998.—**Quær.** *An in conscientia liceat credita aut chirographa, pecunia numerata, emere infra eorum valorem numericum?*

Præmissa distinctione inter chirographa privata, chirographa commercii (*drafts, for instance*) et chirographa Statuum sive potius census publicos, in Gubernio fundatos (*bonds*):

Resp. 1° *Quoad chirographa privata:* Manifestum est, ea multo minoris emi posse pecunia numerata, si sint incerta seu litigiosa vel difficilis solutionis ex parte debitoris; idque verosimiliter etiam si forte emptori præsenti, ob circumstantiam ipsi *specialem*, solutu facilia fiant; cum pretium rei a communi æstimatione, non vero ex particulari ementis circumstantia determinetur.[2] Seria autem inter Doctores agitatur controversia, magis tamen speculativa, quam practica, de chirographis aut debitis, ut dicunt, *liquidis*, i. e. certis et præfixo tempore facile a debitore solvendis. Non pauci censent, talia quoque chirographa liquida paulo minoris emi posse; quia emptio, etiam talis chirographi, non est emptio pecuniæ sed emptio *juris* ad pecuniam; *jus* autem ad pecuniam ex communi æstimatione minus valet quam pecunia præsens. Alii econtra opinantur, ea minoris emi non posse, quia *talia* debita, licet physice a pecunia præsenti differant, moraliter tamen loquendo ejusdem omnino valoris sunt. Verum, ut jam innuimus, controversia hæc magis speculativa videtur quam practica; quia in praxi rarius emuntur ejusmodi debita, quin interveniat periculum difficilis solutionis, saltem in communi æstimatione, metus molestiarum, damnum emergens, aut quid simile, quod justificat emptionem minori pretio. Ubi enim reperitur hodie debitum ita in tuto positum, ut in securitate æquivaleat pecuniæ præsenti? Quapropter in praxi primam sententiam tuto sequeris.

Resp. 2° *Quoad chirographa commercii:* Hæc chirographa æquiparari possunt chirographis *privatis*, quando non sunt ex iis commercii creditis, quæ publice vendenda exponuntur in foro mercatorio (*exchange, stock-exchange*); si vero hujusmodi chirographa ibidem publice vendenda exponuntur, tunc probabiliter resolvi posse opinamur cum Bouvier, ea emi ac vendi posse pretio, in foro isto currenti, idque non solum, si chirographa ista dirigantur ad aliam urbem ideoque de se aliquatenus periculosa sint, v. g. si chirographum, Baltimoræ emptum, dirigatur Bostoniam, ibique tantum solubile sit; sed etiam si in eadem urbe solvi debeant; talia enim chirographa publice exposita habentur ut merces, quarum pretium ex communi æstimatione crescit aut decrescit secundum circumstantias.

Resp. 3° *Quoad census publicos:* Census isti ex communi æstimatione cujuscumque regionis æquiparantur mercibus ordinariis, quarum pretium crescit aut decrescit pro circumstantiarum diversitate. Unde procul dubio licitum videtur, eos emere ac vendere currenti pretio.

§ III. *De venditione sub hasta sive de auctione publica.*

999.—Nomine *venditionis sub hasta*, strictiori sensu juridico, ea tantum intelligitur venditio, qua ex edicto judicis res quædam venales, puta, bona debitoris solvendo imparis, publice emendæ exponuntur plus offerentibus. Vulgo tamen eodem nomine generatim designari solet quævis venditio, in qua res vendenda per

[1] L. IV. 813. [2] L. IV. 829.

præconem proclamatur, cujusque licitatio admittitur, et ultimæ licitationi res addicitur. Passim etiam hanc venditionem vocant *auctionem* publicam, eo quod ex parte emptorum perficiatur *licitando*, ita ut posterior licitator adaugeat pretium, a priore oblatum.

1000. — *Venditio sub hasta* sive *auctio publica* ubique gentium in usu est, a legitima auctoritate approbatur, et de se quoque nil injusti continet. Unde procul dubio in conscientia est licita; ea tamen lege, ut servetur pretium, quod in *tali* venditione *justum* censeri possit. *Justum* autem in publica auctione, cum S. Doctore Alphonso, censeri potest pretium illud, quod publico emptorum licitantium concursu determinatur; etiam si descendat infra pretium *vulgare* infimum, vel elevetur supra *vulgare* summum; dummodo revera absint fraudes, quæ, proh dolor! in hac venditionis specie frequentius interveniunt, tum ex parte officialium, tum ex parte ipsorum venditorum, tum ex parte emptorum concurrentium:

1001. — *Ex parte præconum* præcipue intervenit fraus: si rem vendendam citius solito alicui adjudicent cum detrimento venditoris; aut si ante tempus venditionem incipiant, ut res, deficientibus emptoribus, minori pretio vendatur.

1002. — *Ex parte ipsorum venditorum* præcipue intervenit fraus: 1° Si positive occultent rei vitia, vel exponant rem pro re, aut rem defectuosam pro integra, nisi tamen eo in casu, de more solito, res defectuosa simpliciter vendatur *sicuti est*.[1] Item 2° *per se loquendo*, i. e. spectata originaria auctionis publicæ indole, si ipsi per se licitent aut alios fictos licitatores subornent; vel si rem retrahant, ubi minus pretium offeratur. Verumtamen *per accidens*, nempe: ratione contrariæ praxis, hodiedum fere universalis, aliquantulum mitius pronuntiari posse opinamur; quia ratione istius praxis ipsa auctio publica alteram quasi naturam induisse videtur; ita ut imprudenter jam damnaretur venditor, qui rem sic retraheret vel ipse per se licitaret; cum non irrationabiliter præsumere liceat, emptores hoc scientes, et idem in simili occasione facere paratos, juri suo renuntiare, ideoque nullam ipsis fieri injuriam.

[1] Vide supra n. 984.

1003. — *Ex parte emptorum* præcipue intervenit fraus: 1° Si alios vi aut dolo v. g. mendaciis aliisve mediis *injustis* impediant quominus pretium adaugeant; non autem si alios simpliciter rogent precibus non importunis, uti communiter practicatur. 2° Si procurent ut licitatio citius, quam par est, finiatur et res ante tempus sibi adjudicetur. Item 3° *per se loquendo* etiam, si emptores inter se *conveniant* ne licitent aut ne plus offerant; excepto tamen, juxta multos, casu, quo emptores essent societate conjuncti, aut quasi-conjuncti ut fratres, amici, etc.; cum in hac hypothesi faciant quasi unam personam moralem, et durius ab ipsis exigeretur, ut adversum se invicem licitent. *Per accidens* vero, — nimirum: ubi vigeat praxis, supra assignata, quod venditores ipsi per se vel per alios licitent, atque rem suam retrahant, quando minus pretium offeratur; — etiam injustitiæ arguere non auserim emptores, qui *pacto inter se conveniunt*, ne ultra *moderatum* pretium licitare valeant; si enim venditor licitando ac retrahendo rem expositam impedire possit, quominus pretium nimis decrescat; æquitas quoque postulare videtur, ne conqueratur, quod emptores conveniant ne pretium *nimis* augeatur. An autem eodem titulo, quod venditor rem retrahat, etc., excusari adhuc possit emptor, qui cæteris pecuniam dat aut promittit, ut a licitando abstineant, atque ita res a se *moderato* emi possit pretio; quæstio valde ardua est, de qua Auctores passim silent, dum pauciores, eam per transennam attingentes, stant pro responsione negativa, cui communior quoque timoratorum sensus et praxis suffragari videntur. Equidem memor sapientis moniti S. Antonini: neminem peccati esse damnandum, nisi de eo *satis constet*, præfatum emptorem a suspecta hujusmodi agendi ratione ante factum enixe absterreo, sed post factum absolute damnare non præsumo. Quod attinet ad casum, non raro occurrentem, quo aliquis ab emptore pecuniam acceptaverit sub conditione non licitandi, dum nullam reapse habuerit licitandi intentionem; satis clarum videtur, eum pecuniam istam emptori restituere debere, cum nullus appareat titulus sibi illam retinendi. Hæc omnia autem dicta sint pro sola hypothesi quod venditor rem suam retrahere possit,

etc., minime vero pro casu, quo venditor id de facto aut de jure non valeat, uti contingit v. g. in *judiciali* venditione sub hasta.

1004. *Notandum.* — Ad dijudicandas diversas, quæ in auctionibus publicis hodiedum practicantur artes ac machinationes, ad hæc duo, collective sumpta, maxime attendas oportet :

a) Ad ipsam talis venditionis naturam, nimirum, quod auctio publica sit quasi contractus aleatorius, ad cujus justitiam pertinet, ut quoad commoda speranda et incommoda metuenda per se æqualis sit conditio venditoris ab una, et conditio emptorum ab altera parte ; ita ut fraus adesse censeatur, ubi ordo hujus venditionis ab alterutra parte sic subvertitur, ut debita ista evanescat æqualitas ; ac deinde :

b) Ad praxin alicubi *communiter* vigentem ; quamvis enim praxis communis, etiam timoratiorum, non necessario præbeat ineluctabile argumentum pro contractus justitia ; regulariter tamen præbet fundatam illius justitiæ præsumptionem, quam certo reprobare confessarius non debet, nisi satis constet de ejus falsitate, quemadmodum antea jam monuimus cum S. Alph. Nimis tamen emptoribus laxarentur habenæ, si *qua principium* practicum assumeretur, venditores, artes committi solitas cognoscentes, sese iisdem voluntarie subjicere, eo ipso quod res suas per modum auctionis publicæ vendendas proposuerint.

§ IV. *De venditione per proxenetas.*

1005. — Venditio per *proxenetas* ea est, quæ non fit immediate ab eo, ad quem res vendenda pertinet ; sed ex ejus mandato aut commissione ab aliis, qui *proxenetæ* dicuntur.

Circa hujusmodi venditionem et emptionem specialia quædam notanda occurrunt a) respective ad proxenetas in genere, et b) respective ad illos proxenetas in particulari, qui tales sunt ex officio.

1006. I. *De proxenetis in genere.* — Quoad *proxenetas in genere* hæc una tantum moveri solet difficultas :

An proxeneta, qui vendit SUPRA *vel emit* INFRA *pretium, sibi a principali suo designatum, licite possit* EXCESSUM *pretii designati sibi retinere ?*

Resp. Per se loquendo negative ; quia proxeneta, qua talis, nullo per se gaudet titulo justo ad aliquid sibi retinendum. Attamen *per accidens*, nempe, ob adjuncta particularia, ejusmodi titulum habere et consequenter licite sibi aliquid retinere poterit, videlicet :

a) Si proxeneta labore suo *extraordinario ac indebito* aut *speciali* industria sua rem vendendam melioravit, atque *ideo præcise* eam pluris vendidit ; nam fructus industriæ industriam sequuntur.

b) Si dominus rei expresse aut æquivalenter declarasset, se nihil ultra pretium designatum a proxeneta exigere ; uti sæpius contingere asserunt, ubi dominus pro labore proxenetæ nullum assignet stipendium.

c) Si proxeneta, sedulo adhibita communi diligentia, et pretio majore non invento, rem sibimetipsi et suo periculo vere ac valide emat, eamque *postea pluris* vendat, solvatque domino solum pretium designatum.

d) Denique licite potest proxeneta sibi retinere residuum pretii, a principali suo dati aut determinati ad aliquid emendum, quoties *totum* illud pretium determinatum impendi debuisset, nisi venditor pretium *in gratiam ipsius proxenetæ* minuisset, et sic v. g. sartor, deputatus ad emendum in officina pannum aliaque necessaria pro vestimentis conficiendis, et ceteroquin fideliter negotium domini gerens, licite sibi retinebit *eam* partem pretii, *quam* officinarius sartori in ipsius gratiam remisit seu donavit, puta, quia officinam suam frequentat, etc. Monet tamen S. Alphonsus, in hujusmodi casibus caute procedendum esse, ne justitia lædatur ; cum, experientia teste, non raro contingat, quod officinarii simulent se sartoribus aliisve proxenetis aliquid donare, dum revera dominus, si ipse officinam adiret, pro eodem pretio diminuto rem obtineret.

1007. II. *De proxenetis ex officio.* — *Proxenetas ex officio* dicimus illos, qui negotiatoris intermedii *munere* funguntur, et lingua vernacula solent nuncupari *brokers, commission-merchants.* Hisce utique negotiatoribus intermediis eadem, quæ proxenetis in genere, incumbit obligatio, mox descripta, quoad pretium ma-

jus aut minus; sed magis speciales ab illis committi possunt fraudes, quas hic summatim referre utile visum est.

Fraudem igitur committunt:

1) Dum pretium rei emptæ majus, vel venditæ minus, quam revera fuerit, in rationibus suis notant aut notandum curant.

2) Dum rem pretio majori quam facile haberi possit emunt, ut ita majus sibi auctuarium procurent.

3) Dum mandanti damnum inferunt merces deteriores emendo.

4) Dum in taxandis rebus, v. c. agro, domo, pretium justo minus vel majus eis assignant.

5) Dum sine justo titulo mercedem vel auctuarium exigunt majus illo, quod consuetudo permittat.

§ V. *De monopoliis.*

1008. — *Monopolium* juxta vim ipsius nominis, derivati a Græco μονας, *solus*, ac πωλέω, *vendo*, significat venditionem unius, sive ab unico factam venditore; atque ideo convenienter accipitur pro: potestate exclusiva vendendi, penes unum, vel paucos tantum, existente.

Monopolium generatim distinguunt in *publicum* et *privatum*. *Publicum* est monoplium, si *publica* auctoritate constituitur, quod quidem contingere solet dupliciter, nempe: a) quando auctoritas publica sive Gubernium sibimetipsi, qua tali, venditionem cujusdam mercis reservat, et hac ratione communitati imponit quasi tributum indirectum; b) quando auctoritas publica uni aut paucis tantum civibus concedit privilegium certas merces vendendi, cum exclusione aliorum. — *Privatum* est monopolium, si unus, aut plures per modum unius, privata sua auctoritate, machinatione ac industria efficiunt, ut vel ipsi soli certas merces vendant, vel ut merces suas non vendant nisi tali pretio.

1009. — Quær. *An monoplium sit licitum?*

Resp. 1° Monopolium *publicum* ex omnium confesso licitum est; modo justis nitatur causis, et insuper caveatur, ne monopolæ privilegiati pretium mercis ultra terminos justi adaugeant.

Resp. 2° Quoad monopolium *privatum* imprimis distinguendus est triplex, quo haberi potest, modus, nimirum: a) impediendo, ne mercatores extranei merces ejusdem generis advehant; vel b) emendo omnes merces ejusdem generis; vel c) conspirando cum aliis, ut nemo merces vendat minoris. Hac autem distinctione attenta, sic statuendum esse videtur.

1010. *Regula prima.* — Quando unus aut plures impediunt, quominus aliunde merces advehantur; inquirendum est, quibusnam mediis id efficiant. Si ad hoc utantur vi vel fraude aut aliis mediis *injustis;* certo peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur tum erga extraneos mercatores, tum erga concives, qui per injuste impeditam mercium importationem damnum patiuntur. Si vero nulla adhibeant media *injusta*, peccati, *saltem injustitiæ*, damnari non posse videntur.

Dico: *saltem injustitiæ;* nam impedientes, etiam sine injustitia, mercium importationem, tunc utique peccarent contra *caritatem* proximi, si ita agant absque recta causa, puta: sine causa obtinendi honestum lucrum, vel præcavendi, ne ipsi et concives merces suas viliori pretio vendere cogantur. Caritas enim vetat, ne sine recta causa proximo etiam occasionem tantum damni præbeamus.

1011. *Regula secunda.* — Si unus aut pauci *omnes, vel fere omnes*, alicujus generis merces, *quæ ad vitæ sustentationem et communem convictum necessariæ sunt* v. g. frumentum, oleum, sal, etc., emunt, ut postea eas vendant *supra pretium summum, quod, secluso monopolio, curreret*, ex sententia, quam S. Alph.[1] vocat communem et veram, peccant contra justitiam; quia in hac hypothesi vera sunt causa, cur pretium *injuste* augeatur.

Diximus autem: 1° si *omnes vel fere omnes* alicujus generis merces etc.; nam ad communem mercatorum industriam, utique licitam, pertinere videtur, ut hujusmodi merces, remanentes postquam cives sibi sufficienter procuraverint, pretio jam currenti emant, ut postea eas vendant moderato aliquo lucro.[2]

Diximus: 2° merces, *qæ ad vitæ sustentationem et communem convictum necessariæ sunt;* nam, si agatur de rebus nullatenus necessariis, sed voluptuariis tantum, puta, de gemmis pretiosis, etc., regula proposita applicabilis non est, uti

[1] L. IV. 816. [2] H. A. Tr. X. 183.

facile intelliges ex supra notatis *de talium rerum pretio*, n. 965.

Diximus: 3° ut postea eas vendant *supra pretium summum, quod, secluso monopolio, curreret;* nam si postea in vendendo non excedant pretium summum, quod, secluso etiam monopolio, curreret; non videntur peccare contra justitiam; quia non sunt causa, cur pretium augeatur *injuste;* imo, juxta multos, neque peccant contra caritatem, cum caritas non obliget proprium negligere commodum ad incommodum proximi præcavendum. Debito tamen caritatis ordini videtur adversum, quod unus hujusmodi venditor etiam alios inducat ad similiter vendendum, atque ita civibus, sine recta causa, præcludat viam minori pretio merces emendi.

1012. *Regula tertia.* — Quando *plures* conspirant, ut non nisi *tali* pretio vendant, iterum distinctione opus est. Si ita conspirent in pretium *supra summum*, peccant contra justitiam et ad restitutionem tenentur; si vero ita conspirent in pretium *summum* tantum, non peccant quidem contra justitiam; sed, ex communi doctrina, *contra caritatem;* quia caritas, licet te non obliget ad vendendum infra pretium summum, videtur tamen te obligare ad non dissuadendum aliis, ne minori pretio vendant; sicut, esto caritas te non obliget ad dandam eleemosynam, videtur tamen te obligare ad non dissuadendos alios, qui eam largiri volunt.[1]

Porro, quæ in regula hac tertia statuuntur de *venditoribus* conspirantibus, eadem etiam, ut recte monet Carrière, applicari debent *emptoribus*, conspirantibus in pretium *infra* infimum (quod est contra *justitiam*), vel in pretium infimum tantum (quod est contra *caritatem*). Atque idem communiter applicant *opificibus*, qui, (uti hodiedum frequentius practicatur, præsertim a membris perniciosæ societatis, vulgo dictæ *Internationale*) mutua conventione sibi promittant, se tale opus non facturos aut non perfecturos, nisi *tale* pretium accipiant; et, vice versa, etiam *dominis*, qui opifices ad operandum minori pretio ex mutua machinatione conducunt. Quamvis enim hæc omnia non sint monopolia stricte dicta, ex iisdem tamen principiis de hisce judicandum est.

[1] L. IV. 817.

CAPUT II.

DE SOCIETATE ET TRINO CONTRACTU.

ARTICULUS I.

DE SOCIETATE (*Partnership*).

1013. — Contractus societatis est conventio de re aliqua in communi possidenda ad commune bonum aut lucrum, pro rata parte, percipiendum.

Dico: I. Omnis societas fieri debet de re licita et honesta, necnon ad commune bonum contrahentium. Singuli autem socii in societatem afferre debent pecuniam, aut merces, aut industriam, vel operam. — Ita ex omni jure.

Dico: II. Contractus societatis est modus legitimus negotiationem faciendi. Constat, 1° ex legibus civilibus omnium nationum; 2° ex usu universali omnium populorum; 3° ex jure naturali: non enim minus licitum est pluribus conjunctim, quam singulis, ex suis rebus lucrum facere, modo debita æqualitas servetur.

Dico: III. Conditiones requisitæ sunt, 1° ut sit æqualitas, id est, divisio lucri pro rata rei collatæ; 2° ut quisque subeat onus damnorum et expensarum, quæ intuitu societatis adveniunt; qui tamen socii culpâ obnoxius factus est creditoribus, in conscientia non tenetur solvere ante sententiam. — Qui vero portionem parvam habet, v. g. decimam sextam, licet in plerisque Statibus de toto societatis debito teneatur, in conscientia satisfacit, si pro rata parte suæ portionis solvat. — Quoties societas initur Chartæ publicæ sanctione munita (*incorporated*), sociorum singulorum bona, nisi contrarium in Charta statuatur, non sunt creditoribus obnoxia, sed ea tantum, quæ cœtus sunt (i. e. *the capital stock*);[1] 3° ut quisque diligentiam eamdem adhibeat in societate, ac in negotiatione privata.[2]

Quær. *Quid, si quis, invito socio et sine causa certo excusante, ante tempus e societate recedat?*

Resp. Tenetur damnum compensare, nempe solvere lucrum cessans pecuniæ ab ipso præstandæ, aut lucra industriæ suæ.

1014. *Resolves.* — Peccant et ad restitutionem tenentur socii: 1° Rebus com-

[1] Kenr. Tr. XI. 134. [2] L. IV. 905.

munibus utentes in privatum suum commodum, aliis invitis. 2° Privato studentes lucro, dum communi vacare debent. 3° Res communes prodigentes. 4° Non conferentes in commune ærarium quidquid negotiando acquisierint. 5° Negligentes suas partes implere. 6° Temere se implicantes negotiis, quæ felicem exitum vix sunt habitura, sociis insciis aut invitis.[1]

ARTICULUS II.

DE TRINO CONTRACTU.

1015. — Contractus trinus est, quo quis pecuniam conferens paciscitur cum alio socio, ut, quidquid eveniat, summa integra sibi restituatur cum lucro certo, minore tamen eo lucro, quod sperare probabiliter poterat; vel est contractus societatis, cui adjunguntur duo alii contractus, nempe assecurationis sortis et assecurationis lucri, seu venditionis spei lucri majoris percipiendi pro minore lucro certo et assecurato. Sic autem instituitur. Contraho, v. g. cum *Petro*, pecuniæ summam ei tribuendo ad negotiandum. Sed, cum spes lucrandi 15 pro 100 mihi affulgeat, et timeam ex alia parte, ne sortem amittam, ineo secundum contractum cum *Petro*, ei 5 pro 100 erogando, si assecurationem sortis in se suscipere velit. Inito hoc secundo contractu, jam 10 tantum pro 100 mihi lucrandi supersunt. Verum lucrum adhuc minus, at certum, mallem, quam majus et incertum. Igitur propono socio meo, ut mihi 5 tantum pro 100 tribuat, sed certo refundat, quidquid superventurum sit. Hinc triplex datur contractus, scilicet societatis, assecurationis sortis, et assecurationis lucri.

1016. — **Quær.** *An trinus contractus sit licitus?*

Resp. Duplex est sententia *probabilis* inter Theologos.

I[a] Sententia *negat*. Ratio est, 1° quia sic destruitur societas, cujus natura est, ut pericula sint communia; ergo est verum mutuum; ergo deficit titulus seu fundamentum lucri percipiendi, saltem supra taxam legis pro mutuo; 2° quia, aiunt, opposita doctrina a Sixto V reprobata est per Bullam *Detestabilis*, anno 1586.

[1] Kenr. Tr. XI. 135.

II[a] Sententia *communis*, et S. Alphonso,[1] licet negantem suadenti, *satis probabilis, affirmat*, modo absit animus usurarius et pecunia in negotiatione impendatur. Ratio est, 1° quia hi singuli contractus separatim et cum diversis personis sunt de se liciti et justi; ergo etiam si fiant simul et cum eodem; 2° quia nihil est contra æqualitatem: nam datur compensatio, et periculum a tribuente pecuniam æquivalenter sustinetur; 3° quia Benedictus XIV:[2] declarat, contractum trinum a Sixto V. non esse damnatum, nec ipsum illum damnare intendisse. Et in Encyclica: *Vix pervenit* . . . dicit, se nolle damnare contractus, de quibus inter Theologos disputatur.

CAPUT III.

DE LOCATIONE (*Lease*).

1017. — Locatio est contractus, quo usus, vel fructus rei, aut personæ opera pro certa mercede ad tempus ab uno accipitur et ab altero conceditur. Qui rem tradit in usum vel utilitatem alterius, dicitur *locator* (*Hirer*); alter *locatarius* seu *conductor* (*Tenant* or *Lessee*) nuncupatur. Porro variæ numerantur locationis species: 1° locatio ædificiorum: 2° agrorum; 3° animalium; 4° laboris et famulatus.

I. *Regulæ locationis generales.*

1018. Principia. — 1° Locatarius generatim potest sublocare, nisi aliud fuerit stipulatum, vel inde locatori detrimentum fiat. — 2° Locatio non solvitur per mortem contrahentium, sed ad hæredes transit. — 3° Si tempus locationis non fuit determinatum, cessare potest ad arbitrium alterius contrahentis, dummodo alterum congruo tempore moneat juxta locorum consuetudinem et leges, et rei locatæ naturam. — 4° Si locator rem locatam vendiderit, non potest expelli locatarius, sed terminus locationis est expectandus.

[1] L. IV. 908.
[2] De Syn. diæc. L. X. c. VII.

II. *Obligationes locatoris.*

1019. — 1° Tenetur aperire vitia noxia rei locandæ. — 2° Præstare debet, ut locatarius tranquille ea fruatur. — 3° Expensas necessarias rei locatæ reparandæ sustinere ipsi incumbit. — 4° Formam rei locatæ absque consensu locatarii mutare nequit.

III. *Obligationes locatarii.*

1020. — 1° Debet uti re locata tanquam bonus paterfamilias, ad solum finem locationis. — 2° Tenetur ea reficere vel reparare, quæ culpa ipsius perierunt, aut deteriora facta sunt. — 3° Imo in foro externo tenetur de omnibus damnis, quæ subit res locata, nisi ea, seclusa sua vel subditorum culpa, evenisse probaverit. — 5° Tenetur pensionem statuto tempore solvere, idque cum auctuario legali a die, quo solvenda erat, si tempore statuto non solvit.

1021. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *Quid juris, si domus locata incendio pereat?*

Resp. 1° In foro conscientiæ locatarius ad nihil tenetur, si absque ulla ejus culpa, etiam juridica, fuerit incensa; imo *probabiliter* etiam, si ex sola culpa juridica perierit.

Resp. 2° In foro externo locatarius de damno tenetur, nisi probet, illud accidisse citra ullam, etiam juridicam, suam culpam.

Quær. 2° *Quid speciatim de locatione operum?*

Resp. 1° Locator famuli vel operarii tenetur cum eo de justa mercede convenire, qualis est, quæ communiter talibus dari solet.

Resp. 2° Si determinatio mercedis fuit relicta ad conductoris arbitrium, hic justam, saltem infimam, dare debet. Herus autem, famulum ante tempus dimittens sine sufficienti causa, damnum inde emergens resarcire tenetur.

Resp. 3° Si famulus vel operarius ultro sese offerat, tuque eo non egeas, sed ex caritate tantum suscipias, quid ei dare debeas, resolve ex dictis n. 710. q. 1°.

1022. — **Quær.** 3° *An locatarius agrorum teneatur integram pensionem solvere in casu sterilitatis, ob grandinem, vel aliud infortunium extraordinarium?*

Resp. Jure *communi Affirm.*, si pensio solvenda sit pecunia.[1]

Quær. 4° *An tributum rei locatæ solvendum sit a locatore, an a locatario?*

Resp. Per se, seclusa speciali conventione, locator tributa solvere debet; quia non solum est rei dominus, sed ne usumfructum quidem transtulit, nisi modo successivo et de die in diem. Secus autem de usufructu pleno et proprie dicto, ut dictum est supra n. 578. II. 2.

1023. — **Quær.** 5° *An nuntius proficiscens in certum locum, licite possit a pluribus integram accipere mercedem?*

Resp. 1° De aurigis nulla difficultas, quia talis est consuetudo. — Ita *communiter* Theologi.

Resp. 2° De nuntio duplex est sententia probabilis. — Recole dicta supra, n. 831. q. 1°.

Nota. — Ad contractum locationis referendus contractus alicujus operis conficiendi, de quo quisque consulat Status sui leges. Generatim standum est pactis conventis. Non raro in hoc contractu apud operis susceptores (*the contractors*) occurrit casus *mutuæ conspirationis in pretii augmentum*, vel etiam casus *publicæ licitationis, plus minusve impeditæ*. Hujus modi autem casus, attentis prudenter circumstantiis, resolvere erit ex traditis de *Auctione publicâ*, n. 999. sq., et de *Monopoliis*, n. 1008. sq.

CAPUT IV.

DE CAMBIO (*Exchange*).

1024. — Cambium est permutatio pecuniæ cum aliquo lucro campsoris. (*Money-changer. Bauker*). Cambium tamen in genere idem sonat, ac permutatio sive in pecunia, sive in aliis rebus.

Cambium varium distinguitur, scilicet:

1° Cambium *manuale* seu *minutum*, et cambium *locale*, seu *per litteras*. Prius fit, cum permutatur pecunia unius formæ vel materiæ cum pecunia alterius formæ aut materiæ. Posterius autem locum habet, quando pecunia præsens commutatur cum pecunia absente et alio loco solvenda.

[1] Kenr. Tr. XI. 43.

2° Cambium *reale* seu *verum*, et cambium *fictum* seu *siccum*. Prius illud est, quo pecunia cum alia reapse commutatur. Posterius vero illud est, quo permutatio fingitur, sed non est aliud nisi mutuum palliatum, uti, v. g., cum datur pecunia tamquam in alio loco recipienda, quæ tamen in hoc ipso loco recipitur.

3° Cambium *fictum* sic fieri solet: v. g. *Titius* indigens pecunia in hoc præsenti loco, 100 nummos a campsore postulat. Campsor autem non aliter dat, nisi in loco distanti solvendos, petitque ab eo pretium, quod pro locis similibus exigitur. *Titius* vero pecuniam accipit, et tamen non cogitat de pecunia in tali loco reddenda, idque campsori manifestum est. Unde contractus ille est merum mutuum palliatum. Hujus autem contractus nulla nunc consuetudo adest, nec necessitas, aut occasio.

1025. PRINCIPIUM. — Licitum est cambium *reale*, sive minutum, sive locale, modo servetur æqualitas, aut lucrum non excedat justum pretium determinatum lege vel locorum consuetudine. Ratio est, quia sunt varii tituli ex quibus campsor lucrum percipere potest, scilicet 1° pecuniæ assecuratio usque ad locum assecurationis; 2° locatio operæ et officii ad numerandam et transmittendam pecuniam; 3° damnum emergens ex infortuniis debitorum; 4° expensæ et curæ in detinendo telonio.[1]

1026. — Quær. *An licitum sit cambium eis, qui officium publicum cambiendi non habent?*

Resp. Affirm., Ratio est, quia eædem militant rationes; quisque enim jus habet ad lucrum pro labore et industria sua. Sed cavere debent isti campsores, ne lucrum majus æquo exigant.[2]

CAPUT V.

DE CENSU.

1027. — Census est jus pensionem annuam percipiendi ex re vel persona. Census potest esse multiplex, scilicet:

1° *Reservativus*, id est, pensio annua percipienda ex re quoad fundum alienata.

[1] L. IV. 851, 852. [2] Ib. 851.

2° *Consignativus*, id est, pensio annua percipienda ex re vel ex persona ex titulo emptionis.

3° *Realis*, vel *personalis*, prout pensio in re frugifera constituitur, vel in personæ labore et industria.

4° *Temporarius*, vel *perpetuus*, aut *vitalitius*, prout constituitur ad tempus, v. g. ad 20 annos, vel in perpetuum, vel ad vitam hominis.

5° *Redimibilis* ex una vel utraque parte, prout ad nutum alterutrius vel utriusque redimi potest; vel *irredimibilis*, si ex pacto venditor seu censuarius se liberare non possit per capitalis restitutionem: tunc emptor, seu censualista necessario jus suum in censum servat.

1028. PRINCIPIA. — I. Quilibet census reservativus est licitus; quia quilibet, rei suæ proprietatem transferens, potest partem fructuum illius sibi reservare, modo pro rata reservationis pretium imminuat.

II. Census consignativus realis, tum fructuarius, tum pecuniarius, est licitus, quia jus ad partem aliquam usufructus, vel ad pensionem annuam, vendere et emere licet.

III. Conditiones eædem generatim ad censum requiruntur de jure naturali, ac ad venditionem, scilicet 1° bona fides; 2° assecuratio sufficiens ex parte censuarii erga censualistam; 3° pretium justum, quod lege vel æstimatione communi determinatur.

1029. QUÆSITA. — Quær. 1° *An census consignativus personalis sit licitus?*

Resp. Affirm., saltem de jure naturali, modo serventur debitæ conditiones; quia jus recipiendi pensionem ex alterius labore, industria, etc., . . . : tam est pretio æstimabile, quam jus illam percipiendi ex re frugifera.[1]

Quær. 2° *An census* REDIMIBILIS *sit licitus?*

Resp. Affirm., saltem ex parte censuarii, sicut retroventitio licita esse potest.

1030. — Quær. 3° *An possit esse redimibilis ex utraque parte?*

Resp. Affirm., probabilius, quia est vera venditio, et emptor non debet esse deterioris conditionis ac venditor, modo sit bonæ fidei, et aliunde æqualitas servetur.[2]

[1] L. IV. 839. [2] L. IV. 843.

1031. — Quær. 4° *An licitus sit census vitalitius ?*

Resp. Affirm. Est enim contractus aleatorius, nec ullatenus juri naturali repugnat.

Sequentes autem conditiones requiruntur.

1° Habenda est ratio ætatis vel sanitatis personæ.

2° Censuarius non potest se redimere, nisi ex voluntate censualistæ ; nec censualista capitale repetere potest, nisi in quantum censuarius promissas securitates non præbeat.

Nota. Apud nos rarus est contractus census.

CAPUT VI.

DE CONTRACTIBUS SUBSIDIARIIS, SEU DE FIDEJUSSIONE, PIGNORE ET HYPOTHECA.

Contractus isti dicuntur subsidiarii, quia adhibentur ad securitatem alterius contractus. De singulis breviter dicemus.

ARTICULUS I.

DE FIDEJUSSIONE.

1031. — Fidejussio est contractus, quo quis alienam obligationem in se suscipit, si non solvat debitor principalis.

1033. Regulæ Fidejussionis. — 1° Nemo fidejussor esse potest, nisi liberam bonorum administrationem habeat.

2° Qui principaliter obligari non possunt, fidejubere non valent : tales sunt minor, Religiosus, uxor, nisi et quatenus *plenum* habeat aliquorum bonorum dominium, saltem sine consensu tutoris, Superioris, mariti.

3° Fidejussor tenetur erga creditores de omnibus obligationibus debitoris, sed solummodo in illius defectu, seu impotentia.

4° Fidejussor, qui pro debitore solvit, omnibus creditoris juribus subrogatur, et proinde recursum in eundem debitorem habet, ut ab eo repetat, quidquid ejus loco solvere coactus fuit.

5° Obligatio fidejussoris ad ipsius hæredes transmittitur, quia est obligatio realis, non vero mere personalis.

6° Si plures simul fidejubeant, singuli pro rata parte tantum tenentur, nisi sese in solidum verbis perspicuis obligaverint : quod plerumque apud nos fit.

1034. *Resolves.* — 1° Qui fidejusserunt nomen suum litteris cambii vel chirographo alieno inscribendo, debitore principali non solvente, ex justitia tenentur obligationem assumptam implere ; at pecuniam, quam solvere coguntur, et expensas omnes a principali debitore, vel ab alio, qui prius suum nomen litteris cambialibus vel chirographo inscripsit, recuperare possunt.

2° Qui se fidejussores præstiterunt officialibus publicis, nequeunt se compensatione immunes præstare, etsi officialium fraude magnum subeant damnum.

3° Qui fidem jusserunt reum sistendum judicio, si, reo aufugiente, bona sua celent, vel mulctam, cui subjacent, solvere evitent, non videntur justitiam commutativam violare, nisi de debito vel injuria pretio æstimanda agatur. Perjurii tamen rei sunt, qui falso asserunt se tot nummis valere, quot in vadimonium judex postulat ; id enim sub fide juramenti apud nos asserere debent.

ARTICULUS II.

DE PIGNORE.

1035. — Pignus est contractus, quo debitor rem mobilem creditori dat in assecurationem crediti. — Pignoris nomine venit etiam res oppignorata.

Regulæ pignoris. — I. Ex parte *debitoris* pignus tradentis. Debet, 1° tradere creditori pignus idoneum ; 2° refundere creditori impensas necessarias, quæ factæ fuerint ad rei conservationem ; 3° pignus non repetere, priusquam integrum debitum solverit, nisi eo creditor abutatur.

II. Ex parte *creditoris* pignus accipientis. Debet 1° non uti re sibi credita, nisi de consensu debitoris ; 2° diligenter pignus custodire ; secus de damno tenetur ; 3° fructus ex pignore perceptos in debiti diminutionem computare, ad æqualitatem scilicet servandam ; 4° non vendere pignus propria auctoritate ad solu-

tionem obtinendam, nisi debitor sit in mora culpabili, et prius monitus fuerit.

ARTICULUS III.

DE HYPOTHECA (*Mortgage*).

1036. — Hypotheca est contractus, quo res immobilis creditori obligatur, ut ex illa sibi solvere possit, si debitor non solverit.

Ea est hypothecæ vis, ut auctuarium legale creditori quotannis sit solvendum, et sors tempore statuto : quod si negligatur, poterit rei possessionem sibi vindicare, vel eam venalem exhibere, judicii tamen ordine servato. Navis in hypothecam traditur nonnumquam (qui contractus vocatur "*Bottomry*"), pecunia mutuo accepta eo pacto ut rependenda sit cum auctuario, itinere feliciter peracto ; sed debitor immunis habendus sit, si eam demergi, vel aliter perire contigerit. Merces, quibus navis oneratur, etiam in hypothecam traduntur, simili adjecta conditione. Magnum plerumque exigitur auctuarium, quod maritimum dicitur, ob periculum sortis susceptum, 12 pro 100, vel plus ex contrahentium pacto ; quod licere liquet, quum jus ad sortem, si quid adversi contigerit, amittatur.

CAPUT VII.

DE CONTRACTIBUS ALEATORIIS.

1037. — Varii sunt generis : assecuratio, sponsio, sortitio seu loteria et ludus. Dicuntur aleatorii, quia sortis vicissitudinibus sunt obnoxii.

ARTICULUS I.

DE ASSECURATIONE.

Assecuratio est contractus, quo unus periculum alicujus rei in se suscipit, et alter ad pretium pro suscepto hujusmodi periculo se obligat. Sic variis in urbibus existunt societates, quæ assecurant, v. g. domos contra incendium, navigia contra naufragia, etc.

1038. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sit licitus assecurationis contractus ?*

Resp. Affirm. Æqualitas enim servatur, concurrentibus debitis conditionibus, ut fatentur communiter Theologi, et praxis quotidiana confirmat.

Quær. 2° *Quænam sint conditiones ad assecurationem requisitæ ?*

Resp. Sunt sequentes : 1° ut pretium sit periculo proportionatum, vel a societate incorporata juxta Chartam incorporationis statutum ; 2° ut periculum sit verum, et utrique parti æqualiter notum ; 3° ut assecuratus servet omnes contractus conditiones ; 4° ut assecurator habeat, unde solvere possit.[1]

1039. — *Resolves.* 1° Qui *mutuo accipit* pecuniam, qua merces comparet ad onerandam navem (*to buy a cargo*) contractu qui dicitur "*bottomry*" (n. 1936), usuræ reus est, si navem assecuret ; nam in hoc contractu nullum ipsi est periculum sortis. — Ille vero, qui in hoc casu pecuniam *mutuo dat*, si unà cautionem præstet de navis et mercium valore solvendo casu quo navis perierit, *et* præmium pro cautione, *et* auctuarium pro periculi ratione accipere potest.

1040. — 2° Peccant gravissime qui ædes suas incendunt, ut pecuniam ultra earum valorem a societate assecurationis accipiant, aut, dum incendium casu vel malitia aliena contingit, pecuniam damno suo majorem exigunt. *Quo* vero *modo* hoc in casu restitutio sit facienda, in praxi sæpissime difficile est definire, cum sæpissime non constet utrum ad ærarium societatis assecurationis transmittenda sit, officialibus eam sibi injuste retinentibus. Quod autem aliqui opinantur, impossibile esse, ut restitutio ad veros dominos certo, et unicuique eorum pro parte sibi debita, perveniat, si facienda sit societatibus assecurationis sic dictæ *mutuæ*, vel illis saltem, quarum multi sint socii (*stockholders*), eo quod, post damnum societati illatum et ante restitutionem, plurimi forte socii ex ea exierint, ac ignoretur qui illi sint et qua portione socii fuerint ; valeat casu *raro*, quo juxta statuta societatis, sociis, dum ex ea exeunt, jus remanet ad credita et obligatio ad debita societatis ex titulo, qui jam existebat dum socii etiamnum erant. Casu autem, quo constat restitutionem ad ærarium societatis non fore transmittendam, vel singu-

[1] L. IV. 911.

lis sociis pro rata sua parte distribuendam, causis piis fieri debet. Idem ob paritatem rationis resolve de restitutione quacumque societati cuidam facienda.

3° Peccat nauclerus, qui sua incuria naufragio navis assecuratæ dat causam, aut consulto eam in littus dirigit, ubi peritura sit, vel ea celat, quæ. si innotescerent, dominum navis vel mercium jure assecurationis privarent.

1041. — 4° Licitus est contractus *assecurationis vitæ*, quo ob præmium semel datum, vel ob pecuniam quotannis solutam, obligat se societas aliqua vel privatus quidam ad certam pecuniæ summam persolvendam, quando aliquem mori contigerit, dummodo, a) ratio habeatur ætatis valetudinis, et aliorum adjunctorum, et b) pretium ab utroque contrahente solvendum sit æquum. Etenim ex utraque parte est discrimen, ac damni, sicut et lucri, sors est incerta. Peccant vero, qui ea celant, quæ assecurationem præpedivissent, v. c. occultam infirmitatem gravem, ætatem provectiorem, etc., aut ea, quæ solutionem pretii assecurati impedivissent, v. c. suicidium ab assecurato commissum; item qui assecuratum occidunt, ut pretium assequantur.

ARTICULUS II.

DE SPONSIONE.

Sponsio est contractus, quo plures, de veritate aut de eventu rei alicujus contendentes, aliquid sibi invicem spondent, vel apud aliquem deponunt, ut sit ejus, qui verum dixerit.

1042. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An contractus sponsionis sit licitus?*

Resp. Affirm., positis ponendis; nihil enim inhonesti præ se fert. — S. Alph.,[1] et alii *communiter*.

Quær. 2° *Quænam sint conditiones, ut sponsio sit licita?*

Resp. 1° Ut res eodem sensu ab utraque parte intelligatur; 2° ut sit animus se obligandi et solvendi, quod spondetur; 3° ut eventus sit utrique incertus. Si quis autem manifestet, se certum esse de facto, cui sponsio innititur, et alter nihilominus spondere velit, sponsio *probabilius* invalida est. Excipe: a) Si ille, qui hucusque de rei eventu certus erat, dubitare incipiat; b) si alter spondere velit, licet *dubitet* de veritate assertionis, quam in sponsione tuetur; vel c) si aperte constet de ejusdem animo spontaneo donandi.

Apud nos sponsio generatim nullam præbet in foro externo actionem, et sponsiones circa electiones politicas multis peccatis occasionem præbere solent, e. g. calumniis, etc.

[1] L. IV. 869.

ARTICULUS III.

DE SORTITIONE, SEU LOTERIA.

Loteria est contractus, quo plures aliquid deponunt in commune, ut jus habeant sortiendi rem in medio exhibitam. Quidam totum, quidam partem, quidam denique nihil habent.

1043. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An loteria sit contractus licitus?*

Resp. Affirm., dummodo adsint requisitæ conditiones. Ratio est, quia loteria spectari potest ut emptio rei incertæ, seu ut contractus, quo pecuniâ emitur jus sortiendi et acquirendi id, quod per sortem acciderit. Porro licet emere rem incertam, sicut pro rei alicujus periculo pacisci.

Quær. 2° *Quænam sint conditiones requisitæ, ut loteria fiat contractus in se licitus?*

Resp. Sunt 1° ut nulla sit fraus in schedulis educendis, nec in solvendo præmio, quod obtigerit; 2° ut dominus loteriæ in lucro non excedat, nec plus moraliter lucretur, quam si alio contractu licito pecuniam suam impenderet, vel merces suas distribueret. Attamen majus potest esse lucrum, si in bonum opus vel utilitatem publicam instituta sit loteria. — Ita *communiter*. Loteria publica in quibusdam Statibus numquam permittitur; in cæteris fieri nequit sine licentia civilis potestatis.

ARTICULUS IV.

DE LUDO.

1044. — Ludus est contractus, quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat pretium, quod exposuerunt. — Tri-

plex est ludus: 1° *industrialis*, qui potissimum regitur industria ludentium, ut ludus pilæ et discorum; 2° *aleatorius*, qui præcipue pendet a casu; 3° *mixtus*, qui partim ab industria, partim etiam a casu pendet, ut v. g. ludus chartarum, saltem plerumque.

1045. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An licita sit omnis species ludi recensita?*

Resp. Nullus ex tribus præfatis ludis ex se illicitus est, si serventur conditiones debitæ. Ratio est, quia ludus per se 1° non repugnat moribus, cum sit honesta recreatio; 2° nec justitiæ, cum quivis possit bonorum suorum dominium transferre cui et quomodo voluerit.

Olim ludi aleatorii Jure Canonico omnibus, præsertim Clericis, prohibebantur; sed hæ leges quoad laicos et etiam quoad Clericos in desuetudinem fere abierunt. An et qui ludi in singulis Statibus prohibeantur, quisque facile dignoscet ex Status sui legibus, quæ cæterum mere pœnales sunt.

1046. — **Quær.** 2° *Quænam sint conditiones requisitæ, ut ludus sit licitus?*

Resp. Requiritur 1° ut ludens liberam habeat rerum, quas exponit, administrationem. Hinc filiofamilias, qui ludit de bonis *parentum* sine ipsorum licentia, saltem præsumpta, summa victa in ludo, etiam *de se* licito, restituenda est, sicut ex veriori sententia etiam filiusfamilias restituere debet, quod lucratus est.[1] 2° Ut a ludo exulent fraus et dolus. Fraudem vero non constituunt illæ astutiæ, quas regulæ ludi et consuetudo recepta patiuntur, v. g. simulare metum ut adversarius augeat sponsionem; alterius chartas ex sola hujus negligentia inspicere. Fraus vero, quam nec regulæ ludi, nec consuetudo recepta patiuntur, esset v. g. ita te collocare, ut possis videre chartas; alium constituere, a quo admonearis; chartas suffurari vel signis a tergo notare, etc. Qui autem hujusmodi fraude aliqua, quæ adhiberi non soleat et cui colludens expresse aut tacite non consentit, utitur, non solum restituere tenetur, quod ipse lucratus est, sed etiam quod alter, fraude illa non adhibita, juste lucraturus fuisset. In dubio autem de hoc, restituat, quantum valebat spes victoriæ, quam colludens, cessante fraude, habuisset. 3° Ut utrinque moraliter æquale sit perdendi periculum. 4° Ut ludus sit honestus in se, nec lege prohibitus. 5° Ut absit coactio, qua ad ludendum quis inducatur. 6° Ut non exponatur ingens summa, adeo ut familia et creditores inde damnum pati possint.

1047. — **Quær.** 3° *An teneatur restituere victor, qui multo peritior est in ludo, ita ut certo præsciat se victorem fore?*

Resp. Affirm., multo *probabilius*; quia deest æqualitas inter ludentes requisita, et proinde justitia læditur. Hinc notabiliter peritior a ludo recedere debet, vel aliquid commodi adversario remittere. — Ita *communius*.

Attamen in praxi restitutio non esset urgenda, si de re minoris momenti ageretur; vel etiam quando adversarius, sufficienter præmonitus, nihilominus pertinaciter ludere voluisset; quia tunc nulla deceptio intercessisset.

1048. — **Quær.** 4° *An teneatur ad restituendum victor in ludo prohibito, vel ad solvendum in eodem ludo victus?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, in iis Statibus, ubi contractus non declaratur a lege *irritus*, sed tantum *illicitus* aut *rescindibilis*.

Resp. ad 2^um^ *Controvertitur*. I^a^ SENTENTIA *negat*; quia lex, talem ludum prohibendo, videtur ipso facto obligationem naturalem solvendi in pœnam victoris sustulisse. — Ita Lugo.[1]

II^a^ SENTENTIA *affirmat*, quia contractus fuit jure naturali validus, et proinde victus huic stare debet, donec judicialiter restitutionem petat. Utraque sententia probabilis videtur. Primam autem *probabiliorem* et *communiorem* dicit S. Alph. secundam tamen *valde probabilem*.[2]

1049. — **Quær.** 5° *An ludentes beneficio legis renunciantes, teneantur solvere, si vincantur?*

Resp. Dist. Renuntiatio illa 1) fit vel ante vel post lusum 2) jurata est vel non jurata. Si ante lusum fiat, victus non tenetur solvere, quia renunciatio, utpote bono communi contraria, est invalida. Si post ludum, tenetur solvere, quia renunciatio in hoc casu est gratuita donatio independens a ludo. — Si jurata est, tenetur solvere in Statibus, ubi contractus *ludi* declaratur tantum *prohibitus* aut *rescindibilis*;

[1] L. IV. 887. Antoine, 9. 5. Lugo. Disp. 31. n. 60. Lacroix, n. 1086. et alii communiter.

[1] Disp. 22. n. 300. [2] L. IV. 890.

non vero tenetur in Statibus, ubi declaratur *irritus*; Cfr. dicta n. 865. 876.

Quær. 6° *An victus, si jam solvit, pro soluto sibi compensare possit ?*

Resp. Distinguendo, ut mox dictum est, inter Status ; compensatio enim licita erit in iis, ubi contractus irritus est ; in cæteris vero illicita erit, si victor victo, rescissionem petenti, renuat solutum reddere.

Quær. 7° *Quid si victus ficte minitetur se in judicio repetiturum solutum, et victor consentiat transigere ?*

Resp. Probabilius valet transactio ; quidquid enim cedit victor, donat ut victus cedat juri, quo vere pollet, repetendi solutum.

1050. — Quær. 8° *An possis retinere lucrum ex ludo, in quo vel ipse vel colludens exposuit pecuniam alienam ?*

Resp. Neg. ad utrumque. Ipse enim nihil exposuisti ludo, exponendo alienum ; ergo contractus fuit injustus et victo teneris restituere lucrum ; colludens vero, ludo exponens alienum, tibi dare nequit jus, quo ipse carebat. — Excipe si, vel ipse, vel colludens exposuit *depositum*, de consensu saltem præsumpto deponentis. Cfr. n. 924.

Quær. 9° *An sit validus ludus, si magna pecuniæ summa una vice exponatur ?*

Resp. Probabilius affirm. per se, i. e. præscindendo a legibus Statuum ubi contractus est irritus, et dummodo conditiones requisitæ serventur, id est præsertim, si ludentes de bonis suis libere et plene disponere valeant, sine detrimento familiæ, creditorum, etc., . . . quia ludentes æque periculum subeunt scientes et volentes ; ac proinde nulla est injustitia. Sed facile deficiunt præfatæ conditiones ; et aliunde, etiamsi talis ludus non esset contra justitiam, saltem honestati adversatur : unde prudens confessarius per modum satisfactionis, si opportunum videatur, injungere posset pœnitenti victori, ut partem aliquam lucri in usus pios impendat. — Antoine.[1]

Nota. — Licet ludus plerumque sit in se licitus, et honestæ recreationi inserviat, debita moderatio in ejus usu quam maxime commendanda est, ne facile in detestandos abusus deflectatur. Quanta enim mala ex eo proveniant, comprobat quotidiana et lugenda nimis experientia ! Quot enim, heu ! cernuntur miserrimi juvenes, necnon cujuslibet conditionis homines, qui ludo dediti integræ fortunæ paucis diebus vel horis jacturam faciunt, familiam ærumnis immergunt, et ipsi in omni flagitiorum genere volutantur ! Satagant igitur pro viribus Parochi et confessarii, ut subditos et pœnitentes ab hujusmodi ludendi furore avertant. — Sic recte concludit Gousset.[2]

1051. — *Ludo vel sponsioni* æquiparari aliquo sensu potest *transactio* (*compromise*), qua res dubia et lite incerta componitur. Si jus alterius certum sit, alter nequit absque injustitia eum ad transigendum inducere ; ideoque debet restituere. At nil vetat aliquem juri suo scientem et volentem cedere, præsertim si jus ex casu fortuito, v. g. ludo, sponsione, ortum fuerit.

[1] C. 11. q. 5. [2] n. 891.

TRACTATUS DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

Agendum de statu 1° laicorum, 2° clericorum, 3° regularium.

PARS PRIMA.

DE STATU LAICORUM.

Jam in Quarto Decalogi præcepto de variis et mutuis Superiorum et inferiorum officiis sermonem fecimus. In præsenti vero Tractatu de officiis, quæ ad bonum publicum spectant, et imprimis de forensibus, nobis dicendum est. Hinc

Agendum 1° de obligationibus judicum; 2° advocatorum et procuratorum; 3° apparitorum; 4° scribarum et notariorum; 5° accusatoris et rei; 6° testium; 7° medicorum, chirurgorum et pharmacopolarum; 8° custodum; 9° artificum et opificum.

Obligationes vero mercatorum et aliorum hujusmodi hominum satis intelliguntur ex iis, quæ de justitia et contractibus disseruimus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS JUDICUM.

1052. — Judex est persona publica, per legitimam auctoritatem constituta, ut secundum leges justitiam vindicet, et in delinquentes debitas pœnas decernat.

Dicitur: *persona publica, per legitimam auctoritatem constituta*, ut distinguatur ab *arbitro*, qui non publica auctoritate, sed spontanea partium contendentium electione judicandi officium assumit.

Principia. — I. Judex tenetur ex quasi-contractu cum societate et privatis ad munus suum rite adimplendum: quod nisi præstet, reus erit violatæ justitiæ tum legalis, tum etiam commutativæ.

II. Ut officio suo recte fungi judex possit, habere debet 1° intelligentiam non communem, ut causas intricatas introspicere valeat; 2° scientiam sufficientem, ut omnium adjunctorum tum juris, tum facti rationem habeat, ita ut peccet mortaliter quisquis petat aut suscipiat judicis officium, cui se ita imparem noscat, ut prævideat probabiliter grave proximi damnum secuturum. Sive autem conscius, sive inscius inopiæ suæ id egerit, absolvi non debet, nisi facta renuntiatione officii, vel nisi firmum habeat propositum renunciandi;[1] 3° integritatem incorruptibilem, ut nec amori, nec odio cedat.

III. Judex tenetur sententiam ferre secundum leges et ordinem a legibus determinatum; non enim constituitur ad leges mutandas aut reformandas, sed ad eas executioni mandandas. Excipe casum specialem, in quo judici mens legis potius sequenda sit, quam cortex verborum; tum vero et ætatis ratio habenda est, et conditionis ac fortunæ illius, cui pœnam imponere debet.

IV. In causu dubia has teneat regulas:

1° In *criminalibus* reo favendum est, nisi de crimine i. e. tum de reatus existentia, tum de pœnarum meritis, constet. — Reg. Jur. Can. 11. in 6°.

2° In dubio de *proprietate* simul et de *possessione* juxta rationes probabiliores judicandum est, ut constat ex jure naturali et propos. 2ª damnata ab Innoc. XI. V. p. XV. Si autem rationes sint ex utraque parte æque probabiles, res dividenda est. Cfr. n. 60. II. 3°.

3° In dubio de *sola proprietate*, pro

[1] L. V. 195.

certo bonæ fidei possessore standum est. Constat ex Reg. Jur. 65. in 6°: "In pari delicto vel causa, melior est conditio possidentis." Cfr. n. 60. II. 3°. Excipe causas *pias* et alias quasdam apud S. Alph.,[1] in quarum favorem judicandum, licet sint actores. Leges tamen nostræ iisdem non favent.

1053. QUÆSITA. — Quær. 1° *An judex damnare possit reum, quem privata tantum scientia sontem cognoscit, aut innocentem, qui juridice nocens convincitur?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.* prorsus juxta *omnes.* Ratio est, quia judex tenetur judicare secundum allegata, et juxta formas lege præscriptas. Nullum enim periculum est in dimittendo aliquando sontem occultum, dum magnum foret in violando statutas judicii formas.

Resp. ad 2^um^ valde controvertitur. *Affirmat* S. Thomas.[2] — *Negat* S. Bonaventura. — S. Alph.[3] utramque sententiam ut *probabilem* admittit, si agatur de causis civilibus, aut etiam criminalibus minoris momenti: si vero casus de criminalibus majoribus, et præsertim de capitalibus, occurrat, sententiam S. Bonaventuræ rectiorem putat. Ratio est, quia in priori casu dici potest, saltem probabiliter, incommodum privatum debere bono communi cedere, cum tantum non sit. Secus autem in posteriori casu; ideoque tunc innocentem damnare intrinsece malum videtur.

Cæterum quæstio hæc in jure nostro et in causis, quas criminales dicimus, alio omnino aspectu sese offert; soli enim jurati apud nos pronuntiant de innocentia aut reatu accusati; judex vero declarat solummodo, quæ pœna juxta leges ei, qui per juratos reus pronunciatus fuerit, applicanda sit. Hoc autem declarans tantum mechanice, ut ita dicam, fungitur officio suo, nec ipse, sed jurati, causa efficax pœnæ dicendi videntur. Tenetur tamen facere quod in se est, ut pœnam non subeat is, quem innocentem novit, quod plerumque impedire valet vel intercessione apud Gubernatorem, vel, si juratorum sententia actis et probatis non nitatur, sed maligno animo vel temere ex ignorantia prolata sit, indicando eos sui muneris limites excessisse, et facti vel juris errore laborare, et sic novum innocenti judicium obtinere, quo error tollatur.

Quær. 2° *An* 1) *Judex Catholicus ferre possit sententiam divortii quoad vinculum secundum hujusce regionis leges; an* 2) *Catholico, ullo in rerum eventu, liceat ejusmodi sententiam expostulare, et quid* 3) *de advocato eam clientis nomine petente?*

Resp. ad 1^um.^ "Quum catholicus vix posset judicis munere fungi, si nollet divortium decernere, delicto" (ob quod juxta leges petitur) "in judicio probato; et effectus civiles præcipue spectentur, existimo haud damnandum judicem suam præstantem operam." Ita Kenrick.[1] Certo autem, ut per se patet, sententiam divortii ferre potest, casu quo Catholicus eam licite expostulat.

Resp. ad 2^um.^ Matrimonii vinculum coram Deo subsistit, vel non. In priori casu iterum distinguendum; nam divortium civile quæritur, vel animo novas ineundi nuptias, vel sine hoc animo. Si prius, non licet, ut per se patet. Si posterius, et urgeat ratio gravissima, e. g. ne cogatur maritus æs alienum uxoris solvere et ut huic ad hæreditatem omne eripiatur jus, divortium a *solo* thoro obtinendum erit, ubi lex illud concedit. Si vero lex, prout in plerisque Statibus, dumtaxat divortium a vinculo concedit, aut, ubi alterutrius optio datur, hoc solum eligitur, ut repagulum unice efficax contra alienas molestias, videtur illud in gravissimis quibusdam rerum adjunctis peti posse; non enim probare censetur potestatis civilis exercitium in vinculum, qui libertate civili, quam sibi restituendam petit, non sit usurus.[2]

Sin autem matrimonii vinculum ex sola civili lege, et non coram Deo, subsistat, quod v. g. alteruter caruerit Baptismo, licebit Catholico legis civilis præsidium quærere. Colligitur ex responso S. C. Inq. ad quæsita Episcopi Neo-Aurelianensis dd. 9 sept. 1824, de matrimoniis, quæ ob clandestinitatis impedimentum invalida erant. Consulit nimirum S. Cong. operam omnem adhibere ad inducendos eos, ut catholice inter se contrahant; "poscenti autem novum cum alio inire matrimonium suggerere, quod et sibi

[1] L. V. 210. v. quoniam.
[2] 2. 2. q. 67. a. 2.
[3] L. V. 208.

[1] Tr. VIII. n. 114. [2] Ib. Tr. XXI. n. 112.

prius consulat et Parocho, agendo scilicet, ut et sibi civilis reddatur libertas, et Parocho nihil sit inde mali obventurum, non id esset civilis repudii morem approbare, dummodo rite instruatur postulans id non ideo fieri, ut solvatur matrimonii vinculum, quia nullo jam vinculo detinetur, sed tantum ut se et Parochum a legalibus pœnis civilibusque vexationibus liberet. . . . Hisce vero apud Gubernium peragendis non se immiscere debent Missionarii. Qui nubere exposcit, ipse negotium suum agat."[1]

Resp. ad 3^ium. 1° Certum est licere advocato quod clienti licere dixi in Resp. ad 2^um. — 2° Certum etiam videtur advocatum non teneri inquirere apud clientem, sive de animo, quo divortium petat, nempe an animo alias ineundi nuptias necne, sive de causa vera, ob quam petat, ut noscat scilicet an sit satis gravis, sive de valore matrimonii coram Deo; nam *civilem* tantum clientis causam et hanc civili tantum titulo defendendam suscipere censetur. — Utrum vero 3^io civilem hanc causam suscipere ei liceat, casu, quo ex ipsius clientis dictis vel ex fama publica, eaque certa, novit divortium peti in matrimonio coram Deo valido et animo ad alias nuptias convolandi, vel ex causa non satis gravi, sapientiorum judicio relictum malim. Verum quidem est clientem facile inventurum alium causidicum, qui partes suas sit acturus; at non eadem causidicus, qua judex, necessitatis ratione excusari valet, cum operam suam impune recusare possit.

1054. — Quær. 3° *An judex munera pro ferenda sententia possit accipere?*

Resp. Neg. Hoc enim omni jure prohibetur; ac 1° Jure naturali, casu, quo vel scandalum vel periculum perversionis, seu favendi plus æquo donatori, adesset.[2] Si autem peccat judex recipiens munera, eo ipso peccat et quisquis illa offerat; cooperatur enim alterius peccato. Excipe tamen rudes, quos plerumque ignorantia excusat. Item excipe, si munera dentur ad redimendam injustam vexationem, quando prudenter iniqua sententia secus timenda videatur: quæ tamen debent restitui, et etiam repeti in judicio post sententiam possunt.[3] 2° Jure Canon.; nam Bonifacius VIII.[1] statuit, ut judices nec munus ullum, nec quidquid aliud accipiant, nisi forsan esculentum et poculentum mera liberalitate oblatum.

[1] Kenr. Tr. XXI. n. 111. [3] Ib. 212.
[2] L. V. 216.

Quær. 4° *An judex teneatur ad restitutionem, si munera a litigantibus acceperit?*

Resp. Neg. probabiliter ante sententiam; quia etsi *illicite* agat munera acceptando, non peccat tamen contra justitiam. — Ita *communius*, — contra alios, qui etiam *probabiliter affirmant*. — S. Alph.,[2] dicit utramque sententiam esse satis probabilem.

Attamen judices saltem impellendi sunt ad munera accepta restituenda, vel ad ea in pia opera eroganda. Posset aliquando pro pœnitentia id injungi ad judicem a relapsu avocandum.

Quær. 5° *An judex restituere teneatur, quod ad sententiam aliquam ferendam ex pacto accepit?*

Resp. 1° *Affirm.*, si acceperit ad ferendam sententiam *justam* i. e. ad id præstandum, quod ex justitia debebat. Ratio est, quia non potest esse materia contractus quidquid ex officio, atque adeo ex justitia, jam debitum est. A *fortiori* restituere tenetur ea, quæ vi, minis, vel injusta vexatione extorserit.

Resp. 2° Si acceperit ad ferendam sententiam *injustam*, certo tenetur ad restitutionem antequam ejusmodi sententiam ferat; lata autem sententia *controvertitur*, juxta dicta de contractu in materia turpi, n. 834.

1055. — Quær. 6° *An judex teneatur reparare damnum, quod non impedivit, vel cujus reparationem non procurat, quando potest?*

Resp. Affirm., quia est cooperator *injustus* et *efficax*. Recole dicta de cooperatoribus negativis, n. 773 et seq.

Quær. 7° *An obliget sententia judicis dubie justa, aut certo injusta?*

Resp. ad 1^um *Affirm.* omnino. Præsumptio enim Superiori seu judici favet. (n. 65. 3°.)

Resp. ad 2^um *Neg. per se*, ut patet. Excipe tamen, nisi adsit ratio scandali, vel perturbationis publici ordinis; quia bonum privatum semper bono publico cedere debet. Qui autem obtinet causam per sententiam injustam, rem sibi adjudi-

[1] L. I. Tit. III. c. 11. in 6°.
[2] L. V. 216.

catam recipere nequit, vel eam restituere debet, et insuper omnia damna et expensas parti adversæ reparare tenetur. Si tamen in bona fide fuerit, hac evanescente rem alienam tantum reddere debet juxta dicta de possessore bonæ fidei, n. 722.

APPENDICULA I.

DE JURATIS.

1056. — *Jurati*, sic dicti ob juramentum, quod præstant de munere sibi credito recte exercendo, sunt viri selecti ex civibus ad partem aliquam judicum propriam obeundam. Munus eorum est pronuntiare circa existentiam facti et culpabilitatem accusati; deinde vero judices pœnam juxta legem decernunt.

Jurati easdem contrahunt obligationes ac ipsi judices, quorum magna ex parte munus exercent, et proinde de Juratis idem, ac de ipsis judicibus, generatim dicendum est.

1057. — Quær. *Utrum Juratus dare possit votum contra accusatum, juridice quidem de crimine convictum, sed cujus innocentiam privata scientia certo cognoscit?*

Resp. Neg. Ratio est, quia hoc videtur contra mentem legis. Jurati enim pronuntiare debent tantum circa factum, ac juxta intimam convictionem, quam de ejus existentia habent, nec ullo modo tenentur reddere rationem legalem sententiæ suæ. Imo ex ipsa lege sententiam suam nec tenentur fundare ex tali numero testium, nec ex his vel istis rationibus a variis partibus in medium adductis, etc. Ergo votum dare debent tantum juxta id, quod in foro conscientiæ sentiunt. Itaque spectato munere, quod Juratis imponitur, facile patet, minime circa eos locum habere controversias illas, quæ de judicibus agitantur, n. 1053.

APPENDICULA II.

DE ARBITRIS (*Arbitrators*).

1058. — Arbitri dicuntur, qui ab utraque opposita parte ad litem aliquam dirimendam instar judicum sponte eliguntur, aut admittuntur.

Pactum, quo facultas litem componendi ipsis tribuitur, vocatur compromissum (Anglicè *submission*). Hoc pacto adversæ partes mutuo consensu promittunt, se executuras esse quidquid ab arbitris statuetur. Quod vero statuitur, lingua nostra audit "*award.*"

Arbitri, quicumque sint, semel a diversis partibus admissi, judicum munere proprie gaudent, eorumque vices omnes gerunt, haud secus ac si a publica auctoritate forent designati. Possunt igitur causam ad se delatam instruere, rem ad aliud tempus opportunius differre, testes audire, et tandem lata sententia litem absolute dirimere. Quandoque tertium designant, qui eorum nomine rem dirimat, et hic vocatur "*the umpire.*"

1059. — Cum arbitri judicum munera adimpleant, easdem circiter obligationes, eademque onera ac judices subeunt. Hinc

1° Non debent suscipere litem, cui dijudicandæ doctrinam sufficientem non habent; secus peccant contra justitiam commutativam, et restitutionis obligationem contrahunt.

2° Arbitri judicare tenentur juxta leges, nisi partes eis facultatem rem ex æquo et bono componendi impertierint. Tunc enim ex bono et æquo utriusque partis commodum promovere debent.

3° Cavere summopere debent ab acceptione personarum, ne scilicet odio, aversione aut nimio affectu abstracti, contra regulas æquitatis sententiam ferant. Quoad cætera, eadem dicenda sunt de arbitris, ac de ipsis judicibus.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS ADVOCATI ET PROCURATORIS.

1060. — Advocatus (*Counsel, Counsellor, Advocate, Lawyer, Barrister*) dicitur ille, qui suum litigantibus præbet auxilium vel consilio, vel voce, vel scripto.

Procurator — alius est *partium* (*Attorney, Attorney at Law*, in chancery *Solicitor*) et clientis sui nomine comparet, ac omnia parat litis instrumenta, quibus advocatus possit rem gerere, — alius *Status* (*Attor-*

ney-General, State's Attorney, Solicitor) et Statum repræsentat in causis vel civilibus vel criminalibus.

PRINCIPIA. — I. Advocati et procuratores tenentur ex justitia legali erga societatem, et ex justitia commutativa erga litigantes, scientiam competentem habere, causam diligentia et studio debito suscipere ac prosequi, et dilationes litigantibus damnosas præcavere; secus peccant, et restitutioni sunt obnoxii, sicut supra de judicibus dictum est.

II. In materia civili nec advocatus rei, nec procurator Status causam certo injustam sustinere licite potest; si igitur, eam defendendo, obtineat injustam sententiam, omnia damna inde sequentia reparare tenetur, si ab iis non reparentur, in quorum gratiam injusta sententia cadit.[1]

A *fortiori* in materia criminali nec advocatus suscipere potest partes accusatoris evidenter injusti, nec procurator Status injuste accusatum persequi, si ejus innocentiam sive in principio, sive in decursu, sive in fine causæ detegat, sed accusationem incœptam derelinquere uterque tenetur.

III. Advocatus a cliente interrogatus debet ejus causam serio, et ea diligentia, quam rei gravitas postulat, examinare, fidelitatem illi servare, justitiam vel injustitiam aperire, et probabilitatem eam obtinendi aut perdendi scrupulose indicare; secus enim clientem ad sumptus inanes impellet, quos ipse resarcire tenetur.

In causa autem dicenda cavere debet a fraudibus, falsis probationibus, aliisve mediis injustis contra partem adversam; secus enim pariter omnia damna inde sequentia compensare tenetur.

Quær. 1° *Quo sensu intelligenda sit* INJUSTITIA *causæ, quam sustinere nequit advocatus,* MORALI *scil., an* LEGALI *tantum?*

Resp. longe probabilius morali, et non legali tantum. Ita S. Alph.[2] Ad quæstionem enim: "Quando cliens habet bonum jus in causa *possessionis*, non tamen in *proprietate*, an liceat advocato eum defendere in causa possessoria"? respondet: "Alii dicunt licere advocato talem clientem defendere, quia tunc solum permissive cooperatur ad peccatum clientis, cum eo casu exerceat munus consultoris apud judicem. Sed *verius* contradicit Lugo Disp. 41" de Just. "n. 10 cum Mol. Fagund. Med. etc. Ratio, quia sicut peccat cliens rem retinendo, sic advocatus in tali retentione ei cooperando; advocatus autem non se habet ex parte judicis, sed clientis."

Peccat igitur advocatus operam suam præstans parti, quam novit jus *certum* partis adversæ eludere huic opponendo sive *vitium* aliquod, vel *defectum* tituli aut instrumenti, sive præscriptionem, cui desit bona fides. Non tamen tenetur advocatus inquirere apud clientem de justitia *morali* suæ causæ, et hanc sustinere poterit quousque ejusdem injustitiam moralem ignorat.

1061. QUÆSITA. — Quær. 2° *An advocati possint defendere causas etiam minus probabiles tum reorum, tum actorum?*

Resp. 1° In causis *civilibus reorum*, vel, si de probabilitate *juris* agitur, *etiam actorum, affirm.* cum sententia communi et certa, quia spem habere possunt, ut veritas elucescat. Si vero de probabilitate facti, etiam pari, agitur, causam *actoris* defendere non licebit.[1]

Resp. 2° In causis vero *criminalibus*, reus semper defendi potest, etiamsi constaret de ipsius culpabilitate, mediis tamen honestis et licitis, seclusis scilicet mendaciis, fraudibus, etc. Ratio est, quia advocatus reum defendens nemini infert injuriam, et præterea ex suo officio reo, quantum potest, patrocinari debet.[2]

1062. — Quær. 3° *Ad quid teneatur advocatus ratione honorarii seu stipendii?*

Resp. 1° Nihil, generatim loquendo, potest accipere ultra justum, quod vel lege forte taxatum sit, vel judicio prudentium est determinandum, habita ratione negotii, peritiæ advocati, laboris, quem impendit, et consuetudinis receptæ.

Resp. 2° Quoad pauperes in particulari, 1° tenetur gratuito succurrere, etiam cum gravi suo incommodo, iis, qui in extrema necessitate versantur; 2° item iis, qui in gravi necessitate existunt, tenetur gratis patrocinari, et quidem sub peccato mortali, non tamen cum notabili suo incommodo; 3° denique etiam in communi necessitate causas pauperum tueri tenetur ex caritate, non tamen cum gravi incom-

[1] L. V. 223. [2] Ib.

[1] L. V. 222. [2] Ib. 220.

modo: sufficit scilicet, ut aliquid operis, quando ab aliis vacet, eis largiatur.[1]

Quær. 4° *Quid exigere possit advocatus, si postquam de stipendio conventum est, cliens inceptam causam deserat?*

Resp. Potest totum exigere, si per eum non stet, quominus litem prosequatur, non secus ac suam operam pro aliqua mercede locans, exigere hanc potest, si per conductorem stet, ne operâ compleatur. Excipe tamen, si justa intervenit causa litem deserendi, cum hæc conditio semper in conventione subintelligatur.[2]

1063. — Quær. 5° *Ad quid teneatur advocatus, qui, causa jam peracta, advertit eam esse injustam?*

Resp. Debet statim admonere de injustitia causæ, et eam deserere, ne damno injusto cooperetur. Neque compositionem suadere potest, siquidem hæc nonnisi in re dubia locum habere debet. Si vero causam injustam scienter fuerit prosecutus, omnia damna utrique parti obvenientia compensare tenebitur. Parti enim adversæ restituere debet *ex peccato commissionis*, cum causa damni positiva ipse fuerit; suo autem clienti, si in bona fide versabatur, *ex peccato omissionis;* siquidem eum *ex officio* de injustitia causæ admonere tenebatur.

Advocatus tamen deserendo causam, quam injustam esse detegit, non debet aliam partem juvare, seu secreta suæ causæ alteri parti revelare, ut patet ex jure naturali, et expresse docet S. Thom.[3] Exceptionem quamdam, quæ tamen rarissime suberit, V., si lubet, apud S. Alph.[4]

Quær. 6° *Ad quid teneatur advocatus, qui advertens causam esse injustam, monet quidem clientem, sed, eo volente, causam prosequitur?*

Resp. 1° Ad nihil tenetur erga clientem, si causam perdiderit, quia *scienti* et *volenti* non fit injuria.

Resp. 2° Ad omnia damna, quæ patitur pars adversa, compensanda tenetur titulo cooperationis positivæ.

1064. — Quær. 7° *An, et quomodo peccet advocatus, qui causam justam mediis injustis defendit, v. g. si chirographum novum substituat loco prioris amissi, etc.?*

[1] H. A. Tr. XIII. 69.
[2] Ib. n. 70.
[3] 2. 2. q. 71. a. 3. ad 2.
[4] L. V. 226. 10°.

Resp. 1° Peccat contra fidelitatem et veritatem, gravius quidem aut minus graviter pro ratione injusti medii adhibiti, et pro rei, de qua agitur, gravitate, itemque pro gravitate effectus, qui injusti medii usum subsequatur. Majoris peccati reus erit advocatus, si non tantum novum chirographum priori substituat, sed illud supponat, quod nunquam exstitit. Nec excusari potest ex fine bono, quem intendit; non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Resp. 2° Per se non peccat contra justitiam, cum causa justa supponatur. Attamen per accidens potest justitiam lædere, et ad restitutionem obligari, nempe si inde damnum suæ parti vel parti adversæ adveniat; si enim v. g. fraus detegatur, facile evenire potest, ut causa utcumque bona in suspicionem deducatur et corruat.

1065. *Resolves.* — 1° Advocati peccant contra justitiam erga clientem, si, cum non sint sat periti et idonei, causas defendendas suscipiant; si causæ fundamenta vel secreta parti adversæ detegant, vel si parti utrique serviant; si, ideo quod sibi videantur peremptoria argumenta afferre, alia non spernenda negligant, quia forsan judices motivis istis neglectis moverentur; si ad causam dicendam non sufficienter se præparent, etc.

2° Iidem peccant contra justitiam erga partem adversam, si leges falsas aut abrogatas citent, aut in sensum alienum deflectant, dolum aut mendacia adhibeant, ex quibus judices aut jurati in injustam sententiam vel suffragium abstrahantur; item si parti adversæ crimina vel vitia imponant falsa, etc.

3° Peccant pariter "suadendo clienti ut falsum juret, vel eum in necessitatem pejerandi veluti conjiciendo, indicando spem aliàs nullam esse victoriæ, vel testes falsos exquirendo, eosque ad pejerandum instruendo, disciplina quadam et institutione, ante examen publicum, uti aliquando fit."[1]

4° Procuratores partium peccant contra justitiam, si causas protrahant, si dilationes indebite obtineant, si causam prius acceptatam priori loco non procurent, si partes ad iniquam compositionem adducant, etc.

[1] Kenr. Tr. VIII. n. 144.

5° Procurator Status peccat contra justitiam, si ex negligentia, ex præcipitatione aut præjudicio, ex odio aut acceptione personarum, etc., traducat innocentem in detentionem, in judicium, et in sententiam injustam subeundam. Item si accusationem sustinuerit, postquam in causæ decursu innocentiam agnoverit, aut graviter de ea dubitaverit; proinde de omnibus damnis accusato subsecutis tenetur. Item si muneris sui exercitium cum civium injuria, spe majoris lucri, differat; quod vero artibus ejusmodi comparavit, restituere tenetur.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS APPARITORIS.

1066. — Apparitor (*constable, sheriff*) ille est, qui ex officio jussum comparendi in judicium (*citation, warrant*) et mandata justitiæ defert, atque executiones a judice decretas perficit. Hinc apparitoris munus duplex est.

Cum apparitores sint ministri justitiæ, summopere decet, ut perhumaniter suo fungantur officio, ac sui ministerii rigorem et asperitatem temperent, quantum fieri potest. Sufficienter instrui debent de omnibus, quæ ad suum munus attinent. Fidelitatem quoque præstare debent in mandatis tribunalis exequendis, æque cavendo tum a negligentia in munere obeundo, tum a rigore et vexatione erga eos, quos justitia publica persequitur.

1067. — Apparitores injuste se gerunt præsertim :

1° Si pretio aut favore se corrumpi sinant in præjudicium clientis, v. g. denunciationes sententiarum protrahendo, negligendo, vel alia faciendo, unde fiat, ut creditor solutionem accipere non possit. Item favendo quibusdam debitoribus solidariis, ut eos in executionibus non comprehendant.

2° Si lustrantes domos asperius agant, ut aliquod munus extorqueant; si vim injustam aut aliam injuriam inferant; si falsum in actibus suis enuntient.

3° Si excedant mandatum judicis, aut legis statuta in rebus seu bonis privatorum capiendis; si non servent justum pretium in venditione rerum captarum, etc.; si partem hujus pretii sibi retineant, etc.

CAPUT IV.

DE OBLIGATIONIBUS SCRIBARUM ET NOTARIORUM.

I. *De scribis seu secretariis.*

1068. — Scriba seu secretarius (*clerk of the court*) ille est, qui scripto refert testimonia, judicum sententias, cæteraque omnia, quæ in tribunalibus peraguntur. Hinc quasi ut dextera judicis et ipsius publicus et authenticus secretarius considerari solet.

Injustitias autem varias scriba committere potest, præsertim :

1° Si diligentiam debitam non adhibeat ad omnia audita et statuta aut decisa exacte in scriptum referenda; omissio enim in rebus hujus generis facile gravis evadere potest.

2° Si attentione seria et constanti non utatur ad omnia in tribunali prolata et peracta in libros authenticos referenda : facillime enim defectus attentionis in scriba culpam gravem et restitutionis obligationem inducere potest, nisi omnino involuntarius sit. Quis enim non videt, quanta damna ex defectu etiam levi ex parte secretariorum subsequi possint?

3° Si ex malitia aliquid in scribendo omittat, aut si tabellas publicas sibi commissas adulteret aut male custodiat; si debitas formalitates et subscriptiones non apponat aut apponi non satagat; si testimonia non fideliter transcribat, sive exaggerando, sive imminuendo, sive immutando aut invertendo.

II. *De notariis.*

1069. — *Notarius*, seu tabellio (*Notary, Notary public, Conveyancer*) dicitur ille, qui auctoritate legitima constituitur ad scribenda acta seu instrumenta publica, quæ tum in judicio, tum extra judicium fidem faciant.

Hinc apparet, quanti momenti sit notarii munus, quam late pateat, et quam gravibus obstringatur obligationibus. Notarii itaque pari ad id munus scientia,

perspicacitate non communi, et potissimum egregia fidelitate, prudentia et probitate gaudere debent. Cum enim negotia et contractus cujusvis generis pertractare debeant, ex eorum negligentia, ignorantia et attentionis defectu summa mala pro societate, et damna pro partibus subsequi possunt.

1070. — Notarii injusti sunt præsertim in sequentibus casibus:

1° Si ignorent, quæ ad officium suum pertinent, et ideo instrumenta non recte conficiant; si cum detrimento contrahentium vel aliorum ex negligentia solemnitates necessarias prætermittant, v. g. idoneos testes adhibere, subscriptiones apponere, diem, mensem, annum indicare, etc.

2° Si conficiant instrumentum falsum, usurarium vel injustum; si in damnum alterius contrahentis aut tertii fingant in instrumento ea, quæ non sunt; si adnotationes diei falsas apponant, aut veras immutent, etsi damnum non intendant; item si talia consulant; si conficiant acta, quæ suum munus excedant, vel si extra territorium sibi assignatum ministerium suum exerceant: tunc enim eorum actus ipso facto irriti sunt.

3° Si non describant fideliter voluntates contrahentium, vel per ambiguas redactiones litibus et injustitiis locum præbeant; si partes non moneant de clausulis, quæ eis nocere, aut de difficultatibus, quæ inde nasci possunt. Ad hæc enim ex quasi contractu cum partibus tenentur.

4° Si falso scribant summam coram se vel antea jam solutam esse, cum damno alterius partis aut tertii; item si facile talia scribant, graviter suspicantes quod a contrahentibus decipiantur; tunc enim eorum peccato cooperantur.

5° Si acta et instrumenta negligenter custodiant cum periculo damni partium; si differant instrumentorum expeditionem, ut pecuniam extorqueant; si amanuensi aliquid committant cum erroris periculo.

6° Si quid in actu originali immutent, unde jus aliquod violetur aut impediatur; si testes falsos admittant; si testimonium aliquod necessarium suo clienti non exhibeant, occultent; aut transcriptum denegent.

7° Si actus communicent aliis, quam partibus; si sua culpa actus originales amittant; si juramenta vel secreta violent; si dictis vel factis partium, aut testimoniis testium aliquid addant vel detrahant; si sincere omnia, prout se habent, non transcribant.

8° Si negligant invigilare in suos ministros, et propterea instrumenta male conficiantur; notarii enim pro omnibus, quos adhibent ministros, respondere tenentur; si subscribant instrumenta sive ab aliis notariis, sive a propriis ministris confecta, antequam diligenter ea recognoverint, et notitiam perfectam de iis, quæ in ipsis continentur, habuerint.

9° Si pretium ultra taxam vel probatam consuetudinem petant, vel negotia pertractanda salarii adaugendi causa protrahant.

In his omnibus, et multis aliis similibus, tenentur notarii sub gravi, *per se*, ad restitutionem, ut injusti damnificatores, aut cooperatores, ut patet ex dictis in Tract. *de Justitia et Jure*. — S. Alph.[1]

CAPUT V.

DE OBLIGATIONIBUS ACCUSATORIS ET REI.

I. *De accusatore.*

1071. — Accusator dicitur, qui in causis *criminalibus* crimen defert judici, atque ab eo vindictam ob bonum commune postulat, et simul obligationem crimen objectum probandi suscipit: in causis vero *civilibus*, qui velut pars læsa adversarium ad judicem compellit, non *accusator*, sed *actor* (*plaintiff*) dicitur.

Accusator differt a denuntiatore, qui Superiori vel judici crimen aliquod defert ad vindictam, nec tamen obligationem illud probandi subit. — Denuntiatio igitur non intelligitur hic *fraterna*, — cujus scopus non est *punitio*, sed *emendatio* proximi, intercedente paterna admonitione Superioris, ex qua propter ipsius auctoritatem certius speratur emendatio, — sed *juridica*.

Ex jure nostro obligatio accusandi crimenque probandi soli magistratui ad id constituto, seu procuratori Status incumbit. Ad *denunciationem* autem tenentur etiam privati, ex caritate, et quidem sub gravi et cum gravi etiam incommodo,

[1] L. V. 230, 231.

quando agitur de communi et gravi damno vitando, vel etiam, at non cum gravi incommodo, si agitur de gravi damno avertendo ab innocente.[1]

II. *De reo.*

Reus (*accused* in causa criminali, *defendant* in civili) dicitur ille, qui in judicio sive criminali sive civili accusatur, sive nocens sit, sive innocens.

1072. Quæsita. — Quær. 1° *An reus, a judice interrogatus, veritatem fateri teneatur?*

Resp. 1° *Neg.* jure nostro positivo. "Nor shall" (any person) "be compelled in any criminal case to be a witness against himself."[2]

Resp. 2° *Affirm.* jure naturali, si id necesse sit ad damnum commune avertendum. Relinquendus tamen erit in bona fide, si ex monitione vix speretur fructus.[3]

Resp. 3° *Affirm.* etiam, si agitur de pœna ecclesiastica, cum hæc sit medicinalis, dummodo sit legitime interrogatus, i. e. a judice legitimo, servata forma judiciali et delicto semiplene probato.[4]

Quær. 2° *An reus, licet non legitime interrogatus, si agatur de pœna ecclesiastica, ea saltem de causa crimen fateri debeat, quod secus ille, a quo fuit accusatus, vel denuntiatus, calumniator haberi possit?*

Resp. Opinor omnino negandum esse. Ratio est, quia nemo sanus reum ut falso accusatum habebit eo quod crimen non sit confessus, et reus non confessus qui, deficientibus aliis probationibus, absolvitur, habetur non ut innocens, sed simpliciter ut non convictus.

Quær. 3io *An reo liceat appellare?*

Resp. Dist. Vel enim agitur de causa civili, vel de criminali. Si de civili, eaque vel certo injusta vel minus probabili, non licet, ut patet ex dictis n. 60. II. 3°; secus, si dubium sit an judex superior *juste* laturus sit sententiam pro reo, quia cum mentes hominum sint diversæ, forte opinio, quam judex inferior minus probabilem censuerit, superiori probabilior apparebit, et hoc experiri licite potest reus.[5] — Si de criminali, *generatim* et *practice* loquendo vix non semper apud nos licebit; nam 1° jus appellationis proprie dictæ in causa criminali reo hìc non datur, sed *novi* tantum judicii copia, eaque non rei, sed judicis arbitrio decernenda. 2° Docet S. Alph.[1] cum *communi* reum non teneri abstinere ab appellatione a sententia, etiam omnino justa, nisi casu, quo certum sit oppositum probari non posse; sed in praxi illa certitudo, novo concesso judicio, vix umquam adesse poterit, præsertim apud nos, cum *jurati* facillimi sint in absolvendo.

Quær. 4° *An reus innocens ad sui defensionem possit revelare crimina occulta testium vel accusatoris?*

Resp. Affirm., modo, 1° crimen sit *verum:* 2° revelatio sit *absolute necessaria* ad suæ innocentiæ defensionem; 3° ipse aliter grave damnum sit passurus.[2]

1073. — Quær. 5° *An liceat reo innocenti fugere vel resistere?*

Resp. Licet ei quidem fugere, et e manibus satellitum sese eripere; sed non licet vim vi repellere, occidendo aut vulnerando, quia publicæ potestatis jura violaret.[3]

Quær. 6° *An etiam reo, qui vere deliquit, fugere liceat?*

Resp. Affirm., si nondum ad pœnam sententia juridica sit damnatus; quia nemo ante sententiam pœnam solvere tenetur. Item si jam sit damnatus ad pœnam gravissimam, et carcer sit ei assignatus ad custodiam, donec pœna statuta plectatur. — Ita communiter.[4]

Negant autem communius, si carcer ad pœnam per sententiam judicis jam fuerit assignatus. Ratio est, quia reus tenetur obedire in executione sententiæ justæ. Excipiunt tamen plures, si ei non dentur necessaria, vel si carcer sit durissimus: quia videtur excedere vires humanas obligatio se non liberandi a pœna gravissima, quando id sine vi et resistentia peragere quis possit.[5]

Quær. 7° *An reo liceat fugere, etiamsi inde damnum custos sit passurus?*

Resp. Affirm., quia utitur jure suo, et nemini facit injuriam, nisi tamen caritas aliud suadeat ob damnum custodis multo gravius. Attamen non licet reo custodem pecuniis corrumpere, quia, cum custodi

[1] L. V. 236.
[2] Const. of the U. S. Amend. Art. V.
[3] L. V. 274.
[4] Ib. 272, 274.
[5] Ib. 285.

[1] L. V. 285.
[2] Ib. 277.
[3] Ib. 279.
[4] Ib. 280.
[5] Ib. 280.

obligatio incumbat reum non dimittendi, hujus peccato cooperaretur.

Quær. 8° *Utrum illis, qui non sunt ministri justitiæ, liceat reum adjuvare, ut e carcere effugere possit?*

Resp. Affirm., casu, quo id liceat reo, et dummodo, 1° fuga rei, quia e. g. est grassator viarum aut similis, non sit perniciosa Reipublicæ, et 2° exinde, puta ex infractione, carceris securitas non pereat. Ratio, quia ad finem alteri licitum adjuvare illicitum esse nequit.[1]

Quær. 9° *An liceat reo declinare pœnam* MITIOREM, *multctam v. g. vel carcerem non diuturnum, ad quam juste fuit damnatus,* SED QUÆ IPSI NONDUM FUIT IRROGATA?

Resp. Kenrick[2] "Existimo pœnas omnes ita lege statui et a judice decerni, ut irrogandæ sint a justitiæ ministris; ideoque damnare non audeo eum, qui, *jure alieno illæso,* se subducit" ejusmodi pœnæ, "dummodo tamen vim non adhibeat, et publicum ordinem non perturbet."

CAPUT VI.

DE OBLIGATIONE TESTIUM.

1074. — I. Nemo tenetur ex justitia sponte se offerre ad testificandum; at quandoque datur talis obligatio ex caritate v. g. si possit quis testimonio suo innocentem facile liberare, gravem injustitiam impedire, etc.[3]

II. Testis legitime citatus tenetur coram judicibus se sistere, juramentum jure præscriptum emittere; integre veritatem et nihil præter veritatem dicere, et deinde postulatis legitimis simpliciter juxta conscientiam respondere. — Ita *omnes.*

III. Testis, qui falsum malitiose deposuit, est perjurus, et, si alteri damni causa efficax per hoc fuerit, justitiæ violator; et proinde tenetur ad omnium damnorum reparationem, necnon ad falsi juramenti revocationem, cum pari suo damno, etiam cum periculo vitæ, si vi falsi testimonii innocens ad mortem fuerit damnatus.[4]

1075. QUÆSITA. — Quær. 1° *Ad quid teneatur testis, qui falsum dixit ex ignorantia invincibili, vel inadvertentia, aut oblivione inculpabili?*

Resp. Tenetur falsum testimonium aperire, et damnum eo modo, quo potest, impedire; non tenetur tamen ad damni *jam sequuti* reparationem, cum theologicæ culpæ expers sit.[1] — Item dicendum foret *probabilius* etiam, si venialiter peccasset. Cfr. dicta n. 746. 3°. — 749. q. 3°. — 751. q. 7°.

Quær. 2° *Quid de illo, qui scripturam, chirographum, aut apocham supponit, vel adulterat ad supplendos actus perditos, vel ad jus certum prosequendum?*

Resp. 1° Peccat saltem venialiter ratione mendacii; quia, utcumque res se habeat, chirographum, quod exhibetur, diversum ab illo est, quod in judicio fidem facit.

Resp. 2° Potest aliquando peccare graviter contra caritatem erga seipsum, quando se proximo exponat periculo gravissimarum pœnarum, si falsitas detegatur.

Resp. 3° Nullatenus peccat contra justitiam commutativam, et proinde ad restitutionem minime tenetur.

1076. — Quær. 3° *Quandonam testis excusetur a testimonio præstando?*

Resp. Excusatur in sequentibus casibus: 1° si rem tantum acceperit sub secreto Confessionis; 2° si rem noverit sub secreto *commisso;* 3° si rem acceperit a viris non fide dignis; 4° si sciat reum non peccasse mortaliter, v. g. propter ignorantiam; 5° si grave sibi vel suis damnum adventurum prævideat; 6° si facti notitiam habeat per *injuriam,* v. c. aperiendo alterius litteras, aut alium injuste cogendo. Excipe, quoad 2°, 5°, 6°, si damnum commune vel privatum alienum prævaleat.[2] — Non tamen legibus omnium Statuum admittitur causa excusans 2°, vel etiam 1° allegata. Cfr. n. 541. q. 1°.

Quær. 4° *An testis teneatur revelare crimen omnino occultum, v. g. quod ipse solus novit?*

Resp. Affirm., in Statibus, in quibus viget jus commune, quod statuit, vel unicum testem ad damnandum reum sufficere posse.[3]

1077. — Quær. 5° *An, et quomodo peccet testis, qui se abscondit, ne citetur a judice, vel qui post citationem fugit?*

[1] L. V. 283.
[2] Tr. VIII. n. 138.
[3] L. V. 264.
[4] Ib. 269.

[1] L. V. 269.
[2] Ib. 268.
[3] Kenr. Tr. VIII. n. 123.

Resp. Ad 1^um^ Non peccat 1° contra justitiam legalem, quia nemo tenetur obedire præcepto Superioris, antequam ei imponatur; 2° neque contra justitiam commutativam, quia mere negative se habet. Potest tamen peccare contra proximi caritatem, ut supra (n. 1074.) dictum est.

Resp. ad 2^um^ Peccat graviter contra justitiam legalem, seu contra obedientiam judici debitam in re gravi et ad societatem necessaria; sed *probabilius* non peccat contra justitiam commutativam: quia citatio illa non imponit obligationem justitiæ, sed tantum obedientiæ.[1]

Quær. 6° *An teneatur ad restitutionem testis, qui, legitime interrogatus, celet veritatem; non tamen falsum dicat?*

Resp. Neg. probabiliter. Ratio est, quia testis tunc mere negative se habet, nec tenetur veritatem deponere, nisi ex præcepto judicis: et proinde eam tunc celando, contra solam obedientiam judici debitam, aut etiam contra religionem ob juramentum de veritate dicenda præstitum, peccat.[2]

CAPUT VII.

DE OBLIGATIONIBUS MEDICORUM, CHIRURGORUM, ET PHARMACOPOLARUM.

1078. — Tenentur ante omnia sub gravi, 1° habere scientiam et peritiam sufficientem; 2° adhibere diligentiam proportionatam gravitati rei, quæ ipsorum curæ committitur. Si autem in his deficiant, tenentur de omnibus damnis, quæ inde sequuntur.

Insuper operam suam gratuito præstare debent pauperibus, qui in necessitate versantur, ut supra n. 1062. q. 3° R. 2° de advocatis dictum est.

In curandis autem infirmis sequentes regulæ servari debent:

I. Tenentur sequi opiniones medicorum securas et tutas, saltem ordinarie; quia periculum ægroti ex probabilitate removeri non potest.

II. Quando certum est, aliquod pharmacum infirmis profuturum esse, tenentur illud adhibere, omisso dubio; si autem certum desit, probabilius præferre debent.

[1] L. V. 270. [2] Ib.

III. Quid liceat, quando nulla apparet spes de sanitate infirmi, nec adest remedium nisi dubium, V. n. 60. II. 2°.

Hinc peccat graviter medicus. 1° Si absque sufficienti capacitate gravem morbum curare aggrediatur. 2° Si incurrente gravi et insolito morbo, specialem operam non impendat. 3° Si medicamenta inexplorata, explorandi gratia, adhibeat. 4° Si, non bene perspecta morbi natura, temere præscribat remedia periculosa, præsertim cum discrimine vitæ vel gravis læsionis. 5° Si, agnito ægroti periculo, opportune non adsit, diu noctuque eum invisendo, si opus sit, et omnia media apta ad morbum propellendum non adhibeat. 6° Si medicos alios advocari non permittat, ubi oporteret, vel si, alios consulendi causa convocans, ad amicitiam potius quam ad peritiam attendat. 7° Si e contrario sine necessitate alios medicos advocet cum expensis inutilibus ægroto, aut si contra suam conscientiam eorum consiliis adhæreat. 8° Si curationem protrahat lucri causa, visitationes inutiliter multiplicet, ubi pro singulis salarium exigitur; vel si pretium nimium exigat. 9° Si ad favendum pharmacopolis amicis, pharmaca superflua præscribat. 10° Si abortum, aut media illud procurandi, suadeat aut ipsemet exequatur. 11° Si facile et sine necessitate a jejunio absolvat vel a Missa. 12° Si pauperes, quorum curam ex stipendio suscepit, minus diligenter tractet quam divites, aut, licet non obligatus ex stipendio, illis in gravi periculo constitutis et alium non habentibus non assistat. 13° Si secreta suæ fidei et in ordine ad artem suam sibi commissa non servet, e. g. morbos pudendos sine causa proportionata pandendo. 14° Tandem graviter, imo gravissime peccat medicus, si, præterquam in casu quo *certo* censeret monitionem non profuturam, non præmoneat de gravi periculo ægri, ut ipsi Sacramenta conferantur.[1] Vide et alia de medico supra suis locis.

1079. — Pharmacopolæ, si pauca excipias, peccant fere ut medici in casibus modo expositis, præsertim vero pharmaca vetusta adhibendo, inutilia vendendo, puellis gravidis ad fœtum ejiciendum media subministrando, mandata medici non fide-

[1] L. IV. 182.

liter exequendo, v. g. unum medicamentum pro alio porrigendo, etc.[1]

1080. QUÆSITA. — Quær. 1° *Ad quid specialiter teneatur medicus quoad animam ægrotantis, cujus curam suscepit?*

Resp. Tenetur *per se* sub gravi eum admonere de gravi periculo, in quo versetur, et, si de infirmo Catholico agatur, etiam de necessitate Sacramenta recipiendi, ne decedat absque absolutione, Viatico et Extrema Unctione. Constat 1° ex lege naturali, seu ex præcepto caritatis. 2° Ex Decretali notissima Innocentii III., confirmata et renovata ab aliis subsequentibus SS. Pontificibus.[2] — Non tamen semper est necessarium, ut medicus *per se* moneat ægrum de proximo mortis periculo. Sufficit interdum, ut curet eum admoneri a propinquis vel amicis, ita ut benevole Sacerdotem admittat, atque ad recipienda Sacramenta inducatur. Si æger notum habeat confessarium, satis erit, si iste de statu pœnitentis sui moneatur; tunc enim eum invisendo efficacius ipsum movere poterit ad saluti animæ suæ providendum. Caveat autem medicus, ne diutius monitionem differri patiatur. Non enim protrahere debet, usquedum certum sit mortis periculum; sed ad hoc officium tenetur, quando advertit periculum graviter imminere. Si hunc morem servarent medici, non adeo ægroti admonitionem reformidarent, nec ad Confessionis mentionem terrore corriperentur.

Quær. 2° *An peccet graviter medicus, qui tempore pestis ægrotos deserit, ne luem contrahat?*

Resp. Affirm., si agatur de medico, cui stipendium a communitate sit statutum, et de iis infirmis, in quorum favorem id sit constitutum. Secus *neg.*, cum caritas non obliget cum æquali suo periculo.

CAPUT VIII.

DE STATU ARTIFICUM ET OPIFICUM.

1081. — Artifices et opifices sedulo a confessario examinandi sunt: plerumque enim tacent in Confessione injustitias et peccata suæ conditionis propria.

I. In genere injusti sunt opera sua vendendo, aut locando injusto pretio; occultos operum defectus non manifestando juxta dicta de venditione; negligentia culpabili tempus terendo; alios operarios a labore avertendo; opus male exequendo sive nimia præcipitatione, sive rerum necessariarum omissione, etc.

II. In particulari autem præcipue injusti sunt:

1° Aurifabri et argentarii, qui aurum et argentum adulterant, inter vacua plumbum infundunt, adamantes aut infra justum etiam infimum valorem ab ignorantibus emunt, aut confictos seu artefactos quasi naturales vendunt.

2° Pannifices et lanifices, qui lanam minoris pretii bonæ immiscent, tantique divendunt, quanti si tota materia foret ejusdem qualitatis; qui initium et finem voluminis panni ex lana multo meliori texunt; qui fucatis coloribus utuntur; qui decepti pannos emendo, alios pariter vendendo decipiunt.

3° Molitores, qui grana immutant, aut eis res extraneas nullius fere valoris immiscent, uti fabas, ad augendum pondus et massam; qui pro salario detinent aliquid de frumento vel farina ultra praxim timoratorum.

4° Pistores, qui male coquunt; qui farinæ triticeæ aliam ex siligine, hordeo, fabis, etc. malitiose immiscent; qui pondus fraudulenter imminuunt.

5° Laniones, qui corruptas carnes vendunt, aut deteriorem qualitatem pro meliori tradunt.

6° Sartores et sutores, qui male secant; qui panno aut corio corrupto vel adusto utuntur; qui partem panni sibi traditi retinent, fingendo se totum in opere conficiendo adhibuisse.

7° Opifices pileorum, qui pileos rursus stipatos aut tinctos pro novis, aut quasi a longiori tempore in officina exstantes vendunt.

8° Typographi, qui exemplaria excudunt in majori numero, quam conventum est, et sibi ea retinent; qui adulterinas editiones contra jus habentis privilegium faciunt: qui emendatores habent imperitos; qui papyrum non adhibent ejusdem qualitatis ac in programmate promiserunt etc. . . . — Vide S. Alph.[1]

[1] L. V. 291, et supra n. 977.

[2] L. V. Decr. Tit. XXXVIII. c. 13.

[1] L. V. 292.

PARS SECUNDA.

DE STATU CLERICORUM.

Agendum 1° de obligationibus communibus Clericorum; 2° de quorundam obligationibus peculiaribus.

CAPUT I.

DE OBLIGATIONIBUS COMMUNIBUS CLERICORUM TUM POSITIVIS, TUM NEGATIVIS.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS POSITIVIS CLERICORUM.

Clerici præcipue obligantur: 1° ad vitæ sanctitatem; 2° ad cælibatum; 3° ad habitum ecclesiasticum et tonsuram; 4° ad Horas canonicas; 5° ad scientiam convenientem; 6° ad ecclesiasticum ministerium congruenter obeundum; 7° ad obedientiam et reverentiam debitam Episcopo juste imperanti præstandam. De quatuor prioribus hic agitur; de cæteris locis propriis.

§ I. *De vitæ sanctitate.*

1082.—Quanta debeat esse Clericorum interna sanctitas et exterior ædificatio, nec demonstratione, nec expositione indiget. Id enim manifeste arguit ipsa sola Clericatus et Sacerdotii idea. Perpaucis igitur declarabimus Clericos pios, sanctos et modestos esse debere, tum ex eorum status natura, tum ex Scriptura, Patribus et Conciliis.

1° *Ex natura status clericalis.* Sanctissimum est Clericorum ministerium, cum semper ad res sacras, ad Sacramenta fidelibus conferenda, ad laudes divinas solemniter nomine Ecclesiæ persolvendas, ad Christianum populum de via salutis æternæ edocendum, necnon ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrandum proxime vel saltem remote applicentur. Cur enim sunt Clerici et Sacerdotes in Ecclesia constituti? Ut sint, teste Evangelio, sal terræ et lux mundi. Porro tales non possunt esse, nisi insigni et præclara morum sanctitate præfulgeant. Non solum adimplendorum officiorum sublimitas, et excellentia, sed etiam vestes, quibus induitur Clericus, clamant ipsum sanctitatem profiteri debere. Hinc ait S. Hieronymus:[1] "Clamat vestis, clamat status, clamat professio animi sanctitatem."

2° *Ex Scriptura.* Sic de sacerdotibus antiquæ legis aiebat Dominus: *Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini et panes Dei sui offerunt, et ideo sancti erunt.*[2] Item apud Isa.[3] dicitur: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Porro si tanta vitæ sanctitas requirebatur in sacerdotibus, qui boves et oves, aliaque animalia Deo offerebant, quid requirendum erit in iis, qui ipsum divinum Agnum sacrificant? Et si tanta mundities requirebatur in iis, qui vasa Domini ferebant, quænam animi puritas requirenda erit in iis, qui in manibus Dominum ipsum portant? Lege etiam D. Paulum ad Titum, Timoth., etc.

3° *Ex Patribus.* Sic S. Chrysostomus:[4] "Sacerdos debet vitam habere immaculatam, ut omnes in illum, veluti in aliquod exemplum excellens, intueantur; idcirco enim nos elegit Deus, ut simus quasi luminaria et magistri cæterorum, ac veluti Angeli versemur in terris." S. Thomas[5] docet sanctitatem majorem in sacerdote requiri quam in simplici Religioso, inquiens: "Per Sacrum Ordinem aliquis deputatur ad dignissima ministeria, quibus ipsi Christo servitur in ministerio Altaris; ideo ad hoc requiritur major sanctitas interior, quam requirit etiam Status Religionis." Et in Suppl.:[6] "Ad idoneam executionem Ordinum, non sufficit bonitas qualiscumque; sed requiriter bonitas excellens, ut sicut illi, qui Ordinem suscipiunt, super plebem constituuntur gradu Ordinis, ita et superiores sint merito sanctitatis."

4° *Ex Conciliis.* Innumera habentur in

[1] Apud Gury P. II. n. 38.
[2] Levit. 21. 6.
[3] 52. 11.
[4] Apud Gury P. II. n. 38.
[5] 2. 2. q. 184. a. 8.
[6] q. 35. a. 1. ad. 3.

Jure Canonico de sanctitate Clericorum, quæ etiam Conciliis permultis confirmantur. Sufficiat autem referre id quod habet Concilium Trid. solemni Decreto :[1] " Sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant." — Practicam hujus Decreti interpretationem his verbis exhibet Conc. Pl. Balt. II.[2] " Ubicumque fuerint, sive iter agant, sive per vias deambulent, sive sermones inter se vel cum sæculo deditis misceant, tum incessu et gestu, tum vultu ipso et voce, modestiam, quæ decet, ac gravitatem præ se ferant. Nimiam vocis elationem, risum immodicum, scurriles jocos, quidquid denique animi haud bene compositi indicium est, summo studio devitent. Verba liberiora, procacia, impia, nec, aliorum quidem dicta referendo, proferant ; alios ea proferentes, si aliter nequeunt, ore ac vultu reprimant coërceantque."

§ II. *De cælibatu.*

1083. — Clerici omnes, Sacros Ordines suscipientes, ipso facto obligationem cælibatus contrahunt. Constat ex variis Juris Canonici Decretis ; sed præsertim ex c. 1. D. 28., ubi D. Gregorius sic præscripsit : " Nullum subdiaconum facere præsumant Episcopi, nisi qui victurum caste promiserit, quia nullus ad ministerium Altaris accedere debet, nisi hujus castitas ante susceptum ministerium fuerit probata." — Item ex Conc. Trid.,[3] ubi sic definitum est : " Si quis dixerit clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto, anathema sit."

1084. Quæsita. — Quær. 1° *An obligatio cælibatus sit de jure divino ?*

Resp. Neg. cum sententia communi contra *aliquos ;* sed est ex mera institutione ecclesiastica : scilicet ex vi præcepti Ecclesiæ, vel etiam ex voto Sacris Ordinibus adnexo. Ratio est, quia cælibatus tantum ex præcepto Ecclesiæ vel Apostolorum fuit introductus. Patet insuper ex Conc. Trid. supra relato, ubi dicitur : " Non obstante lege ecclesiastica." Ergo, etc. — Ita *communiter* Theologi.[1] Potest igitur Ecclesia ab illa obligatione dispensare. Sed nunquam dispensat cum constitutis in Sacris, ut matrimonii vinculo adstringi queant, nisi ea lege, ut ab officiis clericalibus omnino arceantur. Sic Pius VII. convalidavit sacrilega matrimonia nonnullorum sacerdotum, qui tempore perturbationis " gallicæ " nuptias inierant.

1085. — Quær. 2° *An obligatio cælibatus procedat immediate ex præcepto Ecclesiæ, vel mediate, scilicet ex voto, quod in ipsa ordinatione emittitur ?*

Resp. Utraque sententia secundum S. Alph. est probabilis ; sed communior et probabilior, quæ dicit, hanc obligationem ex voto oriri. Probatur, 1° ex c. 6. Tit. III. L. III. Decr., ubi dicitur : " Nos igitur attendentes, quod Orientalis Ecclesia *votum* continentiæ non admisit," etc. Ergo in Ecclesia Occidentali admittitur. Patet præterea ex c. unico. T. XV. L. III. in 6°, et ex C. *Inter præteritos*, § 41, Ben. XIV., 3 dec. 1749 ; ubi illud expresse dicitur. 2° ex eo quod si obligatio foret ex *sola* Ecclesiæ lege, posset Papa *omnes* clericos ab illa absolvere : quod foret contra *communem*.[2]

1086. — Quær. 3° *An obligatio cælibatus sit universalis in Ecclesia ?*

Resp. Datur aliqua exceptio ex tolerantia Ecclesiæ apud Orientales. In Orientali enim Ecclesia sacerdotes quidem nunquam matrimonium inire possunt post ordinationem sacerdotalem, vel etiam post diaconatum ; sed conjugati ante diaconatum possunt ad Ordines ulteriores provehi, et nihilominus cum uxoribus conversari. Excipiuntur Episcopi, qui omnes perfectam castitatem constanter servare debent. Apud Græcos autem subdiaconatus inter Sacros Ordines non adnumeratur. Hinc clericis non conjugatis in ordinatione Diaconatûs præceptum castitatis imponitur, et hodie, in quadam Provincia ritûs Græci, etiam in ordinatione Subdiaconatûs, ut patet ex Instr. S. C. de P. F.[3]

1087. — Quær. 4° *An teneretur ad castitatem, qui expresse nollet castitatem vovere ?*

Resp. Hic teneretur nihilominus ad

[1] Sess. 22. c. 1. Ref. [2] a. 152. [3] Sess. 24. can. 9.

[1] L. VI. 807. [2] Ib. 808. [3] Apud Gury. Ed. Rom. 1873. T. II. p. 638.

castitatem, sin minus ex voto, cum nemo invitus voto ligari queat, sed certe ex præcepto Ecclesiæ, quæ ex motivo Religionis eum ad castitatem, deficiente voto, adstringeret. — Ita *communiter* cum S. Alph.[1] Alii volunt, illum teneri ad votum castitatis emittendum; et posse Ecclesiam ad id eum obligare, nemo diffitebitur.

Nota. Quo pacto a sacerdote castitas sit servanda, docet Conc. Pl. Balt. II. a. 164–168.

§ III. *De gestatione habitus et tonsuræ.*

1088. — Clerici, saltem majoribus Ordinibus initiati, obligantur ad ferendam tonsuram et vestem clericalem. Constat ex universo Jure Can. præsertim ex Conc. Trid. Sess. 14. c. 6 de Ref., ubi dicitur: "Quia vero, etsi habitus non facit Monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant." Insuper ibid. injungitur Episcopis, ut prævaricatores serio moneant, et, si non obtemperent, eos a sacris functionibus amoveant.

Habitus autem clericalis varius est pro variis regionibus. De habitu loquentes Patres Conc. Pl. Balt. II.[2] hæc præcipiunt: 1° "Volumus ut . . . domi agentes vel in templo, veste talari, quæ Clerico propria est, *semper* utantur. Cum foras prodeunt muneris vel animi recreandi causa, vel in itinere, breviori quadam indui liceat, quæ tamen *nigri*, coloris sit, et *infra genua* producatur." 2° "Comam et barbam *studiose, aut laicorum more*, ne nutriant. Barbam Clericorum *promissam* nuper damnavit Pontifex Pius IX.[3] Ecclesiasticis omnibus hac in re morem Romanæ Ecclesiæ tamquam normam sequendam *mandamus*."

"In hac regione tonsura plerumque non fit, nisi in ipsa initiatione; quum inter hæreticos versemur, quibus irrisioni foret absque religionis lucro." Ita Kenrick.[4]

§ IV. *De recitatione Horarum canonicarum seu divini Officii.*

1089. — Horæ canonicæ dicuntur: collectio orationum et lectionum a personis ad id deputatis, certis horis, singulis diebus recitandarum. Hinc Horæ etiam dicuntur, 1° *Officium divinum*, quod in honorem Dei recitatur; 2° *Officium ecclesiasticum*, quod nomine Ecclesiæ persolvitur; 3° *Officium canonicum*, quod juxta Canonum regulas recitandum est; 4° *Breviarium*, quod Officium illud est compendium Veteris et Novi Testamenti, necnon sententiarum Patrum et vitæ Sanctorum.

Origo divini Officii quoad substantiam ab ipsis Apostolorum temporibus videtur repetenda, ut colligitur ex variis locis *Act. Apost.*, ex testimoniis Patrum et ex variis documentis.

Decursu temporum varia fuit forma et quantitas Breviarii. Conc. Trid.[1] novam reformationem Breviarii Romani fieri mandavit. S. Pius V. illud correxit, additionibus nonnullis auxit, atque Bulla: *Quod a Nobis*, die 7 julii 1568, omnia alia Breviaria, quæ ab institutione seu legitima consuetudine non superabant 200 annos, prohibuit.

Totum Officium divinum in septem Horas dividitur, scilicet Matutinum cum Laudibus, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium.

Agendum 1° de obligatione Breviarii; 2° de tempore ad Horarum recitationem statuto; 3° de modo eas recitandi; 4° de causis a recitatione excusantibus.

Punctum I. De obligatione recitandi.

1090. Principia. — I. Obligantur ad Horas canonicas quotidie[2] recitandas 1° *Clerici* omnes in Sacris constituti, etiam suspensi et excommunicati. Constat ex variis locis Juris Can.; ex Conc. Later. ann. 1215,[3] ex Bulla S. Pii V. *Quod a Nobis.* — 2° *Beneficiati* omnes, qui habent jus in re et plenum dominium beneficii. Eruitur ex Conc. Later. sub Leone X., necnon ex Bulla Pii V.: *Ex proximo.* — 3° *Religiosi* omnes utriusque sexus in *Ordine* ab Ecclesia approbato, seu in quo vota solemnia emittuntur, professi, et ad chorum destinati. Liquet ex consuetudine, necnon ex Decreto Gregorii X., etc.[4]

[1] L. VI. 809.
[2] a. 148. 151.
[3] Ib. p. 286. IV.
[4] Tr. VIII. n. 2.

[1] Sess. 25 (ad calcem).
[2] Cfr. Prop. 35 ab Alex. VII. damnatam p. XIV.
[3] C. 9. Tit. XLI. L. III. Decr.
[4] L. V. 140. sq. Cfr. Gautrelet. Traité de l'état relig. Tom. II. Chap. III. Art. 2. II.

II. Hi omnes peccant graviter, si totum Officium vel ejus partem notabilem absque legitima causa omittant. Ratio patet; legem enim Ecclesiæ in re gravi violant. — S. Alph.,[1] et alii *communissime.*

III. Obligatio recitandi Horas est affixa diei, ita ut nullatenus alia die ipsi satisfieri possit; idcirco obligatio, ex mente Ecclesiæ, cum die sibi assignata cessat, atque adeo onus diei nuncupari solet.

1091. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quænam sit materia gravis in omissione Officii?*

Resp. Communissime conveniunt Theologi, omissionem unius parvæ Horæ vel Completorii, vel partis Nocturnorum, saltem unius parvæ Horæ quantitati æquivalentis, esse materiam peccati mortalis; omissionem vero minoris partis peccatum veniale non excedere.[2]

1092. — Quær. 2° *An sit grave omittere Vesperas in Sabbato Sancto?*

Resp. Neg., saltem *probabilius*, quia materia est levissima tum *in se*, tum *respectu totius Officii.*[3]

1093. — Quær. 3° *An unum vel multiplex peccatum grave committat, qui omittit integrum Officium?*

Resp. Unum solum peccatum grave committere videtur. — Ita *communiter* Theologi cum S. Alph. post S. Antoninum, 3ª part. tit. 13. c. 4.; quia totum Officium diei cadit sub uno præcepto. Possent tamen committi plura peccata ex voluntate mala pluries interrupta et resumpta, v. g. si quis intendat omittere Officium vel aliquam horam, postea proponat dicere et iterum a bono proposito avertatur.[4]

1094. — Quær. 4° *An si quis dubitet utrum omiserit aliquid in Officio, teneatur id recitare?*

Resp. Neg., si vel adsit probabilitas *solitaria*, vel præsumptio pro soluto Officio vel agatur de scrupuloso; secus *affirm.* Cfr. dicta n. 67. b).

Hinc (aiunt) bene excusaris a repetendo Officio, si non memineris te dixisse aliquid, et habeas justam conjecturam credendi quod dixeris: puta, si recorderis te incepisse Psalmum, vel Lectionem aliquam, aut Horam, et postea distractus ad finem Psalmi, Lectionis, Horæ devenceris, quin recorderis, an totum recitaveris; præsumptio enim tibi favet, quia soles integre recitare ea, quorum recitationem incepisti. Item si deveneris ad aliquam Horam, v. g. Sextam, et dubites utrum præcedentem recitaveris, eamdem tenere potes decisionem, quia non soles recitare Horam posteriorem, nisi priorem præmiseris, et ideo prudenter credere potes te nihil omisisse.[1]

1095. — Quær. 5° *An Religiosi, qui justa de causa choro non interveniunt, teneantur sub gravi Officium privatim recitare?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia principalis obligatio pro Religioso non cadit in chorum, sed in recitationem Officii ratione Religionis, quæ onus illud ex suo instituto suscepit. Hæc obligatio constat ex universali sensu et consuetudine Religiosorum, qui, cum choro interesse non possunt, se credunt sub gravi obligatos ad Officium privatim recitandum. Consuetudo autem universalis, quæ cum magno incommodo a Religiosis et Monialibus constanter observata fuit, argumentum sufficiens præbet de gravi obligatione suscepta. Unde non est probabilis opinio aliquorum, qui dicunt obligationem Officii non urgere Religiosum extra chorum.[2] Consulendæ tamen tum Constitutiones, tum consuetudines legitimæ cujusque Ordinis. Præterea in Ordinibus, in quibus recitatur tantum Officium B. M. V., hæc privata rectitatio non obligat sub gravi, ut pluries decisum fuisse testatur Varceno.[3]

1096. — Quær. 6° *An peccet graviter Religiosus, qui Officium recitat privatim, dum facile choro interesse possit?*

Resp. Neg. Obligatio enim chori, licet sit gravis pro Communitate, levis tamen habetur pro singulis privatis, modo prorsus chorus non tollatur. Ad chorum autem sufficiunt quatuor expediti, seu validi ad chorum sustinendum. Si vero Religiosi sint pauciores, nullatenus obligantur ad Officium in choro recitandum; a recitatione tamen privata non eximuntur, ut modo dictum est.[4]

Quær. 7° *An obligati ad Officium te-*

[1] L. V. 146.
[2] Ib. 147.
[3] Ib.
[4] L. V. 148.

[1] L. V. 150.
[2] Ib. 142.
[3] p. 173.
[4] L. V. 143.

neantur supplere ea, quæ omittunt in choro ob functiones chori: v. g. pulsando campanas, vel organa, aut Psalmos perquiendo, et alia similia?

Resp. Neg. Ratio est, quia omissio in choro, modo nimia non sit, per socios suppletur. Sic satisfacit, qui aliis recitantibus tussit, etc., et probabiliter etiam, si integer Psalmus interea dicatur. Ast non satisfacit, qui, dum Officium cantatur, choro alternatim respondet organum pulsando, quin versiculos suæ partis proferat. *A fortiori* repetere non tenetur, qui nonnulla partis adversæ non audivit, etiamsi de parte notabili agatur, dummodo sufficienter attenderit.[1]

1097. — Quær. 8° *Quonam Breviario utendum sit?*

Resp. Ex jure communi solo Breviario a S. Pio V. reformato utendum est; constat ex Bulla ejusdem S. Pii V. *Quod a Nobis*, data die 7 julii 1568. In hac Bulla Pontifex tollit et abolet omnia alia Breviaria, quæ ex institutione vel consuetudine legitima non superant ducentos annos. Permittit tamen, ut etiam ducentis annis antiquiora possint in Breviarium Romanum immutari, si Episcopus et universum Capitulum consentiant. Præcipit vero, observari hoc Breviarium toto orbe cum sola exceptione modo relata. Imo in alia Constitutione, quæ incipit: *Ex proximo*, declarat, omnes ad Horas obligatos non satisfacturos muneri suo, si alio Breviario utantur.

1098. — Quær. 9° *Deturne adhuc obligatio recitandi Psalmos graduales, Officium parvum B. M. V., et Officium defunctorum?*

Resp. 1° *Neg.* quoad Clericos, qui Officium privatim recitant.

Resp. 2° *Neg.* etiam pro recitantibus Officium in choro, nisi ubi adest consuetudo Officia prædicta recitandi a tempore S. Pii V. — Sic. S. Congr. Rit. pluries declaravit. Hæc tamen obligatio, ubi ex consuetudine existit, non afficit privatos singulos extra chorum.[2]

Quær. 10° *An obligati ad Officium, sub gravi recitare debeant Officium defunctorum in die Commemorationis omnium defunctorum, necnon Litanias die festo S. Marci, et triduo Rogationum?*

[1] L. V. 143. Not. 3. et 163. q. 2.
[2] L. V. 143.

Resp. ad 1^um^ *Affirm.*, juxta omnes. Hoc autem Officium constat tantum Vesperis, Matutino et Laudibus.[1]

Resp. ad 2^um^ *Affirm.*, juxta communem sententiam. Ratio est, quia in Rubrica post fer. 2. Dom. V. post Pascha sic dicitur: "Qui non intersunt processioni Litaniarum, dicant illas privatim post Matutinum cum suis precibus et orationibus." — Verbum autem: *dicant*, grave præceptum importat, quando materia est gravis, qualis sane est materia Litaniarum. Insuper ubique viget consuetudo Litanias his diebus recitandi. Consuetudo autem est optima legum interpres. Gravem tamen obligationem negant aliqui, dicentes non constare de præcepto, præsertim gravi. — S. Alph.[2] dicit: "Secundam sententiam improbabilem dicere non audeo, sed prima mihi magis arridet."

Punctum II. De tempore et loco et corporis situ debitis ad Horas recitandas.

I. *Quoad tempus.*

1099. — 1° Tempus ad integram Officii recitationem adimplendam præfinitum incipit a media nocte, et ad mediam noctem sequentem terminatur, ita ut semper a peccato gravi sit eximendus quisquis intra hoc tempus integrum recitat Officium, quacumque hora tali muneri satisfaciat. Ratio est, quia totum Officium in die naturali recitando quoad substantiam satisfacit. Imo Matutinum et Laudes ex privilegio ab Ecclesia concesso pridie sub vespere recitari possunt.

2° Matutinum et Laudes a sacerdotibus ante Missæ celebrationem recitari debent. Constat ex Rubrica Missalis, *tit.* 1. *de Præparat. sac.*, ubi legitur: "Sacerdos celebraturus Missam, saltem Matutino cum Laudibus absoluto," etc. Item ex Constitutione Innocentii IV., ann. 1254. Vid. infr. Q. 2. et 3.

3° Omnes Horæ parvæ tempore matutino recitari possunt; et duæ quidem priores ante meridiem recitandæ sunt; duæ vero posteriores toto tempore tum matutino, tum vespertino dici possunt. Vesperæ et Completorium a meridie usque ad mediam noctem recitantur. In Quadragesima tamen a prima Dominica Vesperæ ante

[1] L. V. 161. [2] Ib.

prandium recitari possunt ob antiquam disciplinam, juxta quam jejunium ante Vesperarum recitationem non frangebatur. Die tamen Dominica Vesperæ anticipari non possunt, quia jejunium ea die non servatur.

Olim sic Horæ recitabantur: Matutinum post mediam noctem, Laudes ad auroram, Prima post solis ortum, Tertia ad horam nonam matutinam, Sexta ad meridiem, Nona ad horam tertiam pomeridianam, Vesperæ ad solis occasum, Completorium ad noctis crepusculum. Hinc Clericus ordinatus subdiaconus tenetur tantum ad recitandas Horas tempori ordinationis correspondentes. Igitur si ordinatio fiat ante horam nonam matutinam, tenebitur ad Tertiam recitandam, non vero ad Horas antecedentes. *Probabilius* vero non satisfacit, si partem Officii, ad quam tenetur, recitat ante ordinationem; opposita tamen sententia S° Alphonso etiam probabilis est. Utriusque sententiæ argumenta vide apud eumdem.[1]

2000. QUÆSITA. — **Quær. 1°** *An horæ parvæ etiam ante auroram absque ulla causa recitari possint?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia ex quo sublata est antiqua consuetudo Horas illas tempore determinato recitandi, nulla alia lex vel nova consuetudo obligationem imposuit eas solum tempore auroram subsequente persolvendi. Imo graves Theologi expresse asserunt, has Horas toto tempore matutino, seu a media nocte ad meridiem, recitari posse. Sic expresse S. Alph.[2]

Quær. 2° *An obligatio recitandi Matutinum et Laudes ante Missam urgeat sub gravi?*

Resp. Neg. saltem *probabilius.* Ratio est, quia nulla est connexio inter Officium et Missam, et proinde recitatio Matutini non videtur dispositio ad celebrandum, cum sacerdos etiam aliter orando possit sese pie ad Sacrum disponere; nec appareret gravis obligatio ex Rubrica supra relata, neque sub gravi, sed sub levi, generatim apprehenditur. — Ita *communiter* cum S. Alph.,[3] et Bened. XIV.,[4] contra Antoine et alios *paucos*, qui, seclusa causa excusante, grave esse contendunt.

Quær. 3° *Quænam causa ab illa obligatione excusare possit?*

Resp. Excusabit quælibet mediocris causa rationabilis, v. g. si quis postulans a sacerdote, ut Missam pro se celebret, exoptet ut statim celebretur; item si expectet populus, aut aliqua persona gravis; si Superior præcipiat; si tempus celebrandi advenerit, nec possit differri celebratio sine aliquo incommodo; si major studii commoditas, vel major utilitas ex studiis percipienda hoc expostulet; si quod negotium inexspectatum advenerit; si pœnitens aliquis ante fuerit audiendus; et similia.[1]

2001. — **Quær. 4°** *Quanam hora liceat incipere recitationem Matutini vespere diei præcedentis, juxta privilegium supra relatum?*

Resp. Ex communi sententia Theologorum licet incipere hora Vesperarum, quæ habetur quando sol medium cursum inter meridiem et occasum tenet; tunc enim juxta omnes incipit dies ecclesiasticus, cum priores Vesperæ decantari solent. Hoc universali consuetudine confirmatur. Hinc in variis locis confici solent tabellæ, horam hanc diversis anni temporibus determinantes.[2] — Communicare tamen "ecclesiasticis viris sive sæcularibus, sive regularibus Episcopi nostri possunt facultatem, quam habent," recitandi *privatim*, legitima concurrente causa, Matutinum cum Laudibus diei sequentis, statim elapsis duabus horis post meridiem. V. p. LXXII. Fac. 1 inter Extr. c.

Quær. 5° *An debeat iterari recitatio Matutini, si ante tempus prædictum habita fuerit?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia Breviarium est onus diei; ergo ipsa die assignata recitari debet: porro si fiat prædicta anticipatio, jam extra diem recitatur officium, haud secus ac si recitarentur Horæ parvæ diei sequentis ante mediam noctem. — Ita *communiter* cum S. Alph.[3] contra alios.

1102. — **Quær. 6°** *An Matutinum Officii defunctorum et Litaniæ pro festo S. Marci ac diebus Rogationum, pridie vespere recitari possint?*

[1] L. V. 140.
[2] H. A. App. 3. (Exam. Ord.) n. 74.
[3] L. VI. 347.
[4] De Sacrif. Missæ L. III. c. 13.

[1] L. VI. 347. [2] L. V. 174.
[3] L. V. 174. et Retr. 51.

Resp. ad 1^um^ *Affirm. probabilius.* Constat ex universali consuetudine, necnon ex Rubricis, quæ sic habent: "Dicto *Benedicamus Domino*, absolute incipit Matutinum defunctorum." Ergo cum Matutinum Octavæ festi Omnium Sanctorum soleat aut certe possit anticipari, consequenter etiam anticipari potest Matutinum defunctorum.

Negant *aliqui* cum Lacroix, innixi Decreto S. Congr. Rit. 1 sept. 1607. Sed Decretum illud, juxta S. Alph.,[1] videtur respicere tantum recitationem in choro, qua quidem de re dubitari nequit post Resp. S. R. C. 4 sept. 1745 in Ratisb. (apud Gardellini n. 4177).

Resp. ad 2^um^ *Neg.* Ratio est, quia Litaniæ affixæ sunt diei, nec per se videntur conjungi cum Matutino et Laudibus. Insuper supplent assistentiam ad processionem, quæ omnino diei est affixa. Præterea si festum S. Marci transferatur, non debent transferri Litaniæ; ergo Matutino non inhærent, nec ullam connexionem cum illo habent.[2]

1103. — **Quær.** 7° *An prævidens impedimentum recitandi Officium ipsa die obligationis, teneatur recitare Matutinum et Laudes vespere vigiliæ?*

Resp. Neg. Ratio est, quia licet Matutinum et Laudes recitari *possint* pridie, *non* tamen *debent*. Ergo obligatio stricta non urget ante mediam noctem sequentem. Ergo stante impedimento a media nocte ad mediam noctem, tollitur obligatio. Valde tamen expedit, ut recitatio anticipetur.

1104. — **Quær.** 8° *Quanam hora incipi possit recitatio Vesperarum mane tempore Quadragesimæ?*

Resp. Dicunt Salmanticenses,[3] Vesperas in Quadragesima recitari ab hora undecima posse, seu una hora ante meridiem.

Quoad horam vero recitandi qualemcumque demum officii partem, non prætereundum illud est, quod habet S. Alphonsus:[4] "Ut quis licite possit anticipare vel postponere debitum tempus horarum, sufficit quævis causa utilis vel honesta, ... major devotio, sive quies, tempus aptius ad studendum et simile."

Cæterum nulla adest obligatio Vesperas recitandi ante meridiem, sed est merum privilegium, quo nemo uti tenetur. Completorium autem prædicto privilegio non gaudet; unde etiam per Quadragesimam post meridiem recitandum est.

[1] L. V. 174. [2] Ib. quær. 3.
[3] Tr. XVI. c. III. n. 15. [4] L. V. 173.

II. *Quoad locum et situm.*

1105. — 1° *Quoad locum.* Officium chori in ipso loco ad hoc destinato, seu in choro vel in Ecclesia recitari debet. Officium vero, si recitetur privatim, dici potest in omni loco, sive in oratorio, sive domi, sive rure, aut etiam in via deambulando, aut iter agendo, dummodo locus attentioni requisitæ et devotioni congruus sit.[1]

2° *Quoad situm.* Privatim recitari potest Officium omni situ decenti sive genibus flexis, sive stando, sive sedendo, sive deambulando. Ita praxis universalis, cui concinunt omnes Theologi.

1106. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An liceat recitare Officium decumbendo in lecto?*

Resp. Neg., seclusa rationabili causa; talis enim situs aliquam sapit irreverentiam. Idem etiam dicendum est de quolibet alio situ mollitiem redolente. Attamen hæc irreverentia nunquam peccatum veniale excedit. — Sic Conc. et Viva apud S. Alph.[2] Quæcumque autem causa mediocris ab omni culpa excusabit, v. g. morbus aut infirmitas quælibet, dolor capitis, defatigatio, vel si quis nocte dormire nequeat, Officium recitare posset, quin surgere teneretur.

Quaer. 2° *An liceat Officium recitare in curru vel equo?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia id nulla lege prohibetur; nec aliunde obstat attentioni, nec reverentiæ orationi debitæ, etiamsi alii essent itinerantes et simul confabulantes. Id enim obtinuit generalis, etiam piorum, consuetudo. — Ita *communiter*.

1107. — **Quaer.** 3° *An sit culpa non servare rubricam, ex qua preces quædam genibus flexis sunt recitandæ?*

Resp. 1° *Neg.*, si agatur de recitatione *extra chorum;* quippe ex consuetudine et communi interpretatione hæc rubrica solum chorum respicit. Hæc quidem laudabiliter fiunt in privata recitatione, sed citra culpam omittuntur. — S. Alph.[3] et

[1] L. V. 179. [2] Ib.
[3] Ib.

alii communiter. Idem dic de Signo Crucis, et de aliis signis in choro usitatis.

Resp. 2° Si agatur de recitatione *in choro, controvertitur. Probabilius* affirmandum videtur, quia rubrica, aliquid præscribens, præceptum imponit. Attamen talis omissio nunquam culpam venialem excedere potest.[1]

Quær. 4° *An sit peccatum, Breviarium recitare in loco indecenti?*

Resp. Probabilius negandum *per se* videtur, nisi locus attentioni debitæ obesset, v. g. ob populi frequentiam, strepitum, etc.; secus enim indecens foret orare in loco indecenti, quod falsum est, siquidem, cum Deus sit ubique, etiam ubique orari et adorari potest, ut patet ex Apost.[2] *Volo viros in omni loco orare.* — S. Alph.[3] et alii contra nonnullos, qui dixerunt adesse peccatum veniale, quod hoc aliqua irreverentia non careat.

Punctum III. De modo Horas recitandi.

Horæ sunt recitandæ 1° ordine præscripto; 2° cum debita pronuntiatione; 3° cum attentione et devotione sufficiente.

I. *Quoad ordinem.*

1108. — Duplex est ordo servandus in Breviarii recitatione, scilicet ordo Officiorum et ordo Horarum. 1° Ordo Officiorum describitur in calendario festorum et in rubricis pro illorum translatione, ubi plura simul concurrant. Ex Declarationibus S. R. C. a) Standum Calendario Diœcesano, licet alicui certum videretur illud errare. b) Simplices sacerdotes, seu nec beneficiarii, nec, secundum S. Alph.,[4] religiosi, conformari *possunt* officio loci, in quo morantur.[5] 2° Ordo Horarum ille est, qui in Breviario exponitur, nempe ut recitetur primo loco *Matutinum* cum *Laudibus*, deinde subjungantur Horæ parvæ, i. e. *Prima, Tertia, Sexta, Nona*, et tandem sequantur *Vesperæ* cum *Completorio*.

1109. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An præcepto recitandi Horas satisfaciat, qui ex errore vel inadvertentia aliud Officium pro Officio diei recitat?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia Ecclesia non præsumitur velle aliquem uno die bis ad hoc onus obligare, et quia substantia recitationis satis servata est. Hinc axioma vulgare, quod veluti regula in hisce adjunctis habetur: *Officium pro Officio valet.* Nulla igitur est obligatio, completa recitatione, aliud Officium recitandi. — Ita *communiter*.[1] — Idem dicendum etiam de quavis parte Officii juxta axioma: *Error corrigitur, ubi deprehenditur.*

Consilium tamen est, inquit Laymann cum *aliis*, non vero obligatio, subjungere propria Officii omissi. Sed quando Officium esset notabiliter brevius, v. g. Officium Sancti alicujus pro Officio Dominicæ, fieri debet compensatio recitando novem Psalmos ex 1° Nocturno.[2]

1110. — **Quær.** 2° *Si quis ex errore recitaverit aliquam partem tantum Officii indebiti, et ad errorem advertat, an possit prosequi inceptum Officium, an vero teneatur recitare reliqua de Officio diei?*

Resp. Juxta communem sententiam Theologorum datur libertas. Potest igitur vel prosequi, vel reliqua recitare de Officio debito, finito tamen Psalmo, vel oratione. Attamen melius est Officium mutare juxta multos, qui statuunt hanc regulam: "Error corrigitur, ubi deprehenditur." Sed hoc est ex mero consilio, non vero ex præcepto.[3]

1111. — **Quær.** 3° *An, cum jam dixeris unum Officium pro altero, possis Officium omissum recitare die, qua occurret Officium jam a te recitatum?*

Resp. Neg. Sed Officium recitatum iterum est recitandum. Ratio est, quia Ecclesia tunc solum præscribit Officium transferri, quando impeditur propter Dominicam vel Officium majus; insuper adest obligatio se conformandi cum ritu communi Ecclesiæ. — Sic Lugo.[4] Hoc dicit *probabilius* S. Alph.[5], et ut *moraliter certum* habendum est, ex Decreto S. R. C, die 17 junii 1673, apud Gardellini.[6]

1112. — **Quær.** 4° *An vel quomodo peccet, qui* SCIENTER *aliud Officium pro Officio diei recitat?*

Resp. 1° Nullum peccatum facit, si rationabili de causa id faciat, v. g. si Officium proprium habere facile nequeat, vel si caritatis causa recitet cum socio

[1] L. V. 179. [2] 1 Tim. 2. 8.
[3] L. V. 179. [4] L. V. 161. q. 3.
[5] Gardellini, n. 4669. 4746.

[1] L. V. 161. q. 3. [2] Ib.
[3] Ib. q. 5. [4] Resp. mor. L. V. Dub. 8.
[5] L. V. 161. q. 5. [6] n. 2634.

Officium diversum dicente, modo Officium illud sit a S. Sede approbatum, et sit æquale vel fere æquale; imo sola ratio societatis sat rationabilis apparet, ait S. Alph.[1]

Resp. 2° Seclusa ratione, erit quidem peccatum, sed veniale tantum, si Officium in æquale aut fere æquale mutetur, quia satisfit obligationi quoad substantiam, modo tamen (quod S. Alph° æquius videtur, licet satis probabilem habeat sententiam, quæ istam restrictionem non admittit) raro fiat. — S. Alph.[2] contra *alios*, qui dicunt semper esse mortale.

Resp. 3° Si Officium notabiliter brevius recitetur, grave peccatum est, quia tunc non satisfit substantiæ obligationis. Patet tum ex natura rei, tum ex prop. 34ª ab Alexandro VII. damnata. V. p. XIV.

1113. — **Quær.** 5° *Quale sit peccatum ordinem invertere in recitatione Horarum?*

Resp. 1° In recitatione *privata* nunquam excedit veniale, quia talis ordinis inversio gravem deformitatem non continet; ordo enim servandus non est, nisi sub præcepto secundario et tanquam circumstantia minoris momenti. Si autem ex aliqua justa causa ordinem mutes, v. g. ad recitandum cum socio, qui jam ulterius in recitatione processit, omni prorsus culpa carebis. Dicunt quidam, inversionem ordinis esse peccatum mortale, si frequenter fiat; sed *probabilius* negandum est cum S. Alph.[3]

Resp. 2° In recitatione *publica*, controvertitur, utrum sit peccatum grave, necne, invertere ordinem aut mutare tempus Horarum. Utraque sententia probabilis est; sed probabilior negans, quia de gravi præcepto non constat. — Ita S. Alph., apud quem utriusque sententiæ rationes videre est.[4]

1114. — **Quær.** 6° *Quænam sit causa Horarum ordinem invertendi?*

Resp. Quælibet causa rationabilis excusat. Possunt autem assignari sequentes, scilicet 1° si inviteris ab amico ad aliquam Horam cum ipso recitandam, et tu Horam præcedentem aut præcedentes nondum recitaveris; 2° si mane non habeas Breviarium ad manum, nec commode possis exspectare, tunc posses ex Diurnali, quod habes, recitare Horas diurnas, postea Matutinum recitaturus; 3° si non habeas Lectiones ad manum, potes recitare Psalmos Matutini et Laudum, imo et reliqua, dilatis Lectionibus; 4° si venias ad chorum Hora jam incepta, potes pergere cum aliis, et postea, quæ omissa sunt, supplere. Item si venias ad chorum una Hora jam absoluta, potes cantare cum choro posteriorem, et postea supplere priorem. — Ita S. Alph.[1] et alii *communiter*.

1115. — **Quær.** 7° *An sit peccatum dicere Matutinum diei sequentis ante absolutum Officium diei præsentis?*

Resp. Est quidem peccatum, ait Lacroix,[2] sed veniale tantum, si absque causa fiat. Sed neque constat esse veniale, cum Officium unius diei nullum ordinem habere videatur cum Officio alterius diei. Juxta sententiam autem, quæ tenet esse peccatum veniale, sufficiens causa est incipiendi Matutinum diei sequentis, antequam Officium diei præsentis absolveris, si ab alio rogeris, ut Matutinum diei sequentis cum ipso recites; et generatim omnis causa, sufficiens ad inversionem ordinis inter Horas ejusdem diei, sufficeret etiam in præsenti casu.

Quær. 8° *An peccet, qui non recitat commemorationes juxta ordinem per rubricam assignatum?*

Resp. Negant plures, quia rubrica illa, si de recitatione privata agitur, mere directiva videtur, sicut eæ, quæ situm corporis, vel signa Crucis respiciunt.

II. *Quoad pronuntiationem.*

1116. — Pronuntiatio debet esse vocalis, integra, continuata.

1° *Vocalis.* Officium recitari debet voce, et quidem distincta; non autem sufficit ut sola mente legatur, aut tantum oculis percurratur; nec satis est, si recitetur gutture vel intra dentes, aut syncopando, linguave titubante abbreviando. Ratio est, quia oratio proprie *vocalis* præcipitur; porro non censetur proprie *vocalis*, nisi voce distincta fiat. — Ita *omnes*.

2° *Integra.* Officium integre recitari debet: ad integritatem autem pertinent *Pater*, *Ave*, *Credo*, in principio et fine Horarum, prout in rubricis adnotatur. Non tamen pertinent ad integritatem Officii orationes, *Aperi*, *Domine*, et *Sacrosanctæ*; sed solum ex consilio recitantur.

[1] L. V. 161. q. 3. [2] Ib.
[3] L. V. 170. [4] L. V. 171.

[1] L. V. 170. [2] n. 1315.

Indulgentiam orationis *Sacrosanctæ* non consequuntur ii, qui eam extra casum infirmitatis, non flexis genibus recitant. S. C. Ind. 26 julii, 1855.[1]

3° *Continuata.* Quæcumque notabilis interruptio intra unam Horam, si absque ulla causa fiat, culpa non caret; sed peccatum veniale non excedit.[2]

1117. QUÆSITA. — Quær. 1° *An recitans Officium debeat se audire, ut satisfaciat?*

Resp. Neg. probabilius. Ratio est, quia non præcipitur auditio, sed tantum recitatio, id est, verborum pronuntiatio, quæ dicitur vocalis: sufficit igitur, si ille, qui recitat, conscius sibi sit, se verba pronuntiare; et hoc dicit sat probabile S. Alph.[3] contra *alios*.

1118. — Quær. 2° *Quænam sint causæ justæ Officium interrumpendi?*

Resp. Quælibet causa rationabilis sufficit ad Horam quamcumque interrumpendam; præsertim autem adnumerantur causæ sequentes: 1° quælibet utilitas propria vel aliena, quæ sine aliquo incommodo differri non possit; 2° ratio urbanitatis vel caritatis, aut ratio exequendi mandata Superiorum; 3° si excipienda sit Confessio alicujus, qui non libenter exspectet; 4° si velis aliquid agere aut adnotare, ut tollas distractionem sive sollicitudinem, v. g. ne obliviscaris, etc., modo tamen non frequenter fiat; quia frequens interruptio ob hanc causam aliqua irreverentia non caret; 5° licite etiam potest recitationi interjici aliqua brevis oratio, vel aliquis pius cordis affectus. Non tamen liceret meditandi gratia in istis diutius et frequenter immorari, quia ratio recitationis seu orationis vocalis non satis servaretur: item si vocalis oratio longior et minime pertinens ad Officium diceretur: pars enim notabilis adderetur Horis, quod esset veniale, utpote contra formam præscriptam. — S. Alph.[4] et alii *communiter*.

1119. — Quær. 3° *An Matutinum separari possit a Laudibus?*

Resp. Affirm., juxta communem sententiam.[5] Tunc autem, finito Matutino, dicendum est *Pater noster*, ut fieri debet post quamcumque Horam.

[1] Prinziv. n. 652. [2] L. V. 166.
[3] L. V. 163. [4] Ib. 168.
[5] Ib. 167.

1120. — Quær. 4° *An Nocturni separari possint sine causa?*

Resp. Affirm. Constat ex universali consuetudine, cui nulla lex opponi potest. Imo olim ex praxi Ecclesiæ separabantur, cum in variis noctis horis recitari solerent. Quare igitur nunc separari non possent? — Ita Salmant. et alii *communius* contra *alios*. Imo dicunt non pauci, etiam sine causa speciali intervallum trium horarum interponi inter singulos Nocturnos posse. Si autem adsit *justa causa*, cujus gratia Nocturni separari debeant, intervallum illud pro ratione illius causæ protrahi etiam potest. — Ita Busemb., Bonac., Salm., Viva, quorum sententiam merito *probabilem* appellat S. Alph.[1]

1121. — Quær. 5° *An vel quomodo ille peccet, qui, recitato uno vel altero Nocturno in vigilia, reliquam Matutini partem tota nocte interjecta recitat?*

Resp. 1° A peccato mortali semper eximendus est, quia substantiæ præcepti satisfacit. Ex generali enim regula tradita a S. Alph.,[2] et ab aliis *communiter*, præcepti substantiæ satisfit, quoties Officium integre recitatur in die naturali, vel ecclesiastico, ita ut nunquam peccatum veniale tunc excedatur, quantacumque interruptio, etiam sine causa, intercedat. Ergo casus præsens excludi non debet.

Resp. 2° A peccato veniali excusandus etiam ille erit, qui rationabili de causa id peragit, v. g. si Officium sit valde productum, ut Officium Dominicæ, et, recitato primo Nocturno, sit valde defatigatus, vel somno obrutus, etc. Ratio ex dictis sequitur; siquidem justa de causa interruptio quælibet licita est.

1122. — Quær. 6° *An vel quatenus repetenda sit aliqua Hora propter notabilem interruptionem interpositam?*

Resp. 1° Hora integra nunquam est repetenda, etiamsi interruptio absque justa causa interposita fuerit. Ratio patet ex modo dictis. Insuper singuli Psalmi, singulæque Lectiones vel Orationes suam completam significationem habent, et satis uniuntur per intentionem continuandi.

Resp. 2° Imo *per se* loquendo, nihil est necessario repetendum, etiamsi interruptio in medio Psalmo fiat, modo non sit in medio versiculo, vel in media oratione, quia etiam singuli versiculi suam

[1] L. V. 167. [2] Ib. 172.

particularem significationem habent. — S. Alph.,[1] et alii *communiter*, contra *aliquos*.

Quær. 7° *An in recitatione Officii liceat aliquid ex devotione miscere vel apponere ?*

Resp. Neg., quia in Officiis nihil est addendum vel immutandum, nisi a Sede Apostolica fuerit concessum.[2]

1123. — Quær. 8° *Ad quid teneatur, ratione pronuntiationis, recitans Horas cum socio, vel cum choro ?*

Resp. Ad satisfaciendum obligationi requiritur, 1° ut recitatio alternis versibus fiat. Si autem plures quam duo recitent, debet, facto duplici choro, alternatim recitari, quia hic modus Ecclesiæ consuetudine admittitur ; 2° dicantur versus successive, et non simul ; nec unus resumat, antequam alter suum expleverit ; 3° ad ea, quæ ab uno dicuntur, alii sufficienter *attendant*, ut communicent, et fiat una oratio moralis. Non tamen necesse est, ut audientes submissa voce partem aliorum pronuntient, et satis probabile est eos satisfacere licet partem aliorum, ob horum in pronuntiando defectum, non audiant. — Ita *communissime*.[3] 4° *Confiteor* et *Misereatur* ad Primam et Completorium alternatim recitari possunt, sed non debent,[4] extra chorum. 5° Extra chorum antiphona B. M. V. de præcepto addenda non est, nisi in fine Laudum et Completorii.[5]

Quær. 9° *An satisfacias, si recites Horas cum laico, aut alio non obligato, aut cum distracto, vel non attento ?*

Resp. Affirm. ad omnia. Ratio est, quia hæc non impediunt, quominus tu recites Horas juxta morem Ecclesiæ. Defectus obligationis, vel attentionis ex parte alterius, tuam recitationem non immutat, nec vitiat. Ergo si socius sit obligatus, et non attendat, ipse non satisfacit, non communicando tecum ; sed non impedit, quominus tu cum eo communices, si ipse recte pronuntiet, et tu recte audias.[6]

1124. — Quær. 10° *An tenearis repetere, quæ recitasti cum imperfecta seu mutilata pronuntiatione ?*

Resp. 1° *Affirm.*, si mutilàtio sit valde notabilis, ita ut sensus verborum sit corruptus et destructus ; idque valet, etiamsi involuntarie feceris, quia vitium substantiam recitationis afficit ; excipe, nisi obstet impossibilitas, v. g. balbuties ; fecit enim tunc recitans quod potuit.

Resp. 2° *Neg.*, si ita syllabas mutiles, ut sensus verborum non corrumpatur, vel si mutiles in parva quantitate ; culpa enim tunc non afficit substantiam obligationis, et proinde veniale non excedit. Imo nullo modo peccas, si hoc facias involuntarie ob inadvertentiam, vel balbutiem, aut inveteratam consuetudinem, quæ difficulter vinci possit, modo ad hanc consuetudinem emendandam opportunum studium adhibeatur. Nec teneris repetere, si recites cum socio, nisi tibi certo constet, socium mutilando notabilem partem omisisse. Vix vero excusatur a veniali, qui ultro se tali sociat, nisi forte rationabilis causa adsit, v. g. quia persona gravis eum ad hoc invitavit, etc.[1]

Quær. 11° *An oratio dicenda sit post Matutinum, quando Laudes separantur ?*

Resp. Neg. probabiliter, sed sufficit post Matutinum recitare *Pater noster*. Ratio est, quia *probabiliter* Matutinum et Laudes unam Horam moraliter efficiunt, et aliunde oratio in sola nocte Nativitatis Domini præcipitur.[2]

Quær. 12° *An ante Laudes a Matutino separatas dicendum sit* PATER *et* AVE, *ut ante alias Horas ?*

Resp. Alii affirmant absolute, quia tunc Laudes sunt Hora distincta a Matutino. Alii negant *probabilius*, quia id nullibi præscribitur. Nec valet ratio, quod Laudes tunc sint instar Horæ distinctæ ; nam *Pater* et *Ave* non dicuntur initio Completorii, quamvis hoc sit Hora distincta. — Ita Voit.[3] — Lacroix.[4]

III. *Quoad attentionem et devotionem.*

1125. — Officium recitandum est *attente* et *devote*, cum sit oratio, et quidem pulica, seu a Ministro publico ab Ecclesia deputato recitanda. Hinc voluntarie distractus in horis recitandis peccat saltem venialiter. An autem aliquando peccet graviter, mox in Quæsitis dicetur.

Voluntariæ autem sunt non solum dis-

[1] L. V. 168.
[2] S. R. C. apud Gard. n. 3222. sub. 3.
[3] L. V. 162, 163.
[4] S. R. C. 12 nov. 1831.
[5] De Herdt. S. Lit. Prax. t. II. n. 389. ed. 1870.
[6] Lacroix, n. 1295.

[1] L. V. 165.
[2] Ib. 167.
[3] n. 1064.
[4] n. 1305.

tractiones, quæ intenduntur, sed etiam illæ quæ volitæ sunt in causa, scilicet quæ proveniunt ex negligentia, levitate, nimia præoccupatione negotiorum peragendorum, ex curiositate ad objecta externa circumspiciendo, ex circumstantiis loci vel temporis non opportuni, nisi hoc ratio quæpiam excuset.

1126. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quotuplex distinguatur attentio ?*

Resp. Duplex, interna scilicet et externa. Prior consistit in interiori mentis advertentia ad id, quod agitur ; posterior vero est, quæ excludit omnem externam actionem physice cum recitatione incompossibilem, ut fabulari, scribere, etc.

Rursus attentio interna triplex est, scilicet 1° *spiritualis*, quæ est ad Deum ipsum, ut orationis terminum ; 2° *litteralis*, seu ad sensum verborum, et rerum significationem ; 3° *materialis*, quæ fit ad verba tantum, ad ea nempe rite proferenda. — Vide n. 402.

Quær. 2° *An attentio interna sub gravi requiratur ?*

Resp. Duplex est sententia inter Theologos.

I^a^ SENTENTIA *communior affirmat.* Ratio est, 1° quia oratio sine attentione interna non est oratio. Oratio enim est elevatio mentis ad Deum ; atqui, seclusa interna attentione, nulla habetur ad Deum mentis elevatio. Ergo . . . Præterea ad Horas persolvendas requiritur saltem aliqua intentio colendi Deum ; atqui hæc intentio haberi nequit sine aliqua attentione interna. Ergo . . . 2° Quia credendum non est, Ecclesiam intendisse materialem tantum attentionem in divino Officio persolvendo præscribere. Imo Concilium Trid. internæ attentionis necessitatem videtur expresse declarasse dicendo, Officium esse recitandum reverenter, distincte et devote. 3° Si nulla requireretur attentio interna, non esset ratio, cur voluntaria distractio jure divino prohiberetur. — Ita Sanchez, Azor, Roncaglia, et alii multi.

II^a^ SENTENTIA *negat*, et dicit, ad satisfaciendum substantiæ recitationis, et ad peccatum mortale removendum, externam attentionem absolute sufficere. Ratio est, quia, si requireretur attentio interna, non satisfaceret suæ obligationi, qui involuntarie distractus Horas recitaret ; nam destructa, quamvis inculpabiliter, rei essentia, res ipsa destructa manet : hoc tamen neque adversarii admittunt. Sic autem concludit S. Alph.[1] "Prima sententia probabilior videtur, saltem ob auctoritatem extrinsecam, et omnino ut tutior consulenda est ; sed secunda tum ob Doctorum auctoritatem, quæ non est contemnenda, tum ob rationes, non levibus fundamentis innixas, satis probabilis apparet." — Recole dicta *de Missa*, n. 403.

1127. — Quær. 3° *Quænam attentio interna requiratur juxta priorem sententiam ?*

Resp. Quælibet certo sufficit, quia sive sit spiritualis, sive litteralis, sive materialis, mens ad Deum elevatur, et fit vera oratio, etiamsi attentio esset tantum ad verba. Hinc nec spiritualis requiritur atentio, neque litteralis, quæ impossibilis est pro multis, scilicet pro Monialibus, et pro nonnullis Religiosis linguam latinam ignorantibus. Ergo satis est, si habeatur attentio materialis ; sufficit enim attentio ad verba cum intentione generali colendi Deum. Imo neque requiritur attentio ad singula verba, sed sufficit attentio moralis et generalis, qua quis curet omnia dicere cum intentione orandi. — Ita S. Alph.[2]

Punctum IV. De causis excusantibus a recitatione Horarum.

Causæ a recitatione divini Officii excusantes sunt 1° impossibilitas ; 2° caritas ; 3° dispensatio.

1128. — I. *Impossibilitas*, sive physica, sive moralis, quæ consistit in gravi difficultate Officium recitandi. Hinc excusatur :

1° Qui non habet Breviarium, quia, v. g. illud, iter suscipiendo, oblitus est, aut in itinere perdidit, cum impotentia aliud comparandi. Si tamen gravi culpa sua oblitus fuerit aut perdiderit, aut projecerit, graviter peccavit, et omissio Horarum ipsi imputanda est.

2° Qui gravi morbo laborat, v. g. febri, dolore intestinorum vel capitis ; vel qui juste timet, ne ex recitatione grave subsequatur incommodum, etc. Unde satis excusatur, qui prudenter credit vel timet, ne ob Officii recitationem ei notabilis gravedo capitis, vel cruditas stomachi, aut

[1] L. V. 177. [2] Ib. 176.

virium lassitudo, aut aliud grave incommodum inde proveniat.[1]

3° Convalescens ex gravi morbo per aliquot dies excusari potest ad arbitrium prudentis, donec vires reficiantur. Et hoc admitti potest, etiamsi infirmus Missam jam celebret.[2]

4° Excusatur etiam, qui tempore persecutionis timet, ne ex recitatione Breviarii prodatur; item qui graviter oculis laborat, etc. — S. Alph.,[3] et alii *communiter*.

II. *Caritas erga proximum*, id est, gravis occupatio, quæ sine scandalo aut notabili detrimento proximi omitti nequeat. Talis occupatio excusat a recitatione Officii, quia præceptum naturale caritatis prævalet legi ecclesiasticæ. Hinc excusaris a recitatione Horarum sive totaliter sive partialiter :

1° Si sub nocte, Officium, v. g. Vesperas, recitaturus, advoceris statim ad moribundum, neque ad Officii obligationem persolvendam tempus vel commoditas tibi suppetat.

2° Si tota die occuperis in excipiendis Confessionibus, quæ ob peculiares circumstantias differri non possint, v. g. in sacris missionibus, ac praesertim sub earum finem, cum sis discessurus, etc.

3° Si concionem sine scandalo aut famæ detrimento omittere non posses, nec tamen eam præparandi suppeteret tempus, si recitandum esset Officium.

4° Si occuperis tota die in sedandis jurgiis, aut assistendis infirmis, v. g. tempore morbi contagiosi, etc. — S. Alph.[4] et alii.

1129. — III. *Dispensatio legitima*, seu a legitimo Superiore concessa.

1° Obligatio divinum Officium recitandi, cum sit de Jure ecclesiastico, a Superioribus ecclesiasticis tolli potest.

2° Papa hanc dispensationem concedere potest valide in omni casu, etiam sine causa; licite autem ex causa rationabili, v. g. ob nimiam occupationem, ad scrupulos sedandos, etc.

3° Episcopus etiam dispensare potest ab hac lege, sed non valide sine causa sufficienti, et tantum cum aliquo in particulari ad tempus, scilicet 1° quando dubitatur de impotentia morali, aut de gravitate detrimenti metuendi; 2° quando difficili est recursus ad Papam; 3° quando dispensatio petitur ob causam, quæ frequenter recurrit, v. g. ob infirmitatem; 4° quando petitur dispensatio ad breve tempus. — Ita S. Alph.[1] — Recole dicta, n. 154.

Vide etiam Fac. 26 Form. I. p. LXII., quæ sacerdotibus nostris in multis diœcesibus communicari solet. Ut *legitimum impedimentum* a quibusdam Episcopis declaratur Confessionum auditio per quinque horas sive continuas, sive interruptas.

1130. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quid agendum in dubio, an infirmitas sufficiat ad excusandum, necne?*

Resp. 1° Potest infirmus se committere judicio medici; 2° potest acquiescere judicio Superioris, qui in dubio etiam dispensare valet; 3° potest se remittere judicio probabili viri prudentis; 4° imo probabiliter potest etiam stare proprio judicio, si tale judicium ipsemet ferre possit; 5° si nullo ex his modis dubium solvi possit, lex, utpote certa, possedebit, excepto casu *vel* probabilitatis *solitariæ* pro sufficientia causæ (V. n. 66. 2°), *vel* timoris ne recitatio graviter noceat sanitati (V. n. 67. 1° c)).[2]

Quær. 2° *Ad quid teneatur infirmus, si certus sit se integrum Officium persolvere non posse, dubitet vero, an partem recitare valeat?*

Resp. Probabiliter ad nihil tenetur. Rationabiliter enim a toto Officio excusatur, ne scrupulis angatur, nesciens quousque possit ac teneatur recitare; quæ quidem anxietas magnum, ut ait S. Alphonsus, nocumentum ipsi afferret.[3]

1131. — Quær. 3° *An, utcumque impeditus a recitando integro Breviario, teneatur ad partem, quam recitare potest?*

Resp. Affirm prorsus. Ratio patens est. Obligatio enim Breviarii cadit in singulas ejus partes, cum res præcepta sit divisibilis. Constat etiam ex propositione 54ª damnata ab Innoc. XI., p. XVII. Igitur qui caret Breviario, et nihil aliud scit memoriter, quam Laudes vel Completorium, ista sub gravi recitare tenetur.

Quær. 4° *An tenearis ad Psalmos recitandos, si hos tantum præ manibus habeas, vel scias memoriter, relictis Lectionibus cum Responsoriis?*

[1] L. V. 154. Not. I. [2] Ib. Not. II.
[3] Ib. 156. 157. [4] L. V. 156.

[1] L. V. 159. [2] Ib. 154.
[3] Ib. 154. in fine.

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia cum possis partem notabilem Officii recitare, nulla est causa, cur ab ea excuseris.[1] Sequens autem regula traditur a S. Alph.[2] et aliis: Si potes recitare quantum est parva Hora, teneris sub gravi id recitare; si vero minus, ne sub veniali quidem aliquid recitare obligaris, quia talis modica pars, seorsim sumpta, non censetur æstimabilis ad finem a lege intentum.

Quær. 6° *An tenearis socium adhibere, si non valeas solus Horas recitare?*

Resp. Affirm., si facile aliquem invenias, quem commode adhibere possis. Ratio est, 1° quia tunc non datur proprie dicta impotentia; 2° quia præcepta Ecclesiæ requirunt diligentiam ordinariam, ad suî adimpletionem: porro nullum medium est magis ordinarium, quam socium in recitatione adhibere. — Ita *communiter*. — S. Alph.[3]

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS NEGATIVIS CLERICORUM, SEU DE IIS QUÆ CLERICIS PROHIBENTUR.

1132. — Obligationes Clericorum *negativas* sequentibus exponit Conc. Plen. Balt. II.

1° "Ludis scenicis, spectaculis, choreis ne intersint."[4]

2° "Ab omni vetitæ" (i. e. clamorosæ, seu quæ fit cum canibus et armorum strepitu, vel accipitribus, vel quæ scandalo esset), "venationis genere se abstineant."[5]

3° "Medicinam et chirurgiam, nec lucri gratia, nec caritatis specie exerceant" (i. e. habitualiter et ex professo; non in aliquo casu particulari et per accidens). "Qua in re districte servanda præcipimus ea, quæ a Benedicto XIV. statuta sunt."[6] Summarium vero eorum, quæ a Ben. XIV. statuuntur, seu potius docentur, hoc est: a) Requiritur indultum Apostolicum, ad quod obtinendum necessaria est causa, scil: vel *defectus* chirurgi, si de chirurgiæ, vel *penuriæ* medicorum, si de medicinæ exercitio agatur, vel *inopiæ* clerici. b) Nihil exposcendum, nec a pauperibus, licet sponte offerentibus, aliquid accipiendum. c) Chirurgia sine incisione vel adustione exercenda.[1]

4° "*Edicimus*, ne clerici arma cujusvis generis ad offensionem, vel etiam ad defensionem ferant, nisi forte extra civitatem suspectis locis iter eis faciendum sit."[2]

5° "Evitent diligenter sacerdotes omnem illicitum ludum; atque etiam ab omnibus quibuscumque ludis abstineant, etsi in animi diversionem, qui scandalo esse possint,"[3] v. c. Sectariis.

In præsentiarum autem ab *omni* peccato juxta multos immunis censetur clericus, qui *parce, moderate, privatim* et, ut mox dictum est, *sine scandalo* ludit aleis, chartisque, utcumque exitus a fortuna pendeat, si ludat, ubi Canones ad ludum spectantes non *rigide* observantur. — Ita S. Alph.[4]

6° "Tribunalia profana negotii aut litis causa *temere* ne adeant. Ubi cum homine etiam sæculari et de rebus temporalibus difficultas oritur, ne quemquam in jus vocent, aut vocati sponte se sistant, nisi res aliter componi nequeat. Ecclesiæ vero honorem temnit et sacros canones conculcat, quicumque personæ Ecclesiasticæ vel Religiosæ de rebus, quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, coram profano judice litem intenderit."[5]

7° "Canonum præcepta renovantes, *edicimus* ne rerum bonorumve quorumlibet, aut pecuniæ *mercaturam* faciant; ne quæstuosas *suo nomine*, vel sub alieni nominis *involucro*, negotiationes exerceant; ne aliena prædia *lucri causa* conducant; ne pro aliis fide jubeant; ne aliorum in negotiis procuratores, inconsulto Episcopo, fiant; ne cujusvis curam ac tutelam, *præterquam suorum*, nisi Episcopo consentiente, suscipiant." . . . . "Vetamus ne sacerdotes inter concionandum, vel occasione concionis, vel quovis alio prætextu, e suggestu vel altaris loco, de suis redditibus, honorariis, stipendiis, collectis Dominicis, aliisque hujusmodi ad populum *sæpe sæpius* verba faciant, queranturque, quasi non satis ampla, aut justo minora essent." . . . . "Præcipimus . . . . ne quis hujusmodi deposita" (pecuniæ apud sacerdotes ea lege ut fœnore aucta stato tempore recuperetur) "in posterum accipiat, ne eo quidem prætextu, quod sint in Ecclesiæ temporale

[1] L. V. 158. [2] Ib.
[3] Ib. [4] a. 153.
[5] a. 153. [6] Ib.

[1] p. 287. V. [2] a. 153.
[3] a. 154. [4] L. IV. 899.
[5] Conc. Pl. Balt. II. a. 155. 156.

bonum, opera misericordiæ aliosve pios usus convertenda, nisi prius Episcopi venia, in scriptis concedenda, habeatur." [1]

8° "Ut flagitii occasionem, quæ in cauponis et tabernis deesse non solet, clericis adimamus, cauponarum aditu et usu eis omnino interdicimus, nisi in itinere necessitatis causa." [2]

9° "Volumus imprimis, ut sæcularium mulierum, ne suis quidem exceptis, consortio et familiaritate nimia ne utatur" (sacerdos); "neque eas, licet propinqua cognatione conjunctas, in eadem secum domo commorari sinat, nisi fuerint vita et moribus spectatissimæ, quæque nullo modo, sive directo sive indirecto, se sacris muneribus gerendis, aut rebus ecclesiæ administrandis immisceant. Œconomam, ancillam, aliamve famulam nullam habeat, nisi quæ sit *maturioris* ætatis, famaque integerrima gaudeat. Numquam coram illis aut propinquis, si quas apud se habeat, de gregis regimine, de ecclesiæ negotiis, de parochianorum vitiis aut defectibus verba faciat. . . . . Etiam cum fœminis pietatis studio deditis, nulla sit ei familiaritas, nulla consuetudo, quam non caritatis aut officii ratio postulet." [3]

CAPUT II.

DE OBLIGATIONIBUS PARTICULARIBUS CLERICORUM.

Dicemus de obligationibus 1° Episcoporum; 2° Parochorum.

Nota. Omittimus ea, quæ de Canonicorum et Beneficiatorum obligationibus tradunt Theologi, cùm ad res nostras non pertineant.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONIBUS EPISCOPORUM.

1133. — Episcopus dicitur *Ordinarius*, quia ordinaria jurisdictione utitur in sua diœcesi. Dicitur etiam *Diœcesanus*, ratione territorii sibi subjecti, et *Suffraganeus*, ratione *Metropolitani*, cui subditur. Ejus Ecclesia *Cathedralis* vocatur, quod in ea sit Sedes Episcopalis, seu *Cathedra*.

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 157. 158. 159.
[2] Ib. a. 162.
[3] Ib. a. 164.

Episcoporum obligationes, præter eas, quibus in die consecrationis juramento se adstringunt, reducuntur ad residentiam, prædicationem, orationem, et diœceseos visitationem.

1134. — I. *Quoad residentiam.* Episcopi, licet Cardinales sint, tenentur in sua episcopali sede commorari, ut colligitur ex Conc. Trid.[1]

Plures autem sunt causæ excusantes Episcopum a perpetua et continua residentia.

1° *Caritas christiana*, v. g. si qua Ecclesia in magno hæreseos discrimine versetur, et opem illi ferre possit, vel si ipsius mediatio sit necessaria ad componendam pacem, etc.

2° *Necessitas urgens*, v. g. si Episcopus vita periclitetur ob morbum, aëris inclementiam, persecutionem personalem, etc.; non vero propter generale periculum, v. g. tempore contagii, etc.

3° *Obedientia debita*, scilicet cum Pontifex Episcopum aliquem advocat, ut ei negotii alicujus curam demandet: sic Cardinales Romano Pontifici assistentes sufficientem causam habent, cur ab Ecclesiis sæpius absint.

4° *Bonum evidens Ecclesiæ*, ad ejus jura defendenda, v. g. in Concilio Provinciali vel Generali.[2]

Episcopis permittitur, ut ex honesta causa et absque gregis detrimento singulis annis duobus aut tribus mensibus, exceptis tamen principalioribus diebus festis, abesse possint, sive continue, sive interpolate. Ex Conc. Trident.[3] Sed diutius absque Indulto Apostolico, — aut, si de Episcopis nostris agitur, causa absentiæ in scriptis probata vel a Metropolitano, vel, eo absente, a suffraganeo Episcopo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit,[4] — abesse non possunt, si peregrinationem ad limina Apostolorum et assistentiam Concilio Provinciali excipias.

1135. — II. *Quaodprædicationem.* Episcopi strictissima tenentur obligatione verbum Dei prædicandi, *per se* vel saltem per alios, si fuerint ipsi legitime impediti. Constat ex Scriptura Sacra. Sic

[1] Sess. VI. c. 1 Ref. et Sess. XXIII. c. 1.
[2] L. V. 125.
[3] Sess. XXIII. c. 1 Ref.
[4] Conc. Pl. Balt. II. a. 91.

Apostolus.[1] *Prædica verbum; insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina*, etc. Constat etiam ex Conc. Trid.[2]

III. *Quoad orationem.* Episcopi, Apostolorum instar, debent orationi sæpe dare operam, et in divinarum rerum contemplatione se exercere divinumque lumen sibi, Clero, populoque universo continenter efflagitare.

Frequenter, et saltem diebus Dominicis ac festis, Sacrum pro diœcesi universa facere debent, et populum ad orationem sæpius incitare, orandi modum edocendo, privatas publicasque præces in præcipuis necessitatibus indicendo, supplicationesque decernendo, etc.[3]

1136.—IV. *Quoad visitationem episcopalem.* Episcopus, utpote totius diœceseos pastor, magnam animarum suæ sollicitudini ac laboribus commissarum curam gerere debet. Quare diligenter diversas suæ jurisdictionis Ecclesias obire adstringitur, ut oves suas, uti par est, cognoscat, earum necessitates detegat, media illis occurrendi pervestiget. Ad hæc omnia jure divino et naturali obligatur, neque ulla consuetudine lex hæc abrogari vel imminui potest, ut apertum est ex Concil. Trident.[4] Cfr. n. 185. II.

"Quod si, ob locorum distantiam," ait Conc. Pl. Balt. II.[5] "et ecclesiarum numerum, quotannis haud possint omnes visitare ecclesias, visitent saltem principaliores et quæ sint urbi Episcopali propiores, eaque ratione visitationem ordinent, ut omni biennio, juxta Tridentini præscriptum,[6] vel, si id fieri nequeat, omni saltem triennio singulas diœceseos perlustrent partes. Gravissimum vero hoc munus Episcopale haud præpropere vel perfunctorie, sed omni adhibita diligentia, ac zelo animarum ducti, perficiant; de iis omnibus solerter et de plano inquirentes, quæ, in Pontificali Romano præscribuntur."

In omnibus, quæ ad visitationem et morum correctionem pertinent, Episcopi jus habent ea ordinandi, moderandi, puniendi, exequendi, juxta Canonum santiones, quæ pro eorum prudentia ad emendationem subditorum, et diœceseos utilitatem necessaria videantur. Sic ex Conc. Trid.[1] et Ben. XIV. Bulla: *Ad militantis.* — Nec datur a decretis in visitatione *extra formam judiciariam* factis appellatio ad effectum *suspensivum*, sed tantum ad *devolutivum*.

1137. — Cæteræ Episcoporum obligationes propriis locis traduntur. Quæ sequuntur Episcopis nostris magis propriæ sunt.

1. In commendandis ad Episcopatum summa diligentia sequi tenentur regulas a S. Sede præscriptas; præsertim vero cavere, ne alios, quam quos in conscientia idoneos censent, commendent.[2]

2. Seminariorum erectio, ubi illa possibilis sit, iis commendatur, inculcatur ac præcipitur.[3]

3. Sacerdotes excitare debent ad annuos recessus, atque ad collationes spirituales ac theologicas.[4]

4. Invigilare tenentur executioni eorum, quæ a S. Trid. Synodo decreta sunt de pastorum residentia, et monentur, ut in synodis suis pœnas statuant in eos, qui absque gravi causa vel licentia abfuerint.[5]

5. "Moneant . . . . sacerdotes curam animarum exercentes, ut institutioni juventutis in doctrina christiana" etiam "*per se* operam dent."[6]

6. Sacerdotes ex Europa venientes in clerum suum cooptare prohibentur, nisi litteris suorum Episcoporum prius habitis; eos vero, qui ex his provinciis ad aliam diœcesim transire voluerint, dimittere, nisi certo constet eos ab alio Episcopo esse recipiendos.[7]

7. Episcoporum officia quoad scholas vide n. 440. 3°, et quoad bona ecclesiastica, n. 619. sq.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONIBUS PAROCHORUM.

1138. — Parochus, semel canonice constitutus, ordinaria gaudet jurisdictione in populum sibi demandatum, et sine nova Episcopi approbatione jus habet ad omnia

[1] 2 Tim. 4. 2.
[2] Sess. 5. c. 2. Ref.
[3] H. A. Tr. VII. 65. 66.
[4] Sess. 24. c. 3 Ref. H. A. Tr. VII. 59. 60.
[5] a. 86.
[6] Sess. 24. c. 3. Ref.

[1] Sess. 24. c. 10 Ref.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 101–107.
[3] Ib. a. 171–174.
[4] Ib. a. 68. 95.
[5] Ib. a. 114.
[6] Ib. a. 115.
[7] Ib. a. 121. 122.

munia parochialia obeunda. Nullus ergo Clericus, dempto Episcopo, et ejus Vicario generali, eorumque delegatis, sacris quibuslibet fungi in ejus ecclesia aut parochia, sine ipsius consensu expresso aut rationabiliter præsumpto, ulla ratione, licite potest.

Ejusmodi autem proprii nominis parochi (uno illo, qui Neo-Aureliæ institutus est, excepto) in his provinciis nulli habentur. Quemadmodum igitur munus parochiale, quale in his regionibus obtinet, non est stricti juris, ita nec jurisdictio pastorum *ordinaria* dici potest.[1] Habent tames Rectores Congregationum, majoribus præsertim in urbibus, jura quasi parochialia, respectu nimirum Rectorum aliarum Congregationum, districtu quodam, parœciæ instar, descriptis limitibus, unicuique ecclesiæ assignato.[2] Tenentur quoque obligationibus parochorum erga eos, qui districtum illum inhabitant.

Dixi: respectu *Rectorum* aliarum congregationum; nam *fideles* ipsi omnia Sacramenta a Rectoribus aliarum Congregationum, excepto, si de locis agitur ubi Trid. Decretum "*Tametsi*" promulgatum sit et ut suo loco explicabitur, matrimonio, *valide* recipiunt; verum Rectores ipsi prohibentur Baptismum conferre et matrimonio assistere, quando agitur de fidelibus ex *aliis diœcesibus*, qui ad proprios pastores facile recurrere possint.[3] — Consulenda præterea singularum diœcesium statuta.

Parochi, uti Episcopi, tenentur præcipue 1° ad residentiam; 2° ad orationem; 3° ad prædicationem; 4° ad administrationem Sacramentorum; 5° ad correctionem ovium; 6° ad visitationem ægrotorum et parochiæ.

1139. — I. *Quoad residentiam.* Parochus ad residentiam obstringitur; quia cum administrationem Congregationis susceperit, sese obligavit ad animarum saluti consulendum, eamque pro virili parte procurandam. — Conc. Trid.[4] — S. Alph.[5]

Debet Parochus in domicilio presbyterali commorari, vel, si hoc desit, in propiore domo intra Congregationis fines, ut facile adiri possit, et ipse in residentiæ munere obeundo non impediatur. Ut vero residentiæ muneri satisfiat, non tantum debet esse præsens corpore, sed etiam *per se* ipse, vel per coadjutores Congregationi servire.[1]

Attamen possunt, si veniam ab Ordinario obtineant, justa de causa abesse per illud temporis spatium et iis sub conditionibus, quæ per statuta diœcesana vel Episcopi arbitrio determinantur. Per unum vero vel alterum diem sine speciali licentia ex causa, quæ sibi videatur legitima, abesse poterunt, dummodo oves sibi commissæ habeant, vel sciant, ad quem in necessitate possint recurrere.

II. *Quoad orationem.* Tenetur Parochus, ut Episcopus, Sacrum pro parochia facere festis ac diebus dominicis, ut patebit ex dicendis in Tract. *de Euch.* Hæc tamen obligatio non exisit quasi parochis seu Missionariis nostris, licet deceat hoc caritatis officium ovibus exhibere, ut patet ex Resp. S. C. de Prop. Fide.[2] Item tenetur orare frequentur pro suis ovibus, ut sibi ac subditis gratias ad salutem necessarias, et cœlestes benedictiones imploret.

Præterea curare debet Parochus, ut omnes addiscant orare, ut bene orent, suosque doceant orare.[3]

Notent præterea sacerdotes nostri sequens concilii nostri Pl. Balt. II. statutum. "Si .... aliquando ob publicas calamitates vel necessitates, preces *vernaculo* sermone recitari in fidelium cœtibus visum fuerit, id non nisi statuente Ordinario fiat, eæque tantum adhibeantur orandi formulæ, quas ipse præfinierit. Idem et de diebus pro gratiarum actione a civili Magistratu designatis statuimus. In iis enim, nonnisi jubente Ordinario, cœremonias ecclesiasticas haberi volumus; eæ vero, si celebrentur, ad normam a rubricis statutam peragantur."[4]

1140. — III. *Quoad prædicationem.* Parochi tenentur sæpius ad populum verba facere, eum salutaribus pabulis alere, saltem diebus Dominicis singulis, et singulis festis majoribus.

Graviter ergo peccant Parochi, qui per tempus notabile abstinent a prædicatione. Tempus vero notabile a multis habetur, si

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 77. 108. 125.
[2] Ib a. 124.
[3] Ib. a. 117.
[4] Scss. 23. c. 1 Ref.
[5] L. V. 121.

[1] L. V. 124–127.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 368.
[3] H. A. Tr. VII. 35. sq.
[4] Conc. Pl. Balt. II. a. 399.

per integrum continuumque mensem prædicatio deseratur, aut per tres menses non continuos, seu in anno divisos.[1] Neque obligationi satis illi faciunt, qui prædicationem audientium captui accommodare non satagunt.

Nomine prædicationis heic non veniunt sermones multa ac subtili arte perfecti atque elaborati, elegantiis referti, memoriæque commendati; hi enim sermones quanquam sint utiles et aliquando necessarii, plerumque tamen Parochus hujusmodi sermones habens, muneri suo nullo pacto satisfaceret, quia juxta Trid. docere debet, quæ magis sunt necessaria, et modo utiliore et maximæ auditorum parti accommodatiore. Neque minus reprehendendi illi sunt, qui, nulla adhibita præparatione, quidquid in buccam venit, effutiunt sine ordine, claritate, pietate ac zelo. Hi verbum Dei deturpant, et nauseam fastidiumque creant auditoribus. — Ita *omnes*.

Parochus autem, qui pios libros auditoribus legit, non obit munus suum prædicandi: quia lectio non est prædicatio; nisi quis adeo sit labilis memoriæ, ut aliter facere non possit: tum vero identidem debet curare, ut per alium populo sermones habeantur, vel Episcopum de impedimento commonefacere.

Animadvertat præterea prædicator sapientissima illa monita, quæ de officio suo tradit Conc. Pl. Balt. II., et quorum hæc summa est.

1° Doceat, a) "motiva et frequentem praxim actuum fidei, spei, caritatis, et contritionis; dispositiones requisitas ad Sacramenta utiliter recipienda; vitia quæ declinare, et virtutes quas sectari oporteat";[2] b) "ea Catholicæ doctrinæ capita, ... quæ hæretici et increduli, hujus præsertim regionis ac temporis, vel perfracte negant, vel in dubium revocant, vel, pro ineptissimo hujus sæculi ingenio, jocis et irrisione potius quam argumentis aggrediuntur."[3]

2° In referendis miraculis et prodigiis summa prudentia utatur, ac ineptas fabulas vitet, licet exempla præceptis intermiscere opporteat.[4]

3° Ad privatam injuriam ulciscendam sacro loco et tempore ne abutatur.[5]

4° Doctrinæ sacræ nihil de eventibus quotidianis, civilibus, politicisve immisceat.[1]

5° Occasione exequiarum ne mortuum immodicis laudibus efferat, neque de omnibus promiscue quasi de jam cælo receptis aut mox recipiendis loquatur.[2]

6° De stipendiis suis, cujuscumque generis, occasione concionis vel quovis alio prætextu, e suggestu vel altaris loco, ne sæpe sæpius verba faciat.[3]

7° Ne tamquam lethalia peccata facile quædam damnet, quæ non sint certo talia.[4]

1141. — IV. *Quoad administrationem Sacramentorum.* Parochi tenentur per se Sacramenta ministrare, non modo instante tempore præcepti, et gravis necessitatis, sed etiam, quod spectat ad Sacramenta, quæ possunt iterari, toties quoties oves debite, seu non intempestive, petunt, nisi sint legitime impediti, vel possint per alium sine incommodo et offensione petentium ipsis consulere. Vide complura alia hac super obligatione in Tract. de *Sacram. in genere*.

V. *Quoad correctionem.* Tenetur Parochus subditos in peccato mortali vel in proximo peccati mortalis periculo versantes corrigere, etiam cum periculo vitæ; si tamen spes aliqua emendationis affulgere videatur et de gravi eorum necessitate spirituali agatur. Debet etiam, in quantum potest, cum debita prudentia scandala de medio tollere vel præcavere, per se aut per alios, directe vel indirecte, mandato, consilio, cohortatione, precibus, etc. — Ita *communiter*, et *probabilius* quidem ex *justitia*, ratione nimirum stipendii quod a Congregatione recipiunt, non vero ex *caritate* tantum.[5]

Deinde Parochi bono spirituali subditorum prospicere sollicite debent, juxta illud Apostoli:[6] *Qui præest, in sollicitudine.* Debent idcirco parochianorum mores investigare, delinquentes corrigere, sustinere vacillantes, et satagere, ut omnes suas obligationes obeant, semper memoria tenentes, se pro eorum animabus esse aliquando rationem reddituros. Speciatim vero, juxta Conc. Pl. Balt. II. monita — acerrime ac sæpius reprehendant parentum Catholicorum socordiam, qui par-

[1] L. IV. 269. [2] a. 129.
[3] a. 130. [4] a. 139.
[5] a. 140.

[1] a. 142. [2] a. 143.
[3] a. 158. [4] a. 141.
H. A. Tr. VII. 30. [6] Rom. 12. 8.

vulos non statim Baptismatis Sacramento muniendos curant; — lectionem improbarum ephemeridum cohibeant; — ardenti ac suavi zelo errantes ab Ecclesia ad veritatem reducant; — Dominici festorumque dierum observationem modis omnibus commendare curent; — in eliminando ebrietatis vitio omne studium ponant; — a theatris ac scenicis ludis fideles avertant; — choreas immodestas insectentur ac damnent; — missiones ovibus suis procurent; — a societatibus secretis fideles avertant.[1] — Surdo mutis quoque meliori, quo potest, modo tenentur providere, curando ut instruantur saltem in iis, quæ scienda sunt necessitate medii, in præceptis Decalogi, etc. Maximo infelices illi exponuntur periculo in institutis non Catholicis. — De officio Parochi quoad scholas et catechesim, V. n. 440. 3°. — *Quoad visitationem infirmorum*, vide dicenda ad finem Tr. *de Extrema Unctione*.

1142. — *Quoad Parochianorum visitationem*, hæc habet Concilium quoddam recentius celebratum.

"Quia, ut ipse ait Christus, bonus Pastor cognoscit oves suas, et vocat eas nominatim, ideo Parochus cognoscere debet fideles sibi commissos. Non ergo negligat hunc morem tam salutarem singulas paroeciæ suæ familias certis temporibus visitandi; hocque munus adimpleat cum gravitate simul et modestia, necnon et singulari caritate. Quamvis enim a quolibet inutili per paroeciam discursu abstinere debeat, non tamen officio suo satisfecisse arbitretur, si domi inclusus expectet, ut ad ipsum veniant parochiani. Semper equidem valuit, sed hisce præsertim temporibus valet hoc præceptum Domini: *Ite ad oves, quæ perierunt, domus Israel.*

APPENDIX I.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

I. *De privilegiis Clericorum in communi.*

1143. — Clerici quibusdam gaudent privilegiis ex jure can. et ex jure civ. Rom., imo juxta plures ex jure divino, scilicet privilegio immunitatis, ne a curia laicali puniantur, et exemptionis a foro laicali quoad bona propria tum ecclesiastica, tum patrimonialia. Verum hæc privilegia, et alia pleraque universim apud nos non amplius a potestate civili agnoscuntur. V. n. 112 – 114. Restat tamen ubique privilegium quod vocatur Canonis, ratione cujus excommunicationem incurrunt, qui manus in Clericos injuste inferunt, ut constat ex Conc. Later II., in quo dicitur: "Si quis, suadente diabolo, in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat." De hoc privilegio agetur in Tract. *de Censuris*.

[1] a. 225. 505. 7. 8. 13. 27. 469 – 473. 513.

II. *De privilegiis Episcoporum.*

1144. — Privilegia Episcoporum respiciunt, 1° censuras et irregularitates; 2° impedimenta matrimonii; 3° vota et juramenta; 4° alios casus speciales.

I. *Circa censuras et irregularitates:*

1° Absolvere subditos possunt a quibuscumque casibus papalibus occultis, demptis casibus Romano Pontifici in Constitutione "*Sedis Apostolicæ*" d. 12 oct. 1869 *specialiter* reservatis; et, ne his quidem demptis, si subditi Romam pro absolutione proficisci nequeant sine gravi suo vel suorum damno, sive temporali, sive spirituali. Hos directe absolvunt, si impedimentum Romam *personaliter* adeundi sit perpetuum, i. e. absit spes *fundata*, fore ut intra quinquennium id facere *facile* possint; secus indirecte ad reincidentiam, i. e. cum onere, impedimento sublato, se sistendi Papæ vel facultatem ab eo habenti.[1]

2° Possunt dispensare ab omnibus irregularitatibus et absolvere ab omnibus suspensionibus ob delictum occultum, dempta irregularitate ex homicidio voluntario.

3° In irregularitatibus etiam dubiis ex defectu (*Probabiliter*).

4° In irregularitatibus non occultis ex defectu natalium ad Ordines minores et beneficia simplicia.[2]

II. *Circa impedimenta matrimonii*, Episcopi dispensare possunt:

1° In impedimentis *impedientibus*

[1] L. VII. 84 – 92.

[2] Trid. Sess. 24. c. 6 Ref. S. Alph. de Priv. n. 49. sq. — Const. *Apostolicæ Sedis* in fine.

exceptis voto castitatis perpetuæ, voto ingrediendæ Religionis, sponsalibus, et impedimento disparitatis cultus inter Catholicos et hæreticos.

2° In impedimentis *supervenientibus*, contracto matrimonio, in ordine ad debitum petendum, v. g. si affinitatem ideo contraxerint, quod alteruter commercium carnale cum consanguineis alterius habuerit; vel si unus castitatem voverit. Imo Episcopus etiam dispensare potest conjugem a voto perpetuæ castitatis, quod ante matrimonium emisit, ut jura matrimonialia exercere queat.

3° In impedimentis *dirimentibus dubiis*. — S. Alph.[1] qui dicit hanc sententiam esse communissimam.

4° *Per accidens* in impedimentis *dirimentibus certis*, tum ante, tum post contractum matrimonium, quando recursus ad Papam est valde difficilis, vel quando adest periculum in mora, seu ubi instat periculum scandali, infamiæ, incontinentiæ, etc.[2]

5° In *Bannorum*, publicationibus.[3] — Vide dicenda in Tract. *de Matrimonio*.

III. *Circa vota et juramenta*, Episcopi dispensare possunt:

1° In omnibus votis simplicibus *privatis*, exceptis quinque Papæ reservatis, nempe castitatis perpetuæ, Religionis intrandæ et peregrinationum ad Hierusalem, ad limina Apostolorum et ad S. Jacobum Compostellanum, n. 392. q. 3°.

2° In omnibus juramentis, si juramenta excipias promissioni onerosæ adjecta, in favorem tertii potissimum facta, et ab hoc acceptata, quæ metu aut fraude non fuerunt extorta.

IV. *Circa casus alios particulares*, Episcopi dispensare possunt:

1° Quandoque in lege Superioris. V. n. 154, 159.

2° Ad faciendum Sacrum a meridie, et si magnæ et urgentes adsint causæ, sed per modum actus tantum, in oratorio domus privatæ. S. C. Conc. 20 dec. 1855. Vind. Alph.[4]

3° Possunt sibi eligere confessarium extra diœcesim, modo sit eorum subditus, et eum valent secum educere in diversa loca; at, si non est subditus, debet ab Ordinario suo esse approbatus Idem possunt Cardinales, sed Romæ tantum, etsi illum, quem elegerint, extra Romam secum possint educere.[1]

4° Possunt ab interstitiis dispensare ad ordinationem.[2]

Speciales Episcoporum nostrorum facultates V. p. LXX. sq.

[1] De Priv. n. 55. [2] Ib. n. 56. sq.
[3] Ib. n. 56. sq. [4] p. 904. 2.)

APPENDIX II.

DE VICARIO GENERALI.

1145. Notio Vicarii Generalis. — Vicarius Generalis ille est, qui legitime deputatur ad exercendam generaliter jurisdictionem Episcopalem vice Episcopi, ita ut actus ipsius ab Episcopo gesti censeantur.

Dicitur: 1° *ad exercendam jurisdictionem;* Vicario enim Generali *essentialiter* non competit, ut valeat vices Episcopi agere in exercenda *ordinis Episcopalis* potestate.

Dicitur: 2° *Ad exercendam generaliter*. Sufficit autem, ut ejus jurisdictio sit *moraliter* universalis; nam plura sive a jure, sive ab homine, i. e. ab Episcopo, excipiuntur, vel possunt excipi. Dixi: *plura*, non omnia; nam licet Episcopus residens probabilius non teneatur ullum constituere Vicarium, si tamen aliquem constituat, hunc non sine ulla aut cum *nimium* restricta jurisdictione constituere debet.[3]

Dicitur: 3° *Vice Episcopi, ita ut* etc. Hinc, 1) a sententia Vicarii Generalis non ad Episcopum datur *appellatio* (cum unum idemque utriusque sit tribunal), sed ad Metropolitam;[4] 2) mortuo Episcopo, aut aliter cessante ejus jurisdictione, cessat pariter jurisdictio Vicarii.

1146. Potestas Vicarii Generalis. — I. *Potestatis ejus limites*. Idem potest ac Episcopus, nisi aliter expresse statuat jus, vel Episcopus sibi aliquid reservarit.

Dico: *nisi aliter expresse statuat jus*. Ea autem, quæ jus a Vicario absque speciali Episcopi mandato exerceri noluit, juxta Ben. XIV.[5] hæc fere sunt.

1) Concedere litteras dimissorias ad

[1] S. Alph. de Priv. n. 65.
[2] L. VI. 795.
[3] Craisson. Elem. n. 453. 459.
[4] L. I. T. IV. c. 2. in 6°.
[5] De Syn. L. II. c. VIII.

Ordines extra casum, quo Episcopus in remotis regionibus versetur.

2) Conferre *beneficia*. "Potest" tamen, nisi id sibi Episcopus reservaverit, "sacerdotibus dare facultates, cum animarum cura" (nam hæc apud nos beneficialis non est), "vel eas æqua ex causa tollere." [1]

3) Cognoscere causas criminales majores, adeoque aliquem ab Ordine aut officio deponere,[2] aut, juxta Fagnanum,[3] excorporationem, seu *exeat*, clerico concedere.

4) Cogere synodum.[4]

5) Visitare diœcesim.

6) Absolvere a casibus uni Episcopo in Jure (v. g. in Const. *Apostolicæ Sedis*, et in Conc. Trid. Sess. 24. c. 6 Ref.), vel per se ipsum reservatis.

7) Tollere irregularitates ex delicto occulto.[5]

8) Dispensare in juramentis, votis, statutis diœcesanis.

9) Ea, quæ potest Episcopus *unice* tamquam delegatus Apostolicus, ut, e. g. corrigere excessus Religiosorum exemptorum extra claustra degentium.

10) Ferre sententiam excommunicationis, suspensionis vel interdicti tamquam pœnam delicti.[6] Potest tamen illam ferre, ut subditi sibi pareant, v. g. præcipere sub pœna excommunicationis, suspensionis vel interdicti, ut reus vel testis compareat.[7]

11) Substituere sibi delegatum *ad universitatem causarum*; quidem vero ad unam vel plures causas.[1]

II. *Quomodo jurisdictio Vicarii Generalis expiret.* — 1° Per propriam ipsius renuntiationem expressam, vel saltem tacitam, ut si Vicarius e diœcesi egrediatur animo non amplius revertendi.

2° Per remotionem seu revocationem ipsius ab Episcopo factam; sed Vicario debet notificari; nam ipsius acta, ante notificationem peracta, sunt valida.

3° Per mortem naturalem Episcopi: sed hoc quoad causas, quæ ipsi ab Episcopo aut a Sede Apostolica sub nomine Vicarii Generalis duntaxat delegatæ fuerunt; secus, si delegatio facta fuit cum nomine ipsius proprio.

4° Per translationem Episcopi ad alium Episcopatum.

5° Per depositionem vel relegationem Episcopi.

6° Per renuntiationem Episcopatus factam ab Episcopo, et a Papa admissam.

7° Per legitimum ingressum Episcopi in aliquam Religionem.

8° Per captivitatem Episcopi: intellige a paganis, hæreticis aut schismaticis.

9° Expirat jurisdictio Vicarii Generalis, suspensa Episcopi jurisdictione per excommunicationem, suspensionem aut interdictum.

Valida est revocatio Vicarii Generalis, etsi fiat absque ulla causa.

Ut licita sit, habenda est ratio honoris ipsius; unde facienda est cum magna circumspectione et cum gravi et justa causa: alias reintegrari potest per Sacram Congregationem Episcoporum. Sic declaravit eadem S. Congreg. in *Spalatrensi*, 3 julii 1601, et in *Traguriensi*, 7 sept. et oct. 1649.[2]

[1] Kenr. Tr. VIII. n. 42.
[2] L. I. T. XIII. c. 2. in 6°.
[3] Ex L. I. Decr. T. XXIII. c. 8.
[4] S. C. C. 4 dec. 1655. Ben. XIV. de Syn. L. II. c. III.
[5] Trid. Sess. 24. c. 6. Ref.
[6] L. I. T. XIII. c. 2. in 6°.
[7] Craisson. Elem. n. 465. 7°.

[1] Craisson. Elem. n. 465. 13°. [2] Ib. n. 467.

PARS TERTIA.

DE STATU RELIGIOSO.

Prænotanda.

1147. — Præter viam mandatorum, per quam omnes homines ad consequendam salutem æternam tendere debent, datur via consiliorum seu perfectionis specialis, quæ est mere consilii, et paucis tantum proponitur a Deo ipso selectis, qui mundo valedicentes vitam in monasteriis ducunt.

Duplicem hanc viam Christus ipse nos docet in multis Evangelii locis; v. g., Matth. 19. 17., dicit adolescenti de via *salutis* inquirenti: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* At vero eidem, quid sibi adhuc deesset interroganti, v. 21 respondet: SI VIS PERFECTUS ESSE, *vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.*

Adest etiam tertia quædam via media inter utramque præcedentem, nempe via castitatis, seu continentiæ in sæculo servatæ.

Hinc triplex hominum classis, ratione mediorum ad Deum consequendum propositorum, statuitur, seu triplex vitæ status, scilicet, status 1° matrimonii; 2° cælibatus; 3° vitæ religiosæ. Hinc etiam triplex gradus perfectionis; cælibatus enim, ut declaravit S. Paulus,[1] et definivit Conc. Trid.,[2] perfectior est matrimoniali statu; vita autem religiosa est omnium, ut patet, perfectissima. Status sacerdotalis, licet dignitate omnium præstantissimus sit, ratione tamen perfectionis longe vitæ religiosæ cedit. Quemadmodum autem *mirabilis est Deus in sanctis suis,* ita etiam in variis modis, quibus eos ad sanctitatem promovet.

Agendum 1° De iis, quæ omnibus Religiosis sunt communia; 2° de iis, quæ propria sunt Religiosis, qui vota solemnia profitentur; 3° de iis, quæ peculiaria sunt Monialibus; 4° de Regularium privilegiis; 5° de Regularibus vi dispersis; 6° de conditione Regularium in Statibus nostris Fœderatis.

[1] 1 Cor. 7. 32–40.
[2] Sess. 24. Can. 10.

CAPUT I.

DE IIS, QUÆ OMNIBUS RELIGIOSIS SUNT COMMUNIA.

Omnibus Religiosis communia sunt; 1° ipsa religiosi status natura seu essentia; 2° necessitas vocationis ad statum religiosum; 3° probatio; 4° trium votorum professio secundum aliquam regulam.

ARTICULUS I.

DE NATURA STATUS RELIGIOSI.

1148. — Status religiosus est stabile vitæ institutum ab Ecclesia approbatum, et tendens ad perfectionem per tria vota, Paupertatis, Obedientiæ et Castitatis.

Dicitur: 1° *stabile vitæ institutum;* quia Religiosus per tria vota se in perpetuum Deo devovet.

Dicitur: 2° *ab Ecclesia approbatum;* in Conc. enim Later. sub Innocentio III. statutum est, ne nova Religio inducatur, nisi a Summo Pontifice approbata fuerit.[1]

1149. *Corollaria.* — I. Status religiosus secundum se, et quoad substantiam suam, a Christo Domino immediate traditus, et institutus fuit; ipse enim est auctor perfectionis religiosæ, tradendo consilia evangelica.

Hic status in Ecclesia est necessarius quoad dictam substantiam; quia ipsa debet esse sancta etiam sanctitate externa et publica, cum sanctitas sit una ex notis, quibus a falsis discernitur. Sed hæc sanctitas publica splendescere nequit sine professione consiliorum evangelicorum. — Non vero est necessarius, si spectetur quoad formas peculiares, quibus determinatur ad certam Regulam et Institutum.

Unde quoad substantiam status religiosus est de jure divino consulente; quoad formas est de jure ecclesiastico.

II. Ad essentiam status religiosi non requiruntur vota *solemnia,* sed sufficiunt vota *simplicia.* Omnes enim conditiones ad Religionis substantiam necessariæ

[1] L. V. 1.

etiam in votis simplicibus habentur; siquidem per ea homo potest se perpetuo mancipare Deo in Instituto ab Ecclesia approbato. Constat insuper ex Bulla Greg. XIII., *Ascendente Domino*, in qua Pontifex declaravit, esse veros Religiosos in Soc. Jesu etiam illos, qui sola vota simplicia emiserint; idque ideo, quia tria hæc vota, etsi simplicia, sunt vere substantialia Religionis seu religiosæ vitæ vota.

III. Religiosi non sunt ii, qui edito voto perpetuæ paupertatis et castitatis, obedientiam confessario aut Episcopo vovent. Ratio est, quia vi hujus voti Superioribus non subjiciuntur.

IV. Non sunt Religiosi *proprie dicti* ii, qui, licet tria hæc vota emittant, et in communi vitam ducant, regulam tamen a Sede Apostolica approbatam non profitentur. Hinc variæ Congregationes virorum aut piarum fœminarum, ab Episcopo tantum approbatæ, Instituta *stricte religiosa* non constituunt. Attamen qui in hujusmodi Congregationibus vota simplicia emittunt, et sub communi regula atque Superioris dependentia vivunt, eodem merito coram Deo ac Religiosi proprie dicti gaudere possunt, siquidem eamdem suî abnegationem Domino exhibeant.

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE VOCATIONIS AD STATUM RELIGIOSUM.

1150. — Certum est dari vocationem divinam, Deum scilicet benignissima providentia aliquos præ aliis ad statum excellentiorem et perfectiorem vocare, et simul dotes et gratias ad illum rite exequendum et servandum largiri, præsertim quoad statum ecclesiasticum et religiosum. Omnia enim in ordine naturali a Deo gubernantur modo singulis proprio; *a fortiori* ergo in ordine supernaturali. Aliunde ad statum perfectiorem amplectendum et prosequendum requiruntur dotes et gratiæ speciales, quæ a solo Deo, supremo dispensatore, concedi possunt. Constat insuper ex variis S. Scripturæ locis. Sic de Sacerdotio in particulari dicit Apost.[1] *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. . . . .*

[1] Hebr. 5. 4.

Idem porro dicendum de vita religiosa, quæ est status perfectior et multo difficilior.

1151. QUÆSITA. — Quær. 1° *An vel quomodo peccet, qui se ad Religionem vocatum sentiens, divinæ vocationi non obsequitur?*

Resp. 1° *Per se, rigorose loquendo*, nullatenus peccat; quia divina consilia per se nullam imponunt obligationem, cum in hoc præcise a præceptis differant.

Resp. 2° Vix tamen excusari ab aliqua culpa potest ob periculum æternæ salutis, cui se committit. Imo non excusaretur a peccato gravi, qui persuasum haberet, unicum medium salutis æternæ adipiscendæ hoc sibi superesse, ut a mundi periculis aufugiat.

At vero suntne in malo statu illi, qui certi moraliter de vocatione divina ad Religionem, nituntur sibi persuadere, se salutem suam æque facile consequi posse manendo in sæculo, vel ad illud redeundo? Non videtur dubitandum, quin isti magno discrimini salutis se exponant; quia manendo in sæculo contra Dei vocationem, semet specialibus illis privant auxiliis, quæ Dei providentia ipsis in Religione præparaverat, et ideo difficulter sæculi tentationibus resistent. Attamen S. Alph. non audet certum de hoc judicium ferre; multo tamen magis propendet in sententiam hunc de mortali damnantem.[1]

1152. — Quær. 2° *Quomodo peccet, qui non vocatus, statum perfectiorem Religionis vel Clericatus nihilominus suscipit?*

Resp. Peccat *graviter*, si defectum vocationis clare noverit, tum ob reverentiam sacris Ordinibus et Religioni debitam, tum ob injuriam Deo illatam, tum præsertim ob periculum salutis, quod incurrit, dum suscipit obligationes, quibus moraliter satisfacere non poterit, utpote carens specialibus auxiliis, quæ solis a Deo vocatis conceduntur. Excusabitur tamen ab illa culpa, si voluntatem firmam habeat obligationes assumpti jam status adimplendi.

1153. — Quær. 3° *An peccent graviter parentes, Superiores vel alii quicumque, qui avertunt filios, subditos aut quosvis alios a statu religioso?*

Resp. 1° *Affirm.*, si eos avertant injuste per minas, vim, fraudem, aut importunas preces; quia illos impediunt a consecu-

[1] L. V. 78. v. Utrum.

tione magni boni, ad quod jus habent, et discrimini salutis æternæ exponunt. Quandonam ad restitutionem teneantur avertentes per minas, vim, fraudem, V. n. 805. 3°.

Resp. 2° *Affirm.*, plerumque, etiamsi eos tantum precibus et promissionibus avertant; quia hoc esse non potest sine gravi illorum damno. — Ita *communiter* cum S. Alph.,[1] qui dicit, hanc sententiam esse omnino tenendam contra *aliquos*. — Non peccant tamen parentes, qui se opponunt ad tempus piis desideriis filiorum juniorum ad constantiam eorum probandam, vel ob aliam justam causam. Justa autem censeri ea causa potest, propter quam neque Superiores Ordinis facile candidatum admissuri essent. Cæterum etiam in probanda juniorum constantia haud modica discretione opus est, ne scilicet candidati fragilitas a vocatione alioquin vera ipsum avertat. Quapropter hac in re ad vitandas hallucinationes consiliis confessarii aut viri probi ac docti stare debent.

Quær. 4° *An peccent filii Religionem ingredientes invitis aut insciis parentibus?*

Resp. Neg. per se loquendo, licet in praxi hoc ordinarie non expediat, nisi injustam vexationem aut impedimentum merito timeant. Ratio est, quia nisi parentes justa de causa obsistant, filii omnino liberi sunt circa status vitæ electionem. — Recole dicta n. 425.

1154. — Quær. 5° *Quænam sint signa vocationis religiosæ?*

Resp. Generatim loquendo, seu juxta providentiam ordinariam, duo requiruntur et sufficiunt ad vocationem divinam probandam, scilicet debita aptitudo et voluntatis propensio.

1° *Aptitudo* intelligitur idoneitas ad statum religiosum in genere, et in particulari ad observantiam *tali Ordini* propriam. Consistit autem in recto præsertim judicio, in indole bona, in animo submisso obedientiæ jugo, in scientia relative sufficienti, et in carentia defectuum corporis et animi, qui rationi hujus vitæ repugnant.

2° *Inclinatio* a) *spontanea*, quæ inde fere oritur, quod status religiosus menti exhibeatur ceu indoli propriæ congruus, et ad internam pacem felicitatemque adducendam idoneus; b) *constans*, quæ proinde non sit frequentibus mutationibus obnoxia, non obstante alioquin quapiam præterita tergiversatione ex dæmonis tentationibus exorta vel ex quadam naturæ repugnantia. Non tamen requiritur, ut inclinatio ex spontaneitate seu propensione magis, quam ex intima animi persuasione procedat. Porro inclinatio illa c) *recta* esse debet, procedere scilicet ex intentione pura, ex mero desiderio salutem facilius consequendi, majorem Dei gloriam vel etiam animarum salutem procurandi, etc.

Dixi: *generatim loquendo*, seu in providentia ordinaria; quia adsunt evidentiora vocationis signa, nempe 1° divina revelatio, ut vocatus est S. Paulus, S. Aloisius Gonzaga, S. Stanislaus Kostka, etc.; .... 2° inspiratio singularis, quæ consistit in interno motu, quo quis vehementer ad vitam perfectiorem impellitur, et quasi attrahitur.

Nota. — Dubio de vocatione post diuturnam probationem per protractum examen et ferventem orationem perdurante, et re prudenti confessario et Superioribus a Deo constitutis submissa, remanendum est in statu inferiori; nemo enim debet ascendere ad statum superiorem, nisi de vocatione divina *moraliter certo* constare sibi videatur.

1155. — Quær. 6° *Ad quid teneatur qui religionem vovit?*

Resp. Disting. 1° Qui vovit religionem *in genere*, i. e. non determinans sive Ordinem, sive locum, sive disciplinam laxiorem aut severiorem, — tenetur mediis ordinariis aliquam inquirere, in qua vigeat disciplina, saltem quoad observantias principaliores. — Si repellatur ab illa, probabilius aliam inquirere debet; quia votum illius est generale de aliqua Religione.

2° Qui vovit Religionem *in specie*, aliquam illius Ordinis domum tenetur ingredi, et, ubi ab una repellatur, tenetur uti mediis ordinariis, ut possit in aliam ingredi.

3° Qui eam vovit *in individuo*, ita determinando locum, ut alium non intendat, si in domum præfixam non possit admitti, liber erit; quia sub hac tantum conditione se ligavit.[1]

Quær. 7° *An vovens religionem peccet graviter, si ingressus egrediatur?*

Resp. Affirm., si non habeat justam causam; *Neg.* autem, si non habuerit ani-

[1] L. V. 77.

[1] Cfr. L. IV. 222. L. V. 72.

mum profitendi, sed tantum experiendi.— Si ejiciatur ut inhabilis, mediocrem diligentiam adhibere debet, ut fiat habilis ad aliam; quod si frustra tentaverit, nullum peccatum committit remanens in sæculo; quia votum factum est impossibile.[1]

ARTICULUS III.

DE PROBATIONE SEU NOVITIATU.

1156. — Novitiatus est mutuum experimentum, quo Religio, ex una parte, experitur mores et qualitates novitii, ut videat an expediat illum admittere vel rejicere; et novitius, ex altera parte, experitur Religionis austeritates et Statuta, suamque indolem, ut videat an sibi expediat illam profiteri. — Ita Billuart.[2]

1157. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quinam non sint admittendi in Novitiatum?*

Resp. 1° *Ob defectum mentis*, qui suî non sint compotes, ut per se patet.

2° *Ob defectum libertatis.*

a) Mancipia, ob injuriam, quæ fieret domino.

b) Matrimonio juncti, de quibus in Tract. *de Matrim.* agetur.

c) Episcopi, etiam confirmati tantum, nisi de licentia S. Pontificis, ob vinculum, quo Ecclesiæ suæ in perpetuum adstringuntur.[3]

d) In Religione aliqua professi, nisi vel prævie dispensentur a votis in ea emissis, vel transeant ad *strictiorem* Religionem, i. e. talem, cujus *actualis* observantia, non vero *primaria* tantum institutio, severior sit. Hic tamen transitus fieri non debet temere vel ex levitate, aut cum gravi damno Religionis relinquendæ. Præterea *petenda* est, — et, in casu privilegii Ordini, qui relinquitur, ad hoc concessi, *obtinenda* etiam, — licentia Superioris vel Papæ. — Ad *laxiorem* vero Religionem transitus fieri nequit nisi cum licentia Summi Pontificis; ad *æqualem* autem de eadem licentia, vel etiam, at cum justa causa, de licentia Superioris.[4]

3° Illicite, non tamen invalide admitterentur ii, quorum parentes in *gravi*, vel fratres aut sorores in *extrema* versantur necessitate, cui subvenire possint, quin in sæculo expositi sint proximo et gravi periculo labendi in mortale. *Gravis tantum* fratrum aut sororum necessitas non impedit admissionem; quin et a voto ingrediendi dispensatio necessaria est, ut quis per longum tempus propter eam differre possit ingressum. *Parentes* vero illicite ingrederentur Religionem, si haberent filios non emancipatos, constitutos in *gravi* necessitate, aut sufficienti destitutos educatione.[1]

4° Jure *naturali* (de juris *positivi* dispositionibus V. n. 801. q. 4°), illicite admitterentur gravati debitis, quibus, notabilem saltem quoad partem, *et* brevi (puta intra biennium), *ac* sine magna difficultate aut probabili periculo peccati vel amittendæ vocationis, solvendis forent pares. — Ita S. Alph.[2] ut *probabilius*, licet *probabilis* etiam ipsi sit sententia tum quæ absolute negat, tum quæ absolute affirmat.

5° Illicite quoque ac imprudentissime admitterentur ii, quos actis publicis constat apud sæcularem curiam accusatos vel inquisitios fuisse de graviori aliquo scelere, nisi a judice dimissi fuerint ut innocentes.[3]

6° Admittendi non sunt ii, quorum infirmitas talis sit, ut vitæ communis oneribus ferendis ac Ordinis obligationibus implendis non sint pares.

7° Ad habitum *illicite* admitterentur, qui non *petiissent* et per congruum temporis spatium *expectassent* litteras testimoniales tum Ordinarii originis, tum Ordinarii loci, in quo post expletum decimum quintum annum ætatis suæ ultra annum morati fuerint, nisi tamen Institutum, quod illos admittit, a Decreto dd. 25 jan. 1848,[4] quo hæc dispositio continetur, per speciale et non communicabile privilegium dispensatum fuerit.

8° Impuberes (n. 911), invitis parentibus aut tutoribus.

1158. — Quær. 2° *An ad Religionem admitti possint clerici, præsertim curam animarum habentes, absque licentia Ordinarii sui?*

Resp. Affirm., ut constat tum ex unanimi DD. sententia, tum præsertim ex auc-

[1] L. V. 72.
[2] De Relig. Diss. 4. art. 2.
[3] L. III. Decret. T. XXXI. c. 18. L. I. Decret. T. VII. c. 2. Ib. T. IX. c. 10.
[4] Craisson. Man. n. 2605 – 2614.

[1] L. V. 66. 67. 69. 70.
[2] Ib. 71.
[3] Craisson, Man. n. 2635.
[4] V. Conc. Pl. Balt. II. p. 324. XXII.

toritate Ben. XIV. Brev.: *Ex quo*, d. 14 jan. 1747. Sacerdos tamen, animarum curam exercens, de suo proposito certiorem reddere Episcopum debet, ne grex sine custodia relinquatur. Casu præterea, quo Ecclesia, cui inservit sacerdos, ex hujus transitu ad Religionem grave pateretur damnum, Episcopus posset illum repetere, etiam post professionem, ut constat ex Brevi mox citato. — Quinam ex clericis nostris Religionem ingredi non absolute valeant, V. n. 374. 8°.

ARTICULUS IV.

PROFESSIO SECUNDUM ALIQUAM REGULAM.

1159. PRINCIPIA. — I. Ad validam professionem requiritur:

1° Aptitudo voventis, scilicet, ut nullum habeat impedimentum, quod sive ex jure divino, sive ex jure canonico, sive ex statutis a S. Pontifice confirmatis, substantiale esse censeatur.

2° Consensus et acceptatio expressa vel tacita Prælati Ordinis, vel, ubi requiritur, Capituli. Error autem circa substantiam, tam ex parte profitentis, quam admittentis, Professionem irritam facit.

3° Libertas voventis, id est, ut Professio sponte fiat, secluso gravi metu, vel etiam metu reverentiali conjuncto cum precibus importunis sæpius repetitis, blanditiis, imperio, aut gravi offensione vel indignatione diu continuata consanguineorum, adjunctis etiam minis de subsidiis negandis, si ex Religione egrediatur. Hæc enim singula, vel certe simul juncta, considerata conditione hominis rudis, timidi, et metum justum incutere possunt, et professionem irritare, ut Laymann cum aliis docet:[1]

II. Ex Professione religiosa nascitur obligatio *de se* perpetua 1° servandi vota; 2° servandi regulam; 3° tendendi ad perfectionem. Dico: *de se* perpetua; quia, ut infra dicemus, vel cessare vel immutari potest.

§ I. *De obligatione servandi vota.*

A) *De obligationibus ex voto paupertatis.*

1160. — *Voti paupertatis* ex præsenti Ecclesiæ disciplina objectum *proprium* et *necessarium* non sunt, 1) neque vita, neque honor, neque fama, neque scientia, neque beneficii regularis per electionem, præsentationem aut collationem conferendi jus; 2) abdicatio dominii *imperfecti* (n. 590); sed 3) necessarius est bonorum temporalium, quatenus *de se* pretio æstimabilium, usus dependens seu facti tantum (n. 575). Patet 1^{um} ex eo quod solorum bonorum temporalium pretio æstimabilium copia hominem *divitem*, in *proprio* hujus vocabuli sensu, constituat, et quod ex horum tantum carentia *proprie* pauper fiat. — 2^{um} ex voto scholasticorum Soc. Jesu, qui, ut supra n. 1149. II. vidimus, veri nominis religiosi sunt, et tamen dominium nudum rerum temporalium retinent. — 3^{ium} ex eo quod nullum *hodie* veri nominis religiosum Institutum habeatur, in cujus regula usus independens permittatur. Cfr. Craisson[1] et S. Alph.[2] Hinc

1161. — I. Voto *paupertatis* non comprehenduntur:

1) Manuscripta, sive propria, sive ab alio accepta. Sunt enim partus ingenii, qui sub paupertatis voto non cadunt. Ita præterea fert usus communis, ac constat ex Brevi: *Postulat*, Ben. XIII. a^{i} 1724 et Declar. Clem. VIII. Excipit cum aliis continuator Tournely, si contrarium definitum sit in constitutionibus Ordinis.[3]

2) Reliquiæ, cum sint res spirituales.

3) Picturæ a religioso confectæ, cum sint partus ingenii. Excipe, si confectæ fuerint *vel* a converso tempore, quo pro monasterio laborare tenetur, *vel* a chorista cum coloribus et in tabulis aut telis a monasterio traditis, *vel* a quocumque *animo* eas retinendi.[4]

4) Peculium, i. e. bonum temporale ad individui, et non ad communes monasterii usus destinatum, idque non tantum, quum necessaria a communitate non subministrantur, ut per se patet; sed etiam cum subministrantur, dummodo hoc in casu 1° consuetudine jam existat; 2° habeatur dependenter a Superiore, adeoque 3° animo parato eidem renunciandi ad nutum ejusdem Superioris, et 4° servetur vel in communi, vel in cella etiam religi-

[1] L. V. 5 seq. L. VI. 1047. sq.

[1] Manuale, n. 2477 – 2485. 2749.
[2] L. V. 14.
[3] Ib.
[4] Ib.

osi, sed cum licentia Superioris, nec clave obseratum aut ita occultatum, ut liberæ dispositioni Superioris subtrahatur; 5° ad usus neque illicitos, neque superfluos adhibeatur. — Requiritur 1^{um}, ut cesset præscriptum Tridentini,[1] quo peculia *probabilius*[2] prohibentur; 2^{um}, 3^{ium}, 4^{um}, ut usus juris seu independens caveatur; — 5^{um}, ut ex mox dicendis patebit.

5) Beneficium ecclesiasticum, v. g. Episcopatus, legitime collatum. Illud nimirum administrare poterit et de reditibus illius independenter a Superiore disponere, cum res sit spirituali annexa; non tamen potest id licite, nisi ad propriam sustentationem et pios usus.[3]

1162. — II. *Comprehenduntur voto paupertatis* omnes actus usûs, a regula vel Superiore independentis, circa res temporales, adeoque Religiosus peccat:

1) Si quid ex rebus sibi in usum concessis in alium usum impendat aut mutuo det absque licentia, aut *culpabiliter* amittat, destruat, vel deterius reddat.[4]

2) Si quid sine licentia, sive tanquam donum, sive tanquam mutuum, sive tanquam commodatum, sive tanquam depositum proprie dictum, (n. 924) acceptet, — aut, quod Religioni ex titulo justitiæ, — v. c. hæreditatis, mercedis, — debeatur, abnuat. Secus resolve de muneribus, cum votum paupertatis non obliget ad acquirendum Religioni. Attamen, qui ejusmodi munera *sine justa causa* recusaret, peccaret contra *caritatem* erga conventum, impediendo ejus bonum.[5]

3) Si quid sine licentia *emat*, etiam pro communitate.

4) Si quid ab extraneo petat aut accipiat in opera pia, a donatore non in *specie infima* determinata, impendendum.[6]

5) Si quid ita abscondat, ut liberæ Superioris dispositioni subtrahatur.[7]

6) Si Procurator vel Superior quidquam expendat contra quam regula, voluntas Superioris, consuetudo, rationabilis causa permittat. Ratio, quia hi non sunt domini bonorum communium, sed tantum administratores.[1]

1163. QUÆSITA. — Quær. 1° *Qualis licentia requiratur et sufficiat ut usus non sit independens?*

Resp. ad 1^{um}. Requiritur: a) *Vera* i. e. nec metu extorta, nec fraude, v. c. ementita necessitate, obtenta. b) *Rationabilis*, i. e. non ad usus illicitos aut vanos, nec ad superflua, pretiosa, statum religiosum dedecentia. Superior enim non potest dare veniam majorem, quam ipse habeat; ipse autem, cum non sit dominus bonorum Religionis, non potest ea suo arbitrio et inutiliter, sed tantum in Religionis necessitatem et utilitatem expendere.[2] Hinc S. Alphonso omnino arridet sententia (licet appositam non audeat damnare) docens non illicitam tantum, sed et *invalidam* esse ejusmodi licentiam, excepto, si agatur, — vel de superfluis sine notabili excessu, quia aliter res magnis scrupulis esset obnoxia, — vel de modica summa ludo licito, i. e. non mere fortuito, exponenda.[3]

Resp. ad 2^{um}: Sufficit *tacita*, et *probabilius* etiam ex *certa* futuræ concessionis probabilitate præsumpta; utraque enim tollit usum independentem. Ejusmodi tamen præsumptio ordinarie non caret culpa veniali; quia plerumque Superiores, saltem *quoad modum*, sunt inviti — Licentia autem petita, sed indebite negata, nisi periculum gravis damni sit in mora, non excusat a transgressione voti.[4]

Hinc, i. e. ex præsumpta licentia, religiosus potest succurrere pauperi magna paupertate laboranti, quando aditus ad Superiorem non patet; — moderatas pauperibus largiri eleemosynas, si cum debita licentia versatur extra conventum; — eis dare aliquid esculenti quando est in conventu; — leves donationes facere amicis et consanguineis in signum grati animi, vel debitæ amicitiæ, vel ad conciliandum amorem erga Religionem; — ex bonis sibi ad usum concessis donationes remuneratorias facere, imo plus donare quam accepit, usque ad excessum quartæ partis, quia gratitudo postulat, ut plus reddatur quam fuerit acceptum; — probabilius etiam donare, quæ parcius vivendo sibi subtraxit ex rebus, sibi ad usum conces-

[1] Sess. 25. c. 1. de Regul.
[2] L. V. 15.
[3] Ib. n. 16.
[4] Ib. n. 19.
[5] L. V. 20.
[6] S. Alph. Opere Ascet. Lett. e. Istr. Circ. 3 oct. 1757. Tom. IV. p. 830. Cfr. Vind. p. 372. — Ed. 2^{a}. T. I. p. 420.
[7] L. V. 28.

[1] L. V. 28.
[2] Ib. n. 29.
[3] Ib. n. 30–32.
[4] Ib. n. 18. 33.

sis, si certa quantitas sibi assignetur, ita ut nec monasterium teneatur majorem præstare, nec ipse de assignata rationem reddere ;[1] — nisi de contraria Superioris voluntate constet, acceptare ab extraneis rem Superiori tradendam ;[2] — emere rem, si novit id Superiori pergratum fore, nec recursus facilis ad eum pateat, v. g. in itinere ; — generatim acceptare vel expendere aliquid, quando Superior adiri nequit et urgeat occasio ;[3] — dare aliquod Petro, si licentiam habeat dandi Paulo, nisi Superior dederit licentiam pro Paulo ob *peculiarem* rationem, negaturus, si pro Petro fuisset petita.[4] Illegitima tamen foret præsumptio in religioso, qui iter agens diverteret ad alia loca extra viam ad res curiosas videndas, nisi forte valde brevis esset distantia, et nullæ aut admodum modicæ fieri deberent expensæ, vel nisi in casu particulari Superioris licentia ex natura causæ merito præsumi posset.

1164. — Quær. 2° *Quænam materia censenda sit gravis in violatione voti paupertatis ?*

Resp. 1° In peccatis, quæ sunt simul contra *religionem* et *justitiam*, generatim loquendo ea habenda est ut gravis materia, quæ peccatum mortale in furto constituit.[5]

Cæterum ut judicetur de gravitate materiæ in hujusmodi furtis, advertendum est, monasteria mediocriter opulenta communiter dominis privatis sat opulentis æquiparari. Hinc eadem ac pro illis mensura generatim materiam gravem constituit. Si autem sint valde opulenta, major quantitas requiritur. Major etiam requirenda est, si Religiosus res Monasterii in usum proprium usurpet, vel aliis ejusdem Communitatis donet, quam si in extraneos easdem erogaret, quia sic ea domi remanent. Major etiam in furtis minutis, quæ insuper interposito notabili (V. n. 698. q. 6°) intervallo in gravem materiam non coalescunt. Major iterum in esculentis, dummodo non reserventur et damnificatio conventus non sit nimia et in re extraordinaria et pretiosiore.[6]

[1] L. V. n. 19–23.
[2] Lacroix, L. 4. n. 118.
[3] Ib. n. 109–111.
[4] Ib. n. 119.
[5] L. V. 24.
[6] Ib. n. 24. 25.

Resp. 2° In peccatis contra solam Religionem, seu contra solum votum commissis, crescit difficultas, et major est Theologorum dissensus. Communius tamen eamdem generatim materiam ad peccatum mortale requirunt, ac in casu præcedenti, ubi justitia violatur : quia actus proprietatis ejusdem gravitatis esse videtur. Attamen *non improbabiliter* ad grave peccatum nonnulli graves Doctores majorem quantitatem requirunt. — Sic Elbel,[1] — Salm.[2]

Communiter autem conveniunt, valorem multo majorem requiri ad graviter peccandum, quando dona accipiuntur ab extraneis in alios eroganda ; quia tunc multo minor est proprietatis actus, quam si hæc in proprium usum retinerentur.[3]

Generatim vero religiosus non peccat graviter clam accipiens rem aliquam ex Communitate, v. g. librum ad usum proprium etiam diuturnum (sed non in perpetuum), nisi ita occultet, ut a Superioribus inveniri nequeat ; quia tunc Prælatus non censetur invitus quoad substantiam, sed tantum quoad modum.[4]

Quoad res mutuo seu commodato acceptas vel traditas sine Prælati licentia, generatim loquendo non peccabit graviter contra votum paupertatis, si res ad usum suum vel etiam alias extraneis det mutuo vel commodato, modo sit certus de iis recuperandis, nec grave damnum propterea inferat Communitati, quæ idcirco v. g. careat usu rei graviter hic et nunc necessariæ. Multo minus graviter peccabit, si res ad usum sibi concessas mutuet seu commodet aliis religiosis ejusdem monasterii. Ratio est, quia etsi aliquem actum proprietatis in his ponat, non tamen graviter peccat, juxta communem Theologorum interpretationem.[5]

1165. — Quær. 3° *An religiosus, qui votum paupertatis violavit, teneatur ad restitutionem, et an impotens ad restituendum teneatur sibi subtrahere aliquid ex rebus sibi ad usum concessis ?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.* si violando votum simul etiam justitiam violavit. Ratio patet.

Resp. ad 2^um^. Vere probabilis est S°. Alphonso,[6] sententia negativa, si res ad

[1] n. 646.
[2] c. 6. n. 12.
[3] L. V. 24.
[4] L. V. 24.
[5] Ib. n. 27.
[6] Ib. 26.

usum concessæ sint *necessariæ*. Ratio quia præsumendum non est velle Superiorem subditum ad hoc obligare cum tanto incommodo.

1166. — Quær. 4° *Quodnam sit discrimen inter votum et virtutem paupertatis?*

Resp. Votum respicit tantum actus *externos* proprietatis; virtus vero ad *internos* cordis affectus etiam extenditur. Voti enim objectum est Religiosum bonis temporalibus exterius expoliare. Virtus autem pro fine habet omnem inordinatum cordis affectum erga res terrenas penitus rescindere. Votum igitur paupertatis est veluti medium ad virtutem, quæ est finis obtinendus. Hoc posito nemo non videt, virtutem paupertatis multo latius patere, quam votum: quoties enim quis votum infringit, simul et virtutem lædit; non autem vice versa.

Dixi, votum afficere solos actus proprietatis *externos;* attamen violari posset votum per actum internum, qui actum externum respiceret et attingeret, scilicet per desiderium agendi externe contra votum; siquidem desiderium induit omnem malitiam et speciem actus externi, ut dictum est n. 228.

B. *De obligationibus ex voto Castitatis.*

1167. — Votum castitatis multo præstantius paupertatis voto censeri debet, cum per illud Religiosus non bonis sibi extrinsecis, sed intrinsecis, corporis scilicet et sensuum voluptatibus, renuntiet.

Duo complecitur ejus objectum, nempe ea, quæ, de jure naturali et divino jam prohibentur, necnon ea, quæ in legitimo matrimonio licite fieri possent. Hæc igitur est voti castitatis efficacia, ut quod alioquin licitum esse posset, Religioso illicitum fiat; ea vero, quæ omnibus sunt prohibita, ipse evitare debeat ex duplici obligatione, castitatis scilicet et Religionis.

1168. Quæsita. — Quær. 1° *An peccata luxuriæ etiam mere interna voto castitatis adversentur?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia Religiosus vi voti castitatis tenetur abstinere ab omni voluntaria delectatione venerea, sive *interna*, sive *externa*, ita ut si castitatem lædat, duplicem incurrat reatum, luxuriæ scilicet et sacrilegii.[1]

1169. — Quær. 2° *Quænam sit gravitas peccatorum contra votum castitatis commissorum?*

Resp. Hæc regula generalis statuenda est. Eadem prorsus est gravitas peccati contra votum, ac contra Sextum et Nonum Decalogi præceptum, scilicet peccatum mortale est aut veniale contra Religionem, prout mortale aut veniale est contra castitatem. Parvitas autem materiæ admittenda non est in peccatis luxuriæ, nec nisi ex imperfecto consensu levis esse culpa potest, juxta dicta n. 484, 485.

1170. — Quær. 3° *An vel quænam sit differentia inter virtutem et votum castitatis?*

Resp. 1° Nullum datur discrimen ratione objecti, cum votum tam late pateat, quam ipsa virtus. Attamen in hoc differunt, quod in iis, quæ virtute prohibentur, duo dantur peccata si votum violetur, dum unicum committitur peccatum in eo, quod solo voto interdicitur. Si quis enim voto simplici Religionis ligatus matrimonium contraheret, unicum peccatum, scilicet contra Religionem, in usu conjugii patraret. Potest igitur quandoque violari votum, quin ipsa virtus lædatur.

Resp. 2° Virtus castitatis præter obligationes, quas imponit, mera quoque consilia ad majorem perfectionem ducentia suadet; dum votum solam materiam obligationis afficit.

C. *De obligationibus ex voto Obedientiæ.*

1171. Principia. — I. Religiosus ex voto obedientiæ tenetur ad omnia, quæ Superior præcipit secundum regulas et constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite.[2] Attamen ut sit peccatum contra votum, requiritur ut Superior vere præcipiat, et non tantum suadeat; quod quidem ex verbis, modo loquendi, variisque rerum adjunctis patebit.

II. Superior jus habet præcipiendi non ea solum, quæ explicite habentur in regula vel constitutionibus, ut sunt abstinentia, silentium, etc., sed etiam quæcumque implicite in eis continentur, ut pœnas in

[1] L. V. 37. [2] Ib. 38.

transgressores, et quidquid pertinet ad officia Communitatis rite obeunda, aut ad ejus rectam administrationem. Ratio est, quia religiosus se adstringens ad constitutiones speciales Ordinis servandas, se obligat ad ea omnia, quæ ad hunc finem consequendum sapienter statuta sunt vel præcipiuntur.

III. Religiosus vi sui voti non tenetur obedire Superiori rem, a) impossibilem, aut b) evidenter illicitam (ut revelare secretum, quod non ex alia ratione revelare teneatur), aut c) graviter sibi noxiam præcipienti.[1] — Et sane non potuit se obligare ad rem impossibilem, cum nemo ad impossibile teneatur; neque ad rem certo illicitam, siquidem votum nequit esse vinculum iniquitatis; neque demum ad rem graviter sibi noxiam, quia hoc a mente Religionis alienum est, et actus heroici non cadunt *communiter* et *implicite* sub votum, sicut non cadunt sub præceptum. Excipe tamen, si agatur de officiis intra limites vitæ religiosæ adimplendis, v. g. de curandis religiosis pestiferis ejusdem Ordinis, etc.

Hinc non tenetur subditus obedire Prælato jubenti, ut incedat super aquas, etc.; si autem referantur exempla, quibus constat, talem obedientiam Deo probatam et miraculis confirmatam fuisse, dicendum est, tunc divinum beneplacitum singulari ac superno lumine tum præcipienti, tum obedienti fuisse manifestatum.

1172. Quæsita. — Quær. 1° *Quodnam discrimen intercedat inter virtutem et votum obedientiæ?*

Resp. Idem quod superius n. 1166 fuit indicatum de paupertate; scilicet objectum voti est executio externa mandati Superioris, dum virtus usque ad internam submissionem pertingit, et perfectam ipsam obedientiam efficit.

A Religioso autem sedulo vitanda sunt non solum peccata contra votum, sed etiam contra virtutem, quæ quidem frequentius lædi solet. Accidit enim (utinam rarius!), ut subditus Prælati mandato actione quidem externa integre obsequatur, sed reluctante, mœsta et ægra voluntate. Tunc vero licet voto satisfaciat, a virtute tamen longe recedit.

Religiosus igitur Superiori vere præcipienti inobediens probabilius[2] duplex peccatum facit, alterum contra præceptum naturale, quod submissionem legitimo Superiori præscribit, et alterum contra votum. Hinc in piis Congregationibus virorum vel mulierum *in communi* sub eadem Regula vitam degentium absque votorum vinculo, inobedientes a peccato non eximuntur, si contra Superiores sint rebelles, sed unicum peccatum committunt.

1173. — Quær. 2° *An religiosus teneatur obedire in dubio, utrum res præcepta sit licita, vel potestatem Superioris excedat?*

Resp. Affirm., quia tunc præsumptio Superiori favet. Insuper opposita sententia ordinem in religiosis familiis perturbaret. Excipe, si res præcepta sit *aut* valde difficilis, *aut* subditum vel tertium periculo gravis damni exponat, dummodo in hoc duplici casu subditus agat ex opinione *solitarie* probabili. Ratio, quia tum jus moraliter certum subditi prævalet incerto superioris.[1]

1174. — Quær. 3° *Quandonam religiosus peccet graviter contra votum obedientiæ?*

Resp. Peccat graviter in sequentibus casibus, qui raro occurrunt; scilicet 1° quando recusat obedire in materia gravi Superiori præcipienti *in virtute sanctæ obedientiæ*, vel *in nomine Jesu Christi*, aut per alias similes formulas, quæ rarissime a Superioribus sunt adhibendæ; 2° quando Superiori præcipienti respondet: *Nolo obedire, nolo facere, non faciam*, aut aliud simile, quod contemptum formalem auctoritatis præcipientis redoleat; 3° quando ex inobedientia sequitur grave scandalum aliorum, sive subditorum, sive sæcularium, aut grave incommodum sive pro Communitate, sive pro aliis, v. g. pro salute animarum, etc.

In cæteris casibus inobedientia peccatum veniale non excedit; cum autem prædicti casus peccati mortalis raro accidant, communiter peccata religiosorum contra obedientiam ut venialia reputanda sunt. — Multo rarius adhuc peccata in solam virtutem commissa mortalia evadent. — Regula vero, jubens obedire in *omnibus*, intelligenda est de obedientiæ perfectione, non vero de obligatione ex voto.[2]

[1] L. V. 47. [2] Ib. 46. [1] L. V. 47. [2] Ib. 40.

1175. — Quær. 4° *Quibusnam obediendum sit?*

Resp. Obediendum est non tantum Superioribus majoribus, sed etiam inferioribus, seu ministris, vel præpositis ex *mandato Superiorum* præcipientibus, cum eadem sit auctoritas, quæ mandatum injungit.

Quær. 5° *Quomodo obediendum sit?*

Resp. Ut obedientiæ sua constet plena perfectio, obediendum est 1° *ex motivo supernaturali*, ut præscribit Apost.[1] *Non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes. . . . . Domino Christo servite.* — 2° *Alacriter*, seu cum gaudio et animo volenti: *Hilarem enim datorem diligit Deus.*[2] — 3° *Prompte*, id est, vel statim, vel tempore præscripto, et cum debita cura, absque segnitie. — 4° *Ex integro*, seu totum opus præscriptum perficiendo.

§ II. *De obligatione servandi Regulam.*

1176. Quæsita. — Quær. 1° *Quanta sit regulæ obligatio?*

Præn. Nomine regulæ in hac quæstione etiam veniunt *Constitutiones* seu *Statuta*, quæ a solis Prælatis aut Capitulis Religionum proficiscuntur.

Resp. 1° "*Regula . . . . non est merum consilium*," inquit Suarez: cum violationes regulæ possint a Superiore puniri. Vide Bouix.[3]

2° Dari potest regula, quæ obliget sub mortali, aut sub veniali, aut solummodo ad pœnam.

"Si regula sub peccato obliget, ejus transgressio est contra votum et sacrilega: ratio est, quia talis regula non est minus præceptiva quam vox Superioris; . . . . proinde . . . . Carthusianus, v. g. carnes edens, vel Franciscanus feria sexta non jejunans, contra obedientiam et contra temperantiam peccant." — Ita Busembaum apud S. Alph.[4]

3° Si in regula expresse dicatur eam obligare quantum potest, ejus violatio erit peccatum mortale aut veniale, prout materia est gravis aut levis: quia regula non est minus obligans quam vox Superioris, et Superior potest obligare juxta gravitatem materiæ.

4° Regula per se ne sub veniali quidem obligat, si hoc in ipsa declaretur. Si vero de hoc regula omnino sileat, controvertitur. Præferenda est, inquit D. Bouix post Suarez, sententia, quæ tenet regulam tunc sub gravi non obligare, et dignoscendum ex circumstantiis, et recepta interpretatione in unaquaque Religione, an obliget sub levi aut tantum ad pœnam subeundam:[1] si quis autem ex bono fine regulam quamdam transgrediatur, v. g. silentii ut socium mœstum soletur, nullo modo peccat.[2]

Merito tamen notant plures DD. hujusmodi transgressiones raro omni culpa vacare, propter negligentiam, contemptum, aliumve inordinatum affectum; imo graviter peccaret, qui frequenter et quasi per consuetudinem regulam transgrederetur, religiosam disciplinam graviter perturbando, v. g. si nollet unquam servare silentium, nec orare, nec modeste incedere; si ingrederetur omnium religiosorum cubicula, et similia Religionis statuta transgrederetur.[3] — Graviter quoque peccat, qui regulam infringit ex contemptu formali Superioris, ut v. g. ostendat Superiorem a se despici et pro nihilo haberi; item si id faciat ex odio contra Religionem aut personas ejus, vel ex voluntate resistendi Prælato; item si se exponat proximo periculo labendi in peccatum mortale, aut prævideat se ideo expellendum fore. Si quis autem proponat nunquam regulam servare, vix fieri potest, ut non adsit contemptus. Ita Suarez apud D. Bouix,[4] et S. Alphonsus.[5] — Sola autem frequentia infractionum non videtur sufficienter probare *contemptum*: cum hæc frequentia oriri possit ex magna desidia, in qua tamen desidiosus magni adhuc potest facere regulas, Superiores et Religionem.[6]

1177. — Quær. 2° *An Religiosus teneatur ad statuta nova; seu ea, quibus aliquid præcipitur ultra id, quod in Professione sua promiserit?*

Resp. Neg. Quia professio fit secundum regulam sive primitivam, sive legitima consuetudine mitigatam. Excipe, 1° si

[1] Coloss. 3. 22. [2] II. Cor. 9. 7.
[3] De Regul. T. II. p. 543. 548.
[4] L. V. 41.

[1] Bouix, T. II. p. 576.
[2] L. V. 10. Resp. I.
[3] Ib. 10. III.
[4] Tom. 2. pp. 549. 550.
[5] L. V. 11. 42.
[6] Bouix, T. II. pp. 549. 550.

statuta indirecte saltem ad regulam spectent, vel si 2° reformatio inducatur, quæ necessaria sit ad Ordinis conservationem. Tali autem modo necessaria est, si vel cum præsenti observantia paucissimi ad perfectionem pervenire studeant, vel religiosi cum scandalo sæcularium vivant, vel vota essentialia et alia Religionis statuta aliter non servarentur.[1]

1178. — Quær. 3° *An Prælatus defectus leves subditorum corrigere negligens graviter aliquando peccet?*

Resp. Affirm., cum S. Alph.[2] et *communi* contra Lorca, casu quo plures essent defectus et tales (v. g. circa silentium, jejunia, etc.), ut disciplinam valeant relaxare: unde de iis debet inquirere ut eos corrigat, sine tamen nimia sollicitudine: aliquando prudenter dissimulans, si defectus non afferant scandalum, vel si prævideat subditum ex correctione pejorem futurum, vel si tempus opportunius sit expectandum. — Quemadmodum autem Superior tenetur corrigere, sic de transgressionibus aliorum tenetur ipsum admonere, qui officium habet Zelatoris.

§ III. *De obligatione tendendi ad perfectionem.*

1179. *Principium.* — Tenetur religiosus, non quidem esse perfectus, sed tendere aliquo modo ad perfectionem.

Dico: 1° *Non tenetur esse perfectus*, ut Episcopus, qui vi muneris sui ad actus perfectionis, v. c. ad vitam pro ovibus dandam, obligatur, cum religiosus per se, seu vi status sui, ad ejusmodi actus non teneatur.

Dico: 2° *Tenetur aliquo modo tendere ad perfectionem.* Ea enim est consiliorum evangelicorum vis ac efficacia, ut qui se in iis exerceat, sensim sine sensu ad perfectionem caritatis conducatur. Etenim exercendo se in his consiliis ex una parte removet a se obstacula caritatis, seu perfectionis, triplicem nimirum concupiscentiam, oculorum videlicet per paupertatis, carnis per castitatis, superbiam vero vitæ per humilis obedientiæ exercitium; — ex altera vero parte eorumdem consiliorum observatio hominem disponit, ut totus Dei fiat, cuncta, quæ habet, ei tradendo, bona scilicet fortunæ per paupertatem, corpus per castitatem, animum per obedientiam.

1180. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quibus mediis teneatur religiosus tendere ad perfectionem?*

Resp. 1° Tenetur tendere *primario* per media essentialia status religiosi, nempe per observationem trium votorum, paupertatis, castitatis et obedientiæ.

Resp. 2° Tenetur tendere *secundario* etiam per media accidentalia, scilicet per proprias Ordinis regulas, saltem ea auxilia non contemnendo. Tunc autem censetur religiosus regulas prætermittere ex contemptu, quando eas transgreditur animo non subjacendi illis vel Prælatis suis; vel si eas ut inanes habeat.[1]

1181. — Quær. 2° *Quandonam religiosus graviter peccet contra præceptum tendendi ad perfectionem?*

Resp. In hoc graviter delinquit: 1° Si vota sæpe sæpius infringat in *re gravi*, ut patet; quia prætermittit media ad hanc obligationem servandam essentialia, et consequenter omnino necessaria. — Ita *omnes.* 2° Si regulas ex contemptu generatim transgrediatur, ut modo dictum est. Secus vero, si eas violet concupiscentia ductus, vel quia putat eas non esse sibi necessarias ad salutem, vel si cogitet, eas non præcipi sub gravi. Nam transgredi regulas in rebus exigui momenti, etiam ex consuetudine, præciso contemptu, veniale non excedit. — Ita *expresse* S. Alph.[2]

1182. — Quær. 3° *An peccet graviter religiosus, qui intendit servare tantum mandata obligantia sub gravi, et de cæteris nullatenus curare?*

Resp. SENTENTIA *negans communior* est, et S. Alph.[3] *probabilior.* Ratio est, quia eo ipso quod religiosus velit plura illa adimplere, quæ obligant sub gravi, jam tendit ad perfectionem, cum velit adimplere plura, quæ respectu aliorum non obligant, sed sunt meri consilii.

Cæterum recte advertit S. Doctor, religiosum ita dispositum in gravi peccandi mortaliter periculo versari ex aliis capitibus posse, v. g. ratione periculi transgrediendi vota, vel grave damnum inferendi Religioni quoad disciplinam, etc.

[1] L. V. 43. 44.
[2] Ib. n. 13.

[1] L. V. 10.
[2] Ib.
[3] Ib. 11.

§ IV. *Qua ratione obligationes ex Professione existentes cessent vel immutentur.*

1183. — Quamvis obligationes, ex Professione valida existentes de sua natura perpetuæ sint, *cessare* tamen possunt, vel etiam *immutari*.

Cessant dispensatione Summi Pontificis, vel ejus, cui a Summo Pontifice, puta per Regulam, hæc potestas facta sit. Patet ex iis quæ in Tract. *de Legibus* n. 158 et de 2° Præc. n. 391 diximus. — Quin et in votis solemnibus S. Pontifex, gravissima de causa, dispensare potest. Ratio est, quia solemnitas votorum ex solo Jure ecclesiastico instituta fuit, ut constat ex *Extrav. Joannis XXII. tit.* 6. et ex bulla: *Ascendente Domino*, in qua *Gregorius XIII.* dicit: "Nos considerantes, voti solemnitatem sola constitutione Ecclesiæ inventam esse," etc. Ergo Summus Pontifex dispensare potest in votis solemnibus, sicut in votis simplicibus, siquidem illud, per quod illa ab istis discrepant, est de mera institutione ecclesiastica. Atqui juxta omnes dispensare potest in votis simplicibus. Ergo, etc. Constat etiam ex variis exemplis in historia ecclesiastica relatis, plures Summos Pontifices hujusmodi potestate usos fuisse. Ultimis præsertim temporibus *Pius VII.* plures hujus generis dispensationes monachis ac monialibus solemniter professis concessit ad matrimonia sacrilege inita revalidanda.

1184. — Mutatio in obligationibus ex professione existentibus tripliciter contingere potest, scil: 1° per ejectionem e Religione, quo in casu ejecti tum substantialibus Religionis, tum cæteris sui Ordinis peculiaribus votis indubie per se obstringuntur, ita tamen, ut castitatis quidem votum sine exceptione ab eisdem sit custodiendum, reliqua vero paupertatis, obedientiæ, et si qua alia eorum professioni adnexa sint vota, moderationem quamdam in ipso usu et praxi patiantur, quæ peculiaribus cujusque circumstantiis aptetur et congruat; Ordinarii vero loci jurisdictioni subesse et ejus mandatis obsequi debent. Cfr. Ben. XIV.[1]; 2° per transitum ad aliam Religionem (n. 1157. 2°. d); 3° per indultum *sæcularisationis*, quod quandoque ex justa causa a Summo Pontifice conceditur, plerumque tamen sub cautela, ut, quantum fieri potest, tria emissa vota serventur, et ut aliquod religiosi habitus vestigium in sæculo jugiter deferatur. — Religiosi autem, qui ad Episcopatum assumitur, vota non eo ipso solvuntur (cum vota personalia comitentur personam), quamvis eorum observatio sub his circumstantiis modificetur. Potest enim promotus bona legitime acquirere; sed usum sibi, proprietatem vero ecclesiæ, cui præest, et cujus bonorum est dispensator, acquirit. Item votum obedientiæ non cessat, cum Summum Pontificum ut Superiorem nanciscatur.[1]

Quod Regulam spectat, Episcopus regularis, ad præscriptum Const. Ben. XIII.: *Custodes*, tenetur observare regulas suæ Religionis, quæ materiam voti paupertatis determinant; item tenetur alias regulas et observantias, dignitati et officio Episcopali non repugnantes, eadem obligatione gravi vel levi observare, qua tenebatur antequam assequeretur dignitatem Episcopalem: ita tamen, ut in peculiaribus casibus prudenter judicium ferre possit, utrum cum dignitate et officio illæ conveniant.[2] Officium autem divinum recitare tenetur juxta ritum suæ diœcesis.[3] Idem fere quoad Regulæ observantiam dic de regulari ad parochiam promoto.

CAPUT II.

DE IIS, QUÆ PROPRIA SUNT RELIGIOSIS, QUI VOTA SOLEMNIA PROFITENTUR.

1185. — I. Religiosis *solemniter* professis omnino propria potissimum sunt hæc: 1° Obligationis perpetuitas talis, ut via tantum *extraordinaria*, v. c. per S. Pontificem et ob gravissimam tantum causam, dissolvi possit, et rarissime dissolvatur.

2° Inhabilitas ad matrimonium *valide* contrahendum, et contracti, non tamen consummati, dissolutio, cum votum simplex castitatis de se nec contractum dissolvat, nec contrahendum dirimat, sed tantum *illicitum* reddat.

[1] De Syn. l. XIII. c. XI. n. 16. et seq.

[1] Craisson, Man. n. 1090. sq.

[2] S. C. Episc. et Reg. 6. maii, 1864. v. Acta, V. I. p. 449. sq.

[3] Craisson, Man. n. 1091.

3° Exemptio a potestate Ordinariorum, seu libertas a potestate et jurisdictione Ordinarii cum immediata subjectione Sedi Apostolicæ, quæ exemptio Congregationibus votorum simplicium non nisi speciali S. Sedis communicatione acquiritur. — Licet vero hæ Congregationes *per se* subjiciantur Episcopo, subjiciuntur tamen *soli* ejus *jurisdictioni*, et quidem excepto Instituto, in cujus proinde forma et regula nihil potest mutare. — Dixi: *soli ejus jurisdictioni*; nam potestas œconomica et dominativa (i. e. ea quæ ex voto est) ad ipsam Congregationem pertinet. Hinc e. g. ad ipsam pertinent electiones Superiorum, admissiones et expulsiones subjectorum, etc.[1]

4° Incapacitas dominii in particulari seu respectu individui. Dico: *in particulari*, nam sunt etiam religiosi, v. c. Franciscani, qui ne in communi quidem bona *immobilia* habere possunt.

Hinc dona omnia, quæ Religiosis *solemniter* professis fiunt, eo ipso acquiruntur Monasterio, non exceptis legatis et hæreditatibus, ex notissimo principio Juris Canonici: "Quidquid Monachus acquirit, non sibi, sed Monasterio acquirit." Hoc principium valet etiam quoad alios Religiosos intra limites voti paupertatis, quod illis non adimit facultatem acquirendi et possidendi. Hinc isti legata et hæreditates acceptare et acquirere valent, licet de iis sine licentia disponere nequeant. Quoad cæteras donationes, eæ Monasterio obveniunt, nisi fiant speciatim intuitu personæ privatæ, et non quatenus Religiosæ. Tunc vero Religiosus acceptare nequit absque licentia saltem præsumpta, seu sub conditione licentiæ obtinendæ.

Religiosus autem non solemniter professus retinet dominium directum, et hoc dominium se extendit: 1) Ad bona temporalia, quæ possidebat ante vota; 2) ad fructus seu reditus eorumdem bonorum; 3) ad ea, quæ ipsi de jure adveniunt, sine nova acceptatione, ut hæreditas paterna, legata, etc.; . . . . 4) ad omnia bona, quæ a parentibus, cognatis, amicis . . . . accipit de Superiorum licentia. Attamen, si hæc sint usu consumptibilia, in communem monasterii usum *juxta morem* applicanda sunt, saltem generatim loquendo.

[1] Ben. XIV. C. Emanavit 29 apr. 1755.

5° Clausura Papalis, sine qua consistere nequit monasterium cum votis solemnibus, quamvis cum ea extare etiam possit monasterium, in quo vota simplicia tantummodo nuncupentur.[1]

Dixi: *potissimum sunt hæc.* Nam

1186. — II. Sunt quædam ita iis propria, ut, licet etiam in plurimis Institutis votorum simplicium inveniantur, non tamen in omnibus necessaria sint. Ejusmodi de jure communi sunt:

1° Ut Novitiatus, (nisi agatur de locis hæreticorum, in quibus legitima consuetudine aut S. Pontificis dispensatione contrarium obtineat), fiat in habitu; — et duret per annum, a suscepto habitu computandum,[2] eumque — a) ita *integrum* ut ne dies, et ex multorum opinione ne quadrans, aut ne momentum quidem desit, ac in bissextili unus dies superaddatur,[3] — ac b) ita *continuum* (seu non interpolatum), ut non moraliter repugnet probationi. Professio autem aliter facta nulla est.[4] — Interruptio vero *certo* non habetur, — ex morbo, qui ab exercitiis prohibet, nisi fuerit amentia, — neque ex violenta abductione ex Novitiatu, v. g. tempore politicæ perturbationis, aut violentæ ejectionis, — neque ex itinere, approbante Superiore, v. c. ad gerenda negotia sua, suscepto, — neque ex demissione, cui falsa accusatio locum dedit.

Interruptio *certo* habetur, — dum quis Novitiatu, deposito habitu *et* cum animo non redeundi, egreditur. (Sunt qui negant interrumpi Novitiatum, dum quis retento habitu, aut deposito quidem, sed ad paucos tantum dies, v. c. tres quatuorve, egreditur, eo quod interruptio, absoluta jam majori Novitiatus parte, durior videatur. Occurrentem casum decidere penes Superiores est); — item dum quis propria auctoritate egreditur domo probationis, in qua Novitiatum incœpit, et ad aliam ejusdem Ordinis domum aut provinciam transit; nisi tamen id ex levitate et ad paucos tantum dies factum fuerit; — demum dum quis ad alium Ordinem transit.[5]

[1] Cfr. Güry. Edit. Rom. 1872. T. I. p. 578. Nota (K).
[2] Trid. Sess. 25. c. 15. de Regul.
[3] Billuart. de Rel. Diss. 4. a. 2.
[4] Craisson, Man. n. 2651.
[5] Ib. n. 2652 – 2655.

2° Ut irritæ sint donationes et renuntiationes, etiam juratæ, quæ fiunt ab ingredientibus Religionem, nisi fiant cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii, intra duos menses proximos ante professionem, et professio postea subsequatur. Ita Trid. Sess. 25. c. 16 de Regul. Eodem Trid. decreto comprehenditur renuntiatio beneficii, quæ etiam suspensa manet.[1] Hujus decreti finis est removere a Novitiis necessitatem emittendæ professionis; itaque ejus dispositio locum habet in solis donationibus et renuntiationibus, quæ fiunt intuitu vel ex causa impulsiva ingressus, vel sub conditione professionis emittendæ; non vero in aliis, quæ eo animo factæ non sunt, vel quæ libertati egrediendi non præjudicant, e. g. in donatione *modica;* in codicillo; in testamento; in donatione mortis causa; hæc enim usque ad professionem revocabiles sunt.[2] Tridentinum Societatem Jesu ab hoc suo decreto excipit. Idem Trident. l. c. sub excommunicationis pœna in dantes et recipientes prohibet, ne quid durante Novitiatu monasterio ex bonis novitii tribuatur, et jubet ut abeuntibus ante professionem omnia restituenda sint, quæ ingredientes intulerunt et sua erant. Id tamen non prohibet, quominus ab eis expensæ a monasterio in suî victum, vestitum, et alia necessaria ac consueta factæ exigantur.

3° Ut professio non valeat ante 16 ætatis annum completum.[3]

4° Ut, qui nulliter professus est, elapso quinquennio, reclamare amplius nequeat, nisi ex justa causa fuerit a S. Pontifice in integrum restitutus.[4]

1187. — III. Ex Decreto Pii IX. promulgato per litteras encyclicas S. Cong. Reg. ad Superiores Ordinum Religiosorum datas 19 mart. 1857, religiosi omnes eorum Ordinum, in quibus vota solemnia emittuntur, in posterum absoluto tyrocinio tantum vota *simplicia* emittunt, saltem ad triennium, deinde ad *solemnia* vota admittuntur, si a Superioribus suis digni reperiantur. Justis autem de causis professio solemnis etiam diutius poterit differri, quamquam non ultra ætatem 25 annorum expletorum.[1]

Ex declarationibus autem S. Cong. Reg. datis die 25 febr. 1859, etc., et ad præfatum decretum spectantibus, vota simplicia, de quibus agitur, perpetua sunt ex parte voventis, et eorum dispensatio Summo Pontifici reservatur. Ex parte tamen Ordinis solvi per dimissionem professorum possunt, ita ut, data dimissione, eo ipso professi ab omni dictorum votorum vinculo liberi fiant. Nemo vero ex causa infirmitatis, post professionem votorum simplicium exortæ, dimitti poterit. Cæterum professi horum votorum participes fiunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus solemniter professi in eodem Ordine fruuntur.

CAPUT III.

DE IIS, QUÆ PECULIARIA SUNT MONIALIBUS.

Prænot. Nomine monialium, nisi aliter notetur, hic veniunt *solemniter professæ* vel professuræ. Sunt autem vel exemptæ vel non. Exemptarum autem aliæ subjicuntur Regularibus, aliæ non.

1188. — *Dispositiones juris monialium Novitiatui et Professioni propriæ.* — I. Admittendæ non sunt ad habitum, a) ante expletum 15 ætatis annum. Ita S. C. Episc. et Reg. apud Bouix;[2] b) praxis communiter vigens requirit licentiam vel Episcopi, si agatur de non exemptis aut de exemptis, quæ non subjiciuntur regularibus; vel Prælati regularis, si regularibus subjiciuntur. Dixi: *praxis communiter vigens;* quia quoad jus scriptum disputatur.[3] Cæterum moniales, etsi non exemptæ et vota tantum simplicia professæ, cogi nequeunt ab Ordinario ad recipiendam aliquam novitiam, vel ad manifestandam causam cur illam non admittant. Ita *communiter.* — Decretum S. C. super Statu Regul., de quo n. 1157. 7° non videtur pertinere ad moniales.

1189. — II. Ad professionem licite

[1] Ben. XIV. c. Ex quo dilect.
[2] L. IV. 935.
[3] Trid. Sess. 25. c. 15. de Regul.
[4] Ib. c. 19. et Ben. XIV. c. Si data, d. 4. martii, 1748.

[1] Analecta I. P., série 2e, col. 2955.
[2] De Regul. tom. I. p. 652.
[3] Ib. pp. 559–564.

admitti nequeunt, 1) nisi vel Episcopus per se aut per delegatum, vel Vicarius Generalis eas prævie examinaverit. Et hoc quidem examen fieri potest et debet infra quindecim dies postquam Episcopus aut ipsius Vicarius de tempore professionis certioratus fuerit, quæ certioratio a Superiorissa, sub pœna suspensionis ab officio, mense ante professionem fieri debet. Examen autem ad crates monasterii peragendum est, et prohibentur aliæ interrogationes, quam eæ, quas *Concilium Trident. fieri jubet*, scilicet, *an Deo dicanda coacta, an seducta sit; an sciat quid agat.*[1] Possunt tamen tres illæ quæstiones variis formulis exprimi; sed vitandum est, ne, variando formulas, ad alia excurratur; indebita enim foret v. g. interrogatio: *num aliquando de ineundo matrimonio cogitaverit; num christiane vixerit; num carnis tentationibus aut lapsibus sit obnoxia*, etc.

Quamvis præfata lege Concil. Trident. non *ligetur* Episcopus nisi quoad moniales, quæ vota solemnia emittunt: — Concilium enim et S. Pius V. loquuntur de suscipiendis in ordine ad *Professionem*, quæ in jure est *Professio solemnis*: — attamen Episcopus *potest*, si velit, vetare ne puellæ, etiam in Congregationibus, quæ vel solum simplicia vel nulla vota habent, ad habitum vel professionem admittantur ante factum a se examen, in quo tunc non adstringitur ad formam a Concilio Trid. et S. Pio V. determinatam, sed duntaxat ad prudentiam et æquitatem a jure naturali præscriptam.[2]

2) Si, expleto anno probationis, Episcopus, ex justa causa, professionem distulerit.

3) Si agatur de chorista, et dos, ab Episcopo taxata, et quæ ære solvenda est, non fuerit præstita. Dotem autem alienare nequeunt Moniales, nec transferre in aliud monasterium, in quod transferatur monialis, nisi hoc monasterium monialem admittere cogatur. Restituenda autem est e monasterio egredienti, si vota simplicia tantum in eo emittantur. Æquum tamen videtur, ut aliqua pars dotis relinquatur monasterio in compensationem expensarum, quæ pro ejus sustentatione factæ sunt.[3]

[1] Trid. Sess. 25. c. 17. de Reg. Const. Pii V. Etsi mendicantium.
[2] Bouix, de Reg. tom. 1. pp. 651–658.
[3] Craisson, Man. n. 2733. sq.

4) Invalida foret professio, si novitia, quæ causa infirmitatis e monasterio exiit, postea, dum convaluit, non denuo incœperit novitiatum.[1]

5) Professio monialium in manu Ordinarii aut ejus delegati, non autem Abbatissæ, principaliter fieri debet . . . Valida tamen est, si fiat in manu Superiorissæ de consensu majoris partis Capituli. — Ita *de jure communi*: nam jure particulari, consuetudine aut Statutis Ordinis firmato, ad Episcopum etiam solum spectare potest jus ad professionem admittendi. Ita Fagn.[2]

6) Ad moniales non pertinet Decretum S. Cong. Regul. dd. 19 martii 1857, quod supra n. 1187 retulimus.

7) Moniales solemniter professæ non possunt transferri ad aliud monasterium, absque Indulto S. Sedis, quo super lege clausuræ cum eisdem dispensetur.[3]

8) Causæ nullitatis professionis pro monialibus non exemptis dignoscendæ sunt a solo Ordinario; pro exemptis vero, quæ regularibus subsunt, ab Ordinario conjunctim cum Prælato, cui regimen monasterii commissum est. Casu quo isti judices non concordarent, lis per Sedem Apostolicam esset dirimenda.[4]

1189. — III. *Dispositiones juris ad monialium regimen pertinentes.*

1° Semel in anno Episcopus per se vel per alium debet canonicam monialium visitationem facere; et quidem, vi jurisdictionis suæ ordinariæ, si non sint exemptæ; si vero sint exemptæ et immediate Sanctæ Sedi subjectæ, tanquam ejusdem Sedis delegatus; — si tandem sint exemptæ et Prælatis regularibus subjectæ, visitatio fieri debet a Prælatis regularibus, sed simul Ordinarius potest monasterium visitare *ratione clausuræ*, id est, quoad omnia, quæ ad clausuræ observantiam spectant.[5]

2° Ad Episcopum pertinet per se vel per alium præesse electioni Superiorissæ: et quidem jure ordinario, si monasterium sit ipsi subjectum; — si autem sit Sedi Apostolicæ immediate subjectum, ipsi præsidet Episcopus tanquam ab eadem

[1] Varceno. p. 188.
[2] In C. Porrectum, de Reg. Bouix, de Regul. t. I. pp. 611–616.
[3] Craisson, Manuale, n. 2608.
[4] Craisson, Manuale, n. 2721.
[5] Clement. L. III. T. X. c. 2.

Sede delegatus; — si vero sit Prælato regulari subjectum, potest etiam Episcopus, si velit, interesse et præsidere, sed solummodo *directive*, non jurisdictionaliter: quare in hoc casu nequit suffragia recipere, sed tantum ea audire et cognoscere; recipere autem ea ad regularem Prælatum spectat, sciente tamen et audiente Episcopo.[1] Electa Superiorissa confirmari debet, vel a Prælato regulari, si huic monasterium subjaceat; vel ab Episcopo, si non sit exemptum: si vero sit immediate Sedi Apostolicæ subjectum, a S. Pontifice confirmatio est petenda.[2]

3° Episcopus singulis annis poterit rationem exigere administrationis bonorum temporalium monialium, etiam, at tanquam delegatus Apostolicus, exemptarum; — administratores, sive regulares sive sæculares sint, removere valet, sed, si de monialibus exemptis agitur, non constituere; — poterit quoque, si de monialibus agatur, quæ Regularibus non subjiciuntur, et *consuetudo* ita habeat, plures alios actus administrationis circa bona monialium exercere, e. g. exigere ut pro rebus *majoris momenti* suus habeatur consensus.[3]

4° Si conventus monialium, in diversis diœcesibus disseminati, Superiorissæ Generali subduntur, potestas respectivi Episcopi sequenti modo determinanda est. Vel S. Sedes, Constitutiones hujusmodi Congregationum approbando, determinavit modum, quo moniales a variis Ordinariis penderent, prout determinavit Bened. XIV. in sua Constit. *Quamvis*, 30 april. 1749, quoad *Virgines Anglicas*, et tunc regulæ sic datæ sunt certe observandæ; vel nihil tale fuit determinatum, et tunc moniales certe etiam pendent ab unoquoque respectivo Episcopo loci, ubi resident, *quoad ea, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis*, cum ea ad unumquemque respectivum Ordinarium, ratione muneris Episcopalis, pertineant independenter ab aliis, iisque privari nequeat, nisi in casibus in jure expressis. — Sed quoad ea, quæ sunt meræ administrationis œconomicæ, non videtur posse admitti, moniales ab unoquoque respectivo Ordinario pendere, quando subsunt Superiorissæ Generali; hæc enim, ut jam diximus, ad Episcopos non pertinent ratione muneris Episcopalis, sed duntaxat ratione *consuetudinis* (h. n. sub 3°); porro consuetudo non est observanda, nisi sit bona et rationabilis, qualis certo non foret hæc. Si enim v. g. unus Episcopus vellet præfici Ordini vel monasterio monialem, quam alter Episcopus vellet sibi retinere; — si certæ religiosæ ex uno monasterio deberent ejici aut aliò transferri, hoc ipsum reneunte altero Ordinario, vel Superiorissa Generali; — quomodo in his et sexcentis aliis similibus casibus poterit adesse unitas regiminis, vel etiam stare poterit ipsa Congregatio? Ergo rationabilis non est consuetudo, qua, sub ratione regiminis œconomici, ab unoquoque respectivo Ordinario pendeant moniales, Superiorissæ generali subditæ; sed ab hac duntaxat pendere debent.

5° Superiorissæ potiuntur potestate *dominativa*, vi cujus secundum sententiam, quæ S. Alph.[1] *absolute* probabilior est, præcipere possunt in virtute sanctæ obedientiæ ac vota professarum irritare;[2] eas *aliqua die* Communione privare, at non obligare, ut eam frequentius aut rarius recipiant, quam earum confessario videatur.[3] *Jurisdictione* autem carent. Quapropter proprie dispensare nequeunt in Regula vel præceptis ecclesiasticis, sed vel declarare tantum casus, in quibus subditæ ab eis *excusentur* (n. 147), vel ex *commissione* Prælati regularis, cui subjiciuntur,[4] aut, ut opinatur Gautrelet,[5] Episcopi, si Prælato regulari non subjiciuntur, dispensare.

6° Si Superiorissæ vi Regulæ conscientiæ rationem exigunt, moniales non tenentur eis declarare peccata sua sive præsentia, sive præterita.[6]

7° Moniales, etiam non exemptæ, gaudent iis Religiosorum sui Ordinis privilegiis, quorum pro conditione sua sunt capaces.[7]

De obligatione monialium ad chorum

[1] Bouix, de Regul. T. II. pp. 393, 394.
[2] Ib. p. 396.
[3] Craisson, Man. n. 2928 – 2932.

[1] L. V. 51. 52.
[2] Ib. 53.
[3] Craisson, Man. n. 3043.
[4] Ib.
[5] Traité de l'état relig. Append. Art. 2. § 4. Vol. II. pp. 202. 203.
[6] S. C. Ep. et Reg. a° 1854. Vide Analecta, jan. 1859. Col. 1325. 1326.
[7] L. V. 60 – 64.

V. dicta n. 1090. I, 1095, 1096, 1098. q. 9°; de clausura et confessariis monialium dicenda in Tractat. *de Pœnitentia* et *de Censuris*.

CAPUT IV.

DE REGULARIUM PRIVILEGIIS.

§ I. *De Regularium Privilegiis universim.*

1190. *Qua ratione Regularibus sua privilegia concessa fuerint.* — Privilegia conceduntur I. vel *Scripto* vel *Vivæ Vocis Oraculo*. II. vel *directe* vel *indirecte*, i. e. communicatione cum aliis privilegiatis. Communicatio fit vel *in forma communi*, ea dumtaxat, quæ communiter et sine difficultate concedi solent, complectens, vel *in forma speciali*, qua comprehenduntur etiam insolita et quæ raræ et difficilis sunt concessionis, exceptis tamen, nisi nominatim exprimantur,

a) Indulgentiis, sub quibus etiam veniunt altaria privilegiata. Sequitur ex prop. 37 damnata ab Alex. VII. p. XIV.

b) Officiis *propriis*, quæ non communicantur Directorio dicœcesano utentibus, et *novis*, ad quæ indulto egent qui Kalendarium proprium habent. Patet ex decl. S. R. C. dd. 30 sept. 1679 et 20 mart. 1706.

c) Exemptione a jurisdictione Ordinariorum. Cfr. n. 1185. 3°.

Nulla vero, quantumvis ampla, communicatione comprehenduntur:

1.) Prærogativæ quædam omnino specificæ, quas S. Sedes quibusdam Ordinibus *exclusive et privative* concessit, facta eorum Superioribus Generalibus facultate ipsas communicandi aliis Religionibus, Congregationibus vel etiam sacerdotibus in particulari.[1]

2.) Privilegia odiosa et quæ Statutis propriis sunt contraria.[2]

3.) Ad certum tantum tempus concessa.[3]

4.) Ob specialem causam *motivam* cum conditione; sive expressa sive tacita: *quoadusque causa perseverat*, data.[4]

5.) Alicui conventui, provinciæ vel religiosis alicujus Instituti in certis terris existentibus concessa, nisi eadem vel similis ratio pro cæteris ejusdem vel alterius Instituti religiosis, conventibus, provinciis militet.[1]

6.) Generaliter revocata a Tridentino vel per Constitutiones Apostolicas, nisi de novo fuerint concessa.[2]

7.) Concessa cum clausula, ne aliis communicentur, aut declarata incommunicabilia, nisi tamen succedens aliquis Pontifex, vel idem postea, amplissimam cum omnibus aliis Religionibus communicationem *in forma speciali* vel concesserit vel confirmaverit, additis clausulis efficacibus, quibus omnibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis in contrarium, cunctisque aliis derogatoriis derogetur.[3]

1191. *Privilegiorum confirmatio.* — Privilegiorum directæ vel indirectæ concessiones a S. Sede nonnumquam confirmantur, idque *in forma* vel *communi*, quæ novum jus non tribuit et singula privilegia in eo statu, in quo antea erant, relinquit, vel *speciali*, quæ non tantum, ut communis, valida corroborat, sed et invalidata revalidat, atque ita quidem ut amissa, vel concessa cum clausula ne aliis communicentur, de novo censeantur acquisita. Si autem privilegia sæpius confirmantur, et in una confirmatione quædam omittuntur, quæ in alia habentur, omissa nequaquam censentur revocata, præterquam si Tridentino vel alicui Constitutioni Apostolicæ adversarentur, quæ hujusmodi privilegia generaliter revocasset.[4]

1190. *Varia.* — 1° Quidquid concessum est Superioribus sive Generali, sive Subalternis unius Religionis, omnibus etiam Superioribus (Generali vel Subalternis) cæterarum Religionum, quæ cum ipsis communicant, concessum intelligitur, quamvis Officiorum denominationes sint variæ. Neque enim communicatio intelligenda est secundum identitatem materialem, sed secundum analogiam seu similitudinem formalem.[5]

2° Si privilegium alicui Religioni concessum ab ipsa non acceptetur, vel non in

[1] Ferr. V. Confratern. I. 22. sq. et V. Indulg. IV. 22–27.
[2] H. A. Tr. XX. 11.
[3] Ib.
[4] Ib.

[1] H. A. Tr. XX. 11.
[2] Ib. 12.
[3] Ib. 9.
[4] Ferr. V. Priv. II. 6. 11.
[5] H. A. Tr. XX. 11.

usum deducatur, vel renuntiatione aut usu contrario cesset, aut a S. Sede in particulari revocetur, vel etiam Religio extinguatur, nullum inde præjudicium creatur alteri Religioni, quæ cum ipsa communicat.[1]

3° Privilegiis, quæ Communitatibus concessa sunt, singula Communitatis membra renuntiare nequeunt. V. n. 196.

4° Unius alteriusve privilegii usum Superiores, justa tamen de causa, subditis suis *limitare*, quin et penitus et *generatim prohibere* possunt,[2] exceptis tamen Prælatis inferioribus, qui hac potestate pro singulis tantum casibus vel subjectis uti valent. Quodsi Superiores neque limitaverint neque prohibuerint, nec hæc conditio in ipso indulto expressis verbis adjecta fuerit, subditi nulla illorum delegatione, assignatione aut licentia indigent, ut privilegia in usum deducant.

5° Privilegiis soli Generali concessis alii Superiores uti nequeunt, at quidem viceversa.[3]

6° Privilegia 1) a Generali, sive per se ipsum, sive per Superiores subalternos *generaliter*, i. e. non ad casum aliquem specialem, subditis communicata, perdurant donec ab ipso aut, eo mortuo, a Vicario aut successore ejus revocentur (n. 151).

2) A Superioribus subalternis ad tempus constitutis *proprio* jure communicata expirant finito termino eorum muneri præfixo, i. e. novo Superiore in munus suum ingresso.

3) Ad certum numerum casuum concedenda, exhausto tantum numero, non vero finito munere concedentis, cessant (n. 151).

7° Regulares Ordinariis locorum exhibere tenentur:

1) *Licet non requisiti*, et priusquam iis uti possint, privilegia cum clausula: *certioratis locorum Ordinariis;* item novas indulgentias antequam publicentur.

2) *Requisiti*, at quin interim usu privilegii interdici possint, privilegia *specialia* exemptionis, i. e. quæ jure communi et notorio omnium regularium non continentur. (Cfr. n. 195.)

8° Privilegia regularium:

1) Largissime, atque eo modo ut aliquid operentur, interpretanda sunt (n. 193).

[1] H. A. Tr. XX. 9.
[2] L. V. 64. et Tr. de Priv. n. 6.
[3] H. A. Tr. XX. 11.

2) S. Sedes sola authentice et definitive seu juridice interpretatur. Idem tamen dicendum de Prælatis regularium relate ad subditos et pro foro conscientiæ.[1]

§ II. *De Privilegio exemptionis.*

I. *Qualis sit exemptio regularium et quid comprehendat.*

1193. — Exemptio est privilegium quo aut locus aut persona aliqua (physica aut moralis), aut locus et persona simul, intra territorium alicujus jurisdictionis ordinariæ, eidem subducitur.

Exemptiones *aliæ* sunt a S. Pontifice concessæ, *aliæ* ab Episcopis; — *aliæ* ab Episcopali, *aliæ* a parochiali aut etiam ab inferiori jurisdictione; — *aliæ* personales, *aliæ* locales, *aliæ* personales et locales simul.

Regularium exemptio est a) a Papa concessa, b) a jurisdictione Episcopali, c) a parochiali, d) personalis et localis simul.

1194. — Generatim comprehendit sequentia.

I. Nec *ecclesiæ* regularium, quibus non sit annexa cura animarum parochialis aut, prout apud nos, quasi parochialis, nec *domus, quandocumque* in iis habitant duodecim subjecti (quorum nomine veniunt etiam fratres laici et novitii), nec *oratoria*, sive *publica*, sive *privata*, domibus eorum unita, nec *capellæ* et *altaria laicorum* vel *confraternitatum laicalium*, in ecclesiis eorum erecta, visitationi Ordinarii subjacent.[2]

II. Generalis et Provinciales jurisdictione quasi Episcopali gaudent, seu id possunt in subditos suos, quod Episcopi *de jure* possunt in suos dicœcesanos. Eadem jurisdictione, dummodo tamen a Superioribus altioris ordinis non fuerit legitime limitata, potiuntur Superiores locales, et horum omnium jurisdictioni *in odiosis* exclusive subsunt omnes eorum subditi.[3]

Subditorum autem nomine veniunt non tantum professi, tam sacerdotes quam fratres laici, sed in *favorabilibus* quoque 1) Novitii. 2) Canditati a tempore, quo ad statum religiosum probantur, licet habitum nondum receperint. 3) Familiares, i. e. omnes sæculares conventibus regulari-

[1] S. Alph. Tr. de Priv. n. 6–8. 73.
[2] H. A. Tr. XX. 79. 88.
[3] Ib. 72.

um, etiam pro salario, inservientes, dummodo a) continui commensales sint, b) intra monasteriorum septa ac domos habitent, et c) sub obedientia Superiorum vivant, licet non ex voto, sed ratione famulatus tantum. Utrum vero et alumni convictores familiaribus, præciso privilegio, quod v. g. *Benedictinis, Sulpicianis*, etc. concessum est, accensendi sint, disputatur.[1]

1195. — Vi hujus jurisdictionis quasi Episcopalis, et specialium privilegiorum, hæc quæ sequuntur Superioribus regularium competunt.

A) Generalis per se vel per Visitatores suos, et Provinciales possunt et debent visitare singulas domos, personas atque ecclesias sibi subditas, exclusa Episcoporum visitatione, præterquam in duobus casibus n. 1094. I. indicatis.

B) Generalis in singulos professos, et Provinciales, ac de horum saltem consensu Superiores locales, in subditos suos similiter professos eas omnes censuras ferre valent, quæ *personis* infligi possunt.[2]

C) Superiores cum subditis suis dispensare possunt in iis et eo modo, in quibus et quo modo Episcopi *de jure* possunt cum diœcesanis, scilicet:

1° *Quoad opera servilia* Dominicis festisque diebus.[3]

2° *In jejunio*, tam quoad unicam refectionem, quam quoad abstinentiam.[4]

3° *In divino Officio:* a) Ad instar Episcoporum, in casibus particularibus, ad breve tempus, et, ut per se patet, justa de causa, quam DD. dicunt adesse in *dubio* de *morali* impotentia recitandi. Præterea

b) Favore infirmorum et infirmis servientium, qui per se non excusarentur, Officium commutare possunt in 6 aut 7 Psalmos a se assignandos, 7 Pater et 2 Credo.[5]

4° *Quoad libros prohibitos*, possunt Superiores, ad instar Episcoporum, in casu particulari magnæ necessitatis eorum lectionem et retentionem subditis suis permittere.

5° *Quoad irregularitates.*

Cum suis dispensare possunt: 1° in omnibus irregularitatibus occultis, — excepto homicidio voluntario, post ingressum in Religionem commisso, nisi ex commissione sui Generalis, — ut Episcopi cum diœcesanis; 2° in irregularitatibus quoad defectum animæ ob dementiam, si periculum ejus cessavit; quoad defectum natalium (quæ irregularitas ex se cessat per professionem religiosam); quoad bigamiam etiam veram, et defectum publicum lenitatis.[1]

6° *Quoad quascumque inhabilitates et pœnas* contractas ex delicto, ut privationis officii, beneficii, vocis, loci, etc., idque, licet Papæ forent reservatæ.[2]

7° *Quoad vota.*

a) Excepto voto transeundi ad Religionem strictiorem, reliqua omnia *professorum*, etiam ea, quorum emissioni vel ipsi, vel prædecessor vel Superior subalternus consenserunt, *directe* possunt irritare (n. 389).

b) *Personalia* novitiorum *suspendi* possunt, dum gubernationi ac probationis exercitiis præjudicent aut impedimento sint.

c) Per se vel per alios, etiam extra Confessionem, dispensando aut commutando relaxare possunt *omnia* subditorum vota, exceptis trium peregrinationum, quæ tamen, ut mox a) dictum fuit, irritare valent.

D) Quoad ordines suscipiendos, V. Tract. *de Ordine.*

E) *Quoad Synodum diœcesanam et conferentias casuum conscientiæ*, Regulares vi exemptionis *personalis* non tenentur intervenire synodis diœcesanis, exceptis abbatibus, qui Capitulis Generalibus Ordinis non subduntur, et illis regularibus, qui Parochorum vel quasi parochorum munere funguntur.[3] — Similiter, nisi curam parochialem aut quasi parochialem exerceant, non obligantur assistere conferentiis casuum conscientiæ; et ne illi quidem regulares, qui jurisdictioni Episcoporum subsunt, quia conventus numero duodenario subjectorum caret, ad id compelli possunt. Nec licet Episcopo approbationi Regularium pro excipiendis fidelium Confessionibus conditionem adjicere, ut hisce conferentiis assistant.[4]

[1] H. A. Tr. XX. 74. Gury. Ed. Rom. 1873, T. II. n. 564. (I) p. 667.
[2] Acta, T. I. p. 98. 1).
[3] H. A. Tr. XX. 106.
[4] Ib.
[5] Ib. 107.

[1] H. A. Tr. XX. 104. 105. Coll. L. VII 396.
[2] H. A. Tr. XX. 105.
[3] Ib. 78.
[4] Ferr. V. Regulares. II. 60. 61. Bouix, de Reg. P. V. Sect. II. c. 2. § 7. qu. 23. 29.

F) *Quoad bona temporalia.*

a) In iis administrandis non pendent ab Episcopis.[1] (n. 627).

b) Ecclesiæ regularium, quibus non est annexa cura animarum parochialis, vel, ut hìc, quasi parochialis, nullum iis debent Cathedraticum (n. 631).

c) Hæreditate Ordini relicta cum onere piorum operum (sub quibus et Missæ) sive intra sive extra Ordinem adimplendorum, inquirere nequeunt Episcopi de eorum adimplemento; idemque dicendum de Missis, sive fundatis sive manualibus, etiam in ecclesiis regularium, quibus cura animarum est annexa.[2]

G) *Quoad Sacramentorum administrationem.*

a) Superiorum est confessarios respectivorum subditorum approbare, ipsisque Sacramenta administrare vel administranda curare.

Nomine subditorum veniunt iidem qui supra n. 1194. II. enumerati fuere.

b) Cum licentia Superiorum iter agentes confiteri possunt socio Ordinis idoneo, licet non approbato, vel, si hic desit,—et Capuccinos excipias, qui tamen ex concessione Ben. XIV. C. *Quod communi* 30 martii 1742 sacerdoti ab Ordinario approbato confiteri possunt si in locis versentur, ubi nec conventus vel hospitium, nec ullus frater confessarius ejusdem Ordinis reperitur, — cuilibet sacerdoti similiter idoneo, sive sæculari sive regulari, etiam ab Ordinario loci non approbato.[3] — Responsio autem, quæ opponi posset S. C. C. ad Episc. Hildesheimensem d. d. 18 nov. 1769 nullatenus contraria est, cum ibi sermo sit de religiosis, qui socios sui Ordinis ad manum habebant, ut patet ex actis ejusdem Congregationis.

c) Confessarii regularium

1) Suos, et, nisi agatur de casu ante illorum ingressum ad forum contentiosum deducto, etiam novitios, candidatos, qui ad novitiatum probantur, et familiares absolvere possunt a casibus, quos Episcopi in diœcesibus suis sibi reservarunt.[4]

[1] H. A. Tr. XX. 81.

[2] Ib. et S. C. C. 31 jan. 1681. — Ben. XIV. de Syn. L. XIII. C. XXV. n. 5. 6. — Ferr. V. Missa. XV. 12.

[3] Ib. 110. 111.

[4] Ib. 95.

2) Quoad censuras et casus Papæ reservatos:

1° Annumerantur impeditis adire Romam, adeoque a Prælatis suis ab iis absolvi possunt, "nisi excessus extiterit difficilis et enormis."[1]

2° Superiores, et ab ipsis sine casuum limitatione approbati *suorum* confessarii, suos absolvere possunt, at in foro conscientiæ tantum et dummodo casus sit occultus, a censuris Papæ non specialiter reservatis. Nam ex principio generali, supra n. 1194. II. allegato, Superiores in suos possunt omne id quod Episcopi de jure possunt in diœcesanos. Atqui Episcopi ex jure Tridentino (Sess. 24. c. 6. de Rf.), quod firmum voluit c. "*Apostolicæ Sedis.*" (V. dictam Const. §. "*Firmam tamen*"), ab his solvere possunt.

3° Iidem, propter eamdem rationem, eosdem absolvere possunt ab excommunicationibus, occultis tamen, quas eadem Constitutio Ordinariis reservavit; nam ejusmodi casus, ut docet S. Alph.,[2] dici potius debent *delegati* Episcopis, quam eisdem *reservati.* Ergo æquivalent iis, qui Papæ *non specialiter* reservantur.

1196. *Quoad exemptionem a jurisdictione parochiali, ubi ea jure existit, ac quatenus de facto viget.*

A) In quibus exempti sunt regulares a jurisdictione Episcopali, in iisdem *a fortiori* eximuntur a parochiali.

B) Specialiter designanda sequentia ex Craisson.[3]

1° In ecclesiis aut domibus suis Communionem paschalem, Viaticum et Extremam Unctionem recipere possunt non tantum professi, sed etiam novitii, candidati, et familiares. Hoc privilegio tamen non gaudent advenæ, qui in una domorum suarum infirmarentur. Quodsi ibi decesserint, non possunt sepeliri in ecclesiis, nisi sepulturam in iis elegerint, quo casu tamen, et nisi consuetudo contraria extet, quarta funeralium Parocho debetur.

2° Prima Communio non necessario a Parocho aut in propria parochia recipienda est. Consulenda statuta Episcoporum et consuetudines diœcesanæ.

3° Licet processiones fieri non possint

[1] L. V. Decr. T. XXXIX. c. 2. 32.

[2] De Priv. 100.

[3] Manuale, n. 611. sq.

generaliter a regularibus atque a confraternitatibus, quæ in eorum ecclesiis erectæ sunt, extra claustra sine licentia Episcopi, sufficit tamen illa licentia absque Parochi assensu. Si ecclesia claustro caret, processio sine licentia Episcopi fieri potest prope muros ecclesiæ, seu exeundo e janua ecclesiæ et intrando per aliam. Per Octavam Corporis Christi processio fieri potest extra limites conventus, non petita sive Parochi sive Episcopi venia.

4° Regulares simpliciter approbati ad Confessiones possunt toto anno, etiam tempore paschali, sæcularium Confessiones excipere: itemque infirmos audire, sed, eorum Confessione excepta, certiorem debent facere Parochum, scriptura saltem apud infirmum relicta; quod ipsis ab Episcopo (qui tamen neutrum prohibere valet) sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus præcipi potest. Ita ex S. C. C. 22 sept. 1668 et ex Clem. X. c. *Superna*.

5° Item possunt in suis ecclesiis Eucharistiam distribuere, etiam invitis Parochis, excepto, extra casum consuetudinis contrariæ, solo die Paschatis.

6° Cogere nequit Parochus, ut sui subsubjecti præcepto audiendi Missam satisfaciant in ecclesia parochiali; præceptum enim implere possunt etiam in ecclesiis regularium.

7° Omnes Hebdomadæ Sanctæ functiones (benedictione fontis excepta) libere a regularibus in ecclesiis suis peragi possunt. Sabbato Sancto tamen campanam ante ecclesiam digniorem, nisi vigeat contraria consuetudo vel ecclesiæ multum distent, pulsare nequeunt.

8° In suis ecclesiis omnes benedictiones peragere possunt, exceptis fontis baptismalis, nuptiali, et, ubi consuetudo contraria vel statuta synodalia obstant, mulierum post partum.

9° Missæ exequiales et, casu quo quis eam apud regulares elegerit, sepultura, non sunt de juribus parochialibus stricte dictis; quarta vero funeralis, ut supra 1°, solvenda est.

10° Impedire nequit Parochus, quin regulares in suis ecclesiis hora sibi bene visa celebrent, prædicent, et annuntient festa, vigilias ac jejunia sequentis hebdomadæ.

II. *Quid non comprehendat exemptio Regularium.*

1197. A. *Quoad domuum fundationem et derelictionem.* — 1) Domum regularem aut hospitium *late* dictum, seu quod habeat ecclesiam aut oratorium publicum, erigere non possunt, nisi de consensu Ordinarii. Non tamen requiritur, a) beneplacitum S. Sedis, nec b) consensus Parochi, qui jus tantum habet ut *audiatur*, casu quo, vel ecclesia regularium futura foret parochialis, vel erigenda esset cum præjudicio jurium *stricte* et *exclusive* parochialium, nec c) consensus religiosorum *conventum* intra spatium 560 ulnarum Florentinarum a domo ædificanda habentium, si agitur vel 1° de domo, in aliqua civitate fundanda, vel 2° etiam ruri, sed religiosis illis injuste contradicentibus, vel 3° de vicinia aliorum conventuum quam Fratrum Mendicantium, ut patet ex dec. Rotæ dd. 22 jun. 1615. Extra hos casus regulariter *audiendi* sunt, nisi aliunde constet ipsos ex nova fundatione haud grave passuros esse detrimentum.[1]

2) Hospitia *stricte* dicta [supra 1)], sine Ordinarii licentia erigere possunt.[2]

3) Jure *communi* liberum ipsis est domos ac ecclesias suas, etiam invito Ordinario, derelinquere, et, si ex propriis reditibus vel eleemosynis ædificatæ fuerint, derelictæ, omniaque ad eas nomine Ordinis pertinentia in dominio eorum remanent, deque his libere possunt disponere.[3]

1198. B. *Circa Prædicationem.* — 1) A Superioribus approbati prædicare possunt, a) in propriis ecclesiis, petita et non expresse negata Ordinarii licentia; b) in alienis ea obtenta, prævio, si Ordinario visum fuerit, examine moderato et discreto (Clem. X. c. *Superna*), vel etiam in loco, ubi Ordinarius actualiter non adsit, de sola Parochi licentia, si transeundo tantum ad breve tempus in aliquo loco, in quo Episcopus non adsit, morarentur.

2) Similiter quivis sacerdos sæcularis sive alterius Ordinis regularis ad prædicandum in ecclesiis regularium licentia indiget Episcopi.

3) Si ipse Episcopus in aliquo loco prædicat, prohibere potest, ne eodem tempore in aliis ecclesiis, etiam regularium,

[1] H. A. Tr. XX. 88.
[2] Ib. 89.
[3] Ib. 89.

conciones fiant. Item ne aliquo die concionentur, ut totus populus conveniat ad Cathedralem.

4) Non possunt, a) publice, sine Ordinarii licentia, personas vel familias indigentes auditoribus commendare, nisi tamen periculum sit in mora, vel agatur de ecclesia, cui cura animarum parochialis vel quasi parochialis sit annexa; b) publice, expresso nomine, aliquem redarguere, aut de tempore determinato Judicii vel Antichristi vel hujusmodi revelationibus prædicare. c) Quoad publicandas indulgentias V. n. 1192. 7°.

5) Episcopus regularem aliquem (non omnes alicujus conventus quoad prædicationem in suis ecclesiis) "ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes" a prædicatione potest suspendere, Clem. X. c. *Superna*.

Nota. 1° De *rigore* juris Ordinarius præcipere nequit, ut regulares in ecclesiis suis, quibus cura animarum parochialis aut quasi parochialis non sit annexa, prædicent. 2° Cogi non possunt ad acceptandum in ecclesiis suis concionatores sæculares aut aliorum Ordinum. 3° Episcopus nequit ipsis prohibere, ne in suis ecclesiis prædicent eadem hora, qua concio in ecclesia parochiali habenda est, si ipse huic concioni non intersit.[1]

C) *Circa Confessiones fidelium excipiendas* V. dicenda in Tract. *de Pœnitentia*.

1199. D) *Circa celebrationem Missarum.* —

1° Exceptis casibus n. 1196. sub 6°, 7°, 9°, 10° relatis, in quibus nec Episcopis subjacent, in reliquis observare tenentur tum statuta diœcesana, tum speciales Episcoporum ordinationes circa Missæ celebrationem, et quoad hæc eis tamquam delegatis Apostolicis subjiciuntur.[2]

Praxis tamen generalis est, approbata a Ben. XIV. c. *Quam grave* § 12, ut, non obstantibus Episcoporum statutis, ne cui vago et ignoto sacerdoti Missam sine eorum licentia celebrare liceat, religiosi ejusdem Instituti a confratribus in ecclesiis suis ad celebrandum admittantur, nulla ab Ordinario petita licentia.

2° De Missarum taxa et tabella V. dicta n. 637.

[1] H. A. Tr. XX. 124–128.
[2] Ib. 75.

1200. E) *Circa S. Communionis dispensationem.*

1° De vetita S. Communionis dispensatione die Paschatis, V. n. 1196. 5°, et de prima Communione, ib. 2°.

2° Licet non possint Episcopi S. Communionis dispensationem ad certos in qualibet hebdomade dies *generaliter* restringere, possunt tamen alicui ex suis diœcesanis in particulari Communiones taxare.[1]

3° Non possunt regulares sine Episcopi vel Parochi licentia Eucharistiam *publice* per plateas deferre ad ægrotos, nisi consuetudo contraria vigeat. An occulte? Disputant canonistæ in casu, quo non agitur de Viatico.[2]

F) *Circa Viaticum, Extremam Unctionem et Sepulturam.*

Viaticum et Extremam Unctionem exteris extra casum necessitatis sine licentia Parochi ministrare non possunt.[3] Oleum Sacrum tamen in ecclesiis suis in professorum, novitiorum, et familiarium usum asservare possunt. Eosdem in ecclesiis suis sepelire possunt, itemque alios fideles, qui sepulturam in iis elegirint, salva, ut n. 1196. 1° dictum fuit, quarta funeralium. At non licet hos medio voti, pacti vel promissionis irrevocabilis ad id inducere.[4]

G) *Circa expositionem SS^mi Sacramenti.*

1° *Publica* regularibus non licet, nisi de licentia Episcopi, vel jure consuetudinis legitime præscriptæ. *Publica* autem est quæ fit detecto Sacramento *et* januis apertis. Ergo licentia Episcopi non requiritur, si fiat *vel* Sanctissimo velato, *vel* exclusis sæcularibus.[5]

2° Obtentâ autem Ordinarii licentiâ, non requiritur consensus Parochi; et ne Ordinarii quidem opus est licentia per Octavam Corporis Christi, sive inter Missarum solemnia, sive ad Vesperas.[6]

H) *Circa Benedictiones* V. dicta n. 1196. sub 8° et dicenda in Tract. *de Sacramentis in genere.*

1201. I) *Circa Processiones.* — Episco-

[1] H. A. Tr. XX. 123.
[2] L. VI. 240.
[3] H. A. Tr. XX. 123.
[4] Ib. 91–94.
[5] L. VI. 424. Bouix, de Reg. P. V. Sect. III. c. 2. q. XIII.
[6] S. C. R. 20. apr. 1641.

pus potest adstringere regulares ut iis intersint, dummodo eos vocet non per publicum edictum, sed medio aliquo nuntio personaliter, et exceptis iis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt, aut privilegio aut vi Regulæ suæ eximuntur.[1]

1202. K) *Circa Indulgentias* (V. n. 1192. 7°), *SS. Reliquias et Imagines.*

1° Reliquiæ publicæ venerationi exponi nequeunt, nisi prævia recognitione Episcopi (n. 327. 4)).

2° Nulla *insolita* imago ulla in ecclesia poni potest, nisi approbata ab Episcopo [n. 328. 2) c)].

3° Nondum Beatificatorum nec Reliquiæ ad cultum publicum recognosci, nec imagines, nec "quodcumque aliud venerationem et cultum præ se ferens et indicans, in oratoriis, aut locis publicis seu privatis, vel ecclesiis" apponi possunt. Qui contra fecerint, ab Ordinario possunt puniri [n. 328. 2) a)].

L) *Circa obsequia Episcopis præstanda.*

Episcopi in ecclesiis regularium pontificalia exercere et baldachino uti posunt, ac reverenter excipiendi sunt.[2] Contra in regularium ecclesiis nullus alius nisi de consensu Ordinarii pontificalia exercere potest.

M) *Circa curam animarum parochialem vel quasi parochialem.* In iis, quæ ad eam pertinent, regulares subsunt jurisdictioni, visitationi et correctioni Episcoporum. Quousque hæc jurisdictio extendatur et quomodo facienda sit visitatio, V. H. A.[3]

N) *Circa Statuta Synodorum diœcesanarum et provincialium.* His tenentur regulares 1° quoad vim *directivam*, dum eorum observantia necessaria est ad vitandum scandalum. 2° Quoad *coactivam:* a) Ratione qualitatis non exemptæ exempti, e. g. muneris ab Episcopo dependentis, et quatenus dependentis, ut Parochi vel quasi Parochi, confessarii, concionatoris, etc. b) Quoad publicationem, et observantiam interdicti positi ab Episcopo. c) Quoad observantiam festorum ab Episcopo in sua diœcesi præscriptorum, servato tamen ritu suo quoad Missas et cætera divina officia. d) Quoad statuta circa observanda et vitanda in celebratione missarum, ut supra n. 1199. 1°, 2°.[1]

O) *Circa potestatem coërcitivam Episcoporum,* cui subjacent regulares:

1° In loco exempto transgredientes eorum præcepta, pro ejusmodi locis legitime lata.

2° Graviter delinquentes in prædicatione verbi Dei, in audiendis Confessionibus, in administratione cujuslibet Sacramenti.

3° Episcopos graviter offendentes, aut eorum jurisdictionem impedientes, aut circa clausuram monialium delinquentes.

4° Regulares a) degentes extra claustra modo permanenti (i. e. sine licentia Superioris, aut in loco ita longinquo, ut a Superiore puniri non possint nisi post longum tempus, non vero transitorie, causa v. g. prædicandi aut Confessiones audiendi, etc.) possunt ab Episcopo, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, visitari, puniri et corrigi. b) Alii quam Superiores degentes intra claustra et delictum patrantes notorium extra illa, vel intra, sed cum scandalo populi, debent, intra tempus ab Episcopo definiendum, puniri a Superiore suo, a quo si post iteratam Episcopi monitionem non puniantur, poterunt puniri ab Episcopo. Quodsi Superior delinquentem impunitum extra diœcesim transmiserit, ab eo sub pœna privationis officii, infra præstitutum ab Episcopo tempus, castigandus est, ubicumque fuerit; quo neglecto, puniendus est ab Episcopo loci, ad quem transmissus est.[2]

5° Regulares in causa hæresis et aliis ad Tribunal S. Officii spectantibus (quæ sint illæ, vide, si lubet, Craisson[3]) subjiciuntur etiam Episcopis, tamquam Sedis Apostolicæ delegatis.[4]

In quibus casibus Episcopus regulares inobedientes cogere possit per censuras, dicetur in Tract. *de Censuris.*

P) *Varia.*

1° Controversias omnes de præcedentia relative ad processiones, quibus interveniunt regulares, et in associandis defunctorum cadaveribus, potest Episcopus pro illo actu dirimere.[5]

2° Quoad confraternitates. Exceptis

[1] H. A. Tr. XX. 75.
[2] Clem. L. V. T. VII. c. 2.
[3] Tr. XX. 79.

[1] H. A. Tr. XX. 78.
[2] H. A. Tr. XX. 82.
[3] Elem. n. 373.
[4] c. 9. § ult. — Trid. Sess. 5. c. 5 Ref. — Bouix, de Reg. T. II. p. 140.
[5] Craisson, Man. n. 641.

iis, quas Generales Ordinum jure sibi a S. Pontifice concesso erigunt, erigi aut aggregari nequeunt sine licentia Ordinarii, cujus visitationi subjacent et ad quem pertinet illarum statuta condere, examinare, corrigere, innovare. Excipe, si statuta fuissent S. Sedis auctoritate confirmata, aut in vim contractus condita. Craisson.[1]

3° Quoad impressionem librorum subjiciuntur Ordinario.[2]

§ III. *Privilegia Varia.*

1203. — I. *Cum sæcularibus.* 1° Possunt dispensare in omnibus irregularitatibus occultis ex delicto, ut Episcopus;[3] 2° possunt dispensare et commutare vota et juramenta, ut Episcopus;[4] 3° dispensare possunt cum conjugibus in impedimento exigendi debiti propter incestum commissum cum persona consanguinea compartis, de licentia tamen speciali Superioris, saltem sui monasterii.[5] — Insuper Religiosi possunt dispensare in voto castitatis cum conjugibus in ordine ad usum matrimonii, sive ante sive post initum matrimonium votum emissum fuerit.[6] — Nec improbabilis est S° Alphonso sententia affirmans regulares Mendicantes et cum iis communicantes dispensare posse cum sponsis, in casu necessitatis tamen, ut non obstante eodem voto matrimonium ineant.[7]

II. Regulares possunt celebrare Missam una hora ante auroram, id est tribus horis ante ortum solis, sed tantum in Ecclesiis propriis, in quibus id etiam facere possunt sacerdotes sæculares ex eodem privilegio (Greg. XIII.). Post meridiem ex privilegio concesso ab Eugenio IV. possunt celebrare tribus ab elapsa meridie horis.[8]

III. Monialibus S. Dominici, ac proinde cæteris etiam regularibus vi communicationis, in casu morbi, judicio medici lethalis, licet ante expletum Novitiatus annum professionem emittere, dummodo tamen ætatem requisitam habeant. S. Pius V. c. *Summi sacerdotii.* Convalescentes tamen, ex multorum sententia, annum Novitiatus implere ac novam professionem emittere tenentur.[1]

IV. "Omnes Ordines regulares communicant in privilegiis aliorum Ordinum, sive Mendicantium, sive non." Ita S. Alph.[2]

1 Elem. n. 709. 170.
2 Craisson, Man. n. 593.
3 H. A. Tr. XX. 104.
4 L. IV. 257. H. A. Tr. XX. 108.
5 H. A. Tr. XX. 108.
6 Ib. 109.
7 Ib.
8 Ib. 122.

CAPUT V.

DE RELIGIOSIS VI DISPERSIS.

1204. Principia. — I. Obstricti manent omnibus obligationibus, quas ex professione sua contraxerunt, exceptis iis, quæ cum statu dispersionis compatibiles non sunt. Hinc 1° quod votum paupertatis spectat, quisque quoad res necessarias aut utiles (non vero quoad voluptuarias aut statui suo non convenientes) ipso facto quasi suî ipsius deputatur œconomus pro omnibus casibus, in quibus non potest haberi recursus ad Superiorem. 2° Vi voti obedientiæ legitimis suis Superioribus remanent subjecti, nisi S. Pontifex Ordinarium diœcesis, in qua pro tempore versantur, eis in Superiorem regularem assignaverit, qui in defectu Prælati eos regat et gubernet. Legitimi autem dispersorum, quamdiu ad propriam Provinciam aut conventum non revocati fuerint, Superiores, ex Decreto S. Cgñis super discipl. regul. d. 5 aug. 1872, sunt tum Provincialis territorii, in quo versantur, tum Superior localis monasterii, in quo degunt.[3]

II. Facto violentæ expulsionis et dispersionis religiosi non amittunt jura et privilegia sua. Ex Regula enim juris 64. in 6°. "Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi."

Hinc religiosi sine licentia Ordinarii ad antiquos suos conventus, casu, quo sibi restituuntur, redire possunt, ac in oppidis et pagis, in quibus ante dispersionem conventus habebant, novas ædes, si antiquæ destructæ sint aut injuste detineantur, aut etiam Sedis Apostolicæ auctoritate alienatæ fuerint, sibi acquirere, sine jactura priscorum suorum ju-

1 Craisson, Man. n. 2649.
2 L. V. 60.
3 Acta, V. VII. p. 407.

rium et privilegiorum. Et hæc quidem omnia valent, licet unus tantum Instituti religiosus superesset. Vide Bouix.[1]

Hæc tamen de obligatione et jure regularium dispersorum principia quoad applicationem modificari possunt per S. Sedis sive Declarationes sive Decreta, sive Indulta, prout locum habuit pro Religiosis novissime in Italia dispersis.[2]

CAPUT VI.

DE CONDITIONE RELIGIOSORUM IN PROVINCIIS ECCLESIASTICIS STATUUM FŒDERATORUM.

1205. — I. Habitum deposuisse non censetur, ideoque nec annum probationis interrupisse, novitius, qui de licentia Superioris domo egrediens vestem mutat, pro more hujus regionis.[3]

II. "Religiosi beneficia habentes, ex jure et consuetudine, eorum redditus administrare valent in suî sustentationem et in pios usus; sed peccant eas impendendo in usus profanos, vel propinquis, qui pauperes non sunt, largiendo. Qui ex Superiorum licentia vacant Missionibus, simili sunt conditione, sed attendenda sunt documenta singulis data." [4]

III. "Hi, qui in his provinciis Parochi vel Missionarii funguntur muneribus procul a claustris, et nulla fere Superiorum agnita auctoritate, Episcoporum correctioni videntur plane subjici." [5]

IV. "Regulares in locis Missionum ad curam animarum deputati, possunt a suis Superioribus revocari, vel ab Episcopo amoveri, pro æquo arbitrio, nulla alteri adsignata causa (Ben. XIV. c. *Firmandis*, a° 1744.); sed si eos revocet Superior regularis, debet alios proponere substituendos, probante Episcopo. S. Congr. Prop. die 27 julii 1822. prob. Pio VII." [6] — Potest tamen Ordo aliquis seu Congregatio domos et ecclesias suas derelinquere, si vel nullam perpetuo permanendi suscepit obligationem, vel regenda non assumpsit opera proprie dicta diœcesana, sive ea, quæ per pecunias aliaque media, ex diœcesi desumpta, sustentantur. Quæ vero ejusmodi opera assumsere, licet nulla suscepta sit perpetuo permanendi obligatio, Ordinario invito deseri non possunt, nisi sex saltem mensibus elapsi fuerint a tempore, quo de intentione ita agendi certior factus fuerit, earumque bona, quæ vel dono vel fidelium oblationibus acquisita in caritatis ac religionis opera sunt impendenda, ad Ordinarium pertinent, nisi appareat scriptoque constet ea Congregationi vel Ordini in ejus usum tradita fuisse, vel nisi aliter Ordinem inter et Ordinarium conventum fuerit, salvis semper juribus tertii, præsertim vero eorum benefactorum, qui bona vel mobilia vel immobilia donaverint, ut in specie opus aliquod bonum in aliquo determinato loco, vel aliis præstitutis conditionibus, instituretur vel foveretur.[1] — Qua vero ratione Regulares apud nos bona sua sarta tecta servare debeant, V. n. 623.

V. Quoad *moniales* Decr. S. C. Ep. et Reg. 3 sept. 1864 declaratum et constitutum fuit: 1° "Vota, quæ a Monialibus a Visitatione Beatæ Virginis Mariæ nuncupatis emittuntur in monasteriis locorum Georgetown, Mobile, Kaskaskia, St. Aloisii, et Baltimoræ, attentis Rescriptis a Sancta Sede ab iisdem jam impetratis, esse solemnia."

2° "Quoad clausurum, prædictas Moniales uti posse facultatibus sibi in variis Rescriptis a Sancta Sede Baltimorensi Archiepiscopo concessis."

3° "Ratione habita ad locorum temporumque circumstantias, in posterum ab iisdem Monialibus Visitationis post expletum novitiatum, emittenda esse vota simplicia; exactisque quinque (lege: *decem*, ex Decr. 24 jan. 1868,[2]) annis a votorum simplicium professione admitti eas posse ad vota solemnia nuncupanda, præviis spiritualibus exercitiis per decem dies; professas autem votorum simplicium frui et gaudere omnibus et singulis gratiis et favoribus spiritualibus, quibus professæ votorum solemnium fruuntur et gaudent."

4° "Vota, quæ ab aliis Monialibus in

[1] De Regul. t. I. pp. 356–358. 372–375.
[2] Varceno. p. 997. sq.
[3] Kenr. Tr. VIII. n. 50.
[4] Ib. n°. 73.
[5] Ib. Tr. IV. App. II. n. 7.
[6] Ib. n. 10.

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 407. 408. et pag. XXVII. ad VI.
[2] Ib. p. CLI. Decr. VII.

Monasteriis jam erectis emittuntur, esse simplicia, excepto casu, quo Rescriptum pro votis solemnibus emittendis ab Apostolica Sede obtinuerint."

5° "Tandem, in Monasteriis in posterum erigendis in singulis Statibus Unitis, vota a Monialibus esse emittenda simplicia." [1]

VI. — **Quær.** *An Fœderatorum Statuum Episcopi dispensare possint moniales a votis?*

Resp. 1° *Neg.* quoad eas, quæ vota solemnia emiserunt, ut per se patet.

Resp. 2° *Neg.* pariter, si agatur de Congregationibus recentibus, quæ a Superiorissa Generali gubernantur; sed ad S. Sedem recurrendum est. Etenim si Episcopus cum his Monialibus a votis dispensare posset, varii Episcopi, Communitates ejusdem Ordinis in sua diœcesi habentes, eadem facultate quoad eas gauderent, et jurisdictionis conflictus inde sequeretur. Hinc Episcopi dispensare nequeunt a votis Moniales dictas *a Sacro Corde*, etc.

Neque potest Episcopus a vinculo votorum solvere Moniales, licet vota tantum simplicia emittant, et a Superiorissa Generali non pendeant, si hæc Congregatio a S. Sede approbata fuerit.

Resp. 3° *Affirm.*, attenta Episcoporum nostrorum facultate dispensandi in voto castitatis,— quoad pias Congregationes ab ipsis vel a suis prædecessoribus sancitas, et a S. Sede nondum approbatas.

[1] Ib. a. 419.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Agendum de Sacramentorum 1° natura et divisione; 2° materia et forma; 3° Ministro; 4° subjecto.

CAPUT I.

DE DEFINITIONE NUMERO ET DIVISIONE SACRAMENTORUM.

1206. — I. *Definitio.* Sacramentum est signum sensibile a Christo institutum ad significandam et conferendam gratiam.

Hinc tria necessario requiruntur in omni Sacramento, scilicet 1° signum sensibile; 2° divina institutio; 3° vis producendi gratiam a Christo promissam.

Omnia Sacramenta tribus perficiuntur: 1° rebus tanquam materia; 2° verbis tanquam forma; 3° persona Ministri confícientis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia. — Constat ex Conc. Florentino in *Decreto unionis.*

Sacramenta, præter gratiam sanctificantem, producunt gratiam, quæ *sacramentalis* dicitur, i. e. conferunt, *si debitæ non desint conditiones,* auxilia ad obtinendum finem specialem, ad quem unumquodque Sacramentum, fuit institutum. Sacramenta operantur ex *opere operato,* i. e. vi divinæ institutionis independenter ab *opere operantis,* scilicet Ministri et subjecti Sacramentorum.

1207. — II. *Numerus.* Sacramenta sunt septem, ut constat ex Trid.:[1] *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Domino nostro Jesu Christo instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem: videlicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, aut etiam aliquod horum septem non esse verum et proprie Sacramentum, anathema sit.*

[1] Sess. 7. Can. 1.

III. *Divisio.* Sacramenta juxta varias *proprietates* sic distinguuntur:

1° *Necessaria,* vel *non necessaria.* Iterum necessaria sunt vel necessitate *medii,* vel necessitate *præcepti.* Necessaria sunt necessitate medii, in voto saltem implicito, *Baptismus,* qui est janua Ecclesiæ et regni cœlorum, — *Pœnitentia* pro iis, qui in peccatum mortale post Baptismum lapsi sunt, — et, juxta S. Alph.,[1] *probabilius* etiam Eucharistia, tum ob verba Christi:[2] *Nisi manducaveritis* etc., *non habebitis vitam in vobis,* tum quia Eucharistia est finis omnium Sacramentorum. — Necessaria necessitate præcepti sunt cætera omnia, ultimis duobus exceptis, quæ non sunt necessaria pro *privatis,* sed tantum pro *communitate.*

2° *Imprimentia,* vel *non imprimentia* characterem in anima. Characterem imprimunt Baptismus, Confirmatio et Ordo; cætera non imprimunt. — Trid.[3]

3° *Formata,* vel *informia,* prout gratiam producunt dum suscipiuntur, aut, intercedente obice, effectum suum suspendunt, donec obex removeatur.

4° Sacramenta *vivorum* vel *mortuorum,* prout gratiam *sanctificantem,* seu *primam,* jam supponunt, eamque tantum adaugent; aut ex primaria sua institutione eamdem conferunt.

1208. QUÆSITA. — Quær. 1° *An Sacramenta* mortuorum *secundam gratiam conferre possint?*

Resp. Affirm. Hoc autem in duplici casu fieri potest: 1° quando sola venialia clavibus subjiciuntur, quod frequenter

[1] L. VI. 192. [2] Joan. 6. 54.
[3] Sess. 7. Can. 9.

contingit; 2° quando pœnitens, reus peccati mortalis, accedit ad Pœnitentiæ Sacramentum cum contritione perfecta; quia contritio perfecta cum voto Sacramenti, etiam ante ejusdem susceptionem, hominem justificat: tunc ergo Sacramentum non primam, sed secundam tantum gratiam confert.

Quær. 2° *An Sacramenta* vivorum *primam gratiam aliquando conferre valeant?*

Resp. Affirm. probabilius, non quidem *per se*, ut patet ex eorum institutione, sed *per accidens*, seu mediante Caritate vi Sacramenti infusa in subjecto, obicem non opponente. Nam fieri potest, ut quis, peccati mortalis reus, hujus inscius bona fide ad Sacramentum vivorum *attritus* accedat; in his porro adjunctis Sacramentum vivorum gratiam in animam infundit, adeoque peccatum delet. Sacramenta enim semper gratiam conferunt non ponentibus obicem, ut constat ex Trid.[1] Obex autem non ponitur ab eo, qui attritus bona fide accedit. Ergo, etc. — Ita *communiter*. — S. Thom.[2] — S. Alph.[3]

1209. — Quær. 3° *An requiratur vel sufficiat attritio, ut Sacramenta vivorum primam gratiam conferant?*

Resp. Affirm. ad utrumque: 1° quidem *requiritur*, quia prima gratia infundi nequit, nisi per destructionem peccati mortalis; porro peccati mortalis destructio sine ejusdem detestatione, nempe sine contritione vel saltem attritione fieri nequit; 2° *sufficit*, quia ex dictis Sacramenta vivorum possunt aliquando primam gratiam conferre: hoc autem fieri non posset, si attritio non sufficeret, siquidem peccator ad Sacramentum per contritionem perfectam justificatus semper accederet.[4]

Quær. 4° *An peccatum originale deleatur in Baptismo valido quidem, sed informi ob defectum dispositionis in adulto baptizato?*

Resp. Neg. Ratio est, quia nullum peccatum dissolvens ab amicitia Dei condonatur, nisi per reconciliationem cum Deo, i. e. per justificationem. Hoc autem fieri nequit, nisi infundatur prima gratia; sed hæc gratia prima non infunditur, si desunt dispositiones. Ergo. Remoto autem obice sive per contritionem perfectam cum voto Sacramenti, sive per Sacramentum cum attritione, reviviscit seu cessat suspensio gratiæ sacramentalis Baptismi, et delet peccatum originale, ac simul omnia peccata actualia ante Baptismum commissa. Sacramentum vero Pœnitentiæ delet peccata post Baptismum commissa, et secundum sententiam, quam S. Alph.[1] vocat communissimam, sed cujus fundamentum ipsi non videtur convincens, peccatum fictionis, seu pravæ dispositionis, cum qua susceptum est Baptismi Sacramentum. In quantum tamen prava hæc dispositio post Baptismum perseveravit, *certo* per Sacramentum Pœnitentiæ deletur.

[1] Sess. 7. Can. 6. [2] P. 3. q. 72. a. 7.
[3] L. VI. 6. 269. [4] L. VI. 6.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

I. *De natura et unione materiæ et formæ.*

1210. — *Definitiones.* Materia est res sensibilis ad rationem Sacramenti per formam determinanda. Hinc materia est id, quod in Sacramento est magis indifferens, et minus perfectam significationem habet; adeoque per aliud determinari ad significandum debet.

Materia duplex est: alia *remota*, et alia *proxima*. Prior est ipsa res sensibilis, quæ in Sacramento adhibetur, seu res, circa quam actio sacramentalis exercetur. Posterior est ipsamet applicatio, seu usus materiæ remotæ in actione sacramentali. Sic in Baptismo aqua est materia remota, ablutio proxima.

Forma vero est pars Sacramenti, quæ determinat materiam ad Sacramentum efficiendum, et quæ ordinarie consistit in verbis a Ministro prolatis.

1211. PRINCIPIA. — I. Materiæ et formæ omnino sunt necessariæ ad Sacramenti validitatem; idcirco, alterutra deficiente, Sacramenta confici nequeunt. Ratio est, quia Sacramentum confici nequit, nisi eo modo, quo instituit Christus, qui solus est auctor Sacramentorum. De fide est. Constat insuper ex dogmaticis definitionibus, præsertim ex Concilio Florentino in *Decreto unionis*, etc.

[1] L. VI. 427.

II. In conficiendo Sacramento, extra casum necessitatis, materia et forma adhiberi debet moraliter certa. Ratio est, quia, nisi urgeat necessitas, non licet uti probabilitate, quæ periculum invaliditatis non removet. Cfr. n. 60. I.

III. Materia et forma uniri, seu applicari debent ab eodem Ministro, et erga idem subjectum. Ratio est, quia si unus materiam, et alter formam poneret, verba formæ non verificarentur; Minister enim, qui v. g. diceret: *Ego te baptizo*, dum alter effunderet aquam, falsum proferret, siquidem ipse non baptizaret.

IV. Ut Sacramentum sit validum, tanta debet esse inter materiam et formam conjunctio seu simultas, ut una alteram afficiat. Ratio est, quia secus verba non caderent in talem rem, nec proinde cum ea unum totale signum constituerent. Hinc:

1) In Eucharistia requiritur simultas physica inter materiam et formam; nam pronomen *demonstrativum* HOC et HIC non potest verificari, nisi materia sit præsens.

2) In cæteris Sacramentis sufficit simultas *moralis*, eaque *diversa* pro diversa singulorum Sacramentorum natura. Inde

a) In Pœnitentia absolutio poterit aliquandiu, v. g. per horam, differri; instituta enim est ad modum judicii forensis, in quo non semper statim profertur sententia.

b) In Matrimonio consensus unius tamdiu subsequi potest consensum alterius, quamdiu hic moraliter censetur perdurare, uti fit in contractibus, quorum naturam Matrimonium imitatur.

c) In cæteris Sacramentis sufficit, *ad valorem*, ut materia applicetur immediate (i. e. intra spatium minus quam *unius Pater*) antequam pronuntietur forma, vel immediate postquam prolata sit. — In *praxi* tamen tamquam tutior consulenda est sententia Cajetani, qui requirit, ut forma *inchoetur* priusquam materiæ applicatio *absolvatur*.[1]

II. *De mutatione materiæ et formæ.*

1212. — Duplex datur mutatio tum in materia, tum in forma, scilicet *substantialis* et *accidentalis*.

[1] L. VI. 9.

Mutatio substantialis erit in materia, si juxta hominum usum et æstimationem hæc eadem dici non possit, ac ea quæ a Christo determinata est, ut si in Baptismo vinum pro aqua adhibeas; in forma vero, si sensus verborum, a Christo intentus, in alium mutetur, ut si in Baptismo diceres: *ungo te in nomine*, etc. Mutatio autem accidentalis dicitur, quæ versatur tantum circa rei qualitates, ut si baptizes cum aqua non benedicta; aut quæ verborum sensum non mutat, ut si loco: *baptizo*, diceres: *abluo*.[1]

PRINCIPIA. — I. Omnis mutatio *substantialis* in materia et forma Sacramenti invalidat Sacramentum, quia non est amplius ritus a Christo institutus; et, si voluntaria sit, peccatum grave constituit, quia auctori ritus gravem infert injuriam.

II. Nulla mutatio *accidentalis* in materia et forma Sacramentum invalidat; peccatum tamen grave aut leve inducit, prout est, vel non est notabilis.

Forma Sacramentorum *substantialiter* mutari potest multis modis:

1° *Substractione* syllabæ vel verborum *essentialium*, ut si dicas: *ego baptizo*, omittendo illud *te*; non vero *accidentalium*, ut si Latine dicas: *baptizo te*, omittendo illud *ego*.

2° *Additione*, qua tollitur veritas Sacramenti, ut: *ego te baptizo in nomine Patris majoris, Filii minoris*; non vero ea, qua error tantum Ministri, *in sejuncta propositione*, et non tamquam conditio explicita aut implicita, exprimitur, ut: *auctoritate, mihi a Calvino collata, ego te etc.*

3° *Variatione vocum* per alias non synonimas, ut si loco: *absolvo*, dicas: *muto*.

4° *Transpositione verborum*, quæ ordinarie accidentalis tantum est, ut, *te ego baptizo*.

5° *Corruptione eorumdem*, v. g. litteras mutando, quæ facilius erit substantialis in principio quam in fine verborum; quia facilius pro audientibus sensus mutabitur, v. g. in — *nomine matris* pro *patris*, quam in — *calis* pro *calix*.

6° *Interruptione*, qua *orationis unitas* tollatur, ut, si, dicto: *hoc est*, Psalmum recites aut multum immoreris, non vero si, dicto: *ego te*, tussires, silentium imponeres, dicendo: *tacete garruli*, et deinde illico concluderes: *baptizo* etc.

[1] L. VI. 11.

III. *De iteratione Sacramentorum in dubio de valida applicatione materiæ et formæ.*

1213. — Triplex regula statuenda est:

I. Sacramenta iterari *possunt*, quoties datur dubium prudens de ipsorum valore. Ratio est, quia si forte Sacramentum non valeret, qui ad illud suscipiendum accedunt, ejus fructu privarentur. Quod vero timor prudens tanti incommodi ratio sufficiens sit cur Sacramentum iteretur, patet ex notissimo axiomate: *Sacramenta propter homines.*

II. Sacramenta generatim iterari *non possunt* sine peccato gravi, quando non adsit dubium prudens de eorum valore. Ratio est, quia sine causa iterarentur, atque adeo gravis injuria illis irrogaretur.

III. Sacramenta repeti *debent*, quoties, exorto prudenti dubio de eorum valore, id postulant caritas, justitia vel religio, id est, quoties ex justitia, caritate vel religione confici aut administrari debuissent. Ratio est, quia nullitas Sacramenti, si forte adesset, in damnum proximi et aliquando in contemptum vel irreverentiam Religionis cederet. Sed *conditionate* tantum tunc repetenda sunt, ut reverentiæ Sacramenti consulatur.[1]

1214. *Resolves.* — 1° Facilius iteranda sunt Sacramenta magis necessaria, et quæ semel tantum conferuntur, scilicet Baptismus et Ordo, etiamsi pro valore Sacramenti militet multo major probabilitas contra rationes dubie aut tenuiter probabiles in oppositum. — Ita *communiter.*

2° Repetenda est absolutio cum pœnitente peccati mortalis reo, si prudenter dubitetur de prolatione debita formæ. Si autem pœnitens non sit in statu peccati mortalis, formam repetere necesse non erit, cum ei Communio permitti etiam sine absolutione possit.

3° Minister qui leviter dubitat, nescitque, cur timeat, aut solum non recordatur reflexe, se verba formæ pronuntiasse, mortaliter per se peccat, si formam iteret, aut etiam verbum unum ter aut quater repetat. Ratio est, quia mutat formam, inducitque novum ritum circa actionem omnium gravissimam. Insuper Christum, quem repræsentat, ridicule loquentem exhibet. In praxi tamen scrupulosi, qui formam repetunt, plerumque a peccato mortali, imo sæpe etiam a veniali excusantur, quia nimis agitati scrupulis, ex perplexitate, vel sine advertentia, ita stulte agunt. — Ita Voit.[1]

4° Si in Missa post Consecrationem dubium tibi oriatur de formæ debita prolatione, vel de totali omissione, nihil repetere debes, nec potes, cum alias hæc omittere non soleas: judicandum enim est ex communiter contingentibus, nisi tamen valde probabiliter dubites, ut loquitur Rubrica. — Vide S. Alph.[2]

[1] L. VI. 27. sq.

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTORUM.

Minister Sacramentorum est ille, qui nomine Christi, cujus vices gerit, actionem sacramentalem peragit.

Agendum 1° de requisitis in Ministro ad Sacramenta conferenda; 2° de officio Ministri in Sacramentorum administratione.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM SEU DE ATTENTIONE, INTENTIONE, FIDE ET PROBITATE MINISTRI.

§ I. *De attentione Ministri.*

1215. — *Definitio.* Attentio est applicatio mentis ad ea, quæ peraguntur, seu est actus intellectus, quo homo considerat id, quod agit.

Divisio. Attentio duplex distinguitur: alia *interna*, quæ consistit in advertentia ipsa mentis ad id, quod agitur; alia *externa*, quæ excludit omnem actionem cum attentione interna physice incompossibilem. — Vide dicta n. 402.

Principia. — I. Ad *validitatem* collationis Sacramentorum non requiritur alia attentio, nisi quæ in omni actu vere humano invenitur. Possunt igitur valide ministrari Sacramenta etiam a Ministro distracto, seu de aliis negotiis simul cogitante. Ratio est, quia ut actus sit et censeatur humanus, non actualis attentio, sed processio ipsius ab actu rationalis

[1] P. 2. n. 27. 31. [2] L. VI. 224.

voluntatis inspicitur. Insuper attentio sæpe a voluntate hominis non pendet; Christus autem conditionem, aliquando impossibilem, in Ministro Sacramentorum requirere non potuit.[1]

II. Ad *licitam* collationem Sacramentorum requiritur attentio, ita ut absit omnis voluntaria distractio. Ratio est, quia reverentia Sacramento debita exigit, ut diligenter tractetur, errandique vitetur periculum. Voluntaria tamen distractio juxta communem Theologorum sententiam ordinarie peccatum veniale non excedit, nisi periculo graviter in forma errandi quis se exponat.[2]

Excipiunt Eucharistiam i. e. canonem, et signanter Consecrationem et Communionem, sub quibus omnis voluntaria distractio notabilis, ob maximam Sacramenti dignitatem, *probabiliter* mortalis est. Negant tamen alii. s. Alphons. potius adhæret priori sententiæ.[3]

§ II. *De intentione Ministri.*

1216. — *Definitio.* Intentio est actus voluntatis in aliquem finem tendentis, vel actus voluntatis, quo quis intendit aliquid agere aut omittere.

Divisio. Multiplex est, scilicet 1° *actualis, virtualis, habitualis*, et *interpretativa* (n. 5. 4°); 2° *interna* seu *vera*, vel *externa*, quæ solum actum externum respicit; 3° *determinata* vel *indeterminata* seu in confuso; 4° *absoluta* vel *conditionata*.

Principia. — I. Ad validitatem Sacramenti requiritur in Ministro voluntas aliqua *vera* et *seria* saltem faciendi id, quod facit Ecclesia. — Constat ex Trid.[4]

II. Non requiritur tamen intentio *actualis*, sed sufficit *virtualis*. Ratio est; quia intentio actualis, etsi optima et desideranda, est interdum moraliter impossibilis; virtualis vero satis influit in actionem Ministri, ut hæc vere humana et deliberata dici possit. — Ita *omnes*.

III. Non sufficit intentio *habitualis*, nec *interpretativa*. Ratio est, quia ad actum humanum requiritur voluntas aliqua, vi cujus actus ponatur. Jam vero nec intentio habitualis, nec interpretativa est hujusmodi: non 1ª, quia nec actu a voluntate elicitur, nec, quamvis aliquando elicita, in aliquo effectu vel in serie actionum perdurat; non 2ª, quia nec actu elicitur, nec unquam actu elicita fuit, sed tantum eliceretur, si de re agenda mens cogitaret (n. 5. 4°).[1]

1217. Quæsita. — Quær. 1° *An requiratur intentio interna?*

Resp. Affirm., quia, si Minister *solum* intenderet actum *externum*, non determinaretur actus ille, — v. g. ablutio, quæ tam ad expurgandas sordes quam ad baptizandum referri potest, — ad esse suum.[2]

Quær. 2° *An requiratur in Ministro intentio faciendi, quod facit Ecclesia* Romana?

Resp. Neg., dummodo habeat intentionem, saltem implicitam, faciendi id, quod facit *vera* Ecclesia, etiamsi ex errore putaret suam ecclesiam heterodoxam esse veram Ecclesiam.[3]

Quær. 3° *An requiratur in Ministro intentio conficiendi Sacramentum?*

Resp. Neg., saltem *explicite*, modo hæc intentio non excludatur. Sufficit enim ut intendat in genere et *implicite* facere quod Ecclesia facit.[4]

1218. — Quær. 4° *An intentio Ministri debeat esse determinata ad certam materiam et personam?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° *quoad materiam*, quia, ut supra q. 1° dictum est, secus remaneret in statu indifferentiæ: non potest enim ab eo statu erui, et ad Sacramentum determinari, nisi per Ministri intentionem; 2° *quoad personam*, quia effectus Sacramenti nequit applicari in genere, sed alicui subjecto: secus nulla fieret applicatio. — Attamen *error* in persona validitati Sacramenti non obstat, nisi in Matrimonio, vel nisi Minister suam intentionem certæ personæ *exclusive* alligaret. Sed etiam in hoc casu Eucharistiam, ut patet, valide administraret.[5]

Quær. 5° *An validum sit Sacramentum cum intentione conditionata collatum?*

Resp. 1° Excepto Matrimonio, utpote contractu (de quo postea), *Neg.*, si conditio apposita sit vel de impossibili et serio apponatur, ut: *absolvo te, si cælum digito tetigeris*, quia tunc nulla adest in-

[1] L. VI. 14.
[2] Ib.
[3] Ib. et n. 410. Dub. 5. Exam. Ord. n. 125.
[4] Sess. 7. Can. 11.

[1] L. VI. 16.
[2] Ib. 20.
[3] Ib. 21.
[4] Ib. 22.
[5] Ib. 19.

tentio absolvendi, — vel de futuro *contingenti;* quia conditio hæc suspendit intentionem Ministri, et proinde impedit quominus forma hic et nunc applicetur materiæ; nec postea applicari potest, purificata conditione, cum tunc materia et forma jam desierint adesse.

Resp. 2° *Affirm.*, si conditio sit — vel de futuro *necessario*, et Sacramenti suspensio non revera intendatur, quia intentio ejusmodi conditionata transit in absolutam, — vel de præterito, aut de præsenti, et reipsa hæc existat; quia etiam tunc transit intentio conditionata in intentionem absolutam: si autem non purificetur conditio, tunc nulla est intentio, utpote restricta ad conditionem non existentem.[1]

1219. — Quær. 6° *An licita sit collatio Sacramentorum cum intentione conditionata, in dubio utrum valide collata fuerint?*

Resp. 1° Quoad Sacramenta characterem imprimentia, certum est licitam esse. Constat ex Jure Can.,[2] ubi indicatur hæc forma in dubio de Baptismo collato: *Si nondum baptizatus es, ego te baptizo*, etc.

Resp. 2° Etiam quoad alia Sacramenta licita est, si adsit causa sufficiens conditionem ponendi. Ratio est, quia *Sacramenta sunt propter homines*, et conditionata collatione Sacramenti consulitur, in quantum fieri potest, tum bono eorum, qui Sacramentum accipiunt, si forte illius sint capaces, tum etiam reverentiæ Sacramenti. — Ita *communiter* cum S. Alph.,[3] contra *aliquos*. Certum autem est in extrema necessitate, ubi non adest materia nisi dubia, Ministrum non modo posse, sed et teneri sub gravi Sacramentum ministrare sub conditione.[4]

Quær. 7° *An conditio verbis exprimi debeat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia sufficit ad reverentiam Sacramenti si mente concipiatur. Imo, juxta Gobat, ne opus quidem est conditionem explicite et formaliter in mente habere; sed satis est si habeatur implicite et virtualiter, prouti ille habet, qui vult Confessiones audire secundum institutionem Christi vel intentionem Ecclesiæ; quia sic quoque reverentia Sacramento debita sufficienter servatur. Apponi tamen ore debet, ubi hoc præscribit Rubrica, ut in Baptismo conditionato, præsertim si publice conferatur, ne scilicet adstantes credant Baptismum absolute iterari, et, ob sententiam, licet parum probabilem, eorum, qui tenent valorem Sacramenti non pendere ab intentione Ministri, sed tantum ab ipsa collatione Sacramenti serio peracta, *tutius* est semper conditionem etiam verbis exprimere.[1]

Notat Scavini,[2] non esse condemnandum eum, qui non valet mente quieta revolvere conditionem suis terminis expressam, et tamen Sacramentum conficiat sub conditione, quia advertit hic et nunc ita esse agendum, ideoque non esse inquietandum sacerdotem, qui extemplo accurrens ad moribundum, sensibus jam destitutum, illum absolvit sub conditione, quia ita didicit esse in simili casu agendum, quin *præcise* hic et nunc sciat quænam sit ista conditio; nam conditiones aliis atque aliis modis possunt exprimi.

§ III. *De fide et probitate Ministri.*

1220. Principia. — I. Ad *valorem* Sacramentorum nec fides, nec probitas seu status gratiæ, in Ministro requiritur. Constat 1° ex praxi et perpetua traditione Ecclesiæ, quæ nunquam baptizatos ab hæreticis et improbis rebaptizari voluit. Constat 2° ex definitione Ecclesiæ. — Trid.[3]

II. Ad *licitam* autem Sacramentorum administrationem requiritur in Ministro fides et probitas, saltem si is ad Sacramenta conferenda *consecratus* sit, et ea conficiat *solemniter*, i. e. cum integro ritu ab Ecclesia præscripto. Graviter igitur peccat, qui in mortali Sacramenta ministrat; Minister enim fide destitutus, vel improbus, irrogat gravem Deo et Christo injuriam, sancta indigne tractando, et, quantum in se est, contaminando. Insuper, cum Minister Sacramentorum repræsentet Christum, primarium Minis-

[1] L. VI. 26.
[2] Decr. L. III. T. XLII. c. 2.
[3] L. VI. 27. 28.
[4] Ib. 29.

[1] L. VI. 29. H. A. Tr. XIV. 3. Quæst. Retr. Rec. n. 17.
[2] T. III. 183.
[3] Sess. 7. Can. 12. de Sacr. in genere, et Can. 4. de Bapt.

trum, qui est Sanctus sanctorum, ejusque personam gerat, necesse est, ut et ipse sit sanctus.

1221. QUÆSITA. — Quær. 1° *An peccet graviter Minister qui confert in mortali Sacramentum, ad quod non est specialiter ordinatus seu consecratus, v. g. si mulier Baptismum in statu peccati ministret?*

Resp. Neg. probabiliter, quia obligatio in Ministro habendi sanctitatem non oritur præcise ex ipsa sanctitate Christi et Sacramenti secundum se, sed ex Ministri consecratione in ordine ad Sacramenta conferenda. — Billuart,[1] S. Thom.[2] et *alii multi*.

Affirmant tamen *alii* non pauci tum ob rationem rationi sententiæ negativæ e diametro oppositam, scil. ob reverentiam Christo (cujus minister in casu est etiam laicus, licet non sit minister Ecclesiæ) et Sacramento debitam, tum quia sancta sancte, et quidem in re gravi sub gravi, tractanda sunt. Sic Collet, Lacroix, Lugo, etc. — S. Alph. vero affirmativæ, tamquam *intrinsece* et longe *probabiliori*, adhæret.[3]

Quær. 2° *An peccet graviter sacerdos (seu Minister consecratus) ministrans quidem Sacramentum in mortali, sed non solemniter, v. g. Baptismum absque cæremoniis in casu necessitatis?*

Resp. Controvertitur, ut in quæsito præcedenti, at S. Alph. adhæret affirmativæ.[4]

Quær. 3° *An peccet graviter Minister consecratus et solemniter ministrans in mortali, si urgeat gravis necessitas?*

Resp. Neg. rigorose loquendo, nempe si periculum sit *ita* urgens, ut actum contritionis elicere *per tempus* ei non liceat. Sed hæc hypothesis generatim neganda est. Porro a mortali excusandus non est Minister, qui conscius gravis culpæ casum necessitatis prævidere potest, ut Parochus et alii (v. g. sacerdotes curam animarum subsidiariam exercentes, vel in *amplis* nosocomiis aut in castris ministrantes), qui ex officio Sacramenta ministrare debent, et proinde speciali obligatione in statu gratiæ habitualiter permanere tenentur.[1] Idem resolve de obstetricibus.

1222. — Quær. 4° *An peccet, qui extra Missæ celebrationem ministrat Eucharistiam in mortali?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia gravem injuriam irrogat Sanctissimæ Eucharistiæ. Licet enim ipse non agat ut causa efficax in conficiendo Sacramentum, est tamen illius dispensator, ad id specialiter consecratus, et obit ministerium, quod immediate sanctificationi animæ cooperatur.[2]

Quær. 5° *An peccent, qui in mortali sive mediate, sive immediate tangunt aut deferunt SS. Eucharistiam?*

Resp. Controvertitur. Triplex est sententia probabilis:

I[a] *Affirmat* in utroque casu, quia rem sanctissimam seu Corpus Christi indigne tractant. Hanc valde probabilem vocat S. Alph.[3]

II[a] *Negat*, quia nulla hic adest administratio Sacramenti, nec apparet materia tam gravis, ut peccatum mortale inducat. — Ita Lacroix,[4] Salmant,[5] Busemb., et S. Alph. dicit hoc non esse improbabile.

III[a] *Sic distinguit:* Peccant quidem graviter tangentes *immediate* Sanctissimam Eucharistiam in mortali, non vero tangentes *mediate*. Ratio repetitur ex gradu valde diverso irreverentiæ inter primum casum et secundum. — Ita Billuart.

1223. — Quær. 6° *An peccent graviter exercentes in mortali alias functiones sacras?*

Resp. Neg.; quia omnia alia exercitia Ordinum præter confectionem et administrationem Sacramentorum non videntur sub gravi exigere sanctitatem, cum non sint proxime ordinata ad animæ sanctificationem. — Ita *communiter et probabilius* Salm., Mazzotta, et hoc sat probabile dicit S. Alph.[6] — Difficulter tamen a peccato gravi excusabitur prædicator, qui ex officio concionatur, et increpat *illud ipsum* vitium, de quo est *publice* diffamatus, quia scandalum præbet finemque doctrinæ impedit.[7]

Quær. 7° *An teneatur Minister confi-*

[1] Diss. 5. a. 4.
[2] 3 P. q. 64. a. 6; et in 4 Dist. 5. q. 2. a. 2.
[3] L. VI. 32 et Retract. 61. Conf. diretto per le genti di campagna. cap. 17. n. 7. Vind. p. 928. 2. Ed. 2[a]. T. II. p. 587.
[4] L. VI. 33.

[1] L. VI. 35 et Retr. 62.
[2] L. VI. 35.
[3] L. VI. 35.
[4] n. 101.
[5] Tr. I. c. 7. p. 11. n. 106.
[6] L. VI. 37.
[7] L. VI. 41.

teri ante confectionem Sacramenti, si reus sit peccati mortalis ?

Resp. 1° *Affirm.*, si agatur de Missæ celebratione, et ipsi copia confessarii non desit ; quia omnes fideles mortalis rei et communicaturi Confessionem præmittere debent ex Decr. Trid.[1]

Resp. 2° *Neg.* vero *probabilius*, si agatur de aliis Sacramentis ; quia nulla lege ad Confessionem obligatur : atque adeo sufficit, ut actum contritionis eliciat.[2]

1224. — Quær. 8° *An peccet graviter, qui audit Confessionem in mortali, sed non absolvit, vel cum proposito eliciendi contritionem antequam absolvat ?*

Resp. Neg. probabilius, quia confessarius audiendo Confessionem non conficit Sacramentum.[3]

Quær. 9° *Quot peccata committat confessarius plures pœnitentes successive in mortali absolvendo ?*

Responsionem vide n. 219.

ARTICULUS II.

DE OFFICIO MINISTRI.

1° Quoad obligationem ministrandi Sacramenta ; 2° quoad obligationem ea aliquando denegandi ; 3° quoad modum illa conferendi.

§ 1. *De obligatione ministrandi Sacramenta.*

1225. Principia. — I. Curam animarum habentes tenentur sub gravi ex justitia Sacramenta ministrare subditis suis, rationabiliter petentibus. Curam enim animarum suscipiendo ad id sese obligaverunt tacito contractu inito cum subditis, a quibus sustentationem aut saltem honorem accipiunt.

Tenentur igitur, si urget commune præceptum illa suscipiendi, vel si privata petentis necessitas vel utilitas administrationem exigit, v. g. si petens prævideat aliquod periculum, vel in tentatione versetur et gratia Sacramenti indigeat, vel si devotionem statui suo convenientem exercere, aut Indulgentiam lucrari velit, etc.

[1] Sess. 13. cap. 7. [2] L. VI. 34.
[3] L. VI. 36.

II. Alii curam animarum non habentes non tenentur ministrare Sacramenta ex justitia ; aliquando tamen tenentur ex caritate, scilicet in gravi proximi necessitate.[1]

1226. Quæsita. — Quær. 1° *Quinam censeantur animarum curam habere ?*

Resp. Ii omnes, qui ex officio, seu titulo speciali jurisdictionis spiritualis aut delegationis, aliquam partem ovilis Christi pascere seu curare debent. Tales igitur sunt Episcopi, Parochi, et quicumque curam subsidiariam animarum habent ex commissione seu munere publico, ut sunt apud nos quasi parochi, eorumque coadjutores. Item respectu Regularium Prælati seu Superiores proprii.[2]

Quær. 2° *Quænam Sacramenta in necessitate ministranda sint, etiam cum periculo mortis, sive ab habentibus curam animarum, sive ab aliis ?*

Resp. 1° Qui curam animarum non gerunt, *certo* tenentur tantum ad ministranda Sacramenta absolute necessaria ad salutem, Baptismum scilicet et Pœnitentiam, vel Extremam Unctionem, quando quis nullo modo confiteri queat, et probabilius sciatur esse in mortali. Ratio est, quia non tenentur nisi ex sola caritate ad subveniendum proximo in gravissimo salutis spericulo. Sola autem præfata Sacramenta sunt ad salutem necessaria. Ergo, etc. — Ita *communissime* Theologi cum S. Alph.[3]

Resp. 2° Etiam curam animarum gerentes *valde probabiliter* tenentur ad sola præfata Sacramenta cum quovis periculo ministranda. Ratio est, quia alia Sacramenta non sunt tantæ necessitatis, ut quis ad illa conferenda cum gravi vitæ discrimine teneatur. — Ita S. Alph.,[4] innixus Declarationi Gregorii XIII. (12 oct. 1576), et Declarationi S. Congr. Concilii ab eodem Pontifice approbatæ. — Verumtamen qui gerunt curam animarum, tenentur vitam exponere non tantum in extrema, sed etiam in gravi necessitate, dum alii Ministri in sola necessitate extrema ad id obligantur.[5] Cfr. dicta n. 279. 3ia *Reg.*

Quær. 3° *An teneatur quis exponere*

[1] L. VI. 58. [2] Ib.
[3] L. VI. 58. 729. L. III. 27. [4] L. VI. 233.
[5] L. III. 27.

vitam ad ministranda præfata Sacramenta cum probabilitate tantum successus vel necessitatis?

Resp. Negandum videtur, quia nimis durum est exigere actum adeo heroicum ad proximum adjuvandum, nisi spes adsit moraliter certa successus et satis constet de necessitate. Hinc non teneris exponere vitam ad aliquem baptizandum, vel absolvendum, si probabiliter perire debes, antequam id adimplere possis, vel legitime præsumas, illum esse baptizatum, aut non versari in statu peccati mortalis, aut etiam posse facile sibi subvenire per actum contritionis perfectæ.[1] Cfr. n. 279. 2ª *Reg.*

1227. *Resolves.* — 1° Peccant graviter habentes curam animarum, non tantum si sine ratione ministerium suum denegent, sed etiam si se morosos et difficiles *sæpe* præbeant: quia sic fideles a Sacramentis deterrent, et res eodem recidit, ac si Sacramenta denegarent.

2° Mortale tamen non est uni vel alteri, aut eidem semel vel iterum citra necessitatem petenti Sacramentum Pœnitentiæ vel Eucharistiæ denegare; quia damnum facile reparari potest, nec subditus ideo graviter invitus censetur.

3° Si subditi irrationabiliter petant, nullum est peccatum. Hinc non tenetur parochus quotidie cum scrupuloso vel devotulis tempus terere, cum tam frequens Confessio istis non expediat, nec ipsi jus strictum ad absolutionem tam frequentem habeant.

4° Si parochus idoneos habeat coadjutores, non tenebitur adeo rigorose Confessiones subditorum excipere; debet tamen fidelibus ipsum nominatim requirentibus satisfacere, nisi aut impeditus sit, aut pœnitentes libenter alium confessarium sint adituri.

5° Peccant graviter, generatim loquendo, curam gerentes animarum, qui subditorum Confessiones excipere nolunt, nisi paucis diebus intra mensem determinatis; quia in causa sunt, cur fideles in statu peccati diu remaneant, et a Sacramentis suscipiendis arceantur.[2]

Vide plura, ubi de singulis Sacramentis; et recole dicta de officio Parochorum in Tractatu *de Statibus*, n. 1141. IV.

[1] L. III. 27.
[2] L. VI. 58.

§ II. *De obligatione denegandi Sacramenta indignis petentibus.*

1228. Principia. — I. Minister tenetur sub gravi, *per se loquendo*, Sacramenta indignis denegare, quia lex naturalis obligat dispensatorem ad bona Domini fideliter et juxta ejus voluntatem dispensanda; porro voluntas certa Christi est, ut Sacramenta indignis non conferantur, juxta illud Matthæi.[1] *Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.*

II. Sacramenta, in quibus Minister *solius* dispensatoris partes agit, petentibus sine prævia in illorum dispositionem inquisitione ministrari, et iis solis denegari possunt, de quorum indignitate constat. Ratio *primi* est, quia in his non agit partes judicis, nec proinde ad inquirendum tenetur. Ratio *secundi*, quia quisque præsumitur bonus, donec probetur malus.

Dixi: 1° *in quibus Minister* SOLIUS *dispensatoris partes agit.* Aliud enim est, si *simul* judicis partes agere debet, et sic in Pœnitentia de pœnitentis actibus; in Baptismo *adultorum* de consensu et dispositionibus; in Ordine de dignitate ordinandi; in Matrimonio de impedimentis inquirere tenetur.

Dixi: 2° *de quorum indignitate constat.* Constat autem, si a) crimen est certum, vel publica de eo suspicio tam vehemens, ut æquivaleat morali certitudini, quæ non possit probabili ratione deponi; b) pœnitentia dubia.[2]

1229. *Regulæ Speciales.* — *Regula I.* Peccatori *publico*, sive occulte, sive publice petenti, denegandum est Sacramentum; quia nulla ratio adest, cur regulæ generali exceptio fiat; imo grave scandalum fidelium ex Sacramentorum concessione sequeretur.[3] — S. Thom.[4]

Regula II. Peccatori *occulto, occulte* petenti, pariter negandum est Sacramentum; quia reverentia erga Sacramentum, et caritas proximi in his adjunctis hoc postulant. — S. Thom.,[5] S. Alph.[6]

Regula III. Peccatori *vere occulto, publice* petenti, non est denegandum Sacramentum. Ratio deducitur ex incommodis, quæ sequerentur ex Sacramenti

[1] 7. 6.
[2] L. VI. 43. 48.
[3] L. VI. 44.
[4] P. 3. q. 80. a. 6.
[5] P. 3. q. 80. a. 6.
[6] L. VI. 50.

denegatione; orirentur enim scandala et perturbationes in Ecclesia, et præsertim fideles in suspicionem adducti, ne a Sacramentis prohiberentur, ab ipsis recederent. — Ita *omnes* cum S. Thom.,[1] S. Alph.[2]

Confirmatur ex Rituali Romano, *de Euch.*, ubi hæc leguntur: "Occultos peccatores, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit" (Minister), "repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo illos præterire nequeat."

Excipe tamen, 1° Sacramentum Ordinis, a quo ob bonum publicum indignus etiam cum sua infamia repellendus est, si aliter arceri nequit, idque licet delictum juridice probari non possit. Nec obligatur Episcopus ad manifestationem causæ repulsus, nec repulso competit *appellatio*, sed solummodo *recursus* ad S. Sedem.[3]

2° Matrimonium, si parochus extra Confessionem aliquod impedimentum cognoscat, vel sciat sponsos ignorare rudimenta Fidei, idque ob prolis legitimationem atque educationem tuendam.[4]

1230. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quandonam censeatur peccator* PUBLICUS *seu* NOTORIUS, *vel* OCCULTUS; *aut* OCCULTE *petens Sacramentum?*

Resp. 1° Peccator *publicus* ille dicitur, cujus crimen vel pessima vita notoria est, vel *jure* seu juridica probatione aut sententia, vel *facto*, ut si crimen commissum fuerit in loco publico, vel *fama* apud multos, ex *sufficientibus* tamen indiciis orta.[5]

Resp. 2° Peccator *occulte petens* dicitur ille, qui reperitur solus cum Ministro vel paucis aliis, quorum merito nulla habeatur ratio, ut sunt pueruli, etc. Secus publice petere censetur.

Quær. 2° *An sit negandum Sacramentum indigno publice petenti, cujus crimen est notum quidem plerisque ex præsentibus, sed nondum publicum?*

Resp. Neg., juxta sententiam *probabiliorem*, quia non potest dici adhuc peccator publicus; insuper variis incommodis obnoxia esset denegatio.[6] — Hinc resolves, tunc tantum indigno publice petenti denegandum esse Sacramentum, cum vel *absolute* (fama, jure, vel facto) publica est ejus indignitas, licet forte nemini ex iis, in quorum præsentia Sacramentum petit, nota sit, — vel *respective*, seu nota *omnibus præsentibus*, id quod raro admodum in magnis civitatibus, præsertim nostris, ob defectum præsertim personalis cognitionis; facilius vero in parvis locis evenire poterit.

1231. — Quær. 3° *An denegandum sit Sacramentum peccatori, quando crimen ejus non est publicum ubi petit, publicum tamen est alibi?*

Resp. Neg. saltem *probabilius;* quia ex una parte ministrando ei Sacramenta non adest aliorum scandalum, et ex altera parte, si denegarentur, ea nascerentur incommoda atque damna, quæ ex denegatione peccatori occulto facta proveniunt.[1] — Secus vero dicendum, si notitia illius criminis facile sit in eum locum perventura.[2]

Quær. 4° *Quomodo se gerere debeant Parochi in celebratione Matrimonii illorum, qui* NOTORIE *in ecclesiasticas censuras inciderint?*

Resp. S. Pœnitentiaria 10 *dec.* 1860. *dub.* 10. "Curandum pro viribus, ut ecclesiasticis censuris innodati debito modo cum Ecclesia reconcilientur: at, si reconciliari recusent, et nisi matrimonium celebretur, gravia inde damna imminere videantur, Parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione omnibusque perpensis, quæ a probatis auctoribus et præsertim a S. Alphonso (L. VI. 54) traduntur, ea declaret, quæ magis expedire in Domino judicaverit." Parochus nimirum juxta S. Doctorem assistere poterit "ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato."

Quær. 5° *An liceat simulare administrationem Sacramenti, ne indigno conferatur?*

Resp. Duplicem simulationem distinguunt Theologi: aliam *formalem*, qua Minister directe intendit decipere; aliam vero *materialem*, qua quis non intendit directe decipere, sed ex alio motivo ad simulandum inducitur, v. g. si gravi metu cogatur, etc.

Dico: Nunquam licet, ne *materialiter* quidem, Sacramentum simulare. Ratio est, quia omnis simulatio est injuria et irreverentia gravis in Christum, cui illudit

[1] P. 3. q. 80. a. 6.
[2] L. VI. 50.
[3] Ib. 52. Ben. XIV. de Syn. L. XII. c. VIII. n. 3. 4.
[4] L. VI. 54.
[5] Ib. 44.
[6] Ib. 45.

[1] L. VI. 46. [2] Ib.

Minister abutendo rebus sacris ab ipso institutis.

1232. — Quær. 6° *In quo præcise consistat simulatio Sacramenti?*

Resp. Non conveniunt Theologi. Aliqui dicunt, eam consistere in eo generatim, quod suscipientes aut alios in errorem inducere potest. *Probabilius* juxta communem sententiam tunc solum videtur adesse quando *ficte* quidpiam ponitur, quod pertinet *ad essentiam* Sacramenti, ita ut proximus *necessario* decipiatur, et sic *simulationem* distinguunt a *dissimulatione*, quæ habetur, quando fictio seu defectus est *exterior* et per se loquendo agnosci potest, uti v. g. si in confectione non ponatur materia vel forma, sed ejus loco aliud substituatur, ita ut fiat aliquid aliud a Sacramento. Hæc dissimulatio ex causa licita est, cum sic veritas solummodo occultetur, nec Sacramentum irreverenter tractetur, secluso tamen scandalo, contemptu, intentione fallendi, etc. (Cfr. n. proxime sequentem, 1233. 6° et 8°.) Hinc C. S. O., si quando contigit, ut parentes infideles offerrent infantes ad Baptismum, non ut christiani fierent, sed ut a quibusdam morbis præservarentur, numquam permisit infundere aquam sine prolatione formæ, ut sic parentes ab importunis precibus desisterent, cum "Baptisma sit janua omnium Sacramentorum ac protestatio Fidei, nec ullo modo fingi possit."[1]

1233. — *Resolves.* 1° Inter eos, qui tamquam publice indigni a Communione arcendi sunt, a Rituali Rom. enumerantur *excommunicati, interdicti, manifestique infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores* (saltem *jure* publici, seu sententia judicis condemnati), *magi, sortilegi* (quos inter et fatidici), *blasphemi* (quales etiam habendi sunt, qui scriptis vel verbis Deum aut Sanctos vel Religionem et Ecclesiam calumniis lacessere solent. "Sed quoties," ait Kenrick,[2] "exterior corporis compositio animum denotat humilem, potest haberi veluti retractatio eorum, quæ quis contumeliose protulit"), *et alii ejus generis publici peccatores*, puta publici consuetudinarii impœnitentes, — publice noti ut societati alicui damnatæ adscripti, — actores et actrices ludos impios vel turpes exhibentes. — "Publici peccatores," ait Kenrick,[1] "qui præsulum suorum resistunt legitimæ auctoritati, vel cum gravi offensione fidelium male se gerunt, indigni sunt, qui ad Eucharistiam excipiantur; cæterum quandocumque ratio agendi, etsi iniqua, possit extenuari ex mentis errore, vel aliqua alia ratione, præstat neminem accedentem repellere, sed Dei et confessarii relinquere judicio." — Nec omnes illi, qui *publice* aliquod grave peccatum commiserunt, arcendi sunt, cum scandalum regulariter per Confessionem factam vel præsumptam tollatur. Arcendi tamen, ut per se patet, qui publice *et* actualiter in peccato sunt, e. g. manifeste et hic et nunc ebrii, vel mulieres ita immodeste denudatæ, ut denudatio *per se* mortalis sit (n. 295. 11°).

2° Publico peccatori, etiam moribundo, qui suî tamen adhuc compos sit, deneganda sunt Sacramenta, nisi pœniteat, non coram Deo tantum, seu in Confessione, sed etiam coram hominibus, nisi forte res oblivione sit deleta. Hæc autem coram hominibus pœnitentia extra Confessionem, et ita exhiberi debet (v. g. coram testibus), ut in aliorum notitiam *possit* venire. Cfr. Rit. Rom. *de Communione infirmorum.*

3° Sacramenta, si publice neganda sint, modo prudenti negentur. Hinc a Ministro omnia illa cavenda sunt, quibus vel obnoxius fiat legibus diffamationem punientibus, vel majus impedimentum conversioni indigni objiciatur. Hinc recusationis motiva non sunt *publice* exponenda, et S. Mensæ cum aliis assidentem sacerdos, nihil sive verbis sive nutu significans, pertranseat. Si vero solus intra Missam accedat, manebit ad altare, indigno per alium nuntians, quod, non vero *quare* — possit abire.

4° *Gravissime* peccaret sacerdos, qui in Missa pronuntiaret verba consecratoria super panem et vinum, intentionem consecrandi excludens. Neque bona fide excusari possunt, qui crassa ignorantia laborantes, et in mortali celebrantes, Consecrationem simulant, ne sacrilegii rei evadant, etiamsi verba Consecrationis omnino omittant.

5° *Graviter* peccaret confessarius, qui verba absolutionis proferret sine animo

[1] Anal. I. P. Sér. 2. col. 1807.
[2] Tr. XVII. 37.

[1] Tr. XVII. 37.

absolvendi, etiamsi id ageret ad se facilius expediendum a pœnitente *indisposito* et absolutionem instanter petente; aut etiam per gravissimas minas exigente. — Dicent plures, posse confessarium in hoc casu dicere: Ego te *non* absolvo . . . pronuntiando τὸ *non* ita demisse, ut non audiatur a pœnitente. Non improbabile hoc judicat S. Alph.;[1] sed confessarius alias voces aut preces potius quam absolutionis formam tunc facile pronuntiare posset; cæterum casus iste fere chimæricus esse videtur.

6° Non simulat autem Sacramentum Pœnitentiæ confessarius, qui recitat preces super pœnitentem indispositum, ne adstantes advertant, illum sine absolutione dimitti; constat enim apud omnes, quod pœnitentes sæpe cum sola benedictione dimittuntur, et subinde sine intentione confitendi aut Confessionem perficiendi ad sacrum tribunal accedunt.[2]

7° *Graviter* peccat sacerdos, qui hostiam non consecratam pro consecrata porrigit, etiam *scienti et consentienti*, ut evenit quandoque miseris sacerdotibus cum complice, qui famæ servandæ gratia ad Sacram Mensam accedit. Ratio est, quia sic hostia non consecrata exponitur adorationi tum adstantium, tum ipsiusmet etiam *scienter* recipientis cum reverentia externa, quæ idololatriam externam et materialem, et proinde quid intrinsece malum constituit.[3]

8° Tamen juxta communem sententiam non peccant, saltem graviter, qui metu gravi coacti Matrimonium inire simulant. Ratio est, quia cum desit voluntarius consensus, juxta sententiam nunc certam, quæ tenet sponsos esse hujus Sacramenti ministros, deest materia et forma, et proinde non est simulatio Sacramenti, sed tantum simulatio contractus. Aliunde error sufficienter adverti posset ex circumstantiis, et sic deceptio non necessario adesset.

§ III. *De modo Sacramenta conferendi.*

1234. — Non satis est, si minister ea, quæ ad materiam et formam spectant, diligenter observet; sed omnes S. Ecclesiæ leges circa Sacramentorum administrationem studiose servare debet. Hinc peccat Minister, qui eas *contemnit*, — sine causa sufficiente *omittit*, — aut *mutat*,[1] idque pro materiæ gravitate, ideoque *graviter*, si vel negligat cœremonias *integrales* (quæ scil. Sacramenti actionem complent ejusque effectus clarius indicant, uti exorcismi in Baptismo), vel etiam *accidentales* (quæ ad actus ornamentum et decorem pertinent, ut genuflexiones) in magna quantitate aut cum scandalo gravi aut ex contemptu omittat.

1235. Quæsita. — Quær. 1° *Utrum de præcepto sit usus Ritualis Romani in administratione Sacramentorum?*

Resp. Affirm. quoad nostras Provincias, cum modificationibus tamen a S. Sede concessis,[2] vetito:

1° Ne sacerdotes ab eo discedant "consuetudinis obtentu vel alio quocumque prætextu."[3]

2° Ne "si censuerint expedire, explicationis causa, eorum, quæ" in Sacramentis administrandis et in defunctorum sepultura lingua Latina recitant, "adjungere versionem lingua vernacula," alia utantur, quam ea, quæ fuerit ab Ordinario sancita.[4]

3° Ne Latina forma *precum* umquam omittatur.[5]

Dixi: *Affirm. quoad nostras Provincias;* utrum vero *ubique* de præcepto sit usus Ritualis Romani in administratione Sacramentorum, in utramque partem disputatum vide, si lubet, apud De Herdt.[6]

1236. — Quær. 2° *Quænam vestes sacræ requirantur ad Sacramentorum administrationem?*

Resp. Secluso casu urgentis necessitatis, *stola* et *superpelliceum* generatim requiruntur. — Dicitur *superpelliceum;* nam "Rochettus non est vestis sacra adhibenda in administratione Sacramentorum, ac proinde ad ea administranda necessario superpelliceo utendum."[7]

Stola autem deferri non debet, nisi in Sacramentorum et Sacramentalium confectione, et in actu prædicationis, ubi viget consuetudo necnon in quibusdam aliis functionibus, prout in Rituali Ro-

[1] L. VI. 59. [2] Ib.
[3] Ib. n. 61.

[1] Trid. Sess. 7. de Sacr. Can. 13.
[2] Conc. Plen. Balt. II. a. 210–212.
[3] Ib. a. 213.
[4] Ib. a. 214. 215.
[5] Ib. a. 215.
[6] S. Lit. Prax. T. III. p. 369. ed. 1870.
[7] S. R. C. 10. jan. 1852. in Cenoman.

mano præscribitur. Usus autem stolam deferendi ceu signum jurisdictionis et præeminentiæ, tanquam abusus reprobatur.[1]

Plura circa modum administrandi Sacramenta, ubi de singulis in particulari agetur. — Generatim ob oculos habeatur sequens monitum Conc. Plen. Balt. II.[2] "Dum Sacramenta ministrant, verba distincte et articulatim pronuntientur; incessus, vultus, corporis motus, vocis modulatio rei sanctissimæ, quæ agitur, conscientiam exprimant, et fideles ad firmam fidem devotionemque intimam excitent. Præterea pro viribus et rerum adjunctis curent sacerdotes, ut nitida et decora sint, quæ ad Sacramentorum dispensationem requiruntur. Pastores sibi commissum gregem de Sacramentis et præparatione religiosa his permittenda, quoties occasio offertur, instituant."

CAPUT IV.

DE SUBJECTO SACRAMENTORUM.

1237. — Subjectum Sacramenti dicitur ille, qui Sacramentum suscipit, et est capax effectus Sacramenti.

Subjectum Sacramentorum est solus homo *viator;* quia ut ex S. Scripturis et traditione patet, pro solis hominibus viatoribus Sacramenta instituta sunt. Non omnes tamen homines sunt omnium Sacramentorum capaces. Nam nec mulieres Sacramentum Ordinis, nec pueri, ratione nondum utentes, suscipere possunt Sacramenta Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis.

Ratio *a priori*, cur solus homo viator sit capax Sacramentorum, est voluntas Christi Domini institutoris Sacramentorum. Ratio autem convenientiæ est, quia, juxta ordinem præsentis Providentiæ, solus homo viator est capax primæ gratiæ, vel augmenti gratiæ; ejusmodi autem non sunt Beati vel animæ in purgatorio detentæ, quibus jam determinata est mensura gloriæ respondens gratiæ, quam in vita mortali habuerunt. Multo autem minus capaces sunt gratiæ damnati, utpote a Deo jam in æternum separati. His positis, agendum de requisitis tum ad validam, tum ad licitam Sacramentorum receptionem.

[1] S. R. C. 7 sept. 1816; 11 sept. 1847; 7 sept. 1850.
[2] a. 208.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD VALIDAM SACRAMENTORUM RECEPTIONEM.

1238. PRINCIPIA. — I. Ad Sacramenta valide suscipienda nulla requiritur probitas, nec proprie Fides in subjecto, si Pœnitentiæ Sacramentum excipias. Constat ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam permisit iterum baptizari aut ordinari hæreticos et improbos homines rite baptizatos et ordinatos. Constat etiam, quoad Fidem, ex definitione expressa Conc. Trid.[1] circa Baptismum *infantium*.

II. In infantibus aut perpetuo amentibus nulla requiritur dispositio, nec intentio, ut valide recipiant Sacramenta, quorum sunt capaces, videlicet Baptismum, Confirmationem, Ordinem et Eucharistiam, quæ olim ipsis ministrabatur. Constat ex praxi Ecclesiæ, et sententia communi, etc. . . .

III. In adultis ad validam Sacramentorum susceptionem aliqua requiritur intentio; quia non est conveniens, ut adultus sanctificetur, nisi velit. Hinc non sufficit intentio *neutralis*, qua quis ita animo comparatus est, ut neque consentiat, neque dissentiat.[2] De tali enim dici nequit eum *velle* suscipere Sacramentum. Sed pro plerisque Sacramentis sufficit intentio habitualis, etiam quandoque confusa tantum, seu implicita, spectata cujusque Sacramenti natura; quia collatio Sacramentorum est quædam donatio et beneficium, ad quod acceptandum sufficit habitualis intentio. Secus vero dicendum est de conferente Sacramentum; quia cum agere debeat modo humano, necesse est, ut intentionem saltem virtualem habeat. — *Objectum* autem intentionis, *de valore*, est id, quod eo ritu præstat Ecclesia, ut diximus de Ministro (n. 1217).

IV. Ad cætera Sacramenta valide suscipienda præexigitur susceptio Baptismi;

[1] Sess. 7. de Bapt. Can. 13.
[2] L. VI. 81.

proin homo non baptizatus nullatenus est capax aliorum Sacramentorum. Ratio est, quia cætera Sacramenta sunt instituta pro sola Ecclesia; porro per solum Baptismum homines fiunt membra Ecclesiæ. Ergo . . . etc. Sic definivit Eugenius IV. *in Decreto pro Armenis.*

1239. QUÆSITA. — Quær. 1° *An requiratur attentio in subjecto adulto, ut Sacramentum valide suscipiat?*

Resp. Neg. prorsus. Sufficit enim *intentio*, ut jam explicatum est, etiam in Sacramentis, quæ requirunt intentionem virtualem; ratio, quia actus humanus non procedit ab *attentione*, sed a voluntate seu ab *intentione*. — Præterea pleraque Sacramenta, ut dictum est, ne virtualem quidem intentionem exigunt; ergo *a fortiori* attentionem ex parte subjecti non requirunt. Insuper non requiritur attentio in Ministro ad conficiendum Sacramentum, ut constat ex dictis supra n. 1215; ergo *a fortiori* non requiritur in subjecto.[1]

Hinc frustra scrupulis aliquando pœnitentes ex eo anguntur, quod distractiones passi fuerint dum absolvebantur, vel quod absoluti fuerint, quin ad id animadverterint.

1240. — Quær. 2° *Quænam intentio requiratur in adultis pro singulis Sacramentis suscipiendis?*

Resp. 1° Ad Baptismum valide recipiendum in adultis requiritur intentio saltem *habitualis*, quæ fuerit antea expressa, et nunquam retractata. Aliqui tamen dicunt sufficere voluntatem Baptismi *implicitam*, qualis esset in eo, qui haberet voluntatem peragendi omnia ad salutem necessaria. — Censet vero S. Alph.,[2] hanc sententiam solummodo in infideli, qui semper veram fidem invincibiliter ignoravit, locum habere posse.

2° Ad Confirmationem sufficit voluntas *habitualis*, etiam *implicita*, vel, ut dicit S. Alph.,[3] *interpretativa*. — Sic conferri potest moribundo sensibus destituto.

3° Ad Pœnitentiam requiritur intentio vel *actualis*, vel saltem *virtualis*; nec proinde intentio habitualis sufficit, saltem in praxi.[4]

4° Ad Extremam Unctionem sufficit intentio *habitualis*, vel implicita, seu *interpretativa*, ut dicunt communiter Theologi, et constat ex *Rituali Romano*, ubi de ea dicitur: "Hoc Sacramentum est præbendum sensibus destitutis, qui ante illud petierunt, seu verisimiliter petiissent,"[1] "et idem," ait S. Alph.,[2] "dicunt de Sacramento Eucharistiæ Lugo, etc."

5° Ad Ordinem certo in adulto non sufficit intentio *interpretativa*, quia sine voluntate explicita nullus adultus potest gravissimam obligationem Status Clericalis subire. Sufficere tamen videtur intentio *habitualis*. In praxi autem requiri debet intentio *actualis*, vel saltem *virtualis*.[3]

6° Ad Matrimonium requiritur intentio saltem *virtualis*, quia Matrimonium perficitur contractu, ad quem deliberatio et plena voluntas necessaria est.[4]

[1] Sporer, n. 157. [2] L. VI. 82.
[3] L. VI. 82. [4] Ib.

ARTICULUS II.

DE REQUISITIS AD LICITAM SACRAMENTORUM RECEPTIONEM.

1241. PRINCIPIA. — I. Ad *Sacramenta vivorum* licite *et* fructuose recipienda, præter intentionem ea suscipiendi prærequiritur status gratiæ. Hæc enim ex primaria sua institutione a Christo sunt ordinata, non ad conferendam primam gratiam, sed ejus augmentum, cum primam gratiam jam in subjecto supponant. Hinc graviter peccant, qui scienter Sacramenta vivorum in statu peccati mortalis suscipiunt, et gravius quidem ac illi, qui indigne ministrant aut conficiunt.[5] Status autem gratiæ per Confessionem procurandus est, si ad Eucharistiam accedendum sit; vel saltem per contritionem perfectam, si agatur de aliis Sacramentis, ut supra de Ministro dictum est. Satius vero est, quantum fieri potest, etiam aliorum Sacramentorum receptioni Confessionem semper præmittere.

Dixi: *ad Sacramenta vivorum licite* ET *fructuose recipienda*, etc. Quamvis enim in casu gravis necessitatis Sacramenta *vivorum* in statu peccati mortalis etiam sine contritione, dum ad eam eliciendam tempus non suppetit, suscipere communius licitum asserant, tamen sic nullus fructus exinde perciperetur. Id continge-

[1] L. VI. 82. [2] Ib.
[3] Ib. [4] Ib.
[5] Ib. 86.

ret, v. g., si laicus scamno communicantium accumbens subito peccati mortalis nondum deleti recordaretur.[1] At casus, ut ponitur, rarissimus erit, sive quod tempus supersit ad eliciendam contritionem, sive quod peccatum jam indirecte per Confessionem deletum sit.

II. Ad *Sacramenta mortuorum* ab adultis licite recipienda requiruntur actus saltem impliciti Fidei et Spei, juxta dicta Apostoli:[2] *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Cfr. dicta n. 257 – 261, 270. Requiritur insuper actus doloris de peccatis, quia nulli datur venia peccatorum sine retractatione aut dolore de peccatis commissis. Hæc autem in Sacramento Pœnitentiæ etiam ad validitatem necessaria sunt, quia ad dispositionem pœnitentis pertinent.[3] Sufficit autem attritio, ut suo loco dicetur.

1242. QUÆSITA. — **Quær. 1°** *An Sacramenta valide sed illicite suscepta, remoto obice, reviviscant, seu gratias sibi proprias producant?*

Resp. Affirm., saltem pro plerisque Sacramentis. Ratio est, quia per accidens tantum fit, ut effectus proprios non producant, nempe propter obicem; et proinde effectus illi remanent quidem suspensi, manente obice; hoc tamen remoto, animæ applicari debent. Hoc pro Sacramentis characterem imprimentibus uti certum admittitur. Idem *verius* dicendum est etiam de Sacramento Pœnitentiæ (ut suo loco explanabitur), et potiori ratione de Sacramentis Extremæ Unctionis ac Matrimonii, quæ, durante eodem morbo aut eodem conjugio, iterari nequeunt.[4]

Quær. 2° *Qualis dispositio requiratur in subjecto, ut Sacramentum informe reviviscat?*

Resp. Statuitur communiter hæc regula generalis: requiritur ea dispositio, quæ deerat, et cujus absentia causavit obicem effectui Sacramenti, seu debet præcise poni id, quod necessario in susceptione Sacramenti requirebatur. Unde *per se* sufficit attritio pro reviviscentia Baptismi, Pœnitentiæ et Extremæ Unctionis. Requiritur autem contritio perfecta, vel attritio cum Confessione pro ceteris Sacramentis, scilicet pro Confirmatione, Ordine et Matrimonio. — Item si informis fuerit Baptismus ob solum Fidei defectum, reviviscet per actum Fidei cum attritione peccati infidelitatis. Ratio est, quia, quemadmodum inductus fuit obex propter carentiam alicujus dispositionis requisitæ, ita tollitur per ejusdem positionem: nulla enim tunc superest ratio, cur effectus Sacramenti suspensus remaneat. — Ita S. Thom. (*pro Bapt.*),[1] Lugo,[2] Lacroix.[3] Eucharistia vero non reviviscit, nisi forte dum obex removetur, antequam species consummentur. Aliàs, quo frequentius quis sacrilege communicasset, eo uberius gratiis ditaretur, dum contereretur, aut attritus confiteretur.[4]

Quær. 3° *An sufficiat attritio, ut Baptismus informis reviviscat, si suscipiens alia peccata gravia commiserit post Baptismum?*

Resp. Neg., quia peccata commissa post Baptismum sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, et proinde remitti non possunt, nisi per illud Sacramentum, vel per contritionem perfectam cum voto Sacramenti Pœnitentiæ in ea incluso. — Lugo,[5] Lacroix.[6]

1243. — **Quær. 4°** *An liceat petere Sacramentum a Ministro indigno?*

Resp. 1° Non licet sine causa, quia sic absque ratione induceretur Minister indignus ad graviter peccandum. Hoc autem per se illicitum est, quia caritas exigit, ut impediamus peccatum proximi, quod facile impedire possimus.[7]

Resp. 2° Licet autem, si Sacramentum non possit facile peti ab alio sacerdote, nec possit facile differri ejus susceptio; nemo enim cum magno incommodo tenetur e jure suo cedere ad *liberum* peccatum alterius impediendum. Tunc ergo Sacramentum petens permittit simpliciter peccatum, sed peccati causa non est.[8] — Causa autem sufficiens foret, v. g. præceptum Paschale implendum, vel si quis secus diu in statu peccati mortalis remanere, aut Communione privari deberet, etc.

[1] L. VI. 86.
[2] Hebr. 11. 6.
[3] Trid. Sess. 14. de Pœnit. c. 4. S. Alph. L. VI. 86.
[4] L. VI. 6. 87. 444. Exam. Ord. n. 4.

[1] P. 3. q. 69. a. 10.
[2] D. 9. n. 50. sq.
[3] n. 207.
[4] L. VI. 87.
[5] D. 9. n. 55. sq.
[6] n. 207.
[7] L. VI. 89.
[8] L. VI. 89.

Nota. — Fideles a) non tenentur inquirere de dignitate Ministri; b) extra casum periculi seductionis, Sacramenta *semper* petere possunt a sacerdote, qui non certo noscatur indignus, et, sciente ac probante Episcopo, S. Ministerii functiones obit; nec c) a petendo abstinere tenentur eo præcise quod norunt Ministrum non longe ante in mortale incidisse; præsumere enim possunt illud pœnitentia expiatum fuisse.

Quær. 5° *An liceat petere Sacramentum a Ministro indigno ob aliquam censuram aut inhabilitatem canonicam?*

Resp. Dist. Vel agitur de solo jure ecclesiastico, vel de divino. In *priori* casu, *subdist.* — Si publice et nominatim censuratus aut inhabilitatus fuit, non licebit nisi in extrema vel gravissima necessitate, puta si agatur de Baptismo; — de Pœnitentia; — de Viatico; — de Extrema Unctione, casu quo infirmus aliud Sacramentum non potuerit suscipere; — de Ordine, si communitas egeret sacerdotibus; — de Matrimonio, si illud necessarium foret vel ad salutem spiritualem morientis, vel ad magnam utilitatem temporalem filiorum. — Si non publice et nominatim, *verius* licet, quia Conc. Constant. *absolute* concessit fidelibus communionem cum *toleratis*, quales hodie sunt, qui non publice *et* nominatim censurati sint.[1] Supponitur tamen Ministrum non esse indignum ob peccatum, quo casu valet resolutio in *quæsito proxime præc.* tradita.

Si de jure *divino* agitur, dicendum est *ordinarie* prohibitum esse Sacramenta *publice* a Ministro, etiam *tolerato*, suscipere, saltem ob contemptum et despectum censurarum, quæ inde proveniret. — Hoc potiori jure ad eos excommunicatos extendendum, qui sectæ alicui hæreticæ vel schismaticæ adscripti sunt. Licet enim dubitari nequeat eosdem communiter toleratis adnumerari debere, Ecclesia tamen communicationem in divinis cum ipsis illicitam *in genere* semper censuit; cum per eam fere semper jus divinum vel naturale lædatur ob periculum *perversionis* vel *participationis* in ritu hæretico aut schismatico, vel ob periculum et occasionem *scandali*.[2]

[1] L. VI. 88.
[2] Gury, Edit. in Germ. 4ta. P. II. n. 964 (1).

APPENDIX.

De Sacramentalibus.

"Præter Sacramenta proprie dicta, alias quoque res sacras habet Ecclesia, quæ olim latiori quidem ac minus proprio sensu etiam Sacramenta vocabantur. A multis autem sæculis in morem venit, ut *Sacramentalia* appellentur."[1]

1244. *Variæ Sacramentalium species.* — Universim sunt: 1. Ritus et cæremoniæ, quibus Ecclesia utitur in administratione Sacramentorum. 2. *Benedictiones* et *Exorcismi* extra Sacramentorum dispensationem. 3. *Res sacræ*, quibus vel ex divina institutione, — ut Sanctissimo Nomini Jesu et Signo Crucis, — vel ex benedictione Ecclesiæ, ut aquæ lustrali, vis aliqua salutifera annexa est. 4. *Pia* quædam *exercitia*, ut Oratio Dominica, tunsio pectoris, *confiteor*, eleemosyna.

1245. *Sacramentalium vis et efficacia.* — "Origo nominis" Sacramentalium, ait Conc. Pl. Balt. II.[2] "ex eo est, quod Sacramentis virtute ac meritis longe inferiora cum sint, ea tamen effectibus quodammodo imitentur."

Dicitur: 1° "*ea* EFFECTIBUS *imitentur.*" Nam a), ut Sacramenta *vivorum*, gratiam conferunt, scil. actualem et augmentum habitualis; b) ut Sacramenta *mortuorum* peccata remittunt, scil. venialia; c) ut Sacramenta *characterem imprimentia*, ita aliqua Sacramentalia res *stricte sacras* constituunt.

Dicitur: 2° *ea effectibus* QUODAMMODO *imitentur.* Nam juxta *communiorem*, et S° Alph° *veriorem*, sententiam[3] effectus suos, i. e. remissionem venialium et temporalia beneficia, quæ ex iis expectamus, non *ex opere operato*; ideoque nec *infallibiliter* causant, sed per modum *impetrationis*, i. e. ob preces et benedictiones, quibus Ecclesia Sacramentalia adhibentibus pios motus doloris aut caritatis, per quos venialia remittuntur, et beneficia specialia impetrat, sed hæc tantum, quatenus nobis salutaria sunt.

1246. *Sacramentalium administratio.* — 1. *Obligatio ea ministrandi*, juxta Suarez,[4] adest "supposita necessitate hominis a

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 341.
[2] Ib.
[3] L. VI. 92.
[4] De Rel. Tr. V. L. IV. c. IV. n. 5.

dæmone obsessi, vel alia simili, ... quia tenentur" Ministri Ecclesiæ "subvenire necessitatibus suorum fidelium per remedia convenientia, et ab Ecclesia instituta." Apposite etiam monet Possevin.[1] "In remediis in bonum populi, puta contra grandines, locustas sata vastantes, non solum sit facilis" (sacerdos), "sed ipsemet etiam irrequisitus ea proponat. Idem agat in mortalitate animalium et similibus; non quod ad ista ex præcepto teneatur, sed quod ita agens benevolentiam populi acquiret et illius devotionem augebit, et merebitur actu caritatis."

2. Ministranda sunt cum fide et fiducia; corde mundo et pura intentione; digne et devote; quin infidelium irrisiones aut reformidentur, aut indecoro administrandi modo provocentur.

3. "Curent imprimis concionatores et animarum rectores, ut harum rerum naturam, significationem, rectumque usum fidelibus exponant, ac sæpius inculcent. Iis, qui sapientiæ et ingenio suo nimis innituntur, persuadeant hæc, levia licet minutaque videantur, non esse contemnenda, quum ad pie vivendum et salutem consequendam non parum proficiant. Rudiorem vero plebeculam, quæ contrario errore abripitur, etiam atque etiam moneant, ne rebus ipsis nimiam efficaciam tribuat, neque eas cæca quadam et immodica fiducia servet, et superstitiosa veneratione prosequatur, quasi ipsæ per sese, sine pia mentis dispositione, plurimum possent. Illos vero acerrime reprehendant, qui hujusmodi res sacras, ut Ethnicis moris erat, amuletorum quasi loco habent, quæ ipsos etiam fœdissimo vitiorum cœno involutos ab ira Dei et ultione præstent immunes."[2]

1247. — Præcipuum inter Sacramentalia locum obtinent *Exorcismi*, de quibus actum est n. 375 – 377, et *Benedictiones*. Harum aliæ *privatæ* sunt, quæ etiam a laicis, v. c. filiis a parentibus; aliæ *liturgicæ*, quæ a Ministris ad hoc deputatis dantur. Hæ varie dividuntur.

I. *Ratione effectuum.* Benedictiones aliæ *invocativæ* sunt, benignitatis scil. Dei in personas, — v. g. in mulierem post partum, — vel in res, — v. g. in esculenta, — et inter Sacramentalia *transeuntia* recensentur, quia personæ aut res ita benedictæ non mutant statum, seu ex profanis non fiunt *stricte sacræ*, ideoque ad usus profanos, honestos tamen, adhiberi, sicut ante benedictionem, possunt, ut esculenta et poculenta, domus, navis, etc.; item secundum S. Alph.[1] aqua benedicta, et candelæ (puto extra diem Purificationis[2]) benedictæ; — aliæ *constitutivæ* vel *consecrativæ*, quæ inter Sacramentalia *permanentia* enumerantur, quia personæ aut res ita benedictæ mutant statum et ex profanis *stricte sacræ* fiunt, nec ad profanos usus, etiam honestos, adhiberi amplius possunt, ut calices, paramenta, altarium lapides, *Agnus Dei*, etc.

Nota. — Missalia et Biblia Sacra, sicut etiam sacræ imagines, non debent adhiberi ad usum profanum; secus vero dicendum de aliis chartis, ubi incidenter et accessorie inscribuntur nomina sacra.[3]

II. *Ratione ritus.* Aliæ sunt *verbales*, in quibus non adhibetur unctio; aliæ *reales*, in quibus ea adhibetur.

III. *Ratione objectorum.* Aliæ sunt *personarum*, ut Abbatis; aliæ *rerum*, ut Ecclesiæ.

IV. *Ratione Ministri.*

A. Aliæ sunt *Papales*, ut benedictio *Agnus Dei*, Pallii, etc.

B. Aliæ ad *Episcopos, atque ad eos solos*, et quidem ita pertinent, ut sine Indulto Pontificio simplicibus sacerdotibus delegari nequeant, — res vero, quæ cum facultate, sine ejusmodi indulto delegata, benedictæ fuissent, ante usum de novo, si sine scandalo fieri possit, benedici debeant.[4] Sunt vero *reales*, et in solo Pontificali inveniuntur. Ejusmodi sunt consecratio calicis, altaris, campanæ. Quasnam ex his Episcopi nostri delegare valeant, V. p. LXXIII. n. 6. 12, et quænam Sede vacante et in casu necessitatis administratori delegentur, p. LXXII. n. 28.

C. Aliæ *ad Episcopos* pertinent, *sed ita ut ab aliis etiam* facultatem habentibus fieri valeant. Inveniuntur in Rituali et Missali sub titulo: "*Benedictiones ab*

[1] Praxis Curæ Past. c. XII. n. 47.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 350.

[1] L. VI. 94.
[2] Benger. Comp. der Past. Theol. p. 498.
[3] L. VI. 94.
[4] Decr. 22 sept. 1703. 3.

Episcopis vel aliis facultatem habentibus faciendæ." Sunt vero sequentes :

1) Benedictiones sacerdotalium indumentorum, — mapparum et corporalium, sub quibus et pallæ, — tabernaculi, i. e. pyxidis et lunulæ, quatenus ritu in Rituali, et non in Pontificali, præscripto perficiuntur, — *solemnis* crucis vel imaginum, quæ fit publice, cum concursu populi, cum solemnitate, cantu, pluribus ministris, etc. ; non autem *privata*, quæ fit absque dicto apparatu a solo sacerdote cum unico ministro.

2) Benedictio et reconciliatio ecclesiæ nondum consecratæ, et publici oratorii ac cæmeterii, necnon benedictio primarii lapidis.

Nota. — a) *Certum* est, Episcopum *suo* jure posse delegare simplicem etiam sacerdotem ad benedictiones enumeratas sub 2), quia hæc delegandi facultas in Rituali specialiter exprimitur. Utrum vero et eas quæ sub 1) recensentur, *disputatur ;* [1] indultum tamen Apostolicum ad hoc habent Episcopi nostri (vide p. LXXI. n. 13).

b) A Superioribus eorum Institutorum religiosorum, quæ cum Mendicantibus in privilegiis communicant, benedictiones, de quibus sub C., fieri possunt, dummodo non agatur de ecclesiis, oratoriis, cœmeteriis alienis, nec de indumentis, paramentis aut vasis in usum alienarum ecclesiarum, nec de crucibus vel imaginibus solemniter benedicendis in locis sibi non subjectis.

D. Aliæ pertinent ad simplices sacerdotes, quæ tamen iterum duplicis sunt generis ; nam

1° Quasdam dare potest omnis sacerdos, eas nimirum, quæ in Missali vel Rituali præscribuntur faciendæ per "*sacerdotem*" sine addito. Has tamen simplex sacerdos impertiri non poterit : 1) In alterius ecclesia, aut in capellis vel oratoriis ecclesiæ annexis, pastore aut rectore invito seu contradicente : 2) Publice et solemniter in locis jurisdictionis alterius : 3) Si in favorem pastoris obstent consuetudo immemorialis, vel lex synodalis, vel conventio.

2° Quasdam nonnisi parochus vel ab ipso delegatus dare potest, eas nimirum, quæ in Rituali notantur, ut a Parocho fiant, *vel alio sacerdote ;* tunc enim intelligitur : ab alio sacerdote de licentia Parochi.[1] De jure autem *Parochi* est benedictio domorum in Sabbato Sancto ; benedictio communis super fruges, et agrorum, saltem si solemniter fiat ; item forte benedictio domorum alio tempore extra Sabbatum Sanctum facienda, quia in Rituali pro hac benedictione fit mentio Parochi ; hoc tamen Cavalieri negat ; [2] demum benedictio fontis baptismalis, nuptiarum, et, ubi consuetudo vel statuta synodalia ita disponunt, mulierum post partum. — Cæterum distinctio inter benedictiones parochiales et non parochiales nobis usui vix esse potest.

V. Demum *ratione necessitatis* benedictiones dividuntur in *præceptas* et *non præceptas.*

Ad *præceptas* pertinent :

a) *Episcopales* utriusque generis (vide sub IV. B. C.), excepta benedictione cæmeterii, — cum sufficiat benedictio loculi seu sepulcri, — et solemni crucium vel imaginum. — Ex indumentis et paramentis sacerdotalibus

1° Purificatorium, velum et bursa non necessario sunt benedicenda.[3] 2° *Probabilius* benedicenda sunt cingulum et palla.[4] 3° *Certo* autem corporale, amictus, alba, manipulus, stola, casula et mappæ. 4° Pyxis et lunula non debent necessario consecrari, sed *probabilius* tamen benedici.[5]

b) *Parochiales*, exceptis benedictionibus mulieris post partum, agrorum, fructuum, domorum.

c) Quæ secundum Rubricas certis anni diebus, e. g. die Purificationis, vel Dominicis ante Missam principalem (de qua vide De Herdt [6] vel nostrum *Ceremoniale*[7]) præscribuntur.

1248. *Quo ritu benedictiones sint faciendæ.* — Benedictiones, quæ vel de præcepto, vel publice in ecclesiis vel oratoriis publicis coram populo ad id congregato fiunt, extra Missam dandæ sunt cum superpelliceo et stola pro ratione tempo-

[1] De Herdt. T. III. n. 129.

[1] Scav. T. IV. n. 350. Gury, Ed. in Germ. 4ª. p. II. n. 233. (4).
[2] De Herdt. T. III. n. 129.
[3] S. R. C. 7 sept. 1816. n. 26. L. VI. 389.
[4] L. VI. 387. 388.
[5] Ib. 384. 385.
[6] T. III. n. 134. sq.
[7] P. II. ch. VII. p. 163.

ris, stando et aperto capite, manibus junctis, cum ministro deferente vas aquæ benedictæ, et aspergillo, et formula in Missali vel Rituali Romano præscripta aut a S. C. Rit. probata. — Ad benedicenda ea, ad quæ specialis benedictio non habetur, adhiberi potest Benedictio ad omnia (vide *Excerpta ex Rit. Rom.* Ed. 1872, p. 260), vel producendum est Signum Crucis super re benedicenda cum formula: *In nomine Patris*, etc.; deinde res ipsa cum aqua benedicta aspergitur.[1]

[1] Scav. T. IV. n. 344. 356.

Si crux habeat effigiem Crucifixi, adhibenda est benedictio pro imaginibus. Craisson, *Elem. Jur. Can.*[1] Si benedictio fiat ad altare, omnia recitantur in cornu Epistolæ, et sacerdos utitur pluviali. Res benedicendæ, si sint paramenta sacerdotalia, poni possunt super altare; secus si sint candelæ et alia hujusmodi, quæ collocanda sunt super mensam ante altare, vel in cornu Epistolæ.[2]

[1] n. 703.
[2] n. 705.

TRACTATUS DE BAPTISMO.

Agendum 1° de Baptismi natura, proprietatibus et necessitate; 2° de materia et forma; 3° de Ministro; 4° de subjecto et solemnitatibus accessoriis.

CAPUT I.

DE NATURA, PROPRIETATIBUS ET NECESSITATE BAPTISMI.

1249. — Vox *Baptismus* aut *Baptisma* idem significat ac immersio et lavatio; unde Baptismus dicitur etiam *lavacrum*, quia peccata abstergit.

Baptismus definitur: *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo.* Sic *Catech. Romanus;* vel: Est primum novæ legis Sacramentum, maximeque necessarium ad spiritualem hominis regenerationem, a Christo institutum.

A Baptismo aquæ, qui vocatur *fluminis*, distinguitur Baptismus *flaminis* et *sanguinis*, quibus suppleri potest Baptismus *proprie* dictus, si hic sit impossibilis. Prior est ardens desiderium, saltem implicitum, recipiendi Baptismum aquæ cum plena conversione ad Deum, nempe cum contritione aut caritate perfecta. Posterior est effusio sanguinis, seu mors tolerata pro Fide, aut pro alia virtute christiana, in adultis *probabilius* cum contritione aut caritate perfecta. Sed solus Baptismus aquæ proprie *Baptismus in re* vocatur. Baptismus flaminis et sanguinis *Baptismi in voto* dicuntur. Baptismus tamen *sanguinis* præstantior est Baptismo *flaminis*, quia, 1° hic non semper, ut ille, omnem reatum pœnæ tollit, et quia, 2° ille effectum suum producit *quasi* ex opere operato, i. e. licet non ita stricte ut Sacramenta, ex quodam tamen privilegio ratione imitationis Passionis Christi; alioquin enim non profuisset SS. Innocentibus, quos tamen Ecclesia colit ut martyres.[1] Solus autem Baptismus *fluminis* characterem imprimit, et capacem reddit hominem recipiendi cætera Sacramenta.

1250. — Effectus Baptismi tres numerantur potissimi, nempe: 1° remissio peccati originalis et peccatorum actualium, si quæ sint, per gratiæ sanctificantis infusionem, cui additur habitus omnium virtutum;[2] 2° remissio totalis pœnæ æternæ et temporalis peccatis debitæ, non tamen liberatio a *pœnalitatibus* vitæ præsentis, quæ tamen virtute Baptismi a justis auferentur in Resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem;[3] 3° impressio characteris, quo baptizatus signatur filius Dei et cohæres Christi, et redditur incapax Baptismi denuo suscipiendi. Constat quoad 1^{um} ex Trid. *Sess.* 5. in Decreto *de peccato originali;* quoad 2^{um} ex Trid. *ibid.* et ex Conc. Florent. in Decreto pro Armenis; quoad 3^{um}, ex Conc. Florent. ibid., et ex Trid. *Sess.* 7. *de Baptismo.*

Baptismus igitur est velut janua Ecclesiæ et regni cœlorum. Hinc si quis non fuerit valide baptizatus, nullum aliud Sacramentum valide recipere potest.

Baptismus aquæ in re vel in voto, saltem implicito, ex divina institutione est omnino necessarius ad salutem necessitate medii. Constat ex verbis Christi:[4] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* — Et ex Trident.[5]

[1] L. VI. 95–100.
[2] Catech. Conc. Trid. de Bapt. q. 39. Conc. Trid. Sess. 6. cap. 7.
[3] S. Th. P. III. q. 69. a. 3.
[4] Joan. 3. 5.
[5] Sess. 7. can. 5. de Bapt.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

ARTICULUS I.

DE MATERIA TUM REMOTA, TUM PROXIMA BAPTISMI.

§ I. *De materia remota Baptismi.*

1251. PRINCIPIA. — I. Materia valida Baptismi est sola aqua naturalis, seu elementaris, apta ad abluendum. Est de Fide. Constat 1° ex verbis Christi:[1] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, etc. — Constat 2° ex Conciliis, præsertim ex Florent. in Decreto pro Armenis, et ex Trid.[2] — "Quid autem sit aqua *vera et naturalis*, licet ope chimicæ analysis, synthesi confirmatæ, scientiæ naturalis peritis satis innotescat, theologis tamen (ob difficultates præsertim, quæ in definienda *mixtorum* natura passim occurrunt) loco principii potius tenendum videtur monitum præclari Auctoris *De re Sacrament.* Tom. I., de vera et naturali aqua ex communi hominum usu, non ex disputationibus philosophorum judicium ferendum esse."[3]

II. Materia licita Baptismi, extra casum necessitatis, est sola aqua benedicta seu consecrata, et chrismate immixta juxta ritum Ecclesiæ, saltem pro Baptismo solemni. Constat ex Jure Can. (vide infra *de Cæremoniis Baptismi*). Certo autem peccat graviter peccato sacrilegii, qui absque gravi necessitate utitur aqua impura, turbida, aut feculenta, licet hæc sit materia valida.[4]

Dicitur: 1° *extra casum necessitatis*, qui casus interdum in Missionibus contingit. Rescripsit hac de re S. C. de P. F. 1806 Vicario Apostolico Tonkinensi. . . . "Ubi aquam præscripto ritu benedictam asservari gravis sit incommodi aut periculi, licebit eo casu Missionariis vel cuilibet alii, qui ad hoc Sacramentum conferendum pro rerum opportunitate aptus erit, uti aqua communi, præsertim si benedicta fuerit,[5] pro aqua fontis baptismalis, quæ nonnisi gravi cum incommodo aut periculo haberi possit."[1]

Dicitur: 2° *juxta ritum Ecclesiæ.* — Quo circa animadverte aquam, licet, ut monent Concilia nostra,[2] forma in Rituali Romano benedicendam, si ita benedicta ob absentiam fontis baptismalis in locis, ubi rara sunt Baptismata, desit, aut defecerit aut corrupta fuerit, benedici etiam posse formula illa breviori, quæ ad usum Missionariorum nostrorum approbata fuit a Pio VIII., et reperitur in libello: *Excerpta ex Rit.*,[3] etc.

Dicitur: 3° *aqua impura, turbida aut feculenta.* — Qua de re nota Resp. S. C. Inq. Fer. IV. 17 apr. 1839. "Baptismos collatos cum aqua" benedicta, "corrupta fuisse validos, quamvis illicitos extra casum necessitatis; et in casu necessitatis præferendam aquam naturalem; sed providendum renovatione aquæ fontis baptismalis, juxta Rituale Romanum."[4]

III. In periculo mortis, si non possit haberi materia certo valida, debet adhiberi dubia sub hac conditione: *Si hæc materia sit sufficiens.* . . . Tunc autem sufficit etiam tenuis probabilitas de valore materiæ, quia in necessitate proximo succurrendum est meliori, quo fieri possit, modo. Si vero sic baptizatus supervixerit, habita copia materiæ certo validæ, iterum baptizari debet sub hac conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc. — *Communis.*

1252. *Resolves.* — 1° Materia *valida* est, 1) aqua fontium, puteorum, fluminum, maris, stagnorum, paludum, lacuum, cisternarum; 2) aqua resoluta ex glacie, nive vel grandine, quia servat eamdem substantiam, licet accidentaliter immutata sit quoad colorem, saporem aut odorem; 3) aqua sulphurea, vel mineralis, aqua collecta ex vapore, rore, vel effluens tempore nimboso ex pariete, foliis, etc.; 4) aqua *simpliciter* distillata cum rosis aut aliis floribus, non tamen *per se* licita; 5) aqua turbida, mixta cum alia substantia, modo aqua sit materia vere et certe prædominans, ita ut juxta usum aut æstimationem hominum adhuc aqua dici possit.[5]

[1] Joan. 3. 5.
[2] Sess. 7. can. 2.
[3] Gury, Ed. Rom. 1873. P. II. n. 236.*
[4] L. VI. 102.
[5] Ib. H. A. Tr. XIV. 8.

[1] Anal. I. P. Sér. 8. col. 1571. n. 95.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 234.
[3] p. 239. Ed. 1872.
[4] Anal. I. P. Sér. 8. col. 1571. n. 95.
[5] L. VI. 103. 104.

2° Materia *invalida* est, 1) lac, sanguis, lacrymæ, sudor, saliva, sputum, urina; 2) vinum, oleum, cerevisia, jus densum ex adipe, etc.; 3) lutum, atramentum.

3° Materia *dubia* est, 1) jusculum valde tenue, lixivium, cerevisia tenuis, aqua ex sale soluto; 2) humor fluens e vite, aliisque plantis; 3) nix, glacies, pruina et alia similia nondum resoluta.[1]

§ II. *De materia proxima Baptismi.*

1253. — Materia proxima Baptismi est ablutio, quæ tribus modis fieri potest, scilicet *immersione*, *aspersione* et *infusione*, juxta praxim diversarum Ecclesiarum (quæ praxis, infusionis scil. apud nos, sub gravi est servanda), ita ut morali hominum judicio baptizatus censeatur esse lotus. Constat ex verbis formæ, et perpetua praxi Ecclesiæ, necnon ex Paulo Ephes.: [2] *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ.*

1253. QUÆSITA. — Quær. 1° *An possit valide baptizari puer in utero matris?*

Resp. Affirm. satis probabiliter, si puer in utero attingatur aqua aliquo mediante instrumento; quia, cum infans existat jam homo viator, valide potest baptizari. Nec obstat, quod puer adhuc involutus sit in secundina, quia hæc censetur veluti pars infantis. Recentius autem inventum est instrumentum, quo secundina discinditur; et sic aqua, alio instrumento adhibito, ad ipsum fœtus corpus immediate tangendum pervenire potest. Sub conditione tamen baptizandus est, quia non constat *certo*, utrum Baptismus hac ratione collatus sit validus. Proinde si puer "caput" ex utero "emiserit et periculum mortis immineat," vel si nascatur, iterum sub conditione baptizandus est. — "At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur; et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus." [3] — Baptismus autem nondum perfecte nati, decentiæ causa, a laico, et, nisi deficientibus aliis, non a sacerdote conferendus est.

[1] L. VI. 103. 104.
[2] 5. 26.
[3] L. VI. 107. Anal. I. P. Série 5. col. 1110. Rit. Rom. De baptiz. parvulis.

Quær. 2° *An valeat Baptismus, si aqua tantum tangat vestes aut crines baptizandi?*

Resp. 1° Si aqua tangat tantum vestes, *certo* invalidus est Baptismus; quia sic nemo dixerit, hominem ablui: 2° *probabilius* autem validus est, si aqua crines tangat. Sed in praxi tutior pars sequenda est.[1] — Hinc si baptizandus sit capillatus, vel digitis *sinistræ* manus cæsariem ejus discriminet sacerdos, dum *dextera* aquam infundit, vel in fronte eum baptizet.

Quær. 3° *An valeat Baptismus collatus in alia parte, quam in capite?*

Resp. Affirm. probabilius, præsertim si Baptismus in parte aliqua principaliori conferatur, v. g. in pectore, scapulis, etc. . . . Attamen, si necessitas ad id compulerit, postea, si fieri possit, iterandus sub conditione Baptismus foret.[2] Cfr. dicta h. n. *Quær.* 1°.

1254. — Quær. 4° *An una vel altera gutta aquæ ad baptizandum sufficiat?*

Resp. Neg. probabilius, præsertim si aqua non fluat, quia nequit dici ablutio, quæ ad Baptismum omnino requiritur. — Ita *communiter*. Attamen *probabilius* est materia dubia, quæ in casu necessitatis foret adhibenda. Dicunt autem communiter, materiam tunc esse certam, si baptizans motu digiti madefacti partem corporis abluerit.[3] — Nullum autem dubium quin certo valida sit, si aqua in sufficiente quantitate aspersa *revera defluat*; cum baptismus per *aspersionem* valide conferatur.

Quær. 5° *An trina ablutio ad Baptismum requiratur?*

Resp. 1° Certo non requiritur ad validitatem; unica enim sufficit, ut quis censeatur vere ablutus.

Resp. 2° Requiritur autem ad liceitatem, et quidem sub gravi, ubi præscribitur hæc trina aquæ effusio, ut in Rituali Romano.[4] Hæc tamen de Baptismo solemni intelligenda videntur.

ARTICULUS II.

DE FORMA BAPTISMI.

1255. — Forma Baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiri-*

[1] L. VI. 107. q. 3.
[2] Ib. q. 4.
[3] Ib. q. 6.
[4] Ib. q. 5.

tus Sancti. Sic definivit Conc. Trid. juxta illud Matth.:[1] *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Apud Græcos autem dicitur: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris*, etc.; vel: *Baptizatur servus Christi*, etc. Hæc forma est valida ex instructione Eugenii IV. ad Armenos; sed in sola Ecclesia Græca licita est.

Plures Theologi, inter quos S. Alphonsus (qui tamen in Opusc. *Istr. al popolo*, P. II. C. II. n. 6. vocem illam non memorat), censent, veniale esse omissionem vocis *Amen* in fine formæ Baptismi, quæ tamen vox non reperitur in Rit. Rom. Quæritur ergo utrum adhibenda sit, vel omittenda? Resp. S. C. Rit.: *Strictim in casu servetur Rituale Romanum* (9 junii 1853. *Cochinchinæ*).

Multipliciter hæc forma vitiari potest, sive accidentaliter, sive substantialiter, ut supra dictum est, n. 1212.

Omissio verbi *ego* in forma *Latine*, *Italice*, *Hispanice*, non vero *Anglice*, *Germanice*, *Gallice* (cum Imperativi sensum haberet) prolata non vitiat essentiam formæ, nec excederet peccatum veniale.[2] — Idem dicendum videtur, saltem *probabilius*, de omissione conjunctionis *et*, præsertim si semel tantum omittatur, et ante tertiam personam præponatur. — Idem etiam probabilius de verbo *in*, licet plures graves Theologi contradicant. Attamen S. C. C. formam: "Ego te baptizo in nomine Patris et Filii, Spiritus Sancti" validam declaravit. Item sæpius formam: "Ego te baptizo *cum* nomine etc.," bona fide et recta intentione prolatam.[3] Cætera autem verba omnino ad validitatem requiruntur. — Valeret autem, etsi numero plurium usurparetur Anglicum *you*, Germanicum *Sie*, vel *Euch*, Gallicum *vous*, Italicum *vi*, cum etiam singularis numeri vim ex usu habeant.

1256. Quæsita. — Quær. 1° *An valida sit forma Baptismi, si dicatur: Ego te baptizo in nomine* Sanctissimæ Trinitatis, *vel in nomine* Christi?

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, saltem *probabilius*, quia in tali forma non sat distincte exprimuntur singulæ personæ Sanctæ Trinitatis; siquidem vox *Trinitas* tantum *confuse* et *implicite* personas significat; Christus autem voluit, ut *distincte* exprimerentur, prout patet ex Matth. C. ultimo. — Ita *communiter*.[1]

Resp. ad 2^um^ *Neg.*, saltem *a fortiori*, quia nullatenus exprimitur Trinitas per *το in nomine Christi.* — Ita *omnes*, saltem nunc, post S. Thomam,[2] et constat ex Jure Can.[3] S. Alph. id probat ex Act. 19. 2.[4]

Quær. 2° *An valeat Baptismus, si formæ consuetæ addatur:* et in nomine Beatæ Mariæ Virginis?

Resp. Distinguendum est: Non valet, si quis hoc faciens intendat Baptismum conferre in nomine Beatæ Virginis, tribuendo scilicet talibus nominibus veram efficaciam in Baptismi valorem. — Secus vero, si id faciat ex importuna devotione.[5]

CAPUT III.

DE MINISTRO BAPTISMI.

Minister Baptismi alius est *ordinarius*, et alius *extraordinarius*. Iterum Minister extraordinarius est duplex: nempe Minister *solemnitatis* et *necessitatis*.

1257. Principia. — I. Omnis et solus sacerdos, vi suæ ordinationis, est minister *ordinarius* Baptismi. Constat ex variis locis Juris Can. et ex Conc. Florent. *in Decreto unionis*, necnon ex universali Ecclesiæ praxi.

II. Diaconus est Minister *extraordinarius* et *solemnitatis*, i. e. valens *solemniter* baptizare, sed tantum ex delegatione, et gravi de causa. Constat ex Jure Can., et *Pontificali Romano*, seu ex instructione Episcopi ad Diaconos in ordinatione, etc.

III. Quilibet homo ratione utens, sive vir, sive mulier; sive Catholicus, sive hæreticus; sive fidelis, sive infidelis, est Minister *extraordinarius* Baptismi, ita ut semper valide, et *in necessitate* etiam licite, baptizare possit. Eruitur ex iisdem fon-

[1] 28. 19.
[2] L. VI. 112.
[3] Anal. I. P. Sér. 8. col. 1608. n. 140. 141. 144. 145.

[1] L. VI. 111.
[2] P. III. q. 66. a. 6.
[3] c. 30. de Consecrat. Dist. 4.
[4] L. VI. 112.
[5] Ib. 111.

tibus ac supra in 1° principio dictum est. — Hinc "curent sacerdotes, ut omnes fideles, præsertim medici, nutrices, atque obstetrices privati Baptismatis conferendi modum rite calleant."[1]

IV. Licet omnis sacerdos, vi ordinationis, potestatem habeat baptizandi, non potest tamen ea licite uti, etiam privatim, extra casum necessitatis, nisi jurisdictionem ordinariam vel delegatam habeat. Constat ex Jure Can. et ex Rit. Rom. *de Baptismo*.

1258. *Resolves.* — 1° Nec Parochus, nec Episcopus, absque commissione, extra suam diœcesim vel parochiam, vel intra eam alienos licite baptizat. Ideoque peccant etiam parentes, qui sine licentia sui Prælati alteri deferunt prolem baptizandam, siquidem jus Parochi violant.[2]

2° Peregrini, et vagi, possunt baptizari in qualibet Ecclesia, quam elegerint. Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab illius pagi Parocho est baptizanda, nisi forte pagus proprius parum inde distet.[3]

3° Juxta communiorem et probabiliorem sententiam possunt omnes recipere Baptismum et alia Sacramenta a Parocho loci, ubi jam quasi-domicilium contraxerunt.[4]

4° Extraneus autem baptizari potest de licentia sive expressa sive rationabiliter præsumpta proprii sacerdotis.[5]

5° Possunt Religiosi baptizare in casu necessitatis, vel de eadem Parochi et proprii Superioris licentia, cum nulla lege hoc prohibeatur.[6]

6° Pater et mater propriam prolem baptizare non debent præterquam in mortis periculo, quando alius non reperitur, qui baptizet. *Rit. Rom.* Cfr. S. Alph.[7]

Nota. — Dispositiones juris sub 1°, apud nos, præscindendo a statutis diœcesanis, intelligendæ sunt cum limitatione, quam Conc. Pl. Balt. II.[8] indicat his verbis: "Gravissima reprehensione digni sunt sacerdotes, qui infantes ab aliena, sive parochia sive diœcesi, sibi oblatos *temere* baptizant, *cum facile a proprio pastore baptizari potuissent.*"

1259. Quæsita. — Quær. 1° *Quis ordo servandus sit inter Ministros Baptismi?*

Resp. In Rituali Romano sic habetur: "Si adsit sacerdos, diacono præferatur; diaconus subdiacono; clericus laico; et vir fœminæ, nisi pudoris gratia deceat fœminam, potius quam virum, baptizare infantem, non omnino editum, vel nisi melius fœmina sciret formam et modum baptizandi." Vide S. Alph.[1]

Quær. 2° *An peccet mortaliter laicus, qui in necessitate, præsente sacerdote, baptizat?*

Resp. Affirm. cum sententia communi. Ratio est, quia vere tunc usurpat jus sacerdotis, cui ex potestate Ordinis commissum est munus baptizandi. Ideo etiam sacerdos ipse graviter peccat, si laico administrationem cedat. Laicus tamen præferendus est sacerdoti excommunicato.[2]

Quær. 3° *An peccet graviter laicus baptizans coram diacono?*

Resp. Controvertitur. I[a] Sententia *probabilis* affirmat; quia diaconus, vi ordinationis, ad baptizandum deputatur, licet ex praxi actuali Ecclesiæ solemniter baptizare non possit, nisi gravi de causa et cum Parochi licentia.

II[a] Sententia pariter *probabilis* negat, quia diaconus baptizans in casu necessitatis sine commissione non baptizat ex officio, sed eodem modo ac clericus inferior vel laicus. — S. Alph.[3] dicit utramque sententiam probabilem esse.

Quær. 4° *An liceat laico ex sacerdotis, vel Episcopi venia, infantes baptizare, ob communia vitæ discrimina, ubi sacerdotis copia non sit?*

Resp. Kenr. "Censemus negandum; nam et Patrum testimonia de periclitante et perituro loquuntur, et Ecclesiæ decreta de eadem necessitate plane agunt. Sic Eugenius IV. dicit: *mortis imminente periculo, baptizentur etiam per laicum.* . . . Si igitur sacerdos non nisi post menses aliquot est reversurus, non ideo licebit infantes, qui interim nascuntur, baptizare abs-

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 228.
[2] L. VI. 114.
[3] Ib. 115.
[4] Ib.
[5] Ib.
[6] Ib.
[7] Ib. 117.
[8] a. 227.

[1] L. VI. 117.
[2] Ib.
[3] Ib.

que discrimine, sed eos tantum, qui in periculo versantur. Idem censemus dicendum, etiamsi nulla sacri ministerii postea affulgeat spes; nec enim ullo documento Ecclesiæ didicimus, laicum posse deputari ad baptizandum extra mortis periculum. Sed quo minor est spes sacerdotis adventuri, putamus minus periculum sufficere, ut laicus baptizet: nec expectandam esse mortis horam; sed si morbus periculum mortis afferat, Baptismum ministrandum." [1]

"Cæterum si tempus sit sævum, iterque longinquum, vel si sacerdos sit infirmæ valetudinis, vel plurimis sacri sui muneris occupationibus" (adderem: quæ differri nequeant) "distentus, non videtur peccare rejiciendo baptizandi onus in laicum" (adderem: pium), "qui id præstare sciat." [2]

Quær. 5° *Qua infantium ætate hoc Sacramentum conferendum sit?*

Resp. Quam primum fieri potest, licet mortis periculum non urgeat. Cfr. *Rit. Rom.* — Bullam: *Cantate* Eug. IV. etc. — Specialius C. S. O. die 30 julii 1771 statuit: "obligandos esse Parochos ad baptizandos infantes absque ulla mora, si mortis instet periculum; si vero periculum non adsit, ultra tertium diem post nativitatem non deferendam Baptismi administrationem." [3] Consentiunt porro omnes, esse *grave* peccatum per *longum* tempus expectare. Dilationem tamen, quæ 10 vel 11 dies non excedit, gravem esse S. Alph.[4] *probabilius* negat. — Animadvertit Kenr.[5] "In plerisque Fœderatis statibus magnus hac in re neglectus reperitur; sunt enim qui plures menses elabi sinunt, antequam id muneris expleant. Grave in mora peccatum agnoscunt Theologi, quoties sacerdotis est copia, et infans absque periculo potest deferri. Cæterum hiemis frigus nimium, itineris longitudo, patris acatholici contraria voluntas, aliæque excusationes sæpe occurrunt; sed sacerdotum sollicitudo in eo adhibenda, ut quantocius deferantur." Idcirco Patres Conc. Pl. Balt. II.[6] "Detestabilem," inquiunt, "... parentum Catholicorum socordiam, qui parvulorum ætatem tot casibus obnoxiam non statim Baptismatis Sacramento muniendam curant, volumus ut pastores animarum acerrime ac sæpius reprehendant."

[1] Kenr. Tr. XV. 16.
[2] Ib. n. 19.
[3] Anal. J. P. Sér. 2. col. 1807.
[4] L. VI. 118. Not. 2.
[5] Tr. XV. 21.
[6] a. 225.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO BAPTISMI.

Subjectum Baptismi est omnis et solus homo viator nondum baptizatus.

1260. *Resolves.* — 1° Valide baptizantur infantes, item perpetuo amentes, qui nunquam usi sunt ratione, et proinde censentur ejusdem conditionis ac infantes. Si autem aliquando ratione usi fuerint, *probabilius* non valet Baptismus, nisi ante amentiam illum petiverint. In praxi tamen ii sub conditione essent baptizandi, tum quia non plane constat, eos Baptismum non postulasse, tum etiam quia juxta plures satis est, si quis habuerit voluntatem suscipiendi omnia ad salutem necessaria. (Cfr. n. 1238, 1240.)

2° Si dubium sit, an infans vivat, baptizandus est sub conditione. Cum vero hodie opinio, fœtum ab initio conceptionis anima informari, communis sit (n. 474), fœtus abortivus, utcumque parvus, si habeat formam humanam et det signum vitæ, *absolute* baptizandus est. Si vero in eo vix appareant indicia humanitatis et vitæ, baptizandus est sub conditione: *si es homo.* Idem dicendum de informi productione, — nisi manifesta putrefactionis, decompositionis vel desorganisationis signa jam exhibeat, — et dummodo appareant lineamenta fœtus humani propria, per quæ a mola aliisque frustraneis genituris distinguitur.[1] Cum autem fœtus membrana circumvolvatur, ac timor sit, ne aeris impressio illi vitam ante Baptismi susceptionem adimat, super involucrum ita baptizetur: *Si tu es capax*, etc. Membrana deinde aperitur, ac, puero extracto, sub hac conditione rebaptizetur: *Si non es baptizatus*, etc.[2]

3° Circa monstra hæc nota ex Rit. Rom.: "In monstris ... baptizandis ...

[1] Scav. T. III. n. 74. Anal. J. P. Sér. 5. col. 1112. sq.; Sér. 6. col. 1280. sq.
[2] Benger. Comp. der Past. Theol. p. 201. 4).

magna cautio adhibenda est: de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci, vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat."

"Monstrum, quod humanam speciem non præ se ferat, baptizari non debet; de quo si dubium fuerit" (scilicet, si caput sit ferinum, et membra humana[1]), "baptizetur sub hac conditione: *Si tu es homo, ego te baptizo*, etc." Baptizandum vero *absolute*, si caput sit humanum, licet membra sint ferina.[2]

"Illud vero, de quo dubium est, una ne, aut plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur; discerni autem potest, si habeat unum vel plura capita, . . . vel . . . pectora; tunc enim totidem erunt corda et animæ, hominesque distincti, et eo casu singuli seorsim sunt baptizandi. . . . Quando vero non est certum, in monstro esse duas personas, quia duo capita et duo pectora non habet distincta; tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine*, etc.

4° Valide is baptizatur, quem Minister putat esse alium; imo licet sit fœmina, quam putet esse masculum; quia præsentem et non alium baptizare intendit (n. 1218).

5° Valide plures simul baptizantur hac forma: *Ego vos baptizo*, modo simul abluantur. Sed extra necessitatis casum hoc illicitum est.

6° Adulti, licet rudes, qui tamen incapaces omnino non sint, baptizari *non possunt*, nisi pro captu instructi sint saltem in necessariis necessitate medii, uti sunt præcipua mysteria Trinitatis et Incarnationis. Hoc etiam pro *ejusmodi* moribundis valet, qui proinde baptizandi erunt sine conditione, si baptizans prudenter censet, ægrotum mysteria prædicta juxta captum suum sufficienter cognoscere, ipsis revera fidem præbere et sincere promittere, se officiis hominis christiani satisfacturum esse; secus vel non baptizari debent, si contrarium moraliter certo constet, vel sub conditione, si necessariæ hæ dispositiones dubiæ sint, — Baptismus differri non possit, — et aliunde collationi hujus Sacramenti nil obstet. — Nec *licet*, adultum baptizatum vel baptizandum quoad præcepta legis positivæ in bona fide relinquere (ne quidem quoad illa, quibus forte difficulter obediturus est), sed debent ipsi omnia legis positivæ præcepta intimari. — Ita ex permultis Cong. S. Off. decisionibus, præsertim ad quæsita Missionariorum.[1]

1261. QUÆSITA. — Quær. 1° *An filii acatholicorum licite possint baptizari invitis parentibus?*

Resp. Disting. Nam rationis usum *vel* certo habent, *vel* dubie habent, *vel* certo non habent.

Si *primum*, petentes et sufficienter instructi, præcauto perversionis periculo, baptizari *et* possunt, *et*, posthabito omnis mali metu, debent. — *Possunt*; nam usum rationis certo habens (quem expleto septennio regulariter habere quisque censetur[2]), "jam quantum ad ea, quæ sunt juris divini vel naturalis incipit suæ potestatis esse."[3] — *Posthabito omnis mali metu* DEBENT. Nam jus strictum habent ad salutis subsidia, quæ Ministri Ecclesiæ tenentur ex divino mandato præbere; quapropter "non licet eos, si enixe petant, rejicere offensionis parentum, vel odii publici, vel alterius incommodi metu. . . . Prudentiâ utique opus est," — et hinc "parentum consensus a pueris ipsis," si minores adhucdum sunt, non vero a sacerdote expetendus est, et, quatenus fieri possit, omnia cum eorum pace agenda sunt; — sed non eâ "prudentiâ, quæ hujus mundi utilitates saluti animarum anteponit."[4]

Si *secundum*, S. Alph.[5] cum Ben. XIV. et Lugone tenet ante septennium differendum esse Baptismum, donec constet de perfecto rationis usu. Consonat Instructio S. C. de P. F. Præfecto Missionum Tripolitanarum.[6]

Si *tertium, subdist.* — Licebit in casibus, in quibus cessat periculum perversionis, scil., si *vel* parentes sint Catholici alicujus mancipia, — *vel* proles posita sit extra curam parentum (v. g. si exposita et a Catholicis suscepta), quin timendum sit,

[1] L. VI. 125. [2] Ib.

[1] Anal. J. P. Sér. 2. col. 1804. 1805. Ben. XIV. c. *Postremo.* 28 febr. 1747. Conc. Pl. Balt. II. a. 230.

[2] S. C. C. 16 julii. 1639.

[3] S. Th. P. III. q. 68. a. 10.

[4] Kenr. Tr. XV. 31.

[5] L. VI. 128.

[6] Apud Gury, Ed. Rom. 1873. T. II. p. 646. n. II.

ne ad ipsos sit reversura, — *vel* sit perpetuo amens, — *vel* versetur in articulo seu moraliter certo periculo mortis. Excipe tamen, si, licet in articulo mortis versetur, timendum sit scandalum, eo quod v. g. majus quoddam odium in Catholicam Religionem atque in Catholicos sævitia concitetur.[1] Bonum enim commune præferendum est privato.

Extra hos casus non licebit, sive de infidelium, sive *apud nos* de hæreticorum parentum filiis agatur. Obstant enim, etiam quoad filios hæreticorum apud nos, periculum perversionis, et ratio scandali, seu graviorum malorum. —Dixi: *etiam quoad filios hæreticorum apud nos.* Licet enim penes Ecclesiam jus sit baptizandi infantes filios hæreticorum ac præpediendi, ne parentum erroribus imbuantur, jus tamen hoc suum apud nos exequi non potest.[2] Hinc nullatenus mos est gerendus nutricibus, si quæ infantes ad ecclesiam deferant baptizandos, parentibus hæreticis nil suspicantibus.[3]

1262. — Quær. 2° *An et quando infantes acatholicorum consentientium baptizari licite possint?*

Resp. Affirm., si probabilis affulgeat spes Catholicæ eorum educationis, habita tamen cura, ut patrinus vel matrina, iique Catholici, habeantur.[4] Ratio est, quia tunc periculum tum perversionis, tum scandali abest.

Practice autem spes illa affulgere dicenda est:

a) Si parentes persuasum habeant Catholicam Fidem veram esse, eamque amplecti in animo habeant, vel saltem ad eam amplectendam aliquatenus dispositi videantur.

b) Si permittant patrino vel matrinæ Catholicæ pueri institutionem in rebus Fidei, et nullum se obicem objecturos polliceantur, quominus pueri Fidem profiteantur.

c) Idem dicendum videtur, si alteruter sit ita dispositus.

d) "Quoties alteruter parens Fidem profitetur, licet alter eam plusquam vatiniano odio prosequatur, baptizari potest infans, admonito parente Catholico, ut omnem ponat operam in Catholica ejus institutione. Quodsi adeo torpescat, ut nihil de ea curet, vel si jam conjugi se obligaverit ad ei permittendum pueri in hæresi educationem, non licebit ea conditione baptizare infantem cum manifesto et certo apostasiæ periculo. Plerumque quidem sperandum est, Catholicum conjugem ad Religionis sensum aliquando revocandum, et de puerorum recta institutione fore sollicitum, nisi propositum contrarium plane foveat."[1] Hæc similia sunt iis, quæ de christianis Turcarum mulieribus, filios baptizandos poscentibus, decreta fuere.[2]

"Sed si parentes, prout aliquando fit, ministerium sacerdotale petant solius opportunitatis causa, vel quod Baptismum necessarium esse credant, dum cætera pleraque Fidei dogmata rejiciunt, et pueros volunt in hæresi educare, vel ad ætatem maturam, absque ullo religionis documento, tenere, ut liberius maturiusque de rebus Fidei judicent, et sectam pro arbitrio eligant, non putamus licere infantes baptizare; quum Sacramentum profanetur hæretica institutione, vel infidelitate, adeo verosimiliter secutura. S. C. Inq. mense sept. 1827, perpensis quæ decretorum hac de re moderationem importare videbantur in diœcesi Bardensi, censuit à decretis non esse recedendum."[3]

1263. — Quær. 3° *An Baptismus aliquando repeti possit vel debeat?*

Resp. Potest *et* debet repeti sub conditione, quoties de ejusdem valore adest aliquod dubium *non spernendum;* secus iterari non potest sine peccato gravi, quia conatus ministrandi Sacramentum subjecto incapaci sacrilegium est. (Cfr. n. 1213). Spernendum autem est dubium, si vel 1° unicus testis (licet fœmina, de qua tamen suspicio non occurrit) de proprio præsertim facto testetur;[4] vel 2° agatur de adultis, qui nati sunt ex parentibus Catholicis et inter fideles educati, quamvis testimonium non habeatur accepti Baptismi, modo pro contraria parte graves non occurrant rationes.[5]

[1] L. VI. 130. et Instr. cit. S. C. de P. F. apud Gury. Ed. Rom. 1873. t. II. p. 646. n. VI.
[2] L. VI. 126. 127. 132. et Instr. citata. n. IX.
[3] Kenr. Tr. XV. 28.
[4] Conc. Pl. Balt. II. a. 229.

[1] Kenr. Tr. XV. 30.
[2] Ben. XIV. Ep. ad Archiepiscopum Tarsensem.
[3] Kenr. Tr. XV. n. 29.
[4] Ben. XIV. de Syn. L. VII. c. VI. n. 2. sq. Inst. 8. sub fine.
[5] L. VI. 134. Not. II.

Quær. 4° *An infantes expositi sint baptizandi?*

Resp. Affirm., si expositi fuerint absque testimonio Baptismi collati, nisi aliunde constet eos rite baptizatos fuisse. Si vero expositi sint cum schedula attestante ipsos fuisse baptizatos, *controvertitur*. Sententia *communior* et *verior*, quam confirmat decisio S. C. C.[1] docet, hos omnes *sub conditione* baptizandos esse, nisi schedula talis sit, ut certitudinem pariat, v. g. quia subscripta a sacerdote noto.[2]

Quær. 5° *An sint rebaptizandi infantes sive ab obstetricibus, sive a laicis baptizati?*

Resp. Neg., nisi adsit probabilis suspicio erroris in collato Baptismo. Ita communissima et vera sententia, inquit S. Alph.,[3] qui decisionem S. Congr. commemorat.

1264. — Quær. 6° *Quænam servanda sint in receptione Neo-conversorum?*

Resp. De his vide: "*Excerpta ex Rituali Romano*," Balt. 1872. p. 270 sq., vel ipsum Rituale, Balt. 1873. p. 423 sq.

Nota tamen sequentia:

Dicitur in Instructione S. Officii, cujus tenor l. c. refertur:

I. Baptismum, si sub conditione iteratur, iterandum esse juxta ordinem Baptismi adultorum. Supplicarunt vero Concilii Plen. Balt. II. Patres,[4] ut facultatem adhibendi in adultorum Baptismo formulam breviorem pro parvulis constitutam, quæ usque ad annum 1870 pro quibusdam diœcesibus concessa (non vero præcepta) erat, Summus Pontifex usque ad decem vel viginti annos omnibus extendere dignaretur. Porro S. Congregatio censuit Episcopos recurrere debere expleto tempore postremæ concessionis.[5] Quisque igitur videat num sua in diœcesi brevior illa formula sit concessa. Concedi autem solet, monito Episcopo, ut præscriptam pro adultis formulam paulatim introducendam curet, caveatque ne brevior in consuetudinem abeat. — Ad postulatum vero Patrum, ut sibi concedatur, quod Anglis concessum est, baptizare scil. sub conditione *privatim*, cum aqua tantum lustrali, et absque cæremoniis, adultos ad Ecclesiam conversos, S. Congr. respondit, pro nunc non expedire.[1]

II. Si Neo-conversus, cujus validum judicatum fuerit Baptisma, valde desideret, ut ritus in ejus Baptismo olim omissi suppleantur, sacerdos huic pio ejus voto morem gerere utique liberum habet. Debebit tamen in tali casu adhibere ordinem Baptismi adultorum.[2] Curandum igitur *nobis* non est de quæstione an dicto in casu cæremoniæ *necessario* sint supplendæ.[3]

III. "In conversione hæreticorum" (supposito quod de facto collati Baptismi constet) "inquirendum est primo de validitate baptismi in hæresi suscepti." Hodie quidem universim *prudenter* de ea dubitari potest; "hæretici" enim "plerique, cum de Baptismo parum recte sentiant, eumque meræ cæremoniæ loco habeant, quæ nihil ad animæ salutem consequendam juvet, ritus quosdam, qui maximi momenti sunt, et sine quibus haud consistit Sacramenti ratio, negligere sæpissime solent."[4] Dixi: *universim;* ratio enim allata præsumptionem tantum fundat; præsumptio vero cedere debet veritati; ergo vi ejusdem agere non licebit, nisi diligentia ad detegendam veritatem frustra adhibita. Ideo recte declaravit S. C. Officii "inquirendum" esse "primo de validitate Baptismi in hæresi suscepti," et quidem "instituto diligenti examine." Hujus autem examinis:

A) *Objecta* sunt: ipsum collati vel non collati Baptismi *factum;* dein, si de facto constet, *modus* et *tempus*, quo, — *secta*, in qua, — et *locus*, ubi — baptizatus quis fuerit.

Dixi: a) ipsum collati vel non collati Baptismi factum; nam 1) *Sociniani* et *Quackeri* non baptizantur; 2) *Baptistæ* non ante adultam ætatem; 3) *Congregationalistæ*, *Unitariani* et *Universalistæ liberum* censent Baptismum; 4) alii multi acatholici parentes de Baptismo proli suæ conferendo non curant, aut uni tantum alterive ex infantibus suis illum procurant, quo fit ut, mortuis parentibus, nullus sæpe sit, qui de facto collati Baptismi, apud nos præsertim, testari valeat.

1 Ben. XIV. Inst. 8. § Evenit quoque.
2 L. VI. 134. Not. II.
3 Ib. 136.
4 a. 243.
5 Conc. Pl. Balt. II. p. CXLIV. IV.

1 Conc. Pl. Balt. II. a. 244. 5.
2 Ib. a. 239.
3 Gury, Ed. in Germ. 4ta. P. II. n. 252 (5). Kenr. Tr. XV. 36.
4 Conc. Pl. Balt. II. a. 240.

Dixi: b) *modus* et *secta*. Ita Baptismus "aliquando dubius evadit ex levi ratione, qua baptizandos, eosque persæpe plures simul, aspersorio lustrant sectarum ministri, præsertim *Presbyteriani* et *Methodistæ;* pellem" enim probabiliter "contingere debet aqua et fluere."[1]

"Quum *Baptistarum* mos nullum de aquæ copia dubitandi locum relinquat, et debitam proferant formam, nonnullis verbis præmissis, quæ eam non vitiant: *ut obediam Domino Jesu Christo* vel ut *tuo mandato obediam*, sola ratio dubitandi de valore Baptismi ab iis collati desumeretur ex separatione ablutionis a forma; — hæc enim integra profertur ante immersionem, — vel ex intentionis defectu, quod scilicet credant Baptismum eundem esse ac illum, quo Joannes Christum abluit. Ergo conversis ab illa secta, qui *omnes* in adulta ætate Baptismum susceperunt, ideoque certum ferre possunt testimonium de eo suscepto, non videtur, nequidem conditione adjecta, iterandus Baptismus. Cæterum arcta omnino" (seu quam non interrumpit mora *unius Pater*) "debet esse formæ cum materia conjunctio, qua de causa rem sapientiorum judicio relinquimus." Ita Kenrick.[2] Practice plerumque sub conditione iterandus erit Baptismus, ut mihi saltem videtur.

Inter *Anglicanos* (*Episcopalians*) Ritualistarum Baptisma rite collatum præsumitur; cæteri Anglicani plerique, et generatim hæretici, nullam hodiedum ritui vim tribuunt.

Congregationalistæ, Unitariani, Universalistæ, ut supra dixi, universim liberum censent Baptismum.

Horum igitur omnium Baptismus rite præsumitur dubius.

Contra ut *certo* validus habendus est Baptismus collatus a Græcis schismaticis, ab Eutychianis, Nestorianis et aliis hæreticis Orientalibus, necnon in Secta Gallica, quæ dicitur: *La petite Eglise*.

Dixi: c) *Tempus*. Ineunte nimirum hoc sæculo, Rationalismo inter Protestantes nondum *dominante*, majori plerumque cura Baptismus administrabatur, quam hodie.

Dixi: d) *Locus*. Erant, olim præsertim, regiones quædam, in Septentrionali maxime Europa, quas idem Rationalismus necdum invaserat, dum aliæ eo jam plane inficiebantur.

B) *Examinis ratio*. Interrogandi de prædictis, et notanter de *modo*, tum ille, de cujus Baptismo dubitatur, qui indubium fere testimonium ferre poterit, si in adulta ætate fuit baptizatus, tum alii, si facile haberi possint, qui forte Baptismo illius astiterint, aut norint, qua ratione in regione, in qua, et tempore, quo baptizatus fuit, ritus peragi soleret. "Nec exigendum plerumque est a conversis, ut Baptismum iterum recipiant, si ipsis *sectæ, cui adhæserunt, morum optime consciis* persuasum sit se rite baptizatos fuisse." Ita Kenrick,[1] cujus tamen sententia aliis non omnino probatur.

Examine ea, qua fieri poterit, ratione peracto, plerumque dubium hodie remanebit Baptisma ab hæreticis collatum. Quapropter universim sub conditione iteratur, non apud nos tantum, sed et in Anglia, Galliis, Germania, Belgio, Hollandia, et, testante Perrone,[2] etiam Romæ.

IV. "Triplex . . . in conciliandis hæreticis distinguitur procedendi methodus:

"1) Si Baptismus absolute conferatur, nulla sequitur Abjuratio, nec Absolutio, eo quod omnia abluit Sacramentum Regenerationis."—"Quapropter," ait Kenrick,[3] "mos eam," i. e. Confessionem, "*exigendi*, ut animus ad gratiam Baptismi disponatur, omnino improbandus est, uti mihi consulenti respondit Cardinalis Consalvi, Pro-Præfectus S. Cong. de Prop. Fide, die 31 maii anno 1823 . . . ne gravius onus imponatur accedere volentibus ad Baptismum, quo terreantur; vel error irrepat, eorum peccata necessario esse declaranda; vel ipsi, pudore præpediti, quædam celent contra conscientiæ dictamen, et ita accedant haud rite dispositi. *Volentibus* confiteri indulgeri potest, juxta S. Thomam:[4] "Si qui tamen baptizandi ex *devotione* sua peccata confiteri vellent, esset eorum Confessio audienda, non ad hoc quod eis satisfactio imponeretur; sed ad hoc quod contra peccata consueta eis spiritualis informatio vitæ traderetur."

[1] Kenr. Th. Dogm. de Bapt. 81.
[2] Ib. 119.

[1] Kenr. Tr. XV. 41.
[2] Tr. de Bapt. c. V. n. 133. Nota. Cfr. Brownson's Review, 1873. p. 562. et 1874. pp. 245. 389.
[3] Tr. XV. 33.
[4] P. III. q. 68. art. VI. Resp.

Quo casu de hoc Confessionis suæ fine deque ejus non obligatione instruendi sunt, ne contra conscientiam peccent, dum quædam celarent.

"2) Si Baptismus sit sub conditione iterandus, hoc ordine procedendum erit:

"A) Abjuratio, seu Fidei Professio.

"B) Baptismus conditionatus.

"C) Confessio Sacramentalis cum Absolutione conditionata.

"3) Quando denique validum judicatum fuerit Baptisma, sola recipitur Abjuratio, seu Fidei Professio, quam Absolutio a *censuris* sequitur."

De *abjuratione* nota a) juxta Kenrick[1] eam fieri Piana Fidei Professione; at hodie ea utendum est, quam exhibent: *Excerpta ex Rituali Romano*, Balt. 1872. pag. 272. b) Ex *Scavini*, eam faciendum esse etiam ab hæretico materiali. c) Epikeia omitti forsan posse formulam illam, quando de hominibus coloris, aliisve rudibus excipiendis agitur, qui nec recitare, nec intelligere eam valeant. Posse etiam sacerdotem eam prælegere mulieribus aliisve indolis timidioris suum assensum sub finem significaturis. Monent præterea Ephmerides: "Pastoral-Blatt. für Nord-America,"[2] duos idoneos testes ad Professionem Fidei adhibendos esse, idque etiam tum, cum ea justis de causis secreto, v. g. in sacristia, excipienda videatur.

Absolutio a censuris danda est tum iis, quibus Baptisma sub conditione iteratur, tum iis quibus non iteratur; at "in dubio gravi aut levi, utrum pœnitens excommunicationem incurrerit per hæresim forte materialiter tantum professam, sacerdos hìc" (i. e. post verba "*excommunicationis, quam*") "inserat vocabulum: *forsan.*"[3]

V. Haud opus est dicere, ad Baptismum admittendum non esse eum, qui dubitat de aliqua Fidei doctrina, et baptizari non posse hominem, qui Baptismum quidem necessarium esse fatetur, sed alia rejicit dogmata. Idem valet de eo, qui animo non est paratus Dei et Ecclesiæ mandata servare.[4] Patet igitur omnino improbandam esse praxim aliquorum, qui olim, ne dispensationem in impedimento *disparitatis cultus* impetrare cogerentur, aut nescio qua alia de causa, infideli, cum Catholico Matrimonium inituro, Baptismum conferebant, de Fide deque ejus voluntate christiane vivendi non curantes. Hæc omnia de casibus ordinariis intelligenda sunt; nam

VI. Si de acatholico moribundo agitur, qui desiderium Fidem Catholicam amplectendi sive per seipsum, sive, dum id non valet amplius, per alios manifestat aut olim manifestavit, examen de valore Baptismi in hæresi suscepti institui ob adjuncta ordinarie non poterit, et Sacramentum sub conditione (vel, si constet eum baptizatum nunquam fuisse, absolute) trina, vel etiam una, aquæ infusione, omissis omnibus ante Baptismum agendis, a sacerdote, stola alba induto, conferendum erit. Postea, si tempus suppetat et Chrisma secum habeat, liniat eum in vertice, et linteolum candidum imponat, candelamque accensam ei porrigat, sicut in Ordine baptizandi traditur.[1] Collato sub conditione Baptismo, moribundi Confessio, quo fieri poterit modo, excipitur; in omni vero casu absolutio datur (sub conditione) a censuris et peccatis. Deinde, si per tempus liceat et agatur de moribundo suî compote, satisque instructo, ministrabitur Viaticum.[2] Demum confertur Extrema Unctio, cum interpretativa intentio ad eam suscipiendam sufficiat.[3] Sin autem moribundus mentis etiamnum compos fuerit, curabit sacerdos, ut voluntatem Fidem Catholicam amplectendi in eaque moriendi coram testibus exprimat, ne alias incommodis detur locus.

1 Tr. XV. 35.
2 3. Jahrg. S. 40.
3 Excerpta ex Rit. p. 280.
4 Kenr. Tr. XV. 34.

1 Conc. Plen. Balt. II. a. 238.
2 Kenr. Tr. XVII. 41.
3 L. VI. 82.

CAPUT V.

DE SOLEMNITATIBUS ACCESSORIIS BAPTISMI, NEMPE DE PATRINIS ET CÆREMONIIS.

ARTICULUS I.

DE PATRINIS.

Patrini sunt quasi patres spirituales, qui baptizatum de sacro fonte levant, et in

se ejus curam, defectu parentum, suscipiunt.

1265. Principia. — I. In Baptismo solemni sub gravi debet adhiberi saltem unus patrinus, sive vir, sive mulier sit, nec possunt adhiberi licite plures quam duo. Sic statuit Trid.[1] Si autem Parochus plures, quam duos, patrinos admitteret, graviter peccaret; quia læderet præceptum Ecclesiæ sub gravi impositum, ne multiplicentur cognationes.[2]

II. Ut quis sit vere patrinus, requiruntur sequentes conditiones: 1° ut usum rationis habeat, et ipse sit baptizatus; 2° ut a parentibus vel Parocho fuerit designatus ut patrinus; 3° ut tangat baptizandum per se, vel saltem per alium, et quidem *physice* (quod probabilius etiam quoad adultos baptizandos valet,)[3] et in ipsa ablutione, ita ut non sufficiat, si inter cæremonias fiat;[4] 4° ut habeat verum animum patrini munus gerendi.[5]

1266. Quæsita. — Quær. 1° *Quænam sint obligationes patrinorum?*

Resp. Tenentur adimplere officium magistri in casu necessitatis, seu deficientibus filioli parentibus. Hinc tenentur instruere baptizatum circa Fidem, mores, obligationes varias, etc. Ab omni autem obligatione solvuntur, quando prudenter præsumere possunt, quod baptizatus diligenter a parentibus instruatur.[6]

Exinde sacerdos, collato Baptismo, monere debet patrinos de susceptis obligationibus, et insuper de contracta cognatione spirituali. — De cognatione autem ista per Baptismum contracta dicemus, ubi de impedimentis Matrimonii.

Quær. 2° *An in Baptismo privato patrinus necessario adhiberi debeat?*

Resp. Neg., quia non videtur requiri ab Ecclesia, nisi pro Baptismo solemni. Attamen etiam in Baptismo privato adhiberi *potest*, et laudabilius adhibetur. — Ita *communiter* cum S. Alph.,[7] qui tamen probabilius censet, tunc non contrahi spiritualem cognationem.[8]

[1] Sess. 24. c. 2. Ref. Matrim.
[2] L. VI. 154. in fine.
[3] Ib. 148.
[4] Anal. J. P. Sér. 8. col. 1736. n. 221. etc.
[5] L. VI. 143. 146.
[6] Ib. 147.
[7] Ib.
[8] Ib. 149.

Quær. 3° *An patrini possint esse duo mares, aut duæ fœminæ?*

Resp. Neg., quia Trid. statuit posse adhiberi ad summum duos patrinos, nempe virum et fœminam. Sed probabile est, esse tantum veniale, si ita fiat. Plures tamen cum Bonac. esse mortale opinantur. — Hoc verius videtur, ait S. Alph.,[1] si patrini essent diversi sexus ac infans, quia sic multiplicarentur cognationes, quod Tridentinum prohibere voluit; secus si essent ejusdem sexus.

Quær. 4° *An patrinus masculi, si unicus sit, debeat esse* masculus, *et fœminæ* fœmina?

Resp. Neg. probabilius; quia Trident. dicit: "Sive vir, sive mulier"; ergo indiscriminatim vir aut mulier adhiberi potest.[2]

Quær. 5° *Quinam prohibeantur esse patrini?*

Resp. Valide quidem, sed illicite, sunt patrini sequentes: 1° Abbas et Monachus, seu Religiosus et Monialis cujuslibet Ordinis, in quo vota solemnia emittantur (vel Instituti religiosi cujuscumque, in cujus Regula id prohibeatur), idque sive per se, sive per procuratorem; 2° conjuges respectu conjugum, et parentes respectu filiorum; 3° omnes, qui sunt pravis moribus et perdita fama, ut hæretici, infideles, publice excommunicati, aut interdicti, qui sana mente non sunt, qui ignorant rudimenta fidei. — Arcendi igitur sunt societatibus damnatis notorie adscripti, publici concubinarii, non paschantes notorii, etc. — Præterea "patrinos saltem in ætate pubertatis, ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit."[3] — De hæretico patrino monet Kenrick":[4] Ad vitandam gravem offensionem aliquando *aperte* non repellitur hæreticus, qui se sistit sponsorem: attamen nunquam tamquam sponsor admittendus est, sed admonendi sunt parentes Catholicum tantummodo eo munere fungi posse: quapropter omnino improbandus est mos aliquorum passim excipientium hæreticos ad illud munus, satis habentes si alteruter sponsor Catholicus sit."

[1] L. VI. 155.
[2] Ib.
[3] Ib. 156. et Rit. Rom.
[4] Tr. XV. 47.

ARTICULUS II.

DE CÆREMONIIS BAPTISMI.

Mortale est sine gravi causa, v. g. urgente necessitate, omittere cæremonias omnes Baptismi, aut aliquam ex iis notabilem, quia sic violatur præceptum grave Ecclesiæ.[1]

1267. *Resolves.* — 1° Seclusa necessitate, mortale est baptizare sine Chrismatis unctione, quia hæc specialem et gravem habet significationem.[2]

2° Mortale est extra necessitatis casum solemniter baptizare cum aqua non consecrata, quia hujusmodi omissio in cæremoniis Baptismi valde gravis est. *Probabiliter* nullum erit peccatum, si agatur de Baptismo privato.[3]

3° Mortale est sine necessitate baptizare extra Ecclesiam, nisi proximum immineat mortis periculum, vel aliud magnum adsit incommodum.[4] Quapropter Patres Conc. Pl. Balt. II.[5] præcipiunt "ne umquam sacerdotes extra ecclesiam" (nequidem in Sacristia sine rationabili causa ab Episcopo probanda. S. C. R. 16 mart. 1861) "hoc Sacramentum conferre audeant, præter mortis imminentem casum, in urbibus unam aut plures ecclesias habentibus: Qui ruri degunt, aut in pagis et oppidulis, ubi nulla est ecclesia, infantes ad ecclesiam propinquiorem vel stationem, in qua Sacrum fieri solet, baptizandos adducant. Quod si ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam, vel alias *graves* causas hoc fieri nequeat, tunc Missionarii prudentiæ" relinquunt, "ut eos domi" atque, ut præcepit etiam S. C. de P. F. 21 jan. 1739, "cum omnibus Ecclesiæ cæremoniis baptizent." — De loco, in quo baptizari possint regum aut magnorum principum filii, vide, si lubet, S. Alph.[6]

4° Mortale est omittere unctionem Olei Catechumenorum, vel alia similia; quia est materia gravis, saltem ex fine Ecclesiæ, sicut commixtio aquæ cum vino in SS. Eucharistiæ Sacramento.[7]

[1] L. VI. 144.
[2] Ib. 141.
[3] H. A. Tr. XIV. 8.
[4] L. VI. 142.
[5] a. 237.
[6] L. VI. 118. Not. 3. Cfr. Rit. Rom. et Clem. L. III. T. XV. c. unic.
[7] L. VI. 141. H. A. Tr. XIV. 29.

1268. QUÆSITA. — Quær. 1° *An aliquando liceat cæremonias ad tempus differre?*

Resp. Kenr.[1] "Non licet cæremonias Baptismi differre ad tempus opportunius, ob magnam defatigationem, vel ob iter mox suscipiendum ad invisendum ægrotum, vel ob Confessiones audiendas, vel ob negotiorum molem; sed, nisi urgeat mortis periculum, vel gravis satis causa, Baptismus ipse differendus est, donec cæremoniæ possint perfici."

Quær. 2° *Si Baptismus* solemniter *collatus deprehendatur* invalidus, *an etium cæremoniæ repetendæ sint.*

Resp. Controvertitur. Duplex est sententia probabilis. Unde cæremoniæ non sunt necessario repetendæ: suadendum tamen est, ut repetantur, si absque scandalo vel infamia fieri possit.[2]

Quær. 3° *An cæremoniæ omissæ postea sint supplendæ?*

Resp. Affirm., idque sub gravi, nisi tamen quoad hæreticos, *valide* baptizatos et ad Catholicam Ecclesiam redeuntes, "rationabili de causa, Episcopo aliter videatur."[3] Vide tamen dicta n. 1264. II.

Quær. 4° *Quid Conc. Pl. Balt. II. speciatim præcipit circa nomina, quæ baptizandis imponuntur?*

Resp. "Quando diversa tum Sanctorum, tum familiæ nomina in Baptismo infantibus tribuuntur, si sacerdos censuerit expedire, in prima interrogatione omnia nomina exprimat; in sequentibus tamen formis et precibus nomina, vulgo dicta Christiana, tantum repetat. In libro autem Baptismatum omnia nomina recenseantur."[4]

Quær. 5° *Quid item circa fontem Baptismalem?*

Resp. "Curandum ut fontes baptismales *sub clavi* in unaquaque ecclesia" (non in sacristia. Gardell. in S. R. C. 16 dec. 1826. III. ad V. 1), ubi Baptismi Sacramentum *ordinarie* ministratur, quamprimum erigantur; prope quos omnia, quæ ad administrationem hujus Sacramenti pertinent, nitide serventur."[5]

[1] Tr. XV. 61.
[2] L. VI. 144.
[3] Rit. Rom. Gardell. ad Decr. S. R. C. 27 aug. 1836. in Rhedon. L. VI. 144. Ben. XIV. Inst. 98.
[4] a. 233.
[5] a. 234.

Quær. 6 *Quomodo intelligenda sit prohibitio utendi Chrismate veteri, seu alterius anni ?*

Resp. 1° Rigorose sumenda est, quando Chrisma novum habetur. Graviter igitur peccaret sacerdos, qui, Chrismate recenti posthabito, veteri uteretur.

Resp. 2° Licet autem in Baptismo solemni uti Chrismate anni præcedentis, nisi novum brevi, i. e. intra 10 vel 11 dies sit recipiendum, quo casu Baptismus, extra necessitatem vel gravem causam, potius differendus est.[1] Censuit tamen S. C. R. 19 sept. 1859, Olea præcedentis anni adhibenda esse, si, ob magnam parochiæ ab urbe Episcopali distantiam, nova in promptu haberi nequeant. Idem *a fortiori* valet, si Olea propter aliquam impossibilitatem eo anno benedicta non fuerint, nec aliunde haberi possint, qui casus est, de quo agit S. C. R. 23 sept. 1837. In casu igitur declarationis a[l] 1837 et 1859 benedictio fontis baptismalis in Sabbato Sancto fieri debet cum Chrismate præcedentis anni, et aqua sic benedicta debet, juxta decl. 1837, reservari usque ad Vigiliam Pentecostes, in qua benedicitur fons cum novis Oleis. In primo autem casu debet omitti infusio Chrismatis et Olei, usquedum aliud accipiatur.

Quær. 7° *Quid moneat Conc. Pl. Balt. II. circa benedictionem mulieris post partum ?*

Resp. "Pium illum ritum ac morem, qui apud Christianas mulieres a partu recentes dudum invaluit, a nostris vero persæpe negligitur, accedendi ad Ecclesiam ad gratias agendas et benedictionem petendam, commendent pastores, ejusque originem et causas, data occasione, explicent. . . . Optant præsules, . . . ut benedictio . . . non promiscue, atque nulla ratione habita puerperæ dispositionis, neque extra ecclesiam, vel locum, ubi Sacrum fit, in posterum conferatur." [2]

APPENDIX.

DE OPERATIONE CÆSAREA IN ORDINE AD BAPTIZANDUM INFANTEM NONDUM NATUM.

Operatio seu sectio cæsarea in hoc consistit, quod uterus matris gravidæ aperiatur, ut fœtus extrahatur. Duplex præcipua quæstio occurrit, scilicet an vel quando fieri possit, aut debeat.

QUÆSITA. — Quær. 1° *An vel quando fieri possit ?*

Resp. Statuendæ videntur sequentes regulæ :

I[a] *Regula.* Mortua matre, certum est posse fieri operationem cæsaream, et quidem statim ac de ejus morte constat. Admonendus tamen est qui de jure, ne operationis auctor tamquam homicidii reus traducatur. Ratio autem cur fieri possit, evidens est : si quid enim obstaret, esset periculum matris ; sed ex hypothesi de ejus morte certo constat ; et aliunde salvari potest vita spiritualis, imo forte et temporalis infantis. — Vide Gangiamila in opere cui titulus : *Embriologia sacra.*

II[a] *Regula.* Vivente matre nunquam licite fieri potest operatio cæsarea, quoties adest periculum seu proximum seu probabile mortis matris ex ipsa secuturæ, quamvis, ea non facta, mater et proles certo perituræ sint. Ratio est, quia esset id perinde ac directe matrem occidere, quod nunquam licet. — Ita S. Thom., qui dicit : "Non debet homo occidere matrem, ut baptizet puerum." [1] Hinc fieri non potest operatio, quando deest chirurgus valde peritus, nec quando mater adeo est morbo debilitata, ut operatio, alias non periculosa, sit periculum mortis proximum ex circumstantiis inductura, etc.

III[a] *Regula.* Vivente matre licite fieri potest operatio cæsarea, positis his circumstantiis, scilicet 1° si illa naturaliter parere non possit, aut moritura sit antequam pariat, cum maximo periculo mortis infantis priusquam baptizari queat ; 2° si ex judicio chirurgi periti absit proximum mortis matris periculum. Potest autem abesse tale periculum, si mater sit robusta, ut constat ex innumeris exemplis, et sententia communiori medicorum et chirurgorum, quorum ars nostris præsertim temporibus multo provectior et perfectior evasit. — Vide *Embriolog. sacra,*[2] Elbel,[3] etc. — Ratio patet ; nullum enim

[1] L. VI. 141. [2] a. 245. 246.

[1] P. III. q. 68. a. 11. ad. 3. S. Alph. L. VI. 106.
[2] L. III. c. IX.
[3] n. 60.

est periculum, vel saltem valde leve est et remotum, atque adeo, si forte mors sequatur, *per accidens* tantum subsequi videbitur.

1269. — Quær. 2° *An vel quando fieri debeat?*

Resp. 1° Mortua matre certo est facienda *sub gravi*, etiam invitis aut reluctantibus parentibus vel propinquis, si fieri possit; quia ex lege caritatis omni cura et labore salus æterna infantis procuranda est. — Ita S. Thom.:[1] "Si tamen mater mortua fuerit, vivente prole in utero, debet aperiri, ut puer baptizetur." — Sic etiam statuit *Rit. Rom.* Hoc præsertim valet, si immineat tempus partus, quia cum fœtus sit robustior, major spes illum baptizandi affulget.

Non ideo prætermittenda est operatio, si cognoscatur, matrem a brevi tempore esse gravidam. Vide *Embriolog. sacra*,[2] et cfr. n. 474. I.

Porro sedula cura adhibenda est, ut regio uteri defunctæ servetur calida, usquedum facta fuerit operatio; secus enim infans facilius e vita cederet, antequam baptizari potuerit.

Resp. 2° Facienda est operatio etiam vivente matre, si ex judicio peritorum non possit infans aliter baptizari. Mater autem tenetur *per se, et speculative loquendo sub gravi*, illam pati, si fieri possit sine proximo mortis periculo. Ratio est, quia tenetur quodlibet incommodum temporale pati ad vitam spiritualem et æternam infantis servandam. Hoc sequitur ex lege generali caritatis. — Ita *communiter* cum Elbel,[3] S. Alph.,[4] Embriolog. sacra.[5]

Dixi: *per se et speculative loquendo;* nam in praxi confessarius cavere debet, ne urgeat matrem *sub gravi* obligatione ob nimium periculum, ne consensum negando moriatur in statu peccati mortalis; et sic, dum vult salvare vitam spiritualem infantis, damnetur ipsa mater. Satis igitur erit illam adhortari ad incisioni consentiendum.

Cæterum, cum constet, sæpissime supervivere fœtum matri defunctæ, affulget magna spes illum, ea mortua, baptizandi, et proinde minor obligatio incisionis urget.

Mater non tenetur subire operationem, si, omissa operatione, ipsa sola judicetur peritura; quia nemo tenetur mediis extraordinariis et tam arduis vitam servare. — Si autem modica tantum spes esset servandæ prolis, mater posset quidem, sed non teneretur subire operationem, quia caritas non adeo urget in tanta incertitudine eventus. — Ita *communiter* cum S. Alph.[1]

Quær. 3° *An puella, inhoneste et occulte prægnans, ac morti proxima, sub negatione absolutionis cogenda sit conditionem, in qua versatur, extra Confessionem patefacere, ut operatio cæsarea, saltem post mortem suam, perficiatur?*

Resp. Disting. Negat. si in bona fide versetur, nec fructus speretur ex monitione. Secus *Affirm.;* vita enim æterna fœtus præferenda est famæ matris.

Quær. 4° *An sacerdos teneatur perficere operationem, si desit qui velit aut possit eam perficere?*

Resp. Controvertitur. Nobis videtur affirmandum, casu, quo nullum exinde damnum Religioni sit timendum (quod ex adjunctis præsertim variorum locorum dijudicandum est), et propinqui non dissentiant. Cfr. dicta n. 1261 et Craisson,[2] ac Scavini.[3] — Verum tunc obtinere saltem conetur, ut per instrumentum Baptismus intra matris uterum ab aliquo conferatur.

Quær. 5° *Qua ratione operatio illa perficienda sit?*

Resp. 1° Sectio fiat ab umbilico usque ad pudendum seu os pubis; ne autem lædantur intestina, hæc adhibeatur cautela: facta parva apertura, operans statim indicem dorso scalpelli seu cultri subjectum in eam immittit, et modo prædicto scindit primo cutem, dein alia involucra, quæ intestina obtegunt. Quo peracto, uterus, si graviditas sit magis provecta, sponte apparebit; alias invenietur retro post vesicam. Hæc, si urina repleta sit, et inventionem uteri impediat, manu comprimatur et evacuetur.

2° Uterus repertus statim scinditur, procedendo a parte superiori et anteriori ad inferiorem; tum scinduntur etiam aut

[1] P. III. q. 68. a. 11. ad 3.
[2] L. I. c. VII.
[3] n. 60.
[4] L. VI. 106.
[5] L. III. c. IV.

[1] L. VI. 106.
[2] Man. Jur. Can. n. 3264.
[3] Tom. IV. 289.

rumpuntur pelles secundinæ, quibus involutus est fœtus.

3° Infans seu fœtus extrahitur, et si signa vitæ certa vel dubia appareant, indilate est baptizandus. Si tamen periculum mortis adesse putetur vel timeatur, fœtus, priusquam extrahatur, baptizandus est.

4° Post collatum Baptisma, si certe aut probabiliter adhuc supervivat infans, umbilicus secatur ad distantiam duorum aut trium pollicum a ventre, et fortiter ligatur filamine ad distantiam unius pollicis ab eodem ventre; quibus peractis, traditur nutriendus.

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Confirmatio definitur Sacramentum novæ legis, quo per Chrismatis unctionem, sub certa verborum forma, datur baptizatis plenitudo Spiritus Sancti ad firmiter credendum, et ad Fidem intrepide confitendam.

Agendum, 1° de materia et forma Confirmationis; 2° de ejus Ministro; 3° de ejusdem subjecto.

CAPUT I.

DE MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

ARTICULUS I.

DE MATERIA CONFIRMATIONIS.

1270. — I. Materia *remota* Confirmationis est Chrisma ex oleo olivarum et balsamo confectum, et ab Episcopo benedictum. — Ita *communiter*, et constat ex Conc. Florent. in Decreto *de Sacramentis*. Dici etiam potest, materiam remotam partialem esse manum Episcopi *formaliter* talem, quatenus scilicet impositio manus est materia proxima partialis, ut mox dicetur.

II. Materia *proxima* est unctio Chrismatis confirmandis applicata ab hujus Sacramenti Ministro per manus impositionem. Constat ex declaratione Benedicti XIV. Epist. encycl.: *Ex quo primum*, 1 mart. 1756, § 52, ubi hæc habet: "Quod itaque extra controversiam est, hoc dicatur: nimirum in Ecclesia Latina Confirmationis Sacramentum conferri, adhibito Sacro Chrismate, sive oleo olivarum balsamo commixto et ab Episcopo benedicto, ductoque Signo Crucis per Sacramenti Ministrum in fronte suscipientis, dum idem Minister formæ verba profert."

Ergo materia proxima Confirmationis non consistit partialiter, ut olim volebant plures, in generali impositione manus ab Episcopo in omnes confirmandos facta.[1]

1271. QUÆSITA. — Quær. 1° *An de necessitate Sacramenti balsamum requiratur?*

Resp. Affirm. probabilius, ut videtur, ex Decreto Eugenii IV. *pro Armenis*, ubi dicit, Confirmationis materiam esse Chrisma confectum ex *oleo et balsamo*. Sufficit autem balsamum cujuscumque regionis, et in ea sola quantitate, quæ satis sit, ut suî odorem dare possit, nec est necessarium, ut omnibus olei partibus misceatur.[2]

Quær. 2° *An Chrisma debeat necessario esse benedictum?*

Resp. 1° Affirmandum absolute est, si sermo sit de necessitate præcepti. — Ita *omnes* cum S. Alph.[3]

Resp. 2° Affirmandum videtur, etiam si sermo sit de necessitate Sacramenti. Id enim suadet praxis constans Ecclesiæ, et Decretum Eugenii IV., in quo legitur, materiam Confirmationis esse Chrisma *benedictum*. — Ita *communiter* cum S. Alph.[4] — An vero Chrisma debeat necessario esse *benedictum ab Episcopo*, dicetur infra, ubi de Ministro.

Quær. 3° *An Chrisma debeat necessario esse illius anni?*

Resp. Hoc non requiritur de necessitate Sacramenti, quia sive sit vetus, sive novum, materia non mutatur; sed requiritur ex præcepto Ecclesiæ. Hinc peccaret graviter Episcopus, qui confirmaret cum Chrismate veteri. In hunc enim

[1] L. VI. 164. [2] Ib. 162.
[3] Ib. 163. [4] Ib. 163.

finem novum Chrisma consecratur in *Cœna Domini*, vetere combusto.[1]

Quær. 4° *An ad valorem Sacramenti oleum debeat necessario esse olivarum?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia hoc proprie oleum dicitur. Hinc oleum ex alia materia confectum, v. g. ex nucibus, non est materia valida, quia non venit simpliciter sub nomine olei. — Ita *communiter* cum S. Thom.[2] et S. Alph.[3]

Quær. 5° *Quomodo unctio fieri debeat?*

Resp. Debet fieri pollice dextero Episcopi per modum crucis in fronte confirmandi. Valida tamen foret unctio, si alio digito Episcopi fieret, et etiamsi esset digitus manus sinistræ, quia vere fieret per impositionem manus Episcopalis. Peccaret tamen Episcopus, qui id sine necessitate ageret, quia recederet a praxi universalis Ecclesiæ; quamquam non appareat, inversionem dictæ cæremoniæ ad gravem culpam pertingere.[4]

Quær. 6° *An unctio valide fieri medio instrumento possit?*

Resp. Neg. Ratio est, quia deficeret immediata impositio manus Ministri, quæ ex dictis omnino requiritur. Nec dicas, quod Extrema Unctio valide ministretur medio instrumento; nam in illo Sacramento impositio manus non requiritur ad valorem, sicut in Confirmatione.[5]

ARTICULUS II.

DE FORMA CONFIRMATIONIS.

1272. — Forma Sacramenti Confirmationis consistit in his verbis: *Signo te Signo Crucis, et confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — Sic definivit Eugenius IV. in citato Decreto. — Constat etiam ex constanti Ecclesiæ praxi.

1273. — Quær. *Quænam verba hujus formæ sint essentialia?*

Resp. Ad validitatem sunt omnino essentialia sequentia; 1° verbum *confirmo*, nisi alio verbo synonymo suppleatur; 2° expressio *Sanctissimæ Trinitatis*, ut in Baptismo; 3° verbum *te*, quo subjectum Sacramenti designatur; 4° verba *signo te Signo Crucis*, necnon verba *Chrismate salutis*. Dicere autem *corroboro* pro *confirmo* vel *sanctificationis* pro *salutis*, esset mutatio tantum accidentalis.[1]

[1] L. VI. 163.
[2] P. III. q. 72. a. 2.
[3] L. VI. 162.
[4] L. VI. 165.
[5] Ib. 166.

CAPUT II.

DE MINISTRO CONFIRMATIONIS.

1274. — I. Solus Episcopus est Minister ordinarius hujus Sacramenti. Ita declaravit Innocentius III. et Conc. Trid.[2]

II. Simplex sacerdos confirmare potest tamquam Minister extraordinarius ex delegatione speciali Summi Pontificis. Constat ex praxi Ecclesiæ, et ex Bulla Benedicti XIV.: *Eo quamvis tempore.* — Vide S. Alph.[3] — Sed sacerdos uti debet Chrismate ab Episcopo benedicto. Constat ex Decreto Eugenii IV., ubi dicitur materiam Confirmationis esse Chrisma ab Episcopo benedictum.

1275. QUÆSITA. — Quær. 1° *An Papa etiam simplici sacerdoti delegare valeat potestatem conficiendi Chrisma?*

Resp. Controvertitur. Affirmat S. Alph.[4]

Quær. 2° *An Episcopus possit confirmare fideles non subditos?*

Resp. 1° *Quod validitatem* omnes confirmare potest, ut sequitur ex Ordinis potestate.

Resp. 2° *Quoad liceitatem* non potest confirmare, nisi qui in sua diœcesi reperiantur; et peccaret graviter confirmando etiam suos subditos in alia diœcesi, quia Confirmatio est exercitium jurisdictionis fori externi, quod peragi nequit sine licentia Ordinarii loci.

Potest autem confirmare extraneos in sua diœcesi, quia, nisi aliter constet, semper præsumitur tacitus consensus aliorum Episcoporum. — *Sic probabilius et communius.*[5]

Quær. 3° *Quandonam Episcopus teneatur confirmare?*

Resp. 1° Tenetur confirmare petentes, quoties commode potest, si ad aliud tempus proximum differre nequeat.

[1] L. VI. 168.
[2] Sess. 7. Can. 3. de Confirm.
[3] L. VI. 170.
[4] Ib. 163. 170.
[5] Ib. 171. sq.

Resp. 2° Tenetur etiam aliquoties opportunitatem suis subditis præbere hoc Sacramentum suscipiendi. Hinc peccaret graviter, si longo tempore a Confirmatione conferenda abstineret, v. g. per octo aut decem annos, nec diœcesim circumiret, saltem per præcipua loca, nisi morali impossibilitate excusaretur.[1]

Quær. 4° *An peccet graviter Episcopus omittens confirmare moribundum petentem Sacramentum?*

Resp. Neg., saltem *probabiliter*. Ratio est, quia cum hoc Sacramentum non sit necessarium ad salutem, excusat incommoditas adeundi ægrotos in propriis domiciliis decumbentes. Praxi etiam communi confirmatur.[2]

CAPUT III.

DE SUBJECTO CONFIRMATIONIS.

1276. — Subjectum Sacramenti Confirmationis est omnis et solus homo baptizatus et nondum confirmatus, quamvis carens usu rationis. Confirmatio enim perficit vitam spiritualem, quæ in Baptismo accipitur, et pro omnibus, ut Baptismus, instituta est.

Ex praxi tamen generatim in Ecclesia vigente, non sunt confirmandi pueri, qui usum rationis adepti nondum sunt, nisi ob peculiares rationes, v. g. in mortis periculo.[3]

1277. QUÆSITA. — Quær. 1° *An vel qualis sit obligatio Sacramentum Confirmationis recipiendi?*

Resp. 1° Non est obligatio de necessitate medii. Nam etiam per solum Baptismum haberi potest remissio peccatorum et vita æterna.

Resp. 2° Juxta S. Alph.[4] est obligatio sub gravi de præcepto divino, saltem decurrente vita, et data opportuna occasione; idque probat ex Declaratione Benedicti XIV. in Bulla: *Etsi pastoralis* de ritibus et dogmatibus Græcorum, ubi[5] ait: "Monendi sunt" (qui non sunt confirmati) "ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati reatu teneri, si, cum possunt ad Confirmationem accedere, illam renuunt ac negligunt."

Quær. 2° *Quid agendum in dubio an aliquis sit confirmatus?*

Resp. Potest sub conditione denuo confirmari, ut patet ex dictis n. 1213. Sed ad id non tenetur, si quis vere probabiliter credat, se hoc Sacramentum recepisse.[1]

Quær. 3° *Quænam dispositiones in confirmandis requirantur?*

Resp. Requiritur 1° Character baptismalis ad validitatem Sacramenti, et insuper in adulto intentio Sacramentum recipiendi, ut constat ex dictis n. 1238. III. 1240. R. 2°.

2° Status gratiæ, quia Confirmatio est Sacramentum vivorum. Quapropter qui conscius est peccati mortalis, ad Sacramentum Pœnitentiæ recurrere debet, nisi perfecte conteratur.

3° Ut confirmandus rudimentis doctrinæ christianæ imbutus sit, iis præsertim, quæ sunt de necessitate medii, et quæ spectant ad Sacramenta Pœnitentiæ et Confirmationis.

4° Ut habeat Patrinum. De quo nota hæc Conc. Pl. Balt. II.[2] verba *hortatoria*:[3] "Episcopi nullum non movebunt lapidem, ut disciplina hujusmodi" (adhibendi scil. Patrinos in Confirmatione), "jam in nonnullis harum Provinciarum diœcesibus invecta, ubique introducatur. Confirmati vero habebunt Patrinos singuli singulos, nec tamen fœminis mares, nec maribus fœminæ Patrini officium præstabunt. Quod si hoc fieri omnino nequeat, saltem duo pro pueris Patrini, et duæ pro puellis Matrinæ adhibeantur." Opinantur Ephemirides "*Pastoral-Blatt für Nordamerika*[4] unum aut unam pro utroque sexu adhiberi posse, ubi duo inveniri nequeant. Cæterum Patrini ad Confirmationem easdem qualitates habere debent ac Patrini ad Baptismum. — "Patrinus" autem "manum dexteram super dexterum humerum confirmandi ponit, qui mos ab eo, qui in Pontificali præscribitur, diversus est, sed

[1] L. VI. 175.
[2] Ib.
[3] Conc. Pl. Balt. II. a. 252.
[4] L. VI. 181. 182. H. A. Tr. XIV. 47. Oper. Dogm. Sess. 12. 17. Martinet. Theol. Sacram. L. II. a. 8. § 3. Vind. Alph. p. 930. n. 89. Ed. 2ª. T. II. p. 589.
[5] § 3. n. 4.

[1] H. A. Tr. XIV. 48.
[2] a. 253.
[3] Ib. p. CXXXIX. n. 11°.
[4] Jahrg. V. S. 21.

a S. C. R. die 20 sept. 1749[1] probatus est."[2]

5° "Quandocumque confirmatio plurimis administratur, statuimus," aiunt Patres Conc. Pl. Balt. II.,[3] "schedulas, quibus nomina eorum, qui confirmandi sunt inscribantur, a pastore unicuique dandas, quas Episcopo Sacramentum administraturo exhibeant."

[1] 4056 in Laurin. [2] Kenr. Tr. XVI. 10.
[3] a. 252.

Quær. 4° *An confirmandus debeat esse jejunus?*

Resp. Neg., attenta consuetudine hodierna, et idem valet de confirmante. Leges enim canonicæ, quæ jejunium præscribebant ad recipiendam Confirmationem, in desuetudinem abierunt. Idcirco etiam invaluit usus conferendi hoc Sacramentum tempore vespertino; potest autem conferri quovis die.[1]

[1] L. VI. 184.

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

Eucharistia considerari potest vel ut Sacramentum, vel ut Sacrificium. Hinc pars duplex præsentis Tractatus.

PARS PRIMA.

DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO.

Agendum 1° de natura et efficacia; 2° de materia et forma; 3° de Ministro; 4° de subjecto Eucharistiæ.

CAPUT I.

DE NATURA ET EFFICACIA EUCHARISTIÆ.

Definitur Eucharistia: Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi, sub speciebus panis et vini ad spiritualem animarum refectionem. Constat ex Trid.[1]

1278. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quandiu Christus maneat realiter præsens in Eucharistia?*

Resp. Remanet, quandiu species remanent integræ; desinit vero sub eis inesse statim ac species ita corrumpuntur, ut juxta hominum æstimationem non videantur esse panis et vinum. — Tunc vero ex lege, a Deo in institutione hujus Sacramenti stabilita, speciebus substituitur eadem materia, quæ pani et vino corruptis succederet.[2]

Quær. 2° *Quandiu sacræ species censeantur remanere integræ post Sacramenti sumptionem?*

Resp. Non constat; alii dicunt post minutum, alii post quinque minuta, alii post medium quadrantem. De hac cæterum re nequaquam videtur regula quæpiam generalis tradi posse. Brevior quippe aut longior mora potissimum a diversa diversorum hominum virtute digestiva, ac in eodem quoque homine a diversis circumstantiis tum internis, habitu scil. corporis et præsertim stomachi, tum externis, v. g. cœli temperie, est repetenda. Contingit, ut concitato vomitu post longius spatium, semihoræ v. g. aut etiam horæ, sacramentales species tantum non integræ redditæ fuerint. — Diutius autem, cæteris paribus, remanent in sacerdote, qui in Missa sub utraque specie et cum Hostia majori communicat, quam in laico, qui de more parvam Hostiam tantum sumit.[1]

Quær. 3° *Quinam sint effectus Sacramenti Eucharistiæ in anima?*

Resp. Præcipui sunt sequentes, scilicet 1° *augmentum gratiæ sanctificantis*, quod præcipuum Eucharistiæ effectum constituit. Nam, — juxta verba Christi: [2] *Caro mea vere est cibus*, — hoc Sacramentum est institutum tamquam alimentum spirituale; et alimentum supponit vitam in eo, qui illud suscipit: inde fit, ut per hoc alimentum vita ipsa animæ, quæ in gratia sanctificante præcipue consistit, corroboretur et augeatur; 2° *adeptio gloriæ æternæ;* Christus enim hanc promittit: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum;* [3] 3° *largitio uberrima gratiarum actualium*, quæ fluunt a gratia habituali et

[1] Sess. 13. c. 2. 3.
[2] L. VI. 225. Lugo D. 10. n. 36. Lacroix, n. 474.

[1] L. VI. 225. [2] Joan. 6. 56.
[3] Joan. 6. 52. sq.

habitibus infusis; 4° *debilitatio habituum malorum et emendatio vitiorum*, præsertim libidinis; 5° *remissio peccatorum venialium:* constat ex Trid.,[1] ubi Eucharistia vocatur antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservamur; 6° *remissio pœnæ temporalis peccato debitæ;* non quidem totius, sed secundum modum devotionis et fervoris, ut ait S. Thomas;[2] 7° *unio specialis cum Christo et membris ejus*, ut patet ex Joanne:[3] *Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo;* 8° *præservatio a peccatis futuris*, tum quia, aucta caritate per hunc cibum, anima fit validior contra naturam corruptam, tum quia est efficax memoria Dominicæ Passionis, per quam victi sunt dæmones.[4]

Quær. 4° *An aliquando Eucharistia peccatum mortale delere possit?*

Resp. Affirm. probabilius. V. n. 1208. q. 2°.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ.

Agendum 1° de materia; 2° de forma Eucharistiæ.

ARTICULUS I.

DE MATERIA EUCHARISTIÆ.

I. *De materia remota.*

1279. PRINCIPIA. — I. *Panis et vinum* sunt materia Sacramenti Eucharistiæ remota. Constat 1° ex institutione ipsa hujus Sacramenti; Christus enim in ultima cœna accepit panem et vinum, et ea consecravit in Corpus et Sanguinem suum; 2° ex definitione Ecclesiæ in Conc. Lateranensi, cap. *Firmiter;*[5] in Conc. Florent. in *Decreto unionis;* et in Trid. *Sess.* 13.ª in omnibus fere capitibus. — Accedit his omnibus unanimis traditio utriusque Ecclesiæ Latinæ et Græcæ.

II. Solus panis *triticeus*, et solum vinum *de vite*, sive exterum, sive indigenum, album vel rubrum,[1] sunt materia valida Sacramenti Eucharistiæ. Constat ex Conc. Florent. in Decreto supra citato, ubi dicitur: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est* PANIS TRITICEUS ET VINUM DE VITE. — Concordat etiam perpetua traditio et praxis utriusque Ecclesiæ Latinæ et Græcæ.

Panis per aquam conficiendus est; hinc alio liquore subactus, v. c. lacte, butyro, etc., non est materia apta, vel saltem valde dubia.[2]

Mustum adhibere in genere sola necessitas licitum facit; succus vero ex uvis *omnino* acerbis est materia inepta.[3]

Generatim vero admixtio modica materiæ ineptæ speciem non solvit.[4]

III. Aqua modicissima vino permiscenda est, atque hoc non necessitate Sacramenti, sed præcepti ecclesiastici.

Ratio I^mi deducitur 1° ex perpetua Ecclesiæ praxi et universali Patrum traditione: 2° ex Declaratione Conciliorum, et præsertim Florentini, — quod declarat materiam calicis *esse vinum de vite, cui modicissima aqua misceri debet*, — et Trid.[5]

Ratio II^di deducitur ex eo quod Christus, in institutione hujus Sacramenti, solum vinum designaverit, et Concilia, hujus mixtionis mentionem faciendo, de solo præcepto loquantur, uti Trident. loco citato; accedit doctrina Catech. ejusdem Concilii, qui, postquam docuit hanc mixtionem non posse sine peccato mortali prætermitti, addit: *Ea* (aqua) *tamen si desit, Sacramentum constare potest.*

1280. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sit materia valida panis ex siligine seu secali confectus?*

Resp. Controvertitur. Alii *affirmant*, quia siligo, aiunt, videtur esse ex eadem specie ac triticum, licet sit diversæ qualitatis. — Alii vero multo *communius* et *probabilius negant;* quia panis siliginis est speciei diversæ, nec a divitibus adhiberi communiter solet. In praxi igitur hæc materia sub gravi prohibetur.[6]

Quær. 2° *An sit materia valida panis ex farre seu spelta* (anglice: *spelt*) *effectus?*

[1] Sess. 13. c. 2.
[2] P. III. q. 79. a. 5.
[3] 6. 57.
[4] L. VI. 269. H. A. Tr. XV. 5.
[5] L. I. Decr. T. I. c. 1.

[1] L. VI. 207.
[2] Ib. 198. 199.
[3] Ib. 206. 207.
[4] S. Th. P. III. q. 74. a. 3. ad 3.
[5] Sess. 22. c. 7.
[6] L. VI. 200.

Resp. Pariter *controvertitur* ac de siligine. Unde illa quoque materia ut dubia, et proinde ut graviter illicita, habenda est.[1] — Attamen animadvertendum est, dari in variis regionibus diversas veri frumenti species, quæ sub nomine *speltæ* veniunt. Unde videtur esse attendendum ad communem hominum æstimationem.

Quær. 3° *An panis tam azymus, quam fermentatus, sit materia valida et licita Eucharistiæ ?*

Resp. 1° *Quoad validitatem, affirmative.* Ratio est, quia uterque est panis verus, ac simpliciter etiam in Scriptura panis dicitur; et uterque ex farina triticea et aqua naturali efficitur. Constat etiam ex definitione Ecclesiæ. Sic enim Conc. Florent. in *Decreto unionis*: *Definimus in azymo, sive in fermentato, pane triticeo Corpus Christi confici.*

Resp. 2° *Quoad liceitatem*, Latini tenentur sub gravi consecrare in azymo, et Græci in fermentato, singuli juxta Ecclesiæ suæ ritum. Constat 1° ex praxi utriusque Ecclesiæ; 2° ex Conc. Florent. in Decreto citato, ubi additur: *Sacerdotesque in alterutro ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis, consuetudinem.* — Potest vero sacerdos Latinus, transiens per regiones Græcorum, in quibus nulla ecclesia sui ritus adest, consecrare in fermentato; item vice versa.[2]

Quær. 4° *An peccet graviter sacerdos consecrans in vino acescente ?*

Resp. Affirm., licet illud vinum sit adhuc materia valida Sacramenti. Imo committitur peccatum mortale, non tantum si vinum sit aceto proximum, sed etiam si certo incipiat acescere et corrumpi, quia etiam sic gravis irreverentia Sacramento videtur irrogari. — Constat ex Rubrica, tit. 4. n. 2., ubi sic dicitur: *Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, ... conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.*

Probabiliter tamen dicunt Gobat, Sporer, Lacroix, quod, *deficiente alio vino*, liceat sine scrupulo, prout solent viri probi, adhibere vinum paulisper acescens, seu non notabiliter acidum, adduntque Spor. et Mazzotta, *urgente necessitate*, licere uti vino etiam notabiliter acescente, modo certo sit vinum. — Unde Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniæ, sed tantum illos, qui proxime incipiunt constituere vinum acescens.[1]

Quær. 5° *An vinum congelatum sit materia valida ?*

Resp. Controvertitur. Affirm. probabilius, licet sit illicita. Ratio est, 1° quia remanet substantialiter vinum, cum retineat eumdem colorem, saporem, odorem; 2° quia ex Rubrica Missalis species vini congelatæ post Consecrationem debent liquefieri admotis pannis calefactis, et deinde sumi, quippe quod est verum Sacramentum (*Rubr. de defect.* § 10. n. 11). Ergo supponit speciem vini congelati retinere Sanguinem Christi; ergo sacræ species non mutantur substantialiter per congelationem post Consecrationem; ergo nec ante. — Ita S. Alph.,[2] ubi dicit esse sententiam veriorem ob rationem ex citata Rubrica deductam.

Quær. 6° *Quænam quantitas aquæ sit in calice immiscenda ?*

Resp. Sufficit aquæ modicissima quantitas, ut dicit Conc. Florent. supra n. 1279. Probabiliter potest infundi aqua usque ad octavam partem vini, imo usque ad quintam partem juxta Lugo.[3] Addit Busembaum sufficere, ut aqua tertiam partem non excedat. Sed in praxi hæc ultima sententia non est admittenda, quamvis tertia pars non corrumpat vinum, si sit generosum. Generatim consulendum est, ne sacerdos excedat octo vel decem guttulas. Quod si casu nimiam aquæ quantitatem infuderit, iterum aliqua quantitas vini adjici poterit.[4]

II. *De materia proxima, seu de usu materiæ requisitæ in ipsa Consecratione.*

1281. Principia. — I. Ad validam Consecrationem, præter materiam aptam, requiritur, 1° ut materia consecranda sit *physice præsens;* quia id necessario exigunt pronomina demonstrativa formæ: *hoc, hic;* aliter enim forma foret falsa, quia

[1] L. VI. 200.
[2] Ib. 203. Dub. I.

[1] L. VI. 207. quær. I. Exam. ordin. n. 98.
[2] L. VI. 207. quær. II.
[3] D. 4. n. 38.
[4] L. VI. 210.

demonstraretur præsens id, quod non esset præsens; 2° ut per intentionem Ministri in individuo sit determinata; quia sicut non consecrat Minister, nisi intendat consecrare; ita nec hanc materiam consecrat, nisi illam determinate intendat consecrare. Non requiritur tamen determinatio actualis, sed virtualis sufficit.[1]

II. Ad licitam Consecrationem requiritur, 1° ut sacerdos nullatenus recedat ab usu Ecclesiæ, præsertim Rubricis Missalis Romani determinato: hinc imprimis necesse est, ut materia consecranda sit decens et munda, ob reverentiam tanto Sacramento debitam; item, ex Ecclesiæ Latinæ præscripto vel usu, ut hostia sit formæ rotundæ, tenuis, integra et recens. Cfr. S. Alph.;[2] 2° ut sit reposita in altari et in corporali, imo et in petra sacra; 3° ut ciborium vel calix consecrandus sit discoopertus; 4° ut fiat tempore Canonis Rubrica præscripto.[3]

1282. *Resolves.* — 1° Valide consecrantur hostiæ sub aliis latentes, aut aliter tectæ. Item valide consecratur vinum in calice, velo, palla, aut quavis ratione cooperto; quia sufficit ad veram materiæ præsentiam, ut per pronomina *hoc* vel *hic* demonstrari possit.[4]

2° Valida est Consecratio, si sacerdos putet unam tantum vel duas hostias consecrandas adesse, cum sint plures sive a se, sive ab alio appositæ; ratio est, quia sacerdos semper præsumitur velle consecrare quidquid est decenter consecrabile. Unde si celebrans advertat post Consecrationem duas Hostias esse simul junctas, utramque ut consecratam sumat juxta Rubricam Missalis. Si vero ante Consecrationem, postquam obtulit, id advertat, alteram seponat, et post Missam ipse vel alius sumat tanquam panem benedictum. Si quo autem casu hostiæ non consecratæ misceantur consecratis, totus cumulus consecretur sub conditione; *si non sint consecratæ.*[5]

3° Idem dicendum, si quis ad altare plures hostias consecrandas attulerit, — vel ante Sacrificium monitus fuerit de consecrandis hostiis jam super altare positis, — vel animadverterit ab alio afferri ut consecrentur, — etsi, dum consecrat, non ita expresse earum meminerit, aut etiam ad oblationem non detexerit, modo sint præsentes in corporali; quia intentio præcedens virtualiter perseverat.[1]

4° Non consecrarentur hostiæ, inscio sacerdote, etiam in corporali, sed *sejunctæ a cumulo*, positæ, quia sacerdos penitus inscius intentionem illas consecrandi non habuit.[2]

5° Si parvæ hostiæ pro communicando populo afferantur sacerdoti paulo post factam oblationem, licite eas consecrare poterit, suppleta oblatione mentaliter. "Et hoc, etiamsi Canon sit incœptus, . . . quando plures sine Communione remanerent." . . . Si vero remaneret tantum unus, danda ei potius pars magnæ Hostiæ, "vel minor Hostia dividenda. Et sufficit pro causa, si communicaturus diu expectare deberet," vel sit persona gravis aut nobilis,[3] aut, apud nos, primaria.

6° Numquam licet consecrare *unam* tantum speciem. Talis tamen Consecratio *probabilius* valida est, etiamsi sacerdos positivam intentionem habuerit alteram speciem non consecrandi.[4]

1283. QUÆSITA. — Quær. 1° *An censendum sit consecratum* CIBORIUM *ex oblivione extra corporale aut petram sacram relictum?*

Resp. Controvertitur. Iª SENTENTIA *probabilis affirmat.* Ratio est, quia jam adfuit voluntas positiva consecrandi illud ciborium in principio Missæ, nec illa voluntas fuit retractata; ergo perseveravit virtualiter tempore Consecrationis.

IIª SENTENTIA, juxta S. Alph. *communis eique probabilior*, negat. Ratio est, quia intentio illa consecrandi extra corporale fuisset peccatum grave, nec ad Sacrificium necessaria, et proinde sacerdos illam habuisse non præsumitur.

Cum vero Sacramenta cum materia dubia administrare illicitum sit, in praxi ciborium illud denuo consecrandum erit sub conditione in alia Missa, si particulæ facile absumi nequeant. Secus debent

[1] L. VI. 211–214.
[2] Ib. 205.
[3] Ib. 218. 219.
[4] Ib. 212.
[5] Ib. 216.

[1] L. VI. 216. 217.
[2] Ib. 215.
[3] Ib. 217. IV. Exam. Ord. 99.
[4] Ib. 196.

absumi post utramque Communionem et ablutionem, — quia reliquiæ Sanguinis sunt *certe* Sacramentum, sed hostiæ illæ in ciborio *dubie* tantum, — at ante purificationem. Dixi: *debent;* quia dum possunt absumi, deest causa sufficiens illas sub conditione consecrandi.[1]

Quær. 2° *An censeatur consecratum ciborium positum quidem in corporali, sed quod ex oblivione remansit clausum tempore Consecrationis?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia certe possunt valide consecrari hostiæ in ciborio clauso, ut supra dictum est; 2° quia sacerdos semper censetur habere intentionem absolutam consecrandi quidquid, ipso sciente, est supra corporale, et est honeste consecrabile, et habetur per modum continui.

Quær. 3° *An censeantur consecratæ guttæ vini inhærentes calici sive exterius, sive interius?*

Resp. 1° Guttæ *exterius* inhærentes nunquam censentur consecratæ. Ratio est, quia merito præsumitur intentionem sacerdotis esse consecrare illud unum, quod est licite consecrabile; illicite autem et irreverenter, et absque ulla utilitate, illæ guttulæ consecrarentur. Ergo.... Ita *omnes.*[2]

Resp. 2° *Probabilius* nec consecratæ censentur guttæ interius inhærentes, et omnino a majori quantitate separatæ, seu quæ fundo non sint proximæ. Ratio est, quia videtur esse intentio Ecclesiæ, adeoque et sacerdotis, non consecrare nisi vinum, quod per modum unius potabile est, et in calice reperitur congregatum.[3]

Quær. 4° *Quale sit peccatum consecrare hostiam fractam vel maculatam?*

Resp. Secluso scandalo, et sine rationabili causa, est veniale, nisi macula vel fractura sit enormis. Si tamen deprehendatur aliqua fractura vel macula etiam notabilis in hostia post oblationem, extra casum, quo scandalum populi timeatur, licite talis hostia consecrabitur, quia jam per oblationem fuit aliquatenus Deo dicata et sanctificata.[4]

[1] L. VI. 217. Exam. Ord. n. 99. Cfr. Vind. p. 379. Ed. 2ª T. I. p. 429.
[2] L. VI. 215.
[3] Ib. et Exam. Ord. n. 99.
[4] L. VI. 204.

ARTICULUS II.

DE FORMA SACRAMENTI EUCHARISTIÆ.

Sicut in Sacramento Eucharistiæ duplex est distincta materia, ita duplex quoque est forma Consecrationis, una panis et altera vini.

1284. PRINCIPIA. — I. Forma pro Consecratione panis consistit in his verbis: *Hoc est enim Corpus meum.* Hæc autem verba, aut æquivalentia, sunt omnino formæ essentialia, si verbum *enim* excipias.

Constat, 1° ex universali praxi Ecclesiæ, et ex ejus præcepto in Missali Romano; 2° ex Concilio Florent. in Decreto unionis, et Trid.;[1] 3° ex ipsa institutione divina; nam Christus transsubstantiavit panem in Corpus suum prædicta verba proferendo.

II. Forma pro Consecratione vini ista est: *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et æterni Testamenti, mysterium Fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Constat pariter, 1° ex praxi et præscripto Ecclesiæ; 2° ex variis Evangelistis, qui, etsi non omnino eadem verba referant, perfecte tamen quoad hunc sensum concordant.

1285. *Resolves.* — 1° *Valida*, sed illicita, est Consecratio, si consecrans dicat: *Hic cibus est Corpus meum, — hic calix est Sanguis meus.* — Item si proferas: *Colpus* pro *Corpus; meus* pro *meum: es* pro *est; calis* pro *calix; Sanguis* pro *Sanguinis*, etc.[2]

2° *Invalida* erit Consecratio, si dicas: *Hìc* (adverbialiter) *est Corpus meum; hoc Corpus est meum;* vel *hic Sanguis est meus:* quia hæc verba non habent sensum, quo id significent, quod operari debent.[3]

3° *Dubia* est Consecratio, si dicas: *Hæc est Caro mea; illud est Corpus meum; ille est Sanguis meus.*[4]

4° Verba formæ proferri debent in persona Christi *formaliter* et *assertive*, seu *recitative* simul et *significative*, non vero historice tantum: scilicet proferenda sunt verba Christi applicando eorum significationem ad materiam præsentem, ut hæc

[1] Sess. 13. c. 1.
[2] L. VI. 221.
[3] Ib.
[4] Ib.

transsubstantietur in Corpus et Sanguinem Christi. Attamen scrupulus non est habendus, an verba sensu debito proferantur; nam quivis sacerdos præsumitur habere intentionem id faciendi, quod Christus fecit et instituit, et sic intendit sufficienter verba consecratoria proferre in utroque præfato sensu. — Elbel,[1] S. Alph.[2]

1286. QUÆSITA. — Quær. 1° *An omissio vocis* ENIM *in forma Consecrationis sit gravis?*

Resp. Controvertitur. I^a SENTENTIA *negat*, quia vox illa non reperitur in verbis a Christo in Consecratione panis prolatis, et aliunde quoad Ecclesiæ præceptum non videtur constituere materiam gravem. — Ita Busemb.[3]

II^a SENTENTIA *affirmat*, et hanc S. Alph.[4] dicit non esse improbabilem. Ratio est, quia in re tam gravi non videtur dari levis materia in quacumque mutatione deliberata.

Quær. 2° *An in Consecratione requirantur, ut essentialia, illa verba antecedentia:* QUI PRIDIE QUAM PATERETUR, etc. . . . SIMILI MODO, etc.?

Resp. Neg. cum sententia communi, quam ut probabilissimam tenet S. Alph. Ratio est, quia hæc verba historice tantum proferuntur, nec ullam efficaciam sacramentalem habere videntur. Attamen oppositam sententiam non audet dicere improbabilem, tanto magis, quia, si ob dubiam Consecrationem forma repetenda sit, juxta Rubricas incipiendum erit ex verbis: *Qui pridie*, et *Simili modo*.[5]

Quær. 3° *An in Consecratione calicis sola hæc verba:* HIC EST CALIX SANGUINIS MEI . . . *sint de essentia formæ?*

Resp. Affirm. sententia est *communior*, quam *negativa*, at utraque *speculative* probabilis ob rationes, quas videre est apud Dogmaticos vel apud S. Alph.[6] Sed in praxi certum est, *grave* fore peccatum, si non proferrentur omnia verba, quæ in Consecratione calicis habentur, et, si forte tantum prima verba dicerentur, integra forma repetenda esset.

[1] n. 34.
[2] L. VI. 220.
[3] Ib.
[4] Ib.
[5] Ib. 222.
[6] Ib. 223.

Quær. 4° *An valeat forma, si dicatur:* HOC ENIM CORPUS MEUM, *subintelligendo* EST, *ut in lingua Latina frequenter fieri solet?*

Resp. Neg. Nam licet in continua oratione verbum substantivum: *est*, facile subintelligi possit, in casu tamen præsenti fieri nequit; tum quia non habetur oratio continua, tum præsertim quia in re, de qua agimus, forma non habet tantum sensum assertorium, ut in sermone communi, sed etiam vim transsubstantiationis efficientem.[1]

CAPUT III.

DE MINISTRO EUCHARISTIÆ.

Agendum 1° de potestate Ministri; 2° de ejusdem obligatione; 3° de requisitis ad rite ministrandum; 4° de modo S. Eucharistiam ministrandi infirmis; 5° de modo eam asservandi.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE MINISTRI EUCHARISTIÆ.

Minister Eucharistiæ duplex est, scilicet alius Consecrationis, alius dispensationis.

1287. PRINCIPIA. — I. *Omnis* et *solus* sacerdos est Minister Eucharistiæ conficiendæ. Constat 1° ex Scriptura: Christus enim, Sacramentum instituens, omnibus et solis Apostolis cum ipso recumbentibus, et proinde omnibus et solis, qui in sacerdotio illis successuri essent, dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*;[2] ergo omnes et soli sacerdotes hanc potestatem a Christo acceperunt; 2° ex Trid.;[3] 3° tandem ex universali et perpetua Ecclesiæ traditione.

II. Soli sacerdotes seu presbyteri sunt Ministri *ordinarii* dispensationis Eucharistiæ. Constat 1° ex Trident,[4] ubi dicitur: "Semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus Communionem acciperent, sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent"; 2° ex praxi universali Ecclesiæ.

III. Diaconi, vi suæ ordinationis, sunt Ministri Eucharistiæ *extraordinarii*, ita

[1] L. VI. 223.
[2] Luc. 22. 19.
[3] Sess. 22. Can. 2.
[4] Sess. 13. c. 8.

ut possit eis ex sufficienti causa committi hujus Sacramenti dispensatio, quæ commissio, saltem tacita, ad liceitatem hujus actus extra casum extremæ necessitatis, certe pro publica et solemni administratione ipsis prorsus necessaria est. Constat 1° ex praxi priorum sæculorum, in quibus diaconi passim ex commissione Episcoporum, vel presbyterorum, sive generali sive particulari, Eucharistiam ministrabant; 2° ex variis Conciliis, v. g. Nicæno I. generali, Carthaginiensi IV. etc.[1]

IV. Jure ordinario solus *Parochus*, aut illius Superior, potest Eucharistiam dispensare. Ad hoc enim requiritur jurisdictio, non quidem pro valore actus, ut in absolutione, sed pro debito ministrandi ordine. Constat 1° ex Conciliis, præsertim ex Carthag. I.[2] et ex Milevitano,[3] etc.; . . . 2° ex universali Ecclesiæ praxi. Hinc qui sine licentia, saltem præsumpta, *Parochi* Eucharistiam ministrat, jus ejus in re gravi violat, ideoque graviter peccat. Quando tamen *Parochus* concedit aliis licentiam celebrandi in sua Ecclesia, semper censetur concedere licentiam quoque ministrandi Eucharistiam, nisi contrarium exprimat; hoc etiam praxi communi confirmatur.[4]

Non tamen ita facile præsumenda est licentia, si agatur de susceptione Eucharistiæ *ex obligatione*.[5] Quare quoad Communionem Paschalem consuetudo servanda erit; item Viaticum extra casum necessitatis sine licentia Parochi ministrare illicitum est.

Prima autem Communio puerorum non est de jure parochiali. Observanda tamen erunt statuta diœcesana, vel etiam legitima consuetudo, si cubi vim legis forte habeat.[6]

Dictæ juris communis dispositiones de juribus parochialibus ad nos non spectant, nisi quatenus statutum Episcopi vel prudentia eas præcipiat.

1288. Quæsita. — Quær. 1° *An, ut diaconus ministret, necessitas debeat esse extrema?*

Resp. Neg. cum sententia communi; sed sufficit necessitas gravis, nempe cum nullus adest sacerdos, qui commode Eucharistiam ministrare possit. Et in necessitate extrema, absente sacerdote, tenetur Viaticum ministrare.[1]

Quær. 2° *An, vel in quibusnam circumstantiis Religiosi sanctissimam Eucharistiam ministrare possint?*

Resp. Vide n. 1200. E). F).

[1] L. VI. 237. [2] Can. 7.
[3] Can. 18. [4] L. VI. 230. sq.
[5] L. VI. 235.
[6] Bouix. de jure Regul. T. II. P. V. Sect. 3. c. 2. q. 12.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE EUCHARISTIAM DISPENSANDI.

1289. Principia. — I. Parochus, seu quivis sacerdos habens curam animarum, tenetur ex justitia Eucharistiam subditis ministrare non solum in Paschate et in morte, sed etiam quoties rationabiliter petunt, seclusa tamen legitimi impedimenti causa. Ratio est, quia ad Parochum spectat ex quasi-contractu providere, non solum ut fideles adimpleant præcepta, sed etiam ut non careant præsidiis, quæ profectui spirituali valde prosunt.[2]

II. Sacerdos quilibet, sive sæcularis sive regularis, tenetur, deficiente Parocho, Eucharistiam morituro ministrare; secus in aliis casibus. Ratio *primi* est, quia quilibet ex caritate tenetur proximo suo in tanta extremitate constituto per hoc salutare et efficacissimum remedium succurrere. Ratio *secundi* patet. Nulla enim intervenit obligatio, sive ex justitia, cum nullus sit contractus, sive ex caritate, cum non supponatur adesse casus necessitatis.

1290. Quæsita. — Quær. 1° *An Parochus teneatur etiam investigare infirmos Eucharistiam non petentes, ut eam ipsis ministret?*

Resp. Affirm., saltem si sint in gravi mortis periculo. Ratio est, quia officium est boni Pastoris curare, ut ovibus suis in tanto periculo constitutis tam salutare remedium suppeditetur. Colligitur præterea ex Jure Can.[3]

Quær. 2° *An Parochus teneatur per seipsum Eucharistiam subditis ministrare?*

Resp. Neg. Sufficit enim si provideat, ut, quisquis *opportune* petit aut indiget, eadem non fraudetur. Potest igitur obli-

[1] L. VI. 237.
[2] H. A. Tr. XV. 8.
[3] L. III. Decr. T. XLI. c. 1.

gationem etiam per alios adimplere. Attamen præcavere debet, ne videatur otiosus et incuriosus, si munia sua habitualiter per alios adimpleat.

Quær. 3° *An graviter peccet Parochus, quoties Eucharistiam denegat rationabiliter petenti?*

Resp. Neg.; si enim raro id faciat, v. g. erga unum aut alterum, secluso scandalo aut gravi petentis contristatione, non peccabit nisi venialiter. Ratio est, quia nec gravis injuria, nec grave damnum sic infertur, et, si adsit damnum, illud facile reparari potest. — Ita *omnes*. — Recole dicta n. 1227. 2°.

Quær. 4° *An Parochus teneatur Eucharistiam, etiam cum vitæ periculo, ministrare, v. g. tempore pestis vel morbi contagiosi?*

Resp. Neg. valde probabiliter cum S. Alph.[1] — Vide dicta n. 1226. q. 2°. R. 2°.

Quær. 5° *Quandonam Parochus censeatur excusari ab Eucharistia subditis petentibus ministranda?*

Resp. Legitime excusatur, 1° quando subditi ob aliquas circumstantias non rationabiliter petunt, v. g. si petant ante Missam, quando facile possunt expectare, etc.; 2° si ipse Parochus ob infirmitatem aliasve occupationes necessarias impeditus sit, etc. — Attamen caute agendum est, quia in his fideles facile possunt scandalum accipere, et a Sacramentis *sæpius* recipiendis arceri. — Ita *omnes*.

ARTICULUS III.

DE REQUISITIS AD LICITAM SANCTÆ EUCHARISTIÆ DISPENSATIONEM.

1291. Principia. — I. Præter jurisdictionem (cfr. n. 1287. IV.), requiritur, ut Minister sit liber ab omni excommunicatione, interdicto et suspensione a Sacris; secus enim graviter peccaret, et irregularitatem contraheret.

II. Requiritur, ut Minister sit in statu gratiæ, quia augustissimum et sanctissimum Christi Corpus impuris manibus tractari non debet. Unde toties peccat sacerdos, quoties reus peccati mortalis, nec contritus, Communionem distribuit, licet probabiliter non tot peccata committat, quot sunt personæ in eadem distributione Eucharistiæ communicantes.[1] — Cfr. n. 219.

III. Requiritur, ut Minister Eucharistiam distribuat ritu Ecclesiæ consueto. Hinc, generatim loquendo, omittenda est hujus Sacramenti administratio, quando more a *Rituali Romano* vel loci consuetudine præscripto fieri nequit.[2]

1292. *Resolves.* — 1° Eucharistia non est ministranda, nisi cum habitu decenti, id est, cum stola, superpelliceo et lumine.

2° Juxta communem sententiam peccat graviter, qui, extra casum necessitatis, distribuit Communionem sine ulla veste sacra; quia hoc est valde indecens, et contra grave præceptum Ecclesiæ.[3] — Si tamen sola stola omittatur, videtur pluribus et gravibus Theologis esse tantum veniale, quod sat probabile videtur.[4]

3° Veniale tantum reputatur ministrare Eucharistiam sine lumine, vel sine præmissa solita confessione, *Confiteor*, etc.[5] — Similiter veniale tantum habetur, Eucharistiam transferre, sine vestibus sacris, de loco ad locum, v. g. de uno altari ad aliud. — Reuter,[6] Mazzotta.

1293. Quæsita. — Quær. 1° *An sacerdos laborans infirmitate in police et indice Eucharistiam aliis digitis ministrare possit?*

Resp. Negandum videtur, saltem *probabilius*, secluso casu gravissimæ necessitatis.[7] — Ratio est, quia licet tota manus sit consecrata, attamen index et pollex ex ritu Ecclesiæ ad hoc munus exercendum specialiter sunt destinati.

Quær. 2° *Quid faciendum, si Hostia in terram decidat?*

Resp. Locus, in quem sancta Hostia decidit, statim tegendus est aliqua re munda, et postea abluendus. Si cadat in mappam, seu linteolum, quo manus communicantis obteguntur, locus signandus est, et postea pari modo abluendus. Ita Rubrica, quæ tamen juxta communem sen-

[1] L. VI. 233.

[1] L. VI. 30. sq.
[2] Ib. 241. sq.
[3] Ib. 241. 245.
[4] Ib. 241.
[5] Ib.
[6] n. 168.
[7] L. VI. 244.

tentiam non obligat sub gravi; graviter tamen obligaret ad abluendum locum, in quem decidissent sacræ species vini, quippe iste imbibitur; non est tamen opus eas, i. e. objectum, in quod inciderunt, comburere.[1]

Quær. 3° *Quid faciendum, si Hostia decidat in vultum, barbam, aut vestes communicantis?*

Resp. In præfatis casibus omittenda est purificatio; quia melius est vitare admirationem, turbationem, aut offensionem populi, quam servare Rubricam, sub levi tantum obligantem.[2]

Quær. 4° *Quid faciendum, si Hostia decidat in sinum vel intra vestes mulieris?*

Resp. Ipsa mulier Hostiam extrahere debet, et suis ipsa manibus sibi ad os ferre. Sic Bened. XIV.[3] Digiti vero mulieris abluantur, et ablutio in piscinam dejiciatur. Si mulier nequeat facile Hostiam *ibidem* extrahere, seorsim recedat, v. g. in aliquod sacellum, vel in sacristiam, etc.

1294. Quær. 5° *Qua hora Communio dispensari possit?*

Resp. Regulariter ministrari debet horis, quibus Missam sive ex consuetudine, sive ex peculiari Indulto celebrare licet. At *communiter* cum S. Alph. docetur, *posse* ministrari qualibet hora diei; excepta tamen parte diei extrema, i. e. sub noctem. Ratio est, quia de hac re nulla exstat prohibitio.[4] Nec obstat Decretum S. C. Rituum datum dec. 1816, permittens administrationem Communionis a tempore ad tempus, quo in qualibet Ecclesia Missæ celebrantur, *in die magni concursus.* Decretum enim illud non est exclusivum, cum S. C. responsum dederit juxta postulatum, in quo agebatur præcise de die *magni concursus ad Indulgentiam plenariam seu Jubilæum lucrandum.*

Addendum hic est, ex decreto S. C. R. anni 1641, dandam non esse Communionem in Missa Nativitatis Domini, quæ media nocte celebratur. Apud S. Alph.[5]

[1] L. VI. 250.
[2] Ib.
[3] De Sacr. Missæ. L. III, c. 20, n. 7.
[4] L. VI. 252.
[5] Ib.

Quær. 6° *Quo tempore et loco Communio dari nequeat?*

Resp. ad 1^{um}. Tempore interdicti localis, et tempore a repositione SS. Sacramenti in Fer. V. Majoris Hebdomadæ usque ad finem Missæ solemnis in Sabbatho Sancto; attamen, ubi consuetudo adest, etiam inter hanc Missam permittitur.[1]

Resp. ad 2^{um}. Extra Ecclesias aut oratoria *publica.* In *privatis* autem de licentia Episcopi, et, apud nos, ubicumque celebratur Missa, dari potest.

Ad altare autem, in quo SS. Sacramentum est expositum, non est distribuenda (S. R. C. 12 nov. 1831), nisi ob defectum alterius altaris aut aliam causam.

1295. — Quær. 7° *An Communio extra Missam dari possit?*

Resp. Danda est, generatim loquendo, in quantum fieri potest post Communionem Sacerdotis. Sic ex *Rit. Rom.* Ex usu tamen recepto facile dari potest Communio ante vel post Missam, vel etiam alio quovis tempore, quo ut supra (n. 1294. q. 5°) dictum est, ministrari potest. Imo, ubi est magna communicantium affluentia, expedit differre Communionem ad absolutum Sacrificium, ne, qui Missæ adsistunt, diutius, quam par sit, in Ecclesia detineantur et tædio afficiantur. — Quinimo pro certo habendum est, ob consuetudinem, quæ ubique invaluit, quæque a Parochis abrogari non potest, nullum exstare præceptum, vi cujus Communio solum intra Missam distribui debeat. — Sic S. C. R.[2]

Quær. 8° *An Communio dari possit cum paramentis nigris immediate ante vel post Missam defunctorum?*

Resp. 1° Post Missam dari potest, si sacerdos nondum discesserit ab altari, in quo celebravit; tunc vero non dat benedictionem iis qui communicarunt. — Ita ex Decreto S. R. C. confirmato a SS. D. N. PP. Pio IX. 23 jul. 1868.

Resp. 2° Juxta idem Decretum dari potest Communio etiam ante Missam, *si adsit rationabilis causa,* omissa tamen benedictione. Causa autem rationabilis nunquam non adest, si qui Communionem tunc petant. Ut plurimum enim con-

[1] L. VI. 252. et S. R. C. 23 sept. 1837 in Mutin. etc.
[2] 7 dec. 1844 in Januen.

tingit quosdam inter petentes adesse, qui secus aut sine Communione discederent, aut, diutius immorando, haud leve sive in rebus domesticis, sive in gerendis negotiis incommodum necessario subirent.

Quær. 9° *An communio dari possit cum paramentis nigris* INTRA *Missam* DE REQUIEM?

Resp. Affirm., tum si Communio detur cum solis Hostiis in eadem Missa consecratis, tum si detur ex præconsecratis, quæ in tabernaculo asservantur. Ita S. R. C. Decretum sup. citatum.

1296. — Quær. 10° *An possit dari Communio cum paramentis violaceis, etiam ante vel post Missam?*

Resp. Controverti de hac quæstione diu potuit præsertim propter Responsum, quod ferebatur, S. Rit. Congr. an. 1670. Verum et hoc dubium sustulit S. Congregationis prædictum decretum, quo statuitur, in Missis defunctorum violacea paramenta adhiberi non posse, nisi in quapiam Ecclesia, die 2 novembris, S. Eucharistiæ Sacramentum publicæ fidelium adorationi pro solemni Oratione quadraginta horarum sit expositum.

Quær. 11° *Quomodo ministranda sit Communio extra Missam?*

Resp. 1° Si Communio ministranda sit immediate ante vel post Missam, agendum est sicut in ipsa Missa; sed reversus sacerdos ad altare, dicere potest: *O sacrum convivium*, etc. Vers. *Panem*, etc. (tempore Pasch. additur: *Alleluja*); deinde dicit; *Domine exaudi*, etc. — *Dominus vobiscum*, etc., cum Oratione: *Deus, qui*, etc. (temp. Pasch. *Spiritum nobis*, etc.); denique, digitis ablutis, et S. Ciborio in tabernaculo reposito, benedicit iis, qui communicarunt cum formula: *Benedictio Dei omnipotentis, Patris*, etc. — Ita ex *Rit. Rom.*

Resp. 2° Si alio tempore distribuenda sit, 1° duæ, juxta *Rituale Romanum*, accendendæ sunt candelæ. Si tamen tempus urgeret, nec facile duæ candelæ accendi possent, una sufficeret; 2° sacerdos, lotis manibus, superpelliceo et stola indutus coloris Officio illius diei convenientis, ministrat, ut supra, et ad altare reversus reliqua, ut supra, prosequitur; deinde dat benedictionem manu dextera, non vero cum pyxide, nisi super infirmos.

Versiculi autem *Domine exaudi*, etc., *Dominus vobiscum*, etc., cum Oratione propria, juxta quosdam, tamquam connexa cum antiph. *O Sacrum*, etc. omitti possunt; juxta alios sunt de præcepto, ut ipsa antiphona.[1] — Hujusmodi autem preces voce saltem mediocriter elata dicendæ videntur, cum iis a ministro respondendum sit.

1297. — Quær. 12° *Quid faciendum, si minister sacerdoti desit: an vir communicaturus, vel mulier supplere potest?*

Resp. 1° Sane quilibet communicaturus, si sit vir, sacerdoti inservire potest; vel etiam ipse sacerdos supplere potest, dicendo *Confiteor*, et respondendo *Amen*.

Resp. 2° Mulier supplere non potest, nisi sit Monialis, quæ, juxta morem receptum, intra claustrum respondet; tunc igitur ipse sacerdos omnia peragere debet. Nec dicas, quod in necessitate mulier Missæ respondere potest, modo a longe stet; nam in Missa sacerdos solus omnia respondere non posset. — Ita *communiter*, Bouvier,[2] Gousset.[3]

Quær. 13° *An dari possint plures particulæ uni communicanti, vel una major devotionis gratia, etc.?*

Resp. Neg. Hoc enim expresse fuit prohibitum Decreto S. Congreg. Conc., approbato ab Innocentio XI. die 12 februarii 1679. Verba autem Decreti (apud Benedictum XIV.) hæc sunt: "Episcopi, Parochi, seu confessarii admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores, sed consuetas."

Quær. 14° *An particulæ frangi possint, si deficiant; et quid agendum si supersint, nec sit tabernaculum, in quo reponantur?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.*, ex communi sententia, et praxi generali, modo adsit causa justa, v. g., si desit alia Missa vel fideles expectare non possint. Imo cum postulatum a S. R. C. fuisset, "Utrum ex toto sequi valeat Regula Ritualis Parisiensis, sic expressa: Si, quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus Hostiarum, poterunt aliquot

[1] De Herdt. T. I. n. 275. — Benger. Comp. p. 365, 4).
[2] C. 4. art. 2.
[3] n. 212.

Hostiæ dividi in plures particulas, quæ singulis distribuantur? S. Congregatio respondit: Servetur consuetudo dividendi consecratas, si adsit necessitas." Die 16 martii 1833, *in Veronensi*. Attamen sacerdos Hostias tunc dividere debet tantum in duas vel ad summum tres partes, quia secus vix posset cum debita reverentia Communio dari. — Lacroix.[1] Cfr. dicta n. 1282. 5°.

Resp. ad 2^um^. Sumendæ sunt a celebrante ante ablutiones, si facile fieri possit. Secus ad tabernaculum proximum cum ritu consueto deferendæ forent; neque committendum, ut plures Hostiæ fidelibus ministrentur.

Quær. 15° *An ad fideles communicandos possit sacerdos, deficientibus Hostiis minoribus, detrahere partem majoris a se sumendæ?*

Resp. 1° *Affirm.* in casu Viatici moribundo deferendi, ratione urgentis necessitatis. — Ita *omnes*. — 2° *Affirm.* etiam, si esset communicaturus unus vel alter fidelis, qui secus non absque incommodo Communionem expectare deberet.[2] Cfr. dicta n. 1282. 5°.

ARTICULUS IV.

DE MODO EUCHARISTIAM INFIRMIS MINISTRANDI.

1298. SEQUENTIA STATUIT RITUALE ROMANUM. — I. Præmoneat Parochus, ut ægri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in qua Sanctissimum Sacramentum decenter deponatur. Parentur luminaria, duo vascula, alterum cum vino tradendo post Communionem infirmo, ut facilius sanctam Hostiam deglutiat, alterum cum aqua ad abluendos sacerdotis digitos; præterea linteum mundum ante pectus communicandi reponendum. Sæpe additur vas aquæ benedictæ, quoties cum Sanctissimo Sacramento deferri non solet. Sæpe etiam vinum non adhibetur.

II. Eucharistia deferri debet ab Ecclesia ad privatas domos ægrotantium, decenti habitu, superposito mundo velamine, *manifeste*, atque *honorifice*, cum omni reverentia, semper lumine, et tintinnabulo jugiter agitato præcedente. Sacerdos autem indutus superpelliceo et stola, impositoque prius ab utroque humero oblongo velo decenti, utraque manu accipiat vas cum Sanctissimo Sacramento ante pectus gerendum, et deinde baldachinum, seu umbellam subeat, si haberi possit, et nudo capite procedat. Eundo autem dicit *Miserere* et alios Psalmos, et redeundo *Laudate Dominum de cœlis*, et alios Psalmos et Hymnos, sed hæc de consilio tantum.

III. Sacerdos, cum in domum infirmi advenerit, dicat: *Pax huic domui*, Resp.: *Et omnibus habitantibus in ea.* Tunc depositum super mensam SS. Sacramentum adorat; aspergit aqua benedicta infirmum et cubiculum, dicens: *Asperges me*, etc., et alias orationes in *Rit. Rom.* positas. Postea, interrogato et adhortato infirmo, SS. Eucharistiam de more porrigit. Sed si agatur de Viatico, non dicit: *Corpus Domini*, etc.: sed: *Accipe, frater, viaticum Corporis Domini N. I. C.*, etc., ut in *Rituali*.

IV. Imminente morte, pleræque preces, vel etiam omnes omittuntur. Sacerdos, ablutis digitis, perfectisque orationibus, si remaneant particulæ, benedicit infirmum cum ciborio, nihil dicens. Ex *Rit. Rom.* ablutiones debent infirmo dari, qui si nolit aut nequeat eas sumere, in domo ipsa infirmi in ignem projiciantur, aut, quod magis decet, in Sacrarium Ecclesiæ. — Sacerdos redux ad Ecclesiam, ciborio super altare posito, recitat vers. et orationem de SS. Sacramento, et cum Sacramento facit Signum Crucis super populum, nihil dicens.

1299. QUÆSITA. — Quær. 1° *An Eucharistia possit deferri infirmis nocte?*

Resp. Neg. Hoc enim expresse prohibetur, excepto necessitatis casu. Sic enim Rit. Rom. "Noctu autem hoc Sacramentum deferri non debet, nisi necessitas urgeat." Urgente vero necessitate deferendum est qualibet hora noctis; sed sine strepitu et campanulæ sonitu. Citata autem verba Ritualis non spectant ad Communitates, quæ SS. Eucharistiam in domestico Sacello asservant, quia irreverentiæ periculum, propter quod lex lata est, tunc abest.

Quær. 2° *An Eucharistia deferri possit infirmis secreto?*

[1] n. 508.
[2] L. VI. 217.

Resp. Neg. generatim loquendo. Constat ex *Rit. Romano*, ubi dicitur: "Deferri debet hoc Sanctum Sacramentum manifeste atque honorifice." Excipiuntur tamen quædam circumstantiæ, v. g. loca hæreticorum, ubi *manifeste* deferri nequit. Item aliquando etiam *in locis Catholicorum*, si aliter ægroto *Sanctum Viaticum* (non vero Communio ex devotione[1]) deferri absque incommodo quopiam non possit, puta quia cognati impii absolute nolunt aliquam cæremoniam religiosam in ipsorum domo celebrari, licet tolerent, ut sacerdos ad ægrotum accedat. Id tamen absque licentia Episcopi, ubi consuli possit, fieri non debet.

Quær. 3° *An sacerdos, urgente necessitate, possit Viaticum ministrare sine ulla veste sacra?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia non est præsumendum, Ecclesiam, quæ mater tam benigna est, voluisse, ut in administratione Viatici ritus illi cum moribundorum detrimento serventur. Sacramenta enim primario ad animarum salutem instituta sunt.[2]

Quær. 4° *An, urgente necessitate, in deferendo Viatico liceat currere?*

Resp. Affirm., probabiliter. Ratio est, quia urgens necessitas deferendi Viaticum moribundo, excusare potest a majori decentia in incessu.[3]

Quær. 5° *An liceat tempore pestis porrigere Eucharistiam medio aliquo instrumento, puta in cochleari, in patena, vel in alio vase mundo?*

Resp. Affirm. non improbabiliter, quia tanta necessitas a consueto Ecclesiæ ritu excusare videtur.[4]

Quær. 6° *An liceat deferre Eucharistiam cum capite cooperto in itinere?*

Resp. Neg., ob reverentiam Sacramento debitam, excepto tamen singulari casu necessitatis — infirmitatis *brevis*, non vero diuturnæ, — et dummodo alius sacerdos haberi nequeat. — Item si legitima consuetudo ob gravissimam causam, v. g. ob aerem excessive frigidum, alicubi vigeat. Idcirco in delatione SS. Sacramenti ad infirmos, sive de die ea fiat, sive de nocte, neque alicujus infirmitatis neque alio prætextu birretum seu etiam parvus pileolus adhiberi potest.[1]

Quapropter sacerdos, rheumate vel alia infirmitate laborans, debet abstinere a deferendo SS. Sacramento, vel id muneris alteri committere, vel aperto capite nihilominus incedere, nisi usus pileoli ipsi indultus fuerit.[2] Usus tamen pileoli non adeo difficile conceditur in itinere, difficilius intra civitatem vel oppidum. Juxta plures Episcopus concedere potest licentiam deferendi pileolum in itinere; sed facultas pileolo utendi per civitatem vel oppidum, est juris Apostolici.[3] S. Sedes dispensationem ab illa lege concessit pro diœcesi Coloniensi, tempestate præsertim hiemali. Die 3 nov. 1862. — S. Alph. hæc habet: "Probabiliter dicit Pasqual, posse Episcopum dispensare ut Viaticum deferatur cum pileolo in capite, cum longe et per villas progrediendum est."[4]

Quær. 7° *An sacerdos deferre possit S. Eucharistiam insidens equo?*

Resp. Affirm., si deferenda sit ad infirmum longe distantem, vel per iter arduum, aut si periculum sit in mora. Sed equus debet esse mansuetus, ita ut absit periculum lapsus et irreverentiæ. Nunquam autem licet pyxidem dare portandam laico, quantumvis sacerdos sit fatigatus; sed tunc in bursa collo suspensa illam gestare debet. Constat ex *Rit. Rom. de Eucharistia*, necnon ex decisione S. C. R. Et in antecessum, "ut Viaticum, ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem, a Parocho deferri possit equitando," S. R. C.[5] "indulget," de consensu tamen Episcopi.[6]

Quær. 8° *An pluries deferri possit Eucharistia infirmis non jejunis, seu per modum Viatici?*

Resp. Affirm., et non solum, si recurrat novum mortis periculum, sed etiam si idem perduret. — Ita *communis* et *vera* sententia, ait S. Alph.[7] Confirmatur auctoritate Bened. XIV. qui, in opere: *de Syn.*[8]

1 L. VI. 241.
2 Ib.
3 Ib. 242.
4 Ib. 244.

1 S. C. R. 5 mart. 1635. 13 aug. 1695. 23 jan. 1700. ad 1.
2 S. C. R. 23 maii 1846.
3 De Herdt. T. 1. n. 161. 2°.
4 H. A. Tr. XV. 12.
5 23 jan. 1740. in Laudensi.
6 L. VI. 243.
7 Ib. 285.
8 L. VII. c. XII.

testatur nullum Theologum alicujus nominis hanc sententiam negare; et addit,[1] "Episcopus insinuet Parochis, posse et debere Viaticum in eadem infirmitate iterum ac tertio administrari, præsertim si ægrotus exposcit; et, si velit, pœnam decernat in Parochos qui ægrotis devote postulantibus iterum et tertio Eucharistiam deferre detrectant, falsis prætextibus." Communio autem in hoc casu, juxta Scavini,[2] danda est formulâ solitâ: *Corpus Domini N. J. C. custodiat*, etc. "Item in hoc casu," ait de Herdt,[3] "*Misereatur* et *Indulgentiam* dicuntur in plurali, *vestri, vestrorum.*"

Quær. 9° *An Eucharistia frequenter deferri possit decumbentibus ?*

Resp. Affirm., per se. Hoc tamen a circumstantiis pendet, scilicet a particularibus eorum dispositionibus. Imo *non improbabiliter* "infirmus assuetus sæpius ex devotione communicare," poterit "altero jam die statim post Viaticum . . . suscipere Communionem non jejunus. Idque in singulis diebus admittunt Pal. et Arm. ac Dic. apud Croix, et probabile putat Tamb."[4] Parochus debet, quantum in ipso est, infirmos ad frequentem Communionem adhortari. — Gousset.[5]

Quær. 10° *Quid agendum sacerdoti, si ad infirmum cum SS. Sacramento adveniens, ejusque Confessionem excipiens, eum indispositum invenerit ?*

Resp. Imprimis satagere debet confessarius, prouti melius poterit, pœnitentem ad meliorem frugem adducere. Si res non succedat, et v. g. infirmus, aut occasionem proximam peccati abrumpere, aut restitutionem gravem et certo debitam non promittat, absolvi sane non potest. Quid autem de Communione? Inducendus enixe est pœnitens, ut, peracta Confessione, declaret publice, se nolle adhuc S. Eucharistiam suscipere. Quod si hanc declarationem præstet, jam evanescit difficultas; patet enim Eucharistiam ei ministrandam non esse. Si vero id declarare deneget, atque communicare velit, Eucharistia eidem, licet indisposito, ministranda est, ad servandum nempe intactum Confessionis sigillum. Gousset,[6] *et alii.*

[1] L. VII. 5. [2] T. III. 116.
[3] T. III. n. 188. [4] L. VI. 285.
[5] n. 235. [6] n. 237.

ARTICULUS V.

DE MODO S. EUCHARISTIAM ASSERVANDI.

1300. — I. "Consuetudinem antiquissimam," ait Conc. Pl. Balt. II.,[1] "asservandi in ecclesiis Sacram Eucharistiam, ut omnino salutarem et necessariam retinendam esse decrevit Concilium Tridentinum.[2] Conservari debet in ecclesia Cathedrali, et in quavis ecclesia parochiali ut ad infirmos, data occasione, deferri possit. In aliis vero pluribus vel ecclesiis vel sacellis conservari potest vel ex lege," ut in ecclesiis Regularium stricte dictorum, ac eorum, qui cum iis in privilegiis communicant, necnon Monialium, quæ vota solemnia emittunt et in clausura vivunt, "vel ex Pontificio indulto," ut in sacellis cæterarum communitatum religiosarum apud nos. Conc. Plen. Balt. II.[3] "Qua in re Ordinarios hortamur ut curent, uti nonnisi debita præhabita licentia hoc maximo privilegio quævis ædes sacra utatur."

II. "Sanctissimum Sacramentum asservandum est uno tantum in loco cujuscumque ecclesiæ, in qua custodiri potest, solet, aut debet."[4] Custodiendum vero est super corporali in tabernaculo decenter ornato, clavi obserato,[5] quæ clavis semper a sacerdote, qui ecclesiæ vel sacelli curam gerit, custodiri debet.[6] "Tabernaculum conopæo decenter opertum," vult Rituale Romanum.[7] Consuetudinem illi "superimponendi Sacras Reliquias (etiam Sanctissimæ Crucis, vel Instrumenta Dominicæ Passionis), pictasque imagines, ita ut tabernaculum pro basi inserviat," dum in eo servatur Sanctissimum, improbavit S. Rituum Congregatio,[8] neque posse "vasa florum, vel quid simile ante ostiolum retineri,"[9] edixit. "Tabernaculum regulariter debet esse ligneum, extra deauratum, intus vero aliquo panno serico decenter contectum."[10] In eo servetur Sacra Eucharistia in pyxide, seu ciborio, "ex solida decenti-

[1] a. 265. sq. [2] Sess. 13. c. 6.
[3] p. 326. XXIII. [4] S. C. Ep. 13 oct. 1620.
[5] Rit. Rom. de Euch.
[6] Vide Indulta Pontificia, passim.
[7] De Sacr. Euch.
[8] S. R. C. 31 mar. 1821, et maii. 1836.
[9] 22 jan. 1701.
[10] S. Cong. Episc. 26 oct. 1575.

que materia; et suo operculo bene clausa, albo velo cooperta."[1] "Vasa SS. Oleorum, Reliquias, vel aliud,[2] in eo reponere non licet. Abusus vero, qui alicubi irrepsit, habitandi vel dormiendi in ea parte domus religiosæ, quæ supra altare est sita, non amplius tolerandus, sed prorsus eliminandus est."[3]

III. "Coram Sanctissimo lampas semper accensa habeatur, ex oleo olivarum nutrita, vel saltem "ex aliis oleis *quantum fieri possit*" (ergo nec petroleum, *urgente necessitate*, excluditur; certo autem *Gaz Carbonicum;* quia, ubi hoc haberi *potest*, haberi poterit et oleum) "vegetabilibus";[4] nec citra veram necessitatem privilegio" (p. LXXII. n. 24) "utendum, si quod fuerit concessum, illud sine lumine retinendi."

IV. "Rituale Romanum jubet particulas Sanctissimæ Eucharistiæ frequenter renovari; et Cæremoniale Episcoporum id semel saltem in hebdomada faciendum præcipit.[5] Hanc regulam, quam S. Rituum Congregatio nedum sæpius confirmavit,[6] verum "stricte et rigorose obligare"[7] declaravit, sacerdotibus omnibus fideliter servandam serio inculcamus. "Ubi sacerdos novas consecraverit hostias, veteres primo distribuat, vel sumat,"[8] minime vero in tabernaculo servet. Curet insuper, ut particulæ consecrandæ recentes sint."

V. "Solemnis Sanctissimi Sacramenti Expositio et Benedictio," decernunt Patres Conc. Pl. Balt. II.,[9] "consueto ritu stricte observato, in omnibus nostræ ditionis ecclesiis et in sacellis monasteriorum et communitatum religiosarum, saltem quandocumque debita cum solemnitate fieri poterit, singulis totius anni Dominicis diebus, festisque de præcepto, vel festis etiam primæ et secundæ classis non de præcepto, semel tantum in die, dari possit. Per Octavam verò Corporis Domini licebit eam solemniter fieri tum in Missa solemni, tum in Vesperis, Benedictione iterato data. Licebit insuper solemnem Benedictionem dare bis in hebdomade tempore Quadragesimali, singulis pariter diebus Sacrarum Missionum tempore, in festo Sanctissimi Cordis Jesu, et ubicumque fit devotio Quadraginta Horarum; et in aliis diebus ab Ordinario designatis. Quod si Ordini alicui religioso vel Societati Sancta Sedes aliquid amplius indulserit, illud omnino incolume esse volumus. Extra autem hujusmodi privilegium, de quo certum Ordinario exhibeatur documentum, nolumus Benedictionem dari vel Expositionem fieri, nisi, prout supra, venia Ordinarii expressa, salvis etiam in omnibus S. Congreg. Rituum hac in re decretis."

1301. QUÆSITA. — Quær. 1° *An graviter peccet qui negligit asservare lumen coram Sanctissimo Sacramento?*

Resp. Affirm., per se, si tempus sit notabile. — Ita *communiter* Theologi cum S. Alph.[1] Imo plures Auctores dicunt, *notabile* tempus esse, *si integro die id fiat.* Sic Busemb., cujus verba refert et implicite approbat S. Alph.[2]

Quær. 2° *Quid faciendum de fragmentis Hostiarum, quæ reperiantur?*

Resp. 1° Si sacerdos inveniat fragmenta sui præsentis Sacrificii, ea sumere debet, etiam post ablutiones, sive sint parva, sive magna, quia ad idem Sacrificium spectant. Sic ex Rubrica Missalis.[3] Hoc autem servandum est, non solum immediate post Missam, sed etiam si sacerdos sit in sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris. — Ita *communiter* S. Alph.,[4] post Bened. XIV. *de Sacrificio Missæ*.[5]

Si vero sacerdos jam sit exutus vestibus sacris, fragmenta reponere debet in tabernaculo, si adsit, vel reservare alteri sacerdoti eodem mane celebraturo. Si neutrum fieri possit, ipse ea sumat.[6]

Resp. 2° Si autem reliquiæ fuerint in alia Missa consecratæ, non sunt sumendæ post ablutiones, sed in loco decenti reponi debent. Ratio est, quia Rubrica sacerdoti

[1] Rit. Rom. de Sacr. Euch. S. C. Episc. 26 jul. 1588, hoc decretum edidit: "SS. Sacramentum teneri non debet in vasculis eburneis, sed in pyxide argentea intus deaurata."
[2] S. Cong. Episc. 3 maii. 1693.
[3] S. R. C. 11 maii. 1641, 26 apr. 1834, 12 mart. 1836.
[4] S. R. C. 9 jul. 1864.
[5] Lib. I. Cap. 6, § 2.
[6] 5 apr. 1573, 3 sept. 1672, 16 dec. 1826.
[7] 7 sept. 1850.
[8] S. R. C. 3 sept. 1672. Rit. Rom.
[9] a. 375.

[1] L. VI. 248.
[2] Ib.
[3] Tit. 7. n. 2.
[4] L. VI. 251.
[5] L. III. c. XVII. n. 2. sq.
[6] L. VI. 251.

non jejuno permittit tantum sumere illas reliquias, quæ ad *idem Sacrificium spectant*. Si tamen hoc fieri non possit, et adsit grave periculum irreverentiæ, tunc eas sacerdos absumat. — Ita *communiter*.[1]

Resp. 3° Si laicus fragmenta inveniat, moneat quamprimum sacerdotem, si quis prope sit, vel eum accersat, si inveniri queat. Sacerdos autem fragmentum reverenter colligens, reponet in ciborio, vel in loco decenti et tuto, si tabernaculum desit, ut in proxima Missa sumi queat. Si autem sacerdos non possit haberi, colligatur reverenter fragmentum ab ipso laico in charta vel linteolo mundo, mediante spinula, et reponatur intra corporale, aut in vase decenti, donec sacerdos advenerit.

Quær. 3° *Quid agendum, si inveniatur in altari, vel alibi, Hostia certo vel dubie consecrata?*

Resp. 1° Si Hostia credatur *certo* consecrata, et aliunde videatur munda et recenter consecrata, reponenda est cum aliis in ciborio. Potest etiam sumi a celebrante ante ablutiones. Si autem non sit munda, vel si extracta a loco non mundo fuerit, aut non sit recenter consecrata; non est immiscenda cum aliis, sed celebrans eam sumere poterit ante ablutionem; quod si nimiam repugnantiam experiatur, Hostiam seorsim in tabernaculo reponet in vase mundo, donec corrumpatur, et corrupta in sacrarium dejiciatur. Sic ex *Rubrica Missalis*.[2]

Resp. 2° Si *dubie* sit consecrata, sumenda est a sacerdote in Missa post ablutionem, sed ante purificationem, quia reliquiæ Sanguinis sunt *certe* Sacramentum, sed hostia illa *dubie*;[3] quod si nimiam nauseam ipsi provocet, reponenda est in tabernaculo, seorsim, donec corrupta fuerit, ut modo dictum est.

Quær. 4° *Quid faciendum, si infirmus sacras species rejecerit?*

Resp. 1° Si appareant, debent sedulo in vase mundo colligi, in Ecclesiam deferri, et in loco tuto et bene clauso servari, donec sint omnino corruptæ, ita ut in sacrarium sine irreverentia projici possint.

Resp. 2° Si non possint discerni, utpote sordibus omnino permixtæ, os quidem infirmi detergendum est; quidquid vero fuerit rejectum, stuppis colligatur; deinde, combustis stuppis, cineres in sacrarium sunt projiciendi. Reuter,[1] Gousset.[2]

Quær. 5° *Quomodo renovandum sit ciborium?*

Resp. Renovatio ciborii facienda est in ipso Missæ Sacrificio. Celebrans, sumpto pretiosissimo Sanguine, antiquas Hostias sumet, licet multæ sint; potest autem 20 aut 30 Hostias sic consumere, juxta Elbel.;[3] imo 50 vel 60, juxta Lacroix.[4] Raro autem eveniet, ut plures sint, quia consecrari non debet, nisi quantum sufficiens esse videatur. Si autem aliquando multo major quantitas Hostiarum absumenda foret, sacerdos eas in pluribus Missis divisim, aut etiam plures sacerdotes successive celebrantes, sumere possunt.

Particulas autem minutiores in ciborio repertas conjiciet sacerdos in calicem, easque, superinfuso vino, sumet, et novas Hostias in ciborio omnino vacuo deponet. Potest etiam vinum in ciborium infundere ad minimas particulas colligendas. Vinum tamen non erit e ciborio bibendum, sed in calicem refundendum. — Lacroix.[5]

Si sacerdos ex inadvertentia sumpsisset prius ablutionem, adhuc posset purificare ciborium, et sumere reliquias, eo quod pro sumptione moraliter una reputatur.— Ita Lacroix,[6] Elbel,[7] Tambur., *de Communione*.[8]

Particulæ consecrandæ debent esse recentes. Incuria Parochorum et aliorum hac in re grave peccatum constituere potest. — Gardellini. — Consuetudo consecrandi Hostias a tribus in hieme, vel sex mensibus in æstate, confectas, est ingens abusus omnino tollendus. Quod si hujusmodi abusum tolerare videatur Parochus, ejus Vicarii, aut alii sacerdotes, istis Hostiis uti nequeunt. — S. Congr. Rit.[9]

[1] L. VI. 251.
[2] Tit. 7. n. 3.
[3] L. VI. 217.
[1] n. 167.
[2] n. 232.
[3] n. 77.
[4] n. 501.
[5] n. 502.
[6] Ib.
[7] n. 77.
[8] c. 2. n. 35.
[9] 16 dec. 1826.

APPENDICULA.

DE MODO QUO EUCHARISTIA IN HIS PROVINCIIS INFIRMIS MINISTRANDA SIT, DEQUE RATIONE EAM ASSERVANDI.

Inter facultates FORM. I., quæ sacerdotibus nostris ab Episcopis communicari solent, 24ª (p. LXXII.) audit: "Deferendi SS. Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii."

Ne in hujus facultatis usu abusus irrepant aut etiam perseverent, hæc quæ sequuntur a sacerdotibus probe sunt notanda.

A. *Quoad modum Eucharistiam ministrandi infirmis.*

1302. — 1° Facultas datur pro casu, quo "*ab hæreticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii.*" — Periculum hoc vix non ubique apud nos adesse dicendum est. Sunt tamen in hac etiam regione ruri loca quædam omnino Catholica, in quibus, dum ægrotus non longe ab ecclesiis distat, periculum illud nullo modo timendum est; quo casu Eucharistia modo ab Ecclesia præscripto deferenda erit.[1] Non obscure illud innuunt Litteræ Encyclicæ S. C. de P. F. die 25 febr. 1859 ad Episcopos nostros datæ, in quibus inter alia hæc leguntur: "Voluit insuper S. C., ut singuli Antistites excitarentur, quemadmodum præsentium tenore excitantur, ad communem Ecclesiæ disciplinam hac in re custodiendam, quantum *temporis* ac *locorum adjuncta*, necnon *inductarum consuetudinum ratio* patiantur."[2]

2° "Dum Sanctissimum deferunt, vana et inutilia evitent colloquia; piæ potius contemplationi vel precibus dent operam."[3] Consentanee huic Concilii Plen. monito pastores populum identidem docebunt, quid in domo ægroti præparandum sit, et ut, dum sacerdoti Eucharistiam ad ægrotum deferenti comites sunt, ab omni inutili colloquio abstineant. "Sed in itinere," ait Kenrick,[4] "longinquo, quod plures dies exigit" (quod tamen hodie rarius necessarium est quam olim), "et ubi occurrunt obvii quipiam, a colloquio abstineri nequit; quamvis parce cauteque et cum utilitate audientium sermo sit habendus. Graviter enim peccat qui, tantum Sacramentum deferens, colloquia inania miscet."

3° "Delatio Sanctissimi Sacramenti ad *urgentes* tantum causas, atque ad *actuale* ministerii sacerdotalis exercitium coarctetur."[1] Quænam vero sit urgens causa ex loci, temporis, aliisque adjunctis erit dijudicandum.[2] Certum interim est SS^um^ Sacramentum a mane usque ad vesperam secum deferre sacerdoti non licere ea *tantum* de causa, quod in aliquem forte ægrotum incidere *posset*.[3]

4° Injungitur "presbyteris stricta obligatio semper in hisce casibus Sanctam Hostiam super pectus deferendi."[4] "Nunquam, nisi in extrema necessitate vel ipsam Hostiam, vel vas sacrum, in quo servatur, stola saltem non induti attrectent. Cum in ecclesia Sanctissimum e tabernaculo extrahunt, semper superpelliceo et stola sint induti. Infirmis Sacram Eucharistiam ministrantes, præscripta *Ritualis Romani, in quantum rerum circumstantiæ sinunt*, diligentissime servent."[5]

5° Quod supra n. 1299. q. 4° et 7° dictum est de sacerdote equitando vel currendo Eucharistiam deferente, leviori de causa licebit Missionariis eam private et occulte deferentibus.[6]

B. *De modo S. Eucharistiam asservandi.*

1303. — In ecclesiis ruralibus, apud quas nullus sacerdos residet, S. Eucharistiam asservare non licet, et a sacerdote, antequam abeat, consumenda est. Idem resolve de sacerdote unico apud ecclesiam residente, sed ultra octiduum (post quod nimirum sacræ species renovandæ sunt) abeunte, vel non ita prope apud eam residente, ut in casu incendii SS. Sacramentum tempestive auferre ex ea possit, aliasve irreverentias præcavere.[7]

[1] Cfr. Past.-Blatt. für Nord America. V. Jahrg. 39.
[2] Conc. Pl. Balt. II. p. 297
[3] Ib. a. 264. [4] Tr. XVII. n. 26.

[1] Ex. Litt. Encycl. cit. Conc. Pl. Balt. II. p. 298.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 264.
[3] Ex iisd. Litt. ib. p. 297.
[4] Ib. p. 298.
[5] Conc. Pl. Balt. a. 264.
[6] Kenr. Tr. XVII. n. 27.
[7] Past.-Blatt. für N. Amer. V. Jahrg. 49.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO EUCHARISTIÆ.

Solus homo baptizatus Eucharistiam sacramentaliter recipere potest; quia solus baptizatus est capax Sacramentorum. Hinc infidelis Eucharistiam recipiens, vere quidem, sed *materialiter* tantum, non vero *sacramentaliter* eam reciperet. Homo autem baptizatus, sed *indispositus*, sumit quidem *sacramentaliter*, sed non *spirituaiiter*, i. e. recipit, sed sine fructu. Baptizatus vero *dispositus* tum *sacramentaliter*, tum *spiritualiter*, seu cum fructu sumit. — Trid.[1]

Agendum 1° de obligatione Eucharistiam sumendi; 2° de dispositione ad eam digne recipiendam requisita.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE SUSCIPIENDI EUCHARISTIAM.

1304. PRINCIPIA. — I. Sumptio *realis* Eucharistiæ neque pueris, neque adultis est necessaria necessitate medii ad salutem. Constat 1° ex praxi universali Ecclesiæ, quæ Communionem neque parvulis præbet, neque adultis infirmitate impeditis, v. g. ad vomitum proclivibus, phreneticis, etc.; 2° ex definitione Ecclesiæ saltem quoad parvulos. Trid.[2]

II. Sumptio Eucharistiæ necessaria est necessitate *præcepti divini*. Eruitur ex verbis Christi: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*.[3] Utrum vero, et qua necessitate *medii* necessaria sit, vide supra n. 1207. III. 1°.

III. Sumptio Eucharistiæ necessaria est etiam ex præcepto *Ecclesiæ*. Probatur ex Concilio Lateranensi IV.,[4] ubi dicitur: "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, . . . suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte, de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ab ejusmodi susceptione duxerit abstinendum." Constat etiam ex Trid.[1]

IV. Sumptio Eucharistiæ non est necessaria sub utraque specie, nisi pro solis sacerdotibus in actu celebrationis Missæ. Probatur ex Trid.[2] Constat etiam ex universali Ecclesiæ praxi, licet prioribus sæculis diversa fuerit.

1305. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quonam tempore urgeat præceptum divinum communicandi?*

Resp. 1° Obligat *per se* in articulo vel periculo proximo mortis, et quidem sub gravi. Ratio est, quia Eucharistia instituta est ut viaticum confortans adversus hostes salutis.[3]

Resp. 2° Obligat *per se* etiam sæpius in vita. Constat ex eo, quod Eucharistia instituta sit per modum cibi spiritualis, quo anima nutriatur et confortetur; cibus autem sæpius sumendus est. Eruitur etiam ex Scriptura Sacra supra citata, necnon ex Conciliis modo allatis. Christus tamen quoties ad hoc Sacramentum accedendum sit, non determinavit, sed Ecclesiæ suæ id statuendum reliquit. Ecclesia autem Communionem annuam tempore Paschali statuit. Unde per Communionem semel in anno eo tempore sumptam præcepto divino simul et ecclesiastico satisfit.[4]

Resp. 3° Obligat hoc præceptum *per accidens* aliquando, et forte etiam sæpius in anno, si Eucharistia necessaria sit ad superandam aliquam gravem tentationem. Hoc tamen, ait Suarez, rarissime evenit, cum ad hoc sufficere possint alia media, orationes, pœnitentiæ, etc. Qui vero eo casu Communionem negligeret, non contra *istius præceptum*, sed contra *virtutem*, adversus quam tentatur, peccaret.[5]

Quær. 2° *An teneatur quis suscipere sacrum Viaticum, instante mortis periculo, si paucis ante diebus ex devotione communicaverit?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia hoc præceptum, ex interpretatione Ecclesiæ, urget in periculo mortis, ut contra hostes spirituales hoc divino præsidio muniamur. Ergo non impletur per Communionem ante morbum factam; quia, licet quis opus præscriptum impleverit,

[1] Sess. 13. c. 8.
[2] Sess. 21. Can. 4.
[3] Joan. 6. 54. L. VI. 295.
[4] L. V. Decr. T. XXXVIII. c. 12.

[1] Sess. 13. Can. 9.
[2] Sess. 21. Can. 1.
[3] L. VI. 295.
[4] L. VI. 295.
[5] Ib.

non tamen implevit tempore, quo tenebatur.

Negant tamen *plures* cum Lugo.[1] Ratio horum est, quia præceptum Communionis in substantia jam adimpletum est. — S. Alph. dicit hanc sententiam esse *satis probabilem*, saltem si periculum mortis naturaliter accidat, quia per breve illud tempus antecedens jam moraliter cœpit imminere, quamvis fuerit ignoratum.[2]

Quær. 3° *An qui mane communicavit ex devotione, teneatur aut possit, urgente periculo mortis, Viaticum sumere?*

Resp. Quadruplex est sententia.

I^a *affirmat* teneri, quia tunc suscipiendum est Viaticum ad adimplendum præceptum divinum, quod, cum nondum urgeret, quo tempore sumpta est Communio, impleri idcirco per eam sumptionem non potuit.

II^a dicit non teneri, sed *posse* communicare: 1° quidem *non teneri;* quia tempus, quo communicavit, est moraliter idem, cum sit eadem dies; 2° *posse;* quia licet rigorose non videatur teneri, non ideo tamen prohibetur; quippe favores sunt ampliandi.

III^a contendit *nec teneri, nec posse* communicare. Ratio est, quia præceptum obligat ex intentione Ecclesiæ, et praxis Ecclesiæ est, ut nemo bis in die communicet; nec adest ratio, cur casus iste sit excipiendus.

IV^a, quæ S° Alph° *probabilior* videtur, distinguit inter morbum *naturalem*, qualis etiam reputatur apoplexia repentina, et *violentum*, puta ex vulnere, vel si quis ex alto ceciderit. In posteriori casu *tenetur* communicare, quia revera non accepit Viaticum in mortis articulo constitutus.[3]

Quær. 4° *An possit dari Eucharistia ægro, qui tussi laborat?*

Resp. Affirm., quia periculum, ne sacræ species simul cum phlegmatibus rejiciantur, plerumque abest. Et ratio est, quia via, per quam sputa tussiendo expelluntur, non est œsophagus, i. e. via, per quam cibus ac potus in stomachum trajicitur, sed est arteria aspera, per quam respiratio ad pulmones usque se protendit. Si tamen tussis adeo sit assidua, ut impediat quominus hostia possit in stomachum transmitti, tunc a Communione erit abstinendum. — Ita *Rit. Rom.* — S. Alph.[1]

Quando vero æger jugi vomitu laborat, communicare nequit, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu fuerit. In dubio autem, an infirmus sit sacram particulam revomiturus, ei dari non debet.[2]

Quær. 5° *An in periculo mortis Communio tribuenda sit pueris, qui nondum ad sacram Synaxim admissi sunt?*

Resp. 1° *Neg.*, si usum rationis nondum adepti fuerint. Ratio est, quia hoc est contra præsentem Ecclesiæ disciplinam.

Resp. 2° *Affirm.* quoad pueros, qui sunt rationis compotes. Imo non solum Communio dari eis potest, sed etiam debet. Ratio est, quia hinc quidem pueri in tali periculo constituti tenentur ex præcepto divino communicare, etsi præceptum Communionis Paschalis ipsos nondum obligaret; inde vero utilitas Eucharistiæ tunc majorem dispositionem non exposcit. Graviter igitur errant Parochi, qui Viaticum hujusmodi pueris administrare nolunt.[3]

Quær. 6° *An* NUPER *ad fidem conversis dandum sit Viaticum?*

Resp. Affirm., "si fidem, qua Baptismus iis ministrari valeat, habeant, una cum aliquali notitia," Eucharistiæ; . . . secus, si Baptismus eis haud satis edoctis, vel dubie dispositis, ministretur, ut, quatenus fieri possit, iis consulatur.[4]

Quær. 7° *An Communio in periculo mortis danda sit amentibus, semifatuis, delirantibus et sensibus destitutis?*

Resp. 1° *Quoad amentes:* 1) Si fuerint perpetuo amentes, nunquam Communio eis danda est. Sic ex *Rit. Rom. de Euch.* — 2) Si lucida intervalla sæpius habeant, et desiderium communicandi manifestaverint, Communio eis dari poterit; imo et debebit, secluso irreverentiæ periculo.[5]

Resp. 2° *Quoad semifatuos:* ipsis danda est Communio, quando sufficientem ha-

[1] D. 16. n. 39. sq.
[2] L. VI. 285. Dub. 2.
[3] L. VI. 285. Dub. 3. Quæst. Retr. 66.

[1] L. VI. 292.
[2] Ib.
[3] L. VI. 301. Dub. 2. et Conc. Pl. Balt. II. a. 261.
[4] Kenr. Tr. XVII. 41.
[5] S. Th. P. III. q. 80. a. 9. Catechism. Conc. Trid. S. Alph. L. VI. 302.

bent discretionem, ut cœlestem hunc cibum ab aliis distinguant; sed raro, scilicet tantum in articulo mortis, et ubi urget strictum communicandi præceptum.[1]

Resp. 3° *Quoad delirantes:* ipsis Communio dari potest, si communicare valeant secluso irreverentiæ periculo. Optima autem praxis est, ut infirmo antecedenter detur particula non consecrata, et sic appareat, an decenter communicare possit.[2]

Resp. 4° *Quoad destitutos sensibus:* ipsi sane non peccant, dum Communionem non recipiunt, cum nullius legis observandæ sint capaces. Sed non ideo dispensatur Pastor ab obligatione Eucharistiam ipsis ministrandi, si ante rationis amissionem dispositi fuerint. Sacramenta enim *ex opere operato* in eis operantur, qui cupierunt ea recipere, antequam usum rationis amitterent. Excipe tamen, si adsit periculum irreverentiæ, aut si timeatur, ne Hostiam deglutire non valeant. — Ita *communiter.* — Gousset.[3]

Quær. 8° *An Communio danda sit surdis-mutis, obsessis, et epilepticis?*

Resp. 1° *Quoad surdos-mutos: Affirm.*, si ex signis constet, eos discretionem habere, et esse sufficienter instructos. Si vero non qualicumque, sed sufficienti aliqua discretione gaudeant, *sæpius* communicare poterunt.[4]

Resp. 2° *Quoad obsessos*, distinguendum est: neganda est ipsis Communio, quando non sunt suî compotes; secus concedenda est. Imo expedit, ut tales sæpius juxta prudentiam confessarii communicent, cum Eucharistia sit speciale remedium ad dæmones arcendos.[5]

Resp. 3° *Quoad epilepticos:* Communio eis dari non potest, quando versantur in *paroxismo* actuali, ob proximum irreverentiæ periculum; cæteris autem temporibus non est deneganda.[6]

Nota. — Surdis-mutis et simul cæcis a nativitate Communio deneganda est.[7]

Quær. 9° *An dari possit Communio capite damnatis?*

Resp. Affirm. Docet quidem Benedictus XIV., "eam consuetudinem sequendam esse, quæ in unoquoque loco respective esse dignoscitur";[1] sed "magis conformem pietati christianæ" vocat usum SS. Eucharistiam illis ministrandi, et S. Pii V. testimonium hac de re profert. Et quidem non jejuno danda est, si commode aliter fieri non possit, quod in ejusmodi circumstantiis sæpe contingit;[2] administratur enim per modum Viatici, ut liquet ex Resp. S. C. particularis de P. F. pro rebus Sinensibus 5 julii, 1841.[3]

[1] L. VI. 303.
[2] Ib. 302.
[3] n. 232.
[4] L. VI. 303.
[5] L. VI. 303.
[6] Ib.
[7] Ib.

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONIBUS REQUISITIS IN SUBJECTO EUCHARISTIÆ 1° QUOAD ANIMAM 2° QUOAD CORPUS.

§ I. *De dispositionibus animæ.*

1306. PRINCIPIA. — I. Ad recipiendum Eucharistiæ Sacramentum requiritur status gratiæ, saltem prudenter existimatus. Secus gravissimum committitur sacrilegium. Ratio patet ex rei natura, necnon ex verbis Apostoli:[4] *Probet autem seipsum homo, et sic de Pane illo edat, et de Calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

II. Non sufficit, ut status gratiæ acquiratur per contritionem perfectam, sed requiritur ut præmittatur Confessio peccatorum mortalium et absolutio Sacramentalis recipiatur, excepto necessitatis casu, nempe vel quando deest copia confessarii, nec potest omitti Communio absque gravi nota vel suspicione, vel quando a sacerdote celebrandum est, ut populus die festo Missæ intersit. — Trid.[5] Vide S. Alph.[6]

1307. — QUÆSITA. Quær. 1° *Quandonam confessarii copia deesse censeatur?*

Resp. Censetur deesse: 1° Si nullus confessarius sit præsens, et, spectatis circumstantiis debilitatis, ætatis, negotiorum, distantiæ, aeris, brevitatis temporis, etc., sine gravi difficultate adiri absens non possit.

[1] De Syn. L. VII. c. XI. n. 3.
[2] L. VI. 284. 1.
[3] Apud Gury. Ed. Rom. 1873. t. II. p. 184.
[4] 1 Cor. 11. 28. 29.
[5] Sess. 13. c. 7.
[6] L. VI. 256. sq.

2° Si alius confessarius non adsit, nisi ignarus idiomatis, vel carens jurisdictione, vel cui non possis confiteri sine gravi damno tuo vel alieno. Attamen in his casibus contritio perfecta requiritur. Non censetur autem deesse copia confessarii, si absit is, cui soles confiteri, sed debet deesse quilibet approbatus.[1]

Rarissime autem occurrit causa excusans a Confessione pro laicis. Facilius quidem adesse potest quoad sacerdotes; sed cavendum sane, ne, vano prætextu aut pudore et verecundia deterriti, chimæricam impossibilitatem sibi fingant.

Quær. 2° *Quænam requiratur distantia, ut sacerdos deesse censeatur?*

Resp. Non potest rigorose determinari, sed pendet a circumstantiis. Alii requirunt distantiam duarum leucarum; alii leucam unam cum dimidio vel quadrante; alii leucam unam tantum. Sed præter rationem itineris sæpe urgent aliæ rationes, v. g. infirmitas, vel temporis brevitas. Sic sacerdos *jamjam celebraturus* potest excusari a Confessione, etiamsi confessarius distet 50 tantum passibus.[2]

Quær. 3° *An qui recordatur peccati mortalis, quod ex inculpabili oblivione in Confessione non declaravit, teneatur illud ante Communionem confiteri?*

Resp. 1° *Neg. certo*, si pœnitens jam Sacræ Mensæ assideat, vel adsit causa gravis communicandi, et difficulter iterum confiteri possit. Ratio est, quia, etiamsi adesset præceptum Confessionis, non urgeret cum tanto incommodo. — Ita *omnes*.

Resp. 2° Si pœnitens possit sine incommodo confiteri vel Communionem omittere, *controvertitur: probabilius* neque confiteri tenetur, neque a Communione abstinere; quia peccatum involuntarie omissum certe est remissum, etsi indirecte tantum; ac proinde Communioni sumendæ nullatenus obstat. Nec dicas, urgere Trident. præceptum confitendi ante Communionem; pœnitens enim, cum jam fuerit rite confessus et justificatus per Sacramentum Pœnitentiæ, est sufficienter probatus, etiam juxta mentem Concilii Trident. — S. Alph.[3] et *alii* contra *alios*, qui communius et non *improbabiliter* oppositum tenuerunt. — S. Alph. *priori* sententiæ magis accedit, *secundam* tamen in praxi *suadendam* censet, modo causa aliqua aliud non suadeat.[1]

Quær. 4° *An sacerdos, qui celebravit, vel laicus, qui communicavit conscius peccati mortalis, absque Confessione, ob urgentem necessitatem,* QUAMPRIMUM *confiteri teneatur?*

Resp. 1° *Quoad sacerdotem affirm.* Sic enim expresse Tridentinum,[2] "Quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, *quamprimum* confiteatur."

Resp. 2° *Quoad laicum neg. probabilius.* Ratio est, quia Trident. loquitur tantum de sacerdotibus, ut ex textu patet. — Ita *communissime*, ait S. Alph.[3]

Quær. 5° *Quomodo intelligendum sit præceptum illud sacerdotibus impositum confitendi* QUAMPRIMUM?

Resp. Probabilius sufficit, si sacerdos intra triduum confiteatur; quia, cum hoc præceptum sit tantum ecclesiasticum, vox *quamprimum* intelligi moraliter potest, prout intelligitur in aliis legibus humanis, ubi illud verbum, aut aliud simile, ex communi interpretatione ad spatium trium dierum protenditur.[4] — Attamen sacerdos non potest iterum celebrare, antequam fuerit confessus: quia non fuit excusatus a Confessione nisi propter *instantem* necessitatem. Hinc, si urgeat eadem necessitas celebrandi die sequenti, et possit confiteri, Confessionem ad alium diem remittere nequit.

Quær. 6° *An teneatur confiteri* QUAMPRIMUM *sacerdos celebrans post Confessionem, in qua* INCULPABILITER *alicujus peccati mortalis oblitus est?*

Resp. 1° *Neg.*, si meminerit peccati post celebrationem; quia non celebravit conscius illius peccati, ut loquitur Trident. — Ita *communiter*.

Resp. 2° *Neg. Probabilius*, etiamsi meminerit peccati ante celebrationem; quia cum Confessionem præmiserit, licet alicujus peccati gravis fuerit oblitus, non potest tamen dici celebrasse conscius peccati mortalis sine prævia Confessione. Hanc sententiam probabilem dicit S.

[1] L. VI. 264. [2] Ib. [3] Ib. 257.

[1] H. A. Tr. XV. 23. [2] Sess. 13. c. 7. [3] L. VI. 268. [4] Ib. 266.

Alph.,[1] post Lacroix et alios *contra* Suarez, Lugo, etc.

Quær. 7° *An teneatur confiteri* QUAMPRIMUM *sacerdos celebrans* SACRILEGE, *non urgente necessitate, vel, si hæc urgeat, non deficiente copia confessarii?*

Resp. Neg. Ratio est, quia præceptum Trident. ordinatur tantum ad incutiendum metum iis, qui prætextu necessitatis Confessionem differunt, non vero celebrantibus *sacrilege*, quibus præceptum hujusmodi valde raro prodesset; qui enim, contempto præcepto divino, audent sacrilege celebrare, facilius sane præceptum Ecclesiæ contemnerent. — Ita *communissime et verius* S. Alph.[2]

Quær. 8° *An affectus ad aliquod peccatum veniale totum fructum Communionis impediat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia voluntas bene potest pios motus experiri erga Deum et Sacramentum, licet affectum aliquem leviter deordinatum ad rem particularem retineat; proinde communicans cum tali affectu non privatur omni fructu Eucharistiæ.[3]

§ II. *De dispositionibus corporis.*

Duplex dispositio requiritur ex parte corporis, scilicet 1° jejunium; 2° decentia.

Punctum I. De jejunio ad Communionem requisito.

1308. — PRINCIPIA. I. Ex præcepto Ecclesiæ ad Communionem requiritur jejunium *naturale*, seu abstinentia *totalis* post mediam noctem a re qualibet, quantumvis minima, quæ per modum cibi, potus vel medicinæ in stomachum trajiciatur, certis tamen exceptis casibus. Constat 1° ex universali Ecclesiæ consuetudine et unanimi traditione; 2° ex omnibus Catechismis et Ritualibus ab Ecclesia approbatis; 3° ex Conciliis et præsertim ex Constantiensi.[4]

II. Ad jejunium illud frangendum juxta communem sententiam tres requiruntur conditiones, nempe 1ª Ut quod sumitur, *ab extrinseco* sumatur et in stomachum trajiciatur: nam quod non provenit ab extrinseco, etsi voluntarie deglutiatur, aut quod non trajicitur in stomachum, sed v. g. in gutture hæret, non dicitur *manducari*; res enim, quæ manducantur, ab extra proveniunt, et stomacho destinatæ sunt. Hinc sanguis effluens ex ore, lingua, gingivis, etc. non frangit jejunium.[1]

2ª Ut quid sumatur *per modum comestionis aut potationis.* Ratio est, quia juxta sensum communem hoc tantum modo frangitur jejunium naturale. Unde quidquid per modum *respirationis* aut *salivæ* hauritur, jejunium nullatenus frangit. Sic jejunus remanes, licet per respirationem pulverem vel muscam deglutieris.[2]

3ª Ut res sumpta habeat *rationem cibi, aut potus*, id est, ut sit quid alterabile in stomacho, et aptum ad nutritionem. Ratio est, quia secus juxta communem concipiendi modum non est comestio, neque potatio. Nemo enim dicitur manducare ferrum, vitrum, etc. — Ita *communiter* Theologi cum S. Thom.,[3] S. Alph.[4]

III. Ex Responso S. Pœnitentiariæ, dd. 18 junii 1873 colligendum est, *publicis*, seu a Magistratu ad indicandam meridiem designatis, horologiis standum esse quoad momentum, quo incipit obligatio jejunii naturalis, ecclesiastici, officii divini, etc.; idque licet non signent tempus *verum*, sed *medium* tantum, aut medium non proprii meridiani, sed *alieni* v. g. metropolis.[5]

1309. QUÆSITA. — Quær. 1° *An trajectio reliquiarum cibi, quæ inhærent inter dentes, frangat jejunium?*

Resp. 1° *Neg.* si sit *involuntaria*, quia non habet rationem cibi. Constat etiam ex Rubrica Missalis.[6] — Ita *omnes.*

Resp. 2° Si sit *voluntaria*, controvertitur.

Iª SENTENTIA, quæ S° Alphº non videtur *improbabilis, negat*; quia tales reliquiæ moraliter reputantur partes comestionis præcedentis diei, et non novæ, ac non sumuntur per modum cibi, licet ex

[1] L. VI. 267.
[2] Ib. 266.
[3] Ib. 270.
[4] Sess. 13.

[1] L. VI. 279.
[2] Ib. 280.
[3] P. III. q. 80. a. 8.
[4] L. VI. 281.
[5] Acta. T. VII. p. 399.
[6] De defect. Tit. IX. n. 3.

proposito, sed per modum salivæ. — Vide Rubr.[1]

II[a] Sententia *affirmat;* quia hujusmodi trajectio, cum ex industria fiat, nova comestio videtur. — Ita Roncaglia, etc. Hanc sententiam dicit communiorem et probabiliorem et omnino consulendam S. Alph.,[2] qui tamen advertit in hoc non esse scrupulose agendum, ita ut sufficiat expuere illas reliquias, quæ sensibiliter in lingua percipiuntur, et non sit obligatio adhibendi diligentiam ad illas ex dentibus extrahendas, etsi alias deglutiendæ prævideantur.

Quær. 2° *An guttulæ aquæ aut jusculi degustati cum saliva mixtæ frangant jejunium si deglutiantur ?*

Resp. 1° *Neg.*, si casu præter intentionem trajiciantur, modo non sint in magna quantitate. Idem dicendum de guttulis, quæ involuntarie trajiciuntur os lavando. Ratio est, quia non sumuntur per modum nutritionis. Constat etiam ex Rubrica Missalis.[3]

Resp. 2° *Affirm.*, si ex proposito deglutiantur. Ratio est quia tunc nihil deest ut rationem cibi aut potus habeant.[4]

Quær. 3° *An solvat jejunium pulvis tabaci sumpti per nares ?*

Resp. Neg., etiamsi aliquid in stomachum transmittatur. Ratio est, quia licet talis materia sit nutritiva, tamen non sumitur per modum comestionis. — Sic *communiter*.[5]

Quær. 4° *An solvat jejunium fumus tabaci aut similis ?*

Resp. Neg. cum sententia communiori et probabiliori, quia fumus tabaci neque est cibus nec potus, neque sumitur per comestionem aut potationem ; secus dicere deberemus, frangere jejunium etiam eos, qui in culina ciborum fumum tum ore, tum naribus attrahunt. Et hoc valet, etiamsi fumus voluntarie immittatur in stomachum.[6] — Idem videtur dicendum de succo seu odore camphoræ, qui per modum fumi tabaci hauritur (Gallice : *cigarette de Raspail*).

Quær. 5° *An solvat jejunium, qui sumit folium tabaci, vel aroma, ut dentibus conterat, et phlegmata expuat ?*

Resp. Neg. probabiliter, etiamsi deglutiatur præter intentionem aliquid modicum succi salivæ inseparabiliter mixti ; quia, si *casu* id deglutiatur, non per modum cibi, sed per modum salivæ trajicitur. Omnes autem conveniunt, hujusmodi masticationem ante Communionem esse indecentem ; unde non videtur excusanda a culpa veniali, nisi rationabilis aliqua causa intercedat.[1]

Quær. 6° *An possit communicare, qui dubitat utrum post mediam noctem cibum aut potum sumpserit, aut in ipso die aliquid deglutierit ?*

Resp. Affirm., ut patet ex dictis n. 67. 1°. a). Excipe si dentur in contrarium *præsumptiones tam fortes*, ut operans probabilius credat jam sonuisse duodecimam.[2]

Quær. 7° *An liceat edere et bibere statim post Communionem ?*

Resp. Olim quidem post Communionem præcipiebatur jejunium usque ad *Sextam*. Sed hoc præceptum jamdudum abrogatum est. Attamen ex decentiâ mora aliqua servari debet inter sumptionem hujus Sacramenti et alios cibos, saltem quamdiu species consecratæ in stomacho nondum plane corruptæ perseverant, nisi tamen adsit aliqua rationabilis causa aliquid statim sumendi ; secus talis comestio, ob irreverentiam, a veniali culpa non excusatur.[3]

Quær. 8° *An sit illicitum expuere post Communionem ?*

Resp. Neg. per se, modo nullum Hostiæ fragmentum in ore remanserit. Nullum enim est periculum irreverentiæ erga species sacras ; quandoquidem via, per quam sputa in os confluunt, non est œsophagus, seu via cibi et potus, sed est via respirationis. Omnes tamen conveniunt congruum esse, ut communicantes per aliquod temporis intervallum ab expuendo abstineant.[4]

Quær. 9° *Quandonam liceat aliquem non jejunum communicare ?*

Resp. Non jejunus licite communicat

[1] De defect. disp. corp. n. 3.
[2] L. VI. 279.
[3] De defect. disp. corp. n. 3.
[4] L. VI. 279. [5] Ib. 280.
[6] Ib. 280.

[1] L. VI. 280.
[2] Ib. 282. in fine, et L. I. 39. H. A. Tr. XV. 35.
[3] L. VI. 283.
[4] Ib.

1° in periculo mortis, ex quacumque causa proveniat; 2° in periculo ne Eucharistia pereat, vel male tractetur, v. g. ab hæreticis, impiis; 3° in periculo proximo gravis scandali ex omissione Sacrificii vel Communionis; 4° in necessitate perficiendi Sacrificium vel Communionem, v. g. si pro speciebus vini sacerdos sumpserit aquam, etc.[1] . . .

Quær. 10° *An requiratur moralis certitudo periculi mortis, ut Viaticum non jejuno ministrari possit?*

Resp. Neg., sed sufficit dubium prudens, seu probabilitas *periculi* (non enim requiritur probabilitas *articuli* mortis, si cum aliquibus placeat *periculum* distinguere ab *articulo*), præsertim quando timendum est, ne æger repentina morte corripiatur. Imo graviter arguendi sunt Parochi et parentes aut cognati infirmorum, qui ex incuria aut vano timore administrationem Sacri Viatici ita protrahunt, ut absque Eucharistia decedere periclitentur.[2] Quodsi ægrotus *facile* die sequenti jejunus Viaticum suscipere posset, teneretur expectare. Hac tamen in re non est scrupulose procedendum, cum Concilium Constantiense *periculose* infirmos simpliciter a lege jejunii excipiat.[3]

Quær. 11° *An liceat aliquando dare Communionem infirmo non jejuno, nec periculose decumbenti, si morbus sit diuturnus?*

Resp. Negandum est, attenta praxi actuali Ecclesiæ, nisi morbus sit ejusmodi, qui per se periculum mortis inducere possit. Attamen Theologi nonnulli id aliquando permittunt, si morbus sit diuturnus, nec unquam æger omnino jejunus communicare valeat, modo raro fiat, v. g. aliquoties in anno. — Sic Elbel.[4] Sed contradicit sententia communissima Theologorum cum Suarez, qui asserit, solum Papam hac in lege dispensare posse. Reipsa S. Pontifex raro et gravi tantum de causa, attamen etiam cum privatis, ut semel, ter, aut etiam pluries in anno communicare possint, dispensare solet (apud nos vero tunc adest ratio sufficiens cur interdum Eucharistia post mediam noctem infirmo administrari possit). Et quidem juxta doctissimos Theologos Romæ interrogatos, nullum dubium est quoad casum Communionis annuæ seu Paschalis, quæ non mero Jure ecclesiastico, sed etiam divino præcipitur, quia divinum mandatum humano præstantius est. — Vide, si lubet Ben. XIV. Breve: *Quadam, de more*, dd. 24 mart. 1756.

[1] L. VI. 284. sq.
[2] H. A. Tr. XV. 46.
[3] L. VI. 285. Dub. 3.
[4] n. 90.

Punctum II. De corporis decentia.

1310. Principia. — I. De jure naturali is requiritur exterior habitus, et ea corporis compositio, quæ internam animi reverentiam et devotionem exhibeat. Ratio patet: debetur enim huic augustissimo Sacramento non solum interna, sed etiam externa veneratio, cum ipse Christus, mediis speciebus, sensibili quodam modo in eo existat et tractetur.

II. Nulla prorsus corporis macula per se impedit a Communione, cum Eucharistia sit tantum cibus animæ, neque puritas minuatur corporis maculis, quæ ad bonitatem vel malitiam moralem nihil conferunt.[1] — Decentia tamen et reverentia tanto Sacramento debita exigit, ut, si sordes exterius apparentes possint auferri, diligenter auferantur.

III. Nulla est obligatio abstinendi a Communione propter maculas corporis occultas, vel etiam apparentes exterius, sed indelebiles.[2] — Si tamen maculæ externæ, hic et nunc indelebiles, sint valde notabiles, et brevi cessare debeant, decebit, ubi commode fieri potest, Communionem differre. Quando vero diutius durant, non est ratio cur aliquis alimonia cœlesti privetur. — Ita *communiter*.

1311. *Resolves.* — 1° Mulieres accedere debent ad sacram Communionem in ornatu sancto, modestiam redolente; si quæ *valde indecentes* (vide n. 1233. 1°) se Sacræ Mensæ sisterent, Communio eis neganda esset, eum debitis tamen cautionibus ad scandala, quantum fieri potest, præcavenda.

2° Lepra, fluxus sanguinis, et similia, quæ sine patientis culpa eveniunt, per se non prohibent a Communione, quia labes illæ non obstant devotioni, quæ est dispositio requisita ad Communionem.[3] — Post *voluntariam* paulo ante habitam pollutionem ad S. Communionem accedere,

[1] L. VI. 271. 275. [2] Ib.
[3] Ib. 275.

etsi quis contritus et confessus sit, veniale aiunt, nisi scandalum vel alia justa causa Communionem exigat; idem valet post *venialiter malam*, vel etiam *involuntariam*, si perturbationem in mente relinquat. Excipiunt, si communicaturus hanc pro posse repellere conetur, vel aliqua justa causa necessitatis vel devotionis adsit.[1] — De Communione post copulam conjugalem dicetur in Tract. *de Matrim.*

3° Sacerdos infectus lepra, aut alia infirmitate horrorem excitante, celebrare potest, sed non in publico; sic enim ex Jure Canonico statuitur.[2]

4° Convenit ex decentia et humilitate christiana, ut milites communicaturi ad Sacram Mensam, depositis armis, accedant. Nulla tamen lege ad id obligantur.[3] — Idem dicatur de laicis chirothecas (*gloves*) deferentibus. "Sacerdotes vero" ait Rit. Rom. "cum stola communicent."

APPENDIX I.

DE COMMUNIONE FREQUENTI.

1312. — Nomine Communionis frequentis communiter cum S. Alph. intelliguntur sensu strictiori Communiones illæ, quæ præter dies Dominicos vel festos fiunt diebus etiam ferialibus sine prævia Confessione.

Certum est, 1) frequentem Communionem, etiam quotidianam, semper fuisse in Ecclesia optatissimam. Constat 1° ex communi suffragio Patrum, qui semper enixe eam fidelibus commendarunt. Constat 2° ex Trid.,[4] ubi ait: "Optaret quidem sancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus proveniret." Constat 3° ex Decreto Innocentii XI. ann. 1679, necnon ex communi Doctorum suffragio. Igitur Communio frequens est magnopere laudanda, atque a Parochis, necnon a confessariis enixe fidelibus suadenda. Certum est, 2) non posse generaliter constitui dies ad Sacram Eucharistiam suscipiendam; nec illos esse ab ea arcendos, qui frequenter accedere cupiunt, nisi indigni videantur. Totum hoc igitur relinquendum est judicio confessariorum, qui, pro conscientiæ puritate et fructu e Sacra Mensa percepto, id quod singulis magis profuturum existiment, præscribere debent. 3) Ad Sacras Virgines quod attinet, si quotidie Sacram Communionem petant, "admonendæ erunt ut in diebus ex earum Ordinis instituto præstitutis communicent; si quæ vero puritate mentis eniteant, et fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori aut quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur." — Ita ex eodem Innoc. XI. Decreto.[1] Cfr. n. 1189. 5°.

1313. — Juxta mentem S. Alph.,[2] et aliorum ab ipso relatorum, doctrina de Communione frequenti paucis et generalibus regulis constringi sic potest.

I^a *Regula.*— Communio *menstrua* nemini sat disposito deneganda, imo omnibus maxime consulenda est, etiamsi vitam degant negotiis sæcularibus implicatam; secus enim valde difficile est diu in divina gratia perseverare, ob innumeras occasiones, et rerum æternarum quasi obliterationem. — Ita *communiter*.

II^a *Regula.* — Communio *hebdomadaria* permittenda est, imo et consulenda, iis, qui graves culpas *ex habitu* non committunt: attamen illis, si pluribus vitiis levibus laborent, nec ullatenus sint de emendatione solliciti, aliquando utile erit Communionem aliqua hebdomada interdicere, ut scilicet aliqua ægritate ad vitia abjicienda excitentur.[3]

III^a *Regula.* — Communio *frequens*, seu *pluries* in hebdomada, permitti potest, aut etiam consuli, iis, in quibus reperiuntur hæc tria: 1) Fuga peccati venialis plene deliberati ac absentia affectus voluntarii ad veniale, i. e. ad ejusdem materiam. 2) Studium perfectionis christianæ et desiderium Communionis. 3) Exercitium orationis mentalis et mortificationis.[4] — Ita *regulariter* loquendo; nam *exceptiona-*

[1] L. VI. 272. Rubrica Miss. de def. Tit. 9. n. 5.
[2] L. VI. 275.
[3] Ib.
[4] Sess. 22. c. 6.

[1] Conc. Pl. Balt. II. p. 294.
[2] Praxis conf. n. 149 – 155.
[3] Ib. 149.
[4] Ib. 150. 153.

liter concedi etiam potest "aliquibus qui" carent prædictis dispositionibus, sed "essent in periculo labendi in peccata lethalia, ut vires recipiant ad resistendum." [1]

IV[a] *Regula.* — Communio *quotidiana* concedenda iis est, qui, præter tria prædicta, malas cupiditates majori ex parte superarunt. "Excipe, *ordinarie loquendo*, unum diem in quavis hebdomada . . . . et tempus illud, quo privare velint" directores "suos pœnitentes Communione ad probandam eorum obedientiam, aut humilitatem, aut ob aliquam justam causam." [2] Concedi etiam potest Communio quotidiana ob aliquam particularem circumstantiam pro brevi tempore, v. g. ob novenam.

APPENDIX II.

DE COMMUNIONE SPIRITUALI.

1314. — Communio spiritualis dicitur pium desiderium Eucharistiæ Sacramentum suscipiendi, cum realiter suscipi non potest. Hæc Communio Sanctis valde in deliciis fuit, et commendatur a Trid.[3] Hæc piis fidelibus valde utilis est. Etenim si Deus præmio afficit pium cujuscumque virtutis desiderium, quanto magis desiderium ipsummet possidendi! A confessariis igitur fidelibus, suis pœnitentibus, sedulo insinuanda, et vehementissime commendanda est. Communio spiritualis omni tempore et in omni loco fieri potest, tam mane quam sero. Tempus tamen opportunius est ipsius Missæ tempus, quo scilicet sacerdos communicat; tunc enim, cum augustissimum Sacramentum oculis exhibeatur et vividius menti repræsentetur, ardentius corda divino amore inflammabit.

APPENDIX III.

DE PRIMA COMMUNIONE PUERORUM.

1315. —"Quoad pueros," ait Conc. Pl. Balt. II.,[4] "qui prima vice ad Sacram Mensam accedant, præclara Patrum Ravennatensium verba in rem nostram adhibere liceat. Haud potest quin multum conferat ad totius vitæ Christianæ rationem, ipsamque adeo æternam salutem, modus, quo quis prima vice Sacram Communionem recipiat. Hinc omnes animarum rectores sedulo curent ad illam disponere puellas et pueros, quos per ætatem ac sufficientem rerum spiritualium intelligentiam capaces dijudicaverint. Erudiant eos peculiari studio, inquirant diligenter in eorum vitam, et, quos in Christianæ doctrinæ rudimentis jam satis instructos esse, ac morum probitate ac pietate commendari intellexerint, ad Sacram Mensam admittant, cæteros in aliud tempus, omni humano respectu posthabito, remittentes. Per triduum autem ante Communionem tum exercitationibus piis, tum generali potissimum Confessione, præparentur proxime ad illam; ipsa vero die, solemnitate maxima, Divinum Panem sumant, cuncto populo inspectante, et præsertim parentibus, quorum curæ postea animæ illæ, cœlesti Convivio refectæ, erunt ferventissimo caritatis zelo a Parochis commendandæ." [1]

"Qua vero ætate pueri Eucharistico Cibo primo refici debeant, ab Ecclesia haud est definitum. S. Thomas, generali usus loquendi forma, docuit posse tunc hoc Sacramentum iis conferri, cum incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere hujus Sacramenti." [2] Pastorum itaque erit hac super re diligenter inquirere, ne quis vel per incuriam nimis cito admittatur, vel per severitatem diutius quam par sit arceatur. Hæc vero regula generalis, quæ tamen suas admittat exceptiones, statui videtur tuto posse, neminem, scilicet, ordinarie loquendo, ante decimum annum Angelorum Panis participem fieri debere, nec post annum quartum decimum cuivis, cæteroquin digno, eum esse negandum." [3]

[1] Praxis conf. n. 149. [2] Ib. 150.
[3] Sess. 13. c. 8. [4] a. 260. 261.

[1] a[i] 1855. P. II. c. 4. Decr. 7.
[2] P. III. q. 80. a. 9.
[3] Syn. diœc. Sabinæ a[i] 1844. P. III. c. 2. §§ 6. 7.

PARS SECUNDA.

DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO.

Eucharistia non solum *Sacramenti*, sed etiam *Sacrificii* rationem habet.

Agendum 1° de natura et virtute Sacrificii Missæ; 2° de applicatione Sacrificii Missæ; 3° de obligatione Missam celebrandi; 4° de tempore et loco celebrationis; 5° de modo celebrandi.

CAPUT I.

DE NATURA ET VIRTUTE SACRIFICII MISSÆ.

Sacrificium generatim sumptum sic communiter definitur: Oblatio externa rei sensibilis cum ejus destructione vel immutatione, soli Deo facta per legitimum Ministrum in supremi ejus dominii protestationem.

1316. PRINCIPIA. — I. Missa est verum novæ legis Sacrificium.

II. Sacrificium Missæ rationes omnium sacrificiorum antiquæ legis perfecte continet.

III. Incruentum Missæ Sacrificium idem profecto est ac Sacrificium cruentum Crucis, non solum quia eadem victima offertur, sed etiam quia eadem est formalis Sacrificii ratio, per protestationem videlicet supremi dominii, quod Deus in vitam mortemque habet. Quocirca Sacrificium Altaris a Sacrificio Crucis differt non quidem essentialiter, sed tantum *accidentaliter*, quoad modum scilicet offerendi.

Probantur et latius explanantur hæc principia in Theologia Dogmatica.

1317. QUÆSITA. — Quær. 1° *In quo consistat essentia Sacrificii Missæ ?*

Resp. Controvertitur. Non pauci tenent, essentiam Sacrificii consistere in Consecratione et partialiter in Sumptione, quia in Consecratione ponitur victima, et in Sumptione consumitur. Quam opinionem uti probabiliorem habet S. Alph.[1]

Quær. 2° *Pro quibusnam possit offerri Sacrificium Missæ ?*

Prænotandum. In offerendo Sacrificio sacerdos tripliciter agit, scil. nomine Christi, nomine Ecclesiæ et nomine proprio. Ea, quæ nomine *Christi* facit, essentiam Sacrificii proprie dicti complectuntur; nomine vero *Ecclesiæ* peragit cæremonias funditque preces, quas Ecclesia pro celebratione hujus Sacrificii præcipit; nomine autem *proprio* agit, quatenus opus bonum et meritorium, quod litando ponit, *ad ipsius personam, qua talem*, pertinet. — His prænotatis:

Resp. 1° Certum est posse offerri hoc Sacrificium, et quidem triplici illo, quem descripsimus, modo, pro omnibus fidelibus vivis et defunctis, etiam pro peccatoribus *non excommunicatis*, sed pro his tantum quoad fructum impetrationis, *latiori* tamen sensu sumptum, ita ut comprehendat etiam eam partem fructus *propitiationis*, quæ in eo residet, quod Deus Sacrificio placatus concedit gratiam et donum pœnitentiæ, et consequenter crimina et peccata etiam ingentia dimittit.

Resp. 2° Quoad excommunicatos: a) *Certo* licet *indirecte*, etiam nomine Ecclesiæ, v. g. pro eorum conversione, pro Fidei propagatione, etc., "quatenus eorum bonum resultat in Ecclesiæ dilatationem" ut ait Lugo.[1] b) Si agitur de Sacrificio *directe et in particulari* pro aliquo excommunicato offerendo, dist. inter *vitandos*, seu *nominatim* excommunicatos, et *toleratos*. — Pro *vitandis* licet nomine *proprio*, non vero nomine *Christi* aut *Ecclesiæ*.[2] — Pro *toleratis* autem, *per se, probabilius* licet, etiam nomine *Ecclesiæ*, quia fidelibus licet cum iis, etiam in divinis, communicare.[3] Dixi: *per se;* quia ratione scandali, v. g. si publice, i. e. aliis scientibus, fieret, — id illicitum esse poterit; et hinc probabiliter S. C. O. proposito dubio: "Utrum possit aut debeat celebrari Missa ac percipi eleemosyna pro Græco-schismatico, qui enixe oret atque instet, ut Missa applicetur pro ipso sive in Ecclesia adstante, sive extra Ecclesiam manente"; Fer. IV., die 13 apr. 1837, approbante Greg. XVI.

[1] L. VI. 305.

[1] De Euch. D. 19. n. 188.

[2] L. V. Decr. T. XXXIX. c. 28. S. Alph. L. VI. 308. Lacroix. n. 33.

[3] L. VI. 309.

respondit: "*Juxta exposita* non licere, nisi constet expresse, eleemosynam a schismatico præberi ad impetrandam conversionem ad veram Fidem." [1]

Resp. 3° Quæ de excommunicatis *toleratis* dicta sunt, *probabilius* etiam de *infidelibus* valent.[2] Confirmatur ex sequenti Responso S. C. O., quæ proposito dubio: "Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro Turcarum aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro Missæ applicatione accipere?" Fer. IV., die 12 julii, 1865, respondit: "Affirmative, dummodo non adsit scandalum, ac nihil in Missa specialiter addatur, et quoad intentionem constet, nihil mali, aut erroris, aut superstitionis in infidelibus eleemosynam offerentibus subesse." [3]

Quær. 3° *Quotuplex sit fructus Sacrificii Missæ?*

Resp. Fructus Missæ distinguitur ex duplici capite, nempe ex parte offerentis, et ex parte victimæ.

I. *Ex parte offerentis.* Cum duplex sit offerens, Christus nempe et sacerdos, hinc duplicis generis est fructus Missæ ex parte offerentis. Prior provenit ex Christo offerente, et dicitur *ex opere operato*, quia recipitur intuitu meritorum Christi et ejus promissionis. Alter provenit ex sacerdote offerente, quatenus recipitur intuitu meriti et devotionis sacerdotis celebrantis, et fructus *ex opere operantis* nuncupatur. — Inde fit ut Sacrificium oblatum a sancto sacerdote, quatenus consideratur *ex opere operato*, non prosit magis, quam si ab indigno Ministro offerretur; quia Sacrificium, sic spectatum, est opus Christi, et solum a meritis Christi fructus dimanat. Quare hoc sensu recte dici potest, Missam mali sacerdotis tanti valere, quanti valet Missa boni sacerdotis. Secus vero dicendum, si attendatur meritum *ex opere operantis;* quo enim dignior est sacerdos et majori devotione præditus, tanto major Missæ fructus evadit.

II. *Ex parte victimæ.* Ex hoc capite triplex distinguitur fructus Sacrificii, scilicet generalis, specialis, specialissimus.

1° Fructus generalis ille est qui respondet Sacrificio, quatenus est opus positum a sacerdote, prouti operatur nomine totius Ecclesiæ. Et omnes quidem Fideles, tum vivi, tum in purgatorio degentes, hunc fructum percipiunt; sed ipsis tribuitur per modum *impetrationis* tantum (at latiori illo, quem supra h. n. sub *Quær.* 2°, Resp. 1°, explicavimus, sensu), non vero, ut videtur, per modum *satisfactionis*, quia ex millenis Sacrificiis, quæ quotidie offeruntur, quivis justus, etiam inscius, immensæ pœnæ remissionem consequeretur, quod incredibile apparet. — De fructu hoc generali, abundantiori seu specialiori modo participant adstantes Sacrificio, et *a fortiori* ad illud cooperantes, v. g. sacerdoti inservientes, etc. Iste autem fructus, utpote *ex opere operantis*, eo uberior est, quo major est devotio et sanctitas assistentium et cooperantium. Ita Gury; S. Alph. autem fructum, assistentibus et cooperantibus obtingentem, *specialem* vocat (alii *medium* seu *ministerialem*), nec distinguit inter opus *operatum* et *operantis*. — At per excellentiam

2° Fructus *specialis* est ille, qui advenit ei vel illis, quibus sacerdos specialiter Sacrificium applicat. Hi *ex opere operato* participant de Sacrificio, ut est *impetratorium*, et *propitiatorium;* imo etiam, modo nihil obstet, ut est *satisfactorium*.

3° Fructus *specialissimus* ille est, qui obvenit sacerdoti offerenti, quatenus est persona privata offerens. Si enim cooperatores quilibet e Sacrificio suum percipiunt fructum omnino specialem, multo magis hunc percipere debet sacerdos qui sacrificat. An vero hunc fructum applicare aliis sacerdos possit, incertum est.[1]

Quær. 4° *An valor Sacrificii Missæ sit infinitus?*

Resp. 1° Est certe *infinitus*, si spectetur *in se*, seu in re oblata et in excellentia dignitatis Christi offerentis. Ipse enim Christus in hoc Sacrificio est simul victima et principalis offerens. Quare Missa est oblatio victimæ infiniti pretii, facta a Christo primario offerente, qui meritum habet infinitum.

Resp. 2° Non potest esse *infinitus* quoad applicationem singulis hominibus factam, seu quoad effectum aut fructum.

[1] Apud Gury. Ed. Rom. 1873. T. II. n. 349 (*).
[2] L. VI. 309.
[3] Apud Gury. Ed. Rom. 1873. T. II. n. 349 (*).

[1] L. VI. 312.

Ratio est, quia creaturæ percipiendi infinitum fructum non sunt capaces; potest autem applicatio esse major vel minor, prout dispositio seu capacitas illius, cui applicatur, major vel minor extiterit.

Controvertitur autem, utrum applicatio fructus Sacrificii sit ad certum gradum restricta, vel fiat *indefinite* juxta capacitatem illorum, pro quibus offertur.

Sententia *communissima*, et quæ *speculative* videtur *probabilior*, contendit, applicationem fieri *indefinite* juxta capacitatem fidelium pro quibus offertur. — Ratio est, quia valor Sacrificii est in se infinitus; unde per se potest applicari innumeris hominibus, quin exhauriri possit. Aliter S. Doctor in Opere: "*contro gli eretici pretesi riform.*," ubi docet fructum *ex Christi voluntate* ad certum gradum restringi.[1]

Quær. 5° *An Missa prosit defunctis ex infallibili promissione Christi?*

Resp. Affirm. Etenim Missa utiliter offertur pro defunctis, ut constat ex Trid.[2] Porro id fieri nequit, nisi ex Christi promissione, quæ perhibetur apud Matth.[3] *Hic est Sanguis meus . . . . qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Constat etiam ex verbis formæ in Ordinis collatione: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasque celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini. Amen.* — Attamen pœna temporalis non remittitur defunctis certa lege, sed solum per modum suffragii iis prodest, prout Deo placuerit illud acceptare. — Vide Perrone.[4]

Quær. 6° *An Missa* de Requiem *magis prosit defunctis, quam Missa de Sanctis?*

Resp. Neg. quoad substantiam, seu *ex parte Sacrificii;* quoad accidentalia utique, seu *ex parte orationum*, quarum defectum devotio supplere potest. — S. Alph.[5] post S. Thomam.[6]

Notandum hic, Missam *de Requiem* et *in nigris* applicari posse pro vivo; modo qui eleemosynam tribuit, expresse oppositum non declaraverit.[7]

1 L. VI. 312 et Opere cit. Sess. XXII. n. 22.
2 Sess. 22. c. 2 et Can. 3.
3 26. 28.
4 Th. Dogm. vol. VIII. n. 282.
5 L. VI. 310.
6 Suppl. q. 71. a. 9 ad 5.
7 S. R. C. 29 nov. 1856.

CAPUT II.

DE APPLICATIONE SACRIFICII MISSÆ.

Applicatio Sacrificii Missæ est intentio, qua sacerdos vult, ut Sacrificii fructus in utilitatem certæ personæ cedat.

1318. Principia. — I. Ut pars fructus *generalis* percipiatur, necessaria non est sacerdotis applicatio; sed sufficit, ut ipse velit celebrare juxta mentem Ecclesiæ: semper enim implicite talis applicatio in intentione generali celebrantis includitur. Item ut ipsi sacerdoti fructus *specialissimus* proveniat, necesse non est, ut eum sibi specialiter applicare velit; hic enim ipsi *per se* semper applicatur. Imo sunt, qui fructum hunc ita putant illius esse proprium, ut alteri applicari non possit.

II. Requiritur tamen applicatio sacerdotis, ut fructus *specialis* seu *ministerialis* alicui obveniat. Sacerdos enim, et quidem solus, personam Christi gerit; ergo sicut ipse solus in persona Christi Sacrificium pro aliis offert, ita etiam solus fructum ejusdem applicat.

III. Fructus *specialis*, nulli aut incapaci applicatus, remanet in thesauro generali Ecclesiæ.[1]

1319. Quæsita. — Quær. 1° *An applicatio fructus Missæ debeat esse actualis?*

Resp. Neg.; sed sufficit ut sit habitualis, scilicet ut semel facta non retractetur. Ratio est, quia applicatio ista fit per modum donationis, quæ valet donec revocetur. — Expedit tamen applicationem Missæ facere, antequam inchoetur. Quod si id ante Consecrationem sacerdos non fecerit, non potest postea Sacrificium ulli specialiter applicare.[2]

Quær. 2° *Si sacerdos, immemor prioris intentionis, novam celebrando eliciat, quænam valida censeri debeat?*

Resp. In genere definiri nequit. Videat sacerdos, qualis intentio in ejus mente prædominans fuerit. Cæterum in praxi parvi refert; etenim cum alterutra certo valida sit, satis erit alia vice Sacrum ei applicare, cui applicatum non fuit.

Quær. 3° *An intentio celebrantis debeat esse explicite determinata?*

1 L. VI. 336.
2 Ib. 335 et H. A. Tr. XV. 80. Exam. Ord. n. 110.

Resp. Neg. Sufficit enim, ut determinetur implicite. Sic valet applicatio, si dicas: Offero hoc Sacrificium pro eo, qui dedit stipendium, — pro quo Superior vult Sacrum fieri, — pro quo exigit fundatio, — pro maximo peccatore, — pro anima graviori tentatione afflicta, — pro anima purgante majori auxilio indigente, aut magis Deo grata, — pro omnibus animabus Purgatorii, — pro eo, cui applicare teneor, — pro persona vel intentione, scripto vel mente determinata in principio hebdomadæ, etc. — E contrario non valet ista applicatio: Offero, ut Deus Sacrum istud applicet.

Quær. 4° *Si sacerdos acceperit stipendia a* 10 *personis, an satisfaciat celebrando cum intentione confusa et indeterminata?*

Resp. Neg. omnino; quia requiritur intentio determinata saltem ad certam personam; alioquin nulla est ratio, cur uni potius quam alteri Missa applicetur, et sic nulli applicaretur. — Attamen, si quamlibet Missam intenderet applicare decem illis personis, singulis decimam partem cujuslibet Missæ applicando, obligationi satisfaceret; quia fructus Sacrificii est divisibilis, et unicuique tribuitur, quod ei debetur: unusquisque enim in singulis decem Missis decimam fructus partem percipiens, facto decimo Sacro, jam totum sibi debitum fructum est adeptus.[1]

Quær. 5° *Quomodo determinanda sit applicatio, quando stipendia a multis ignotis dantur?*

Resp. Intentio facienda est pro iis, qui priora dederunt stipendia. Hoc facile succedit, quando idem sacerdos omnibus obligationibus est satisfacturus; nec obest, quod ipse partem celebrandarum Missarum aliis sacerdotibus forte distribuat: quia illas eodem ordine, quo accepit, distribuere potest; et sic sufficienter applicatio determinata videtur. Difficultas major videtur adesse, si sacrista vel alius multa stipendia a diversis collegerit, et pecuniam confusam pluribus sacerdotibus distribuat; qui casus obvius et frequens est. Quomodo enim tunc facienda erit Missæ applicatio? Respondeo: nihil aliud faciendum est, neque aliud moraliter fieri potest, quam ut applicatio fiat juxta ordinem temporis, quo stipendia a fidelibus erogata sunt, juxta axioma, quod aliquando in justitiæ materia usurpatur: *Qui prior tempore, potior jure.* Imo nec necessarium est, ut sacerdos ad hoc explicite attendat; siquidem sic velle agere censetur, cum id expostulet naturalis æquitas. Hinc, si ex cumulo communi, vel a Missarum distributore, stipendia pro 20 Missis acceperis, nulla alia cura tibi incumbere debet, nisi ut Sacrum vigesies facias *ad dantis intentionem.* Distributor ipse eamdem implicitam intentionem habere censetur, ut stipendia juxta temporis antiquitatem successive eroget. Potest tamen sacerdos præfatum ordinem intentione expressa interrumpere gravi aliqua de causa, v. g. si qua alia Missa urgeat, vel majus stipendium acceperit, ut Sacrum non differat, etc.

[1] L. VI. 335.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI.

Sub triplici respectu hæc obligatio spectari potest; 1° ratione sacerdotii; 2° ratione officii; 3° ratione stipendii.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE SACERDOTII.

1320. — *Dico:* Omnes sacerdotes ratione Sacerdotii jure divino tenentur sub gravi aliquando celebrare. Evincitur ex verbis Christi:[1] *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis, teste Concilio Tridentino, Christus Apostolis eorumque successoribus præcepit, ut Sacrificium offerent. Insuper sacerdotes omnes in sua ordinatione accipiunt non solum potestatem, sed etiam *munus* et *officium* sacrificandi illi adnexum. Hinc Apost.[2]: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et Sacrificia.* Porro in re gravi quisque tenetur graviter munus susceptum exsequi. Ergo . . . Sic S. Thom.[3] Vide S. Alph.[4]

[1] Luc. 22. 19. [2] Hebr. 5. 1.
[3] P. III. q. 82. a. 10. [4] L. VI. 313.

1321. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quoties in vita vel in anno sacerdos celebrare teneatur?*

Resp. Non clare constat. *Probabilius* videtur non teneri ad celebrandum, nisi ter vel quater in anno, seu in festis solemnioribus. Imo non improbabile apparet, sacerdotem suo muneri fecisse satis, si quibuscumque tandem diebus ter vel quater in anno Sacrificium offerat.[1]

Quær. 2° *An eximatur ab omni peccato, qui tantum quater in anno celebrat?*

Resp. Neg. Non videtur enim excusandus ab aliquo peccato veniali. Sic communiter juxta mentem Trid.,[2] ubi dicitur: "Curet Episcopus ut ii" (Presbyteri) "saltem diebus Dominicis et festis solemnibus Missas celebrent." Imo exoptat Sancta Mater Ecclesia ut sacerdos singulis diebus Sacrificium offerat, et pii sacerdotes rarissime illud omittere solent.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE OFFICII.

1322. — *Dico I.* Omnes animarum Pastores jure naturali et divino aliquando celebrare pro ovibus suis tenentur. Ratio est, quia eas pascere debent. Constat etiam ex Trid.[3] ubi sic: "Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre," etc.

Dico II. Iidem jure ecclesiastico pro ovibus suis celebrare tenentur omnibus Dominicis et diebus a SS. D. N. Pio IX. in Encyclica: *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858 allatis (vide p. 543). Constat ex pluribus Ecclesiæ Decretis, præsertim vero ex Constitutione Benedicti XIV.: *Cum semper.*[4] Ad hoc autem tenentur non solum *Parochi* sæculares, sed et Regulares; itemque ii, qui ad tempus vel amovibiliter, v. g. ob absentiam vel infirmitatem Parochi, ad hujus supplendum officium deputati sunt, ut *Vicèparochi*. — Bened. XIV.[5] — Imo Parochus duabus parochiis præpositus duplicem Missam recurrentibus festis tenetur applicare, nisi unio duarum parochiarum sit *plenaria* et *extinctiva*, ita ut ex duabus Ecclesiis parochialibus una prorsus, ob exstinctionem tituli alterius, evaserit. — S. C. C.[1] — Onus illud *a fortiori* Episcopis incumbit post adeptam Sedis possessionem, non vero Vicariis Capitularibus. — S. C. R.[2] — Missionarii autem et Vicarii Apostolici (dummodo non agatur de locis, in quibus Sedes Episcopales ac Parœciæ canonicæ erectæ jam sint, atque ad eas Vicarii Apostolici et Missionarii missi sint, ut legitimorum Pastorum vices gerant) Missas applicare minime tenentur, quamvis id ex caritate deceat. — S. C. de P. F.[3]

Quær. *An Parochus vel Episcopus infirmus, aut alia de causa a celebratione impeditus, teneatur diebus festis per alium pro populo celebrare?*

Resp. Affirmandum est, quia onus illud non est tantum personale, sed simul reale, non secus ac onus prædicandi, quod consequenter per alium impleri potest et debet.[4]

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI RATIONE STIPENDII.

1323. PRINCIPIA. — I. Licite accipi potest stipendium seu eleemosyna pro Missa, quam quis pro alio legere non tenetur. Stipendium enim non datur tamquam pretium vel compensatio Missæ, sed ut medium ad Ministri sustentationem. Constat etiam ex Scriptura: [5] *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant?*

II. Sacerdotes ex justitia tenentur Missam celebrare, et determinate applicare ad intentionem eorum, qui ad hoc stipendium erogaverunt. Etenim intervenit cum iis pactum onerosum, quod titulo justitiæ, non secus ac in quovis alio contractu, servari debet. Unde sacerdos, qui sive per se, sive per alium Ministrum

[1] L. VI. 313. Dub. 2.
[2] Sess. 23. c. 14. Ref.
[3] Ib. c. 1. Ref.
[4] 19 aug. 1744. [5] Ib.

[1] 11 mart. 1774. [2] 12 nov. 1831.
[3] 23 mart. 1863. Vide Conc. Pl. Balt. II. p. CXLVIII. Decr. III.
[4] L. VI. 326. S. C. C. 11 maii. 1720. Ben. XIV. c. Cum semper. n. 17.
[5] 1 Cor. 9. 13.

omittit applicare juxta intentionem illius, qui stipendium erogavit, ad restitutionem stricto jure tenetur.

III. Non potest sacerdos per unicam Missam duplici stipendio satisfacere, sed pro singulis Sacrificium distinctum offerre debet. Ratio est, 1° quia non constat *certo*, Sacrum pro pluribus oblatum singulis tantum prodesse, quantum prodest pro uno solo applicatum, licet id *probabilius* videatur; 2° quia hoc ipsum constat ex propositione 8ª ab Alexandro VII. damnata, p. XIII.

1324. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quodnam censeatur justum sacerdotis celebrantis stipendium?*

Resp. Quantitas stipendii justi universaliter determinari non potest. Licet exigere stipendium statutum ab Episcopo vel a consuetudine.[1] Cui regulæ etiam Regulares sub gravi conformare se debent ex S. Congreg. Decreto apud Benedictum XIV.[2] — S. Alph.[3] Et quidem Episcopus, saltem quoad eleemosynas manuales, prohibere potest, ne stipendium minus taxâ statutâ accipiatur (Benedictus XIV.[4]); quod ne *regulariter* fiat, prohibet Conc. Pl. Balt. II.[5] — Attamen, sicut *ex caritate* vel *amicitia* stipendium minus admitti potest, ita etiam ex dantis liberalitate majus recipere fas est. Potest pariter sacerdos plus recipere pro labore extraordinario, v. g. pro Sacro celebrando tali hora vel tali loco incommodo, etc. — Nec obligatur sacerdos, cui pinguiora suppetunt stipendia, ea acceptare, quæ taxæ correspondent; cum damno enim suo obligaretur.

Quær. 2° *An graviter peccet sacerdos, qui, accepto stipendio, Missam celebrare differt?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia violat contractum in re gravi. Constat etiam ex Decretis S. C. C. ann. 1625. — S. Alph.[6]

Quær. 3° *Quænam dilatio gravis censeatur?*

Resp. Controvertitur; gravis sane videri potest dilatio, quæ tres menses excedit. — Ita *communiter* cum S. Alph.[7] contra alios, qui annum integrum requirunt. — *Probabilius* autem non peccat graviter sacerdos, qui Missam promissam intra duos menses celebrat. In Missis autem celebrandis pro *recenter* defunctis, dilatio unius mensis gravis reputanda est juxta S. Alph.,[1] Salmant., Lugo, etc. — Insuper ad Episcoporum quoque statuta est attendendum. Certe vero peccat graviter sacerdos quoties Missam pro aliqua instante gratia impetranda petitam ac promissam intra tempus circumstantiis aptum celebrare omittit; et idcirco qui stipendium acceptavit pro felici partu, tenetur acceptum stipendium restituere, si — et licet — post partum celebraverit. — Attendenda quoque voluntas dantis stipendium; nam quando præcipue datur ad subveniendum sacerdoti, et onus celebrandi non adeo stricte imponitur, longissima etiam dilatio culpa carebit.

"Quo vero magis distincta ratio habeatur de obligatione onera Missarum, cum manualium tum ad indefinitum tempus, accurate adimplendi, sancimus ut in singulis ecclesiis sæcularibus ac regularibus adsit catalogus sive tabella onerum, quæ ad perpetuum vel ad certum præfinitumque tempus imposita ipsis, ac respective acceptata fuerunt; utque ibidem in sacrario asserventur libri, in quorum altero perpetua hujusmodi sive temporaria onera, in altero vero Missæ manuales et adventitiæ inscribantur, una cum fideli ac distincta adnotatione subsecuti utrorumque implementi." [2]

Quær. 4° *An peccet graviter sacerdos omittens celebrare Missam, si stipendium pro illa acceptum non sit materia gravis, e. g.* $ 0.50?

Resp. Affirm. probabilius, nisi forte stipendium adeo tenue sit, ut Missa gratis promissa appareat. Ratio est, quia qui dedit stipendium, notablile detrimentum spirituale patitur.[3]

Quær. 5° *An vel quomodo peccet omittens Missam gratis promissam?*

Resp. 1° Non peccat, quoties non adest veræ promissionis contractus, sed promittens benevolum tantum propositum ostendit.

Resp. 2° *Probabilius* peccat venialiter

[1] L. VI. 319. [2] Instit. 56. n. 10.
[3] L. VI. 320. Dub. 1.
[4] Inst. 56. n. 11. S. Alph. L. VI. 320. Dub. 3.
[5] a. 869.
[6] L. VI. 317. q. II. [7] Ib.

[1] L. VI. 317. q. II.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 371.
L. VI. 317. q. III.

tantum, quando vera intercessit promissio; quia simplex promissio non obligat sub gravi, nisi, ut ait Lugo, promittens expresse sub gravi, et ex justitia, se obliget.

Quær. 6° *An simoniæ reus sit sacerdos, qui præcipue intuitu stipendii celebret?*

Resp. Vide n. 353. Quær. 3°. Resp. ad 1^{um}.

1325. — Quær. 7° *An sacerdos possit Missam alteri celebrandam committere stipendium minus dando, quam ipse acceperit?*

Resp. Neg., non quidem generatim *per se*, sed quia ob speciem turpis lucri id prohibuit S. C. C. Decreto approbato ab Urbano VIII., et confirmato ab Innocentio XII., ubi hæc habentur: "Omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte ejusdem Missæ sibi retenta, celebrandam committat." Cfr. prop. 9. ab Alex. VII. damnatam p. XIII. et Rescriptum S. C. C. 19 jan. 1869.[1]

Excipe: 1° Si ex circumstantiis moraliter constet, excessum stipendii traditum fuisse intuitu personæ, amicitiæ, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis. 2° Si alter sacerdos omnino sponte et non rogatus, vel partem stipendii ordinarii, vel excessum remittat. 3° Si non agatur de Missis manualibus, de quibus solis loquuntur Decreta, sed vel 1) de perpetuis alicui sacerdoti demandatis, vel 2) de celebrandis vi legati pinguis alicui sacerdoti ad vitam relicti, vel 3) de iis, quæ ex beneficio aut fundatione celebrandæ sunt, dummodo — contrarium in fundatione non sit cautum, — detur stipendium juxta taxam aut morem loci, — ac, si de Missis fundatis agatur, aliquo saltem modo celebrans determinatus fuerit, v. g. Pastor pro tempore. Ita S. Alph.,[2] ad quem præsertim a S. C. C. in Resp. 29 aug. 1860 pro solutione hujus quæstionis remittitur. Vide p. LXXXI. 7. Consonat quoad Missas fundatas Resp. S. C. C. 18 julii 1868 ad Arch. Coloniensem. 4° Si remissio fiat, etiam rogato remittente, at eo omnimoda libertate consentiente, præsertim in gratiam pii operis, dummodo tamen: a) non agatur de re quæ per suam amplitudinem suasque adnexas leges speciem accipiat publicæ negotiationis, quæ clericis illicita est, et b) in casu stipendii *extraordinarii* illi, qui istud dederunt, non ea illud conditione dederint, ut uberiorem fructum ex Missa percipiant, quod quidem præsumendum est, nisi de contrario, ut in exceptione sub 1°, satis constet. — Ita *Acta*.[1]

Patet has exceptiones intelligendas esse cum addito: *dummodo non adsit prudens dubium an Missæ a substitutis, et quidem intra tempus requisitum, sint celebrandæ.*

Placet hic subjicere sequentes quæstiones ab Archiepiscopo Coloniensi S. Cgni Conc. propositas.

I. "Multæ . . . in ecclesiis parochialibus fundatæ sunt Missæ cantandæ, . . . quibus a fundatoribus assignata est dos pinguior ab ecclesiæ provisoribus administranda, ex qua Parochi, quibus *ex jure diœcesano et consuetudine* harum Missarum celebratio competit, eleemosynam diœcesana majorem percipiunt, *nullo tamen sacerdote a fundatoribus ad has Missas celebrandas expresse vocato.*"

II. "In celebrandis Matrimoniis exequiisque defunctorum jura stolæ Parocho non in cumulo solvuntur, sed certa portio assignata est *pro singulis actibus* ad has functiones rite persolvendas requisitis. Hinc certa quoque eleemosyna, eaque pinguior quam pro cæteris Missis manualibus, ab Ordinario fixa est tam pro Missis nuptialibus, quam pro Missis exequialibus; quarum celebratio de jure et consuetudine ad Parochos spectat."

III. "Plurimæ per annum Parochis a fidelibus offeruntur eleemosynæ pro Missis cantandis sive secundum taxam ab Ordinario constitutam, sive etiam sponte traduntur pinguiores."

"Cum autem Parochi nonnunquam morbo, absentia, aliisque sacris functionibus impediantur, quominus Missas in tribus enunciatis casibus ipsimet celebrent, eorum vices supplent alii sacerdotes, sive iisdem ecclesiis in eorum adjutorium adscripti, quorum salarium ab ecclesiæ provisoribus solvitur, sive etiam extranei. Hinc quæstio oritur, an Parochi in eisdem tribus casibus sacerdotibus

[1] Acta. Vol. IV. p. 537.
[2] L. VI. 321.

[1] Vol. III. pp. 559, 560.

eorum vices supplentibus tradere debeant integram eleemosynam ; an potius eis fas sit, retenta sibi parte, minorem eleemosynam dare celebranti ? Quodsi in his casibus pars eleemosynæ a Parochis licite retineri possit, quæritur ulterius, an ab eisdem celebranti sacerdoti solvenda sit eleemosyna diœcesana pro Missis lectis, an potius pro cantatis ab Ordinario constituta ? "

Ad has quæstiones S. C. 28 mart. 1874 rescripsit : *Dilata*, et re iterum mature perpensa et discussa in comitiis diei 25 julii 1874 respondere censuit :

Ad I. Integram eleemosynam a Parocho solvendam esse pro Missis sive lectis, sive cantatis.

Ad II. Cum agatur de juribus stolæ, satis esse, si Parochus retribuat celebranti eleemosynam ordinariam.

Ad III. Integram eleemosynam solvendam esse, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynæ oblatum fuisse intuitu personæ ipsius Parochi.[1]

Hæ vero resolutiones, cum de re stricti juris agatur, valent etiam pro nostris quasi-parochis.

Exciperem casum, quo ex libera inter partes conventione, vel diœcesana sive consuetudine sive lege, superfluum ejusmodi stipendii habendum esset ut pars pensionis, ab assistente in victum solvendæ.

Quær. 8° *An qui retinet partem stipendii, teneatur ad restitutionem ?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia hoc deducitur ex propositione damnata ab Alex. VII. h. n. q. 7° relata. Propositio enim dicebat, sacerdotem retinentem partem stipendii posse satisfacere per alium ; ergo sequitur, contradictoriam esse veram, illum scilicet non posse satisfacere : satisfactio autem non respicit tantum honestatem actus, sed etiam ejus justitiam ; qui autem obligationi justitiæ non satisfacit, ad restitutionem tenetur ; 2° quia sacerdos dividens stipendium, si sit pinguius, agit contra voluntatem dantis : voluntas enim dantis est, non solum ut Missa celebretur, sed ut pro tali stipendio celebretur. Neque enim gratuito erogare quidpiam ei vult, qui non celebrat. — Ita S. Alph.,[2] inquiens, hanc sententiam esse tenendam. Cui autem fieri debeat restitutio, num danti scilicet eleemosynam, an celebranti, *controvertitur*. Potius celebranti facienda videtur.[1]

Quær. 9° *An sacerdos, cui offertur pingue stipendium pro hodierna Missa, possit, hoc retento, rogare alium sacerdotem ut celebret pro ipso, promittens celebrare die sequenti pro eodem, qui pro ordinaria eleemosyna est celebraturus ?*

Resp. Controvertitur. I^a^ Sententia *negat*, quum hoc non possit excusari a *specie* turpis lucri. — Ita S. Alph., qui dicit *recte* ita sentire Concinam, addens tamen hunc *merito* id non audere damnare de gravi, et prudentum judicio remittere an *paupertas* sacerdotis possit excusare ab omni culpa.[2]

II^a^ Sententia *affirmat*, cum Lacroix,[3] et aliis.

Quær. 10° *Quomodo taxandæ sint Missæ, pro quibus legendis testator summam aliquam pecuniæ reliquit ?*

Resp. Taxandæ sunt juxta loci consuetudinem vel diœcesis legem pro Missis privatis vigentem. Si autem taxavit ipse testator, sed infra loci morem, aut taxæ receptæ normam, ab Ordinario taxandæ sunt juxta morem loci, habita ratione hæreditatis pinguis vel tenuis. — Sic statuit S. C. apud S. Alph.[4]

Quær. 11° *An sacerdotes divites stipendium accipere possint ?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia quisque operarius sive dives, sive pauper, mercede sua dignus est, ut dicit ipse Christus apud Luc.[5] et juxta Apost.[6] Aliunde si stipendium accipere non possint, et alioqui non tenentur sine stipendio celebrare, cum lex nulla adsit, quæ eos ad sic celebrandum obliget, sæpius fideles Missas obtinere non poterunt. Constat insuper ex universalis Ecclesiæ praxi. — S. Alph.,[7] et alii *communiter*.

Quær. 12° *Quid de bibliopolis et mercatoribus, qui variis modis Missas celebrandas cum libris vel mercibus permutant ?*

Resp. S. C. C. 9 sept. 1874 sequentibus dubiis :

[1] Acta, T. VIII. p. 75 sq.
[2] L. VI. 322.

[1] L. VI. 322.
[2] Ib. Dub. 4. Cfr. Vind. p. 386. Ed. 2^a^ T. I. p. 437.
[3] n. 134.
[4] L. VI. 320. Dub. 5.
[5] 10. 7.
[6] 1 Cor. 9. 14.
[7] L. VI. 317. q. 1.

1. An turpe mercimonium sapiat, ideoque improbanda, et pœnis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui, adhibitis publicis invitamentis et præmiis vel alio quocumque modo, Missarum eleemosynas colligunt, et sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam, sed libros aliasve merces rependunt?

2. An hæc agendi ratio ideo cohonestari valeat, vel quia, nulla facta imminutione, tot Missæ a memoratis collectoribus celebrandæ committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus sacerdotibus, eleemosynis Missarum carentibus, subvenitur.

3. An hujusmodi eleemosynarum collectiones et erogationes tunc etiam improbandæ et coercendæ, ut supra, sint ab Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligentium commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur?

4. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem præmii nomine?

5. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros, aliasve merces harum pretio sive imminuto, sive integro?

6. An illicite agant ii, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusâ quavis negotiationis, vel turpis lucri specie?

Respondit: — Ad 1. Affirm.

Ad 2. Neg.

Ad 3. Affirm.

Ad 4. Affirm.

Ad 5. Affirm.

Ad 6. Neg.

Quær. 13° *An administratores Ecclesiarum possint aliquid sibi retinere ex Missarum eleemosynis pro expensis altarium, luminum, etc.?*

Resp. Neg., nisi Ecclesiæ alios reditus non habeant; et tunc nullatenus excedi debet valor expensarum, quæ pro ipso Missæ Sacrificio necessariæ sunt, et nihilominus eo etiam casu curandum est, ut ex pecuniis quæ supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas. — Ita statuit S. C. C. apud S. Alph.[1]

Quær. 14° *An restituere debeat, qui, accepto stipendio ad Missam in altari privilegiato celebrandam, eamdem in alio altari celebrat?*

Resp. Negandum videtur; sed tenebitur ad lucrandam indulgentiam plenariam defunctis applicabilem, ut sunt indulgentiæ *Viæ Crucis*, etc. . . . Sic enim proportionata compensatio tribuitur. Si tamen stipendium majus ordinario ad hoc acceperit, excessum restituere tenetur. — Ita S. Alph.,[2] Elbel,[3] Sporer.[4]

Si autem quis accipiat stipendium, ut celebret in loco certo, v. g. ad Statuam miraculosam, vel in Sacello ut populus Missam audiat, vel certo tempore v. g. die Sabbati in honorem B. Virginis, ita ut locus et tempus *per se* intendantur, non potest retinere stipendium, nisi Missam tempore et loco præscripto legerit. Ratio est, quia alias dans stipendium graviter invitus censetur. Secus vero, si tempus et locus *per se* non intendantur.

Quær. 15° *An obligatus ex stipendio ad celebrandum in altari privilegiato pro defuncto debeat legere Missam* de Requiem, *quando* RITUS *id permittit?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia ad indulgentias lucrandas id requiritur, ut patet ex decl. S. C. R. 11 apr. 1840.[5]

Quær. 16° *An obligatus ex stipendio ad* LEGENDAM *Missam* de Requiem, *vel votivam, satisfaciat si aliam Missam dicat?*

Resp. Affirm. quoad Missam *de Requiem*, nisi testator aut dans stipendium expresse rogaverit eam dici (S. R. C. 5 aug. 1662 et 12 sept. 1840). — *Neg.* quoad *votivam* (S. R. C. 12 sept. 1840), nisi *vel* 1° postulans consentiat; *vel* 2° votiva accepta sit, quæ celebrari non permittitur, ut in honorem Mysterii vel Be-

[1] L. VI. 322 in fine.
[2] Ib. 329. Not. 2. Vide n. 1798. q. 4°. R. 7°.
[3] 210.
[4] n. 355 et Suppl. n. 137.
[5] L. VI. 339.

ati; *vel* 3° votiva accepta sit pro die, quo prohibetur, et commode differri nequeat in diem liberam.

Verum, nec in casu Missæ *de Requiem* expresse rogatæ, nec in casu *votivæ, graviter* peccant legentes Missam diei, et ne *leviter* quidem in casibus exceptis, vel dum adest causa legitima, qualis tamen non est propria devotio.[1] Ratio est, quia idem est valor essentialis; valoris autem accidentalis privatio non tam grave infert præjudicium. Præterea virtus fidelitatis in casu non tam graviter obligat.

Nota tamen hic non agi de casibus sub q. 14° et q. 15° tractatis, nec de Missis *de Requiem* in cantu celebrandis, de quibus, sicut et de tota hac quæstione, vide de Herdt.[2]

Quær. 17° *An stipendium percipi possit pro Missa in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum celebranda?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia non omnes sacerdotes tenentur hac die Missam applicare pro omnibus defunctis, imo nec celebrare obligantur. Possunt igitur Missam applicare ad libitum vel pro omnibus defunctis in Purgatorio degentibus, vel pro aliquibus tantummodo. Constat ex Decreto S. C.[3] Hoc autem posito, nihil prorsus obest, quominus stipendium pro Missa accipi possit. — Ita *communiter*.[4]

Quær. 18° *Quid* consulat, *et quid* præcipiat *Conc. Pl. Balt. II. circa Missas fundandas aut fundatas?*

Resp. ad 1^um^. In Appendice Concilii[5] refertur, atque adeo, normæ loco, consuli videtur Decretum IV. Conc. Prov Cincin. II., quod sic sonat: "Ut certa quædam norma in hac Provincia statuatur pro fundationibus Missarum, . . . censuerunt Patres ejusmodi fundationes, maxime quando sunt perpetuæ, cum magna cautela, ob peculiaria, in quibus versamur, rerum adjuncta, . . . esse admittendas; ea etiam ratione, ut pro Missa privata fundum saltem quinquaginta scutatorum, pro cantata vero centum scutatorum prius existat." . . . Cautela autem optima erit, si pactum cum fundatore ineundum has saltem contineat conditiones: 1) ut nulla celebrandi futura sit obligatio, si capitale ad hunc finem destinatum *quacumque de causa* vel perierit, vel otiosum aut infructiferum remanserit; 2) ut Missarum celebrandarum numerus pro rata minuatur, si *quacumque ex causa* reditus non pertingant ad stipendium a fundatore statutum; ideoque non tantum capitale, sed Missarum etiam stipendium determinetur vel saltem reductionis facultas Ordinario reservetur; 3) ut, si *quacumque ex causa* Ecclesia, in qua Missæ celebrandæ sint, sacerdote careat, aut etiam destruatur, celebrari possint in alia ab Ordinario designanda.

Resp. ad 2^um^. "Ne fundationes acceptentur absque prævio assensu Episcopi, si de sæculari instituto agatur, vel Prælati regularis, si fundatio in gratiam communitatis exemptæ fiat."[1]

Quær. 19° *Quid sit Missarum reductio?*

Resp. Est imminutio numeri Missarum celebrandarum concessa per legitimam auctoritatem ex legitima causa.

Dicitur: 1° Missarum *celebrandarum;* nam *reductio* respicit futurum seu Missas *omittendas;* et, si agitur de Missis *omissis,* habetur *condonatio,* quæ in genere privative Summo Pontifici reservatur. Si conceditur, parva eleemosyna injungitur, quæ vocatur *compositio.*

Dicitur: 2° *per legitimam auctoritatem,* per Summum Pontificem nimirum, uti declaravit S. C. C., probantibus Urbano VIII. et Innoc. XII., Bulla: *Nuper.* — Poterit tamen et Episcopus reducere, si vel a), ut per se patet, Indultum ad hoc obtinuerit;[2] vel b) deprehendat in prima oneris acceptatione reditus non respondere oneri; decreta enim Urb. VIII. loquuntur tantum de oneribus jam acceptatis; vel c) fundator hanc Episcopo fecerit facultatem; vel d) onus impositum acceptatumque fuerit *inter vivos* vi conventionis initæ cum Episcopo; conventio enim illa hanc tacitam includit conditionem: re, seu capitali, remanente in eo statu, in quo fructus stipendium saltem ordinarium Missæ manualis exæquent. In casu igitur diminutionis redituum aut deperditionis fundi, Episcopus ordinaria sua potestate, seu partes judicis assumendo, contractum ad terminos juris reducere potest.[3]

[1] L. VI. 327.
[2] T. I. n. 66.
[3] 4 aug. 1663.
[4] L. VI. 338.
[5] p. 319.

[1] a. 370.
[2] Ben. XIV. de Syn. L. XIII. c. ult.
[3] Ib. n. 26.

Dicitur: 3° *ex legitima causa*, e. g. imminutionis redituum, adauctæ per Episcopum eleemosynæ, etc.

CAPUT IV.

DE TEMPORE ET LOCO CELEBRATIONIS.

ARTICULUS I.

DE TEMPORE CELEBRATIONIS.

1326. PRINCIPIA.— I. Licet celebrare quotidie, imo laudabile id est, nisi obstet celebrantis indignitas, aut specialis Ecclesiæ prohibitio. — Prohibet autem Ecclesia, ne celebretur Missa in die Parasceves, seu Feria VI. Hebdomadæ majoris; item ne plura Sacra fiant in eadem Ecclesia Feria V. et Sabbato ejusdem Hebdomadæ. Necessitas autem plura Sacra permittit sola Fer. V. in Cœna Domini, 1° ob communionem infirmorum, qui Missæ *solemni* assistere nequeunt et in quorum favorem licebit celebrare *privatam*, arbitrio tamen Episcopi; 2° ob festum de præcepto eadem Fer. V. in Cœna Domini (non Sabb. Sancto) occurrens, quo casu non quidem omnes sacerdotes, sed aliqui Missam privatam (non de festo, sed de Cœna Domini) ante solemnem celebrare possunt et debent, ut fideles præcepti implemento non desint. — Unica autem illa Missa, quæ Fer. V. in Cœna Domini et Sabbatho sancto celebratur, celebrari non potest in iis Ecclesiis, in quibus non asservatur SS. Sacramentum. Hæc præterea in cantu, ac, si sufficiens habeatur numerus ministrorum, solemniter celebranda est. Sic ex variis Congregationis Rituum Decretis constat.[1]

II. Non licet *ordinarie*, et speciali privilegio secluso, celebrare ante auroram, nec post meridiem, nec ante Matutini et Laudum recitationem. Sic enim in Rubricis Missalis habetur: "Missa privata saltem post Matutinum et Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem, dici potest." — Licet tamen Missam ante auroram inchoare, modo ante auroram non absolvatur. Licet pariter celebrationem ultra meridiem protrahere, modo saltem meridie incipiatur; tempus enim auroræ et meridiei non *mathematice*, sed *moraliter* accipiendum est.[1] Incipit autem aurora, quando prima claritas per terram diffunditur, seu a lucis initio, quod pro variis locis et anni temporibus varium est. Tabellam auroræ pro 51 gradu latitudinis vide, si lubet, apud de Herdt.[2] — Privilegio speciali, quod Episcopis nostris conceditur et per hos sacerdotibus communicari potest et solet, permittitur, ut Missa celebretur per unam horam ante auroram et aliam post meridiem. Vide p. LXXI. n. 23.

III. Pari modo privilegium celebrandi una hora ante auroram vel post meridiem, intelligi debet de una hora ante vel post tempus pro aliis non privilegiatis assignatum: alioquin enim privilegium parum prodesset.[3]

1327. QUÆSITA. — Quær. 1° *An peccet graviter, qui celebrat ante auroram aut post meridiem?*

Resp. Affirm., si multum præveniat, aut protrahat tempus ab Ecclesia statutum; secus vero, si mutatio sit levis; imo si justa adsit causa, omni culpa vacabit. Qualis autem censeatur immutatio notabilis, *controvertitur*. Juxta communiorem et probabiliorem sententiam gravis non habetur, nisi celebratio hora integra ante vel post tempus statutum incipiatur.[4]

Quær. 2° *Quandonam liceat celebrare ante auroram, vel post meridiem?*

Resp. 1° In necessitate, v. g. ut moriturus ministretur Viaticum; quo casu liceret etiam media nocte celebrare. 2° Ubi est mos rationabilis, v. g. ut opifices et famuli summo mane possint Sacrum audire. 3° Vi privilegii a Papa concessi, vel dispensationis in casu particulari ex causa rationabili per Episcopum, aut pro religiosis exemptis per Superiorem suum; 4° Ex causa itineris per horam post meridiem vel ante auroram; 5° Sic etiam causa funeris alicujus magnatis, vel concionis, vel publicæ supplicationis.[5]

Quær. 3° *Quale peccatum sit celebrare Missam ante recitationem Matutini et Laudum?*

Resp. Vide n. 1100. q. 2°.

[1] L. VI. 350 et de Herdt. T. II. n. 280. T. III. n. 36.

[1] L. VI. 341. [2] T. I. n. 102.
[3] L. VI. 346. [4] L. VI. 346.
[5] Ib. 343 sq.

Quær. 4° *An liceat sæpius in die celebrare?*

Resp. Neg. generatim loquendo ex hodierna praxi Ecclesiæ, licet olim prohibitum non fuerit. Constat ex variis locis Juris Can. et ex Decreto Bened. XIV. 16 martii 1746.

Excipe 1° festum Nativitatis Domini in quo licet celebrare tres Missas; 2° si Pastor ante ablutionem moneatur de communicando infirmo, et suam jam Hostiam sumpserit, nec alius sacerdos jejunus reperiatur.[1]

Quær. 5° *Quandonam liceat Missam bis in die celebrare de licentia Episcopi?*

Resp. Permittente Episcopo, Missa bis (numquam vero pluries quam bis) ab eodem sacerdote celebrari potest diebus Dominicis et Festis de præcepto non suppressis, si necessitas id exigat, non vero ob solam consuetudinem, nec in commodum eorum qui privilegio oratorii privati gaudent, nec ob sacerdotis paupertatem, nec ubi alius sacerdos habeatur, per quem necessitati provideri possit. Bened. XIV. Const. *Declarasti nobis*, et c. *consuluisti* (3) *de celebrat. Miss.* (L. III. Decr. T. XLI.). Vide p. LIV.-LVI. n. 1-9.

Quær. 6° *Quandonam censeatur adesse necessitas bis in die celebrandi?*

Resp. Vide p. LVI. n. 10. 11. Ampliorem Episcoporum nostrorum facultatem vide p. LXXI., LXXII. 23, et hujus declarationem p. LVI. n. 11 sq.

Quær. 7° *An qui binas Missas celebrat possit duplicatum stipendium accipere?*

Resp. Neg.; idque stricte prohibuit Pius IX. — Ita S. C. C.[2] — Ordinariis tamen, præsertim Missionum, datur quandoque facultas justa et gravi de causa sacerdotibus permittendi, ut etiam pro secunda Missa stipendium percipiant. Ita ex Litt. S. C. de P. F. 15 oct. 1863, a piæ mem. Arch. Spalding mihi exhibitis.

Quær. 8° *Liceretne in hoc casu duplex stipendium accipi ea lege, ut alterum stipendium in pium usum expendatur?*

Resp. Neg. sine Indulto Summi Pontificis, quod quidem Pontifex Archiepiscopo Coloniensi concedere noluit. — Ita S. C. C.[3]

Quær. 9° *An liceat in nocte Nativitatis Domini celebrare omnes tres Missas ante auroram?*

Resp. Neg. sine licentia Episcopi ex justa causa, vel sine indulto Apostolico. Id enim expresse prohibet Rubrica Missalis, quæ sic habet: "Prima Missa dicitur in nocte; secunda in aurora; et tertia in die." Constat etiam ex Decreto S. C. R. quod ita se habet: "Non licet in media nocte Nativitatis Domini celebrare successive duas alias (Missas) et Communionem Sacram exhibere."[1]

Quær. 10° *Per quale temporis spatium Missa lecta durare debeat?*

Resp. Regula generalis est, Missam nec longiorem esse debere dimidia hora, ne adstantes tædio afficiantur, nec breviorem tertiæ horæ parte, quia secus non poterit decenter celebrari. Non excusabis autem a peccato mortali sacerdotem, qui Sacrum faciens non attingat horæ quadrantem. Rationem affert S. Alph.,[2] quia tam brevi spatio committere necessario debet duos graves defectus, alterum gravis irreverentiæ erga Sacramentum, alterum gravis scandali erga populum. Optandum est autem, cunctisque sacerdotibus enixe commendandum, ut in Sacro faciendo dimidiam horam expleant.

Quær. 11° *Quantum temporis, peracto Sacro, gratiis Deo agendis impendi debeat?*

Resp. Nulla datur regula omnino certa. Sed benigniores quartam horæ partem saltem requirunt. — S. Alph.[3] enixe suadet, ut saltem semihora huic pio exercitio impendatur a sacerdote, qui fidelibus exemplum præbere debet.

ARTICULUS II.

DE LOCO CELEBRATIONIS.

1328. PRINCIPIA. — I. Non licet communiter celebrare, nisi in Ecclesia, eaque consecrata, vel saltem benedicta, quæ non sit polluta, execrata aut interdicta. Constat ex Trid.[4]

Quoad Ecclesiam pollutam et execratam vide infra n. 1329. 4° *et* 5°. De Ecclesia vero interdicta Tractatum *de Censuris*.

[1] L. VI. 351.
[2] 25 sept. 1858 in una Galliarum.
[3] 21 mart. 1863.

[1] 18 dec. 1702. S. Alph. L. VI. 343.
[2] L. VI. 400.
[3] Ib. et Praxis Conf. n. 155.
[4] Sess. 22. decr. de observ. et vitand. in celebr. Miss.

II. Episcopus non potest amplius, ut olim, concedere facultatem celebrandi in domibus privatorum, neque in Oratorio privato.[1] Constat ex declaratione S. C. C. 27 maii 1617, et 23 jan. 1847, in qua dicitur, non licere ulli Episcopo hujusmodi licentias concedere, ne pro actu quidem transeunte, et hanc facultatem esse Rom. Pontifici reservatam. Excipitur tamen, si magnæ et urgentes adsint causæ, et tunc per modum actus transeuntis tantum. Ita S. C. C. 20 dec. 1856.

1329. QUÆSITA. — Quær. 1° *In quibus Oratoriis Episcopi possint dare licentiam celebrandi?*

Resp. Permittere possunt, ut id fiat in oratoriis publicis, et præterea in omni loco religioso et pio. Locus autem *religiosus* ille dicitur, in quo pietatis et misericordiæ opera exercentur, et qui Episcopi aut alterius Præsulis ecclesiastici auctoritate erectus est. Talia sunt monasteria, quælibet religiosæ Communitates, Seminaria, etc. . . . Locus vero *pius* ille vocatur, qui ad pietatis et misericordiæ opera constituitur et deputatur, etiam sine Episcopi aut ecclesiastici Præsulis auctoritate. Unde Hospitalia et Orphanotrophia quælibet haberi debent ut loca pia, in quibus proinde Episcopus permittere potest erectionem Oratorii, etiamsi ejusmodi loca a potestate civili erecta et constituta fuerint. Adde et Oratoria, quæ in carceribus erigantur, utut carceres *pia loca* dici non soleant. Sic S. C. C.[2]

Quær. 2° *An aliquando celebrare liceat extra Ecclesiam, vel Oratoria, de quibus in quæsito superiori?*

Resp. Affirm., urgente gravi necessitate, v. g. 1° si Ecclesia esset diruta vel continere non posset immensam multitudinem, et populus die præcepti secus Missa careret; 2° si sacerdos longam peregrinationem perageret per loca deserta vel apud infideles, et secus diu Missa careret; 3° si exercitus esset in castris, et die præcepti secus Missa careret; 4° in portu pro appulsu navis, ne navigantes, qui navem deserere nequeunt, Missa die præcepti priventur. Sic ex variis locis Jur. Can. apud S. Alph. In his tamen et similibus casibus impetranda est, semper ac potest, licentia Ordinarii;[1] 5° de licentia Episcopi in oratorio domus privatæ casu, declarato n. 1328. II.

Quær. 3° *Quæ sint facultates speciales Episcoporum nostrorum circa locum celebrationis?*

Resp. "Celebrandi sub dio et sub terra, in loco tamen decenti, . . . si aliter celebrari non possit." Vide p. LXXII, n. 23.

Hæc tamen, quæ sacerdotibus communicari potest et solet, facultas, ut tenor ejus: "si aliter celebrari non possit" jam exigit, a Concilio Plenario Baltim. II.[2] ita restringitur, ut "nulli sacerdoti . . . liceat Missam celebrare in ædibus privatis, nisi in stationibus, et in iis ædibus, quas Ordinarius designaverit, aut dum actu Missionis" (intellige succursum spiritualem alicui loco "procul ab aliqua ecclesia," per unum vel plures dies exhibitum) "exercitiis . . . dat operam." Quapropter ea facultate non licet uti in urbibus vel oppidis in quibus erectæ sunt ecclesiæ.[3]

Quod locum *decentem*, de quo in hac facultate, attinet, Kenr.[4] animadvertit ejusmodi non censeri: a) Cubiculum ubi ægrotus decumbit, nisi ruri procul ab omni ecclesia necessario celebrandum sit ad dandum ei Viaticum.[5] b) Ubi locus opportunior haberi potest, domum, ubi defuncti est cadaver; cubiculum ubi aliqui dormire *consueverunt*; tuguria et operariorum casas. c) Viliorem domus partem. d) Navem, nisi ex speciali indulto Papali, quod solis Missionariis Apostolicis concedi solet. Excipe casum, de quo in quæsito superiori 2° sub 4°. e) Theatrum. f) Liberorum Muratoriorum ædes. g) Diversorii cubiculum, in quo choreæ haberi *solent*. h) Hæreticorum vel schismaticorum ecclesias; nam sic dictæ "Simultaneæ," in quibus Clemens XI. Missionariis Rhætiæ celebrare permisit, sunt ecclesiæ consecratæ Catholicorum ab hæreticis occupatæ, quales apud nos nullæ, quod sciam, habentur.

Quær. 4° *Quomodo Ecclesia polluatur, et quomodo reconciliari debeat?*

[1] Sess. 22. decr. de observ. et vitand. in celebr. Miss.
[2] 27 mart. 1847 et 14 nov. 1648.

[1] L. VI. 356. 359.
[2] n. 362.
[3] Kenr. Tr. XVII. 87.
[4] Ib. n. 87. 88.
[5] S. C. de P. F. 14 dec. 1668.

Resp. ad 1^um^ *Polluitur*, seu *violatur* Ecclesia, quando in ea exercentur actiones quædam turpes vel indecentes et loco sacro injuriosæ, ob quas indecens reputatur, ut ibi offeratur Hostia immaculata, et divina Officia celebrentur, donec reconcilietur.

Polluitur itaque Ecclesia: 1° per homicidium voluntarium et injuriosum, saltem immunitati Ecclesiæ, quale etiam est, quod alias justum esset per sententiam judicis; nisi tamen reipublicæ perturbator aliter capi non posset; 2° per effusionem copiosam sanguinis humani ex percussione, aut vulnere graviter injurioso; requiritur vero, ut is, in quem talis sævities exercetur, in *ecclesia ipsa* eam patiatur, licet forte vulnerans extra ecclesiam sit, vel licet effusio sanguinis aut mors extra ecclesiam sequatur; 3° per effusionem humani seminis voluntariam, et vel per se, vel ratione loci sacri *illicitam*. Non pollueretur igitur per copulam maritalem, quando justa adesset causa eam habendi, scilicet *ad vitandam incontinentiam;* 4° per sepulturam non baptizati, seu infidelis. Excipe probabilius, si sit cathecumenus; quia non censetur infidelis. Item si sit infans, cujus parentes sint christiani, quia tunc parentes pro ipso Baptismum desiderant. — Ita Pichler, — Gousset,[1] contra alios; 5° per sepulturam baptizati nominatim excommunicati; non vero si sit quidem excommunicatus, sed non vitandus. De his constat ex Jure Canonico. — Vide S. Alph.[2] Sed ut Ecclesia censeatur polluta, hæc crimina debent esse sive facto, sive jure notoria, ita ut nullo modo celari possint. Debent etiam patrari in ipsa Ecclesia, non vero tantum in turri, tecto, sacristia, aliisve cameris Ecclesiæ adhærentibus.[3]

Resp. ad 2^um^ 1° Si Ecclesia fuit tantum *benedicta*, reconciliari potest a sacerdote (juxta Rit. Rom. delegando ab Episcopo), cum orationibus consuetis, et cum aqua, quæ ab ipso sacerdote, ad Ecclesiam reconciliandam delegato, benedici potest.[4]

2° Si vero Ecclesia illa fuerit *consecrata*, reconciliari debet ab ipso Episcopo, vel a sacerdote delegato a Papa, vel apud nos ab Episcopo (vide p. LXXI. n. 13), juxta ritum Pontificalis Romani. Attamen, si non possint omitti divina Officia sine gravi incommodo, cum licentia Episcopi, si haberi possit (alias sine ea), celebrari potest.[1]

Oratoria autem privata, licet benedicta (quæ tamen benedici non possunt nisi benedictione loci vel domus novæ [2]) et ad cultum deputata, non censentur pollui; et ideo reconciliatione non indigent.

Quær. 5° *Quomodo Ecclesia execretur, vel execrata ad cultum idonea reddatur?*

Resp. 1° Ecclesia execratur, cum amittit suam benedictionem, vel consecrationem. Censetur autem execrari, quando totaliter vel ex maxima parte corruit, vel destruitur, ita ut de novo, saltem ex majori parte, ædificari debeat, aut si omnis parietum crusta, vel major saltem pars, simul auferatur.[3]

Resp. 2° Ecclesia execrata, iterum benedicenda vel consecranda est, juxta ritum et formam præscriptam pro benedictione vel consecratione Ecclesiarum.

Altare autem fixum consecrationem amittit, cum mensa seu lapis superior a stipite suo amovetur, aut per fracturam mensæ enormem. — Sic S. C. R. 15 maii 1819, 13 mart. 1821. Altaria sive portatilia sive fixa suam consecrationem amittunt per fractionem tumuli (vel ejus operculi, non vero sigilli), in quo reconduntur Sacræ Reliquiæ, vel per earumdem amissionem. — S. C. R. 23 maii 1835; 23 sept. 1848. Nec sufficit in illis tumulari alias Reliquias authenticas; sed altaria denuo sunt consecranda. — Sic S. C. R. 7 dec. 1844. — Nota tamen facultatem Episcopis nostris concessam et quæ per eos sacerdotibus communicari potest et solet," celebrandi, . . . etiamsi altare sit fractum vel sine Reliquiis Sanctorum; . . . si aliter celebrari non possit. Vide p. LXXII. n. 23.

Demum *vasa* sacra, et aliæ res *consecratæ* execrantur, quando formam suam amittunt, nec amplius ad usum suum inservire possunt. — Hinc *paramenta* etiam suam benedictionem amittunt, si evadant ita lacera vel usu trita, ut morali homi-

[1] n. 310.
[2] L. VI. 362 sq.
[3] Ib. 362 et 364.
[4] Ib. 363.

[1] L. VI. 361.
[2] De Herdt. t. III. n. 289. I.
[3] L. VI. 368.

num æstimatione ad finem suum adhiberi amplius non possint, vel si amittant formam *essentialem* etiam per brevissimum tempus, ita ut, stante hac separatione, suo usui inservire nequeant: hinc etiam, si uno actu addatur pars, quæ sit major parte benedicta; non autem si reficiantur paulatim per partes minores. De Herdt.[1]

Ex dictis porro patet, quale sit discrimen inter pollutionem Ecclesiæ et ejus execrationem. Polluta Ecclesiæ parte, integra Ecclesia pollui censetur, etiam cum cœmeterio adjacente. E contrario execrata Ecclesia, non ideo execratur cœmeterium, nec altaria fixa et integra consecrationem amittunt.

CAPUT V.

DE MODO CELEBRANDI.

Nempe 1° De requisitis ad Missam; 2° de Rubricis.

ARTICULUS I.

DE REQUISITIS AD MISSAM.

1330. — Hæc requiruntur: 1° Altare lapideum, fixum vel portatile, consecratum ab Episcopo, aut apud nos, si de portatili agitur, vacante Sede et in casu necessitatis, ab Administratore diœcesis, — vel, Sede plena, a sacerdote per Episcopum in locis sibi subjectis deputato, cum oleis tamen ab Episcopo benedictis (vide p. LXXII. n. 28 et p. LXXIII. n. 6). 2° Mappa triplex ex lino vel cannabe confecta; quapropter "emendandus est," inquit Kenr.[2] "mos quorumdam mappis utentium, quæ in domo, in qua rure celebrant, reperiuntur, unica breviori mappa corporali supposita, — vel quæ ex lino aut saltem ex cannabe non sint confectæ. Venialis saltem est culpa tres mappas non adhibere; mortalis omnes omittere, nisi gravis excuset necessitas." 3° Vestes sacræ, seu ab Ordinario, vel apud nos a sacerdote, per Ordinarium vi facultatis, quæ p. LXXI. n. 13. refertur, delegato, benedictæ. 4° Calix et patena, ab Episcopo, aut apud nos per eum, ut supra 1°, deputatis, consecrata. 5° Corporale lineum vel ex cannabe, ab Ordinario, aut apud nos per sacerdotem, ut supra 3°, delegatum, benedictum. 6° Palla pariter linea vel ex cannabe. 7° Purificatorium lineum. 8° Missale cum pulvillo. 9° Crucifixus. 10° Candela duplex accensa ex cera. 11° Bursa, velum, manutergium, ampullæ. 12° Minister masculus.[1] Cfr. n. 1247. V. a).

Quod candelas autem attinet, in Missis *stricte* privatis non licet plures, quam duos cereos accendere, nisi celebret Episcopus, vel nisi agatur de Missis lectis conventualibus vel Parochialibus aut similibus in diebus solemnioribus, vel de iis, quæ celebrantur loco solemnis et cantatæ occasione celebritatis et solemnitatis, vel nisi SS. Sacramenti expositio majorem numerum exigat. — De Herdt.[2]

1331. QUÆSITA. — Quær. 1° *An mappæ necessario debeant esse benedictæ?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia id in Rubrica præscribitur, et quidquid dicant nonnulli, non apparet ratio sufficiens agendi contra Rubricam, qua sic statuitur: "Altare operiatur tribus mappis . . . ab Episcopo vel ab alio habente potestatem benedictis." Celebrare tamen supra mappam non benedictam, culpam venialem non excedit, et proinde, urgente rationabili causa, omni culpa caret, juxta S. Alph.[3]

Quær. 2° *An sit mortale celebrare sine ulla veste sacra, aut sine stola, vel alba, casula, manipulo vel cingulo?*

Resp. 1° Est mortale celebrare sine ulla veste sacra, in omni casu, ex quacumque causa. 2° Item celebrare sine casula, vel alba, aut stola et manipulo simul. 3° Item celebrare cum ornatu *notabiliter* immundo et lacero. 4° *Verius* etiam celebrare sine manipulo, vel stola, aut iis non benedictis. 5° Probabiliter non est mortale celebrare sine amictu, saltem pro iis qui illo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros. Idem etiam dicendum de celebratione sine cingulo; unde ab his omnibus causa rationabilis facile excusat.[4]

Quær. 3° *An color vestium sit de præcepto?*

[1] T. I. n. 169. [2] Tr. XVII. 99.
[1] L. VI. 376–389. [2] T. I. n. 184.
[3] L. VI. 375. [4] L. VI. 377.

Resp. Affirm., quia omnes Rubricæ, quæ respiciunt cæremonias Missam concomitantes, ut præceptivæ habentur. Attamen hæc Rubrica obligare sub gravi non videtur, nisi scandalum adsit, v. g. si die Paschatis vel alio solemni Missa celebraretur vestibus nigris. Hinc causa non adeo gravis, quæ Missionariis nostris sacerdotibus sæpe aderit,[1] ab hoc præcepto excusare potest.[2]

Quær. 4° *Quinam colores in paramentis requirantur ?*

Resp. Requiruntur paramenta *albi, rubri, viridis, violacei*, et *nigri* coloris. — Omnino reprobantur paramenta ex telis sericis vitreis confecta. Sic S. C. R.[3] — Pariter reprobantur paramenta varii coloris (*of the various colors*), quæ propter flores cujusque coloris immixtos non pauci volunt omni festo posse adhiberi. Hæc S. C. R. prohibuit die 23 sept. 1837 ; atque adeo illum colorem tantummodo repræsentare possunt, qui primarius est et prædominans.

Prohibentur omnino paramenta *flavi* et *cærulei* coloris. — Sic S. C. R.[4] — Permittuntur tamen paramenta ex aurea tela (*gold cloth*), quæ, juxta usum *Urbis*, pro albo et rubro colore adhibentur, et, ubi adest consuetudo, etiam pro viridi quin et pro omni colore, si fila serica, cum aureis intermixta, sint coloris præscripti.[5]

Quær. 5° *An calix et patena sub gravi vel sub levi tantum consecrari debeant ; et ex quanam materia sint conflanda ?*

Resp. ad 1^{um} Consecrari debent *sub mortali ;* præceptum enim circa rem gravem versatur.[6]

Resp. ad 2^{um} Ex præsenti disciplina, calicis saltem cuppa debet esse aurea, vel argentea intus inaurata. In casu vero necessitatis calix ex stanno vel ex cupro adhiberi posset. Patena esse debet ex auro, vel argento inaurato.

Quær. 6° *An calix et patena consecrationem amittant, si inauratio pereat ?*

Resp. Neg. probabilius, sed post novam deaurationem consecratione nova indigent, quia intervenit aurum de novo additum, immediate Sanguinem tangens et quod non est consecratum.[1] Consonat Decl. S. C. R.[2]

Ceu abusus autem habendum est, quod sacerdos *execrari* velit prædicta vasa sacra, antequam ea reficienda vel iterum refundenda tradat artifici. Debent ergo ei tradi, si opus sit, quin sacerdos vel directe manu, vel aliquo mediante instrumento conetur ea execrari. — Sic S. C. R.[3]

Quær. 7° *An alba, cingulum, amictus, mappulæ, corporale, purificatorium, palla necessario debeant esse ex lino vel cannabe ?*

Resp. Affirm. quoad omnia. Sic ex praxi et præcepto Ecclesiæ. — Attamen ex Decreto generali S. C. R.[4] *amictus, albæ, mappulæ*, si quæ ex gossipio haberentur, adhiberi interea poterant, usquedum consummarentur, non renovandæ tamen, nisi ex lino vel cannabe. Præcipiebatur vero, ut *Corporalia, pallæ, purificatoria* post lapsum unius mensis a publicatione Decreti tantummodo linea vel ex cannabe confecta adhiberi possent. — Cingulum etiam ex lana vel serico confici potest. S. C. R. 23 dec. 1862.

Quær. 8° *An pyxis necessario consecrari debeat ?*

Resp. Vide n. 1247. V. a). 4°.

Quær. 9° *Quale peccatum sit celebrare cum corporali non benedicto ?*

Resp. Hoc excusari nequit a mortali, nisi urgeat gravis necessitas celebrandi. In casu autem necessitatis posset etiam sine corporali celebrari. — Ita *communiter*.[5] Pariter mortale est uti corporali valde immundo ; veniale vero, si valde immundum non sit. Imo in necessitate, nempe si urgeat præceptum audiendi Sacrum, nullum esset peccatum.[6]

Quær. 10° *An sit mortale celebrare sine palla, vel cum palla non benedicta ?*

Resp. Controvertitur. I^{a} Sententia probabilis *affirmat*. Ratio est, quia olim palla erat ipsum corporale, quo calix operiebatur : unde licet nunc sit separata a corporali, æque necessaria ea est, ac illud.

II^{a} Sententia, ipsa quoque probabilis, *negat*. Ratio est, quia hodie non eadem currit ratio reverentiæ pro palla ac pro corporali, quod immediate Sacras Species tangit. In necessitate, palla deficiente,

[1] Renr. Tr. XVII. 111. [2] L. VI. 378. Dub. 5.
[3] 11 sept. 1847.
[4] 16 mart. 1833.
[5] De Herdt. T. I. n. 147.
[6] L. VI. 379.

[1] L. VI. 370. Dub. 2. in fine. [2] 14 jun. 1845.
[3] 20 apr. 1822. [4] 15 maii. 1819.
[5] L. VI. 387. [6] L. VI. 376.

purificatorium aut bursa ad calicem operiendum adhiberi potest.[1]

Quær. 11° *An liceat uti palla panno serico cooperta, et auro contexta ?*

Resp. Affirm. Licet enim id prohibeatur, rogantibus tamen pluribus Galliæ Episcopis, concessum est, ut adhiberi possit. Hinc ad postulatum : *An, non obstantibus Decretis a S. C. R. editis, liceat uti palla a parte superiori panno serico cooperta, et auro contexta ?* Respondit S. C. : *Permitti posse, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis signa.*[2]

Quær. 12° *An purificatorium sit benedicendum ?*

Resp. Neg. Vide n. 1247. V. a). Imo si purificatorium facile haberi non possit, probabiliter licitum est celebrare sine eo, ejusque loco adhiberi potest strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur.[3]

Quær. 13° *Quale peccatum sit celebrare sine ministro ?*

Resp. Est mortale juxta omnes. Attamen communiter dicunt DD., licitum esse celebrare sine ministro, urgente necessitate ministrandi Viaticum. Idem concedunt alii, ut populus audiat Missam de præcepto.[4] — Episcopis tamen nostris et sacerdotibus, quibus per eos communicatur, facultas est " celebrandi . . . sine ministro, . . . si aliter celebrari non possit." Vide p. LXXII. n. 23.

Quær. 14° *An sacerdos aliquando celebrare possit, respondente muliere ?*

Resp. Affirm., si necessitas urgeat præsertim apud moniales, modo mulier respondeat a longe, nec immediate ministret ad altare porrigendo urceolos, etc. ; hoc enim non posset excusari a mortali, quia Ecclesia omnino interdicit mulieribus celebranti ministrare.[5] — Confirmatur Decreto S. C. R.[6]

Quær. 15° *An sit mortale celebrare sine cruce ; et qualis crux esse debeat ?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.* : hoc enim grave non apparet, quapropter rationabilis causa etiam a veniali excusat. — Ita *communiter* Theologi.

Resp. ad 2^um^ Crux, quæ requiritur in celebratione Missæ, non debet esse exigua, sed præeminere inter candelabra, ita ut sacerdos et populus facile et commode eam intueri possint. Sic Bened. XIV. c. *Accepimus* 16 julii 1746. " In Missionibus tamen," ait Kenr.,[1] " necessitas facit, ut Crux adhibeatur non admodum magna ; sed curandum ut, quatenus fieri possit, sit populo conspicua." Addit, in casu necessitatis, qui tamen præcavendus est, adhiberi posse parvam crucem Rosario appensam. Si in altari, in quo Missa celebratur, adest magna statua, vel imago picta Crucifixi, hæc sufficit, nec addatur oportet alia crux in medio candelabrorum. — S. C. R.[2] — Si Missa celebratur in altari, ubi SS. Sacramentum publice est expositum, crux exponi vel non exponi poterit juxta locorum consuetudinem. — Ita Bened. XIV. Const. cit. — Crucifixus non requiritur cum tanto rigore, quo Crux.[3]

Quær. 16° *Quale peccatum sit celebrare sine lumine, et an aliquando licitum sit ?*

Resp. ad 1^um^ Mortale est celebrare sine ullo prorsus lumine.[4]

Resp. ad 2^um^ In casu unico licitum est sine ullo lumine Sacrum peragere, scilicet quando peracta Consecratione lumen extinguitur, nec aliud haberi potest : tunc enim urget ratio perficiendi Sacrificii.

Quær. 17° *An liceat celebrare cum candelis ex alia materia quam ex cera, vel cum uno lumine cereo ?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, excepto casu indulti Apostolici, vel necessitatis, v. g. ne moribundus Viatico, vel populus Missa de præcepto careat ; et S. Alph.[5] hoc ut peccatum mortale reprobat. Priori parti responsi consonat declaratio data Episcopo Carolinopolitano. S. C. R. 10 dec. 1857.[6]

Resp. ad 2^um^ *Neg.* pariter cum sententia communiori et probabiliori ; sed si fiat, veniale non excedit, et quæcumque causa rationabilis ab omni culpa excusabit ; quocirca, deficiente altero cereo, sacerdos etiam ex mera devotione celebrare poterit.[7]

[1] L. VI. 388.
[2] 10 jan. 1852.
[3] L. VI. 389.
[4] Ib. 391.
[5] Ib. 392.
[6] 27 aug. 1836.

[1] Tr. XVII. 101.
[2] 16 jun. 1663.
[3] L. VI. 393.
[4] Ib. 394 et L. III. Decr. T. XLI. c. ult.
[5] Ib. 394. Dub. 1 et S. R. C. 7 sept. 1850.
[6] Acta T. III. p. 602. Cfr. Past.-Bl. für N. Amer. Jahrg. III. 23.
[7] L. VI. 394. Dub. 2.

Nota. Animadvertit Kenrick,[1] *Pulvinum* Missali supponendum in Missionibus haud facile haberi posse; *pallium* seu *antipendium* apud nos fere nusquam; — pro *ampullis* in Missionibus vasa quæcumque — adhiberi.

ARTICULUS II.

DE RUBRICIS.

1332. — Maxima cura et sollicitudine sacerdotes servare debent leges Ecclesiæ, quæ spectant ad modum Missam celebrandi, cum inter omnes res sacras hæc omnium sit sacratissima, adeoque summa reverentia digna.

1333. QUÆSITA. — Quær. 1° *An omnes Rubricæ Missæ sint præceptivæ?*

Resp. 1° Juxta communem sententiam omnes Rubricæ, quæ servantur *intra Missam*, sunt *præceptivæ*, cum rem adeo sacram respiciant. Obligant autem *sub gravi*, vel *sub levi*, pro gravitate vel levitate materiæ, ut infra dicetur.[2]

Resp. 2° Rubricæ vero *aliquæ*, quæ servantur *extra Missam*, id est ante vel post Sacrum, sunt mere *directivæ*, ut v. g. manuum ablutio post Missam et orationes pro præparatione vel gratiarum actione.[3] *Controvertitur* quoad orationes, quæ ex Rubrica recitandæ sunt, dum vestes induuntur; sed cum communi sententia tenendum est, ait S. Alph.,[4] earum omissionem esse venialiter culpabilem.

Quær. 2° *An sacerdos infirmus celebrare possit, licet non omnes Rubricas servare queat?*

Resp. Affirm., si paucas et leviores tantum omittat, imprimis si privatim celebret. Imo plures gravis notæ auctores permittunt infirmo celebranti, ut etiam baculo utatur, si indigeat, etc.[5]

Quær. 3° *An aliquando liceat Missam interrumpere?*

Resp. 1° Nunquam licet Missam interrumpere *essentialiter*, ita scilicet ut Sacrificium inceptum remaneat truncatum, nisi gravissima seu extrema urgeat necessitas, ut in casu imminentis incendii, aut hostis ad necandum irruentis; tunc enim sacerdos, omissa calicis Consecratione, posset sumere Hostiam jam consecratam, vel eam secum effugiendo auferre. Quod si utramque Consecrationem perfecerit, utramque Speciem statim sumat, si possit; vel si non possit, secum auferat in loco vicino citissime sumendam.[1]

Resp. 2° Licet interrumpere *accidentaliter*, nempe aliquid interponendo justa de causa *ante Canonem:* 1° Ob concionem post Evangelium, ob preces pro defunctis recitandas (quæ tamen, sicut etiam eæ, quæ ab Ordinario præscriptæ sunt, apud nos ante vel post Missam recitari debent[2]), ob proclamationes Bannorum faciendas, vel ob processionem excipiendam, etc. 2° In gratiam supervenientis Principis, vel turbæ peregrinorum die festo, si alias Missam audire nequeant. Tunc si oblatio facta non fuerit, sacerdos de novo incipere potest ut totum Sacrum audiant. 3° Si sacerdos recordetur de aliquo impedimento, v. g. se non esse jejunum, vel in statu gratiæ, vel esse irregularem, modo Missa sine scandalo aut nota abrumpi possit.[3] — Recte igitur monet Conc. Pl. Balt. II.:[4] "Sacerdotes, quamdiu Missam legunt, vel canunt, numquam ab altari descendant, nisi, etc."

Resp. 3° Non licet tamen interrumpere, etiam *accidentaliter*, incepto Canone, et *a fortiori* peracta Consecratione, nisi gravissima de causa, v. g. si moribundus baptizari vel absolvi debeat. Alia autem Sacramenta ministrare inter Consecrationem et Communionem non licet, quia non sunt tantæ necessitatis. Attamen S. Viaticum ministrari posset moribundo, qui prope esset, ita ut sacerdos vestes sacras exuere non deberet.[5] Sed ad hoc etiam requiritur, ut celebrans altare e conspectu suo non amittat (S. C. R. 19 dec. 1829).

Quær. 4° *Quid agendum, si sacerdos morbo vel morte correptus Sacrum perficere nequeat?*

Resp. 1° Si sacerdos deficiat ante Consecrationem, nihil ab alio sacerdote agendum est, quia Sacrificium proprie non fuit inceptum.

[1] Tr. XVII. n. 102–104.
[2] L. VI. 399 et S. C. R. 10 jun. 1690. in Mediolan. sub fine.
[3] L. VI. 409. 410. Exam. Ord. n. 112.
[4] Ib. 410.
[5] Ib. 402.

[1] L. VI. 352 sq.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 364.
[3] L. VI. 352 sq.
[4] Conc. Pl. Balt. II. a. 364.
[5] L. VI. 352 sq.

Resp. 2° Si vero deficiat post Consecrationem, etiam unius tantum Speciei, tunc alius sacerdos jejunus, si adsit, supplere debet; si non adsit jejunus, suppleat alius etiam non jejunus, et Sacrum perficiat; quia præceptum de integritate Sacrificii procuranda gravius urget. Imo etiam sacerdos irregularis vel excommunicatus supplere deberet. Attamen si statim alius sacerdos inveniri non posset, post interjectam unam horam probabiliter amplius non foret quærendus, quia deesset unio moralis, et proinde non censeretur idem Sacrum. Si autem sacerdos morbo inter celebrandum correptus perficere Sacrum valeat post aliquam interruptionem, melius ipse, quam alius, perficiet, etiamsi jejunus non sit.[1]

1334. — *Resolves.* 1° Illicitum est celebrare capite cooperto. Constat ex c. *Nullus* de Cons. *dist.* 1. Et quidem juxta sententiam communem mortale est celebrare totam Missam capite cooperto; celebrare vero cum pileolo (*calotte*) usque ad Canonem, secluso contemptu et scandalo, solum veniale est; imo probabiliter etiam veniali culpa caret, licet sine dispensatione fiat usque ad Canonem tantum ex rationabili causa et in loco privato, vel etiam in loco publico, si ratio adstantibus manifesta sit, et sacerdos celebrare non possit sine notabili incommodo. Illicitum est tamen celebrare integram Missam capite sic cooperto absque licentia Apostolica. Sic expresse S. Alph.,[2] post *alios*. — Craisson, Man. Jur. Can.[3]

2° Illicitum est de jure communi celebrare cum capillatura ficta (*wig*); idque sub pœna suspensionis a divinis Officiis. Ita ex Innoc. XI. Decreto, in quo insuper prohibetur Episcopis et Nuntiis Apostolicis, ne hanc concedant licentiam.[4] — Sed hæc prohibitio abiit in desuetudinem pluribus in locis.[5]

3° Non excusatur a veniali sacerdos, qui omittit benedictiones, inclinationes, genuflexiones, etc. . . . Idem dicito de eo, qui advertenter non genuflectit ad terram, vel contra Rubricæ præscripta mutat ordinem benedictionum, aut hæc nimis celeriter peragit.

4° Est peccatum grave, nisi levitas materiæ excuset, omittere partes Missæ, quæ dicuntur *ordinariæ*, seu quæ semper recitantur vel aguntur. Unde communiter dicunt Doctores, esse mortale omittere Confessionem cum aliis in principio Missæ, Epistolam, Evangelium, Collectas *principales*, Offertorium, Præfationem, fractionem Hostiæ, et illius mixtionem cum Sanguine.[1]

5° Mortale est omittere in Canone quamlibet orationem, vel decem aut octo nomina Sanctorum, vel ejus verba ita mutare, ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non faciant. — Idem dicendum, si omittatur *Pater noster* vel *Agnus Dei*; idem de *Libera nos*; *Domine, non sum dignus*; et *Quid retribuam*; idem de *purificatione* patenæ et calicis post sumptionem.[2]

6° Veniale est omittere unam ex tribus Collectis principalibus. Si omissa sit prima oratio, ipsa cum Secreta, ut videtur, est recitanda, non postea. Mortale non erit omittere alias orationes, quæ præter Collectam *propriam* in Missa adduntur.[3]

7° Venialiter peccat, qui, contra expressam præscriptionem Rubricæ Missalis, a) ea, quæ secreto dicenda sunt, ita submisse profert, ut seipsum non audiat (imo graviter, si sic pronunciaret verba Consecrationis); b) ea, quæ alta voce dicenda sunt, submisse, vel ita alte ut alios celebrantes perturbet; c) ea, quæ submisse, alte recitaret. Nullum tamen foret peccatum ea, quæ submissa voce recitanda sunt, ita recitare, ut a solis ministris audiantur.[4]

8° Mutilare verba aut syncope intermediare, salvo sensu et secluso scandalo, non est plus quam veniale.[5]

9° Omittere partes *extraordinarias*, scilicet quæ non in omni Missa dicuntur, non est nisi veniale. — Ita *communiter*, nisi tot partes omittantur, quæ simul sumptæ notabilem materiam constituant. — Unde veniale tantum erit omittere *Gloria*, *Credo*, *Collectas præter propriam Missæ*, *Tractum* vel *specialia* circa *Præfationem* vel *Communicantes*. — Ita *communiter*. — Item celebrare Missam votivam vel *de Requiem*, quando id juxta Rubricas non licet, veniale est, nisi fiat mortale ra-

1 L. VI. 355. 2 Ib. 397.
3 n. 3688 sq. 4 L. VI. 398.
5 Craisson. Man. Jur. Can. n. 3692.

1 L. VI. 404. 2 Ib. 405.
3 Ib. 406. 4 Ib. 413–416.
5 Ib. 407.

tione contemptus, vel scandali. Sic v. g. difficulter a gravi scandalo excusaberis, si Missam, saltem publicam, *de Requiem* in festis solemnibus Paschatis, aut Nativitatis Domini legas.[1]

10° Lotio manuum ante Missam fieri debet saltem sub veniali, et sub gravi, si manus sint valde immundæ, propter reverentiam Sacrificii. — Omittere vero lotionem post Missam, nullum erit peccatum.[2]

11° Licet nullum sit peccatum omittere orationes ante et post Missam; attamen sacerdos, qui sine ulla alia præparatione ad sacrificandum accederet, aliqua culpa non careret.[3]

12° Peccaret sacerdos, si in purificatione Calicis sola aqua uteretur, sed veniaaliter tantum juxta communem sententiam.[4] — Plures etiam a peccato veniali excusant sacerdotem, si sit *abstemius*. Sic Tamburinus. — Vide plura de *Rubricis*, et *Cæremoniis* apud auctores.

13° Sitne mortale celebrare cum notabili voluntaria distractione v. g. in iis, quæ recitantur in Canone, et signanter sub Consecratione et Communione, *disputatur*. S. Alph. *affirmativæ* sententiæ potius adhæret, quia, ut ait, Sacrificium præter rationem orationis, vi cujus non esset certo mortale (cfr. n. 402), habet insuper rationem cultus excellentissimi Religionis, " cui gravem videtur ille irrogare irreverentiam, qui dum profitetur actu religioso Deum colere, voluntarie " et notabiliter " se distrahit." [5]

14° Recte sequentia a Patribus Conc. Pl. Balt. II.[6] monentur:

" In divino Sacrificio celebrando detur opera diligenter, ut omnia altarium ornamenta, et sacra vasa sint munda; non fœda corporalia, vel purificatoria; non vestes laceræ vel indecentes; indusia vero privati apparatus sub amictu et alba lateant ita ut non indecoro, vel mundano more appareant; nec quidquam altari tremendo, vel Sacramentorum administratione indignum sit."

" Ut omnia juxta ordinem fiant, et solemnes Ecclesiæ ritus integri serventur, monemus Rectores ecclesiarum, ut sedulo invigilent ad abusus eliminandos, qui in cantu ecclesiastico in his regionibus invaluerunt. Curent igitur ut Sacrosancto Missæ Sacrificio et aliis divinis officiis musica, non vero musicæ divina officia inserviant. Noverint, juxta Ecclesiæ ritum, carmina vernaculo idiomate, inter Missarum solemnia, vel Vesperas solemnes, decantare non licere."

[1] L. VI. 420. [2] Ib. 409.
[3] Ib. 410. Dub. 2. [4] Ib. 408.
[5] Ib. 410. Dub. 5. [6] a. 360. 361.

APPENDICULA.

DE SACRÆ RITUUM CONGREGATIONIS DECRETIS ET DE CONSUETUDINE CONTRA RUBRICAS.

1335. — Præter Rubricas Missalis, Breviarii, Ritualis aliorumque librorum liturgicorum, habentur etiam decreta S^ae^ Cgnis Rituum, quæ pariter censeri debent tamquam regula *proxima* eorumdem rituum.[1] Patet ex dictis n. 172. 4° et 173. q. 3°.

I. Decreta S. R. C. duplicia distingui possunt, *generalia* et *particularia*. Vide dicta n. 173. q. 4°.

II. *Præceptiva* sunt, si, *vel* sint nudæ declarationes seu interpretationes Rubricarum *et* versentur circa Rubricam præceptivam, *vel* sint in forma rigorosa decreti, i. e. habeant aliquam mandati clausulam, ut, e. g. *servari mandavit*.[2] Secus sunt *directiva* tantum, debito nihilominus respectu ab omnibus servanda et cuicumque contrariæ auctorum opinioni præferenda.

III. Ut obligent, debent esse, a) *authentica* (n. 173. q. 3. R. 1°), qualia sunt ea omnia, quæ habentur in Collectione Gardelliniana (Ib. q. 6°); nec sufficit, ut a S. R. C. Præfecto vel Secretario aut ab aliis extra Congregationem data sint;[3] b) si *extensiva* sint, eo, quo n. 173. q. 5° diximus, modo *promulgata*.

IV. Si qua decreta sibi invicem *revera* sint contraria, standum est posteriori. — Quodsi apparens quædam discrepantia habeatur inter *generales* Rubricas Missalis et eas, quæ in *Ordine Missæ* notantur, pari forma utraque Rubrica sequenda est, conciliando, quoad fieri potest, earumdem dispositiones; discrepantia enim ordinarie inde provenit, quod expresse præscribatur in uno, quod reticetur vel obscurius exprimitur in alio. Idem di-

[1] L. VI. 401. [2] Ib.
[3] De Herdt. T. I. n. 8.

cendum est de discrepantia, quæ quandoque occurrit inter Missale et Cæremoniale Episcoporum; quocirca tamen etiam dici potest, quod Cæremoniale relinqui possit ecclesiis cathedralibus aliisque, in quarum usum præscriptum est.[1]

1336. — *De consuetudine contra Rubricas*

Quær. *Quænam conditiones requirantur, ut sit legitima?*

Resp. 1° Ut sit *immemorialis*.[2] Patet ex variis decretis S. C. R. et ex C. *Apostolici ministerii* Innoc. XIII. 23 maii, 1723, apud De Herdt.[3] — 2° Ut non *aperte* repugnet Rubricis Missalis, Breviarii, Cæremonialis Episcoporum, aut Ritualis Romani, vel etiam decretis generalibus appositis in Missali et Breviario. — Dixi: *ut non* APERTE *repugnet*, etc.; nam S. R. C., apud De Herdt,[4] permittit et approbat eas consuetudines, quæ licet plane non conveniant cum regulis contentis in Missali, Breviario, Cæremoniali et Rituali, iisdem tamen aperte non repugnant, sed potius circa modum quemdam versantur. 3° Ut sit *laudabilis*, i. e. non "contineat positivam indecentiam, quæ nequeat decenter tolerari."[5]

"Ex his patet," ait De Herdt,[6] "plurimas consuetudines esse *illegitimas*, ideoque tollendas et emendandas; quod eo magis fieri debet, si *solos* respiciant *clericos*, ita ut, populo vix attendente vel non multum curante, emendari valeant; si autem prævideatur ex immutatione facienda admirationem et scandalum in populo oriri, prudenter admodum procedendum est, et satius quandoque est aliquid tolerare, quam movere turbas, quæ non sine magno Religionis detrimento quandoque etiam ex bona causa excitantur. Consuetudines autem vere legitimæ et laudabiles mutari non *debent*, et si mutatio cederet in alicujus gravamen, aut in admirationem et scandalum populi, nullatenus mutari *possunt*."

[1] De Herdt. T. I. n. 9.
[2] L. VI. 401.
[3] T. I. n. 11. R. 1°.
[4] T. I. n. 11. R. 2°.
[5] L. VI. 401. De Herdt. T. I. n. 11. R. 3°.
[6] Ib.

DIES,

quibus extra casum indulti remissionis, per Episcopos a S. C. C. vel respective de P. F. obtinendi, Parochi et Ordinarii pro populo celebrare tenentur Pius IX. (vide n. 1322. II.) *statuit esse sequentes:*

Dominicos scilicet dies totius anni; nativitatis D. N. J. C.; circumcisionis; epiphaniæ; resurrectionis cum duabus sequentibus feriis; ascensionis; pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis; Sanctissimæ Trinitatis; solemnitatis Corporis Christi et inventionis S. Crucis, necnon festivitatum conceptionis, purificationis, annuntiationis, assumptionis et nativitatis Deiparæ Virginis; dedicationis S. Michaelis archangeli; nativitatis S. Joannis Baptistæ; SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ et S. Mathiæ, Christi Domini apostolorum; item S. Stephani, protomartyris; SS. Innocentium; S. Laurentii, martyris; S. Sylvestri, Papæ et conf., S. Josephi, etiam conf. et S. Annæ, Deiparæ genitricis; solemnitatis Omnium Sanctorum, atque unius ex principalioribus patronis in quocumque regno sive provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit."

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

PARS PRIMA.

DE ESSENTIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ, SEU DE EJUS NATURA, MATERIA ET FORMA.

CAPUT I.

DE NATURA PŒNITENTIÆ.

1337. — Pœnitentia generatim spectata idem sonat ac dolor animi, quem quisque experitur, postquam aliquid fecerit vel omiserit, quod non factum vel non omissum fuisse vellet. *Stricto* autem et *proprio* sensu pœnitentia est animi dolor, quatenus ad Deum offensum, nobisque infensum refertur.

I. Pœnitentia, ut *virtus*, definitur: Virtus moralis inclinans ad peccati detestationem, quatenus est offensa Dei, et ad propositum efficax in posterum illud vitandi, et divinæ justitiæ satisfaciendi.

Pœnitentia necessaria est peccatori necessitate *medii* ad salutem. In præsenti enim œconomia repugnat, peccatorem impœnitentem a Deo in amicitiam recipi.

Est etiam necessaria necessitate *præcepti* divini, ut ex multis testimoniis S. Scripturæ patet, v. g. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes similiter peribitis*,[1] etc. . . .

Effectus autem pœnitentiæ *perfectæ*, ejus nimirum, quæ adducat ad ea obsequia, quibus ex immensa misericordia sua placari se atque cum homine peccatore reconciliari Deus ipse revelavit, duplex est: 1° remissio peccatorum, ut constat ex sexcentis S. Scripturæ locis; 2° remissio pœnæ æternæ. Homo enim justificatus pœnæ æternæ obnoxius esse nequit. Constat etiam ex Trid.[2]

II. Pœnitentia, ut *Sacramentum*, definitur: Sacramentum novæ legis per modum judicii a Christo institutum, ad peccata post Baptismum commissa homini contrito et confesso per absolutionem sacerdotalem remittenda.

Hoc Sacramentum in eo præcipue ab aliis differt, quod per modum judicii administretur: adest enim pœnitens simul reus, testis et accusator; et sacerdos, judex ferens sententiam.

1338. *Statuenda.* — I. Pœnitentia est verum novæ legis Sacramentum. Vide Dogmaticam.

II. Sacramentum Pœnitentiæ habet vim

1) Remittendi omnia peccata post Baptismum commissa.

2) Restituendi virtutes infusas, juxta mensuram tamen dispositionis.

3) Revivificandi opera mortificata. Vide Dogmaticam.

III. Partes necessariæ Sacramenti Pœnitentiæ sunt 1° contritio; 2° confessio; 3° absolutio; 4° satisfactio, quatenus a pœnitente *acceptanda* est. Sacramentum enim Pœnitentiæ fuit institutum per modum judicii reconciliativi; hoc autem haberi nequit sine confessione dolorosa culpæ, animi dispositione ad satisfactionem injunctam subeundam, et sacerdotis absolutione. — Satisfactio autem, quatenus *imponenda* aut *implenda*, est tantum pars integralis hujus Sacramenti; quia effectus primarius,— nempe gratia, et remissio peccatorum quoad culpam et pœnam æternam,— sine satisfactione haberi potest.

IV. Actus vero pœnitentis, ad peccatorum remissionem requisiti, sunt: 1° con-

[1] Luc. 13. 5. [2] Sess. 6. c. 7.

tritio ; 2° confessio ; 3° satisfactio. Constat ex Trid.[1]

V. Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium — *necessitate præcepti in re*, et *necessitate medii in voto*, saltem *implicito*, — ad remittenda peccata mortalia post Baptismum commissa. Ita in lege nova, pro divina bonitate et providentia sua, statuit summus legislator et provisor Christus Dominus.

Hinc inquinatis peccato mortali, post Baptismum commisso, Sacramentum Pœnitentiæ necessarium est ad salutem saltem de *necessitate præcepti ;* pœnitentia vero seu contritio cum voto Sacramenti, seu cum serio proposito, saltem implicito, peccata confitendi, data opportuna occasione, semper necessaria est *necessitate medii.*

CAPUT II.

DE MATERIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

1339. — Ut in cæteris Sacramentis, ita in Sacramento Pœnitentiæ, duplex est materia, alia remota, alia vero proxima.

Materia *remota* sunt omnia peccata post Baptismum commissa ; quæ dicuntur materia *circa quam*, quia circa illa destruenda versatur absolutio. Est autem vel necessaria, vel mere sufficiens et libera.

Materia *remota necessaria* sunt omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, nec unquam vi clavium directe remissa ; quia ex præcepto divino hujusmodi peccata clavibus subjicienda sunt. — Materia autem *sufficiens* et *libera* sunt omnia peccata venialia, et omnia peccata, sive mortalia sive venialia, alias jam rite clavibus subjecta. Dicitur *sufficiens*, quia quælibet peccata, etiam minima, objectum veniæ sacramentalis esse possunt. Dicitur autem *libera*, quia nullum est præceptum ea clavibus subjiciendi. De his constat ex perpetua praxi et traditione Ecclesiæ, necnon ex definitione Trid.[2]

Materia vero *proxima* Sacramenti Pœnitentiæ sunt tres actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio et satisfactio, quæ dicuntur *quasi materia* hujus Sacramenti, quia sunt instar materiæ sensibilis, quæ in aliis Sacramentis formæ subjicitur ; per hos enim actus peccata proponuntur verbis formæ destruenda. Constat præsertim ex Trid.[1]

1340. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sint materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ peccata jam rite confessa et per absolutionem remissa ?*

Resp. Affirm. Hoc est certum apud omnes, inquit S. Alph.[2]

Ratio est, 1° quia peccatum, licet remissum, est semper peccatum commissum ; et sicut potest repeti cum fructu ejusdem peccati contritio, ita et confessio ; et tantum *per accidens* fit quod peccatum, utpote jam remissum, non remittatur, cum tamen per se, utpote commissum, sit capax remissionis. — Nec obstat, quod tunc Sacramentum peccatum hoc non deleat : nam sufficit, ut habeat effectum in *actu primo*, nempe præbeat gratiam deletivam peccati, quamvis per accidens in *actu secundo* peccatum non deleat, sicut contingit, cum quis ad Sacramentum accedit jam perfecte contritus. In utroque enim casu absolutio eamdem habet vim, scil. augmentum gratiæ, remissionem pœnæ, etc. ; et hoc gratiæ, seu justitiæ augmentum vere dici potest justificatio, sicut augmentatio caloris dicitur calefactio, ut ait Sylvius.

2° Quia sententia jam lata potest confirmari ad majorem securitatem, majoremque consolationem et animæ quietem, ut aliquando in civilibus fieri solet ; et si forte peccatum clavibus submissum nondum fuerit remissum, tunc remitti poterit.

3° Constat etiam ex Declaratione Bened. XI., in Jure Can.[3] "Licet," inquit, "de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen . . . . ut eorumdem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salutare." Constat insuper ex praxi constanti fidelium, approbante Ecclesia.

Quær. 2° *An adultus baptizandus sub conditione in dubio Baptismi præcedentis, peccata jam accusata confiteri debeat ?*

Resp. Neg. Ratio est, quia illa peccata jam remissa sunt per Sacramentum Pœnitentiæ, si validus fuit prior Baptismus ; si autem non fuit validus, non sunt materia Confessionis, et per secundum Baptismum remittentur. — Reuter.[4]

Quær. 3° *An adultus præfatus accu-*

[1] Sess. 14. Can. 4. [2] Sess. 14. c. 5.

[1] Sess. 14. Can. 4. [2] L. VI. 427.
[3] C. 1. L. V. T. VII. Extrav. Comm.
[4] n. 118.

sare debeat peccata nondum confessa, seu ab ultima Confessione commissa?

Resp. Affirm., ut patet ex dictis n. 1264. IV. 2), et ex Resp. S. Inq. p. LIX. relato. Ratio est, quia omnes obligationes, quæ cum actu aliquo *certe* gesto, quem non *constet* esse nullum, aliquo nexu consociantur, in suo vigore manent. Quare, cum post Baptisma non aliud in Ecclesia supersit Sacramentum, quo Deo peccatores reconciliari possent, ab hac obligatione soluti dimitti nec debent, nec possunt, qui *certo* susceperunt Baptisma, de cujus valida collatione *dubitatur tantum*.[1]

Quær. 4° *An adultus baptizandus et absolvendus conditionate, primum baptizari vel absolvi debeat?*

Resp. Ex Resp. S. Inq. in quæsito superiori 3° oportet baptizare primum *conditionate*, et dein *sub conditione* absolvere. Attamen expedit Confessionem Baptismo ad meliorem baptizandi dispositionem præmittere, absolutionem autem immediate post Baptismum conferre.

Quær. 5° *An peccatum accusatum tantum in genere, aliquando sit materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ, v. g. si quis dicat: Me accuso* DE OMNIBUS PECCATIS MEIS?

Resp. 1° *Affirm.*, certo in casu *necessitatis*, seu quando pœnitens, v. g. moribundus nullum peccatum in specie, etiam generica, accusare potest. — Ita *communissime* cum S. Thom. — Casui autem *necessitatis* assimilandum puto casum *moralis impossibilitatis*, accedente causa *sufficienti*, ob quam pœnitens non sine absolutione sit dimittendus. Casus hic daretur, si confessarius, quemadmodum non semel contingit, oleum et operam perdit, dum rudem, vel præ senio hebescentem, aut pium non habentem certum veniale, eosque a tempore sat notabili non absolutos, frustra inducere conatur ad veniale aliquod certum, de quo sufficienter doleant, aut mortale jam confessum declarandum. — Sufficit quoque generalis accusatio, dum agitur de pœnitente, cujus peccata jam confessa satis nota sint confessario.

Resp. 2° *Neg., probabilius*, extra hos casus. Ratio, quia causa, cur sufficiat accusatio illa generalis in prædictis casibus, tunc non existit.[2]

[1] Acta, Vol. IV. pp. 323. 324.

[2] L. VI. 480. Praxis Conf. n. 71. 99. Vind. p. 479. 1). I. Ed. 2ª T. II. p. 92. 1). I.

Quær. 6° *An, pœnitente materiam sufficientem dubiam tantum præbente, confessarius teneatur exquirere certam de vita præterita, ut absolvere possit?*

Resp. 1° *Affirm.*, si velit absolvere, quia secus Sacramentum periculo nullitatis exponeretur. Excipe, nisi casus occurrat, in quo pœnitens conditionate absolvi possit, qua de re inferius.

Resp. 2° *Neg.*, si nolit absolvere, sed dimittere pœnitentem cum sola benedictione; quia pœnitens, qui materiam certe sufficientem non affert, jus ad absolutionem non habet. — Item si pœnitens videatur habere dolorem dubium de solis venialibus, non tenetur ordinarie confessarius magnam diligentiam adhibere, ut illum ad dolorem commoveat, licet multo melius id faciat.[1] — Secus autem dicendum esset, si de mortalibus dubiis ageretur, ob pœnitentis periculum.

Confessarius autem pœnitentem cum sola benedictione dimittens non semper *efficaciter procurare* tenetur, ut pœnitens ipse id bene intelligat. Nam reapse interdum quædam causæ expostulant, ut cum personis quibusdam aut valde ignorantibus, aut scrupulosis, aut pietatis ostentatricibus hoc vel simili modo procedatur: "Recitabis devotionis ergo tria *Ave*; elice actum contritionis, et Deus te benedicat. Benedictio Dei omnipotentis etc." Ita Berardi, *de Recidivis*.[2]

Quær. 7° *An sit necessario absolvendus pœnitens, qui non affert materiam* NECESSARIAM?

Resp. Neg. per se, si pœnitens absolutionem non petat; sed etiam sine absolutione ei permitti potest sacræ Synaxis susceptio; quia, cum sit in statu gratiæ, non requiritur Sacramentum Pœnitentiæ ad illum disponendum. Attamen *ordinarie* expedit talem, si materiam sufficientem, de qua sufficienter doleat, confessus sit, absolvere, ut et gratiæ sanctificantis augmentum, et gratias sacramentales, facilioremque peccatorum venialium ac pœnarum remissionem recipiat, etc.

Si vero non receperit Sacramentum a notabili tempore, vel si indigeat auxiliis specialibus ad tentationes v. g. superandas, aut si ipse pœnitens, præbens, ut supra, materiam sufficientem et dispositus, id cupiat aut postulet, est absolvendus.

[1] Prax. Conf. n. 71. [2] n. 193–196.

1341. *Resolves.* — 1° Materia sufficiens et licita Confessionis sunt venialia, aut mortalia alias confessa, secundum *speciem suam* etiam genericam, præscindendo a numero et a circumstantiis quibuslibet. Ratio est, quia sic habetur Confessio peccati, et quidem determinati, saltem unius in specie; nec est obligatio addendi numerum venialium, vel mortalium jam remissorum.[1]

2° Si quis de nullo peccato se accuset in particulari, et dicat, v. g. *nihil scio*, nisi quod sæpe debui peccare sicut cæteri homines, examinetur ut pueri examinari solent. Si nihil ab ultima Confessione elici possit, interrogetur de vita præterita, . . . an unquam sit mentitus in vita sua . . . an unquam parentes offenderit, aut iratus fuerit, vel proximo detraxerit, etc. etc.[2]

3° Cum mulierculis, devotulis, et aliis ejusmodi, qui nonnisi confuse et de valde levibus confitentur, curandum, ut culpam aliquam de vita præterita in specie, saltem generica, addant. Tunc vero ad dolorem et propositum excitare eos conaberis, et absolutos in pace dimittes.

4° Ad majorem securitatem et certiorem percipiendum fructum pœnitentes inducendi sunt, ut præter peccata dubia aut etiam levia quotidiana, semper ex jam confessis subnectant saltem generice aliud certum peccatum, de quo vehementius doleant, ne forte Sacramentum periculo frustrationis exponatur. Sin autem non possit prudenter obtineri accusatio alicujus mortalis jam confessi, tunc sufficiet si pœnitens se accusat de aliquibus venialibus, saltem quatenus innumeris vicibus in vita sua ea commiserit, confessario hoc vel simili modo præeunte: "Modo te accusas de omnibus peccatis commissis tempore ante acto, i. e. de omnibus inobedientiis, mendaciis, murmurationibus, etc."[2]

5° Monendi vero sunt pœnitentes, qui prædictam praxim servant, ne tantum ex quadam consuetudine peccatum vitæ præteritæ clavibus iterum subjiciant, præsertim si peccatum illud leve sit; quia subest timor, ne non satis doleant, et ita scopum prospiciendi validitati et fructui Sacramenti non attingant.

[1] Prax. Conf. n. 71.
[2] Berardi, de Recid. n. 180. 5°.

CAPUT III.

DE FORMA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Forma Sacramenti Pœnitentiæ duplex distingui potest: alia *essentialis* pro valore Sacramenti, et alia *præceptiva* tantum seu *rubricalis*.

1342. — I. Forma *essentialis* consistit in verbis: *Te absolvo a peccatis tuis.* Constat ex Trid.[1]

II. Forma *præceptiva* seu *rubricalis* consistit in iis precibus, quæ antecedunt vel subsequuntur formam essentialem. Sic autem habetur in Rituali Rom.: *Misereatur tui, omnipotens Deus, et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam. Amen.*

Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen.

Dominus noster J. C. te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis (suspensionis), et interdicti, in quantum possum et tu indiges; deinde: *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

Passio Domini nostri J. C., merita B. M. Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, et præmium vitæ æternæ. Amen.

Elevatur dextra versus pœnitentem a verbo *Indulgentiam* usque ad verbum *Passio Domini*; et fit Signum Crucis in pœnitentem dicendo: *In nomine Patris. . . .* Vox *suspensionis* omittitur pro laicis. Pia autem est consuetudo, ut confessarius ante Confessionem, dum benedicit pœnitentem, dicat: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis omnia peccata tua*, et similem orationem recitet.

In praxi facile omitti possunt preces *Misereatur* et *Indulgentiam*, ut constat ex *Rit. Rom.* Imo juxta communiorem sententiam absque peccato semper omitti possunt. Idem etiam dicunt de orationibus, quæ absolutionem sequuntur; sed cum juxta sententiam probabilem hæc elevent bona opera pœnitentis ad meritum satisfactionis sacramentalis, convenit ut quam rarissime omittantur. — Verba autem *Dominus noster . . .* non videntur posse omitti sine culpa veniali, nisi neces-

[1] Sess. 14. c. 3.

sitas urgeat, cum dicat *Rituale Rom.*: "In Confessionibus frequentioribus satis erit dicere: *Dominus noster* . . . usque ad *Passio Domini* . . . exclusive." — S. C. R.[1]

1343. QUÆSITA. — Quær. 1° *An valida sit absolutio, si sacerdos dicat tantum:* ABSOLVO; *vel* ABSOLVO A PECCATIS TUIS; *vel* TE ABSOLVO?

Resp. ad 1^um^ *Neg.* Ratio est, quia solum verbum *absolvo* non præ se fert sensum ullum determinatum, et in nullum subjectum cadit; ergo nequit esse forma valida.

Resp. ad 2^um^ *Affirm. probabilius*, ut videtur, saltem speculative. Ratio est quia his verbis subjectum sufficienter determinatur: pronomen enim *te* satis exprimitur in verbo *tuis*. — Ita Lugo.[2] — S. Alph.,[3] *ut probabilius*, etc. Negant autem non pauci, quorum sententia, ut ait S. Alph.,[4] utpote tutior, sequenda est.

Resp. ad 3^um^ *Affirm. probabilius*, cum sententia communi. Ratio est, quia totus effectus Sacramenti in his verbis exprimitur, quin addatur *a peccatis tuis*. — Præterea videtur constare etiam ex Catechismo Conc. Trid.,[5] ubi dicitur tantum: "Est autem forma: *Ego te Absolvo*." Et nihil aliud ibi additur. — Roncaglia, Lugo, etc. — Non improbabiliter tamen negant nonnulli cum Lacroix, et huic sententiæ in praxi standum est.

Quær. 2° *An valida sit forma deprecatoria: v. g. absolvat te Deus?*

Resp. Neg., saltem *probabilius*, cum S. Alph.,[6] Lacroix,[7] et aliis *communissime*. Ratio est, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii; proinde voluit Christus, ut sacerdos tamquam judex ferret sententiam, et hanc exprimeret: ergo peccata remitti debent ab ipso sacerdote tanquam Christi Ministro; ergo non sufficit, quod Deum deprecetur, ut ea remittat. Ergo, etc. Insuper ex Conc. Florent. sola forma indicativa, ut vera forma Sacramenti Pœnitentiæ, præscribitur.

Quær. 3° *An necessaria sit elevatio manus et formatio Signi Crucis in absolutione impertienda?*

[1] 28 febr. 1847.
[2] D. 13. n. 26.
[3] L. VI. 430. Dub. 1.
[4] L. VI. 430. Dub. 1.
[5] P. 2. c. 5. n. 19.
[6] L. VI. 430.
[7] n. 639.

Resp. 1° Certum est non requiri *ad validitatem* Sacramenti, quia nec ad materiam pertinet, nec ad formam. Constat ex Conc. Florent. et Trid., nec non ex Theologorum, *saltem* post Trident., unanimi consensu.

Resp. 2° Nec requiritur sub mortali *ad liceitatem* juxta communem sententiam, contra paucos; quia est tantum Rubrica, quæ gravis non videtur. Imo plures graves auctores asserunt, hoc omitti posse sine peccato; sic Busembaum relatus et implicite approbatus a S. Alph.,[1] et *alii multi*. Saltem omitti potest sine peccato elevatio manus, dum recitantur preces, quæ absolutionem formalem præcedunt.

Quær. 4° *An sacerdos possit valide plures absolvere unica forma, dicens:* EGO VOS ABSOLVO A PECCATIS VESTRIS?

Resp. Affirm., quia omnia requisita ad validitatem reperiuntur. Et licite quoque id fieri potest in casu necessitatis, v. g. in naufragio, ante prœlium, vel in ipso prœlio, etc.; essetque talis absolutio multiplex, non quidem *formaliter*, sed *virtualiter* et *æquivalenter*, et essent tot Sacramenta, quot homines forent, qui per aliqualem Confessionem et sufficientem dolorem essent dispositi. — Lacroix,[2] *et alii omnes*.

Quær. 5° *Quænam præsentia pœnitentis reputetur moralis in ordine ad absolutionem?*

Resp. Talis esse debet, ut verba: *Absolvo te*, juxta moralem hominum æstimationem censeantur cadere in pœnitentem; reputatur autem præsentia moralis sufficiens illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent. Multi eam extendunt ad 20 passus, præsertim si pœnitens non sit extra aspectum confessarii. In necessitate absolvi potest et debet pœnitens, quoties aliquo sensu percipitur. — Ita *communiter* cum S. Alph.[3]

Hinc: 1° Absolvendus est ille, qui videtur e tecto ruere, in flumen cadere, in mare submergi, saltem si non procul a confessario distet. 2° Si confessarius ob periculum infectionis, aut ob aliam causam, non possit cubiculum infirmi ingredi, illum e janua absolvere debet. 3° Si pœnitens recederet a confessario non ad-

[1] L. VI. 425. L. VI. 429.
[2] n. 645.

huc absolutus, se absolutum existimans, absolvendus esset, si parum distans aspiceretur, aut certo sciretur adesse intra vicinam turbam ; revocandus tamen foret, si commode fieri posset.

Quær. 6° *An per verba :* TE ABSOLVO A PECCATIS TUIS, *possit confessarius valide absolvere pœnitentem tam a censuris, quam a peccatis ?*

Resp. Affirm., quia hæc verba : *absolvo te a peccatis tuis*, involvunt absolutionem a quocumque vinculo orto ex peccatis ; et nihil obstat, quominus confessarius dirigere possit intentionem ad absolutionem tum peccatorum, tum censurarum. — Ita *communiter*, — S. Alph.,[1] Lacroix.[2]

Quær. 7° *An valida sit absolutio, si confessarius absolvat prius a peccatis, quam a censuris ?*

Resp. Affirm., quia censura non obstat validitati Sacramenti, sed tantum licitæ susceptioni, vel administrationi. Peccaret autem graviter, qui prius absolveret a peccatis, quam a censuris, quia contra gravem Ecclesiæ prohibitionem ageret : excipe, si non agatur de *excommunicationibus*, sed tantum de *suspensionibus* et *interdictis ;* quia istæ censuræ non privant *per se* receptione Sacramenti Pœnitentiæ.[3]

1344. — Quær. 8° *An et quando valida et licita sit forma conditionata ?*

Resp. ad 1^um^. Certum est, validam esse *in omni casu* absolutionem sub conditione de *præsenti* vel *præterito* impertitam, modo adsint alia requisita ad Sacramenti validitatem : conditio enim nullo modo mutat sensum formæ sacramentalis, quam nullatenus afficit ; sed afficit tantum voluntatem confessarii, qui non intendit absolvere, nisi impleatur apposita conditio : hac autem impleta, forma evadit absoluta ; et proinde nihil reperitur, quod ejus validitati officere possit. — Ita S. Alph.,[4] qui dicit *omnes de hoc convenire.* Cfr. dicta n. 1218. q. 5°.

Resp. ad 2^um^. Certum pariter est, absolutionem conditionatam esse quandoque licitam ; si enim valida sit, etiam licita esse debet, urgente necessitate. — Ita *communissime* Theologi.[5]

Rejicienda autem est, ut plane laxa, doctrina nonnullorum, qui tenent, conditionatam absolutionem impertiri posse levi qualibet ex causa, ac nulla urgente necessitate, etiamsi de sufficienti dispositione pœnitentis, mortalibus licet peccatis gravati, quomodocumque dubitetur. Nemo quippe non videt, quot sacrilegia induceret hujusmodi praxis. Confessarius siquidem jam non esset prudens dispensator Sacramentorum, sed projiceret *margaritas ante porcos ;* et hac absolvendi facilitate efficeret, ut pœnitentes in peccatis tabescerent.[1]

Verum non magis admittenda est doctrina eorum, qui cum Collet, *et aliis quibusdam*, tenent non esse impertiendam absolutionem sub conditione, nisi in extrema necessitate, seu in extremo vitæ periculo ; hujusmodi enim doctrina summe noxia est pœnitentibus, qui difficile ad confessarium reverti possunt, et, dimissi absque absolutione, periculum æternæ damnationis incurrunt.

Circa necessitatem autem, in qua impertiri possit aut debeat absolutio sub conditione, juxta doctrinam et praxim communem, statuendæ videntur sequentes regulæ :

I^a *Regula.* — Absolutio dari potest et debet sub conditione, quoties absolute concessa exponeret Sacramentum periculo nullitatis, et absolute negata exponeret pœnitentem periculo gravis damni spiritualis.

II^a *Regula.* — Etiamsi ejusmodi necessitas non urgeat, dari tamen absolutio potest sub conditione, quoties absolute concessa exponeret Sacramentum periculo nullitatis, et absolute negata privaret pœnitentem aliquo bono spirituali *notabili*, licet non *necessario.*

Hinc, servatis debitis conditionibus, urgente necessitate, vel stante gravi et proportionata causa, licet absolvere conditionate in sequentibus casibus : 1° in dubio, an pœnitens sit vivus vel mortuus ; 2° in dubio materiæ sufficientis, puta si agatur de pœnitente pio, qui " tantum de imperfectionibus confitetur, quæ non pertingunt ad culpas *certe* veniales." Perraro[2] tamen, seu semel in mense,[3] " et cum non posset materiam certam præteritæ vitæ

[1] L. VI. 430. Dub. 4.
[2] n. 1567.
[3] L. VI. 430. Dub. 4.
[4] L. VI. 431.
[5] Ib. 431.

[1] L. VI. 432.
[2] Prax. Conf. n. 99.
[3] H. A. Tr. XVI. 6.

assignare, vel non sine magna molestia";[1] 3° in dubio *facti* circa jurisdictionem casu, quo pœnitens, in mortali existens, alias diu carere deberet absolutione;[2] 4° in dubio *positivo* (n. 1213), utrum pœnitens fuerit, vel rite fuerit absolutus; 5° in dubio utrum pœnitens sit moraliter præsens; 6° in dubio, an moribundus sensibus destitutus Sacramenti capax sit; 7° in dubio de dispositione pœnitentis, si agatur *vel* de semifatuis, — quibus æquiparo illos, qui ita stupidi vel rudes sunt, ut quidquid dixeris vel egeris, nihil proficias, ut cum Nigritis nostris quandoque contingit: item mutos scribere nescientes, nisi confessarius per signa aliqua sufficienter cum iis agere posset; item surdos et surdastros casu infra explicando; item mentem ita confusam habentes, ut ex eorum responsionibus nihil percipi possit, — *vel* de pueris, qui nondum perfecte rationis compotes sunt, maxime si confessi sunt aliquod dubium mortale, imo etiam, non improbabiliter, licet afferant sola venialia, — *vel* de recidivo in mortalia, et timor sit, ne ad Confessionem non redeat, et in peccatis suis tabescat,[3] vel (addo) desperet, aut apostatetur, aut ad hæreticos transeat, — *vel* de moribundo, aut (adderem) de fœmina in partu difficili, de milite ituro in prœlium, de suscipiente periculosam navigationem, de subituro operationem chirurgicam periculosam, de reo capite plectendo, et similibus; 8° si urgeret necessitas communicandi, v. g. ad vitandum scandalum aut infamiam, eo quod circumstantes viderent illum post factam Confessionem ad Communionem non accēdere; pœnitens tamen communicare non posset, nisi certo per contritionem dispositus, ob præceptum Apostoli, de quo n. 1306 actum est.[4] Quodsi pœnitens in bona fide versetur et ex monitione de non suscipienda Communione non speretur fructus, confessarius *permissive* se habeat. — Sin autem pœnitens confessarium interroget, utrum communicare possit, distinguendum erit; ita enim interrogat, vel quia est dubiæ fidei, et tunc respondendum erit juxta supra dicta; — vel unice ideo, quia a juventute edoctus fuit post singulas Confessiones ita interrogare, et tunc confessarius, si ex monitione non speret fructum, evasive respondeat. — Lugenda hæc communicandi necessitas invenitur quandoque, quando agitur de Communione sic dicta generali Societatum (*Societies*), præsertim si exiguus est sociorum vel sociarum numerus. Item si agitur de Communione occasione exequiarum vel primæ Communionis puerorum. — Necessitati communicandi aliqui æquiparant necessitatem celebrandi Matrimonium.[1]

Quær. 9° *Quibus sacris vestibus indutum esse oporteat confessarium, dum Confessiones audit* in Ecclesia, *et quo in loco audiendæ sint?*

Resp. ad 1^um^. Superpelliceo et stola violacea,[2] nisi consuetudo (v. g. quorumdam Regularium), vel occasio vel locus (v. g. pro Confessione infirmi, in necessitate, extra ecclesiam, ubi non datur occasio superpelliceum et stolam assumendi) aliter suadeat.[3] — Non obstante tamen consuetudine, conveniens est, ut in ecclesia stola adhibeatur, ut rescripsit S. C. R.[4] Pro Confessione vero extra ecclesiam confessarius stolam laudabiliter domi conservat.[5]

Resp. ad 2^um^. "Confessionalia in *ecclesiis* erigenda, pro mulierum Confessionibus audiendis. . . . Ecclesiæ autem nomine . . . sacristia non est intelligenda, nisi locus sit publicus et patens . . . et nemini sacerdotum licebit Confessiones mulierum alio in loco excipere, sine speciali Ordinarii licentia. Hanc vero," aiunt Concilii Patres, "nunquam concedendam confidimus, præterquam sacerdotibus ætate provectis, vel infirmis, vel ob pœnitentes surdas; vel aliis in casibus, in quibus ex hujus regulæ observantia gravia orirentur incommoda. Eam etiam conditionem semper adjiciendam volumus, ut nunquam Confessiones mulierum in privatis ædibus, nisi per crates interpositas, et in loco patenti, quantum per loci rationem licebit, excipiantur."[6]

[1] Prax. Conf. n. 99.
[2] H. A. Tr. XVI. 6.
[3] L. VI. 432.
[4] Ib. 432. 475. Coll. H. A. Tr. XV. 34.

[1] Berardi de Recid. n. 149.
[2] Rit. Rom. de Sacr. Pœn. Conc. Pl. Balt. II. a. 293.
[3] Rit. Rom. de generaliter servandis in adm. Sacr. De Herdt. T. III. n. 172.
[4] 31 aug. 1867. n. 5382.
[5] De Herdt. T. III. n. 172.
[6] a. 294–296.

PARS SECUNDA.

DE SUBJECTO SACRAMENTI PŒNITENTIÆ, SEU DE ACTIBUS PŒNITENTIS.

Tres numerantur, scilicet 1° Contritio; 2° Confessio; 3° Satisfactio.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE.

1345. — Contritio *est animi dolor et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Sic Trid.[1] — Detestatio peccati, — quæ, si Beatos, utpote tristitiæ incapaces, excipias, dolorem necessario includit, — præteritum respicit; propositum vero circa futurum versatur. Hæc definitio abstrahit a nova lege, in qua contritio efficaciam nullam habere potest, sine voto, saltem implicito, Confessionis. Idem enim Trid. paulo infra addit: "cum voto præstandi reliqua . . . quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramentum" (Pœnitentiæ) "requiruntur."

Resolves. — Objectum contritionis non sunt, neque 1) pœnæ aliave mala, peccati sequelæ; neque 2) imperfectiones, etiam deliberatæ, saltem speculative loquendo; neque 3) peccata aliena aut originale.

Non *pœnæ;* contritio enim etymologice importat voluntatis obduratæ fractionem seu comminutionem; hæc autem voluntatis durities, inquit S. Th.,[2] est in malo *culpæ*, et non in *pœna*. Unde dolor de pœna peccati, occasio quidem est ac initium contritionis, sed nunquam essentialiter ipsa contritio.

Non *imperfectiones*, etiam deliberatæ, seu voluntariæ actiones aut omissiones, quæ, illæso quovis *præcepto*, repugnant tantum *consilio*, hic et nunc intimato sive inspiratione divina, sive ex dictamine rationis ad perfectiora sollicitantis, sive ex ordinatione *directiva* Superioris. Contritio enim est dolor de *peccatis*, qualia non sunt imperfectiones. Dixi tamen: *saltem speculative loquendo;* nam, *practice* loquendo, imperfectiones *deliberatæ* sæpius jam quamdam sibi habent culpam annexam, puta ratione motivi inordinati sensualitatis, impatientiæ, pigritiæ, etc. Hinc, ut n. 1344. q. 8°. § *Hinc* . . . 2° cum S. Alph. diximus, etiam illæ imperfectiones, quæ non pertingunt ad culpas *certe* veniales, aliquando sunt materia sufficiens absolutionis conditionatæ.

Non peccata *aliena* aut *originale;* nam contritio est dolor de peccato *commisso*, seu *propria* voluntate patrato. — Oportet sane et verum ex animo fovere dolorem, tum de peccato originali, quo filii iræ, inimici Dei ac servi diaboli constituti sumus, tum quoque de peccatis alienis, quibus infinita bonitas offenditur et animæ multorum præcipites ruunt in æternam perniciem; sed ejusmodi dolor animi quidem displicentia est et afflictio, sed non proprie dicta contritio. Ita fere cl. Van Egeren.

Dicendum 1° de contritione stricte dicta; 2° de proposito.

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE PROPRIE DICTA.

1346. — Contritio duplex distinguitur: 1° *Perfecta*, quæ est detestatio peccati orta ex solo et proprio motivo caritatis appretiative summæ; cum proposito, propter idem motivum, non peccandi de cætero. — Dixi: a) *ex* SOLO *motivo caritatis;* i. e. elici debet contritio perfecta ex motivo caritatis tam *efficaci* seu *prædominante*, ut *se solo* sufficiat ad excitandum in peccatore summum dolorem ac detestationem de peccato commisso, firmumque propositum non amplius peccandi; quin tamen ideo alia motiva, caritate minus nobilia, a pœnitente debeant excludi, quemadmodum nec se invicem excludunt spes et caritas, aut fides et scientia. — Dixi: b) *ex* . . . PROPRIO *motivo caritatis;* seu bonitatis divinæ. Vide n. 275.[1] — Dixi: c) *appretiative summæ;* qua de re vide dicta eodem n. 275, et dicenda infra.

2° *Imperfecta* seu *attritio*, quæ est detestatio peccati orta ex motivo supernaturali, quod caritate inferius est, — v. g. ex

[1] Sess. 14. c. 4. [2] Supplem. q. 2. art. 1.

[1] Cfr. Vind. p. 399. Ed. 2ª. T. II. p. 5.

consideratione turpitudinis peccati, vel ex metu inferni, aut ex amore beatitudinis æternæ; cum proposito, propter idem motivum, non peccandi de cætero. — Trid.[1] — Præterea contritio est vel *formalis* seu *explicita*, qua homo, de peccato commisso cogitans, illud directe et expresse detestatur, vel *implicita* seu *virtualis*, qua homo, de peccato commisso actualiter non cogitans, ponit actum, qui dolorem ac detestationem peccati indirecte et tacite continet, puta, actum caritatis perfectæ.

Tria hic exponenda sunt: 1° necessitas; 2° dotes; 3° efficacia contritionis.

§ I. *De necessitate contritionis.*

1347. *Statuenda.* — I. Contritio, vel perfecta cum voto Sacramenti, vel imperfecta cum ipso Sacramento, est omnino peccatori necessaria necessitate medii ad justificationem et salutem consequendam. Constat ex Scriptura[2] et ex Conciliis, præsertim ex Trident.:[3] "Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius." Ratio ex S. Th.[4] hæc est: "Offensa peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile; unde requiritur ad remissionem divinæ offensæ, quod voluntas hominis sic immutetur, ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis prædictæ et proposito emendandi."

II. Supposito peccato mortali, contritio *necessaria* est *necessitate præcepti*, saltem aliquando in vita, et quidem præcepti naturalis, divini positivi et ecclesiastici. — *Naturalis;* dictat enim lex naturæ, ea homini assumenda esse media, sine quibus non potest consequi finem, quem absolute procurare tenetur; atqui contritio, ut constat ex dictis ad I., homini peccatori est medium, sine quo non potest consequi finem, quem absolute procurare tenetur, suam nempe cum Deo reconciliationem et salutem æternam; ergo, etc. — *Divini positivi*, ut colligitur ex verbis Scripturæ, locis ad I. citatis. — *Ecclesiastici;* Ecclesia enim, præcipiendo fidelibus, ut peccata sua, semel saltem in anno, *valide* confiteantur, iisdem eo ipso jubet, ut veram de peccatis confitendis contritionem eliceant, cum Confessio Sacramentalis, sine contritione, *valide* institui prorsus nequeat. — Intelligitur autem cadere sub *præceptum* ea contritio, quæ requiritur ad justificationem, nempe contritio perfecta extra Sacramentum, vel attritio cum Sacramento.[1]

III. Præceptum contritionis obligat, modo *per se*, modo *per accidens*.

1° Præciso præcepto annuæ Confessionis, obligat *per se*, i. e. ex motivo virtutis pœnitentiæ, — ita ut, qui tunc contritionem non elicit, committat speciale peccatum impœnitentiæ, — quando urget necessitas gravis se reconciliandi cum Deo, scilicet in periculo etiam probabili mortis vel amentiæ perpetuæ, sive vero, sive putato, v. g. in morbo lethali, in bello, in periculosa navigatione, in difficili partu, in ardua operatione chirurgica, etc.; idque ob præceptum finem ultimum consequendi. — Dixi: *præciso præcepto annuæ Confessionis*, quo casu alii dicunt obligare *per se*, alii *per accidens*. Tacet de hac controversia S. Alph., eaque nobis lis de nomine videtur.

2° Obligat *per accidens*, quando urget aliud præceptum, quod sine contritione adimpleri nequit, præsertim in sequentibus casibus, scilicet, — quando urget præceptum actus caritatis, occurrente memoria peccati, — quando quis reus peccati gravis Sacramentum suscepturus aut ministraturus est, — quoties recipitur Sacramentum Pœnitentiæ, etiam devotionis causa, — quando quis lapsus est in mortale, quo casu a novo mortali non excusaretur, qui per *notabile* tempus differret pœnitentiam. Peccaret scil. contra præceptum caritatis erga Deum, quod saltem pluries in anno [vide n. 277. q. 1°. R. 1°. c).] quemcunque obstringit, et contra caritatem erga seipsum, cum se exponeret periculo novarum culparum. Quantum vero tempus *notabile* dicendum sit, una eademque pro omnibus regula determinari nequit; cum necessitas contritionis varietur pro varietate majoris vel minoris infirmitatis peccatoris; gravioris vel levioris

[1] Sess. 14. c. 4.
[2] Matth. 3. 2. Luc. 13. 3. 5. Eccl[i] 2. 22. Apoc. 2. 5. Act. 3. 19.
[3] Sess. 14. c. 4.
[4] P. III. q. 86. art. 2.

[1] L. VI. 437.

tentationis, quam patitur; perdurantis vel transeuntis occasionis, in qua versatur, etc. Generatim tamen loquendo, S. Alph. putat illud tempus non esse extendendum ad spatium totius anni. Cæterum peccatores, præsertim rudes, ab hoc peccato dilatæ pœnitentiæ ob inadvertentiam, ut plurimum, imo fere semper, excusari poterunt.[1]

1348. QUÆSITA. — Quær. 1° *An ille, qui in periculo vel articulo mortis suscipit Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis perfectæ?*

Resp. Alii *affirmant*, quia ex lege caritatis in ejusmodi *periculo* quisque tenetur ad media *tutiora;* alii *negant*, quia sufficiunt media *simpliciter* TUTA. Sententia *affirm. omnino est consulenda*, cum agatur de summo salutis negotio, cujus periculum est irreparabile; imo *omnino sequenda* ab eo, qui esset in *actuali articulo* mortis; tunc enim quisque tenetur elicere actum caritatis, . . . cui nemo potest satisfacere, si, *occurrente memoria peccati*, ex eodem caritatis motivo peccatum non detestetur.[2]

Quær. 2° *An ad consequendam gratiam in Sacramento, præter dolorem requirantur actus expliciti Fidei et Spei?*

Resp. Neg. Vide n. 250. q. 2°., n. 270. II.

Quær. 3° *An peccet, qui confitetur veniale aliquod sine dolore?*

Resp. Neg. probabilius, modo dolor circa alia, vel saltem unum (qui dolor circa unum necessario includitur in dolore explicito circa multitudinem) non deficiat, et pœnitens non subjiciat scienter alia peccata tanquam materiam absolutionis. Ratio est, 1° quia ratione validitatis Sacramenti sufficit, ut præbeatur aliqua materia certa, nempe ut adsit dolor de aliquo veniali, cum venialia non sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ, et aliunde, cum non privent gratia et amicitia Dei, alia sine aliis remitti possunt; 2° quia nulla inde injuria Sacramento infertur, si ex bono fine, seclusa omni levitate, declarentur. Imo plerumque utiliter aperiuntur ea quoque venialia, quorum dolor, saltem certus, non habetur, ad majorem videlicet conscientiæ manifestationem et directionem, ad aliquam concipiendam confusionem, etc.[1]

Quær. 4° *An contritio debeat præcedere Confessionem?*

Resp. 1° Debet certo præcedere *absolutionem* vel saltem ipsi coexistere, ut patet. Practice autem loquendo, requiritur ut dolor præcedat saltem absolutionem, quia nullus pœnitens se indispositum sentiens absolutionem petere, aut recipere potest.

Resp. 2° *Probabilior* et *communior* est sententia, ad Sacramenti valorem non requiri, ut dolor præcedat *accusationem;* ratio, quia dolor, ut ut *sensibilis* esse debeat, non necessario per Confessionem *talis* fieri debet, cum per alia signa talis fieri possit; et huic sententiæ valde favet Rit. Rom., ubi dicit: "Audita Confessione" confessarius "ad dolorem adducet." Sententia opposita specie tantum tenus differt ab exposita; illius enim patroni exigunt solummodo, ut Confessio non sit mera peccatorum narratio, sed habeat rationem accusationis sacramentalis: ad hoc autem sufficit, ut Confessio fiat animo obtinendi absolutionem, et deinde dolor manifestetur per petitionem seu expectationem absolutionis.[2]

Quær. 5° *Per quantum temporis spatium actus doloris moraliter perduret ad valide suscipiendum Sacramentum?*

Resp. Perseverare certo potest per unum, aut etiam alterum diem, si pœnitens *talem* elicit actum contritionis, quo efficaciter motus sit ad Confessionem, ita ut Confessio, postea instituta, vere sit talis contritionis effectus. "Secus autem, si quis ex mera devotione, aut ad votum, aut pœnitentiam adimplendam confiteretur."[3] Cæterum, supposito quod actus contritionis elicitus fuerit cum relatione ad Sacramentum, et ante hujus susceptionem non fuerit retractatus, puta per novum peccatum mortale, certo non nimis longa videtur distantia inter actum contritionis et reliquas Sacramenti partes: 1° si pœnitens, ex intentione confitendi ecclesiam adiens, prius elicit actum contritionis, et deinde, moraliter loquendo, pergit in examinanda conscientia aut oratione, manet ad confessionale et suo

[1] L. VI. 437.
[2] Ib. Dub. 2.

[1] L. VI. 449. [2] Heilig, ad L. VI. 445.
[3] II. A. Tr. XVI. 20.

loco confitetur; etiamsi in ipsa Confessione aut susceptione absolutionis, ob distractionem aliamve causam, de contritione non amplius cogitet;[1] 2° si pœnitens mane elicit actum contritionis ex intentione confitendi ea die, v. g. vespere, vel vespere cum intentione confitendi altera die mane, et deinde proposito tempore confitetur et absolvitur, de contritione non actualiter cogitans.[2]

Quær. 6° *An requiratur novus actus doloris ad novam absolutionem recipiendam, quando pœnitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur?*

Resp. Controvertitur. Sententia *probabilis*, imo *probabilior* affirmat. Ratio est, quia, quamvis dolor *in se* moraliter perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem; nam *probabiliter* ad valorem Sacramenti requiritur, ut dolor sit elicitus in ordine ad absolutionem. Quapropter S. Alph.[3] saltem *tutius* censet eam sententiam tenere.

Quær. 7° *An dari possit Sacramentum Pœnitentiæ validum simul et informe, ob defectum sufficientis dispositionis, casu v. g. quo quis duplicis peccati, puta furti et perjurii, reus, ex invincibili oblivione perjurii, solum furtum confiteretur, dolens non ex motivo universali, sed ex motivo speciali turpitudinis, quæ est in furto?*

Resp. Controvertitur. Negant nonnulli cum Billuart[4] et Elbel.[5] Ratio eorum est, quia in Sacramento Pœnitentiæ contritio est materia Sacramenti; igitur, si insufficiens sit, invalidum erit Sacramentum. Si vero sufficiens sit, valet Sacramentum et est simul formatum, et ideo peccata statim remittit. — *Affirmant* tamen alii et quidem graves Theologi cum Lugo,[6] Lacroix;[7] et hoc dicit probabilius S. Alph.[8] — Ratio autem eorum est, quia in allegato casu ex una parte nihil deest eorum, quæ ad Sacramenti valorem requiruntur; — non Confessio formaliter integra, cum declaratum fuerit omne quod memoriæ occurrit; — non dolor, cum adsit circa peccatum confessum; — non absolutio, ut supponitur. — Ex altera vero parte, effectu suo Sacramentum actualiter carere debet, cum unum peccatum mortale sine altero remitti nequeat, remissioni autem perjurii obstet defectus doloris.

[1] Lacroix, n. 708.
[2] Bouvier de Pœnit. c. III. Sect. III. Theol. Mechl. n. 43.
[3] L. VI. 448. Cfr. Vind. p. 418. Ed. 2ª. T. II. p. 25.
[4] Diss. 7. a. 1.
[5] n. 81.
[6] D. 14. n. 65.
[7] n. 672.
[8] L. VI. 444.

§ II. *De dotibus contritionis.*

1349. — Dotes necessario requisitæ ad validitatem contritionis, tum perfectæ, tum imperfectæ, quatuor numerantur, scilicet, 1° ut sit interna; 2° supernaturalis; 3° summa; 4° universalis; et, si de suscipiendo Pœnitentiæ Sacramento agitur, 5° formalis; et 6° elicita in ordine ad Confessionem.

I. *Interna* seu *vera*, i. e. corde et animo vere concepta. Contritio enim juxta Trident. est *animi* dolor.

II. *Supernaturalis*, i. e. elicita per auxilium gratiæ, et ex motivo fide cognito. Media enim naturalia ad finem supernaturalem conducere nequeunt. Cfr. prop. 57ᵃᵐ inter damnatas ab Innoc. XI. p. XVII., et Trid.[1]

Motiva autem idonea ad quatuor reduci possunt: 1° ad timorem pœnæ; 2° ad spem præmii; 3° ad turpitudinem peccati; 4° ad bonitatem Dei.

III. *Summa*, ut scilicet peccator *appretiative*, i. e. ex prævia appretiatione seu æstimatione intellectiva peccati, qua *summi mali*, detestetur crimen suum plus quam omne aliud malum, et animo paratus sit omnia potius perdere et pati, quam peccatum patrare.

IV. *Universalis* quoad *omnia* et *singula* peccata *gravia*, commissa ac *nondum remissa*. — Dixi: 1° *quoad* GRAVIA; nam quoad *venialia* non requiritur ut sit universalis, ut dictum est n. 1348. q. 3°, et infra latius dicetur. — Dixi: 2° *quoad* OMNIA ET SINGULA *gravia*; non quod de singulis mortalibus singuli quoque actus contritionis eliciendi sint, — licet expediat singillatim detestari ea, erga quæ quis vehementiori passione afficitur; — sed reapse sufficit unus contritionis actus, sese, virtualiter saltem, extendens ad omnia et singula, tam cognita, quam oblita, in universali:

[1] Sess. 6. Can. 3.

nempe extendi debet ad omnia peccata gravia vel ex motivo universali unico, vel ex pluribus motivis particularibus, quæ saltem simul sumpta se extendant ad omnia mortalia commissa, etiam memoriæ non occurrentia. Ratio est, quia nullum peccatum actuale remittitur sine dolore: unum autem mortale sine alio remitti nequit, cum remissio fiat per infusionem gratiæ, quæ cum mortali simul stare non potest. Dixi: 3° *Quoad omnia et singula mortalia, commissa ac* NONDUM REMISSA; nam præceptum contritionis ad peccata *jam remissa*, excepto casu, quo hæc peccata sint materia necessaria aut libera Confessionis vel absolutionis sacramentalis, non extenditur.

V. *Formalis*, ita ut non sufficiat desiderium absolutionis, licet illud sit sine affectu ad peccatum, — nec actus caritatis; hoc enim desiderio aut actu solo nondum ponitur materia Sacramenti.[1]

VI. *Elicita in ordine ad Confessionem*, saltem practice, cum hæc opinio sit probabilis, licet opposita sit probabilior.[2]

1350. QUÆSITA. — Quær. 1° *An contritio intensive summa esse debeat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia intensitas est quid mere accidentale: gradus enim doloris, seu affectus vel conatus major aut minor, non pertinet ad essentiam contritionis, quæ absque ejusmodi intensitatis gradu tota existere potest. Præterea undenam scires, hunc vel illum intensitatis gradum fore attingendum? Insuper intensitas doloris non est semper in nostra potestate. Hinc aliquando, quoad sensum, vehementius movemur e malo temporali quam ex offensa Dei, licet voluntas prompta sit potius omnia mala temporalia pati, quam Deum offendere. Sufficit igitur, ut sit *appretiative* summa.[3]

Quær. 2° *An requiratur comparatio* FORMALIS *in appretiatione inter varia mala et peccatum, vel Deum?*

Resp. Neg. Sufficit enim ut peccator sincere et vere peccata detestetur, et nolit amplius peccare. Imo valde imprudenter agunt confessarii, qui ad dolorem, summusne sit, explorandum, pœnitentibus quasdam comparationes proponunt valde periculosas, v. g. mallesne vivus comburi, vel omnia martyrum tormenta subire, aut reptilia venenosa manducare, quam iterum peccare? Tales enim comparationes vividius phantasiam movent, et, accedente valida tentatione, facile amittitur vera dispositio, quæ antea existebat.[1]

Quær. 3° *Quænam temporis diuturnitas ad veram ac summam contritionem concipiendam exigatur?*

Resp. Nulla *per se*, quia diuturnitas non pertinet ad essentiam actus, sed est ipsi mere accidentalis; quamobrem satis est ut actus sit substantialiter impletus; quod minimo etiam tempusculo fieri potest. Tutius tamen est actum contritionis elicere intensiorem et productiorem; ne forte ex levitate aut nimia festinatione nullus quoad substantiam concipiatur.[2]

Quær. 4° *An contritio de venialibus debeat gaudere sex iisdem dotibus?*

Resp. 1° Debet gaudere necessario 1ª, 2ª, 3ia, 5ª, et practice etiam 6ª; scilicet debet esse, 1° *interna*, quia contritio quæ ex intimo corde non elicitur, vera non est; 2° *supernaturalis*, quia, ut dictum est, contritio naturalis nequit esse medium ad effectum supernaturalem; 3° *summa*, seu debet peccator detestari peccatum veniale plus quam mala naturalia omnia; 4° *formalis*, ut nimirum ponatur materia Sacramenti;[3] 5° *elicita in ordine ad Confessionem*. Vide n. 1349.

Resp. 2° Non debet autem necessario esse *universalis*, sive in Sacramento, sive extra Sacramentum. Ratio est, quia cum peccatum veniale non sit incompossibile cum gratia sanctificante, unum veniale potest remitti sine aliis.[4]

Quær. 5° *An attritio* FORMIDOLOSA, *seu ex metu gehennæ concepta, sufficiat ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ?*

Resp. Affirm., modo sit vere *supernaturalis*, absolute *efficax*, et tantum *materialiter*, non vero *formaliter* seu *serviliter servilis*. Ratio est, 1° quia hujusmodi attritio est vera conversio ad Deum, et vera aversio a peccato; 2° quia hoc clare eruitur ex Tridentino,[5] quod dicit, attritionem conceptam ex metu gehennæ et pœnarum esse honestam, et disponere

[1] L. VI. 433. 449.
[2] Cfr. Vind. p. 411. Ed. 2ª. T. II. p. 18.
[3] L. VI. 433. 442.
[1] L. VI. 433. 7.
[2] Ib. 433.
[3] Ib. 449.
[4] Ib. 449.
[5] Sess. 14. c. 4.

peccatorem ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Cfr. Catechismum Romanum.[1] Præterea, 3° eadem Synodus[2] docet, *aliquando* contingere, ut contritio caritate perfecta sit, hominemque Deo reconciliet priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur. Ergo supponit Concilium, non esse *necessariam* contritionem perfectam ad Sacramentum rite suscipiendum; alioquin non *aliquando* dumtaxat, sed *semper* peccator, priusquam Sacramentum susciperet, justificatus foret.

Attritio porro vocatur *serviliter servilis*, ubi quis de peccato quidem dolet, illudque vult vitare ob pœnas, quas a Deo infligendas novit; adhuc tamen paratus esset peccare, si pœnæ istæ non subsisterent. Dicitur vero *simpliciter servilis*, ubi quis ob pœnarum quidem timorem a peccato abstinet, non tamen ita dispositus est, ut vellet peccare, si pœnæ illæ non essent, licet ab hac cogitatione: *si pœnæ illæ non essent*, penitus abstrahat. Prior mala est, non qua timor est pœnarum, sed ob pravam animi dispositionem.

Quær. 6° *An sufficiat attritio ex metu pœnarum Purgatorii pro peccatis venialibus?*

Resp. Affirm. cum sententia communissima et moraliter certa; quia rationes omnes, superius adductæ pro sufficientia attritionis ex metu gehennæ, hic quoque valent.

Quær. 7° *An sufficiat attritio ex metu pœnarum temporalium hujus vitæ pro peccato subeundarum, prout a Deo infliguntur?*

Resp. Affirm., et, ut videtur, *probabilius*, modo sit supernaturalis. Ratio est, 1° quia constare videtur ex verbis Tridentini, ubi dicit: *Attritio ex metu gehennæ, et pœnarum concipitur:* distinguit enim inter pœnas gehennæ et alias pœnas; 2° quia in ejusmodi metu omnes veræ attritionis conditiones adesse possunt. "Cum" tamen sententia opposita, innixa rationi quod Tridentinum non dicat; gehennæ *vel* pœnarum, "non careat sua probabilitate, saltem extrinseca, puto tutius in praxi eam servandam esse." Ita S. Alph.[3]

[1] n. 47. [2] Sess. 14. c. 4.
[3] L. VI. 443. Cfr. Vind. p. 426 sq. Ed. 2ª. T. II. p. 34.

Quær. 8° *An ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam cum attritione etiam initium amoris requiratur?*

Resp. Neg., si per initium amoris intelligatur aliquis gradus caritatis perfectæ, qua Deus super omnia diligitur. Ratio est, quia ad rite suscipiendum Sacramentum non prærequiritur necessario actus, qui extra Sacramentum essentialiter justificet. Atqui actus caritatis, atque adeo "dolor, qui ad rationem contritionis sufficiat, quantumcumque parvus sit, omnem culpam delet," ut ait S. Thomas.[1] Ergo, etc. — S. Alph.[2] dicit hoc esse moraliter certum.

"Si vero per amorem Dei initialem intelligatur pius quidam motus, quo pœnitens a peccato sincere aversus, sese fiducialiter ad Deum convertat, eumque tamquam omnis justitiæ fontem, seu tamquam suum justificatorem, liberatorem et glorificatorem diligere incipiat; rectissime affirmabis alicujus dilectionis initialis necessitatem, cum vera peccatoris ad Deum conversio absque ejusmodi amore Dei inchoato non possit concipi, et præterea Trid.[3] initium quoddam dilectionis enumeret inter dispositiones, ad justificationem in Baptismo (ergo *a pari* in Pœnitentia) requisitas. . . . Verum . . . tale amoris Dei initium eo ipso" habetur, "quod pœnitens, vere attritus, cum spe veniæ ad tribunal Pœnitentiæ recurrat"; nam: 1° "Vera attritio est sincera quædam cordis ad Deum conversio. Qui autem sincero corde ad Deum convertitur, per se utique movetur in Deum *tamquam in bonum*, atque adeo *amore* movetur. 2° Vera attritio includit firmum propositum observandi mandata divina, inter quæ mandatum dilectionis Dei primum locum obtinet. Ast, qui firmiter proponit diligere Deum, jam inchoative Deum diligit; cum voluntaria dispositio proxima ad aliquid, de se jam sit initium seu inchoatio illius. 3° Vera attritio includit spem veniæ, a Deo impetrandæ. Sed ex hoc, inquit S. Th.,[4] quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum, sicut in bonum nostrum, et sic incipimus eum amare. — Porro et ipse salutaris timor Dei vindicis, quo vera attritio sæpius concipitur, in se

[1] Suppl. q. 5. a. 3. [2] L. VI. 440.
[3] Sess. 6. c. 6. [4] 1. 2. q. 40. a. 7.

jam continet initium quoddam amoris Dei, liberatoris ac justificatoris nostri, juxta illud Eccl.:[1] *Timor Dei initium dilectionis ejus.*" Ita Van Egeren.

§ III. *De efficacia contritionis.*

1351. PRINCIPIA. — I. Contritio perfecta hominem *per se* justificat, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ. 1° Constat ex ratione; contritio enim includit necessario caritatem perfectam: porro amare Deum perfecte, est cum Deo conjungi; conjunctio autem cum Deo necessario disjunctionem a peccato operatur, cum non possit quis unum extremum amplecti, quin ab extremo opposito totaliter recedat. Ergo . . . 2° Constat ex Scriptura.[2]

II. Contritio *perfecta* non remittit peccata mortalia, seu hominem non justificat, nisi cum voto, saltem implicito, Confessionis: peccata enim remitti non possunt nisi per medium a Christo institutum; atqui Sacramentum Pœnitentiæ in re, vel saltem in voto, est unicum medium a Christo institutum ad remittenda peccata post Baptismum patrata. Ergo, etc. Constat insuper ex Trid.[3]

III. Attritio, tanquam prærequisita dispositio, sufficit ad obtinendam peccatorum veniam in Sacramento Pœnitentiæ. Constat ex dictis n. 1350. q. 5°.

IV. Attritio autem extra Sacramentum peccatorem justificare non potest. Justificatio enim consistit in perfecta hominis conjunctione cum Deo; sed attritus, licet a creaturis discedat, primosque conversionis ad Deum gressus exordiatur, nondum tamen est perfecte ad ipsum conversus, et per amorem conjunctus. Nec propria virtute justificat attritio in Sacramento, sed est tantum prærequisita conditio; ipsum autem Sacramentum per gratiæ infusionem justificat: quare in Sacramento pœnitens *ex attrito fit contritus*, nempe contritus *æquivalenter*, seu contritus *habitu*, per infusionem gratiæ sanctificantis et habitûs caritatis, quæ vi absolutionis confertur.

1352. QUÆSITA. — Quær. 1° *An votum Confessionis debeat esse* EXPLICITUM *in contritione?*

[1] 25. 16.
[2] Prov. 8. 17. Joan. 14. 21. 1 Petr. 4. 8.
[3] Sess. 14. c. 4.

Resp. Neg. probabilius cum sententia *communi*. Ratio est, 1° quia ad remissionem sufficit, ut quis vere conjungatur toto corde cum Deo per contritionem perfectam; Deus enim, ut patet ex dictis, rejicere nequit peccatorem toto corde et ex perfectissimo motivo ad se accedentem; atqui fieri potest aliquando, ut peccator eliciat actum perfectæ contritionis, quin cogitet de Confessione, sive ex inadvertentia vel oblivione naturali, sive ex ignorantia invincibili. Ergo ad remissionem peccati per contritionem non est essentiale, ut votum Confessionis sit explicitum. 2° Quia juxta Trid. votum hoc in contritione *includitur;* quod vero in alio includitur, implicitum est, non explicitum.[1]

Quær. 2° *An contritio remittat non tantum culpam, sed etiam pœnam culpæ debitam?*

Resp. 1° Remittit certo pœnam æternam, quia homo justificatus per contritionem nequit remanere reus æternæ damnationis.

Resp. 2° Juxta majorem vel minorem ejusdem intensitatem remittit etiam partem pœnæ temporalis, deletis mortalibus vel venialibus debitæ. Proinde contritio perfecta valde intensa etiam omnem pœnam potest abolere; sed non necessario ex natura sua hanc efficaciam habet. Eruitur ex Trident.[2]

Quær. 3° *An attritio elicita a* justo *remittat peccata venialia extra Sacramentum?*

Resp. Controvertitur. Probabilius affirmandum videtur. Ratio est, 1° quia ex Trid. variis modis remitti possunt peccata venialia: ergo non sola contritione perfecta remittuntur; 2° quia in opposita sententia non facilius remittentur peccata venialia, quam mortalia: hoc autem sensui communi adversatur; 3° quia vis remittendi venialia communiter tribuitur Sacramentalibus: falso autem his tribueretur, si ad ea delenda contritio requireretur. — Ita Suarez,[3] Lugo,[4] et *alii multi.*

Negant tamen non pauci, quia ex

[1] L. VI. 437. Dub. 4.
[2] Sess. 6. c. 14. et Can. 30. Sess. 14. de Pœnit. c. 8. et Can. 12.
[3] Disp. 11. Sect. 3.
[4] Disp. 9. n. 28.

Trid.[1] peccata venialia *utiliter* in Confessione accusantur; non autem accusarentur *utiliter*, si attritione remitti possent: ergo, etc. — Sed merito reponitur peccata venialia *utiliter* exponi in Confessione aliis quoque de causis, nimirum ob remissionem pœnæ, ob meritum confusionis, ob emolumentum directionis, etc.

Quær. 4° *An contritio vel attritio remittat venialia sine voto Sacramenti?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia Sacramentum ex institutione divina pro solis mortalibus necessarium est: ergo venialia deleri possunt absque Sacramento Pœnitentiæ; ergo nullum votum hujus Sacramenti ad eorum remissionem necessario requiritur. — Ita *omnes*.

ARTICULUS II.

DE PROPOSITO.

1353. — *Definitio.* Propositum est voluntas non peccandi de cætero.

Divisio. Duplex est: 1° *explicitum*, seu *formale*, quo quis, de futuro cogitans, statuit non amplius peccare; 2° *implicitum*, seu *virtuale*, quod in ipsa contritione includitur, quin futurum tempus præ oculis habeatur.

1354. PRINCIPIA. — I. Propositum, saltem implicitum, est omnino necessarium ad peccati remissionem; quia propositum est necessarium contritionis consectarium, ac saltem virtualiter in ipsa inclusum, ut ex hujus natura et definitione constat.

II. Propositum verum triplici conditione gaudere debet; scilicet requiritur, ut sit firmum, efficax, et universale.

1° *Firmum*, i. e. non titubans, nec levi animo conceptum, ita ut quædam foret velleitas, aut volatilis quædam sensio, qua et ipsi peccatores impœnitentes non raro afficiuntur, aut potius a dæmone decipiuntur, ne a lethali cauteriatæ conscientiæ suæ somno evigilent; sed *serium deliberatæ voluntatis decretum*, quo pœnitens simpliciter et absolute statuat cavere a peccato in posterum, non obstante quocumque incommodo aut timore humano: secus enim non vellet totaliter et sincere ad Deum converti. Non debet tamen confessarius animum pœnitentis tentare, adhibitis comparationibus ad perturbandam ejus phantasiam idoneis.

2° *Efficax*, i. e. pœnitens non tantum firmiter statuere debet, se amplius peccare non velle, sed etiam adhibere media necessaria ad peccatum vitandum, fugiendasque proximas occasiones, etc. — Sufficit autem ut propositum sit efficax *affective*, i. e. sufficit ut peccator sit animo paratus ad media necessaria adhibenda; quia futura de facto emendatio non est de essentia propositi.

3° *Universale*, seu extendi debet ad omnia et singula peccata *mortalia*, non patrata modo, sed etiam quæ patrari possent. Ratio est, quia plena et vera ad Deum conversio dari nequit absque lethalis cujuslibet peccati aversione.

Quod autem ad peccata *venialia* spectat, requiritur et sufficit ad Sacramenti valorem, ut firmum adsit et efficax propositum, *vel unum* ex venialibus, *vel* omnia *plene* deliberata vitandi, *vel* sine plena deliberatione obrepentia, omni adhibita diligentia, quoad humano modo fieri possit, vitandi aut minuendi.

1355. QUÆSITA. — Quær. 1° *An propositum ut sit firmum, debeat insuper constans reperiri?*

Resp. Neg.; saltem hoc non est absolute necessarium. Ratio est, quia propositum afficit præsentem voluntatem, quæ ex natura sua alioqui variabilis est. Hinc ex relapsu post Confessionem colligi *per se* nequit propositi infirmitas.[1]

Dixi: *saltem hoc non est absolute necessarium.* Nam si pœnitens statim et sine ulla fere resistentia relabatur, argumentum, vel saltem vehementem præsumptionem præbet, quod proposito vere firmo caruerit; qui enim firmiter proponit, fere non adeo facile sui propositi obliviscitur, sed constans saltem per aliquod tempus perseverare solet, et conatus adhibere ad resistendum tentationibus vel peccati occasionibus, et proinde ordinarie difficilius rariusque cadit.[2]

Quær. 2° *An firmum esse queat propositum illius, qui habet quidem animum non peccandi*, pertimescit *tamen se relapsurum?*

Resp. Affirm.; non enim impedit sinceram voluntatem timor, qui ex præterita fragilitate, et humanæ voluntatis inconstantia, ingeritur. Hinc verum habere

[1] Sess. 14. c. 5.

[1] L. VI. 451. [2] Ib. 459.

potest propositum pœnitens ille, qui interroganti confessario de voluntate non peccandi respondet: *Fragilis sum, formido lapsum, non tamen volo nunc, nec eligo casum:* quæ sunt verba Gersonis apud Croix.[1]

In praxi vero indolem geniumque pœnitentis inspicies: reperies enim non raro peccatores asseverantes, se relapsuros, qui idcirco timent, ne propositum satis firmum non habeant, nec tamen aliud ostendunt præter relabendi timorem, suîque diffidentiam. Hujusmodi pœnitentibus inculcandum est, non agi de his, quæ forte sint eventura, sed de actuali voluntate, et de fiducia in auxilio divino reponenda.

Hæc de eo qui *tantum pertimescit* se relapsurum; nam, si *certo id crederet, certam suspicionem* præberet, propositum non esse satis firmum. Ita *practice* resolvit S. Alph., licet *speculative* admittat firmitatem propositi consistere posse cum cognitione relapsus. Ratio est, quia fieri non potest, ut *firmiter* proponat emendationem, qui, sciens Deum suam gratiam non denegare facienti quod in se est, nihilominus *certo credat* se relapsurum. Hinc talis pœnitens, priusquam absolvatur, ad spem emendationis adducendus est.[2] — Non ideo autem propositum censeri poterit infirmum, quod solus tantum confessarius, ob cognitam pœnitentis fragilitatem, eum, etiam satis certo, prævideat relapsurum; nec enim Petrus ideo judicatus est indispositus ad Communionem, quod a Christo sciretur lapsurus.

Sunt præterea, qui, dum dicunt: *Credo, credo, me relapsurum, atque ideo vitabo quidem peccata si possim, promittere tamen nihil valeo, ne postea infidelis videar, etc.*, — nihil aliud ostendunt, quam fundatum *timorem* suîque diffidentiam, et de his judicandum est sicut de eis, qui *tantum pertimescunt.* — Demum ad sublevandum animum pœnitentis, qui, præ inveterata, quam forte contraxit, consuetudine omnino *deliberate* peccandi, putet, vitationem talis peccati moraliter sibi impossibilem esse, utilissimum sæpe erit, eumdem edocere, quod hic et nunc ab eo stricte tantum exigatur propositum non amplius peccandi *deliberate*, i. e. cum plena advertentia plenoque consensu, etc.

[1] L. VI. P. 2. n. 1733.
[2] L. VI. 451. Cfr. Vind. p. 440 sq. Ed. 2ª. T. II. p. 49.

Quær. 3° *An ad Sacramentum Pœnitentiæ rite suscipiendum requiratur propositum* explicitum?

Resp. Juxta S. Alph.,[1] triplex est sententia. *Prima* absolute affirmat: quia, licet dolor includat necessario propositum, attamen explicitum requiri videtur a Tridentino aiente: *Cum proposito non peccandi de cetero.*[2]

Secunda negat, casu, quo dolor eliciatur ex motivo universali. Ratio est, quia *ejusmodi* dolor includit propositum plane efficax. Alioquin vero ex Tridentina Synodo, quando attritio voluntatem peccandi excludit, sufficienter disponit hominem ad impetrandam gratiam in Sacramento.

Tertia docet quod, si pœnitens cogitet de vita futura, debet formaliter proponere emendationem. Secus si pœnitens, e. g. capite jamjam plectendus, nihil de futuro cogitet. Nam si cogitet de futuro, non videretur satis pœnitere, si expresse non proponeret emendationem.

Suum autem de hisce judicium sic S. Alph. interponit: "Hæ duæ ultimæ sententiæ sunt quidem probabiliores; sed . . . cum *prima* . . . sit sufficienter probabilis . . . *ante factum* tutius sequenda est," quin etiam *post factum*, i. e. pœnitens, qui, licet bona fide, sine proposito explicito *certum mortale* confessus est, confessionem repetere tenetur. Rationem vide n. 67. 2°.

In *praxi* tamen hæc obligatio *raro* urgebit. 1° Quia ii, qui hac de re anguntur, ad eorum fere numerum pertinent, qui venialia tantum confessi sint; quorum accusatio non magis repetenda est quam facienda. 2° Quia ordinarie tantummodo *dubitatur* de *expliciti* propositi defectu; quo casu standum est pro valore actus. Vide n. 67. 2°. 3° Quia fideles formulam contritionis recitare solent, quæ propositi expliciti actum *continet.* 4° Quia, qui *debito modo* de peccatis dolent, non facile actum explicitum propositi omittunt.[3]

Quær. 4° *Quale propositum requiratur, vel sufficiat pro venialibus?*

Resp. Vide n. 1354. 3°; at pro praxi adverte:

[1] L. VI. 450. [2] Sess. 14. c. 4.
[3] L. VI. 450. Vind. p. 443 sq. Ed. 2ª. T. II. p. 52.

1° Tutius est elicere propositum de nonnullis peccatis determinatis, præsertim de gravioribus, et de his præcipue, quæ ex habitu patrantur, eisque peccatum aliquod vitæ anteactæ adjungere.

2° Quando fideles, illi quoque, qui habentur ut pii et frequenter confitentur, nullum aut fere nullum profectum facere post innumeras Confessiones cernuntur, conjicere licet, eos proposita nimis generalia et confusa, et proinde torpida et languida concipere.

3° Non raro inveniuntur pœnitentes, mulieres præsertim, qui diu examini conscientiæ incumbunt, minimas culpas cum maxima anxietate inquirunt, et Confessiones suas ultra modum protrahunt, nec tamen de dolore et efficaci proposito valde sunt solliciti. Serio adhortandi hi sunt, ut, omissa anxia cura declarandi omnia peccata venialia in specie et numero, ea duntaxat, quæ conscientiam magis gravant, et quæ potissimum extirpanda sunt, cum serio dolore et proposito emendationis clavibus subjiciant. Imo expedit, ut ex istis venialibus seligant unum aliquod præcipuum, ad quod detestandum et emendandum præ cæteris sedulo incumbant.

CAPUT II.

DE CONFESSIONE.

Confessio est accusatio peccatorum post Baptismum patratorum, facta sacerdoti approbato, in ordine ad absolutionem.

Tria huc spectant, scilicet 1° necessitas; 2° dotes; 3° iteratio Confessionis.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE CONFESSIONIS.

1356. PRINCIPIA. — I. Confessio Sacramentalis *de jure divino* est omnibus post Baptismum in peccatum mortale lapsis necessaria. Argumenta vide apud Dogmaticos.

II. Necessaria etiam de *Jure ecclesiastico*, saltem semel in anno, ex consuetudine a Paschate ad Pascha computando. Vide n. 548. q. 2°.

1357. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quandonam urgeat præceptum divinum Confessionis?*

Resp. 1° Obligat certo *per se* in periculo, eoque magis in articulo mortis, et aliquando in vita. Ratio *primi* est, quia omnia præcepta positiva obligant saltem tempore necessitatis; secus enim nunquam obligarent, frustraque imponerentur. Ratio *secundi* est, quia præcepta affirmativa non obligant tantum in extrema necessitate, sed etiam quando eorum impletio rationabiliter necessaria judicatur.

Resp. 2° Obligat sæpe *per accidens*, scilicet 1° cum Eucharistia suscipienda est (n. 1306. II.); 2° quando urget præceptum se reconciliandi cum Deo, vel requiritur status gratiæ, v. g. ad Sacramenta administranda, vel ad ea recipienda, quæ dicuntur *vivorum*, nec elici potest actus contritionis perfectæ (n. 1223. q. 7°; n. 1241. I.); 3° quando urget gravis tentatio, quæ secus superari nequeat.

Quær. 2° *An præceptum divinum Confessionis statim obliget ac patratum est peccatum; vel quonam tempore urgeat?*

Resp. 1° Non obligat statim post peccatum. Ratio est, quia talis obligatio nullo certo fundamento nititur.[1]

Resp. 2° Facile determinari nequit, quoties in vita et quo præciso tempore urgeat præceptum divinum. Quidquid sit, nihil dubitandum, quin ille satisfaciat, qui vel semel tantum in anno confitetur; quia non constat præceptum divinum frequentius urgere, et, juxta multos, Christus obligationis tempus Ecclesiæ determinandum reliquit.

ARTICULUS II.

DE DOTIBUS CONFESSIONIS.

1358. — Multæ Confessionis dotes ab auctoribus assignantur, quæ ut plurimum ad ejus validitatem non pertinent; præcipuæ autem his versiculis continentur:

Integra sit, simplex, humilis, discreta, fidelis,
Vocalis, mœrens, pura atque parere parata.

1° *Integra*, i. e. complectatur omnia peccata mortalia nondum confessa, ut mox dicetur.

[1] L. VI. 663.

2° *Simplex*, i. e. non intermixta sermonibus impertinentibus, nec fucata verbis, neque figuris adornata; sed nuda, clara et brevis peccatorum declaratio.

3° *Humilis*, i. e. fieri debet cum vera humilitate cordis et corporis, scilicet genibus flexis, nisi excuset infirmitas, et nudato capite, si vir confiteatur; humilitas apparere debet etiam in modulo vocis, ita ut pœnitens cum verecundia, non autem per modum fabulæ aut nudæ historiæ sua peccata enarret.

4° *Discreta*, i. e. debet fieri verbis honestis et discretis, maxime in explicandis peccatis contra castitatem; nec debent manifestari peccata aut defectus aliorum sine necessitate.

5° *Fidelis*, i. e. sincera, sine mendacio, præsertim in materia gravi et ad judicium Sacramentale necessaria. Fidelitas autem seu sinceritas non tantum consistit in peccatis rite declarandis, quod pertinet ad integritatem, sed etiam in iis non exaggerandis vel in peccatis suppositis non adjiciendis.

6° *Vocalis*, i. e. fieri debet Confessio ipsa voce, non autem scripto, neque aliis signis, absque necessitate vel gravi causa, v. g. ob verecundiam vehementissimam, ob impedimentum linguæ, etc.; quo casu, scripto a confessario lecto, addat pœnitens: "de his me accuso."

Cæterum Confessio per scripturam est quidem *per se* valida; invalida tamen foret Confessio vel absolutio *per litteras*. Forma enim consistit in *verbis*, ut definivit Eugenius IV. in Decreto pro Armenis; porro forma materiæ præsenti applicari debet. — Constat insuper ex propositione a Clemente VIII. damnata (vide p. XVIII.), et ex decl. Pauli V. 14 julii 1605, in Congr. S. Off. — Invalida quoque foret *absolutio* data ei, qui *sine gravi causa* totam Confessionem nutu vel scripto fecisset; mortaliter enim peccasset,[1] nisi bona fide sic egisset.

7° *Mœrens*, seu *dolorosa*, ut supra n. 1348. q. 4°. dictum est.

8° *Pura*, nempe ob finem honestum, seu ad veniam peccatorum, gratiasque Sacramentales obtinendas, non vero ad confessarii compassionem commovendam, ejusve benevolentiam seu æstimationem captandam, etc.

[1] L. VI. 429. 493.

9° *Parere parata*, i. e. pœnitens debet esse dispositus ad parendum monitis confessarii, puta in fugiendis occasionibus, in adhibendis remediis, in restitutione facienda, acceptanda pœnitentia, etc.

Inter præfatas Confessionis dotes præcipuæ sunt integritas et contritio. Jam de *posteriori* satis dictum est; nunc autem speciatim de *priori* disserendum venit.

De integritate Confessionis.

1359. — Duplex distinguitur integritas, alia *materialis*, alia *formalis*.

1° Integritas materialis sita est in accusatione omnium peccatorum mortalium, cum numero et circumstantiis requisitis.

2° Integritas formalis consistit in accusatione omnium mortalium, quæ quis hic et nunc, spectatis circumstantiis, moraliter confiteri potest, vel tenetur.

Hinc quoties habetur integritas materialis, habetur etiam formalis; sed non vice versa.

Dicemus, 1° de necessitate integritatis; 2° de causis ab ea excusantibus.

§ I. *De necessitate integritatis:* 1° *in genere;* 2° *de peccatis dubiis;* 3° *de circumstantiis peccatorum;* 4° *de peccatis oblitis.*

Punctum I. De necessitate integritatis in genere.

1360. — I. Omnia peccata mortalia, post Baptismum patrata, accusari de jure divino debent, quantum moraliter fieri potest.

Constat 1° ex verbis ipsis institutionis Sacramenti Pœnitentiæ; sic enim Christus Dominus:[1] *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Unde sic verbis Tridentini[2] concludes: "Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes suî ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quo, pro potestate clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat enim sacerdotes judicium hoc, incognita causa,

[1] Joan. 20. 23.

[2] Sess. 14. c. 5.

exercere non potuisse, si in genere duntaxat, et non potius in specie, ac singillatim, sua ipsi peccata declarassent. Ex his colligitur, oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem suî discussionem *conscientiam habent*, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima sint."

Constat 2° ex eodem Tridentino,[1] quod sic definivit: "Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse de jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria ex debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta et quæ sunt contra duo ultima Decalogi Præcepta, et circumstantias, quæ peccati speciem mutant, . . . anathema sit."

II. Ad integritatem *materialem* pertinent peccata gravia quoad — numerum, — species morales, — circumstantias quasdam, — actum externum, — effectus malos cum actione junctos et moraliter imputandos. Patet ex dictis et ex infra dicendis.

III. Integritas materialis non semper necessaria est ad validitatem et fructum Confessionis; interdum enim est moraliter impossibilis, sive ex inculpabili oblivione, sive aliis de causis. Deus autem impossibilia non jubet. Ergo, etc. Constat etiam ex his Trident.[2] verbis: "Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur; pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *Ab occultis meis munda me, Domine.*"

IV. Ad integritatem Confessionis prærequiritur diligens pro capacitate pœnitentis examen de peccatis ab ultima Confessione valida patratis; qui enim tenetur ad finem, tenetur etiam ad media necessaria.

1361. *Resolves.* — 1° Tenemur, in Confessione mortalium, accusare non tantum species genericas peccatorum, sed etiam species infimas; eæ siquidem *proprie* species dicuntur; omnium autem specierum accusationem Tridentinum requirit.

2° Qui non potest speciem infimam patefacere, debet speciem superiorem, seu genericam, manifestare: v. g. si quis, sciens se peccasse contra castitatem, non recordatur de peccato specifico, dicere debet, se contra castitatem graviter peccasse.

3° Qui scit se peccasse mortaliter, sed ignorat aut non meminit speciem, etiam genericam, peccati sui, dicere in genere debet, se peccasse graviter, non recordari autem, cujus peccati sit reus.

4° Qui recordari nequit de numero certo, tenetur accusare numerum probabiliorem, seu qui magis accedit ad veritatem, addendo particulam *circiter;* quia, ubi deest certitudo, illud, quod verisimilius est, accusari debet. — Qui vero nec summam peccatorum verisimilem exhibere potest, dicere tenetur, num frequenter an raro peccaverit; quoties *circiter* in mense, in hebdomada, in die, etc. Cfr. dicta n. 216 – 227.

5° Confessarius nequit eximere ab obligatione integre confitendi ob magnum pœnitentium concursum, v. g. aliquo die festo solemniori. Constat ex dictis, necnon ex propositione 59ª ab Innoc. XI. damnata. Vide p. XVII.

6° Defectus sinceritatis circa unum tantum mortale, quod omittitur, constituit peccatum grave; quia præceptum divinum Confessionis in re gravi violatur.

1362. QUÆSITA. — Quær. 1° *Qualis numerus censeatur comprehendi in particula* CIRCITER?

Resp. Non potest regula omnino certa id determinari; non tamen comprehenditur qualiscumque excessus, nec notabilis defectus: sed modicus tantum, major tamen vel minor proportionate ad numerum expressum. Sic autem communiter statuunt Theologi; modicus excessus vel defectus erit relative ad *quinque circiter* peccata, unitatem unam hinc inde addere vel demere; relative ad *circiter decem*, duas; relative ad *viginti*, tres vel quatuor; relative *ad quadraginta*, quatuor vel quinque; relative ad *centum*, quinque vel sex; . . . censebiturque prudenter in primo casu pœnitens quater, quinquies, vel sexies peccasse; in secundo vero octies, novies, decies, undecies, vel duodecies peccasse; et similiter de aliis resolve.[1]

Quær. 2° *An debeat postea declarari excessus notabilis, si post Confessionem reperiatur?*

Resp. Affirm. Ratio patet ex dictis;

[1] Sess. 14. de Sacr. Pœn. Can. 7.
[2] Sess. 14. c. 5.

[1] L. VI. 466.

cum enim excessus notabilis non comprehendatur numero declarato per particulam *circiter*, pœnitens non satisfecit obligationi Confessionis quoad illum excessum. Ergo . . . Ita *omnes*.

Quær. 3° *Si quis erraverit notabiliter exaggerando numerum, an debeat postea id quoque in Confessione declarare ?*

Resp. Neg., si bona fide numerum istum notabiliter majorem expresserit. Ratio est, quia plene et integre satisfecit obligationi Confessionis ; verus enim numerus in majore fuit comprehensus, adeoque remissus.

Quær. 4° *An sit semper peccatum mortale mentiri in Confessione ?*

Resp. Per se tunc solum peccatur mortaliter, quando mendacium versatur circa materiam *necessariam* Confessionis sine justa causa celatam, aut circa materiam gravem falso suppositam, scilicet advertenter (non ex scrupulo vel simplicitate) accusando peccatum grave non commissum.

Mendacium igitur circa res, ad Confessionem seu conscientiam pœnitentis non pertinentes, non est *per se* mortale ; quia nec est graviter pœnitenti damnosum, ut supponitur, nec graviter Sacramento injuriosum, cum ad ipsum non referatur. — Ita *communiter* cum S. Alph.[1] contra *paucos*, qui dicunt, omne mendacium in Confessione esse mortale. — Si vero pœnitens mentitur circa peccata, etsi jam confessa et absoluta, quando confessarius uti judex aut medicus de iis aliquid exquirit, utpote necessarium ad præsentem Confessionem, graviter peccat, quia in substantialibus decipit. Cfr. pp. 58ª. inter damn. ab Innoc. XI., p. XVII.

Quær. 5° *An officiat integritati Confessionis, si quis accuset venialia confessario ordinario, mortalia vero alteri ?*

Resp. 1° *Neg., per se loquendo*, dummodo absolutionem nunquam recipiat, quin omnia mortalia uni manifestaverit, et ab eodem absolvatur. Ratio est, quia integra est illa Confessio, quæ omnia mortalia complectitur, cum venialia non sint necessario accusanda.

Resp. 2° In praxi autem attendendum est ad pœnitentium circumstantias, et ad motiva, quibus ducuntur. Non enim sunt damnandi, qui aliquando graviora peccata ignoto confessario confitentur, leviora vero ordinario subjiciunt, si ex pudore, quo suffunderentur cum confessario familiariter cognito, periculo se committerent sacrilege confitendi. Quocirca confessarius de hoc nunquam curiose inquirat, ac multo minus pœnitentem, conantem forte id dissimulare, interrogationibus vexet, neque, si sciat, ostendat, sibi id displicere, sed potius probari sibi usum libertatis, quam amplissimam Ecclesia permittit, dum plurium confessariorum copiam fidelibus facit. — Graviter tamen peccarent et ob defectum debitæ dispositionis nulliter confiterentur, qui ea de causa in occasione peccati permanerent, aut ideo circumirent, ut liberius peccent.[1]

Quær. 6° *An officiat integritati, si quis simulet aliam vocem, ne a Confessario agnoscatur ?*

Resp. Neg. per se ; dummodo enim omnia mortalia aperiat, Confessionem integram peragit. Nec necesse est, ut a confessario nominatim cognoscatur ; sufficit enim ut confessarius præsentem peccatorem absolvere intendat : intentio autem confessarii *per se* semper ad pœnitentem præsentem est determinata.

Punctum II. De peccatis dubiis.

Dubium hic versari potest præcipue, 1° circa actum peccati, seu circa peccatum commissum ; 2° circa gravitatem peccati, tum ex parte materiæ, tum ex parte assensus ; 3° circa Confessionem peccati certo commissi.

1363. Quæsita. — Quær. 1° *An necessario accusanda sint peccata mortalia dubie commissa ?*

Resp. Neg. communissime, si, præhabito diligenti examine, dubium perseveret : et hoc valet, etiamsi dubium sit vere positivum, seu vera detur probabilitas de commisso peccato. Ratio est, quia hic agitur de lege dubia, quæ consequenter non obligat. Et sane ex Trident. accusari debent peccata mortalia, quorum *habetur conscientia ;* atqui non habetur conscientia peccatorum dubiorum ; habere enim conscientiam importat notitiam certam peccati, cum conscientia nihil aliud sit, quam cordis scientia et judicium de peccato commisso. Ergo.[2]

[1] H. A. Tr. XVI. 28.

[1] L. VI. 471. 5. [2] Ib. 473 sq.

Contradicunt tamen alii; quia (ut aiunt) colligitur ex verbis Trident., omnia mortalia esse accusanda prout *sunt in conscientia*; et proinde, si dubia sint in conscientia, sunt etiam ut dubia confitenda. — At enim, respondendum est, in Trid. non dici, esse accusanda peccata *ut sunt in conscientia*, sed *quorum conscientiam habemus*. In praxi tamen hujusmodi accusatio consulenda est, ait S. Alph.[1]

Communius docent accusanda esse peccata *negative dubia*; sed sententia negans S° Alph° probabilior est; nequit enim dari obligatio confitendi peccata *negative* dubia, cum hujusmodi dubium nullo solido fundamento innitatur, nec oriatur nisi ex inani suspicione, seu timore peccati commissi, ut scrupulosis, aut conscientiæ timoratis frequenter contingit. — Si quis tamen cum *positivo* dubio versetur in articulo mortis, — sciens se Sacramentum Pœnitentiæ vel aliud Sacramentum bona fide et attritum post tale peccatum non suscepisse, — ad effugiendum damnationis periculum sane obligaretur vel accipere absolutionem, vel saltem actum contritionis elicere; quod idem dicendum, si velit communicare. Neutro tamen in casu peccatum illud dubium confiteri tenetur.[2] Cfr. n. 67. 1° a).

Quær. 2° *An sint accusanda peccata dubie gravia?*

Resp. Neg. probabilius per se, saltem speculative, etiam data vera probabilitate de peccati gravitate. Ratio eadem est, ac pro quæsito præcedente: non enim constat de peccato gravi commisso; nec proinde de obligatione Confessionis constare potest.

In praxi autem duplex regula sequenda est:

I^a *Regula.* — In dubio an materia peccati sit gravis. Pœnitentes rudes ordinarie debent dubia accusare, 1° quia fere non possunt per seipsos conscientiam efformare; 2° quia plerumque non norunt distinguere venialia a mortalibus. Excipe tamen scrupulosos, qui mortalia committere frequenter non solent. Pœnitentes vero instructi non tenentur dubie gravia accusare, quia per seipsos conscientiam efformare possunt; nihilominus ad hæc quoque accusanda ordinarie suaviter hortandi sunt, ut confessarius peri-

[1] L. VI. 476. [2] H. A. Tr. XVI. 30. 31.

cula advertens, in quibus pœnitens versatur, et ipsum monere, et illa removere possit.

II^a *Regula.* — In dubio de consensu pleno aut advertentia perfecta; 1° si pœnitentes sint timoratæ conscientiæ, nec soleant graviter peccare, nullo modo tenentur peccata dubia confiteri, quia ipsis favet præsumptio, quæ *ex ordinarie contingentibus* habetur; imo sæpe sunt ab hac accusatione impediendi, si ad scrupulos propensi videantur; 2° si pœnitentes mediam viam servent inter timoratam et laxam conscientiam, non sunt quidem obligandi, sed utique inducendi ad consensum dubium declarandum, quia illud prodest ad conscientiæ tranquillitatem, etc.; 3° si pœnitentes sint laxæ conscientiæ, vix umquam peccata dubia declarare non debent, quia ipsis præsumptio vix umquam non adversatur.[1]

Quær. 3° *An necessario accusanda sint peccata gravia, certe quidem commissa, de quibus tamen dubites, an confessus fueris?*

Resp. Affirm. Vide n. 67. 1°. Excipe, 1° si occurrat dubium de omissione peccati jam a longo tempore patrati in eo, qui diligens fuit in suis peccatis confitendis, quia præsumptio ex communiter contingentibus petita huic favet; 2° si agatur de scrupuloso, cui applicanda est regula n. 44. II. 3° tradita.

Quær. 4° *An qui confessus est aliquod peccatum, tanquam dubium, debeat illud repetere, si illud ut certum postea cognoscat?*

Resp. Controvertitur. Sententia "vera et communissima," ait S. Alph.,[2] "affirmat." Ratio est, 1° quia debemus accusare omnia peccata certa, quorum habemus conscientiam; 2° quia peccatum illud non fuit accusatum quoad substantiam: accusatio enim certa non includitur in dubia.

Punctum III. De circumstantiis peccatorum.

Circumstantiæ varii generis in peccatis distinguuntur. (Vide n. 27.)

1364. Principia. — I. Certum est, accusandas esse circumstantias *speciem*

[1] L. VI. 476.

[2] H. A. Tr. XVI. 34. L. VI. 478. Cfr. Vind. p. 472. Ed. 2^a. T. II. p. 84.

mutantes, si diversæ speciei malitia, quam circumstantia inducit, gravis sit (nam si levis fuerit, v. g. levis irreverentia illius, qui in Ecclesia surripit pileum alterius, necesse non est, prout de venialibus statuitur, eam in Confessione exprimere). Ratio est, quia novum peccatum, idque mortale, per se constituunt; et constat ex Trid.[1]

II. Certum est non necessario accusandas esse circumstantias *leviter aggravantes*, aut *minuentes*, licet eas exponere *de se* melius sit. Ratio est, quia peccata venialia non sunt materia necessaria Sacramenti Pœnitentiæ.

III. Certum est etiam, exprimendas esse circumstantias, ratione quarum peccatum *ex genere suo veniale* evadit *mortale*. Item aperiendæ sunt circumstantiæ, quæ peccatum ita minuunt, ut, quod iis seclusis fuisset mortale, fiat earum ratione vel nullum, vel veniale tantum (n. 204).

1365. QUÆSITA. — Quær. 1° *An necessario accusandæ sint circumstantiæ* NOTABILITER AGGRAVANTES *malitiam peccatorum mortalium intra eandem speciem?*

Resp. Duplex est sententia probabilis.

I[a] SENTENTIA *communior* et *probabilior negat absolute*. Ratio est: 1° Quia Trid. nihil aliud exigit, quam Confessionem numeri et speciei peccatorum, et proinde videtur excludere obligationem confitendi alias circumstantias. 2° Quod secus tum pœnitentes, tum confessarii inter angustias semper fluctuarent, cum difficile sit distinguere, quænam sint circumstantiæ notabiliter aggravantes: nulla enim regula, plerumque saltem, assignari potest, ex qua dignoscantur v. g. pro duratione, intensitate, modo, etc. 3° Quia lex dubia non obligat.[2]

Per accidens autem etiam circumstantiæ aggravantes declarandæ sunt, scil. ratione — *vel* numeri, et sic declaranda est circumstantia quantitatis temporis, per quod odium perduravit aut concupiscentia in mulierem; — *vel* censuræ aut reservationis; — *vel* necessariæ directionis, ut in consuetudinariis, occasionariis, et plerumque dum agitur de obligatione ad restitutionem.[3]

II[a] SENTENTIA *affirmat*. Ratio est, 1° quia currit eadem ratio pro accusandis circumstantiis aggravantibus ac pro accusandis speciem mutantibus; 2° quia peccatum, circumstantiis notabiliter aggravantibus adauctum, pluribus æquivalet; 3° quia, si non accusarentur, confessarius non posset proportionatam pœnitentiam injungere; 4° quia Catechismus Romanus[1] ita docet. — *Primæ* vero sententiæ patroni reponunt:

Ad rationem 1[am]. "Si rationes æque de utrisque circumstantiis probarent, sine causa Concilium limitasset totam doctrinam illam ad circumstantias, quæ mutant speciem: debuisset enim de utrisque in genere loqui absque limitatione et discrimine." Ita Lugo.[2]

Ad 2[am]. Nemo unquam multiplicationem peccatorum in eodem actu quæsivit ex possibili materiæ divisione.

Ad 3[tiam]. "Non semper requiritur tam exacta æqualitas in pœnitentia imponenda." Ita idem Lugo.[3]

Ad 4[tam]. Textus objectus hic est: "Neque vero solum peccata gravia narrando explicare oportet, verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant, et pravitatem valde augent vel minuunt." Sed reponi potest, hæc ibidem ita explicari, ut necesse non sit, ea de circumstantiis *mere* aggravantibus intelligere. Et sane — a) mox subdit Catechismus: "Quædam enim circumstantiæ adeo graves sunt, ut peccati mortiferi ratio ex illis tantum constet: quare hæc omnia confiteri semper oportet." Atqui ratio culpæ lethalis ex circumstantia tantum non habetur, nisi hæc speciem mutet aut moralem, aut theologicam. — b) Id ex eo confirmatur, quod præscribat confitendas circumstantias *valde minuentes*. Nam etiam adversarii concedunt, tunc solum id valere, quando imminutio mutat speciem theologicam.[4] — c) Catechismus doctrinam suam confirmat ex necessitate exprimendi circumstantiam *personæ sacræ* in homicidio, et *Matrimonii* in concubitu. Atqui hæc spectant ad circumstantias speciem moralem mutantes.

Quær. 2° *An declaranda sit circumstantia gradus incestus patrati cum consanguineis vel affinibus?*

[1] Sess. 14. c. 5 et Can. 7. [2] L. VI. 468.
[3] L. VI. 467. 468. 585. Dub. 3.

[1] De Pœnit. n. 47.
[2] Ib. D. 16. n. 115.
[3] Ib. n. 120.
[4] L. VI. 468. ad prob. 3 ex ratione.

Resp. 1° *Probabilius* incestus inter consanguineos et affines specie non differunt, cum nihil referat utrum conjunctio oriatur ex sanguine, an ex Matrimonio; nam ex *eodem motivo* prohibetur copula cum consanguineis, ex quo prohibetur cum affinibus: ideo circumstantia consanguinitatis vel affinitatis necessario exprimenda non est.[1]

Resp. 2° Juxta communem DD. sententiam aperienda est circumstantia conjunctionis in primo gradu lineæ rectæ, nempe inter patrem et filiam; matrem et filium; socerum et nurum; socrum et generum; novercam et privignum; vitricum et privignam, idque ob debitum reverentiæ. Imo explicandum an filius peccarit cum matre, ratione *specialis* reverentiæ matri debitæ. — Idem dicunt de circumstantia primi gradus consanguinitatis in linea collaterali, nempe inter fratrem et sororem. Attamen contrariam sententiam *æque probabilem* vocat S. Alph.[2]

Resp. 3° *Probabilius* autem cæteri gradus consanguinitatis vel affinitatis non sunt necessario declarandi.[3]

Quær. 3° *An necessario accusanda sit circumstantia dignitatis personæ, v. g. si peccans sit Superior, Magistratus, Sacerdos, etc.?*

Resp. Neg. probabilius per se, i. e. seclusa ratione scandali, officii, vel obligationis particularis. Ratio est, quia circumstantia dignitatis personæ peccantis non mutat speciem peccati *per se*, sed peccatum ad summum aggravat.

Quær. 4° *An necessario declaranda sit circumstantia peccati confessarii cum pœnitente commissi?*

Resp. Neg. probabilius, modo nullam relationem habeat ad Confessionem. Ratio est, quia per hoc peccatum nulla fit injuria Sacramento, cum ad Confessionem nullum respectum habeat.[4] Facile tamen patet, omnino esse absterrendum tum ejusmodi pœnitentem, ne apud illum sacerdotem ulterius confiteatur; tum ejusmodi confessarium, ne illum pœnitentem ulterius ad Confessionem admittat.

Quær. 5° *An necessario accusanda sit circumstantia temporis sacri?*

Resp. Neg. Patet ex praxi universali tum confessariorum, tum pœnitentium; quippe constat, nec illos sollicitos esse de tali circumstantia interrogandi, nec hos illam declarare solitos. Circumstantia igitur temporis sacri non videtur explicanda, nisi quædam specialiter prohibeantur ob reverentiam temporis, v. g. ne quis die Parasceves ludos publicos, comœdias, aut ludicra spectacula exhibeat.[1]

Quær. 6° *An satisfaciat integritati Confessionis, qui peccatum recens accusat tanquam olim commissum?*

Resp. 1° *Affirm. per se.* "Ratio,. . . , quia peccatum idem est, sive antea illud confessus fuerit, sive non, nisi forte mutatio temporis afferat secum circumstantiam specie diversam. . . . Nec obstat, quod "*pœnitens*" dicat, se velle Confessionem generalem facere; per hoc enim non dicit, se velle confiteri sola peccata antiqua, sed velle se etiam illa," i. e. antiqua, "comprehendere; nam Confessio generalis omnia peccata complectitur usque ad hanc horam. Nec etiam refert, quod confessarius intelligat, illud esse peccatum antiquum, pœnitens enim hoc non dixit; atque ideo intentio absolvendi non regulatur ab existimatione privata confessarii, sed intendit absolvere a peccatis, quæ pœnitens detulit ad judicium, quæcumque illa sint. . . . Denique non refert, quod pœnitens videatur implicite indicare, quod sint peccata antiqua; nam ipse vere habet animum loquendi de peccatis novis, et de illis vult loqui, licet desideret non intelligi quoad hoc a confessario." Ita Lugo.[2]

Resp. 2° Si vero pœnitens mentiatur circa tempus, v. g. si neget se peccasse hodie, et declaret peccatum velut alio tempore determinato et remoto commissum, communius putant Doctores illum obligationi suæ non satisfacere. Ratio est, quia actus, quem posuit pœnitens hodie, non est actus positus anno præterito. Hinc dupliciter mentitur, scilicet celando peccatum hodie patratum, et accusando peccatum alio tempore commissum. — Sic Tamb.[3] Non desunt tamen Theologi, qui hoc mendacium leve putant.— Vide Lugo.[4]

Quær. 7° *An necessario accusandus sit actus externus peccati?*

[1] L. VI. 469.
[2] Ib. 469. 470.
[3] Ib. 470.
[4] L. IV. 451.

[1] L. IV. 273.
[2] D. 16. n. 47. 54.
[3] Meth. Conf. L. II. c. 1.
[4] D. 16. n. 53.

Resp. Affirm., quia est quid unum et idem cum actu interno in genere moris, et duo hæc *unum totale* constituunt. Aliunde actus externus est directe prohibitus lege divina, v. g. *Homicidium non facies.* Insuper absque declaratione actus externi plerumque confessarius munere suo fungi non posset, ut par est, circa monita præbenda, etc. Constat etiam ex consuetudine universali fidelium, quæ legem in hoc sensu explicat.

Quær. 8° *An pœnitens declarare debeat numerum personarum, cum quibus peccavit?*

Resp. Neg. per se. — Ita Bonacina,[1] Tamburinus,[2] Lacroix,[3] et alii communiter.

Ratio est, quia sufficit, ut declaretur numerus peccatorum et eorum species; peccata autem non ideo mutant speciem, quod cum pluribus patrata fuerint. Hinc qui fornicatus est cum tribus diversis, vel ter cum eadem, satisfacit dicendo, se ter fornicatum esse; nec tenetur sponte dicere, num complex unica fuerit, an plures; num fuerint meretrices, an aliæ. — Attamen pœnitens declarare tenetur, si adsit proxima peccandi occasio, puta quia cum eadem persona pluries peccatum fuerit.

Quær. 9° *An declaranda sit propinquitas personarum in peccatis odii?*

Resp. 1° *Affirm.*, si agatur de propinquitate *propiori*, ob strictum virtutis pietatis vinculum. Hinc declarandum est odium grave in parentes, filios, avos, nepotes, in conjugem, et in fratres. Lugo,[4] et alii *communiter*.

Resp. 2° *Neg.* vero *probabilius*, si agatur de propinquitate *remota*, inter cæteros nempe consanguineos aut affines. — Lugo,[5] et *alii* contra alios, qui declarandam putant circumstantiam propinquitatis etiam in quarto gradu consanguinitatis.

Punctum IV. De peccatis oblitis.

Peccata ex oblivione inculpabili omissa accusari debent, si in pœnitentis memoriam redeunt. Ex præcepto enim divino omnia peccata post Baptismum commissa in Confessione Sacramentali declaranda sunt; nec præsens oblivio a tanta obligatione excusare etiam in posterum potest. Constat ex prop. 11ª ab Alexandro VII. damnata. Vide p. XIII.

1366. QUÆSITA. — Quær. 1° *An peccata, ex oblivione aut alia justa causa omissa,* QUAMPRIMUM *accusanda sint?*

Resp. Neg. probabilius. Hujusmodi enim obligatio *moraliter* accipienda est, præsertim cum hæc peccata jam deleta sint, nec proinde adsit periculum animæ *in mora.* — Ita *communius.*

Imo juxta plures graves Theologos pœnitens differre *probabiliter* potest Confessionem horum peccatorum, donec ex *vi alterius obligationis* iterum confiteri teneatur. Sic ad varios menses, et etiam ad tempus annuæ Confessionis, differri posset. — Ita Bonacina.[1] Attamen nulla alia Confessio, iis omissis, interponi potest. Ratio est, quia ad integritatem Confessionis pertinet declarare in actuali accusatione omnia peccata mortalia nondum accusata, quæ memoriæ occurrunt, seu quorum habetur conscientia, ut dicit Trid.[2]

Quær. 2° *An peccata ex oblivione omissa accusari debeant ante Communionem, si prius menti occurrant?*

Resp. Neg. probabilius, etiamsi pœnitens absque incommodo confiteri possit (n. 1307. q. 3°).

Quær. 3° *An pœnitens, qui recordatur peccati obliti nec potest* (*aut non vult*) *confiteri ante Communionem, ad actum contritionis eliciendum teneatur?*

Resp. Neg. cum S. Alph.,[3] Lugo,[4] et cum *aliis communiter* contra quosdam alios. — Ratio est, quia nullum apparet fundamentum, cur ista contritio requiratur. Non enim requiritur ex præcepto, quia hoc nullibi præscriptum reperitur; neque ex necessitate probationis, quia peccatum jam per præcedentem Confessionem indirecte deletum est, et proinde remissione non indiget.

Quær. 4° *An necessario absolvi debeat iterum pœnitens accusans peccatum grave,*

[1] De integr. Conf. diss. 3. n. 14.
[2] In Decal. L. VII. c. 1. § 1. n. 3.
[3] n. 1040.
[4] De Pœnit. Disp. 16. n. 298 sq.
[5] Ib.

[1] De integr. Conf. S. II. P. IV. n. 32.
[2] Sess. 14. c. 5.
[3] L. VI. 257.
[4] De Euch. D. 14. n. 122.

in præcedente Confessione ex oblivione aut alia legitima causa omissum et jam indirecte remissum?

Resp. Affirm. cum sententia communissima. Ratio est, quia omnia peccata mortalia ex institutione Christi sunt clavibus subjicienda, ut directe remittantur. Licet enim jam remissa sint, non tamen vi Sacramenti, seu vi absolutionis remissa sunt, sed tantum vi gratiæ per Sacramentum infusæ, et concomitanter cum aliis peccatis. — Sporer,[1] Collat. Andeg.[2] — Contingit tamen pœnitentes tamquam ex oblivione omissa confiteri peccata, quæ per accusationem aliorum peccatorum, in quibus *necessario* contineantur, jam satis declarata fuere; quo casu nulla erit absolvendi obligatio.

Licet confessarius omittere possit absolutionem cum pœnitentibus, qui ad eum redient; siquidem isti in alia Confessione directe absolventur; melius est tamen omnibus absolutionem impertiri, quando facile fieri potest, ad pœnitentis solatium et animi tranquillitatem, necnon ob fructum ex Sacramento percipiendum. Adde periculum, ne pœnitens eumdem confessarium amplius adire non possit.

§ II. *De causis ab integritate excusantibus in genere, et speciatim quoad moribundos.*

Punctum I. De causis ab integritate excusantibus in genere.

1367. Principia. — I. Dantur causæ aliquando ab integritate materiali Confessionis excusantes, quia quandoque ea integritas est physice vel moraliter impossibilis.

II. Ut aliquis ratione impotentiæ moralis censeatur ab integritate materiali Confessionis excusatus, licet peccata menti occurrant, hæ conditiones servandæ sunt: 1° ut ea tantum peccata omittantur, quæ declarari nequeunt, seu ex quorum manifestatione sequeretur grave damnum sive spirituale sive temporale, vel pœnitenti, vel confessario, vel cuipiam tertio; 2° ut non possit inveniri alius confessarius, cui Confessio integra fiat absque tali damno; 3° ut Confessio sit hic et nunc necessaria, prout esse censetur, a) si impleri debeat præceptum annuæ Confessionis vel Communionis; b) si sumptio Eucharistiæ aut Missæ celebratio omitti sine nota aut scandalo non possint; c) si secus carere quis diu debeat Sacramentorum beneficio; d) si quis alias deberet manere in mortali, licet per unam tantum diem aut horam.[1]

III. Nunquam excusat difficultas ipsi Confessioni intrinseca, quantumvis gravis ea sit. Ratio est, quia Confessio ex natura sua est essentialiter laboriosa, ac proinde, si difficultas gravis, — v. g. magna repugnantia, aut verecundia, aut amissio propriæ famæ coram confessario, — ab integritate excusaret, plerumque ab accusandis mortalibus fideles excusarentur, et proinde rueret maxima ex parte institutio Sacramenti Pœnitentiæ. Præterea Ecclesia non posset reservare crimina atrocia; quia id non leve incommodum pœnitentibus creat.

IV. Cessante causa excusante ab integritate materiali, præceptum divinum confitendi omnia peccata mortalia omissa iterum urget; occurrente enim impedimento, non cessat simpliciter Confessionis obligatio, sed tantum suspenditur; cessante igitur causa excusante, obligatio legis integre reviviscit: cumque præceptum Confessionis non sit affixum tempori aut circumstantiæ, sed vitam integram afficiat; idcirco peccata nondum accusata postea, si fieri possit, necessario accusanda sunt. Constat aliunde ex propositione 11ª ab Alexandro VII. damnata. Vide p. XIII.

1368. *Resolves.* — A materiali Confessionis integritate præcipue excusant sequentia:

1° *Infirmitas extrema*, id est, quando moribundus unum tantum vel alterum peccatum exprimere potest, vel usu linguæ jam destitutus aliquo tantum signo pœnitentiam ostendit, absolutionemque petit.

2° *Defectus loquelæ;* sic ab integritate eximuntur muti, qui nec signis, nec, sine periculo manifestationis aut sine gravi incommodo extraordinario aut magno labore, scripto integre confiteri possunt; item

[1] n. 627.
[2] Coll. 3. q. 3.

[1] L. VI. 487. H. A. Tr. XVI. 39. Exam. Ord. n. 20.

peregrini penitus aut fere penitus ignari idiomatis regionis, in qua confitentur.[1] Hinc, si de confessario agitur, qui idioma pœnitentis *non satis* callet, hæc scite docet Kenrick.[2] Adhibita diligentia ad omnia percipienda, "non oportet esse sollicitiorem, qui . . . linguæ notitiam habet minus perfectam, dummodo sit æqua causa sacri exercendi muneris, alio deficiente, qui id exequatur. Missionarii idcirco plerique non sunt animo angendi, si, fidelium linguam non optime callentes, Confessiones non plene intelligant; necessitas enim persæpe cogit, ut Pœnitentiæ administrent Sacramentum."

3° *Defectus temporis*, v. g. si milites statim ad pugnam pergere debeant. Non autem excusat sola multitudo pœnitentium, ut supra dictum est, n. 1361. 5°.

4° *Periculum vitæ* pœnitentis, confessarii, aut tertii: v. g. si adveniant hostes; si multi in periculo naufragii vel contagii versentur; si in morbo contagioso probabile periculum adsit, ne confessarius inficiatur.[3] Imo aliquando in summo plurium periculo, omnes, exhibito aliquo generali signo contritionis et Confessionis, unica formæ prolatione absolvi sic possunt: *Ego vos absolvo*, etc.

5° *Periculum famæ*, v. g. si sacerdos mox celebraturus, et Confessione generali indigens, non posset integre confiteri, quin adstantes rem suspicarentur. Idem cum Alasia dicerem, si ageretur de infirmo *ante delationem SS. Sacramenti* confesso et jamjam per S. Synaxim reficiendo, qui, eo quod Confessiones præteritæ invalidæ fuerint, iterum Confessionem petit, quæ, utpote prolixior futura, infirmum periculo infamiæ exponeret. Hoc casu, audito aliquo peccato, confessarius infirmum absolvat, ipsi SS. Eucharistiam præbeat, ac postea redeat, *integram* Confessionem excepturus.

6° *Periculum revelationis*, seu violationis sigilli, v. g. si confessarius nequeat integre confiteri, quin peccata in Confessione audita manifestet, etc.; vel si pœnitens ex gravi causa timeat, ne confessarius legem sigilli infringat. Posterior autem hic casus, si tamen unquam contingere dicendus sit, rarissimus est.

7° *Periculum scandali vel lapsus*, tum ex parte pœnitentis, tum ex parte confessarii, v. g. si mulier certo cognosceret maximam confessarii fragilitatem, etc.[1]

1369. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod explicari nequit sine complicis manifestatione?*

Resp. Affirm. probabilius, cum sententia communi, quam sequimur, ait S. Alph.,[2] dummodo agatur de mortali, eoque nondum, aut nondum rite confesso. Ratio est, 1° quia nulla datur legitima excusatio, ut præcepto integritatis derogetur: non enim dici potest præceptum positivum restringi præcepto naturali non infamandi proximum; nam præceptum hoc tantum prohibet, ne manifestetur crimen alienum sine causa; hic autem causa habetur, et quidem gravis, nempe integritas Confessionis procuranda, et conscientiæ directio; 2° complex peccatum patrando amittit omne jus ad famam, quod habere poterat apud confessarium, in ordine ad Confessionem hujusce peccati; et ipse implicite huic famæ detrimento ultro consentit, quando peccat.

Tenetur vero pœnitens, si commode potest, alium adire confessarium, cui ignota sit persona complicis.

Quær. 2° *Quænam sint causæ excusantes a quærendo alio confessario, cui complex sit ignotus?*

Resp. 1° Si urgeat periculum mortis, aut præceptum annuæ Confessionis vel Communionis; 2° si grave sit pœnitenti omittere Confessionem aut Communionem; 3° si quis difficulter alteri confessario conscientiam aperiret; 4° si quis secus in peccato, etiam per unam diem aut horam, remanere deberet; 5° si quis alias privaretur beneficio alicujus indulgentiæ extraordinariæ; 6° si adeundo confessarium, cui complex cognitus est, haberetur melior directio, consolatio notabiliter major, etc.

Hinc ratione petendi consilii, doloris leniendi, etc., sæpe excusantur matres et uxores confessario manifestantes filiorum aut virorum peccata, ut ut iste illos cognoscat. Nimis enim durum esset, quod

[1] L. VI. 479. Prax. Conf. n. 103. Cfr. Vind. p. 936. 4). Ed. 2ª. T. II. p. 596. (1).
[2] Tr. XVIII. 69.
[3] L. VI. 484. 4; 485. Ben. XIV. de Syn. L. XIII. c. 19. n. 19.

[1] L. VI. 479 sq. [2] Ib. 489.

alium confessarium illæ quærere tenerentur. Generatim itaque non habetur ut gravis obligatio confessarium alium adeundi, complicis occultandi causa, nisi forte de crimine valde gravi agatur.[1]

Quær. 3° *An liceat ipsi confessario petere nomen complicis, v. g. ad correctionem, etc.?*

Resp. Neg., saltem generatim loquendo, quia hoc et sine justa causa inducit ad detrahendum proximo, et odiosum reddit Pœnitentiæ Sacramentum. Constat ex Bened. XIV.: C. *Suprema omnium ecclesiarum*, 7 jul. 1745 et *Ubi primum*, 2 jul. 1746, quæ ambæ datæ sunt pro regnis Portugalliæ et Algarbiorum, sed quas postea per C. *Ad eradicandum*, 28 sept. 1746, ad universum orbem extendit, et in quibus Pontifex, loquens de confessariis, qui sub pœna denegandæ absolutionis nomen complicis requirunt, declarat, eos peccare graviter, et incurrere suspensionem ab audiendis Confessionibus, sed ferendæ tantum sententiæ.

Quær. 4° *An per prædictas litteras Benedicti XIV. ita interdictum sit quærere nomen complicis, ut in nullo casu id liceat?*

Resp. Neg., 1° quia ipse Bened. XIV. supponit casus, in quibus id liceat juxta *veras* (ut inquit) *et sanas opiniones*; 2° quia aliquando pœnitens necessario complicem revelare debet, nec tamen id nisi per confessarium præstare potest.

Quær. 5° *An sit obligatio confitendi peccatum, quod declarari nequit sine infamatione alterius, qui fuit occasiō peccati, v. g. si quis occiderit sororem suam ex crimine gravidam?*

Resp. Affirm., juxta sententiam supra h. n. q. 1° expositam.

Quær. 6° *An et quomodo surdi simul et muti confiteri teneantur?*

Resp. Muti et surdi tenentur aliquo modo confiteri, saltem per signa; nisi sint adeo ignari et hebetes, ut nihil extundi ab ipsis possit. Ratio est, quia præceptum Confessionis respicit omnes fideles, qui sua peccata ratione aliqua manifestare possunt. — Optimum erit, ut confessarius ab ejusmodi mutorum familiaribus exquirat, quibus vitiis dediti sint et quis modus sit tenendus, ut ab eis percipiatur et ipse eos percipiat.[2]

[1] L. VI. 490. [2] Praxis Conf. n. 102.

Hinc: 1° Muti sufficienter instructi tenentur integre confiteri, saltem signis, si hæc a confessario intelligantur; si autem sint minus instructi, aut difficulter a confessario intelligi possint, sufficiet ipsis unum tantum vel alterum peccatum manifestare, aut in genere significare, se esse peccatores et velle peccatum vitare; at vero hi, nisi adsit quædam moralis certitudo de eorum dispositione, conditionate absolvantur.[1]

2° Surdi, usum linguæ habentes, tenentur ex parte sua confiteri peccata, quæ memoriæ occurrunt; sed confessarius vix aut ne vix quidem tenetur eos interrogare ad procurandam Confessionis integritatem, ob nimiam interrogandi difficultatem; quæ tamen *nimiæ* difficultatis ratio non existeret, ubi scripto *facile* interrogari possent. — Surdastri autem, seu qui non sunt omnino surdi, vel adhibito cornu acustico confiteantur, vel in locum remotum adducantur, sive statim, sive alio tempore opportuno. Quodsi id sine periculo sigilli fieri nequeat, eo quod surditas non initio, sed in progressu tantum Confessionis innotuerit, imposita *levi* pœnitentia *certo* dispositi *absolute, dubie conditionate* absolvantur.[2]

Quær. 7° *An muti, scientes scribere, teneantur scripto confiteri ad procurandam Confessionis integritatem?*

Resp. Vide n. 1368. 2°.

Quær. 8° *An et quomodo, confiteri teneantur ignari idiomatis loci, in quo confiteri volunt?*

Resp. Ignari idiomatis loci, in quo versantur, et carentes confessario, a quo intelligi possint, tenentur, urgente præcepto annuæ Confessionis, et in articulo mortis, confiteri aliquo modo, saltem signis generalibus. Ratio est, quia urget præceptum divinum et ecclesiasticum. Nam, etsi materialiter integre confiteri nequeant, tenentur tamen ad id, quod possunt.[3]

Quær. 9° *An ignari idiomatis teneantur confiteri per interpretem, si possint?*

Resp. Neg., quia confiteri per interpretem est onus gravissimum et multis periculis obnoxium, v. g. revelationis, irrisio-

[1] Praxis Conf. n. 102.
[2] Ib. n. 104.
[3] L. VI. 479.

nis, etc. Excipe, si in periculo mortis pœnitens idiomatis ignarus dubitet de contritione perfecta, quia in eo casu Confessio foret medium ad salutem omnino necessarium; sufficiet autem tunc unum veniale confiteri, ut hoc modo cætera peccata indirecte remittantur.[1]

Punctum II. De confessione et absolutione moribundorum.

1370. — I. Absolvi potest et debet, et quidem *absolute*, quilibet moribundus, qui aliquo modo, voce vel signo, confitetur, vel absolutionem petit. Ratio est, quia adsunt omnia requisita ad Sacramentum, et ad Confessionem formaliter integram.[2]

II. Absolvi potest et debet, at *conditionate*, quilibet moribundus, in quo attritio et Confessio præsumi possunt aliquo modo, quantumvis tenuiter probabili; quia in casu extremæ necessitatis, etiam in Sacramentorum administratione, licet uti opinione etiam parum fundata. — S. Alph.,[3] et alii *communius* contra alios.

III. Absolvi nullo modo potest moribundus, qui omnino recusat Sacramentum Pœnitentiæ, vel qui nullo modo præsumi potest attritus aut Confessionem voluisse aut velle. Ratio luculentissime patet.

1371. *Resolves.* — 1° Absolvendi sunt omnes moribundi nondum sensibus destituti et in absolutionem consentientes, mandatisque confessarii obtemperantes: *absolute* quidem, si Confessionem ultro requirant, aut si libenti animo confiteri proponant; *conditionate* vero, si ægre vix ad aliqualem Confessionem inducantur, aut si de ipsorum sufficienti dispositione prudenter dubitetur. — Ita *communiter*.

2° Absolvendi sunt, tutius tamen *conditionate*, omnes moribundi sensibus destituti, qui ante sensuum privationem expresse Confessionis desiderium ostenderunt, v. g. jubendo advocari sacerdotem, etc. Ratio est, quia Confessio in casu satis sensibiliter confessario innotescit per testimonium alterius, etiam unius vel mediatum. Constat ex Conciliis et ex Rituali Rom.[1]

3° Absolvendi sunt *sub conditione* moribundi omnes sensibus omnino destituti, qui christiane vixerunt, etsi tunc nec doloris, nec desiderii Confessionis signum ullum dederint. Ratio est, quia in istis præsumi potest dolor et desiderium absolutionis per signa sensibilia, v. g. per suspiria, motus corporis, anxiam respirationem manifestata, licet a confessario non percepta.[2]

4° Ob eamdem rationem absolvendi sunt *conditionate* etiam alii moribundi sensibus destituti, qui parum christiane vixerunt.

5° Ob eamdem rationem *satis* probabiliter sub conditione absolvi potest et debet moribundus Catholicus, destitutus sensibus in actu ipso peccati, v. g. in duello, adulterio, furto, etc.[3]

6° "Qui licet Catholicam fidem numquam professi sint, voluntatem in eam *proclivem* ostenderunt, possunt eo in discrimine," i. e. si moribundi sunt et sensibus destituti, "sub conditione absolvi, . . . si in suis sectis fuerint jam baptizati" (at in dubio de valore hujus Baptismi, post Baptismum sub conditione reiteratum); "est enim ratio quædam conjiciendi eos velle in Ecclesiæ communione vita fungi. Quod si ejus voluntatis nullum datum sit indicium, non sunt absolvendi, etiamsi dent doloris signa";[4] quia tales numquam prudenter præsumi valent ea signa præbere in ordine ad Confessionem, a qua summopere abhorrent.[5]

Nota. — Infirmo *sensibus adhucdum gaudenti* absolutio post brevem Confessionem utiliter *sæpius* confertur; ita enim securior redditur circa statum gratiæ, augmentum gratiæ recipit et pœnæ purgatorii ei minuuntur. — Sensibus autem destituto et nullum doloris absolutionisque desiderii signum præbenti "non expedit valde sæpius intra eumdem diem" i. e. sæpius quam singulis ternis vel quaternis horis, "absolutionem," licet condi-

[1] Ib. Cfr. Conf. diretto per le conf. della gente di campagna, C. XV. n. 18.
[2] L. VI. 480.
[3] Ib. 482.

[1] L. VI. 481.
[2] Ib. 482.
[3] Ib. 483.
[4] Kenr. Tr. XVIII. 211.
[5] L. VI. 483.

tionate tantum, "impertiri"; gravis enim et urgens causa, quæ requiritur ut Sacramentum sub conditione administretur, pro ejusmodi "valde sæpius intra eumdem diem" repetita absolutione *per se* non existit.

Dico: *per se;* moribundo enim in pravis cogitationibus habituato, aut aliqua odii vel impuri amoris passione irretito, aut infirmitatem valde acerbam non libenti animo sufferenti, vel etiam jam jam morituro frequentius dari poterit. — "Non abs re autem erit ægrotum, dum mente pollet, monere, ut" dum "loqui non" poterit, "signum aliquod determinatum," seu de quo cum ipso conveniatur, "det, dum absolutionem quærit, aut dum sacerdos" eam "ipsi conferre vult," e. g. oculos claudere vel reserare, manum elevare, inclinare caput, et similia. Ita S. Alph. in *Praxi Conf.*,[1] ubi rem magis explicite tractat, quam in *Theol. Mor.*,[2] aut in *Hom. Apost.*[3]

APPENDIX.

DE EXAMINE CONSCIENTIÆ.

1372. PRINCIPIA. — I. Pœnitens sub gravi tenetur *per se* loquendo, diligens examen peccatorum mortalium ante Confessionem instituere. Id sequitur ex præcepto integritatis etiam materialis, quantum fieri potest, procurandæ. Cum enim teneatur numerum et speciem peccatorum confiteri, eo ipso tenetur ea in memoriam revocare, quantum morali diligentia potest, ideoque diligens examen instituere; quia qui obligatur ad finem, ad media quoque ad illum necessaria obligatur. Constat etiam ex Trid.[4]

II. Diligentia in examine debet esse *seria*, seu tanta, quanta adhiberi solet in rebus seriis et magni momenti. Ratio patet; agitur enim de gravi Confessionis præcepto. — Non tamen requiritur, ut sit *summa*, etsi quis putet se per eam, v. c. cogitando per aliam horam, alia præterea peccata reperturum. — Item, debita diligentia semel adhibita, nemo de ante acta vita ulterius cogitare obligatur.[1]

III. Attamen non est æqualis diligentia ab omnibus requirenda. Minori enim examine indigent, qui frequenter, quam qui raro confitentur; majori vero indigent, qui negotiis mundanis implicantur, quam qui privatam vitam ducunt. Item rustici et rudes non possunt accuratam illam diligentiam adhibere, quam solertes et docti.

1373. *Resolves.* — 1° Peccat *per se* mortaliter, qui ex gravi negligentia in examine conscientiæ omittit peccatum aliquod mortale, et tenetur iterare Confessionem, utpote sacrilegam. In defectu tamen examinis dari potest parvitas materiæ, etiamsi exinde grave peccatum omittatur, v. g. ob aliquam inadvertentiam; et tunc Confessio certe valida est. Dixi: *per se*, seu nisi inadvertentia ad debitæ diligentiæ defectum excuset.

2° Qui certus est *moraliter*, se peccata mortalia non commisisse ab ultima Confessione, non tenetur ad rigorosum examen ante Confessionem, nisi in quantum requiritur ad materiam sufficientem Sacramento subministrandam. In praxi tamen suadendum est pœnitentibus piis, ut examini conscientiæ dent operam saltem per quinque minuta, aut per medium quadrantem *circiter*, ad defectus scilicet veniales cognoscendos et extirpandos.

3° Mediocris omnino examinis diligentia requiritur in timoratis, quia conscientia non sileret, si quid graviter culpabile intus lateret; imo scrupulosis inquisitio est omittenda, et aliquando omnino interdicenda, utpote inutilis, et sæpe nociva: si enim graviter peccassent, semper præ oculis peccatum haberent.

4° Pro ægrotantibus non requiritur examen tam accuratum, sicut pro sanis; imo quandoque nullum ab eis exigendum est ob capitis debilitatem; nec facile iis mos gerendus, dum Confessionem de die in diem differre se dicunt, quasi nondum satis conscientiam discusserint; sed quantum eorum status patitur, sunt a confessario ipso breviter examinandi per Decalogi et Ecclesiæ præcepta; præstat enim eos etiam imperfecte confessos in statum gratiæ restituere per absolutionem, quam

[1] n. 276. sub. 11.
[2] L. VI. 482.
[3] Tr. XVI. 37.
[4] Sess. 14. c. 5.

[1] L. VI. 471. 1.

dilatis Ecclesiæ Sacramentis damnationis periculo exponere.[1]

1374. QUÆSITA. — Quær. 1° *An pœnitens, qui timet ne peccata e memoria excidant, teneatur ea scribere, et scripta legere?*

Resp. Neg. Ratio est, quia nemo Confessionis integritatem procurare tenetur per media extraordinaria, et per diligentiam adeo exquisitam. Insuper hoc alienum a communi praxi timoratorum est, et scrupulosis prohiberi etiam potest.[2]

Quær. 2° *Qualis ordo sit sequendus in examine conscientiæ?*

Resp. 1° Ratione materiæ; si quis a multo tempore non est confessus, expedit ut ordinem præceptorum Dei et Ecclesiæ, et obligationum specialium sui status percurrat; alias sufficit attendere ad pravos habitus, ad peccata magis consueta, vel summatim ad peccata contra Deum, proximum, et seipsum.

Resp. 2° Ratione modi: 1) lumen divinum humiliter petendum; 2) discussio conscientiæ facienda; 3) specialiter deinde consideranda peccatorum turpitudo, et gravitas divinæ offensæ, et sic eliciendo dolori et proposito insistendum.

Quær. 3° *Quid agendum confessario, si pœnitentes, non satis discussa conscientia, accedant?*

Resp. 1° Si sint instructi, benigne dimitti debent, ut accuratius conscientiam discutiant et revertantur, saltem si de prolixis et implicatis Confessionibus agatur. Ratio est, quia fere est impossibile, ut quis repente rogatus de omnibus recordetur.[3] Excipe tamen, nisi circumstantiæ aliud suadeant.

Resp. 2° Si sint rudes aut parum instructi in rebus Religionis, non facile dimittendi sunt, ut conscientiam suam examinent, saltem si aliquam diligentiam adhibuerint. Ratio est, quia pro istis facile confessarius supplebit. Nonnullis enim interrogationibus plus ipse obtinebit, quam illi, sibi relicti, longo examine præstarent, quamvis omnia peccata in memoriam revocare conarentur. Præterea timendum est, ne forte difficultate territi amplius ad confitendum non redeant.[4]

[1] Elbel, n. 153.
[2] L. VI. 471. 3.
[3] Ib. 471. 2.
[4] Ib.

ARTICULUS III.

DE ITERATIONE CONFESSIONIS.

1375. PRINCIPIA. — I. Omnis lethalium peccatorum Confessio moraliter certo invalida, necessario repetenda est. Omnia enim peccata mortalia clavibus *per se* subjicienda sunt.

II. Confessio autem valida, etsi integritate careat, non est necessario repetenda, sed defectus tantum est supplendus; ratio, quia peccata jam declarata directe fuerunt remissa vi absolutionis. Remanet igitur sola obligatio subjiciendi absolutioni peccata omissa, quæ indirecte tantum et concomitanter remissa fuerant. — Ita *omnes*.[1]

III. Repetitio Confessionis invalidæ *ex integro* facienda est, si pœnitens novum adeat confessarium; quia secus nec judicis, nec medici partes hic agere potest; secus autem, si confiteatur apud eundem confessarium præcedentis Confessionis adhuc memorem; tunc enim sufficit, si summatim se accuset de peccatis jam accusatis, v. g. *accuso me de peccatis jam declaratis in tali Confessione:* hoc enim satis est, ut peccata invalide declarata sacramentaliter accusentur, nec confessario ad munus suum implendum opus est, ut iterum Confessionem audiat. — Ita *communiter*. — S. Alph.,[2] et alii contra quosdam, qui integram Confessionis repetitionem exigunt.

IV. Confessio non est necessario repetenda, nisi de ejus invaliditate moraliter certo constet. Rationem vide n. 67. 2°.

1376. QUÆSITA. — Quær. 1° *An Confessio invalida apud eumdem confessarium ex integro sit repetenda, si* IN CONFUSO *tantum hic de peccatis accusatis recordetur, aut etiam eorum omnino oblitus fuerit?*

Resp. ad 1^um^ *Neg., communius*, etiamsi Confessio invalida fuerit ex parte pœnitentis; sed sufficiet repetitio generalis. Ratio est, quia pro culpis jam accusatis repetitio generalis conjuncta cum notitia antecedenter habita a confessario, sufficit ad sacramentale judicium, cum de singulis peccatis confessarius jam judicaverit.[3]

Resp. ad 2^um^ *Neg.* etiam, *communius*, etsi confessarius nullatenus recordetur de

[1] L. VI. 504. [2] Ib. 502.
[3] Ib. 502.

Confessione illa invalida; proinde sufficiet, ut pœnitens suum manifestet statum, ita ut confessarius confusam saltem notitiam de illo habeat. Ratio ex modo dictis sequitur. Etenim, si in præcedenti casu sufficit confessario confusa aliqua memoria status pœnitentis, etiam in præsenti casu sufficere debet; siquidem utrobique eadem ratio facit.[1]

Quær. 2° *An repetenda sit Confessio cum dubia contritione facta?*

Resp. Neg. per se. Ratio patet ex dictis n. 67. 2°. Dixi: *per se;* nam pro praxi sedulo attendendum est ad pœnitentis conditionem. Si enim pœnitens sit homo sat prudens et gravis in suis actionibus ordinariis, vel in suis Confessionibus, adest legitima præsumptio de valore Confessionis; nec proinde urgendus est ad eam repetendam. Secus vero, si supponatur homo levis et in plerisque suis actionibus inconsideratus, quia tunc præsumptio contra ipsum militat. Vide n. 67. 3°.

Quær. 3° *An sint cogendi recidivi ad confessiones præcedentes repetendas?*

Resp. Vide n. 67. 3°.

Quær. 4° *An repetenda sint explicite omnia peccata, quæ antea confessario mere historice extra Confessionem enarrata fuerint?*

Resp. 1° *Neg.*, si confessarius eorum adhuc *distincte* recordetur; tunc enim sufficit, si pœnitens generaliter ea confiteatur dicendo: *Accuso me de iis omnibus, quæ tibi jam enarravi.* Ratio est, quia peccata illa per Confessionem summariam sacramentaliter subjiciuntur confessario, ut judici, in ordine ad absolutionem; et confessarius de omnibus hic et nunc sacramentaliter judicat, cum de iisdem distincte recordetur.

Resp. 2° *Affirm.*, si confessarius non distincte omnium meminerit, etiamsi illorum in confuso vel ex parte recordetur. Ratio patet ex dictis.[2]

Quær. 5° *An repetenda sit Confessio, si confessarius ante absolutionem oblitus fuerit peccatorum accusatorum?*

Resp. Neg., si confessarius recordetur, saltem *in confuso*, status pœnitentis; super certam enim et sufficienter perceptam materiam absolvit; et aliunde judicavit sacramentaliter de singulis peccatis, dum ipsi exponebantur. Præterea et confessario et pœnitenti onus intolerabile secus imponeretur.[1]

Quær. 6° *An teneatur pœnitens totam retexere Confessionem, si, eâ finitâ, animadvertat, confessarium ob somnum, distractionem, etc., peccata aliqua non percepisse, et nesciat qualia?*

Resp. Affirm., si Confessio fuerit brevis, quia prudenter dubitare potest de singulis, an a confessario intellecta fuerint, necne: secus autem, si prolixa fuerit Confessio, et pauca tantum non percepta videantur; quia tunc prudenter præsumere potest, quod unumquodque fuerit intellectum; nec verisimile apparet, Christum integritatis præceptum cum tanto onere imposuisse: si tamem dubium circa unum vel alterum peccatum solummodo versaretur, repetendum illud foret.

Dicitur in quæstione: *si ea finita*, etc.; quia, qui mala fide ejusmodi confessario vel etiam indocto confiteretur, Confessionem, utpote sacrilegam, repetere teneretur.[2]

1377. *Resolves.* — 1° Confessarius excipiens Confessionem rustici, qui præteritis annis male confessus est, suo muneri satisfaciet interrogando de ultimo tantum anno, si ob uniformem rationem vitæ possit simul de præcedentibus annis judicium efformare. Idem dicendum, si, audita unius anni Confessione, detegat confessarius præteritarum Confessionum defectum, et ex hac ultima Confessione sufficientem præteritorum peccatorum notitiam habeat; attamen requiritur, ut pœnitens generali modo de aliis annis se accuset.[3]

2° Si quis confessus fuerit sacerdoti jurisdictione carenti, tenebitur Confessionem iterare, si postea defectum detegat. Intellige, si alteri sacerdoti confiteatur; nam si cum eodem sacerdote, qui v. g. a Confessionibus audiendis suspensus prius fuerit, Confessio peragenda sit, valebunt principia superius statuta.

3° Si confessarius peccatum grave tanquam grave non agnoverit, vel mortale judicaverit esse veniale, non ideo est obligatio illud repetendi, modo pœnitens factum recte et fideliter exposuerit; quia ad

[1] L. VI. 502.
[2] Ib. Cfr. Vind. p. 480. Ed. 2ª. T. II. p. 93.

[1] L. VI. 502. [2] Ib. 499.
[3] Ib. 504.

valorem Sacramenti, et ad directam peccati remissionem non est necessarium, ut confessarius judicet hoc esse mortale; imo id sæpe discernere non potest.[1]

4° Pœnitens, qui timet, ne diu invalide confessus sit, nihil repetere tenetur, præsertim si timoratæ sit conscientiæ solitusque fuerit diligentiam sufficientem in Confessionibus adhibere. Ratio, quia præsumptio stat pro Confessionum valore: secus, si stet contra pœnitentem præsumptio.

APPENDIX.

DE CONFESSIONE GENERALI.

Confessio generalis est repetitio plurium Confessionum. Potest esse repetitio Confessionum totius vitæ, vel alicujus temporis, v. g. unius aut plurium annorum. Breviter dicendum: 1° de necessitate vel opportunitate Confessionis generalis; 2° de methodo eam peragendi.

I. *De necessitate vel opportunitate Confessionis generalis.*

Confessio generalis potest esse vel necessaria, vel utilis tantum, vel inutilis, aut etiam nociva. Hinc statuendæ sunt sequentes regulæ.

1378. I^a *Regula.* — Censenda est *necessaria* Confessio generalis, quoties præcedentes Confessiones moraliter certo invalidæ aut sacrilegæ fuerunt vel ex parte pœnitentis ob defectum contritionis aut integritatis, vel ex parte confessarii jurisdictione carentis; in cæteris autem casibus nunquam præcipi potest. Ratio utriusque patet ex dictis supra de Confessionis iteratione.

II^a *Regula.* — Permittenda est, aut etiam *prudenter* suadenda Confessio generalis, etsi non necessaria, quando, spectatis circumstantiis, pœnitens *notabilem* fructum spiritualem ex ea percepturus est, v. g. ratione majoris securitatis vel pacis conscientiæ, humilitatis, devotionis, fervoris, cognitionis suî ipsius, manifestationis conscientiæ ad perfectiorem directionem, aut majorem animæ puritatem, ad auxilia divina efficacius obtinenda, etc.; quia confessarius ex caritate majus bonum spirituale pœnitentis, quando facile potest, promovere debet.

III^a *Regula.* — Prohibenda est in cæteris casibus ut *inutilis*, et etiam *nociva*, quando prudenter pertimescenda sunt alia præter jacturam temporis incommoda, scilicet scrupuli, anxietates, conscientiæ perturbatio, etc.; si enim tantum onus pro confessario et pœnitente non est suscipiendum sine spe notabilis fructus; *a fortiori* cum timore notabilis damni.

1379. *Resolves.* — 1° Facile permittenda, imo suadenda est Confessio generalis in præcipuis vitæ christianæ epochis, nempe ante Primam Communionem, ante electionem aut susceptionem status vitæ particularis, v. g. ante Sacerdotium, Professionem religiosam, aut etiam ante Matrimonium; item, quando quis statuit vitam perfectiorem ducere, et in periculo mortis.

2° Præter Confessionem tempore Primæ Communionis peractam facile, generatim loquendo, permittenda est alia generalis Confessio totius vitæ; sed difficillime altera concedenda esset, quando prior sat accurate, bona fide et bona voluntate facta est, nisi forte in juvenili ætate, v. g. ante 20^um annum peracta fuerit. Hinc pœnitentes, qui petunt a confessario licentiam Confessionem generalem peragendi, interrogandi sunt, qua de causa id postulent; an alias jam confessi fuerint generaliter; a quo tempore, et quoties; et ex responsis judicabit confessarius, utrum expediat hæc Confessio, necne.

3° Facile permittenda est personis devotis Confessio generalis partialis, nempe unius anni, seu a tempore ultimæ Confessionis generalis, juxta morem servatum apud plerasque familias religiosas. Item permitti aliquando potest pœnitentibus piis, ut repetant summarie paucis verbis præcipua vitæ suæ peccata: attende tamen ad varias personarum circumstantias.

4° Potissimum vero cavere debent confessarii, ne facilius pœnitentes ad Confessionem generalem compellant; et summopere sunt reprehendendi, qui ab omnibus novis pœnitentibus hanc exigunt prætextu necessitatis, vel ratione directionis, etc.

5° Non est permittenda Confessio generalis, etiam in dubio de validitate præ-

[1] L. VI. 500.

cedentium Confessionum, ubi ex illa metuenda sunt incommoda notabilia ratione scrupulorum, perturbationis conscientiæ, etc.; quia ob dubiam obligationem subeunda non sunt gravia ac certa incommoda.

6° Nunquam permittenda est Confessio generalis scrupulosis aut meticulosis; quia, si una permittatur, hac finita, statim aliam facere volent, et deinde tertiam, vel etiam quartam suscipere importunis precibus petent cum summo animæ detrimento, etc. Constat enim experientia, Confessionem generalem multo plures scrupulos generare, quam destruere.

II. *De modo peragendi Confessionem generalem.*

Multiplici modo fieri potest Confessio generalis; sed magis expediet, generatim loquendo, si fiat juxta sequentes regulas.

1380. I^a *Regula. — Ante Confessionem:* satagere debet confessarius explicitum cognoscere statum pœnitentis, et varias circumstantias, ex quibus potest dirigi ad prudenter et fructuose interrogandum. Hinc:

1° Examinet utrum agendum sit de Confessione necessaria, necne; si enim necessaria sit, multo majori diligentia et cura pœnitens audiendus, interrogandus et adjuvandus erit. Si vero necessaria non est, prorsus moneri debet pœnitens, 1) hujusmodi diligentiam non requiri, imo liberum ipsi esse peccata, quæ velit, reticere; 2) nec sollicitum dein esse debere, quod ex oblivione plura seu pauciora omiserit.

2° Inquirat *prudenter* de statu pœnitentis (an cœlebs necne), de ejus ætate, occupationibus vel officiis, de ejus familia: nempe an habeat adhuc parentes, fratres aut sorores? et an cum ipsis versetur, aut diu versatus sit? si Matrimonio junctus sit aut fuerit, an habeat filios aut filias, qua in ætate sint constituti et an cum ipsis habitet? Discrete etiam inquirat de impedimentis Matrimonii, *clandestinitatis* præsertim (*ubi* clandestine contractum, et num forsan coram ministello hæretico), *disparitatis cultus*, et *mixtæ religionis*, et, in his duobus postremis casibus, an liberi Catholice educentur.

3° Interroget a quo tempore sit confessus pœnitens? an absolutus? an hic et nunc aliqua prava consuetudine, occasione aut pravo animi affectu sit irretitus? an forsan societati cuidam damnatæ sit adscriptus? an peccata celaverit aliquando? quamdiu? an ea postea confessus fuerit, aut Confessiones sacrilegas iteraverit et quoties? quæ alia Sacramenta sacrilege susceperit, confecerit, administraverit?

Præviæ istæ notiones plurimum confessario inservient: eas autem interrogationes magis vel minus urgebit pro qualitate confitentis, et indole responsionum. — Plures ex iis notionibus sibi confessarius procurabit, si pœnitentem inducat ad præmittendam Confessioni generali accusationem peccatorum ab ultima Confessione commissorum.

II^a *Regula. — Quoad ordinem Confessionis:* accusatio et interrogationes in ipsa Confessione *certo*, et semper *eodem*, ordine fiant oportet, ne omnia misceantur cum perturbatione confessarii et confitentis, et periculo defectus integritatis, etc. Via autem brevior et facilior est, si fiat declaratio peccatorum secundum ordinem mandatorum Dei, Ecclesiæ, et specialium obligationum pro statu cujusque proprio. — Interrogationes tamen circa Sextum prudentius initio, aut, si de pœnitentibus agitur, qui ob conditionem suam vel alias rationes præsumi possunt ægre laturi, si statim ab initio de hac materia interrogentur, ad finem Confessionis generalis instituuntur.

III^a *Regula. — Quoad modum Confessionis:* si pœnitens sit satis instructus, benigne eum inducat confessarius ad peccata sua exponenda juxta præfatum ordinem, promittens se illum adjuturum, et, quoties opus fuerit, interrogaturum, ut omnia recte perficiantur. — Si autem pœnitens sit rudis, aut malit interrogari, fere totum onus Confessionis in se assumat confessarius, interroget per ordinem de omnibus, quæ *committere solent* pœnitentes *paris conditionis;* at, si de Confessione generali necessaria, aut de iis, qui ad piorum classem non pertinent, agatur, de solis peccatis vere gravibus. Antequam autem interrogationes incipiat, sedulo confitentem admoneat, nihil sibi pertimescendum esse quoad difficultatem

peccata detegendi: *Sis quietus et bono animo*, inquiet; *ego tuam peragam Confessionem; novi sane omnia peccata, quæ patrare potuisti: ego tibi ea omnia detegam, tuum solum erit clare et sincere interrogationibus meis respondere, et de peccatis verum dolorem concipere.*

Finito examine inquirat confessarius de pœnitente utrum nunc quietus sit, an vero aliquid addendum noscat.

Deinde, et generatim non antea, ad necessarias monitiones procedat. Demum ipsum hortetur, ut ne Confessionem hanc generalem repetat.

CAPUT III.

DE SATISFACTIONE.

Agendum 1° de impositione; 2° de impletione pœnitentiæ.

ARTICULUS I.

DE IMPOSITIONE PŒNITENTIÆ.

1381. Principia. — I. Confessarius tenetur *pœnitentiam* imponere cuilibet pœnitenti, qui possit eam persolvere. Ratio elucet, 1° quia satisfactio est pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, habens effectum ex opere operato, et majorem vi Sacramenti, quam sine eo. Confessarius autem, ut Minister Sacramenti, ejus integritatem, quantum in se est, procurare tenetur; secus non esset fidelis dispensator; 2° quia confessarius tenetur tam vindicare, quam mederi. Constat etiam ex Tridentino.[1] Vide S. Alph.[2]

II. Confessarius tenetur pœnitentias tum *vindicativas*, tum *medicinales* injungere *convenientes* et *salutares*, i. e. aliquo modo proportionatas numero et gravitati peccatorum, necnon pœnitentis viribus ac dispositionibus. Ratio ex natura rei patet, cum Sacramentalis satisfactio in vindictam peccatorum, quæ plus minusve gravia, itemque plura vel pauciora sunt, necnon ad novas culpas præcavendas, ordinata sit. Constat ex Trid.[3]

[1] Sess. 14. c. 8.
[2] L. VI. 506. H. A. Tr. XVI. 47.
[3] Sess. 14. c. 8.

1382. Quæsita. — Quær. 1° *Quanta sit obligatio imponendi pœnitentiam?*

Resp. 1° Hæc obligatio est *ex genere suo* gravis. Ratio est, quia obligatio rem gravem respicit, licet ex parvitate materiæ tantum venialiter contra ipsam peccari possit. — Hinc peccare etiam graviter confessarius potest, si pro gravibus culpis levissimas pœnitentias, sine causa excusante, imponeret. — Ita *communiter*.[1]

Resp. 2° Quoad *venialia* controvertitur. Alii gravem esse affirmant, quia injunctio satisfactionis pertinet ad ritum hujus Sacramenti; qui ritus, cum a Christo institutus fuerit, pro re gravi habendus est. — Alii vero dicunt esse levem, quia non potest probari obligatio *gravis* pœnitentiam injungendi pro culpis levibus tantum, siquidem in hoc nulla deordinatio gravis apparet; quæ sententia est probabilis, ut dicit S. Alph.[2]

Quær. 2° *Quandonam imponenda sit pœnitentia?*

Resp. Generatim loquendo imponenda est *ante* absolutionem: ratio est, quia sic servatur judicii ordo, qui exigit ut reus satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur. Si autem confessarius ex oblivione pœnitentiam *ante* absolutionem non injunxerit, eam *post* absolutionem imponere debet. Non est tamen grave pœnitentiam *immediate* post absolutionem imponere; imo *probabiliter* omni culpa vacat, si præsumatur, pœnitentem opus ipsi injunctum accepturum esse.[3]

Quær. 3° *Quanta pœnitentia peccatoribus imponenda sit?*

Resp. Quantitas pœnitentiæ universaliter determinari non potest; sed relinquitur prudentiæ et judicio confessarii. Gravem tamen, *regulariter et per se*, pro mortalibus imponere debet. Sic ex Trid.[4]

Quær. 4° *Qualis pœnitentia* per se *censeatur* gravis *pro uno vel altero peccato mortali?*

Resp. Censenda est pœnitentia *gravis*, saltem ex praxi hodierna Ecclesiæ, quæ respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia injungitur, vel quod sub gravi ex se obligaret, si præciperetur.

[1] L. VI. 506.
[2] Ib. et H. A. Tr. XVI. 47.
[3] Ib. 514. 8. H. A. Tr. XVI. 47.
[4] Sess. 14. c. 8. L. VI. 508.

Hinc pœnitentia gravis, et pro peccato gravi ordinario sufficiens, erit Missam audire, jejunare, recitare Rosarium (etsi quinque tantum decadum), Officium parvum B. Virginis, Litanias Sanctorum, et alia similia; non autem gravis censeretur pœnitentia, si Psalmus *Miserere* tantum imponeretur.[1]

Quær. 5° *Qua de causa pœnitentia levior imponi possit?*

Resp. 1° Si pœnitens sit valde debilis et infirmus corpore; qua de re sic Rituale Romanum: "Meminerit Sacerdos ægris non esse injungendam gravem et laboriosam pœnitentiam, sed indicendam tantum illam, quam, si convaluerint, opportuno tempore peragant." Quod si infirmus sit constitutus in periculo mortis, tunc potest absolvi sine ulla pœnitentia, licet expediat semper aliquam ei imponere;[2] 2° si prudens timor sit, ne majorem pœnitentiam non adimpleat, aut ne ob graviorem pœnitentiam a Confessione avertatur; 3° si probabiliter major pœnitentia magis ei obfutura sit, quam profutura; 4° si pœnitens valde contritus appareat; 5° si adsit tempus indulgentiæ plenariæ lucrandæ, præsertim Jubilæi.[3] Cæterum, exceptis gravi infirmitate, aut vehementissima contritione, aut alio casu rarissimo, non bene ageret confessarius, si pro culpis mortalibus injungeret pœnitentiam per se levem, quæ levem inferat obligationem. Licet enim, si expedierit, imponatur opus, quod *respective* ad peccata sit leve, tamen *regulariter* semper injungenda est aliqua pœnitentia gravis, quæ gravem inducat obligationem.[4]

Quær. 6° *An possit imponi pœnitentia sub conditione relapsus?*

Resp. Affirm., "modo imponatur," præterea "proportionata pœnitentia pro peccatis confessis," quia secus nulla reipsa foret, si forte pœnitens in peccatum non relaberetur. "Sed non expedit eam" ultra mensem aut aliam Confessionem "imponere, quia postea faciliter negligitur et peccata multiplicantur."[5]

[1] L. VI. 515.
[2] H. A. Tr. XVI. 49.
[3] L. VI. 508 sq.
[4] Ib. 510. in fine. 518. H. A. Tr. XVI. 51. Prax. Conf. n. 13.
[5] Ib. 524. H. A. Tr. XVI. 52. Prax. Conf. n. 13. III.

Quær. 7° *An possit imponi pœnitentia publica?*

Resp. Neg., si agatur de peccatis occultis. — Ita *Rit. Romanum.* Secus autem pro publicis. Attamen, si publica pœnitentia non ita sit necessaria, confessarius non debet illam renuenti imponere, cum aliter ejus salus obtineri, et scandalum reparari possit.[1]

Quær. 8° *An possit imponi pro pœnitentia opus alias debitum?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia cum opus illud sit satisfactorium, bene potest per claves ad meritum satisfactionis Sacramentalis elevari. In praxi tamen non fiat, nisi ob fragilitatem pœnitentis. Nec præsumendum est, elegisse confessarium opus jam debitum, nisi de eo aut constet, aut fundata adsit præsumptio.[2] Cfr. n. 134. R. ad a).

1383. *Resolves.* — 1° Nunquam sunt imponendæ pœnitentiæ perpetuæ, tum quia inducere solent periculum oblivionis vel nimiæ anxietatis, tum quia, si tales pœnitentiæ a variis confessariis eidem pœnitenti imponantur, hic innumeris vinculis simul et pro tota vita obstringetur. Imo nec ordinarie sunt imponendæ pœnitentiæ ad diuturnum tempus, v. g. ad annum, aut ad quinque menses.[3]

2° Nunquam eæ imponendæ sunt satisfactiones, quæ pœnitentem ludibrio aliorum exponere possunt, v. g. ut recitet in media Ecclesia quinque *Pater* brachiis extensis, etc. *A fortiori* autem imponendæ non sunt pœnitentiæ, quæ adimpleri nequeunt, quin Confessionis revelatio facile subsequatur.

3° Nec sunt imponenda jejunia pueris, rusticis, opificibus continuo labore defatigatis; nec filiisfamilias, qui jejunando admirationem parentibus injicerent, aut etiam eos offenderent. Nec sunt injungendæ peregrinationes aut prolixæ preces, aut generatim eleemosynæ mulieribus sub potestate viri constitutis, sicut nec pauperibus jugi labore victum sibi comparantibus.

4° Non sunt imponendæ pœnitentiæ multis operibus diversis implicatæ, quia memoriter teneri non possent; nec, ordinarie saltem, pœnitentiæ nimis naturæ repugnantes, v. g. signare crucem cum

[1] L. VI. 512. [2] Ib. 513.
[3] H. A. Tr. XVI. 52.

lingua in terra, invisere inimicos, etc. Imprudenter etiam generatim imponitur pueris, ut veniam petant a parentibus vel ab aliis, ob inobedientiam, irreverentiam aut furtula; quia sæpe odiosam reddunt Confessionem, et plerumque omittuntur, etc.

ARTICULUS II.

DE IMPLETIONE PŒNITENTIÆ.

1384. PRINCIPIA. — I. Pœnitens tenetur acceptare atque implere rationabilem pœnitentiam sacramentaliter injunctam; quia ex dictis confessarius tenetur pœnitentiam, et quidem peccatis aliquo modo proportionatam, imponere. Si autem pœnitentia imponi et acceptari debet, eo ipso, ratione obedientiæ confessario debitæ, etiam adimplenda est. Constat ex Trid.,[1] S. Alph.[2]

II. Pœnitens tenetur *sub gravi* implere pœnitentiam gravem pro gravibus peccatis impositam; quia materia gravis per se obligat sub gravi. — Ita *omnes*. Probabilius autem tantum *sub levi* obligatur ad pœnitentiam levem pro levibus culpis impositam; quia materia levis non est capax gravis obligationis. — Ita *communis* cum S. Alph.[3]

III. Pœnitens implere debet pœnitentiam tempore designato a confessario, vel quamprimum commode potest; et, si pœnitentia sub gravi obliget, graviter peccabit, si ex gravi negligentia diu eam differat; ratio est, quia per se grave est debitum notabile diu protrahere. Quoties autem pœnitentia statuto tempore adimpleta non fuit, semper remanet onus eam peragendi, quia tempus tantum accessorie intenditur.[4]

1385. QUÆSITA. — Quær. 1° *An obliget sub gravi pœnitentia in se quidem gravis, sed pro solis venialibus imposita?*

Resp. Neg. probabiliter. Ratio est, quia tunc non est necessaria satisfactio in quantum est gravis. Unde sicut confessarius non tenebatur, imo nec poterat illam præcipere sub gravi, ita nec pœnitens sub gravi eam implere tenetur. "Si" tamen "per accidens illa venialia valde disponerent pœnitentem ad mortale, tunc posset confessarius gravem ei imponere pœnitentiam, ut ipsum removeat a periculo peccandi mortaliter, et tunc tenebitur pœnitens, si velit absolvi, illam acceptare et adimplere."[1]

Quær. 2° *An confessarius pro gravibus culpis pœnitentiam possit imponere* GRAVEM *quidem, sed* LEVITER *obligantem?*

Resp. Affirm.; at V. n. 1382. q. 5° in fine.

Quær. 3° *An pœnitens teneatur* SUB GRAVI *implere* CIRCUMSTANTIAS *pœnitentiæ adjectas, v. g. ut oret* GENIBUS FLEXIS, *etc.?*

Resp. Solutio pendet a majori vel minori carnis afflictatione, quam affert circumstantia, sive *per se*, sive *respectu* pœnitentis.[2] Hoc pendere potest etiam ab intentione confessarii, quam vel ipse expresse manifestaverit, vel pœnitens possit præsumere.

Quær. 4° *An* satisfaciat, *qui pœnitentiam implet in mortali?*

Resp. Affirm., cum communi. Ratio est, quia ad satisfaciendum præcepto sufficit opus satisfactionis injunctum ponere, licet finis præcepti non obtineatur.[3]

Quær. 5° *An* peccet, *qui implet pœnitentiam in mortali?*

Resp. 1° Certum est illum non peccare *graviter*. — Ita *communiter* Theologi.

Resp. 2° *Probabilius venialiter* peccat. Ratio est, quia, qui voluntarie obicem effectui, etiam partiali, Sacramenti ponit, non videtur ab aliqua culpa excusari posse.

Quær. 6° *Quænam pœnitentiæ dilatio sit culpa gravis?*

Resp. 1° Si pœnitentia fuerit *levis*, dilatio, quantacumque sit, nunquam erit *gravis*, cum ex dictis ipsa pœnitentiæ omissio probabilius culpam levem non excedat.

Resp. 2° Si pœnitentia sit *gravis*, et pro gravibus peccatis imposita, *gravis* reputanda est dilatio per sex menses, non vero dilatio per mensem, "modo pœnitentia non sit medicinalis, . . . et modo in posterum" possit impleri.[4]

Quær. 7° *An, si pœnitens injunctæ pœnitentiæ oblitus fuerit, teneatur Confessionem repetere, ut aliam pœnitentiam recipiat?*

Resp. Neg., cum *communi*. Ratio est,

[1] Sess. 14. c. 8. [2] L. VI. 516.
[3] L. VI. 517. [4] Ib. 525.

[1] L. VI. 517. H. A. Tr. XVI. 56.
[2] L. VI. 517. [3] Ib. 522.
[4] H. A. Tr. XVI. 57.

quia impletio pœnitentiæ jam semel injunctæ, per oblivionem etiam culpabilem, *impossibilis* effecta est. Ad impossibile autem nemo tenetur.[1]

Si tamen pœnitens prudenter præsumat, confessarium injunctæ pœnitentiæ adhuc esse memorem, deberet ipsum, si commode possit, adire, ut ab eo, qualis sit illa, resciat.

Quær. 8° *Quis pœnitentiam commutare possit ?*

Resp. 1° Nunquam ab ipso pœnitente commutari potest, ne in melius quidem, quamvis votum ab ipso vovente possit in opus evidenter melius mutari ; ratio, quia pœnitentia nequit ad Sacramentalis satisfactionis meritum elevari, nisi a Ministro ipso Sacramenti Pœnitentiæ imposita fuerit.

Resp. 2° Commutari potest, 1) a confessario, qui eam imposuit, quia legislator potest propriam legem mutare ; 2) a quolibet alio confessario, quia quilibet alius confessarius potest esse ejusdem causæ judex, si pœnitens ipsius tribunali se submittat ; successor enim in eadem auctoritate potest quidquid potuit antecessor. Excipiendum tamen, juxta sententiam quæ S. Alph° magis arridet, si pœnitentia ab ipso Superiore pro casibus reservatis imposita est, quia inferior sententiam Superioris mutare nequit ; nisi tamen causa gravis adsit, et Superior facile adiri nequeat, ac ideo consensus ejus præsumi possit.[2]

Ad commutationem autem licite faciendam requiritur causa justa, qualis est, 1° si pœnitentia videatur difficilis ; 2° si prævideatur pœnitens non esse ei satisfacturus ob repugnantiam, fragilitatem, oblivionem, etc.[3] — Pœnitens autem semper priorem pœnitentiam præeligere poterit ;[4] nam commutatio fit in ejus favorem.

Quær. 9° *An pœnitens teneatur Confessionem repetere ad pœnitentiæ commutationem obtinendam ?*

Resp. Neg., sat probabiliter ; idque sive eumdem, sive alium Confessarium adeat ; quia non agitur de judicio ferendo circa culpas deletas in præcedente Confessione, ubi judicium circa illas jam fuit formatum, sed tantum de pœnitentia commutanda ; ad hoc autem sufficit prioris pœnitentiæ cognitio, et notio fragilitatis aut difficultatis ad eam implendam, ut nempe, vel nova aliquo modo æquivalens imponatur, vel data juxta dispositionem pœnitentis minuatur.[1]

Quær. 10° *An confessarius possit pœnitentiam commutare extra Confessionem ?*

Resp. 1° *Neg.*, si confessarius sit diversus. Ratio est, quia confessarius nullam habet potestatem, nisi in judicio Sacramentali.

Resp. 2° Si confessarius idem ille sit, qui pœnitentiam imposuit, potest illam mutare *immediate* post absolutionem, antequam pœnitens discedat ; non vero postea, *saltem probabilius et communius.* Ratio est, quia ad id requiritur et sufficit, ut præcedens confessarii judicium moraliter perseveret, quod non videtur locum habere, si pœnitens confessarium extra Pœnitentiæ tribunal adierit. Ergo, etc.[2]

1386. *Resolves.* — 1° Non tenetur pœnitens pœnitentiam adimplere, quando invalida fuit Confessio ; quia judicis sententia Sacramentalis nulla fuit, ac proinde nullum adest Sacramentum integrandum : alias vero bis pro iisdem peccatis esset satisfaciendum. Idem dicendum est ob eandem rationem de pœnitentia imposita sine absolutione. Excipe, 1° si pœnitentia sit medicinalis, atque adeo necessaria ratione medicinæ ; 2° si pœnitens ad eamdem Confessionem perficiendam pluries accedat, et interim confessarius, ut sæpius fieri solet, pœnitentiam aliquam singulis vicibus imponat, quo minor in fine imponenda supersit.

2° Peccat graviter non modo qui pœnitentiam omittit, sed et qui omittit ejus partem præ integra pœnitentia notabilem ; vel etiam quæ gravis esset in se spectata.

3° Universim ad judicandum de omissionis gravitate, attendendum est, num materia vel circumstantia omissa multumne, an parum ad præcepti finem conferat ; num substantia præcepti impleta sit, etc. Sic præcepti substantiam implet, nec peccat nisi venialiter, qui stans, vel in cubiculo Rosarium recitat, quod ex jussu confessarii flexis genibus vel ante imaginem B. Virginis recitari debuisset ; secus vero, si pœnitens jussus esset, v. g. expansis

[1] L. VI. 520.
[2] Ib. 528. 529.
[3] Ib. 528. 529.
[4] H. A. Tr. XVI. 61.

[1] L. VI. 529. Dub. 1°. H. A. Tr. XVI. 61. Prax. Conf. n. 13. IV.
[2] L. VI. 529. Dub. 3°.

brachiis orare ; notabilis enim est hæc mortificatio, cujus omissio gravis haberi potest.

4° Preces in pœnitentiam impositæ recitari possunt, etiam dum Missam de præcepto interea quis audit, nisi tamen aliud fuerit a confessario statutum. S. Alph.[1] contra *pancos*. — Possent etiam alternatim cum sociis recitari preces, quæ ex Ecclesiæ usu, aut fidelium praxi, velut in choro recitari solent, v. g. Rosarium, etc.

5° Satisfacere nequit pœnitens per alterum (nisi tamen id de consensu confessarii fiat, quo casu actus, quo satisfactionem ab altero pro se petit, pœnitentia erit) ; quia satisfactio est Sacramenti hujus pars integralis. Ergo necessario ab ipso pœnitente ponenda est. Constat etiam ex p. 15ª Alex. VII. p. XIII.

6° Si confessarius duas Missas eodem die audiendas in pœnitentiam imposuerit, illæ successive, non autem eodem tempore, sunt audiendæ ; id enim intendisse confessarium, rationabiliter præsumimus.[2]

7° Pœnitens, cui difficilior injungitur pœnitentia, confessarium monere debet de impossibilitate aut nimia difficultate eam adimplendi ; et, si confessarius non acquiescat, alium adire potest. Si autem pœnitentia non appareat adeo gravis, pœnitens eam acceptare tenetur, nec potest recedere sine aliqua culpa.

8° Si pœnitens, accepta pœnitentia ab uno confessario, Confessionem iteret apud alium, ut mitiorem pœnitentiam sortiatur, vel etiam alia de causa ; a priori pœnitentia minime liberatur, nisi mentionem de præcedenti Confessione et accepta pœnitentia faciat ; ratio, quia ad commutandam pœnitentiam ex parte confessarii requiritur positivus voluntatis actus, quo prior obligatio revocetur. — Ita *communiter* Lugo, Lacroix, etc.

APPENDIX.

DE PŒNITENTIIS UTILIUS IMPONENDIS.

I. *Opera pietatis.*

1387. — 1° Orationes vocales, *Pater*, *Ave*, *Credo*, Litaniæ B. Virg., Rosarium, sive ejus tertia pars ; preces matutinæ et vespertinæ.

[1] H. A. Tr. XVI. 57. [2] Ib.

2° Orationes mentales (discrete), pro capacitate pœnitentis ; pro rudibus cogitatio aliqua de inferno, de morte, de passione Christi, mane aut vespere, v. g. per tempus unius *Ave*.

3° Actus Fidei, Spei, Caritatis, contritionis, fiduciæ in Deum, conformitatis divinæ voluntati, propositi non peccandi, . . . toties, . . . v. g. mane, vespere, præsertim in tentationibus vel animi dejectione.

4° Oblatio suimetipsius Deo summo mane, Signum Crucis, variæ aspirationes seu orationes jaculatoriæ ad Christum, ad Cor Jesu, ad B. Virginem, ad Angelum Custodem. (Ordinarie non sunt multiplicandæ.)

5° Exercitium Viæ Crucis, præsertim quando fit in communi : preces novemdiales in honorem B. V. vel alicujus Sancti.

6° Auditio concionum, assistentia Officiis Ecclesiæ, v. g. Missæ solemni, Vesperis, etc., vel exercitiis spiritualibus, aut pio exercitio Mensis Mariani, vel aliis hujusmodi, saltem aliquoties.

7° Examen generale conscientiæ vespere, saltem per breve tempus ; item examen particulare circa talem defectum, vel talem pravam consuetudinem, ex firmo emendationis proposito.

8° Visitatio Ecclesiæ vel Altaris cujuslibet, vel alicujus in particulari ad aliquid ibi orandum, aut petendam gratiam non amplius peccandi.

9° Lectio pia, v. g. per quadrantem die Dominica, vel unum aut alterum caput, v. g. Imitationis Christi, Vitæ Sanctorum, vel alterius pii libri, etc.

10° Frequentatio Sacramentorum, tali die, vel tali tempore, aut tot vicibus. Hic caute agat confessarius, nec imponat obligationem iis, qui raro confitentur, ut semel vel bis in mense accedant ad tribunal pœnitentiæ per annum ; sed hoc non injungat nisi una, et forte altera vice, et solis pœnitentibus id libenter acceptantibus

II. *Opera mortificationis.*

1388. — 1° Jejunium, vel integrum juxta leges Ecclesiæ, vel partiale juxta vires physicas ac morales pœnitentis. Non tamen imponenda est hujusmodi pœnitentia nisi raro, et iis solum, qui eam libenter accepturi sunt.

2° Subtractio aliqua cibi, quæ corporis sanitati, aut officiis seu laboribus pœnitentis nullo modo nocere possit, v. g. dimidia pars jentaculi soliti die Veneris aut Sabbati, aut in vigilia festi alicujus, etc.

3° Abstinentia a vino vel liquore inebriante, tali die, tali tempore, aut non excedere certam quantitatem.

4° Subtractio aliqua somni ordinarii, præsertim surgendo maturius mane, aut hora determinata, in pigritiæ medelam, aut etiam ad tentationes impuras præcavendas.

5° Orare genibus flexis, aut brachiis in modum crucis extensis, deosculari terram humilitatis causa, breves peregrinationes instituere.

6° Offerre Deo aliquoties ægritudines, morbos, aut alias occurrentes vitæ ærumnas, patienter eas ferendo.

7° Privari aliquando recreatione etiam honesta, v. g. deambulatione; reprimere nimiam curiositatem in auditu, in visu; non sistere tamdiu ad domus januam aut fenestras. Hoc præsertim convenit puellis vanitati præter modum addictis.

8° Castigare corpus moderate discreta maceratione, aliqua flagellatione, situ incommodo. — (Sed hæc rarissime injungenda; imo cum magna discretione permittenda.)

III. *Pœnitentiæ medicinales.*

1389. — Cum generatim loquendo contraria contrariis curentur, injungi aut tantum suaderi poterunt sequentes pœnitentiæ, cum discretione tamen, attenta præsertim qualitate, et bono majori pœnitentium.

1° Pœnitentibus raro et male orantibus imponantur preces breves, mane aut vespere, per hebdomadam circiter persolvendæ. — Tepidis lectiones piæ, vel orationes jaculatoriæ aliquoties in die faciendæ, paucæ tamen, et ad paucos dies, ne ex oblivione omittantur, aut pœnitentem contorqueant. — Tentatis contra Fidem vel Spem actus Fidei, Spei, fiduciæ, vel recitatio Symboli Apostolorum, etc.

2° Blasphemis reverentia externa in Deum, in Crucem, . . . v. g. deosculari reverenter Crucifixum, vel imagines sacras, aut dicere devote: *Sit nomen Domini benedictum. Laudetur Jesus Christus.*

3° Amatoribus mundi ejusque pomparum meditatio aliqua de vanitate rerum mundanarum, v. g. dum mane surgunt, aut cubile petunt, vel renovatio sponsionum in Baptismo factarum.

4° Illis, qui sæpe Missam omittunt, aliqua Missa supererogatoria audienda, v. g. duplex die Dominica, aut una die feriali, vel visitatio aliqua Sanctissimi Sacramenti pluries facienda, etc.

5° Servantibus odium opera aliqua caritatis in proximum, v. g. inimicum salutare, aut alloqui (prudenter tamen); oratio et actus caritatis pro proximo in genere, et etiam specialiter pro inimicis; recitatio Orationis Dominicæ pro iisdem, præsertim horum verborum: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.*

6° Libidinosis aliqua mortificatio, aut commoditatum subtractio, præsertim fuga occasionum, oratio, Sacramentorum frequentatio, firmi propositi frequens renovatio, novissimorum memoria, etc.

7° Furibus et avaris eleemosyna aliqua juxta eorum facultates, etiamsi assis unicus aliquoties in pauperes vel in Ecclesiam erogandus esset. Nunquam autem imponendæ sunt graves eleemosynæ, nisi libenter acceptentur.

8° Superbis officia quædam humilitatis, v. g. deosculari terram, visitare pauperes, vel ipsis benigne subvenire, eos humaniter tractare, vel elicere varios actus humilitatis, v. g. dicere cum publicano: *Domine, propitius esto mihi peccatori.*

9° Gulosis et ebriosis subtractio aliqua ciborum, abstinentia a cibo et potu extra consuetas refectiones, vel abstinentia a vino tali die, aut prohibitio ne in refectionibus certa vini quantitas excedatur, etc.

Adde etiam opera mortificationis quæ n. 1388. indicata sunt.

PARS TERTIA.

DE MINISTRO PŒNITENTIÆ.

Agendum 1° de potestate Ministri; 2° de ejus officio.

CAPUT I.

DE POTESTATE MINISTRI.

1390. — Ut quis *valide* absolvat, nil aliud requiritur ex parte absolventis, nisi intentio, potestas Ordinis et jurisdictionis; ut vero simul *rite*, *licite* et *digne*, probitas, scientia et prudentia. Tria propterea requiruntur ad potestatem *adæquatam* Ministri Pœnitentiæ, scilicet, 1° potestas Ordinis; 2° potestas jurisdictionis; 3° approbatio.

I. Requiritur potestas *Ordinis*, i. e. quæ Ministro competit vi ordinationis, et est characteri sacerdotali intrinsece annexa. Ratio est, quia solis sacerdotibus dictum est a Christo: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*[1] — Constat aliunde multiplici Ecclesiæ definitione.

II. Requiritur potestas *jurisdictionis*, i. e. potestas, qua sacerdos, ut judex, potest in aliquos, utpote subditos suos, ferre sententiam. Constat ex Trid.[2]

III. Requiritur *approbatio* ad Confessiones tum licite, tum valide excipiendas, seu publicum judicium de idoneitate sacerdotis ad Confessiones excipiendas, seu de tribus mox indicatis dotibus, quæ necessariæ sunt, ut quis *rite*, *licite* et *digne* absolvat. — Trid.[3]

Nota. — Obligatur etiam sacerdos *non curatus* se habilem reddere ad Confessiones excipiendas, si in loco versatur, ubi incolæ ob penuriam confessariorum gravi laborant necessitate spirituali, quæ hodie, cum numerus sacerdotum adeo imminutus sit, et in hac præsertim regione, facile invenitur.[4]

Omnino præterea suadendum parochis, quorum subditi non facile aliam occasionem confitendi invenire possunt, nisi apud ipsos, ut interdum aliquos confessarios ignotos accersant et subditis omnem libertatem præbeant hisce confitendi; imo dum extranei suo munere funguntur, ipsi Confessiones non excipiant! Sic non raro Confessiones invalidæ et sacrilegia impedientur. Sane jam ex hoc capite utilitas missionum apparet.[1]

Agendum 1° de approbatione; 2° de jurisdictione; 3° de reservatione casuum.

ARTICULUS I.

DE APPROBATIONE.

Approbatio definiri potest: Juridicum Prælati judicium de idoneitate sacerdotis ad audiendas Confessiones.

Hinc ad concedendam approbationem non requiritur essentialiter examen: judicium enim prudens de idoneitate etiam sine examine haberi potest, quando de ea aliunde constet.

1391. — *Dico I.* Requiritur approbatio ad Confessiones tum licite, tum valide excipiendas. Constat ex Trident.[2]

Dico II. Approbare potest solus Episcopus, aut qui habet jurisdictionem quasi episcopalem. Ratio est, quia ad solos Ecclesiæ Prælatos pertinet judicare de idoneitate Ministrorum ad audiendas Confessiones deputandorum. Constat etiam ex Trident. supra citato. — Potest autem Episcopus approbare sive *per se*, sive *per alium* a se delegatum; quia approbatio est actus jurisdictionis; jurisdictio autem ordinaria potest delegari.[3]

Juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, una cum approbatione etiam jurisdictio a Prælato sacerdotibus conferri solet; ac proinde usu communi approbationis nomine etiam jurisdictio comprehenditur. Olim vero, ante Tridentinum scilicet, cum

[1] Joan. 20. 22.
[2] Sess. 14. c. 7.
[3] Sess. 23. c. 15 de Ref.
[4] L. VI. 625. Ben. XIV. Inst. 94.

[1] Praxis Conf. n. 201.
[2] Sess. 23. c. 15 de Ref.
[3] L. VI. 566.

approbatio Episcopi necessaria non esset, jurisdictio communiter a Parochis concedebatur; quæ quidem facultas modo in parochis vix exercitium habet, cum vix reperiri nunc possit sacerdos, qui simul cum approbatione non etiam jurisdictionem ab Episcopo jam acceperit.

1392. Quæsita. — Quær. 1° *A quonam Episcopo habenda sit approbatio?*

Resp. Ex sententia hodie omnino tenenda, approbatio tribui debet ab Episcopo diœcesis, in qua Confessiones excipiendæ sunt; unde non sufficit approbatio sive Episcopi pœnitentium, sive Episcopi sacerdotum. Constat ex Bulla *Cum sicut* Innoc. XII. 19 apr. 1700, apud S. Alph.,[1] quam Bullam confirmavit Ben. XIV. C. *Apostolica indulta.*

Quær. 2° *An absolvere quis possit proprium subditum in aliena diœcesi sine approbatione Ordinarii?*

Resp. 1° *Affirm.*, si habeat jurisdictionem vere *personalem* seu *ordinariam* in illum. Ratio est, quia quisquis ratione muneris sui habet jurisdictionem ordinariam, censetur approbatus ipso jure ad suos ubique audiendos: neque jurisdictio ordinaria, dummodo fiat sine strepitu judiciali, arctatur ad locum; sed nisi specialiter restringatur, ubique exerceri potest. — Ita *communiter*.[2] Hinc Episcopus et Parochus subditos suos extra paroeciam et diœcesim absque approbatione Episcopi loci absolvere possunt.

Resp. 2° *Neg.*, si in pœnitentem habeatur tantum jurisdictio *delegata*; quia hæc *per se* censetur mere *territorialis*, non autem *personalis*, et proinde non sequitur delegatum extra territorium.

Quær. 3° *An sufficiat approbatio præsumpta?*

Resp. Neg. Ratio est, quia ex Trident. requiritur approbatio actu et absolute existens, et jam obtenta. Ad ejusmodi autem approbationem requiritur consensus actualis signo aliquo declaratus. Imo nec licet incipere Confessiones antequam consensus ille, per litteras petitus, receptus fuerit, etsi certo obtinendus videatur. — Ita *communiter*.[3]

A fortiori autem non valet ratihabitio approbationis etiam prudenter præsumpta; quia ratihabitio locum habet tantum in actibus, quorum valor in futurum suspendi potest; sed valor absolutionis præsentis suspendi nequit; valor enim Sacramentorum pendere non potest ab actione futura.[1]

Quær. 4° *An Episcopus possit valide et licite limitare approbationem quoad certum tempus, locum et personas?*

Resp. 1° *Affirm. quoad validitatem*, etiam sine causa. Ratio est, quia est actus omnino dependens a voluntate Episcopi, ut Superioris. Hinc sicut valide approbationem recusare potest, sic eam potest solum cum restrictione concedere. Id constat etiam ex propositione 13ª ab Alexandro VII. damnata: *Satisfacit præcepto Confessionis annuæ, qui confitetur regulari Episcopo præsentato, sed injuste reprobato.* Ergo denegatio approbationis, etiam injusta, est valida; ergo *a fortiori* restrictio. — Constat etiam ex Trident.,[2] ubi dicitur: *Nisi approbationem obtineat.* At vero qui eam obtinet cum restrictione, simpliciter non obtinet pro casibus exclusis. . . . Ergo.[3]

Resp. 2° *Quoad liceitatem*, disting. — Potest quidem Episcopus restringere aut etiam omnino negare approbationem justa de causa, ut patet; quia in hunc finem inducta est necessitas approbationis, ut idonei a non idoneis secernantur. Secus vero, si id absque justa causa agat.

Quær. 5° *Quænam sint justæ causæ approbationem limitandi ad tempus, etc.?*

Resp. Sunt ut plurimum sequentes: 1° si nunc sit necessitas habendi plures confessarios, quæ postea cesset; 2° si adprobandus habeat quidem sufficientem scientiam, sed merito major desideretur ad approbationem perpetuam; 3° si prudenter timeatur, ne, post habitam semel approbationem perpetuam, studium negligat; 4° ad experiendum, quomodo se gerat in excipiendis Confessionibus, videlicet an principia generalia bene applicet in praxi, etc.

Quær. 6° *An possit Episcopus valide et licite revocare approbationem concessam?*

Resp. 1° *Affirm. ratione validitatis*,

[1] L. VI. 548.
[2] Ib. Prima sententia.
[3] Ib. 570.

[1] L. VI. 570.
[2] Sess. 23. c. 15. Ref.
[3] L. VI. 550.

etiam sine justa causa. Ratio est, 1° quia talis revocatio fit in re Episcopo ita subjecta, ut ab illo tantum provenire queat; 2° quia approbatio, etiam injuste revocata, jam non existit, seu non potest dici simpliciter habita seu obtenta.[1]

Resp. 2° *Ratione liceitatis, dist.* 1° Potest quidem Episcopus justis de causis revocare approbationem etiam illimitate concessam; hoc enim sequitur ex necessitate approbationis, quæ postulat, ut quisquis cessat esse idoneus, ab officio removeatur. 2° Non potest autem approbationem revocare sine justa causa. Etenim ex dictis non potest Episcopus approbationem denegare sine causa: ergo *a fortiori* non potest sine causa concessam revocare; siquidem ex effato: *Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.*[2]

Quær. 7° *An Episcopus sacerdotem extraneum approbare possit?*

Resp. Episcopus approbare potest quemlibet idoneum in sua diœcesi actu existentem, etsi transeundo tantum. Constat ex praxi universali et sententia communi Theologorum contra *paucos*, qui ad hoc requirunt *quasi-domicilium*, aut saltem *domicilium habitationis* in diœcesi Episcopi approbantis. Ratio est, quia delegatio sive mandatum committi potest cuivis, dummodo capax sit. Constat insuper ex praxi, quæ universaliter in Ecclesia servatur.

ARTICULUS II.

DE JURISDICTIONE.

Quid sit jurisdictio, et quæ variæ ejus species, vide n. 149.

1393. PRINCIPIA. — I. Potestas *jurisdictionis* ad Confessiones excipiendas necessaria est, nec sufficit potestas *Ordinis*. Ratio est, quia absolutio est sententia judiciaria, quæ ferri nequit nisi in subditos. Confessario igitur assignari subditi debent; hoc autem ad eum pertinet, qui auctoritate in eos subditos pollet. Insuper id ad rectum Ecclesiæ regimen omnino requiritur. Incommodum enim maximum foret, si facultas absolvendi independens ab iis esset, quibus a Christo dictum est: *Quæcumque alligaveritis, . . . erunt ligata; . . . quæcumque solveritis, . . . erunt soluta.*[1] Sed maxime constat ex Trid.[2]

II. Jurisdictio *ordinaria* competit: 1° Papæ pro tota Ecclesia *in utroque foro;* 2° Episcopo pro sua diœcesi, pariter *in utroque foro*, cum hæc ideo sit ipsi commissa, ut eam regat ac dirigat; item Archiepiscopo, dum visitat Suffraganeorum subditos; Vicario Capitulari; Vicario Generali, et, pro foro interno, Canonico Pœnitentiario ecclesiæ Cathedralis; 3° Parochis pro subditis *in foro interno;* 4° Abbatibus et Prælatis Regularium pro subditis.

III. Jurisdictio *ordinaria* potest *delegari*, seu per alium exerceri. Ratio est, quia delegatio est actus proprius potestatis ordinariæ. Cfr. n. 150. Jurisdictio tamen ad audiendas Confessiones non potest delegari, nisi sacerdoti ab Episcopo approbato, ut constat ex supra dictis de approbatione. Quoad Parochos fere inutilis evasit facultas delegandi; quandoquidem Episcopi, ad quos pertinet confessarios approbare, jurisdictionem simul et approbationem conferre solent, ut dictum est n. 1391.

IV. Jurisdictio *delegata* conceditur ab Ecclesia cuilibet sacerdoti in casu extremæ necessitatis, seu in articulo mortis, vel, ut volunt alii, jurisdictionem tunc supplet Ecclesia. Constat ex *Trident.*[3]

V. Expirat jurisdictio delegata ad Confessiones excipiendas per revocationem a Superiore factam, vel per lapsum temporis præfixi; item morte delegantis, vel ejus cessatione ab officio, si data fuerit pro aliqua persona particulari, et judicium nondum incœptum sit; aut etiam si generaliter data fuerit, sed cum clausula: *ad arbitrium concedentis; ad beneplacitum nostrum*, vel alia simili.[4] Cfr. n. 151.

1394. QUÆSITA. — Quær. 1° *Qualis sit jurisdictio confessariorum in Provinciis ecclesiasticis Statuum Fœderatorum, ordinaria an delegata, et ad quæ loca extendatur?*

Resp. 1° Cum præter unum Neo-Aurelianensem, alii apud nos parochi nulli habeantur, omnium sacerdotum jurisdictio delegata est dicenda.[5] Quapropter

[1] L. VI. 551. [2] Ib.

[1] Matth. 18. 18.
[2] Sess. 14. c. 7.
[3] Ib.
[4] L. VI. 558. 559.
[5] Kenr. Tr. XVIII. 133.

sibi commissos in aliena diœcesi absolvere nequeunt.

Resp. 2° Antiqua illa consuetudo, ut approbatio, pro una harum Provinciarum diœcesi data, valeret etiam pro cæteris, — quæ consuetudo a. 1810 Episcoporum quasi pacto introducta fuerat, — abrogata est.[1]

Resp. 3° Omnes sacerdotes apud nos approbari solent et approbati censentur pro tota diœcesi, "quamvis," ut rite animadvertit Kenrick,[2] "non debeant facultatibus sibi commissis uti cum aliorum gravamine; quapropter, nonnisi cum bona venia Missionarii loci, debent Confessiones extra suam Missionem excipere."

Quær. 2° *An jurisdictio delegata subdelegari possit?*

Resp. Neg. generatim loquendo, videlicet, nisi accedat specialis concessio delegantis; et tunc nomine ipsius delegantis subdelegari censetur. Ratio est, quia delegatus eam solam potestatem habet, quæ ei conceditur; at conceditur ei sola potestas exercendi jurisdictionem, non vero eam alteri committendi, nisi aliud exprimatur. Ergo, etc. — Exceptiones vide n. 150.

Quær. 3° *An Ecclesia suppleat jurisdictionem, quando pœnitentes ipsius defectum invincibiliter ignorant?*

Prænotanda de titulo jurisdictionis et errore circa eum. — Titulus jurisdictionis in genere est actus, quo confertur potestas peragendi munia ecclesiastica.

Titulus est *verus* aut *falsus*: *verus* est, qui nullo laborat vitio; porro, ut verus sit, tria requiruntur: 1° concedentis libera potestas; 2° recipientis habilitas; 3° debita forma in actu concessionis.

Falsus est ille, qui laborat vitio circa unum ex tribus modo indicatis. Dicitur etiam *putativus* relative ad eos, qui, ignorantes ejus vitium, eum legitimum reputant.

Titulus falsus potest esse vel *fictus*, vel *coloratus*, vel *simpliciter* seu *notorie nullus*.

Fictus est ille, qui non fuit concessus a Superiore, vel non pro casu, aut loco, aut tempore, vel persona, de quibus agitur.

Coloratus est ille qui fuit concessus a legitimo Superiore, et *de se* esset aptus ad jurisdictionem conferendam, si non irritaretur propter defectum occultum; porro ille defectus occultus potest contingere: 1° in *concedente*. Sic, v. g., si ignoraretur mors Episcopi, ipsius Vicarius Generalis haberet titulum coloratum tantum; 2° in *recipiente*, sive aliquod vitium præcesserit, v. g. irregularitas occulta, vel excommunicatio; sive titulo suo sit spoliatus, et id ignoretur; 3° in *actu*, ut si intercesserit simonia occulta, ratione cujus actus sit irritus.

Simpliciter nullus est, vel qui fuit concessus a Superiore, ad quem non pertinet concedere, v. g. ab Archiepiscopo, extra casus, in quibus ipsi tribuitur facultas supplendi negligentiam Suffraganeorum; vel si fuerit quidem concessus ab eo, ad quem pertinet concedere, sed laborat vitio omnibus vel fere omnibus *manifesto*.

Error circa titulum esse potest, vel *communis* inter fideles (omnes vel fere omnes[1]) loci, ubi Confessiones excipiuntur, vel *privatus* tantum alicujus personæ.

His prænotatis:

Resp. 1° Ecclesia *certo* supplet, si error sit *communis*, et simul cum titulo *colorato* conjunctus. Ratio eruitur ex communi Theologorum interpretatione diversis locis Juris innixa. Ut enim aiunt, Ecclesia, velut pia mater, ad bonum animarum jurisdictionem supplere merito censetur, cum id possit.[2]

Resp. 2° Secundum sententiam S. Alphonso *probabilem*, sed cujus oppositam *communiorem* dicit, etiam supplet Ecclesia, si adsit error *communis* sine *titulo colorato*, sed cum titulo tantum *existimato* seu *ficto*. Eadem enim urget ratio ac in casu præcedente, cum etiam in hac hypothesi innumeræ animæ perire possint.[3]

Resp. 3° Non censetur Ecclesia supplere jurisdictionem, si error sit *privatus*, v. g. si sit unius aut paucorum. Ratio est, quia Ecclesia non censetur supplere, nisi ratione boni communis, ad instar scilicet provisoris seu gubernatoris generalis, qui ad solum bonum generale societatis attendit, et bonum privatorum

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 118.
[2] Tr. XVIII. 133.

[1] Scav. T. III. n. 374.
[2] L. VI. 572.
[3] Ib.

curæ provisorum particularium relinquit. — Ita *communissime* Theologi contra *paucos.*

Quær. 4° *An liceat absolvere cum jurisdictione dubia dubio facti, puta casu, quo dubitatur an revera a Superiore sit collata, vel an tempus, ad quod concessa est, elapsum sit?*

Resp. Negative, nisi aliqua necessitas urgeat, et tunc conditionate tantum. S. Alph.,[1] putat ejusmodi necessitatem adesse, 1° si urgeat præceptum annuæ Confessionis; 2° si pœnitens debeat Missam celebrare vel communicare, et alias notam infamiæ incurreret; 3° si sacerdos ex obligatione celebrare teneatur. Cfr. tamen n. 1344. q. 8° sub 8° quoad S. Communionem.

Quær. 5° *An liceat absolvere cum jurisdictione probabili probabilitate juris?*

Resp. Affirm., modo opinio sit vere probabilis, gravi fulcita ratione et auctoritate. Hoc enim in casu ipsa consuetudo confert jurisdictionem, et vi hujus consuetudinis confessarius absolvendo, non absolveret cum sola opinione probabili, sed moraliter certa, certitudine, non directa, sed reflexa. — Hac tamen jurisdictione non licet uti, nisi quando adest causa gravis necessitatis, aut magnæ utilitatis, ut aiunt Elbel et Wig., vel causa rationabilis, ut inquiunt Suarez et Sporer. Ratio est, quia licet Ecclesia eo casu ob bonum animarum bene censeri possit jurisdictionem supplere, tamen non præsumitur, nulla justa causa accedente, velle connivere meræ libertati sacerdotum.[2]

Quær. 6° *An excommunicati vitandi, suspensi, interdicti, irregulares, degradati, schismatici, notorie hæretici, apostatæ, etc., valide absolvant in periculo mortis, deficiente alio sacerdote?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia omnes sacerdotes possunt absolvere in articulo mortis, ut constat ex Trident.[3]

Quær. 7° *An simplex sacerdos possit absolvere non tantum in articulo, sed etiam in periculo mortis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia eadem fere est pœnitentis necessitas in periculo, atque in articulo mortis. Aliunde constat ex Jure Canonico, pro eodem accipi articulum et periculum mortis.[1]

Hujusmodi autem periculum censetur adesse, 1° in morbo periculoso; 2° tempore pestis; 3° in partu difficili; 4° in operatione chirurgica ardua; 5° ante navigationem valde periculosam; 6° in prœlio, aut aliis similibus adjunctis.[2]

Quær. 8° *An possit simplex sacerdos absolvere moribundum, etiam præsente confessario approbato?*

Resp. Dissentiunt inter se Doctores; et S. Alphonsus, post libratas utriusque sententiæ rationes, suum tandem judicium profert hisce verbis: "Hisce tamen non obstantibus," scilicet rationibus pro *affirmante* a se allatis "puto non recedendum a prima sententia," nempe *negante,* quam *communissimam* dicit, "ob auctoritatem Ritualis Romani (De Sacr. Pœnit. sub init.), ubi sic dicitur: *Sed si periculum mortis immineat, approbatusque* (nota) *desit confessarius, quilibet sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere.* Possunt igitur simplices sacerdotes absolvere, si desit approbatus confessarius; ergo non possunt, si adsit approbatus.[3]

Excipe: 1° si approbatus nollet vel non posset audire Confessionem, quia tunc idem est ac si deesset; 2° si approbatus sit nominatim excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, degradatus, schismaticus, notorie hæreticus, apostata, quia tunc præferendus est simplex sacerdos; 3° probabilius, si approbatus esset alienæ diœcesis, quia iste respectu ad infirmum minime dicitur approbatus; 4° probabiliter si moribundus ita horreret manifestare sua crimina approbato, — quia v. g. ejus inimicus est, aut consanguineus, aut objectum peccati, — ut esset in periculo confitendi sacrilege; 5° si infirmus non posset confiteri approbato sine magna difficultate aut incommodo (ita Mazzotta, a S. Alph° allegatus et non reprobatus); 6° si approbatus veniat postquam Confessio apud simplicem sacerdotem jam incœpta sit; 7° si approbatus sit complex infirmi in peccato turpi.[4]

[1] L. VI. 432; II. 571. H. A. Tr. XVI. n. 84.
[2] Ib. 573. Cfr. Vind. p. 485. Ed. 2ª. T. II. p. 97.
[3] Sess. 14. c. 7. S. Alph. L. VI. 560.

[1] L. VI. 561.
[2] Ib.
[3] Ib. 562. quæst. retr. 82. Cfr. Vind. p. 501. Ed. 2ª. T. II. p. 115.
[4] L. VI. 563.

Quid juris sit, si agatur de reservatis præsente facultatem habente, dicetur infra.

Quær. 9° *An Parochus possit advocare Parochum ejusdem vel diversæ diœcesis ad Confessiones in sua parochia audiendas?*

Resp. 1° Quoad Parochum ejusdem diœcesis, licet hic vi officii sui jurisdictionem specialem habeat tantum pro parœcia sua, tamen ex consuetudine fere universali Confessiones etiam in universa diœcesi audire potest, nisi Episcopus aliter decernat. Consulendæ tamen sunt consuetudines locorum propriæ.

Resp. 2° Quoad Parochum diversæ diœcesis, variæ feruntur opiniones, ut inquit Bened. XIV.[1] Qui affirmant, arguunt ex Trid. quod *parochiale beneficium* inserviat pro approbatione universali. Alii negant, quorum sententia, inquit S. Alph.,[2] robur accipit ex Resp. S. C. C. 31 decembris 1707. — Bened. XIV. primam sententiam admittit in iis locis, ubi adest talis consuetudo.

Quær. 10° *An sacerdos approbatus ab Episcopo possit audire Confessiones fidelium sine venia Parochi?*

Resp. 1° *Quoad liceitatem neg.*, si Confessiones excipiantur in Ecclesia Parocho subjecta. Ratio est, quia debitus ordo omnino requirit, ut, cum Parochus Superior immediatus sit in sua Ecclesia, ab ipso venia inibi exercendi sacra ministeria petatur. Non tamen requiritur venia Parochi ad audiendas Confessiones in Sacello Regularium vel Monialium, sed venia Superioris vel Superiorissæ loci sufficit.

Resp. 2° *Quoad validitatem*, certum est juxta omnes, non requiri licentiam Parochi extra casum annuæ Confessionis. Imo nec requiritur pro annua Confessione, saltem *per se*, seu de jure communi. Constat ex communi doctrina Theologorum contra quosdam, necnon ex præsenti consuetudine et praxi universali Ecclesiæ, ut testatur Bened. XIV.,[3] et ut patet ex decl. S. C. de P. F. 2 jul. 1827. — Si autem alicubi non vigeat ista consuetudo, nihilominus validæ habendæ sunt Confessiones, nisi Episcopus expresse contradicat; nam si taceat, consuetudini universali Ecclesiæ consentire videtur.

Quær. 11° *An delegatus valide et licite absolvat elapso termino delegationis quotannis renovandæ, v. g. si turba pœnitentium affluat ad aliquam magnam solemnitatem?*

Resp. 1° Invalide absolvit *per se*, i. e. ratione jurisdictionis, quia de facto nullam habet. Attamen valide absolvet *probabiliter* ratione erroris communis, ob quem Ecclesia supplere censetur pro bono animarum.

Resp. 2° Peccat graviter *per se* sacerdos, si hoc *scienter* agat; ratio, quia exercet munus confessarii sine legitima auctoritate; et, licet tunc suppleat Ecclesia, reus est tamen, quod ipse indebite eam ad supplendum cogit.

Quær. 12° *An sacerdos in aliquo loco approbatus excipere valeat Confessiones peregrinorum eo advenientium?*

Resp. 1° *Affirm.* absolute quoad confessarios regulares, qui speciale hoc privilegium a S. Sede Apostolica habent. — Vide *C. Superna* Clement. X.

Resp. 2° Etiam *affirm.* quoad sacerdotes sæculares; ratio quia talis est consuetudo vim habens ex tacito Ordinariorum consensu, qui ratihabitioni de præsenti æquivalet. — Ita *communius* Theologi et Canonistæ.[1]

Quær. 13° *An Episcopus possit sub pœna invaliditatis prohibere, ne diœcesani pergant ad confitendum extra diœcesim?*

Resp. Negative, — sive pergant ad confitendum extra diœcesim apud confessarios Regulares, qui habent privilegium audiendi Confessiones omnium fidelium undequaque venientium, — sive in alia diœcesi sacerdotibus sæcularibus confiteantur. Ratio est, quia, stante hodierna *consuetudine* absolvendi peregrinos, hi non amplius dicendi sunt absoluti ex tacito consensu suorum Ordinariorum, sed ex voluntate Ecclesiæ, quæ, talem consuetudinem approbando, omnibus confessariis approbatis jurisdictionem tribuit in peregrinos ad suum tribunal se sistentes, exceptis tantum iis, qui alio abeunt in fraudem reservationis.[2]

Quær. 14° *An simplex sacerdos possit absolvere navigantes in Oceano, vel a quo obtinenda sit approbatio?*

Resp. 1° *Per se* nequit absolvere, nisi

[1] Inst. 86. n. 7. [2] L. VI. 544.
[3] Inst. 18.

[1] L. VI. 569.
[2] Ib. H. A. Tr. XVI. 87. Cfr. Vind. p. 507. Ed. 2ª. T. II. p. 121.

in periculo probabili mortis, ut supra dictum est; quia ejusmodi sacerdos extra illum casum quavis jurisdictione caret.

Resp. 2° Requiritur et sufficit approbatio Episcopi loci, unde navis solvit, et perdurat facultas usquedum perveniat ad locum, ubi alius Superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus est. Ita S. C. O. 17 mart. 1869.

Quær. 15° *An Cappellani militum eos ubique sine approbatione Episcopi loci absolvere possint?*

Resp. 1° *Affirm.*, si specialiter sint delegati a Summo Pontifice ad curam spiritualem militum, aut a Cappellano majori a Papa approbato.

Resp. 2° Si vero hac speciali delegatione careant, possunt quidem audire Confessiones in diœcesi Episcopi approbantis, et etiam extra illam in itinere et in castris ex tacito consensu Episcoporum, ut patet ex consuetudine universali; non possunt tamen valide absolvere in stationibus, nec in præsidiis sine licentia Episcopi loci, quia nullam habent jurisdictionem. Constat ex variis Declarationibus S. Congregationis, quas refert P. Zacharia apud Lacroix.[1] Vide etiam S. Alph.[2]

APPENDIX I.

DE JURISDICTIONE ET APPROBATIONE REGULARIUM.

Regulares, ratione privilegiorum et immediatæ dependentiæ a Summo Pontifice, in pluribus quoad jurisdictionem differunt a sacerdotibus sæcularibus. Hinc:

1395. — *Dico I.* Regulares proprie dicti, seu qui vota solemnia emittunt, et qui privilegio exemptionis donati sunt, itemque ii, qui cum Mendicantibus in privilegiis communicant, ad audiendas Confessiones tum *suorum*, tum *sæcularium* immediate a Papa jurisdictionem accipiunt. Hinc intelligitur jurisdictio concessa singulis sacerdotibus religiosis, accedente Superioris sui communicatione seu delegatione. — Constat ex Const. SS. Pontificum in Corp. Jur.;[3] item ex aliis Constitutionibus, quæ licet postea modificatæ fuerint, præsertim per Trid., quoad privilegia, tamen quoad jurisdictionis substantiam irrevocatæ permanserunt. — Ita *communiter* cum Lugo,[1] Lacroix,[2] Billuart.[3] — Sunt tamen, qui contradicunt,[4] hodie præsertim, seu post Resol. datam a S. C. Ep. et Reg. 2 mart. 1866, quam n. 1397. q. 3° referimus. Hæc tamen resolutio aliis quæstionem dirimere non videtur, cum dubium propositum respiciat Regularem *facultatem* ab Episcopo habentem. Neque enim, aiunt, propterea excluditur, facultatem ex alio quoque fonte Regularem posse haurire.

Dico II. Regulares ad audiendas *suorum* Confessiones approbationem simul cum jurisdictione accipiunt a Superioribus sui monasterii, vel Ordinis; ad audiendas autem Confessiones *sæcularium* approbationem accipiunt ab Episcopo loci, ubi Confessiones excipiendæ sunt. Ratio primi est, quia Trid. requisivit approbationem Episcopi tantum pro Confessione sæcularium, et antiquam disciplinam quoad Confessiones Regularium non immutavit. Ratio secundi patet ex Decreto Innoc. XII. an. 1700, quo sancitum est, confessarios, quicumque illi sint, tam *sæculares* quam *regulares*, nullatenus *posse audire pœnitentes sæculares sine approbatione Episcopi loci.*

Dico III. Regulares non possunt confiteri, saltem ordinarie, *extra Ordinem suum*, sine consensu Superiorum suorum; imo etiam in Monasterio nemini alteri, quam designato ab ipso Superiore. Degentes autem extra Monasterium, seu iter facientes, non possunt confiteri nisi socio, si quem idoneum habeant; si vero non habeant, possunt confiteri cuilibet sacerdoti idoneo, sive regulari, sive sæculari. — De his constat ex privilegiis, quæ omnibus Religionibus ab Innoc. IV. et ab aliis Summis Pontificibus concessa noscuntur.[5]

1396. *Resolves.* — 1° Licet Regulares jurisdictionem habeant a Papa, ligatam tamen habent quoad Confessiones sæcularium audiendas; siquidem ad absolutio-

[1] n. 1518.
[2] L. VI. 577.
[3] L. III. T. VI. c. 2. in Extr. Comm. L. III. T. VII. c. 2. in Clem.

[1] Disp. 21. n. 4.
[2] n. 1552.
[3] Diss. 6. a. 7.
[4] Acta, V. I. p. 678 sq.
[5] L. VI. 575.

nis validitatem approbatio Episcopi, velut *conditio sine qua non*, requiritur.

2° Episcopus potest approbationem Regularibus concedere ad libitum sine restrictione, vel cum aliqua restrictione quoad tempus, loca, personas, etc.

3° Si Episcopus expresse approbationem tantum pro actu aliquo transitorio, v. g. pro aliqua Missione peragenda concessit, facultas accepta pro illo solo actu, et pro omni judicio tunc incœpto, valere censetur.

4° Si Episcopus, vel Superior tuus ex ejus delegatione, tibi concedat approbationem pro determinata pœnitentium classe, facultas ad alios extendi nequit, ut patet. Si autem postulatio facultatis ab Episcopo vel a Superiore sit generalis, nec fuerit restricta concessio, non limitatur facultas obtenta ad operam, quæ fuit occasio petitionis : sic v. g., si facultatem quæris occasione tradendi exercitia spiritualia Monialibus, in tali conventu ex eadem accepta facultate potes audire Confessiones etiam aliorum fidelium. Ratio est, quia *continetur in concessione quidquid non excipitur*. Excipe tamen casus reservatos, qui ipso jure in facultate generali audiendi Confessiones nunquam intelliguntur comprehensi.

5° Religiosus missionarius advocatus ab Episcopo ad Missionem peragendam in ipsius diœcesi, eo ipso accipit approbationem tacitam ad audiendas Confessiones tempore Missionis, pro qua advocatur. Idem dicendum est, si requisitus fuit a Parocho vel alio Superiore ex licentia Episcopi. Attamen pro solis casibus ordinariis approbatus censetur. Unde in praxi semper ad Episcopum recurrendum est pro extensione seu mensura approbationis determinanda.

6° Superior religiosus quando ex Episcopi delegatione adhibet subditum ad opera generalia Sacri Ministerii, seclusa hypothesi specialis alicujus restrictionis, censetur ipsi concedere omnimodam facultatem pro quibusvis pœnitentibus, et pro omnibus quoque casibus reservatis in concessione episcopali contentis ; ratio, quia concedere censetur id omne, quod concedere potest et solet, juxta præfatam regulam : *Continetur in concessione quidquid non excipitur*.

1397. QUÆSITA. Quær. 1° *An Regulares extra domum, deficiente socio idoneo, confiteri valeant sacerdoti non approbato ?*

Resp. Vide n. 1195. G). b).

Quær. 2° *An Episcopus possit sine causa approbationem denegare Regularibus ?*

Resp. Neg. "Nam," inquit Pignatelli,[1] "confessarii Regulares non recipiunt jurisdictionem ab Episcopo, sed a Summo Pontifice, et approbatio requiritur solum tanquam conditio, ut jurisdictio exerceri possit. Ergo non possunt Episcopi prohibere, ne Regulares aliquo tempore absolvant." . . . Deficiente tamen approbatione, ut ut injuste negata, deficiet quoque jurisdictio. Cfr. n. 1392. q. 4°.

Quær. 3° *An Episcopus approbare possit Regulares cum limitatione temporis, personarum aut locorum ?*

Resp. Affirm. Constat ex variis Decretis S. Sedis. — Vide S. Alph.[2] Vide tamen n. 1196. 4°.

Quær. 4° *An Episcopus revocare possit approbationem Regularibus concessam ?*

Resp. 1° Non potest revocare approbationem omnibus Regularibus ejusdem communitatis, inconsulta S. C. Ep. Sic ex Bulla *Superna*. — Excipe, si agatur de regionibus ab urbe longe dissitis et gravissima subsit causa, super quo S. C. conscientias Episcoporum graviter voluit oneratas.[3]

Resp. 2° Potest autem Episcopus revocare approbationem singulorum Regularium in individuo, sed si agatur de Regulari simpliciter et sine ulla temporis limitatione (i. e. non ad tempus definitum aut ad revocationem, arbitrium, beneplacitum suum), et prævio examine approbato, tantum justa de causa *Confessionem concernente ; ita* tamen a Vicario suo vel ab antecessoribus Episcopis, et non a seipso, approbatum, ob *justam* causam, libere revocare et novo examini subjicere potest. Ita ex eadem Bulla *Superna*.[4]

Quær. 5° *An Regularis semel approbatus in aliqua diœcesi, nova approbatione indigeat, si, mutata habitatione, eodem redeat ?*

Resp. Neg., nisi statuta diœcesana vel

[1] Cons. Can. t. 4. Cons. 163. n. 12.
[2] H. A. Tr. XX. 103 in fine.
[3] C. Cum sicut accepimus. Innoc. X.
[4] H. A. Tr. XX. 103.

Episcopus aliter statuant. Ratio est, quia approbatus indefinite et illimitate remanet approbatus saltem usque ad implicitam approbationis revocationem; porro in casu præsenti nulla intervenit revocatio, ne implicita quidem. Ergo. — Ita Lacroix,[1] Lugo,[2] cum sententia communi.

Quær. 6° *An Regularis approbatus in aliqua diœcesi, nova approbatione indigeat ad valide absolvendum, si, mutato loco, per eamdem diœcesim transeat?*

Resp. Neg., ut ad q. 5°, quia approbatio indefinite et illimitate concessa, perdurat usque ad revocationem. — Lacroix.[3]

Quær. 7° *An valide absolvat sæculares Religiosus ex delegatione Episcopi, sed inscio Superiore?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia Religiosus jam habet jurisdictionem a Papa per Superiorem suum; hæc autem semel accepta perdurat, usquedum expresse revocetur; aliunde vero habetur Episcopi approbatio; proinde nihil deest ut Religiosus ille valide et licite absolvat. — Billuart et alii.

Quær. 8° *An valide absolvat Religiosus, invito Superiore, sed ex delegatione expressa Episcopi?*

Resp. 1° *Negative*, si Episcopus intenderit tantum dare approbationem, et aliunde Superior, qui potestatem habet constituendi confessarios, ita sit invitus, ut jurisdictionem a suo subdito auferre censeatur. Ratio patet. Tunc enim Religiosus a nemine jurisdictionem habet.

Resp. 2° *Affirmative* autem, si Episcopus intenderit etiam conferre jurisdictionem, ut ex hodierna praxi fieri solet. Ratio est, quia Episcopus bene potest jurisdictionem Religioso, non secus ac sacerdoti sæculari, in proprias oves conferre. Quisquis enim jurisdictione ordinaria gaudet, eam cuilibet sacerdoti delegare potest. — Billuart, etc.

Verum Religiosus ille graviter contra obedientiam peccaret, quia in re gravi præceptum Superioris sui transgrederetur; nec in hujusmodi casu posset uti privilegiis, quibus Religiosi gaudent, v. g. ad absolvendum a quibusdam censuris, nisi etiam ab Episcopo hujusmodi privilegia sibi communicata fuissent; quia Religiosus hujusmodi privilegium, nonnisi per ipsum Superiorem accipit, qui ex hypothesi nullam subdito facultatem tribuit. Hæc confirmantur Declaratione, quæ nuperrime prodiit ex Congr. E. et R.[1] Propositis enim dubiis:

"I. An Religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, cum sola *facultate* Ordinarii valide excipiat Confessiones sæcularium."

"II. An Superiores Regulares, jurisdictionem habentes, possint suos subditos suspendere ab audiendis Confessionibus sæcularium etiam ex informata conscientia."

"Et quatenus *affirmative*, III. An valeat suspensio oretenus, et absque scripto enunciata."

"IV. An absolutio impertita ab eo, qui tali suspensione est innodatus, sit valida."

"Et quatenus *negative*, V. An qui hujusmodi absolutionem attentat, irregularitatem incurrat."

"Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium re discussa, die 2 martii 1866, respondit":

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative; ita tamen, ut Religiosus suspensus illicite, non vero invalide Confessiones excipiat.*

Ad III. *Affirmative, cum feratur per modum præcepti particularis.*

Ad IV. *Affirmative.*

Ad V. *Provisum in præcedentibus.*

Quær. 9° *An Regulares absolvere possint, sine Episcopi approbatione, famulos suos vel alios familiares in monasterio degentes?*

Resp. Vide n. 1194. II.

Quær. 10° *An Regulares absolvere possint alumnos convictores sine Episcopi approbatione, utpote de familia?*

Resp. Duplex datur sententia. Vide n. 1194. II.

APPENDIX II.

DE JURISDICTIONE RESPECTU MONIALIUM.

1398. — *Dico I.* Moniales vota solemnia emittentes et claustratæ non possunt confiteri nisi sacerdoti specialiter pro ipsis

[1] n. 1541. [2] Disp. 21. n. 44.
[3] n. 1541.

[1] Acta, V. I. p. 678.

approbato ab Episcopo, licet sint exemptæ ab ejusdem Episcopi jurisdictione, et Regularibus proprii Ordinis subjectæ, quo tamen casu deputatio et electio confessarii competit Prælato regulari. Ita ex Bulla Gregorii XV. *Inscrutabili*, et ex aliis Constitutionibus SS. Pontificum.[1] Imo confessarius approbatus pro uno monasterio non potest valide excipere Confessiones Monialium alterius monasterii, nisi in genere pro Monialibus fuerit approbatus. Hæc confirmavit Clemens X. an. 1670, Bulla *Superna*.[2]

Ex Decreto autem S. C. Ep. 20 sept. 1642, confessarius ordinarius Monialium non potest approbari nisi pro triennio; quo elapso, non potest amplius audire Confessiones in eodem monasterio sine licentia S. Congr.[3] — Sed hujusmodi restrictio non ubique servatur, vel etiam, defectu confessariorum, qui audiendis Monialium Confessionibus idonei sint, servari potest,[4] et tunc approbatio valet usquedum verbis aut facto revocetur. — Salvo autem indulto Apostolico, Monialium confessarius debet esse annorum 40,[5] nec ad istud officium deputandi sunt Vicarius Generalis, Canonicus aut alius beneficiatus ad Chorum obligatus, Parochus, vel, si de Monialibus agitur Episcopo subjectis et de confessario ordinario, Regularis.[6]

Porro Confessarius tenetur accedere ad audiendas Monialium Confessiones, toties quoties vocatus fuerit. S. C. Ep. 1705. — Cæterum caveat, ne se tamquam Superiorem monasterii gerat, cum ipsi talis auctoritas nullo modo competat. — Sic S. C. Ep. 7 sept. 1797. — Vide Analecta Juris Pont.[7]

Dico II. Episcopi et alii Monialium Superiores tenentur bis aut ter in anno, ipsis etiam Novitiis, exhibere confessarium extraordinarium. Sic statuit Trid.[8] — Hæc statuta confirmarunt alii SS. Pontifices, præsertim Bened. XIV. in Bulla *Pastoralis*, edita 5 aug. 1748. Debet insuper concedi confessarius particularis Monialibus in articulo mortis, si petant, imo etiam aliquando in vita, si aliqua Monialis id postulet, aut recuset confiteri ordinario; sed tunc pro certis tantum vicibus extraordinarius confessarius deputandus est. De his constat ex Bulla Bened. XIV. *Pastoralis* modo citata.

Neque vero Trid. prohibet, ne præficiantur plures confessarii extraordinarii, neve ultra duas vel tres vices offerantur. Sensus igitur Decreti est, eos ad minus saltem bis vel ter concedendos esse.

1399. QUÆSITA. — Quær. 1° *An omnes Moniales teneantur se præsentare confessario extraordinario et ipsi confiteri?*

Resp. 1° Tenentur omnes et singulæ se præsentare saltem ad audienda salutaria monita. Constat ex eadem Bulla Benedicti XIV., necnon ex Declaratione expressa S. C. Ep. die 19 oct. 1621. Ratio autem hujus dispositionis est, ut consulatur libertati Monialium, quæ ministerio confessarii extraordinarii forte indigeant; secus enim timor, vel displicendi confessario ordinario, vel in suspicionem incidendi penes alias Moniales, facile eas prohiberet.[1]

Resp. 2° Non tenentur confiteri confessario extraordinario, sed sufficit ut coram illo se sistant, puta, ut ejus benedictionem petant, aut ab eodem salutaria monita accipiant. Constat ex citata Bulla Bened. XIV. — Vide S. Alph.[2]

Quær. 2° *Quid tenendum de Monialibus apud nos existentibus?*

Resp. 1° Quoad *approbationem confessarii*, cum, exceptis iis, de quibus n. 1205. V. diximus, cæteræ vota solemnia emittere prohibeantur, omnia dependent ab Episcoporum voluntate. Ergo, nisi Episcopus contrarium significaverit, harum Confessiones etiam sine *speciali* deputatione *valide* excipiuntur, et clausula: *exceptis Monialibus*, jurisdictioni apposita, solas Moniales stricte dictas respicit. *Mens* autem S. Sedis est, ut etiam erga Moniales non stricte dictas ab Episcopis serventur ea, quæ Jure communi pro stricte dictis hac in re statuuntur. Vide Gury Ed. Rom. 1873,[3] et Conc. Pl. Balt. II.[4]

Resp. 2° Quoad *confessarium extraordinarium*, videtur pro Episcopo, et aliis

[1] Cfr. Lucidi, de Vis. SS. Limin. P. 1. T. 2. de 5ª. rel. n. 227 sq.
[2] L. VI. 577.
[3] Ib.
[4] Cfr. S. Alph. L. VI. 577.
[5] Anal. Jur. Pont. Sér. 4. Col. 1300.
[6] Ib. Col. 1289 sq.
[7] Ib. Col. 1322. 1324.
[8] Sess. 25. de Reg. et Mon. c. 10.

[1] L. VI. 576. [2] Ib.
[3] T. II. n. 567. q. 2 (*). [4] a. 417.

Superioribus adesse obligatio aliquem procurandi pro Monialibus apud nos in clausura *non Papali* viventibus. Ratio est, quia idem est finis legis, scilicet prospiciendi conscientiæ libertati. Si enim obligantur ad rigorosam clausuram, æquum est, ut privilegio quoque Monialium claustratarum utantur.

Quær. 3° *An Episcopus teneatur concedere confessarium extraordinarium etiam piis fœminarum congregationibus, quæ veræ Moniales non sunt?*

Resp. Bened. XIV. enixe *hortatur* Episcopos, ut ad quaslibet fœminarum communitates extendant leges Trident. circa confessarios extraordinarios Monialium. — Const. *Pastoralis curæ*, 5 aug. 1748, cui consonant plura Decreta S. Congr. Ep. et Reg., et Conc. Pl. Balt. II.;[1] quin et Episcopus ad hoc in conscientia tenetur, si piæ illæ fœminæ *unicum* confessarium a Superioribus designatum habeant, adempta iis facultate advocandi alium.[2]

Quær. 4° *An absolvi possint a quolibet confessario Moniales claustratæ, dum casu extra monasterium versantur?*

Resp. Affirm. cum Lacroix,[3] et aliis. Ratio est, quia Constitutiones Gregor. XV. *Inscrutabili*, et aliorum SS. Pontificum, quæ prohibent, ne Moniales confiteantur alteri sacerdoti quam specialiter ab Episcopo pro Monialibus approbato, non videntur intelligendæ nisi *de Monialibus in Monasteriis degentibus;* supponunt enim quod Moniales semper intra claustrum versentur. Quilibet igitur confessarii, licet pro Monialibus non approbati, absolvere possunt Moniales *per accidens* ad se venientes. Præterea nimium incommodum plerumque adesset, si Moniales peregrinæ solis confessariis specialiter approbatis confiteri deberent: sæpe enim carere deberent Sacramentis Pœnitentiæ et Eucharistiæ. Consonat Resp. 27 aug. 1852. S. C. Ep. et Reg.[4]

ARTICULUS III.

DE CASIBUS RESERVATIS.

Reservatio casuum est restrictio seu limitatio jurisdictionis, sive negatio potestatis absolvendi a certis peccatis, salva potestate absolvendi a cæteris. *Agendum* 1° de reservatione; 2° de absolutione reservatorum.

[1] a. 417.
[2] Anal. Jur. Pont. Sér. 4. Col. 1278 sq.
[3] n. 1527.
[4] Nouv. Rev. Théol. T. V. p. 223.

§ I. *De reservatione casuum, seu de principio et natura reservationis.*

1400. PRINCIPIA. — I. Datur in Ecclesia potestas reservandi certos casus sive causas criminum graviorum, a quibus inferiores confessarii absque speciali facultate absolvere nequeant. Ecclesiæ enim, ut dictum est (*art. præc.*), competit potestas jurisdictionem conferendi et limitandi; ergo etiam casus reservandi. — Constat præterea ex definitione Trid.[1]

II. Potestas peccata reservandi solis competit Ecclesiæ Prælatis, qui habent jurisdictionem in utroque foro, interno et externo. Ratio est, quia ad eos solos, qui jurisdictionem in societatem fidelium conferre possunt, eamdem limitare pertinet.

Hinc: 1° Papa casus reservare potest in tota Ecclesia; 2° Episcopi in sua diœcesi; quæ reservatio, secundum sententiam *communem* et S. Alph. *veriorem*, etiam quoad Moniales non exemptas valet, cum in lege non sint exceptæ. Utrum etiam quoad exemptas, utrinque probabiliter disputatur;[2] 3° alii jurisdictionem episcopalem habentes erga subditos proprios.

III. Tria requiruntur, ex *consuetudine* Ecclesiæ, ut peccatum reservatum censeatur, scilicet, ut sit 1° interne et externe grave; 2° in sua specie consummatum, et hinc reservationem homicidii non incurrunt eidem faventes, cum illud non *consummarint*, — nec reservationem sodomiæ *imperfectam* committentes, cum eam non consummarint *in sua specie;* 3° ita certum, ut non remaneat *prudens* dubium, an sit patratum; an interne et externe grave; an in sua specie consummatum; an sub reservatione comprehensum. Ratio est, quia non *solent* reservari nisi crimina externa, eaque graviora et atrociora, et hinc debet esse *externe* et *interne grave*, — et quia reservatio, utpote odiosa, stricte interpretanda est, et hinc debet esse *in sua specie consummatum* ac *certum*.[3]

[1] Sess. 14. de Sacr. Pœn. c. 7.
[2] L. VI. 602.
[3] Ib. 582. 600.

IV. Reservatio afficit immediate confessarium, et mediate pœnitentem; quia potestatem confessarii immediate attingit, eamque coarctat.[1]

Porro plerique casus episcopales sunt simpliciter reservati sine censura; casus autem papales fere omnes censuram habent, et principaliter propter censuram reservantur, ita ut in iis reservetur immediate censura, et mediate seu accessorie ipsum peccatum. Hinc in casibus papalibus, reservata censura, etiam peccatum manet reservatum; e contrario vero, sublata censura, v. g. ex eo quod ignorata fuerit, neque peccatum est reservatum, quia, sublato reservationis objecto, i. e. censura, jam peccatum non manet reservatum.[2] — Casus autem Papæ reservati absque censura sunt duo: *primus* scilicet de eo, qui recipit munera a *Regularibus stricte dictis* utriusque sexus (ex Const. Clem. VIII. et Urbani VIII., quæ tamen non ubique sunt receptæ); *secundus* autem, si mulier calumniose accuset aut denuntiet de sollicitatione confessarium innocentem (ex Constit. Bened. XIV.).

Circa reservationem ab Episcopis faciendam opportune notanda ea occurrunt, quæ habemus apud Benedic. XIV.,[3] et quorum hæc fere summa est.

a) Ad paucos tantum casus extendatur, et

b) Ad atrociora tantum et graviora crimina, quorum reservatio ad christianam disciplinam retinendam conferat, et in ædificationem, non autem in destructionem, cedat: ne alioquin, confessariorum potestate coarctata, S. Matris Ecclesiæ piæ menti contrarius effectus subsequatur. Ideo non comprehendat casus, qui, etsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur, et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati et similium. Inde etiam in reservandis peccatis carnalibus multa utendum est circumspectione, propter periculum scandalorum, in iis maxime personis, in quas, ob frequentem reditum ad confessarium, suspicionis aliquid cadere posset.

c) Non sit superflua, et ideo non comprehendat eos casus, qui S. Sedi specialiter reservati sint, nec eos, in quibus absolutio, nisi cum restitutione vel executione eorum, ad quæ pœnitens tenetur, non confertur.

d) Non promiscue, i. e. non nisi propter frequens scandalum aut aliam necessariam causam, extendatur ad ea, quibus a Jure imposita est excommunicatio major, cujus absolutio nemini reservata sit.

1401. QUÆSITA. — Quær. 1° *An ignorantia reservationis vel censuræ ab ea incurrenda excuset?*

Resp. 1° *Affirmative quoad censuram*, quia in ea spectatur præcipue ratio pœnæ, quæ in contumaces tantum infligitur, idque sive ignorantia sit *facti*, e. g. talem librum fuisse conscriptum ab apostata aut hæretico ad defendendam hæresim, sive *juris*, i. e. censuræ aut legis, sive divinæ sive ecclesiasticæ, dummodo tamen non sit *crassa*, licet et hæc excuset, si in decreto censuræ legitur: *qui hoc fecerit scienter*, vel *consulto*, vel *temere*, vel *qui præsumpserit*. Hac de re latius ubi de *Censuris* erit sermo.

Resp. 2° *Quoad reservationem*, controvertitur. Negat sententia communior, cui subscribit S. Alph.;[1] ratio, quia reservatio restringit potestatem confessarii, quem immediate afficit, ut dictum est n. 1400. IV.; ergo sive pœnitens habuerit notitiam reservationis, sive non habuerit, potestas sacerdotis restricta manet.

Quær. 2° *An ignorantia saltem excuset a reservatione, quando cum censura conjungitur?*

Resp. 1° *Affirm.* pro casibus *papalibus*, quia casus papales, exceptis duobus, de quibus n. 1400, reservantur propter censuram, a qua excusat ignorantia, ut modo dictum est. Proinde, sublata censura, nulla remanet reservatio.[2]

Resp. 2° *Verius Neg.* pro casibus *episcopalibus*; quia in iis principaliter et per se spectatur reservatio, cui annectitur quandoque censura velut circumstantia, eo fine, ut peccatores magis a peccato absterreantur.[3] Id tamen intelligendum de casibus, quos, non quidem Jus Commune,[4] sed *ipsi sibi* reservant Episcopi.

[1] L. VI. 580. [2] Ib.
[3] De Syn. L. V. c. V. n. 4.

[1] L. VI. 581. Tertia sent. Cfr. Vind. p. 515. Ed. 2ª. T. II. p. 130.
[2] L. VI. 580.
[3] Ib. 581. Dub. 2.
[4] C. Apostolicæ Sedis 12 oct. 1869. § Excommunicationes . . . Episcopis . . . reservatæ.

Quær. 3° *Utrum absolvi possit subditus alterius diœcesis, si casus est reservatus tantum in loco Confessionis ?*

Resp. Neg. juxta sententiam *communiorem* et S. Alph° *longe probabiliorem*, quia reservatio respicit confessarios, non pœnitentes. S. Pœn. 21 nov. 1873.[1]

Quær. 4° *An absolvi possit subditus alterius diœcesis, quando peccatum reservatum est in ipsius diœcesi, non autem in loco Confessionis ?*

Resp. 1° Absolvi potest a Regularibus vi privilegii ipsis concessi in Constit. *Superna* Clement. X.

Resp. 2° Quoad Confessarios sæculares, sententia *communissima* et *verior* affirmat. Ratio, quia sic habet universalis consuetudo. — Excipe in utroque casu, nisi quis ex propria diœcesi ad aliam *principaliter* in fraudem reservationis se contulerit.[2]

Quær. 5° *An Prælati aut Superiores regulares possint reservare casus in suo Ordine vel Monasterio ?*

Resp. Possunt nonnullos tantum reservare a Clem. VIII. determinatos, qui sunt undecim numero, et quos videre est apud S. Alph.[3] Alia autem reservare sine consensu Capituli generalis pro tota Religione, et Capituli provincialis pro tota Provincia, nequaquam possunt.

§ II. *De absolutione reservatorum.*

1402. Principia. — I. Absolvere possunt a casibus reservatis de potestate *ordinaria*, 1° ipsi reservantes ; 2° eorum successores in eadem potestate ; 3° eorum Superiores.

II. Episcopi, vel eorum delegati absolvere possunt :

1) Ubi Trid^num^ receptum est, a papalibus occultis, exceptis tamen iis, qui Romano Pontifici *speciali modo* in C. *Apostolicæ Sedis* reservantur. Constat ex ipsa Constitutione, § *Firmam tamen.*

2) A casibus papalibus etiam *notoriis*, seu *publicis* omnes fideles, qui ob legitimum impedimentum Apostolicam Sedem adire nequeunt, ne ex dilatione absolutionis animabus periculum immineat. Constat ex Jure Can.[1]

Absolutio autem hoc in casu *directe* datur (i. e. ita ut reservatio *perpetuo* cesset), si impedimentum ejusmodi sit *perpetuum*. Perpetuo autem impedimento detineri censentur : 1. Mulieres, nisi expresse censura notentur, ut Moniales clausuram violantes. 2. Sexagenarii. 3. Infirmi morbo gravi et diuturniori, ut febri quartana et simili. 4. Religosi, etiam quoad censuras ante ingressum in Religionem incursas. Possunt namque a prælatis suis vel horum delegato absolvi, nisi tamen excessus extiterit difficilis et enormis. 5. Impuberes, etsi absolutionem petant pubertatem adepti. 6. Filiifamilias. 7. Ad carcerem perpetuum damnati. 8. Obstricti cura alendi familiam ejusve bona administrandi, vel gerendi publicum officium, quod non possit derelinqui sine publico detrimento. 9. Collegialiter viventes, ut milites, seminaristæ, etc. 10. Pauperes, qui non sint mendici vagabundi. 11. Cæteri omnes, qui Romam proficisci nequeant sine gravi suo vel suorum damno sive *temporali*, sive *spirituali*. Hi omnes censentur *perpetuo* impediti, nisi spes *fundata* adsit, fore ut intra decennium, aut juxta alios quinquennium, Romam *facile* adire possint ; nec per litteras aut procuratorem Romam tunc adire tenentur.

Si impedimentum *temporaneum* sit, i. e. decennio aut quinquennio (non tamen semestri) brevius, Episcopus absolvere potest indirecte, cum onere et præstito juramento, impedimento sublato, se sistendi Papæ vel facultatem ab eo habenti. Quodsi necessitas adsit celebrandi vel communicandi, et ob temporis angustiam vel aliis de causis ne ad Episcopum quidem pœnitens recurrere possit, a quocumque confessario absolvi poterit cum onere tamen, ut supra, se sistendi Episcopo.[2]

3) Quibus præterea in casibus S^ae^ Sedi, etiam *speciali modo*, reservatis et licet *publicis*, extra casum quoque impedimenti hujusmodi, Episcopi *nostri*, vi facultatum specialium, absolvere possint, vide p. LXXI. n. 15. 16.

[1] L. VI. 588. H. A. Tr. XVI. 135. Cfr. Vind. p. 525. Ed. 2^a^. T. II. p. 141.

[2] L. VI. 589. Cfr. Vind. p. 533. Ed. 2^a^. T. II. p. 151.

[3] L. VI. 583.

[1] L. V. Decr. T. XXXIX. c. 29.

[2] L. VII. 84–92. H. A. Tr. XX. 40–45. Cfr. supra p. LXXXI. 5. 6 et Vind. p. 562. Ed. 2^a^. T. II. p. 182.

III. Confessarius quilibet, etiam Regularis, absolvere non potest a casibus *proprie episcopalibus*, nisi ab Episcopo ipso facultatem acceperit, etiamsi absolvere posset a quibuscumque casibus Papæ reservatis. — Ita Clemens X. in Bulla *Superna*.

IV. Nulla est reservatio in mortis sive *articulo*, sive *periculo*, puta in naufragio, prælio et similibus adjunctis. Requiritur tamen ut moribundus, si compos suî sit: a) Absolutionem petat. b) Scandalum, si quod publice dederit, meliori, quo tunc poterit, modo reparet. c) Parti læsæ (nisi hæc injuriæ reparationem potuerit et voluerit remittere), — v. g. ecclesiæ, cujus bona, fidei suæ (*trust*) commissa, usurpavit, — prius satisfaciat, vel, si id tunc nequeat, sufficientem cautionem præbeat, aut saltem, si eam tunc præstare non possit, juret se, ut primum poterit, satisfacturum. d) Si peccato reservato annexa est censura, a quâ sacerdos absolvere non possit, promittat sese præsentaturum superiori habenti facultatem, si convaluerit; secus in eamdem reincidit censuram. e) Si sermo sit de crimine valde enormi, ante absolutionem juret de eo non amplius perpetrando.[1]

1403. Quæsita. — Quær. 1° *An aliquando simplex confessarius possit absolvere a reservatis, etiam extra mortis periculum?*

Resp. Affirm., si Episcopus aut facultatem habens nequeat facile adiri, et ex alia parte adsit, vel 1° periculum infamiæ aut scandali ex omissione celebrationis Missæ vel Communionis, vel 2° necessitas implendi præceptum annuæ Confessionis vel Communionis, vel 3° timor, ne pœnitens remaneat diu in statu peccati mortalis. Absolutio tamen illa quoad reservata *indirecta* tantum est, i. e. tenetur pœnitens se postea præsentare facultatem habenti (*practice* eidem confessario, postquam hic facultatem ab Episcopo obtinuerit); at, si non habeat alia mortalia quam reservata, ac, prout ordinarie contingit, dubitet de contritione perfecta, tenetur accusare vel veniale aliquod, vel mortale aliàs confessum, quin et ipsum reservatum, si in id recidivus sit, vel in occasione proxima in illud relabendi.[1]

Quær. 2° *Quomodo* præterea *tollatur reservatio?*

Resp. 1° Tollitur *indirecte* (vide Resp. ad Quæs. 1[um]), si quis validam Confessionem *bona fide* apud non habentem facultatem instituit,[2] dummodo aliud peccatum non reservatum clavibus subjiciat.

Resp. 2° Tollitur *directe:* a) Excepto jubilæo, per Confessionem, licet nullam aut etiam sacrilegam, factam tamen habenti facultatem et in quâ reservatum accusatur.[3]

b) Per Confessionem validam factam habenti facultatem, licet pœnitens casus reservati, inculpabiliter tamen, obliviscatur. Ita ut probabile S. Alph., excepto casu, in quo positive præsumitur quod, si facultatem habens audivisset peccatum, absolutionem distulisset.[4]

c) Per Confessionem peccati *dubie* reservati factam non habenti facultatem, etiamsi pœnitens illud postea agnoscat ut *certum*. Hoc igitur in casu postea non tenetur adire Superiorem vel habentem facultatem.[5]

Quær. 3° *An habens peccata reservata et non reservata teneatur in Confessione accusare etiam reservata?*

Resp. Neg. probabilius, per se. Ratio est, quia aliàs teneretur bis peccata illa confiteri, scilicet inferiori et Superiori. Dixi: *per se*, seu nisi recidivus sit in reservato, vel in occasione proxima in illud relabendi, ut supra ad q. 1° dictum est.[6]

Quær. 4° *An inferior absolvere possit moribundum a reservatis, præsente Superiore, aut alio facultatem habente?*

Resp. 1° *Affirm.*, si casus sint *pure reservati*. Ratio est, quia in articulo mortis nulla est reservatio.

Resp. 2° *Neg.* quoad peccata cum censuris reservata; quia, cum certum sit moribundum, si convaluerit, teneri Superiorem adire, per hunc, si *præsens* sit, a censuris absolvendus est.[7]

[1] Trid. Sess. 14. de Sacr. Pœn. c. 7. Rit. Rom. L. V. Decr. T. XXXIX. c. 10. 11. L. V. T. XI. c. 22 in 6°. S. Alph. L. VI. 537. q. VII. L. VII. 120. 121. 127 – 130. Scav. T. I. n. 835.

[1] L. VI. 265. 585. Cfr. Vind. p. 554. Ed. 2[a]. T. II. p. 173.
[2] L. VI. 596. q. I.
[3] Ib. 598. q. III. IV.
[4] Ib. 597. Cfr. Vind. p. 572. Ed. 2[a]. T. II. p. 193.
[5] L. VI. 600.
[6] Ib. 265. q. II. 585. Dub. 3.
[7] H. A. Tr. XVI. 96. L. VI. 563. 567.

Quær. 5° *An requiratur venia Episcopi ad absolvendum moribundum a casibus papalibus, si facile peti possit?*

Resp. Neg., juxta sententiam *communiorem* et *probabiliorem*, tum ob manifestationis periculum, quod non tam remotum est, tum quod legitime impeditus censeatur quicumque Superiorem *personaliter* adire nequit.[1]

Quær. 6° *An possit Superior absolvere pœnitentem a reservatis, et eum remittere ad inferiorem pro absolutione non reservatorum?*

Resp. Id non videtur improbabile casu (sane rarissimo), quo Superior, a) non posset se expedire ab aliquo negotio gravissimo, b) necessarium judicaret *personaliter* audire reservatum, et c) pœnitens esset in necessitate communicandi et nollet eadem peccata bis confiteri.[2]

Quær. 7° *An absolvi possint peregrini a censuris episcopalibus, quas in propria diœcesi incurrerunt?*

Resp. Neg., si agatur de censuris ab homine per sententiam particularem, ut dicetur in Tract. *de Censuris*. Secus *affirm.* Cfr. n. 1401. q. 4°.

APPENDIX I.

DE ABSOLUTIONE PROPRII COMPLICIS IN PECCATO TURPI.

1404. — I. Nullus confessarius absolvere potest complicem suum, i. e. socium et participem in peccato turpi. Constat ex Constitutione Benedicti XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 junii 1741.— Item ex alia Constitutione ejusdem Pontificis: *Apostolici muneris*, 8 febr. 1745.

II. Confessarius caret omni jurisdictione ad absolvendum complicem quoad peccatum, cujus fuit particeps. Infertur ex verbis expressis Bullæ, in qua dicitur: "Sublata præterea illi ipso jure quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam."

1405. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quid veniat nomine peccati turpis?*

Resp. Omne peccatum grave contra Sextum Decalogi Præceptum, etiamsi non sit copula consummatum; imo licet sit solus tactus turpis, aut colloquium inhonestum.

Requiritur autem, ut ex *utraque* parte adsit peccatum *certo* mortale, non modo *internum*, sed etiam *externum*, quatenus mutuum, seu ex utraque parte simul exterius manifestatum.[1]

Quær. 2° *An nomine complicis veniant non solum mulieres, sed etiam viri?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia verba Bullæ sunt omnino generalia; in ea enim dicitur: "Qui Confessionem Sacramentalem personæ complicis in peccato turpi contra Sextum Præceptum excipere audeat." Ergo Constitutionis dispositio ad sexum muliebrem non est restringenda.— Ita *communiter*.

Quær. 3° *An sacerdos possit absolvere complicem in articulo vel periculo mortis?*

Resp. Affirm., si non possit advocari alius sacerdos, qui munus confessarii obire possit; secus vero, si adsit sacerdos alter, etiam non approbatus, qui Confessionem excipere queat.

Quær. 4° *An sacerdos possit absolvere complicem in morte, si alius nequeat advocari vel accedere sine infamia aut scandalo?*

Resp. Affirm. Tenetur tamen sacerdos complex talia infamiæ vel scandali pericula præcavere, si possit, v. g. aliquo prætextu discedendo, etc. Secus pœnas non evadet, licet absolutio sit valida. Constat ex Const. Bened. XIV.[2]

Quær. 5° *An sacerdos possit absolvere complicem in morte, si hic alteri confiteri recuset?*

Resp. Affirm., si aliunde sit dispositus, *ne* scilicet *pereat*, aut saltem ne ejus æterna salus periclitetur. Cfr. n. 1402. IV.

Quær. 6° *An sacerdos absolvere possit complicem ab aliis peccatis sibi extraneis, postquam ille semel ab alio fuit absolutus?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia caret tantum jurisdictione in hunc pœnitentem quoad peccatum, cujus ipse fuit particeps; ergo, deleto illo peccato per absolutionem ab alio impertitam, jam cessat prohibitio, nec deest jurisdictio.[3]— Excipe: I. si pœnitens ab hoc peccato per alium confessarium, vel 1) solummodo indirecte (v. g. ob oblivionem inculpabilem dicti peccati tur-

[1] L. VI. 563. Dub. III. [2] Ib. 595.

[1] L. VI. 554. Ib. 553.
[3] Ib. 555.

pis), vel 2) invalide absolutus sit.[1] II. Si sacerdos ille a censuris et pœnis, quas ob attentatam complicis absolutionem incurrit, absolutus fuerit vi facultatis, p. LXXI. Nota 2 relatæ, sub onere scilicet omnino abstinendi ab audiendis complicis Confessionibus. — Absolutio tamen, quam dedisset confessarius cum hoc onere absolutus, non *ipso jure* invalida foret; nam ex hoc præcise, quod lex seu præceptum Superioris aliquem actum fieri *prohibeat* (nisi exprimat, quod eo ipso velit etiam irrito et nulliter fieri), actus non debet censeri nullus in conscientia. III. Secundum aliquos, si pœnitens illud ipsum peccatum, ex quo complicitas oritur, jam alii confessum iterum complici tamquam materiam *sufficientem* confiteatur, quin aliam materiam addat: verba enim (dicunt) Constitutionis sunt omnino peremptoria. Ita Gousset,[2] et Pruner.[3] Hæc tamen exceptio, licet hic utiliter allegetur, ad quæstionem non pertinet. S. Alphonsus hanc præcise quæstionem non tractat.

Verum, si quis pudor maneat in sacerdote, qui miseranda fragilitate peccatum turpe cum alio patraverit, si quis honor Sacramento debitus, nunquam in posterum complicis Confessionem excipiet. Insuper periculum novi lapsus, aut saltem gravis tentationis in directione talis pœnitentis facile subesse potest. Avertendi igitur sunt fideles, quoad fieri potest, ne unquam in posterum, secluso necessitatis casu, confessarium adeant peccati complicem. Vide idem monitum datum n. 1365. q. 4°.

1406. — *Resolves:*

1° Confessarius *invalide* absolvit pœnitentem:

a) Cum quo convenit de seducenda muliere, licet hanc postea non seduxerit; quia verificatur, hunc pœnitentem esse socium conventionis iniquæ contra castitatem.

b) A quo solum audivit turpes sermones, si ostendit eos sibi placere; quia *exterius* sibi complacendo de illis participavit, ideoque est complex peccati turpis.

c) Quocum peccavit contra castitatem, antequam esset sacerdos vel clericus; quia semper verum est, complicem esse, ideoque ei auferri omnem jurisdictionem. Negant tamen alii, v. g. Pruner.[1]

d) Impuberem complicem; quia prohibitio facta confessario absolvendi complicem reservationis rationem non habet, cum ipsi, non aliis confessariis, potestas absolvendi auferatur; nec est certum quod impubertas eximat a reservatione.

2° Confessarius *valide* absolvit:

a) Puellam, quam dormientem vel reluctantem impudice tangit, vel a quâ dormiens aut reluctans tangitur (etsi omnino non deberet illam audire, ne in periculum gravius vel formaliter peccandi se conjiciat); quia non absolvit a peccato complicitatis.

b) Mulierem, cum qua intercessit osculum obcunter datum aut tactus momentaneus manuum vel honestarum partium ex joco vel levitate. — Idem est, si confessarius puellam manu, brachio vel collo prehendat, atque ipse quidem patiatur delectationem venereamex sua parte, etiam exterius declaratam, si nullam excitet in pœnitente. Idem, si sacerdos induceret fœminam ad credendum, nullum esse peccatum, si turpiter ab ipso tangi se sineret; et ea, ab ipso decepta, bona fide se turpiter tangi pateretur, quin formaliter peccaret. In his enim casibus vel non adest peccatum *certo* mortale, vel non adest ex *utraque* parte.

c) Idem resolve, si motio, quamtumvis carnalis, et utrinque orta, utrique sit personalis et respective incognita. Ratio est, quia, ut adsit peccatum complicis, non sufficit unitas temporis, quo uterque peccet, sed requiritur unitas moralis actionis, seu communicatio in una moraliter actione.

d) Idem resolve, si agatur de mortali interne vel externe dubio, eoque sive ex utriusque sive ex alterutrius parte taliter dubio.

Nota. — Salvo meliori, omnino dissentimus ab aliquibus, qui opinantur valide absolvi complicem, si *inadvertenter* absolveretur; neque enim Ben. XIV., *præsumptionem* et *temerarium ausum* requirens, ea requirit ut absolutio sit nulla, sed ut incurratur excommunicatio. — Nec cum iis facimus, qui putant valide, licet indirecte tantum, absolvi posse complicem peccatum complicitatis inculpabiliter obliviscentem, aut in alia quacumque necessitate versantem quam ea, quæ ex periculo mortis oritur; nam casus complicis non

[1] Scav. t. III. n. 494. sub 7. 8.
[2] n. 489.
[3] Diss. de Jurisd. C. 1. art. 9. 5°.

[1] Diss. de Jurisd. C. 1. art. 9. 5°.

est proprie casus reservatus, sed casus, in quo *omnis* jurisdictio confessario in complicem adimitur, solo mortis periculo excepto; exceptio autem firmat regulam.

De excommunicatione, quam incurrit complicem absolvens, vide in Tr. *de Censuris*.

APPENDIX II.

DE SOLLICITATIONE IN CONFESSIONE.

1407. — I. *Quandonam sollicitationis hujus crimen existat.* — Agitur hic de abusu *Sacramenti Pœnitentiæ* ad turpia, — non vero de abusu *aliorum Sacramentorum* ad turpia, nec de abusu ejusdem Pœnitentiæ Sacramenti ad *alia* peccata, quamvis gravissima (vide Resp. S. C. O. a. 1661 ad Dub. 10. 11. p. LXI.). Ideo autem ob hanc *solam* materiam venerearn obligatio denuntiandi sollicitantes imposita videtur, quia ob fragilitatem naturæ frequentius hæc sollicitatio contingere et majus in eam consentiendi periculum existere potest.[1] Jam quæritur: A) Quid intelligatur per *inhonesta* et *turpia*, ad quæ fit sollicitatio? B) Quo actu *sollicitatio* perficiatur? C) Qualis nexus sollicitationem inter et Sacramentum Pœnitentiae intervenire oporteat, ut revera et ex mente legislatoris sollicitatio *abusus Sacramenti* sit?

1408. — Ad A). Per peccata *inhonesta* et *turpia*, ad quæ fit sollicitatio, intelliguntur omnes actus *externi libidinosi* seù actus luxuriæ, quo spectant etiam actus *vel* ex sua natura, *vel* ex particulari dispositione complicis, *vel* ex intentione operantis, aliunde satis manifestata (signo v. g. aut verbo), inductivi ad vehementem commotionem spirituum genitalium.[2] Sollicitans ad actus tantum venialiter *inhonestos*, adeoque *non venereos* (nam in his non datur parvitas materiæ. Vide n. 484. 485 et Resp. S. C. O. a. 1661 ad Dub. 3. p. LX.) non est denuntiandus, quia sollicitatio debet esse peccatum grave. Excipe, si ex circumstantiis certe conjiceretur, sacerdotem actu de se leviter malo animum habuisse procedendi ad gravia.[3]

Confessarius, *consentiens tantum* mulieri sollicitanti in Confessione, non quidem eximitur a peccato inhonesti tractatus in confessionario; non improbabiliter tamen eximitur pœnitens ab obligatione denuntiationis; secus, si sollicitatio fuit mutua, sc. si confessarius a pœnitente ad unam turpitudinis speciem sollicitatus, ad aliam sollicitat mulierem, aut cum confessarius a pœnitente sollicitatus prius dissentit vel sermonem divertit, et deinde post aliquod intervallum illam sollicitat (vide p. LX. 2. p. LXII. 2). Quando autem cooperatio confessarii dicenda sit simplex consensio, quando vero mutua sollicitatio, pendet a circumstantiis sermonis et tractatus, qui inter confessarium et pœnitentem intercedunt.[1]

1409. — Ad B). *Sollicitatio* ad turpia adest, si *confessarius* (vel etiam sacerdos carens jurisdictione, at hic in Confessione[2]) sollicitat sive marem, sive fœminam ad peccandum sive secum, sive cum alio; nec refert utrum ipsam pœnitentem sollicitet, an, mediante pœnitente, aliam quampiam personam. Præterea sollicitatio hujusmodi ex parte confessarii fieri potest vel *immediate*, v. g. verbis obscœnis, vel *mediate*, puta per chartam postmodum a pœnitente legendam;[3] et habenda est ut *completa*, sive pœnitens reapse ad peccatum pertrahatur, sive resistat, dummodo ponatur medium aptum alliciendi ad actus inhonestos:[4] nec refert, medium appositum in se malum sit, an indifferens, dummodo ex circumstantiis postea cognoscatur id ad sollicitandum adhibitum fuisse, puta si confessarius mulieri hoc animo intimet, ut exspectet eum domi, vel eam eodem hoc animo interroget ubi habitet.[5]

1410. — Ad C). Sollicitatio vero ejusmodi, ut sit *abusus Sacramenti*, oportet, ut, modo a lege determinato, relatio aliqua intercedat *vel* ipsam inter et Confessionem, *vel* ipsam inter et locum, ubi Confessiones excipiuntur.[6]

a) *Relatio requisita ad Confessionem* adest, si sollicitatio fiat:

1 L. VI. 684.
2 Amort. Tr. XIII. § 24. q. 5.
3 L. VI. 683.

1 L. VI. 681. Cfr. Vind. p. 579. Ed. 2ª. T. II. p. 201.
2 Resp. S. C. O. a. 1661 ad Dub. 5. p. LX. Instr. S. C. O. a. 1867 sub 2. p. LXII.
3 Prop. 6 ab Alex. VII. damn. p. XIII. Cfr. Resp. S. C. O. a. 1661 ad Dub. 1. p. LX.
4 Viva, theol. trutina damn. thes. 7. n. 4.
5 L. VI. 676.
6 Ib. 676–680.

1) In *actu sacramentalis Confessionis* incœptæ, licet non perfectæ; vel

2) *Immediate ante eam*, ut si confessarius immediate postquam pœnitens petiit Confessionem, utatur petitione illa ut medio ad sollicitandum; vel

3) *Immediate post*, quando sc. post Confessionem nec confessarius, nec pœnitens ad alia divertit, ita ut eveniat sollicitatio, antequam ulla alia actio intercedat, — vel si confessarius statim post Confessionem ducat puerum in cubiculum et sollicitet, quia tunc statim ponit, si non sollicitationem, saltem illius medium; vel

4) *Occasione Confessionis* (veræ), v. g. si confessarius rogatus ad Confessionem divertit et sollicitat, esto nondum sederit, nec mulier fuerit genuflexa, idque licet rogatus sit tantum a fœmina, ut postera die Confessionem ejus excipiat, dummodo tamen tunc sollicitatio fiat in Confessionali seu in loco Confessionis vel prætextu Confessionis (vide Resp. S. C. O. a. 1661 ad Dub. 4. p. LX.), — vel si ob fragilitatem mulieris ex ejus Confessione cognitam postea domi eam sollicitaverit, dummodo ex indiciis sufficienter constet, eum ex illa scientia, non aliis ex causis, ad id motum fuisse; vel

5) *Prætextu Confessionis* (fictæ), si confessarius ex pravo fine ficte invitat mulierem ad Confessionem et deinde sollicitat, vel fœminæ suadet, ut fingens se ægrotam eum ad peccandum accersat.

b) *Relatio ad locum, ubi Confessiones excipiuntur*, aderit, si actus prohibiti exerceantur:

1) *In confessionali* proprie dicto.

2) *In loco quocumque, ubi Confessiones excipi solent*, licet confessionale ibidem non inveniatur.

3) *In loco quocumque, quem confessarius ad Confessiones audiendas pro suo arbitrio elegit;* itaque etiam in agro, etc.

Ut autem obligatio denuntiandi ob circumstantias sub b) 2) et 3) enarratas enascatur, *simulatio Confessionis* accedat necesse est. Debet scil. sacerdos ita se gerere, ut merito credi possit, ipsum actu audire Confessionem, v. g. applicando aures. Hinc denuntiandus non est, qui sedens in confessionali sollicitat mulierem stantem ante confessionale, non simulando Confessionem. Vide Resp. S. C. O. a. 1661 ad Dub. 15. p. LXI. — Hæc tamen simulatio non requiritur, si sollicitat in confessionali personam, quæ pariter in eo invenitur; ad denuntiandum enim sufficit, ut ipse in confessionali de rebus turpibus agat, quin simulet Confessionem audire.

1411. — II. *Obligatio denuntiandi.* Confessarium sollicitationis reum S. Scdi vel Ordinario (Instr. S. C. O. a. 1867. 1. p. LXII.) denuntiari constitutiones Apostolicæ jubent. *Finis* vero denuntiationis est:

1) Ut, si persona denuntians sit persona aliunde valde honesta et fide digna, nec ullius malitiæ, vindictæ, aut inimicitiæ vel subornationis suspecta, et denuntiatus sit alioquin vir parum timoratus, ejusmodi denuntiatum faciat *suspectum*, ut ab Ordinario *observetur*. Cfr. Instr. S. C. O. a. 1867 sub. 11. p. LXIV.

2) Ut, si concurrant aliunde majora indicia ex parte denuntiati, v. g. suspecta aliunde conversatio, præbeant Ordinario motivum, prima vice adhibendi *monitionem paternam*, qua non imputet quidem crimen, sed hortetur ad cautelam, ita tamen ut personam denuntiantem non reddat suspectam denuntiato. "Ut plurimum" enim "non nisi a tertia denuntiatione" ad judicium "procedi solet." Instr. S. C. O. a. 1867 sub. 11. p. LXIV.

Inde intelligitur *finis adæquatus legis:* Pontifex nimirum rei *punitionem* potius quam ejus emendationem intendit, ad damnum scil. Ecclesiæ et scandalum reparandum,[1] sive, ut dicit Amort, finis non est emendatio personæ particularis, sed *securitas publica Sacramenti* et animarum, *ex castigatione certa* tam abominandi sceleris, et *ex metu indeclinabili* omnium confessariorum incurrendi gravissima supplicia, etiam actu unico aut semel tantum iterato; imo etiam *indemnitas Ecclesiæ*, ne scil. ejusmodi pestes ad officia publica subrepant, quo nihil est nocentius communi Ecclesiæ bono.[2]

Quare: a) *unaquæque persona* sollicitata omnino denuntiare tenetur, neque eximitur ab obligatione denuntiandi, quia alia denuntiavit.

b) *Confessarius iterum* denuntiari debet, si delinquat iterum, postquam ob primum

[1] L. VI. 686. [2] Amort. q. 19.

crimen fuerit punitus, vel de sollicitatione non fuerit plene convictus.[1]

c) Pœnitens tenetur denuntiare sollicitantem, *etiamsi* ex correctione moraliter *speret ejus emendationem*,[2] imo etiamsi fuerit certe emendatus.

d) Denuntiatio fieri debet, etiamsi sollicitatio *nequeat juridice probari*, vel crimen sit *occultum*, vel patratum a *longo* tempore. Nec dici potest, tam seram denuntiationem nullum posse habere effectum; forte enim ad complementum aliarum præcedentium denuntiationum de eodem confessario inserviet, aut cum aliis indiciis ad occludendam ejusmodi hypocritis januam ad dignitates, vel saltem ad terrorem perpetuum confessarii, ne iterata sollicitatione compleat mensuram peccatorum, cum sollicitationes etiam ante longum tempus commissæ aliquando evocari possint ad tribunal.[3] Postquam vero sollicitans e vita migraverit, denuntiandus non est, quia tunc cessat totalis finis legis, scil. tam emendatio quam punitio rei.[4]

e) Ad denuntiationem sollicitantis tenetur non solum persona sollicitata, sed etiam *omnis* hujus *delicti testis* sive de visu, sive de auditu, et quævis alia persona, quæ sollicitationem immediate vel mediate ex dictis ipsius sollicitantis, aut personæ sollicitatæ (dummodo hæc sit fide digna) extra Confessionem intellexerit.[5]

f) Persona sollicitata seu sollicitationis conscia *non excusatur* a denuntiatione ob *difficultates denuntiationi intrinsecas* et ferme communes, ut sunt verecundia sollicitatæ; timor orturæ contra se in judice suspicionis; periculum incommodi aut damni, quod leve sit respective ad personam denuntiantem et ad damna Ecclesiæ et animabus probabiliter timenda, vel periculum etiam gravis damni, sed quod non sit probabile; hæc enim ejusmodi non sunt, ut epikeiæ dent locum.[6]

1412. — Praxis Confessarii. a) Si *dubitatur*, an factum vel dictum confessarii fuerit vera sollicitatio, pœnitens ad denuntiationem non est obligandus, nisi vel 1) accedant indicia vehementia de sollicitatione, vel 2) verba de se præ se ferant sollicitationem et solum dubitetur, an confessarius ad malum finem ea protulerit.[1] Hujus regulæ applicationem vide in Resp. S. C. O. a. 1661 ad Dub. 12. 16. p. LXI.

b) Confessarius, *priusquam* personam sollicitatam *ad denuntiationem*, quæ est conditio absolutionis, *obliget*, serio *perpendere* debet, an hæc *persona fidem mereatur*; quia, si *gravis, justa* et *magnopere verisimilis* suspicio adsit, pluribus indiciis firmata, eam odio ductam aliquem presbyterum calumniari velle, non ad denuntiationem obliganda, sed potius de malitia sua redarguenda foret. In *omni* autem casu persona sollicitata de maximo crimine soli Summo Pontifici reservato, quod *per falsam denuntiationem* committeret, *edocenda* est.

c) *Abstineant* prorsus confessarii a *nomine* sollicitantis *inquirendo*, licet de circumstantiis necessario cognoscendis pœnitentem interrogare teneantur.

d) Quodsi confessarius pœnitentem certe sciat sollicitatam, eam, licet in bona fide existentem (Instr. S. C. O. a. 1867. 3. p. LXII.), sedulo *monere tenetur* de obligatione denuntiandi, *etiamsi certo prævideat*, sollicitatam *non* esse *denuntiaturam*.[2] — *Modum* etiam denuntiationis circumstantiis personæ, loci et temporis magis accommodatum *indicet*. Hac de re Amort[3] sequentes dat regulas: 1) Quando Episcopus vel Vicarius Generalis (loci, in quo moratur pœnitens, ait Kenrick[4]), est in vicinia, ita ut ab ipsa persona sollicitata facile adiri possit, tenetur denuntiare sollicitantem in persona propria, et dicere, quod N. N. Sacerdos, Parochus, Religiosus, eam sollicitaverit ad turpia in S. Confessionis Sacramento. 2) Si Ordinarius ob distantiam vel aliam causam (v. g. morbum sollicitatæ, etc.) convenienter adiri non possit, tenetur persona sollicitata sollicitantem denuntiare per epistolam, adscripto suo et sollicitantis nomine; litteræ vero hujusmodi ea omnino cautela et securitate transmittendæ sunt, ut de earum perditione nullus pru-

[1] L. VI. 687. Cfr. Resp. S. C. O. a. 1661 ad Dub. 13. p. LXI.
[2] L. VI. 701.
[3] Amort. l. c. q. 19.
[4] L. VI. 692.
[5] Amort. q. 11.
[6] Ib. q. 21.

[1] L. VI. n. 702. Prax. Conf. n. 83.
[2] L. VI. 615. 694.
[3] L. c. q. 12.
[4] Tr. XVIII. 245.

dens remaneat timor. 3) Si persona sollicitata ne per epistolam quidem possit denuntiare, adire tenetur decanum ruralem, vel confessarium, vel alium virum prudentem, qui ejus nomine ad Ordinarium, vel, per S. Pœnitentiariam aut S. C. Officii, ad S. Sedem scribat (Instr. S. C. O. a. 1867. 7. p. LXIII.). Attamen "*regulariter non expedit*, quod *confessarius assumat* in se hoc *onus deferendi* denuntiationem vice pœnitentis, vel eam excipiendi. . . . Cæterum non negamus, quod in aliquo casu, puta, si alicubi *publicum* immineret *damnum, nec alia pateret via* ad illud vitandum, posset confessarius obligari ex lege caritatis ad hujusmodi onus suscipiendum; sed hoc *raro* accidet." [1]

Quando facta fuerit ejusmodi denuntiatio, Ordinarius rescribet viro alicui ecclesiastico, cujus prudentiæ confidit, ut excipiat testimonium sollicitatæ sub juramento, idque cum suo testimonio de honestate et idoneitate denuntiantis ad Ordinarium remittat. Et hoc modo actus denuntiationis erit completus.

e) Denuntiatio ergo *nunquam anonyme* facienda est,[2] et quidem semper ad Episcopum vel ad Vicarium Generalem personaliter, non ad officium Ordinariatus, dirigenda est.

Caveant diligenter confessarii, ne pœnitentibus sollicitatis Sacramentalem *absolutionem impertiant, nisi prius* denuntiationem ad effectum perducentes delinquentem competenti judici *indicaverint*.[3] Cum enim denuntiatio sit res valde ardua, confessarius promissionibus pœnitentis se nimis credulum præbere non debet, et sollicitatæ absolvi *regulariter* non possunt, *nisi facta prius denuntiatione:* quod si adsit impedimentum statim faciendi denuntiationem, debent saltem esse paratæ ad denuntiandum quamprimum; aliàs peccant graviter et incidunt in excommunicationem.[4] Impedimentum autem aderit, si adsit *justa causa* (Instr. S. C. O. a. 1867. 5. p. LXII.) illam differendi, — nempe si Episcopus, Vicarius Generalis, etc., longe distent, vel si sit necessitas communicandi ad vitandum scandalum vel lucrandum jubilæum, — et possit credi personæ, quod sit denuntiatura.[1] Quod si pœnitens non sit persona fidelis et timorata, de qua credi possit eam suæ obligationi satisfacturam, — vel, etiamsi de firmo personæ proposito illico denuntiandi jure dubitari non posset, nullum tamen grave inconveniens esset in differenda absolutione, — absolutionis dilatione ad denuntiationem quam primum faciendam stimulanda erit.

f) Si persona certe sollicitata denuntiationem *recusaverit*, recusationis *causam inquirere* debet confessarius, et, in quantum potest, *auferre*. Ad eximendum v. g. denuntiantibus *metum infamiæ* dicere poterit: Mulier denuntians a judice ecclesiastico non accipitur ut complex, sed ut testis; nec tenetur manifestare suum consensum, imo de eo nec interrogari potest a judice; quod si ex simplicitate declaret se consensisse, id in tabulis non notatur (Instr. S. C. O. a. 1867. 6. p. LXIII.). Nec est denuntianti infamiæ periculum; quia, si confessarius denuntiatus ad minuendum suum delictum coram judice ultro fateretur, se cum persona denuntiante ipsaque consentiente actus inhonestos peregisse, judex fidem confessario non habet, sed credit potius, id eum dicere ad judicium evadendum aut pœnam minuendam. Ex alia parte mulier non tenetur suum manifestare consensum, nec judex de eo curat.[2]

Si pœnitens, propter *munera accepta* vel *accipienda*, dicat se gratitudine vel necessitate a denuntiando impediri, aut alias insufficientes excusationes afferat, confessarius eam serio moneat de gravitate sacrilegii, de obligatione obediendi ecclesiasticis legibus ad præcavenda maxima scandala et damna latis, — necnon de pœna excommunicationis, quam persona sollicitata, sollicitantem quam primum (i. e. infra mensem) absque legitima causa non denuntians, ipso facto incurrit, — nec facile admittat ea, quæ hujusmodi personæ afferre solent, ut ab onere denunciationis liberentur. Quodsi sollicitata, falsa *verecundia* vel *impia misericordia* ducta, nolit denuntiare sollicitantem, confessarius non absolvat eam, sed utpote indispositam dimittat.

[1] L. VI. 699.
[2] Instr. S. C. O. a. 1867. 6. p. LXIII.
[3] Bened. XIV. l. c.
[4] L. VI. 693. Prax. Conf. n. 83. Bened. XIV.

[1] L. VI. 693.
[2] Potesta apud Amort. l. c. q. 16. Cfr. L. VI. 700.

g) Sin autem confessarius comperiat, personam sollicitatam alioquin bene ad Pœnitentiæ Sacramentum dispositam esse, at *justam causam* habere *reluctandi*, propter *periculum* scil. *probabile gravis damni* in bonis famæ, fortunæ aut corporis, — vel ob panicum timorem, magnamve verecundiam nullo modo eo adduci posse, ut sollicitantem per se vel per confessarium denuntiet, tunc eam *non* quidem *absolvat*, sed alio commodo tempore ad *se* redire faciat; interea vero totum casum, tecto pœnitentis nomine et additis causis, quæ exemptionem ejus ab obligatione denuntiationis suadeant, *Episcopo exponat*: ut hic quod in Domino opportunum visum fuerit, declaret, aut desuper pro rerum conditione dispensationem a S. Pœnitentiaria expostulet (Instr. S. C. O. a. 1867. 7. p. LXIII.). S. enim Sedes aliquando facultatem confessario concedit dispensandi pro ea vice pœnitentem ab onere denuntiandi, præsertim si sollicitans emendatus jam fuerit et pœnitentiam egerit. Imo tunc, facta seria promissione de stando resolvendis, etiam in casu necessitatis statim absolvi poterit.[1]

Nota. — De modo procedendi in causis sollicitationis vide Instr. S. C. O. a. 1867. 8–16. p. LXIII. – LXV.

Etiam Regulares exempti locorum *Ordinariis* denuntiandi sunt, ut patet ex Const. Greg. XV. Cfr. n. 1202. O). 2°.

CAPUT II.

DE OFFICIO MINISTRI.

1° In Confessione; 2° post Confessionem.

ARTICULUS I.

DE OFFICIO MINISTRI IN CONFESSIONE.

Agendum 1° de muneribus confessarii in genere; 2° de ejus agendi ratione cum variis pœnitentium generibus.

§ I. *De muneribus confessarii.*

Quadruplex confessarii munus seu officium assignatur, scilicet 1° Patris; 2° Medici; 3° Doctoris; 4° Judicis.

[1] Cfr. Amort. q. 21.

Punctum I. De officio Patris.

1413. — Confessarius est pater spiritualis, qui spiritualem vitam pœnitenti tribuit, aut reficit et fovet; in tribunali enim Pœnitentiæ vices gerit optimi omnium parentis, nempe ipsius Christi, et ideo a pœnitentibus dulcissimo patris nomine appellatur. Illud autem quod in vero patris nomine imprimis eminet, est insignis et inexhausta caritas. Quænam enim dilectio patris dilectione fortior? Quænam verior, purior, castior, constantior, sollicitudine plenior et a proprio commodo magis aliena, imo et ad omne privationum et incommodorum genus paratior et promptior? Talis igitur esse debet confessarii caritas, ita ut *indutus viscera misericordiæ Christi Jesu, qui non venit vocare justos, sed peccatores, sciat* studiose, patienter et mansuete *cum peccatoribus agere.*[1] Sic, ut bonus pater, pro filiis spiritualibus omnia sustinebit: *Caritas enim patiens, . . . omnia suffert, . . . omnia sustinet.*[2]

Confessarius debet esse caritate plenus erga pœnitentes, tum in principio, tum in decursu, tum in fine Confessionis. De his audire juvat loquentem ipsum S. Alph.

1414. — I. *In principio Confessionis.* "Primo caritatem adhibere debet" (*confessarius*) "in benigne excipiendo omnes, sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint. Nonnulli solummodo tempus insumunt in audiendis Confessionibus aliquorum devotorum aut personarum spectabilium, quia, ut hos a se repellant, non est eis tantus animus. Si tamen ad se aliquis miserabilis peccator accedat, ægre auditur et conviciis oneratus arcetur: unde fit ut ille miser, postquam sibi maximam vim intulit, ut ad sua peccata confitenda veniret, se tam aspere acceptum sentiens, odium in Pœnitentiæ Sacramentum concipiat, et desperans se posse invenire, qui sibi opituletur et se absolvat a peccatis, in perditæ vitæ lubricum laxis habenis præceps ruat, et in salutis desperationem incidat. Secus boni confessarii agunt. Cum ad se hujusmodi peccatores confluunt, benigne hos accipiunt, et, quasi *victor capta præda*, exultant perpendentes sibi

[1] Leo XII. in Bulla pro Jubil. a. 1825.
[2] 1 Cor. 13. 4 sq.

sortem contigisse animam de manibus dæmonis eripere. Sciunt, hoc Sacramentum proprie non pro justis fuisse institutum, sed pro peccatoribus; etenim veniales culpæ, ut remittantur, non indigent sacramentali absolutione, cum multis aliis modis deleri possint. Sciunt quoque Christum protestatum fuisse his verbis: *Non veni vocare justos, sed peccatores.*[1] Propterea confessarius caritatis viscera induens, quo magis animas peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatas reperiat, eo magis, ut Deo ipsas lucrifaciat, majore caritate eas amplectatur, eisque animum præbeat his aut similibus verbis: *Eia, frater, bono animo esto, noli timere; peccata tua impavide confitere. Aperi omnia confidenter, nullius te pudeat: nihil refert, si in omnes tuæ conscientiæ sinus non introspexeris; sufficit si ad interrogata respondeas. Age Deo gratias, qui te hucusque ad pœnitentiam expectavit. Nunc tibi mutanda est vita. Lætare, quia Deus certe omnia peccata, quantumvis ingentia, tibi remittit, si bonam habes voluntatem, ideoque te expectavit, ut tibi parceret: igitur hilari animo dic omnia, nihil involucris tegas.*[2]

1415. — II. *In decursu Confessionis.* "Caritatem longe majorem ostendere debet Confessionem excipiendo. Caveat, ne se impatientem aut tædio affectum exhibeat; nec ostendat admiratione percelli de peccatis, quæ narrantur; modo pœnitens non sit ita animo durus aut petulans, ut plura et atrociora peccata sine ullo rubore, et sine ulla displicentia animique sensu exponeret; quia tunc opus est pro viribus efficere, ut a pœnitente, quanta sit illorum deformitas et magnitudo, percipiatur; ideoque tunc acrior requiritur correctio, ut ipse a lethali lethargo expergefiat. Verum quidem est, quod . . . in *actu Confessionis* abstinere debent confessarii a correctione facienda, ne forte exterriti pœnitentes peccata reticeant; nihilominus hoc intelligitur regulariter loquendo: cæterum multoties expedit ad ulteriora non procedere, et statim pœnitentem corripere, præcipue cum confitetur peccatum valde enorme, aut, si ipse fuerit in aliquo vitio habituatus, ut peccati gravitatem comprehendat. Advertat tamen ne eum exasperet, nec perterreat. Quapropter, postquam eum, quantum opus fuerit, corripuerit, statim ei animum faciat ad reliqua peccata confitenda, dicens: *Eia, frater, visne ab hoc vitio resipiscere? Num ita est? Et quoniam hoc facere es paratus, esto animo hilari. Itaque enarra reliqua peccata, nihil reticens. Cave, quæso, ne sis aliquod sacrilegium commissurus; hoc enim esset maximum omnium peccatorum, quæ hucusque commisisti. Igitur dic omnia animo forti; vince teipsum: confitere omnia sincere: Deus enim paratus est tibi parcere.*"[1]

1416. — III. *In fine Confessionis.* "In fine Confessionis oportet quoque, ut confessarius vehementiori ardore ac studio incumbat, ut pœnitenti percipere faciat gravitatem et multitudinem ejus peccatorum, ac miserum damnationis statum, in quo reperitur; sed hoc semper maxima cum caritate fiat. Verumtamen est congruentius tunc verbis gravioribus uti, ut sic melius ad bonam mentis frugem redire possit; nihilominus efficere debet, ut pœnitens intelligat hoc, quod ei dicitur, non *ab animo irato*, sed *ex singulari amore et commiseratione* erga suam animam procedere, quod poterit hoc modo exprimi: *Fili mi, considerasne vitam damnati, quam duxisti? Percipisne malum, quod operatus es? Quid tibi mali fecit unquam Deus tuus, quem tu ita perdite contempsisti? Si Jesu Christo nullus fuisset tibi inimicior, potuisses cum illo te gerere pejorem? Sed, quæso, animadverte quis sit hic Jesus? Hic est ille, qui cum esset Deus, nullius egens, factus est homo propter te, voluit mori in cruce, ut te de inferno redimeret. Ah! fili, si interim mortuus esses, si in hac nocte, quo iturus fuisses? Ubi nunc esses? Esses in æterno igne inferni. Quid de te factum erit, si vitam hactenus ductam pergas in posterum vivere? Poteris sic salvari? Expergiscere et vide quod, nisi mores in melius mutes, jam sis damnatus. Quid boni ex tot peccatis tibi collegisti? Nonne consideras, quod duplicem infernum tibi paras, unum hic angoris et miseriæ, alterum illic pœnarum? Age, fili, averte a malo, desine peccare, et te totum in Dei brachia, quæ ad te suscipiendum sunt extensa, committe: sufficit quantum ei peccasti. Ego totis viribus et toto corde te adjuvare volo, veni ad me semper ac tibi*

[1] Marc. 11. 17. [2] Prax. Conf. n. 3.

[1] Prax. Conf. n. 4.

lubet, quoniam invenies patrem, qui te benigne suscipiet. En firmiter nunc statue, te sanctum velle effici. Per te stat. Deus enim semper paratus est, et ad hoc tibi hoc tempus impertitus est, ut avertas te a malo et facias bonum. O quam bonum est amicum habere Deum! etc." [1]

Ad caritatem Patris referri etiam potest monitum sequens Conc. Pl. Balt. II.[2]: "Ne qua mora confiteri volentes præpediat, pastores animarum enixe hortamur et obsecramus, ut apud confessionalia ad pœnitentes audiendos præsto sint singulis Sabbathis, Festorumque Vigiliis vespertino saltem tempore, et Dominicis festisque diebus mane ante primam Missam. . . . Sin autem fidelium numerus major sit, quam ut omnes, qui accedunt, uno die audire possit, alia etiam tempora, alios dies eligat, quos huic necessario operi impendat."

Punctum II. De officio Medici.

Confessarius est verus animarum medicus, cum ipsas variis peccati morbis eripere, pravis passionum affectibus adimere, et divinæ gratiæ restituere debeat. Confessarius igitur, ut peritus medicus, debet, 1° causam mali cognoscere; 2° illud sanare; 3° relapsum præcavere. Audiamus iterum S. Alphonsum.

1417. — I. *Confessarius debet causam morbi cognoscere.* "Confessario, ut sui pœnitentis infirmitatibus remediis opportunis occurrat, cognoscenda est origo et causa omnium spiritualium ejus morborum. Nonnulli . . . præter species et numerum peccatorum nihil aliud inquirunt: si pœnitentem dispositum vident, statim eum absolvunt; sin minus, quin unum verbum impendant, illico dimittunt, oculo retorto dicentes: *Discede a me, quia te absolvere non possum.* Aliter procedunt boni confessarii: hi enim prius investigare incipiunt morbi originem et gravitatem, interrogando de peccandi *consuetudine*, de *occasionibus*, de *tempore*, de *loco*, de *personis quibuscum*, *quo rerum concursu*. Sic enim melius poterunt pœnitentes corripere, eos ad absolutionem disponere, et remedia salutaria adjungere." [3]

1418. — II. *Debet morbum sanare.* "Cognita morbi origine et gravitate, confessarius procedat ad debitas animadversiones faciendas. Et quamvis ipse tanquam Pater debeat cum caritate pœnitentes auscultare, tamen ut medicus tenetur, quantum opus est, eos monere et corrigere, eos præsertim qui, multis mortalibus gravati, ad Pœnitentiæ Sacramentum *raro* accedunt. . . . Nec confessarius tunc debet attendere alios pœnitentes, qui ipsum circumstant. Nam, ut aiebat S. Franciscus Xaverius, melius est paucorum Confessiones rite factas audire, quam multorum inordinatas et sine fructu. Hic animadvertere oportet, quam perperam agant illi confessarii, qui, si pœnitentem indispositum nanciscuntur, ne cum illo aliquid insumant temporis, *statim* a se eum abire jubent. . . . Et parum refert, quod alii expectent aut inconfessi discedant; confessarius enim de hoc tantum, qui sibi nunc confitetur, non vero de aliis, in die judicii rationem reddere debet." [1] — Exceptionem ab hac regula menti S. Doctoris conformem puto casu, quo ex una parte turba adsit pœnitentium, qui, nisi nunc audiantur, non nisi post longum tempus reverti possint aut reversuri prævideantur, et ex altera parte pœnitens, qui longiori tempore eget, v. g. ob Confessionem generalem necessariam, facile reverti possit et cum fundamento reversurus speretur.

"Post debitas correctiones sive monitiones, præstat ut laboretur ad disponendum pœnitentem ad absolutionem per actus veri doloris et propositi; quocirca monitos esse volo confessarios, perpaucos esse illos pœnitentes, præsertim rudes, qui, præposito actu doloris, ad confitendum accedant. Nonnulli confessarii putant satis suo muneri fecisse, si dumtaxat hujusmodi pœnitentes sequenti modo interrogent: Eia, postulasne a Deo veniam de omnibus his (quod revera non est verus actus doloris)? An te pœnitet ex corde omnium peccatorum? et, nullo alio verbo interposito, absolutionem eis elargiuntur. Totum ab hoc aliud est bonorum confessariorum institutum. Hi enim in primis elaborant, ut pœnitentes (sermo est de iis qui lethalibus tenentur) verum dolorem et detestationem peccatorum concipiant. Et prius per attritionis actum eos præparant, v. g.: *Fili mi, ubi nunc esse deberes in*

[1] Prax. Conf. n. 5. [2] a. 291.
[3] Prax. Conf. n. 6.

[1] Prax. Conf. n. 7.

æternum? In inferno. Ah! in illo igne semper cruciandus esses! Nec tibi ulla spes amplius restaret ut illinc eripi posses! Ibi esses moraturus ab omnibus derelictus, a Deo rejectus per totam æternitatem! Igiturne te pœnitet te Deum offendisse propter infernum quem meruisti? . . . Postea curet ut eliciatur actus contritionis, hoc modo: *Fili mi, quid egisti? Peccasti in Deum summum et infinitum bonum; nullam illius rationem habuisti; avertisti faciem tuam ab eo: projecisti eum post tergum tuum; contempsisti amicitiam et gratiam ejus. Eia ergo, quia offendisti Deum, bonitatem infinitam, nunc ex toto corde te pœnitet? Detestare et odio habe, super omnia mala, omnes injurias, quibus immerito Deum tam bonum affecisti. Nonne jam promptus es millies mori, quam hæc in posterum committere?*" [1]

1419. — III. *Debet relapsum præcavere.* Relapsum præcavebit confessarius, assignando pœnitenti remedia morbo convenientia. Remedia autem vel generalia sunt, vel particularia.

1° Remedia *generalia* sunt 1) oratio pia et amor erga Deum; 2) invocatio frequens B. Mariæ Virginis, Sancti Angeli Custodis et Sancti Protectoris; 3) frequentia Sacramentorum et Confessio statim ac mortale aliquod commissum fuerit; 4) consideratio veritatum æternarum, præsertim mortis et finis ultimi, juxta illud: *Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis;* [2] 5) recordatio Dei præsentis, cum urget tentatio, dicendo: *Deus me videt;* 6) examen conscientiæ vespertinum cum animi dolore et proposito; 7) oratio mentalis et piæ lectiones, præsertim pro sacerdotibus.

2° Remedia *particularia* assignabuntur pro vitiorum diversitate: v. g. illi, qui aliquo odio tenetur, *insinuetur*, ut quotidie commendet Deo illum, quem odit, recitando pro ipso Orationem Dominicalem, etc. Et cum turbatur memoriâ injuriæ, reminiscatur contumeliarum, quibus ipse Deum affecit. — Illi, qui in peccata turpia lapsus est, injungatur ut otium vitet, malos socios et pravas occasiones fugiat. — Illi, qui habitum pravum per longum tempus contraxit in hoc vitio, præscribatur ut non solum vitet occasiones proximas, sed etiam quasdam remotas, quæ sibi tam debili sunt tanquam proximæ. Potissimum autem curet confessarius, ut hic frequenter communicet; quia Eucharistia dicitur: *Vinum germinans virgines.* Et sic de *aliis.*

Alia remedia assignabit confessarius pro sua prudentia, inspectis circumstantiis occasionum, personarum, etc. Prudentia enim est præcipua qualitas, quæ in medico eminere debet. — Vide S. Alph in Praxi Confessarii; [1] et in H. A.[2] Cfr. n. 1389.

[1] Prax. Conf. n. 10. [2] Eccl. 7. 40.

Punctum III. De officio Doctoris.

Confessarius, ut munus doctoris rite impleat, scientiam sufficientem habere debet, ut pœnitentes convenienter doceat.

SECTIO I.

DE SCIENTIA CONFESSARII.

1420. PRINCIPIA. — I. Confessarius tenetur sub gravi scire ea omnia, quæ ad munus suum rite obeundum requiruntur. — Ita *omnes* cum S. Alph., qui sic loquitur: "Affirmo *in statu damnationis* esse eum confessarium, qui sine sufficienti scientia ad Confessiones excipiendas se exponit." [3] Ratio est, quia secus hujusmodi confessarius se exponit evidenti periculo male fungendi tam gravi munere cum injuria Sacramenti, et magno animarum detrimento.

Idcirco Deus specialem scientiam a suis Ministris exigit, ut constat ex variis Sacræ Scripturæ verbis: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.*[4] — *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.*[5] — *Cæcus si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*[6] — *Væ vobis, duces cæci!*[7] — Constat etiam ex innumeris SS. Patrum testimoniis: "Nulla ars doceri præsumitur, nisi *intenta prius meditatione* discatur. Ab imperitis ergo magisterium pastorale suscipitur *in magna temeritate*, quoniam: *Ars artium est regimen animarum.*" — S. Gregor.[8] Cfr. dicta p. XCIII. sub IV.

[1] n. 15. 16. [2] Tr. XXI. 5. 6.
[3] H. A. Tr. XVI. 100. [4] Malach. 2. 7.
[5] Osee 4. 6. [6] Matth. 15. 14.
[7] Matth. 23. 16. [8] P. I. C. 1.

II. Confessarius tamen non tenetur:

1) Adeo perfectam scientiam habere, ut possit *semper statim* et *per seipsum* omnes occurrentes dubitationes solvere; sed sufficit, ut id possit in casibus communiter contingentibus, et de difficilioribus sciat saltem dubitare, ut libros consulat vel, debita venia (si ea opus habeat), doctos. Major enim scientia difficilius haberi potest, cum nec ipsi doctiores statim omnes casus solvere queant. Hinc in dubiis magis implicatis, præsertim si casus est publicus aut de facili publicandus, non solum consulendi sunt alii viri docti et majoris experientiæ, sed maxime Episcopus audiendus est, si tempus suppetat. — Aliquando etiam juvabit monitum, quod dat Lugo:[1] "Quando dandum est consilium in futurum, vel imponenda restitutio, aut prohibendus contractus dubius vel quid simile, si confessarius non potest per seipsum" (aut non statim) "id resolvere, erit bonum consilium, petere a pœnitente an sit paratus ad consulendos homines peritos et standum illorum judicio circa illud dubium" (aut ad se confessarium redire): "quod si pœnitens promittit, absolvat, dicendo illi obligationem, quam habet, consulendi aliquem vel aliquos de illo dubio" (aut ad se, confessarium redeundi). Nec etiam

2) Tenetur confessarius de singulis peccatis accusatis discernere an sint mortalia, necne; siquidem hoc sæpe impossibile est; sed sufficit ut singula audiat prout gesta sunt, et de illis judicet, tum juxta principia communia, tum juxta rerum adjuncta a pœnitente exposita, et remedium idoneum apponere noverit. Nec movere tunc confessarium debet, quod postea noscat certo, quod inter confitendum fuit ipsi incertum. Ad rem S. Alphonsus monet cum Suarez, quod licet in aliquo casu confessarius non discernat, quæ sint gravia vel levia; si tamen bona fide pœnitens dicit peccatum suum, Confessio valet; et quamvis postea advertatur fuisse mortale, non est cur repetatur in alia Confessione.[2] Nec

3) In omnibus eadem scientia requiritur, sed major vel minor pro diversitate locorum, pœnitentium et adjunctorum. Dicitur: a) *locorum*, et sic minor scientia requiritur in exiguis oppidulis. — Dicitur: b) *pœnitentium*, et sic pariter minor scientia exigitur ad audiendas Confessiones puerorum vel rusticorum, quam ad audiendos mercatores, judices, etc., qui casus habent difficiliores. Ad Confessiones vero docti Theologi multo minor, quia potest confessarius instrui ab ipso pœnitente, dummodo tamen, adderem, hic timoratus sit, de quo non legitime suspiceris ipsum minus doctum elegisse, ut facilius absolvatur. — Dicitur: c) *adjunctorum;* nam sacerdotum penuria excusare poterit Episcopum, ut, si ob eam fideles secus per longum tempus confessario carere deberent, quemadmodum facilius in locis Missionum contingit, mittat ministrum minus sufficientem.

Minus sufficientes tamen tenentur sedulo studiis incumbere, et de hac obligatione ab Episcopo sunt monendi. — Lugo.[1]

Per se patet in articulo mortis, deficiente alio, sacerdotem etiam ignarum et indoctum debere Confessionem audire et absolvere.

1421. *Resolves.* — 1° Confessarius quilibet tenetur scire ea omnia quæ spectant ad valorem, substantiam, integritatem et effectum Sacramenti Pœnitentiæ, et quæ ad licitam ejus administrationem, tum ex parte suî, tum ex parte pœnitentis, requiruntur. Hinc etiam quæ sit differentia inter Confessionem simpliciter nullam seu invalidam et eam, quæ præterea est sacrilega.

2° Scire debet etiam obligationes communes et proprias statuum; varias peccatorum species; ipsorum adjuncta speciem mutantia; principia discernendi inter mortalia et venialia, et quænam sint mortalia et venialia in singulis præceptis, saltem juxta principia generalia et communem Theologorum sententiam. Item quinam sint actus validi et liciti. Ratio patet, quia illud cognoscat oportet, de quo judicare debet; alioquin æquum judicium ferre non poterit.

3° Cognoscere debet casus et censuras, a quibus absolvere non possit, et quoad eos vel eas, a quibus potest absolvere, quibus conditionibus id possit; impedimenta Matrimonii; conditiones contrac-

[1] Disp. 21. n. 71. S. Alph. L. VI. 627. H. A. Tr. XVI. 100.
[2] L. VI. 627.

[1] Disp. 21. n. 71. S. Alph. L. VI. 627. H. A. Tr. XVI. 100.

tuum ; varias causas restitutionis ; radices et occasiones peccatorum ; remedia ipsis afferenda ; satisfactiones salutares et convenientes imponendas, etc.

4° Peccat igitur confessarius, qui prædictam scientiam sibi deesse *certo* noverit, etiamsi ex sola caritate et obedientia Confessiones excipiat. Nec eum per se excusat approbatio Episcopi ; hæc enim non dat scientiam ex natura rei debitam, nec ejus defectum supplet.[1] Dixi : *certo noverit ;* nam qui dubitat de sua aptitudine, dubium deponere poterit, quando Prælatus, qui eum bene novit, imponit illi illud munus.

5° Peccat etiam Superior, qui *ignaro* confessario veniam dat Confessiones excipiendi, quia ejus peccato consentit atque cooperatur.

6° Peccat et ipse pœnitens, qui de industria ineptum eligit confessarium. Si quis tamen sit in bona fide, valida erit Confessio ; quia ex parte pœnitentis intervenit integra peccatorum declaratio et debita animi dispositio ; ex parte confessarii intervenit saltem cognitio peccatorum sub ratione confusa peccati, quod ad materiam Sacramenti sufficit.

7° Experientia non potest scientiam supplere, sed solum eam juvare ; ubi autem scientiæ præsidio destituatur, in errores plurimos, eosque gravissimos, temerarium confessarium impellet.

8° Confessarius igitur quilibet sedulo Theologiæ moralis studio incumbere tenetur ; et, ut asserit S. Alph.,[2] nunquam studium illud intermittere debet ; " quia ex tot rebus diversis et inter se disparibus, quæ ad hanc scientiam pertinent, multa, quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt ; qua de re oportet semper frequenti studio eas in mentem revocare."

9° Hinc patet quam graviter illi errent, qui scientiam Theologiæ moralis facilem et vix aliqua attentione dignam reputant, dictitantes casus fere omnes aliquo sensu communi, cum principiorum generalium notitia, solvi posse. — Apposite idem S. Alph. :[3] " Qui ad hoc munus excipiendi Confessiones inhiant, non facile sibi suadeant quod satis idoneos ad tantum munus se reddere possint sine diuturno studio scientiæ moralis, pro qua certe non sufficit aliquam percurrere summulam earum, quæ circumferuntur ; nec satis est generalia principia hujus facultatis scire, ut quidam, qui (Casuistas contemnentes) litteratorum arrogant sibi nomen, autumant. Moralis enim scientia non solum valde necessaria est christianæ reipublicæ, cum ex ea dependeat bonum regimen animarum ; sed etiam est summopere difficilis ; tum quia ipsa generalem notitiam requirit omnium aliarum scientiarum, officiorum et artium, tum quia tot diversas complectitur materias inter se dissitas ; tum quia in magna parte constat tot legibus positivis, quæ nonnisi apud Casuistas allatæ inveniuntur, et maxime apud recentiores, cum hujusmodi leges in dies prodeant. — Demum difficillima evadit propter innumeras casuum circumstantias, ex quibus resolutionum pendet variatio : nam ex circumstantiarum diversitate diversa applicanda sunt principia, et in hoc difficultas consistit, cum nequeat id fieri sine magna discussione, vel plurium accurata lectione librorum, qui res examinant et dilucidant."

[1] H. A. Tr. XVI. 100. [2] Ib.
[3] L. VI. 628.

SECTIO II.

DE OBLIGATIONE DOCENDI PŒNITENTES.

1422. PRINCIPIA. — I. Tenetur confessarius pœnitentes docere ea omnia, quæ pertinent ad Sacramentum hic et nunc rite suscipiendum. Ratio, quia, cum sacerdos sit minister Sacramenti, debet procurare ejus validam et licitam susceptionem, atque adeo tradere instructionem hic et nunc necessariam.

II. Debet docere pœnitentes, ubi advertat, quempiam aliquid ex iis ignorare, quæ necessaria sunt ad christiane vivendum, cujusmodi sunt v. g. obligationes ejus propriæ.[1]

III. Non tamen, *per se et stricte*, illos instruere tenetur de omnibus, quæ ipsi scire debent, et aliunde discere possunt. Ratio est, quia munus doctoris in confessario per se pertinet tantum ad rectam administrationem Sacramenti Pœnitentiæ. *Per accidens* tamen posset adesse obligatio ex caritate, quando difficillime hanc scientiam aut per se, aut per alium, pœnitens comparare sibi posset.[2]

[1] L. VI. 608 sq. [2] Ib.

IV. In docendo seu monendo pœnitente de gravitate peccati, quatuor has cautelas adhibeat confessarius:

1ª Ne ut mortale traducat id, de quo inter DD. utrinque probabiliter disputatur, utrum tale sit.

2ª Antequam pœnitenti suo faciat conscientiam de mortali, satis certus sit, quod rite intellexerit sensum verborum pœnitentis; non raro enim pœnitentes talibus utuntur expressionibus, quæ prima fronte videntur indicare mortalia, dum revera de mortali nullo modo agatur. Sic e. g. dum pœnitens dicit: *habeo odium contra meum vicinum*, agitur aliquando de sola displicentia et antipathia inevitabili propter aliquam injuriam acceptam. Idem quandoque accidit in puellis, quæ dicunt: *habui malas cogitationes; feci malos sermones cum aliis puellis; commissi immodestias*, etc.; — vel in pueris, qui dicunt: *feci res turpes*.

3ª Attendat, an peccatum a pœnitente vere commissum, vere etiam sit mortale. Sic imprudenter ageret confessarius, si, audiens pœnitentem se accusantem de aliquo peccato contra *Sextum Præceptum*, statim et in omni casu eum argueret de mortali. Quamvis enim verissimum sit principium in materia venerea non dari parvitatem materiæ, id tamen intelligendum est sensu, quo diximus n. 484. 485. Quapropter de peccatis luxuriæ non consummatæ loquentes cum S. Alphonso docuimus (n. 486–492 et 503. 3°) quædam, licet, ut plurimum, maxime inter personas diversi sexus, non sine mortali fiant, quandoque tamen sine mortali fieri, quia fiunt ob curiositatem, levitatem, etc., et seclusis periculo proximo consensus, gravi scandalo, intentione libidinosa (sub qua practice etiam venit intentio delectationis simpliciter sensibilis), et gravi influxu in pollutionem.

4ª Attendat, ne forte pœnitens sit in bona fide, quatenus scilicet id, quod facit, sit quidem in se peccatum mortale; sed ille putet se vel nihil mali facere vel venialiter peccare tantummodo.[1] Hac de re sint sequentia

1423. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sit semper monendus pœnitens laborans ignorantia circa aliquam obligationem?*

Resp. 1° *Affirm.*, si ignorantia videatur *vincibilis*, i. e. si confessarius animadvertat, pœnitentem ita dubitare, ut jam desit bona fides. Ratio, quia in admonitione facienda nullum imminet periculum; alioquin vero pœnitens cum eo dubio operans non immunis est a peccato.

Resp. 2° Si cujuspiam obligationis ignorantia sit *invincibilis*, monendus est pœnitens, si fructus ex admonitione speretur; secus vero, generatim loquendo, si non speretur. Ratio est, quia ex una parte hæc admonitio non prodesset, et ex altera ei obesset; siquidem admonitus in posterum formaliter peccaret.[1] Itaque si nullus damni timor adsit, facienda est.[2]

Monendus igitur est pœnitens, 1° quoties ipse interrogat de malitia alicujus rei; quia, cum de rei liceitate dubitet, in ignorantia invincibili jam non versatur, et quia taciturnitas confessarii sæpe esset erroris approbatio, quæ numquam licita est. Prudenter tamen confessarius responsionem non ultra id, de quo pœnitens interrogavit, extendet; 2° quoties silentium confessarii eum obfirmaret in proposito rei malæ peragendæ; 3° quoties ejus ignorantia versatur circa primaria principia juris naturalis, aut circa conclusiones eorum proximas; quia talis ignorantia, licet quoad conclusiones proximas possibilis sit (n. 167. q. 1°. Resp. 2°), diu invincibilis esse non potest; 4° quoties, monitione omissa, pœnitens in occasione proxima formaliter peccandi remansurus esset; 5° si damnum redundaret in *bonum commune*, ut e. g. in Parocho, Episcopo, confessario, etc., cum bonum publicum privato prævalere debeat. Spes præterea adest, pœnitentem, si a nemine absolvitur, tandem se emendaturum esse: deinde *publico* occurrendum est *scandalo*, inde e. g. orituro, quod pœnitentes dicerent talem rem non posse esse impiam vel iniquam, eo quod confessarii parum sint de ea solliciti, et nihil dicant; *raro* tandem talis ignorantia inculpabilis erit; 6° si pœnitens *brevi* monitioni obsecuturus sit, quamvis in principio non acquiescat; 7° si ignorantia versetur circa ea, quæ scienda sunt necessitate medii, ut patet ex dictis n. 257–259 et 1422. I.[3]

Quær. 2° *An monitio facienda sit in dubio utrum profutura sit vel obfutura?*

[1] Berardi, de Recid. n. 225–229.

[1] L. VI. 610. [2] Ib. 616. [3] Ib. 610. 615.

Resp. 1° *Affirm.*, si probabilius profutura sit; secus, si probabilius obfutura.[1]

Resp. 2° In dubio ex utraque parte æquali, generatim loquendo, potius vitanda sunt mala formalia, quam materialia.[2]

Quær. 3° *An conjux monendus sit de invaliditate Matrimonii ob occultum impedimentum, quod detegit confessarius ?*

Resp. Neg., generatim loquendo, donec confessarius dispensationem obtinuerit, nisi hæc statim et facile obtineri possit a Papa vel Episcopo. Ratio est, quia plerumque maxima inde sequerentur incommoda, v. g. periculum infamiæ, scandali, rixarum, vel incontinentiæ, etc., et proinde fornicatio *materialis* evaderet *formalis*. — Ita *communiter* cum S. Alph.[3]

An vero possit confessarius obligare conjugem, impedimenti ignarum et negantem debitum, ad illud reddendum? *Resp. affirmative.* Ratio est, quia, stante persuasione conjugis quod Matrimonium sit validum, hic tenetur debitum reddere, ut dictamen conscientiæ sequatur.[4] Tutius pœnitenti dicet in genere, quod ille nequit absolvi, si obligationi suæ satisfacere renuit, et quod jam scitur, conjugem teneri debitum reddere.[5]

Quær. 4° *An pœnitens, contracturus Matrimonium, de impedimento ignorato monendus sit ?*

Resp. Generatim loquendo, facienda est monitio. — Ita *communiter* cum S. Alph.[6] — Ratio est, quia post Matrimonium ignorantia cessare haud ægre potest, v. g. ex eo quod detegatur, adesse inter conjuges consanguinitatem, affinitatem, etc.; et tunc, præter facile periculum peccandi formaliter, alia gravissima incommoda sequi possunt, nempe scandala, rixæ, et forte etiam conjugum separatio, etc. — Excipe tamen *probabiliter* casum, in quo nullus omnino speretur fructus ex monitione, nec facile possit detegi impedimentum; quia melius est permittere peccatum materiale, donec dispensatio obtineatur, quam præbere occasionem certi peccati formalis.[7]

Nota. — Confessarius caveat ne sit vel nimis facilis, vel nimis difficilis in supponenda bona fide pœnitentis. Consilium sumat ex probabilibus conjecturis, desumptis v. g. a naturali pœnitentis ingenio, ab ejus instructione, ab ipsa natura peccati, et præcipue a pœnitentis ipsius verbis et expressionibus.

[1] L. VI. 616.
[2] Ib.
[3] Ib. 611.
[4] Ib. 611.
[5] H. A. Tr. XVI. 113.
[6] L. VI. 612.
[7] L. VI. 612.

Punctum IV. De officio Judicis.

Agendum 1° de causa instruenda; 2° de sententia ferenda.

SECTIO I.

DE CAUSA INSTRUENDA SEU DE OBLIGATIONE INTERROGANDI PŒNITENTES.

1424. — PRINCIPIUM I. Praxis nullas faciendi interrogationes non parum improbanda est, ob has præsertim rationes:

1ª est, quia praxis illa redundat in damnum animarum; nam: a) non pauca producere potest sacrilegia, quatenus multi sunt, qui, nisi interrogentur, peccata graviora non revelant. "Frequenter," ait S. Th.,[1] "quæ præ confusione pœnitens taceret, interrogatus revelat"; — b) multos sine opportunis remediis relinquit; confessarius enim non interrogans de consuetudine, de occasionibus, de causis peccatorum, de diligentia adhibita vel non adhibita ad emendationem, etc. (quæ quidem pœnitentes ut plurimum reticent), non poterit assignare congrua remedia ad relapsus præcavendos; — c) aliis etiam quam pœnitentibus nocet, quatenus pœnitentes, ut plurimum, se non accusant de scandalo, vel de omissionibus gravissimis in muneribus proprii status, v. g. in educatione et custodia filiorum; et sic, nisi interrogentur et congrue admoneantur, ab iisdem scandalis et omissionibus non cessant.

2ª est, quia redundat in præjudicium Sacramenti; nam: a) sæpissime præjudicat ejus integritati, ut si confessarius non interrogat pœnitentem hoc modo se accusantem: *Pater, turpia feci*, specie et numero non explicatis; — b) præjudicat etiam sæpe validitati; si enim confessarius non interrogat pœnitentes, v. g. an aliquam curam adhibuerint ad non relabendum, an remedia assignata impleverint, etc., numquam poterit prudenter judicare

[1] In IV. Dist. XIX. q. II. art. III. quæstiunc. III. solutio III.

an sint dispositi, vel an indigeant ferventiori exhortatione ut disponantur, et sic sæpe invalidas prorsus dabit absolutiones.

3ª est, quia opponitur sententiæ *concordi* Theologorum.

4ª est, quia opponitur authenticis Ecclesiæ regulis, ut patet ex Can. *Omnis*[1] et ex Rituali Romano.[2]

PRINCIPIUM II. Quum confessarius tria procurare debeat, i. e. validitatem Sacramenti, integritatem Confessionis, et curationem pœnitentis: ideo, *quoties rationabiliter præsumit vel prudenter dubitat* eorum, quæ ad illa requiruntur, aliquid non sufficienter fuisse declaratum, de illo inquirere tenetur. — Hinc:

1° Ad validitatem Sacramenti procurandam necessarium esse poterit interrogando investigare, — an adsit materia sufficiens, v. g. si agatur de imperfectionibus, vel de levibus culpis, quæ sæpe committuntur sine advertentia; — an pœnitens aliqua reticeat ex verecundia, prout *speciatim* accidit in pueris et puellis; — an adsit dispositio sufficiens, ad quam cognoscendam sæpe necessarium erit interrogare pœnitentem, v. g. an et quomodo post Confessionem a culpis abstinuerit; an et quomodo media præscripta adimpleverit.

2° Ad integritatem Confessionis necessarium esse poterit interrogare pœnitentem, — de numero peccatorum, — de eorumdem specie; — de circumstantiis speciem sive objectivam sive theologicam (n. 27) mutantibus; — de aliquibus peccatis, quæ solet ex inconsiderantia omnino reticere, v. g. peccata cogitationis, et peccata omissionis circa obligationes proprii status.

3° Ad curationem pœnitentis necessariæ esse possunt interrogationes, quibus innotescat, v. g. quales sint causæ peccatorum ejus, an scilicet proveniant ab aliqua occasione; a consuetudine quadam; a defectu custodiæ sensuum; a cogitationibus impuris, etc.

4° Non debet interrogari pœnitens de peccatis, de quibus non est verisimile quod ea commiserit; tunc enim deficit rationabilis præsumptio ac prudens dubium, non sufficienter declarari quæ declaranda sunt. — Ob contrariam vero præsumptionem "interrogetur de peccatis, quæ consueverunt in hominibus talis conditionis abundare."[1]

5° Si pœnitens videatur satis instructus, ut personæ devotæ, Religiosi, Ecclesiastici, *et* satis accuratus in suis peccatis explicandis, de nihilo est interrogandus,[2] nisi forte timeatur, ne aliquid reticeat ex verecundia; vel nisi necessarium sit aliquam superaddere interrogationem pro opportunis remediis ei assignandis. Ratio pro utraque parte resolutionis eadem est ac ea, quæ mox allegata est sub 4°.

PRINCIPIUM III. Interrogatio, ubi facienda est, sit *moderata, prudens, opportuna.*

1° *Moderata.* Hinc confessarius:

a) *Inutilia* non quærat umquam, nec sibi ea narrari patiatur.

b) Memor sit se non teneri interrogare pœnitentem, nisi cum diligentia *ordinaria.*

c) Meminerit præterea minus distinctam notitiam requiri "ab eo, qui vel propter incapacitatem, vel propter morbum, vel propter peccatorum multitudinem, vel aliam ob causam difficilius posset exactam notitiam reddere. . . . Et hæc est ratio, cur a meretrice et concubinario et similibus minus exacte et distincte petamus numerum peccatorum, quam si per mensem vel per hebdomadam solam e. g. in eo peccato fuissent."[3] Præterea "advertendum," ait S. Alph.,[4] "circa numerum peccatorum, quorum pravo habitu aliqui tenentur, cum non possit haberi numerus certus, curet confessarius statum pœnitentis cognoscere, nempe vivendi modum, applicationem quam impendit ad alia negotia, tempus consuetudinis cum complice, locum ubi potissimum moratus est; et deinde interroget de numero, interrogando pœnitentem, quoties circiter peccaverit in die, aut in hebdomada, aut mense, proponens ei plures numeros, e. g. ter aut quater, octies vel decies, ut videat cui numero potius ille adhæret. Et si pœnitens numero majori adhæret, optimum factu erit, si iterum interrogetur de numero majori. Sed in hoc confessarius advertat, ne formet de numero judicium certum; notet

[1] L. V. Decr. T. XXXVIII. c. 12.
[2] Ordo ministr. Sacram. Pœnit.

[1] S. Th. 4. d. 19. S. Alph. L. VI. 607. III. Prax. Conf. n. 19. 20. I.
[2] L. VI. 607. II.
[3] Lugo, Sect. 14. n. 594.
[4] Prax. Conf. n. 20. IV.

frequentiam in genere, et in confuso judicium faciat, apprehendendo peccata quot-quot sunt coram Deo. Aliqui Doctores dicunt, quod circa peccata interna habituatorum, ut sunt peccata odii, delectationum pravarum et desideriorum, sufficit plerumque interrogare de tempore, per quod duravit malus habitus; sed hoc mihi omnino non satisfacit, quia potest esse quod aliquis magis sit intentus ad externa negotia, aut moretur ubi sibi occurrent pauciores occasiones cogitationum pravarum; alius erit magis alia animi passione allectus; ideoque opus est interrogationes generales adhibere de propria applicatione, de loco, de animi inclinatione, etc., ut formet judicium majoris vel minoris frequentiæ actuum internorum."

d) Errant ii confessarii, qui a pueris, semifatuis, surdastris, balbutientibus, hominibus mentis confusæ (qui modo affirmant, modo negant ad eandem interrogationem) scire vellent quomodo res præcise se habeant. Porro hoc pacto, quanto magis interrogant, tanto minus intelligunt, et tanto magis pœnitentes et seipsos confundunt. Hinc scripsit S. Alph.:[1] "Post duas vel tres interrogationes, non debet angi confessarius, si ei judicium, quod facit, videtur esse nimis confusum; nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter impossibile est majorem claritatem sperare."

2° *Prudens.* De hac interrogationum qualitate mox latius agetur, ubi de interrogationibus circa *Sextum.*

3° *Opportuna.* Interrogatio scil. fieri debet tempore et modo, quo convenit. Hinc:

a) Quædam interrogationes faciendæ sunt ante Confessionem, sed paucæ, ne pœnitens offendatur: v. g. a quo tempore non sit confessus? an absolutus fuerit? an pœnitentiam impleverit? an non angatur circa vitam præteritam? Hæc tamen ultima interrogatio fieri debet tantum, quando pœnitens non est confessus a multo tempore, aut quando instituitur Confessio generalis a tempore determinato. — Quæstiones vero circa vitæ conditionem, statum, ætatem, etc., si hæc ex Confessione ipsa non patefiunt, convenientius, data in decursu Confessionis occasione, fient: sic enim ex una parte omnis suspicio curiositatis et levitatis vitabitur; ex altera vero facilius respondebit pœnitens, cum ipsius fiducia in confessarium magis increverit.

b) "Melius" est "si confessarius sigillatim examinet peccata statim ac ea exponit pœnitens, quam ut differat examen usque ad finem; quia aut faciliter confessarius obliviscitur eorum, quæ audivit, aut obligandus esset pœnitens cum suo gravi onere ad repetenda confessa."[1] Hoc tamen S. Alphonsi monitum, ex ipsius S. Doctoris mente, non valet, ubi agitur de Confessionibus facilioribus vel brevioribus, nec casu, quo pœnitens peccata sua accurate declarat. *Citra enim necessitatem* pœnitentis accusatio nullis interrogationibus, vel etiam monitionibus, interrumpenda, ne scil. timor inde vel confusio ei injiciatur.

c) Vehementer improbandi forent confessarii, qui pœnitentibus vix tempus concederent respondendi interrogationibus, eosque urgerent voce impatientis ingeminando: *Quid ultra? Scisne alia?* etc. Perturbarent enim et confunderent pœnitentem.

1425. — Principium IV. Interrogationes *circa peccata carnalia* debent esse: 1) necessariæ; 2) prudentes; 3) modestæ; 4) tales, quæ grave damnum confessario ipsi non afferant. Explico singula.

1) *Necessariæ*, i. e. debent fieri ex justa causa; nam absque justa causa illicitum est exponere — seipsum tentationibus, — pœnitentem iisdem tentationibus, ac præterea suspicioni, quod confessarius delectetur de talibus sermonibus, aut etiam quod sit practice versatus in hujusmodi, — Sacramentum, Religionem et Cœtum sacerdotalem vituperio, quatenus pœnitenti de facili detur occasio ridendi postea et jocandi de ineptis interrogationibus sibi factis.

Interrogationes autem sunt necessariæ, seu ex justa causa fiunt, si requiruntur, *vel* ad succurrendum verecundiæ pœnitentis, *vel* ad cognoscendum quænam remedia sint illi assignanda, *vel* ad procurandam integritatem, etiam materialem, Confessionis.

1° *Ad succurrendum verecundiæ pœnitentis.* Hæc facilius subesse poterit in pueris et adolescentibus. Ideo sapienter

[1] Prax. Conf. n. 20. IV.

[1] Prax. Conf. n. 20. II.

monet S. Alph.[1] "Multoties, etiamsi pueri negent," se turpia commisisse, "prodest uti cum eis interrogationibus suggestivis, v. g. *et nunc dic mihi, quoties hæc fecisti? Quinquies? decies?*" — Excedunt tamen ii confessarii, qui in omni Confessione faciunt et repetunt interrogationes ad succurrendum verecundiæ pœnitentis, etiam cum iis, de quibus *non est verisimile* quod turpia committant *et* illa reticeant. Imo, quamvis hæc adsit suspicio, a nimium repetitis et multiplicatis interrogationibus cavendum est. — Sed multo magis et modo valde pejori excedunt ii confessarii, qui, sub prætextu succurrendi verecundiæ pœnitentium, faciunt multas interrogationes particulares et minutas, *etiam* quando una vel altera, genericis verbis expressa, sufficeret.

2° *Ad cognoscendum quænam remedia sint adhibenda.* Ad hoc *ordinarie* sufficit inquirere, an peccata oriantur ab aliqua occasione, vel a malo habitu, vel a libertate sensuum, vel a pravis cogitationibus! — Dixi: ORDINARIE *sufficit;* quia si pœnitens posset jejunia aliasque macerationes adhibere (qui quidem casus rarior est), utile esset etiam scire an ejus peccata præcipue a motibus carnalibus, et an hi a constitutione corporis robustiore oriantur. Sed non est necesse circa istos motus *directe* interrogare; si enim pœnitens interrogetur an semper ruat in peccata propter malas cogitationes, ex ejus responsione arguere poterit confessarius, an causa peccatorum illius reponenda sit in cogitationibus mentis potius quam in motibus corporis.

3° *Ad procurandam integritatem, etiam materialem, Confessionis.* Ad hanc non tantum sufficiunt interrogationes, quæ sunt necessariæ ad cognoscendam speciem, et, *prout moraliter cognosci potest*, numerum peccatorum mortalium, sed et interrogationes de aliis præter speciem et numerum omnino improbandæ sunt. Hinc excedunt confessarii interrogantes: *sive* a) de circumstantiis dumtaxat aggravantibus; — *sive* b) de actibus imperfectis ad copulam præambulis vel statim post copulam factis, quando pœnitens de copula jam se accusat (n. 218. 4°; 222); — *sive* c) de modo, quo commissum fuit peccatum, si modus ille speciem non mutet; — *sive* d) de numero actuum imperfectorum, qui facti fuerunt in eodem impetu passionis (n. 220. *Nota*).

Dixi: *speciem et . . . numerum peccatorum* MORTALIUM; non enim oportet interrogare circa simplices tentationes, circa motus carnales, circa pollutiones involuntarias, circa leves inordinationes in usu Matrimonii, nisi *ex alio capite* bona urgeat ratio interrogandi circa aliqua ex istis. Hinc, si quis vano scrupulo commotus veniat ad Confessionem, dicens se turpia commisisse in puerili ætate sine cognitione malitiæ, et nunc velle ea accusare, eo quod nunquam fuerit illa confessus, confessarius illum docebit nullam adesse obligationem talia accusandi; si tamen pœnitens desideret ea ad majorem tranquillitatem patefacere, id ei permitti poterit; sed interrogationes adjicere non oportebit.

Nota. — In interrogandis pœnitentibus de specie peccatorum, ut norma sequendæ sunt distinctiones Theologorum, dummodo pœnitentes non sint tales, de quibus (*vel* propter puerilem ætatem, *vel* propter extraordinariam ignorantiam aut stupiditatem) non possit præsumi, quod illas speciales malitias formaliter contraxerint. Cfr. n. 199. *Resolves* 2°.

2) *Prudentes.* Theologi enim uno ore clamant, potius permitti debere, ut Confessioni desit integritas materialis, quam ut scandalum præbeatur pœnitentibus per imprudentes interrogationes. — Imprudens autem interrogatio ea est, quæ continet periculum ne malum potius quam bonum producat; et speciatim ne pœnitentes addiscant malitiam, quam forsan ignorant, et sic propter illam ipsam interrogationem peccare incipiant. Cfr. *Rit. Rom.*[1]

3) *Modestæ.* Modestæ autem non erunt, si confessarius utatur verbis nimis liberis, inverecundis, et pudori sacerdotali minime convenientibus.

Sed quibus expressionibus uti poterit confessarius in casibus particularibus, ut cum debita prudentia et modestia pœnitentes interroget?

En exempla aliqua particularia interrogationum pro aliquibus casibus in praxi sæpe occurrentibus.

Puella dicit: *jocos indecentes feci cum*

[1] Prax. Conf. n. 90.

[1] De Sacr. Pœn.

sorore in lecto; — Confessarius interroget: *hi tactus erantne valde turpes?*

Mulier conjugata dicit: *habui copulam modo præpostero.* — Confessarius interrogabit: *hoc modo potesne concipere prolem?*

Maritus dicit: *tango uxorem manibus;* — Confessarius interrogabit: *immorarisne in his tactibus, quin devenias ad actum conjugalem? Propter hos tactus accidítne effectus malus?*

Adolescens dicit: *turpia feci cum fratre in lecto;* — Ut confessarius intelligat, an adfuerit sodomia, quæret: *ergo tetigisti fratrem manibus?* Affirmative respondenti subjunget: *fecisti cum eo aliquid pejus?*

Vir dicit: *peccavi cum fœmina,* vel *dormivi cum fœmina,* vel *feci quod volui cum fœmina;* — hæc intelligenda sunt de copula perfecta, et ideo nulla interrogatio facienda est, nisi ad cognoscendum an ea fœmina fuerit conjugata, consanguinea, etc.

Vir conjugatus dicit: *turpia feci cum puella;* — Confessarius interrogabit eum, dicendo: *fecistine cum illa actum matrimonialem?*

Puella dicit: *turpia feci cum amasio;* — Confessarius subjunget: *fecistine hæc manibus, aut etiam modo pejori?* — Sic intelliget an adfuerit, necne, unio corporum, in qua adest malitia fornicationis. Si tamen confessarius videat necessitatem cognoscendi, an hæc fornicatio fuerit effective completa, poterit etiam dicere: *per id, quod fecisti, poterasne gravida fieri?* Affirmative respondentem potest insuper interrogare, dicendo, an revera remanserit gravida, ut contra abortus tentationes eam præmuniat, et ut meliori modo possibili scandalum impedire satagat.

Homo dicit: *habeo vitium tangendi fœminas;* — Confessarius subjungere poterit: *hi tactus suntne valde turpes?*

Mulier conjugata ait: *non bene feci actum matrimonialem;* — Confessarius dicere poterit: *eo modo, quo tu te geris cum marito, potesne concipere prolem?* Si affirmet, tunc eam docebit in eo modo levem adesse culpam, aut etiam nullam, si maritus ita facere velit; si vero neget, tunc confessarius subjunget: *explica ergo quid feceris.*

Puella aut puer dicit: *tetigi meipsum.* — Nunquid erit inquirendum, an adfuerit pollutio? Minime certe. "Caveat," inquit S. Alph.,[1] "ab inquirendo a puellis vel a pueris an adfuerit seminis effusio," ne scilicet "apprehendant quæ nondum noverint, vel ponantur in curiositate addiscendi." Eadem cautela habenda est generatim quoad fœminas innuptas, etiam adultas; unde scripsit P. a Bergamo:[2] "Nil tamen est de pollutione innuendum; si quidem hæc non omnibus fœminis æque sensibilis est; imo pluribus est prorsus ignota; . . . unde ab hisce verbis: *pollutionis, corruptionis* et similibus est abstinendum. . . . Scitu dignum, quod pollutionis vitium non adeo frequens communiter inter fœminas est, sicuti inter masculos, et plures admodum fœminæ sunt, quæ nullatenus hac libidine sunt infectæ. Proinde cum fœminis cautius loquendum est, ne malitiam hauriant ex locutionibus nostris."

Hic demum peti potest, quales interrogationes faciendæ sint puellis vel juvenibus, qui de culpis contra Sextum Præceptum nihil omnino accusant, si confessarius timeat, ne quid ex verecundia reticeant? Potest dicere: *audistine malos sermones? habuistine malas cogitationes? Fecistine aliquam rem indecentem? Fecistine jocos malos?* Hæ interrogationes nullum periculum inducere possunt, quia, si pœnitens non cognoscit malitiam, illam non addiscet; nec ponetur in curiositate addiscendi quid significent hæc verba confessarii, quia intelliget quod agatur de rebus et de jocis indecentibus in alio genere. Interea, si negative respondeant, aliquando confessarius uti poterit interrogatione suggestiva, dicendo, ut supra ex S. Alph. notatum fuit: *Et nunc dic, quoties hæc fecisti?* Si affirment se commisisse res indecentes, aut se fecisse jocos malos, tunc confessarius dicere poterit, v. g.: *explica quid sint hæ res indecentes et hi joci mali, quos fecisti? Fecistine illos clam? Erasne solus? Ubinam eras? Fecissesne ita, si mater tua ibi fuisset? Si te mater vidisset, suffususne fuisses verecundia? Et propter verecundiam hæc peccata nunquam accusasti; non est ita?* Ordinarie ex responsionibus confessarius aut certe, aut quasi certe cognoscet, an ille puer vere fecerit res turpes, et exinde, juxta regulas

[1] Prax. Conf. n. 90. [2] C. 24. n. 11.

supra datas, poterit devenire ad alias interrogationes, si necessariæ videantur. — Aliqui confessarii loco dicendi: *fecistine aliquam rem indecentem?* dicunt: *commisistine aliquam inhonestatem?* vel: *commisistine aliquid contra virtutem sanctæ puritatis?* Ego censeo has interrogationes sic ex abrupto factas non esse satis prudentes; quia, si puella malitiam non cognoscit, non poterit ullum sensum adnectere istis interrogationibus, et proinde de facili versabitur in curiositate addiscendi quid ea verba significent; unde etiam de facili ab aliis puellis explicationem exquiret, et sic male addiscet quod bene ignorabat. — Alii confessarii valde pejus se gerunt, et fere omnibus pueris, puellis et adolescentibus dicunt ex abrupto: *tetigistine teipsum?* Sic autem faciunt, quia ab experientia noverunt alias interrogationes, in genere et sub quodam velamine factas, non esse efficaces, sicut hæc est, ad extorquendam peccati confessionem. Ego quidem fateor hanc apertam interrogationem esse magis efficacem, ita ut, si aliæ interrogationes extorqueant confessionem a septem vel octo pueris, hæc extorquebit confessionem a novem vel decem; sed omnino censeo non esse ordinarie adhibendam; si enim ordinarie adhiberetur, illa plurimos malitiam doceret; sed convenitne, ad subveniendum aliquibus, plurimis aliis damnum hujusmodi inferre? — Ad summum itaque talis interrogatio fieri poterit in aliquo casu raro, quando scilicet confessarius certus esset de peccato a pœnitente commisso, cujus confessionem obtinere non posset nisi prædictam interrogationem adhibendo.

4) *Grave damnum confessario ipsi non inferant.* Si enim confessarius propter aliquas speciales interrogationes in grave periculum mortaliter peccandi conjiceretur, utique nec deberet, nec posset illas facere. Quod *non debeat*, patet; quia, sicut pœnitens cum suo gravi damno spirituali non tenetur ad integritatem materialem Confessionis,[1] multo minus ad eandem integritatem procurandam tenebitur confessarius cum gravi animæ suæ damno. Aliunde omnes norunt caritatem incipere a seipso. Quod autem tunc *non possit* illas interrogationes facere, patet ab ipsa generali obligatione evitandi pericula gravia peccandi mortaliter, quando possibile est ea evitare. Cæterum, si ageretur tantummodo de aliqua tentatione vel de aliquo motu carnali, non per hæc obligaretur confessarius ad abstinendum ab interrogationibus necessariis, prudentibus et modestis; sed potius deberet se oratione munire, et, antequam incipiat Confessiones audire, rectam renovare intentionem.[1] Ita fere de interrogationibus Berardi.[2]

1426. Quæsita. — Quær. 1° *Quid agere debeat confessarius in dubio de sinceritate pœnitentis?*

Resp. Est regula communis, et velut axioma receptum: *Credendum est pœnitenti, tam pro se, quam contra se dicenti.* Ratio est, quia pœnitens in Sacro Tribunali reus simul et testis, suî accusator et advocatus est, et aliunde in dubio verax semper præsumendus est. Quapropter, post opportunas interrogationes, confessarius pœnitentem negantem absolvere debet.[3]

Quær. 2° *Quid agere debeat confessarius, si cognoscat certo, peccatum aliquod a pœnitente sacrilege reticeri aut negari?*

Resp. 1° Si illud novit ex Confessione alterius, et ab hoc non obtinuit licentiam loquendi cum complice de peccato declarato (quæ licentia *ordinarie* non est petenda), debet, ne Confessionis sigillum violetur, tantum generatim interrogare, sicut alias fecisset aut facere debuisset; si vero pœnitens interrogatus negaverit, nihil reponat, sed, ubi id fieri potest citra suspicionem, hortetur dumtaxat generaliter ad conscientiam cum omni fiducia aperiendam. Utrum vero debeat confessarius talem pœnitentem absolvere, *controvertitur.* — S. Alph.,[4] relatis aliorum sententiis, ita concludit: "Melius, meo judicio, sentit Croix, . . . quod eo casu nullo modo absolvat, sed tantum aliquid oret ad occultandam negationem absolutionis." Et recte quidem. Nam quotiescumque, ut in casu, læsio sigilli vitari potest, indigno occulte petenti Sacramentum ministrari nequit.

Resp. 2° Si novit extra Confessionem, *per se* debet pœnitentem negantem absolvere, quia *pœnitenti pro se et contra se dicenti*

[1] L. VI. 487.

[1] Prax. Conf. n. 176.
[2] De Recid. n. 199. sq. p. 184 sq.
[3] L. VI. 631.
[4] Ib. Si autem. H. A. Tr. XVI. 120. Cfr. Vind. p. 587. Ed. 2ª. T. II. p. 209.

credendum est; nec *per se* relatio alterius majorem fidem facere potest, quam declaratio ipsius pœnitentis; nec proinde magis aliis, quam ipsi confessarius credere tenetur. Etenim si pœnitens peccatum illud commisit, præsumere debet confessarius, illum aut sui peccati oblitum esse, aut alteri confessum, vel justam habere causam illud reticendi, aut relatores potius deceptos fuisse.[1]

Dixi: *per se;* nam, si confessarius sit omnino certus de peccato a pœnitente commisso, quia v. g. ipse furantem vidit, audivit blasphemantem, etc., vel id novit ex *certa* aliorum relatione, non potest negantem absolvere, modo certus sit, illum sui peccati non oblitum fuisse, nec ullum habere motivum illud reticendi; nam regula hæc: *Credendum pœnitenti*, etc., valet quidem in re minus certa, non autem in re evidenter certa.

In praxi caveant confessarii, ne fidem facile præbeant præsertim mulieribus, licet piis, a quibus de peccatis et de vitæ ratione eorum, qui ad ipsos accessuri sint, informantur; nam sæpe sæpius aliqua exaggerantur, nec raro ejusmodi relationes judicium confessarii circa dispositionem ad se accedentium in pejorem quam oporteat partem inflectunt.

SECTIO II.

DE SENTENTIA FERENDA, SEU DE ABSOLUTIONE CONCEDENDA, DIFFERENDA, AUT DENEGANDA.

1427. PRINCIPIA. — I. Absolutio *concedi debet ex justitia* et *sub gravi* omni pœnitenti *rite* confesso et disposito. Ratio est, quia in ipso Confessionis actu initus est quidam quasi-contractus, vi cujus pœnitens rite confessus et dispositus habet jus ad Sacramentum suscipiendum. Secus autem onus intolerabile sine justa causa pœnitenti imponeretur, ut scilicet apud alium Confessionem instituat, quin confidere insuper certo possit, se ab isto novo confessario absolutionem esse recepturum. Præterea hoc etiam exigit finis institutionis Sacramenti et tribunalis Pœnitentiæ, quod misericordiæ impertiendæ causa a Christo institutum est. Sacerdos igitur absolutionem pœnitenti disposito denegans, injuste ageret, potestate clavium abuteretur, et odiosum redderet Sacramentum.

II. Absolutio tamen *differri potest* ad breve tempus, etiam pœnitenti *satis disposito*, atque etiam sine ejus consensu, quando nempe confessarius judicet, id utile esse ad ejus emendationem. Ratio est, quia *dilatio* absolutionis non est ejusdem *denegatio;* et, licet pœnitens dispositus *jus habeat* ad absolutionem, non tamen jus habet, saltem *per se loquendo*, ad eam *statim* obtinendam. Nam confessarius non est tantum judex, sed et medicus, ideoque, si judicet tale remedium emendationi pœnitentis profuturum esse, eo poterit prudenter uti, quin et *tenebitur*, quando judicat ejusmodi remedium esse *necessario* utile saluti pœnitentis. — Ita expresse S. Alph.,[1] a quo non dissentire Theologos, etiam Sæc. XVI. antiquiores, luculenter probant *Vindiciæ*.[2]

Dixi: saltem *per se loquendo;* quia si dilatio absolutionis 1° magis obfutura quam profutura judicetur, aut 2° fieri nequeat sine incommodo satis notabili pœnitentis, statim concedenda est: pœnitens enim tunc jus strictum ad eam statim obtinendam habere censetur.[3]

III. Absolutio omnino neganda est in omni casu, etiam extremæ necessitatis, pœnitentibus *certo* indispositis. Pœnitentibus vero *dubie* dispositis absolutio differenda est extra casum gravis necessitatis; in ejusmodi autem necessitate absolutio sub conditione impertiri potest, imo etiam debet.[4]

IV. Quo magis prosit dilatio absolutionis, suaviter alliciendus est pœnitens ut in eam consentiat.

1428. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sæpe expediat differre absolutionem pœnitenti sufficienter disposito, sine ejus consensu?*

Resp. Extra duos casus n. 1427. II. allegatos, "melius dicendum," ait S. Alph.,[5] "quod certa regula in hoc statui non possit; sed confessarius ex circumstantiis occurrentibus se dirigere debet, et, postquam Deo se commendavit, ut erit a Deo inspiratus, absolutionem dif-

[1] L. VI. 631. Cfr. Vind. p. 287. Ed. 2ª. T. II. p. 209.

[1] L. VI. 462. Prax. Conf. n. 76.
[2] Ed. 2ª. T. II. p. 303 sq.
[3] L. VI. 463.
[4] Ib. 432. 461.
[5] Ib. 463.

ferat vel impertiatur." Deinde distinguit duplex recidivorum genus, et pro utroque propriam affert resolutionem, ut infra explicabitur.

Quær. 2° *An requiratur certitudo de dispositione pœnitentis, ut absolvi possit?*

Resp. 1° Non requiritur certitudo *absoluta*, nec etiam certitudo moralis *stricta*, qualis requiritur in aliis Sacramentis, v. g. circa vinum ad consecrationem Eucharistiæ. Ratio est, quia Sacramentum Pœnitentiæ fere certius ejusmodi judicium non admittit.

Resp. 2° Requiritur et sufficit prudens probabilitas, cui non obstet prudens suspicio de indispositione. Evidentia enim possibilis non est.[1]

Quær. 3° *Quænam sint signa ordinaria sufficientis dispositionis?*

Resp. Confessio cum protestatione pœnitentiæ et propositi.[2]

Quær. 4° *An confessarius teneatur excitare dolorem in pœnitente?*

Resp. 1° *Affirm.*, si pœnitens non videatur sufficienter dispositus; ratio, quia absolvens indispositum exponit Sacramentum periculo frustrationis; si vero illum dimittat sine absolutione, ipsum exponit periculo diu remanendi in statu peccati mortalis, aut etiam non amplius redeundi.[3] — Nec excusatur ex eo, quod multum temporis in id impendere debeat, vel quod alii expectent, dummodo tamen spes adsit fore ut hic et nunc disponendus sit.

Resp. 2° *Neg.*, si pœnitens videatur sufficienter instructus et dispositus, ut sunt pœnitentes morati, et qui frequenter confitentur. Tunc enim confessarius ad nihil tenetur, nec ratione caritatis, cum pœnitens ope speciali non indigeat, nec ratione reverentiæ Sacramenti, quod nulli periculo exponitur.

Quær. 5° *An possit, imo an debeat absolvi pœnitens, qui vult sequi opinionem sententiæ confessarii oppositam?*

Resp. Affirm., dummodo, 1° opinio pœnitentis sit vere probabilis, seu opinio confessarii non sit evidenter certa, et hinc absolutio negari nequit volenti sequi opinionem aliquam S^i Alphonsi;[1] 2° pœnitens non sit indoctus, ita ut nequeat sibi formare conscientiam rectam ex probabilitate illius opinionis (absolvi tamen et hic poterit et debebit, si paratus sit stare judicio alterius docti et prudentis); 3° non agatur de judicio sive circa dispositionem pœnitentis, sive circa administrationem Sacramenti, puta si confessarius judicet se non habere jurisdictionem; addo, ex mente S. Alphonsi, 4° opinio pœnitentis sit non solum speculative, sed etiam *practice* probabilis, seu non sit conjuncta cum certo probabili peccati formalis periculo, ut dictum est n. 87. Regula I. 2°. — Ratio 1^mi est, quia confessarius non est judex opinionum; ratio 2^di, 3^ii, 4^ti per se patet.[2]

[1] L. VI. 461. in medio. Vind. p. 649. Ed. 2^a. T. II. p. 275.
[2] Prax. Conf. n. 71. initio.
[3] L. VI. 608.

§ II. *De agendi ratione cum variis pœnitentium generibus.*

Agendum: 1° de occasionariis; 2° de habituatis et recidivis; 3° de Confessione puerorum ante Primam Communionem; 4° de Confessione adolescentium post Primam Communionem; 5° de Confessione personarum alterius sexus; 6° de Confessione personarum spectatæ conditionis; 7° de Confessione personarum pietatem profitentium.

Punctum I. De iis, qui versantur in occasione peccati.

SECTIO I.

DE OCCASIONE PECCATI IN GENERE.

1429. *Definitio.* — Occasio peccati generatim definitur: Circumstantia externa, quæ sive ex natura sua, sive ex fragilitate hominis, qui in illa reperitur, ad peccandum allicit, seu inducit. Hinc differt a *periculo* peccandi, qua appellatione venit quidquid impellit ad peccatum sive intrinsecum illud sit, sive extrinsecum.

Divisio. — Multiplex occasio distinguitur, scilicet proxima vel remota; absoluta vel relativa; præsens vel non præsens; voluntaria vel necessaria.

1° *Occasio proxima* illa est, quæ inducit *probabile* periculum peccandi; *occasio*

[1] Vind. Ed. 2^a. p. CX. n. 77.
[2] L. VI. 604. H. A. Tr. XVI. n. 118. 119.

vero *remota* ea est, in qua communiter homines, ut plurimum, non peccant.[1]

2° *Occasio absoluta*, seu *per se*, ea est, quæ per se est inducens ad peccatum, atque adeo talis est respectu ad homines communiter sumptos; *occasio* vero *relativa*, seu *per accidens*, illa, quæ, licet non sit occasio respectu aliorum, est tamen talis respectu alicujus, spectata ejus fragilitate, vel quia frequenter in ea lapsus est. Quare, sicut occasio proxima absoluta valde pio et cauto potest esse remota relativa, ita contra remota absoluta debili et in vitium, præsertim turpe, proclivi poterit esse proxima relativa.[2]

3° *Occasio præsens*, seu *in esse*, ea est, quam quis secum habet, quin eam actu quærat, v. g. si domi teneat concubinam, vel cum ancilla peccare soleat; *occasio* vero *non præsens*, seu *non in esse*, ea, quam quis non habet quidem in actu, sed facile reperit, ut est caupona relative ad ebriosum, amasia respectu amasii.

4° *Occasio voluntaria* ea est, quæ facile dimitti potest; *necessaria* vero ea, quæ physice vel moraliter removeri nequit.

Causæ autem, quæ occasionem aliquam vere reddant necessariam, hæ fere sunt:

1ª *Omnimoda* impossibilitas vitandi occasionem, v. g. si concubina includeretur in carcere, cujus concubinarius esset custos.

2ª Quando occasio evitari non potest absque scandalo vero et gravi, ut si materfamilias esset in occasione propter cohabitationem cum proprio marito, et ex separatione spiritualis ruina in filiis vel scandalum in populo sequeretur.[3]

Dixi: a) *absque scandalo* VERO; nam scandalum fictum vel imaginarium non est scandalum. Ejusmodi foret illud, quod fingeret concubinarius prætexens populum, si concubinam ejiceret, confirmandum fore in suspicione, quam jam habet de ejus concubinatu; ipsa enim illa suspicio jam scandalum est, quod non nisi ejectione concubinæ tolli potest.

Dixi: b) *absque scandalo* . . . GRAVI; leve enim non proportionatur periculo *gravi* ruinæ propriæ.

3ª Si occasio deseri nequeat absque gravi temporali nocumento in bonis sive fortunæ, sive famæ, sive vitæ, vel absque alia gravi difficultate.

4ª (juxta Berardi et alios). Quando occasionarius non potest se eripere ab una occasione, quin certe incidat in aliam æqualem aut pejorem occasionem, aut in aliud æquale aut pejus periculum spirituale. Ratio est, quia ad inutile vel ad pejus nemo obligari potest. Hinc scripsit Gury:[1] "Non esset obliganda ad exeundum *statim* e domo famula . . . pro casu, in quo . . . exire non posset, nisi ut in æquale periculum et forte in majus incideret." Cavendum tamen est ab hallucinatione, quæ hac in re est facillima; est enim nimis facile falli, ubi credere dulce est. Sic facillimum est quod concubinarius credat, v. g. se æquali modo peccaturum etiam cum nova famula, et tamen sibi illudat: qua de re scripsit Viva:[2] "Certe non est idem periculum secundum se peccandi cum nova famula, . . . ac peccandi cum concubina."[3]

1430. — PRINCIPIUM I. Ut rectum feratur judicium de periculi *probabilitate*, quæ occasionem aliquam faciat proximam, ex mente S. Alphonsi distinguendum est inter occasionem, in qua quis jam ab aliquo tempore versatur, et occasionem, nunc prima vice adeundam.

In *priori* casu occasio habenda erit proxima, si quis *frequenter* in ea peccavit, nec requiritur ut *semper* vel *fere semper* in ea peccaverit, vel etiam *frequentius* quam non. Frequentia enim lapsuum vel *relativa* est, vel *absoluta*. *Relativa* computatur juxta numerum vicium, quibus quis occasioni fuit expositus, et aderit, e. g. si quis in duodecim visitationibus soleat peccare quinquies vel sexies. *Absoluta* vero erit, dum numerus lapsuum, in se consideratus, notabilis est, ut si duæ personæ, quæ singulis Dominicis conveniunt, decies vel duodecies per annum labuntur. Alterutra frequentia sufficit ad constituendam occasionem proximam.[4]

In *posteriori* casu, standum est præsumptioni ex communiter contingentibus desumptæ: præsumendum est scilicet, alicui adfore *probabile* periculum peccandi, si ea ipsa occasio aliis personis, positis in

[1] L. VI. 452. H. A. Tr. ult. n. 1.
[2] Ib.
[3] L. VI. 455.

[1] Cas. consc. n. 700.
[2] In prop. 41. damn. ab Alex. VII.
[3] Berardi de Occas. n. 81.
[4] L. VI. 452.

iisdem circumstantiis, *communiter* probabile illud periculum adducit. — Dixi: *positis in iisdem circumstantiis*; diversitas enim circumstantiarum *sive* a parte subjecti, *sive* a parte occasionis ipsius, *sive* a parte modi, quo eadem occasio aditur, inducit differentiam in gradu periculi.

A parte quidem subjecti, potest valde influere differentia ætatis, status, sexus, indolis, virtutis, educationis, instructionis, affectionum, etc. Sic aliqua sunt valde periculosa pueris et non adultis; juvenibus et non senibus; libidinosis et non frigidis; vitam cælibem ducentibus et non conjugatis; viris et non fœminis, aut vice versa fœminis et non viris. Sic aliqua sunt valde periculosa plebeis, non vero personis spectatæ conditionis et bene educatis. Sic personæ fragiles et timore Dei carentes gravia pericula invenient, ubi personæ virtute et pietate præditæ in levi vel nullo periculo erunt.[1] Sic colloquium diuturnum cum fœmina ordinarie gravi periculo exponet eos, qui inordinato amore illam prosequantur; non vero eos, qui talem affectionem non habeant. Sic libri impiorum vel hæreticorum, qui ordinarie exponerent gravissimo periculo personas sæculares, levi vel nulli periculo exponunt virum religiosum, in Theologia valde fundatum. Advertendum est etiam, quod assuefactio magnas producit differentias. Ex una enim parte multa sunt magis periculosa assuefactis, quam insuetis, quatenus consuetudo reddit faciliorem consensum et lapsum; et ex alia parte aliqua sunt magis periculosa insuetis, quam assuefactis, quatenus aliqua ex longo usu (vel ex usu rerum pejorum) nullam faciunt amplius impressionem; unde scripsit S. Alph.:[2] "Assuefactio efficit, ut viri ex tali visu" (fœminarum ubera ostendentium) "minus moveantur ad concupiscentiam, prout experientia constat."

A parte autem occasionis ipsius, multæ circumstantiæ possunt inducere magnam differentiam in periculi gradu. Sic aliud est conversari cum fœmina juveni, pulchra, ornata, immodesta et illecebrarum plena; et aliud est conversari cum fœmina annosa, deformi, gravi, verecunda, pia, etc. Sic aliud est assistere comœdiæ satis honestæ et satis decenter repræsentatæ; et aliud est assistere comœdiæ valde turpi vel valde turpiter repræsentatæ.

A parte demum modi, quo aditur occasio, multæ circumstantiæ possunt pariter inducere differentiam in periculo. Sic aliud est loqui cum puella clam, remotis arbitris, frequenter, diu, et sine ulla cautela; et aliud est loqui cum illa in præsentia aliorum, raro, brevi tempore, et cum cautelis opportunis.

1431.— PRINCIPIUM II. Ut quis tractetur tanquam in occasione proxima constitutus, requiritur, ut occasio ex proxima non evaserit remota. Remotam autem evasisse, ex his fere indiciis cognoscitur:

1^um^ Si ex sufficienti experientia pateat, gravitatem periculi evanuisse; utpote si quis fere quotidie solebat inebriari in caupona, et nunc jam a duobus vel tribus mensibus quotidie quidem frequentet cauponam, sed, propter propositum factum, nunquam inebriatus fuerit, nec amplius sentiat se graviter tentatum ad renovandas ebrietates.

2^um^ Si qua causa supervenerit, quæ evidenter destruat gravitatem periculi, ut si quis consuetudinem habuerit peccandi cum muliere sibi vicina, non propter affectum ad illam, sed propter meram libidinis exonerationem; nunc vero sororem illius valde dilectam duxerit in uxorem. Jure enim præsumi potest, hoc Matrimonio destrui omnem causam, et ideo omne periculum peccandi cum vicina.

3^um^ (juxta tamen aliquos tantummodo Theologos). Si pœnitens extraordinarium dolorem et propositum ostendat. Tertium autem hoc indicium admitterem tantum, si occasio, quam *voluntariam* esse suppono, a) non sit præsens; b) non sit valde alliciens, ut si v. g. agatur de socio, quocum pœnitens ipse *prior* solebat *introducere* pravos sermones.

4^um^ Si adsint alia media sufficientia ad reddendam remotam occasionem sine separatione, et possit præsumi, pœnitentem illa reipsa adhibiturum.

1432. — PRINCIPIUM III. Non est deneganda absolutio pœnitenti in occasione *remota* constituto, etiamsi eam deserere nolit. Ratio est, 1° quia ea non inducit periculum proximum peccandi mortaliter; 2° quia nimis dura obligatio

[1] Cfr. L. VI. 452. § Notandum vero, quod aliquando, et § Cum occasio externa conjungitur cum passione.

[2] L. III. 55.

pœnitenti imponeretur, cum plerumque tales occasiones moraliter vitari nequeant. Excipe tamen, idque *per accidens*, si occasio, licet remota, *nisi statim deseratur*, brevi futura sit proxima, ut si cum occasione conjungatur habitus vitiosus, aut magna tentatio seu vehemens passio.[1]

1433. — PRINCIPIUM IV. Nunquam absolvendus est pœnitens, qui recusat deserere occasionem proximam voluntariam, sive occasio illa sit proxima *per se*, sive *per accidens*; sive *in esse*, sive *non in esse*. Constat ex proposit. 61, 62, 63, damnatis ab Innocentio XI., p. XVII.; item ex 41 damnata ab Alex. VII., p. XIV.

1434. — PRINCIPIUM V. Pœnitenti autem, qui in occasione proxima necessaria versatur, non potest absolutio denegari ob istam occasionem, si aliunde dispositus deprehendatur, et remediis præscriptis uti velit. Ratio est, quia nemo tenetur ad id, quod sive physice, sive moraliter impossibile sit, et aliunde occasio peccandi non est *per se* peccatum, nec in necessitatem peccandi hominem conjicit. Et hæc quidem sententia juxta S. Alph. probabilissima est; "verum," addit, "*in praxi* omnes conveniunt *expedire*, ut . . . *differatur* absolutio. Imo . . . *nunquam* absolverem," sic pergit S. Doctor, "eum, qui est in occasione proxima extrinseca, . . . præsertim si occasio sit de materia turpi, *semper ac absolutio commode differri posset*. Censeo enim, quod confessarius, *tamquam medicus*, tenetur aptare suo pœnitenti remedia opportuniora, ut ille suam faciat salutem; reorque nullum aliud aptius antidotum ministrari posse ei, qui est in occasione proxima, quam dilationem absolutionis; dum experientia docet, quod pœnitentes, postquam absoluti discedunt, ut plurimum negligunt media præscripta adhibere, et sic facillime recidunt."[2] — Nota S. Doctorem dicere: *semper ac absolutio commode differri posset . . . tamquam medicus*, etc. Quam ob rem, si de pœnitente agitur, quem confessarius prudenter et *coram Deo* judicat non, aut nonnisi post longum tempus reversurum, dilatio absolutionis medicinæ rationem non amplius habebit.

Dixi: *remediis præscriptis uti velit*. *Quæritur* hic, quænam remedia assignanda sint pœnitenti, qui in occasione necessaria versatur? *Resp.* Sunt triplicis generis: 1° Aliqua diriguntur ad diminuendam vim occasionis; 2° aliqua ad diminuendam vim passionis; 3° aliqua demum ad augendas vires spirituales.

Primo quidem oportet diminuere vim occasionis. Non raro pauca verba forti animo dicta: — non raro aliqua seria comminatio aut exprobratio: — non raro vel unus hiatus oris ad clamandum: — non raro vel semel referre rem alicui, qui possit remedium apponere, — sufficiunt, ut perfidus insidiator animo dejiciatur et ab omni molestia cesset. Scripserunt Salmanticenses, quod iste occasionarius debet "longos cum illa fœmina non miscere sermones, et nec leviter jocari."[1] Debebit etiam illam morose non conspicere, et, per quantum possibile erit, de ea non loqui, de ea non cogitare, etc. Speciatim autem, dicit Scavini,[2] "inquiri debet, . . . an aliquæ circumstantiæ generent occasionem proximam, quo casu, auferendo circumstantias, tolletur occasio; v. g. nunquam peccatur, nisi dum vespere in culina confabulatur cum ancilla; tunc prohibeatur ingressus culinæ eo tempore, et occasio sublata erit." Porro hæc et similia vim occasionis, si non destruere, saltem non parum imminuere poterunt.

Secundo oportet diminuere vim passionis, nullum præbendo ei fomentum per otium, per libertatem sensuum, per pravas cogitationes, per pravas lectiones, per intemperantiam, etc; item illam subjiciendo per laborem, per jejunia et alias macerationes, si possibile sit.

Tertio oportet augere vires spirituales. Hoc fit præcipue oratione, frequentia Sacramentorum, et meditatione æternarum veritatum.

Quoad *orationem*, curandum est, ut pœnitens, quolibet mane et vespere, necnon adveniente tentatione, Deum et B. Virginem pro gratia adeo sibi necessaria enixe deprecetur. Unusquisque autem cognoscit quanta sit utilitas precum novendialium, devotæ assistentiæ Sacrificio Missæ, visitationis Sanctissimi Sacramenti aut alicujus Sanctæ Imaginis, etc. Preces autem majorem habent vim, si cum eleemosyna conjungantur.

[1] L. VI. 452. H. A. Tr. ult. n. 2.
[2] L. VI. 455. 456.

[1] Tr. 6. c. 5. p. 4. n. 59. [2] T. III. n. 472.

Quoad *frequentiam Sacramentorum*, curandum est, ut pœnitens sibi eligat confessarium stabilem, doctum et pium, per quantum possibile erit, et ut majori, qua poterit, frequentia apud illum confiteatur. Speciatim autem curandum est, ut pœnitens redeat ad Confessionem *statim* post lapsum.

Demum quoad *meditationem æternarum veritatum*, curandum est, ut pœnitens quotidie serio recogitet de morte, de judicio divino, et de æternis cruciatibus. Si autem pœnitenti opportuna foret occasio obeundi (etiam privatim in propria domo) exercitia spiritualia, ut si esset sacerdos, aut persona dives, aut religiosa, tunc confessarius deberet apud ipsum omnem operam adhibere, ut ea suscipiat riteque peragat; quin et, data possibilitate, vera potest adesse obligatio recurrendi ad ejusmodi media magna et extraordinaria, quando scil. malum et periculum animæ est magnum et extraordinarium.

1435. — PRINCIPIUM VI. Numquam, i. e. ne prima quidem vice, absolvi potest, qui versatur in occasione, necessaria quidem, sed tali, ut, stante illa, emendatio sperari non possit, aut spes nulla sit remedia esse profutura. Ratio est, quia velle manere in tali occasione, est velle peccatum, et amotio occasionis hic unicum est salutis medium. Excipe occasionem, quam *omnino* impossibile sit tollere. Vide n. 1429. 4°. a).

1436. QUÆSITA. — Quær. 1° *An pœnitens, qui promittit sincere, se derelicturum esse occasionem peccandi proximam voluntariam, possit absolvi antequam eam deseruerit?*

Resp. 1° *Affirm.*, idque non semel tantum aut bis, sed etiam ter, si a) agatur de occasione *non in esse;* b) pœnitens, ut supponimus, sit vere dispositus; c) periculum infringendi propositum non appareat grave. Ratio est, quia ex una parte pœnitens est vere dispositus, ideoque a confessario, *quatenus judice*, absolvi potest; ex altera vero parte non supponitur *tantum* periculum infringendi propositum, ut necesse sit confessarium, tanquam *medicum*, absolutionem differre. — Dixi: 1° *idque non semel aut bis, sed etiam ter.* Nam "si postea emendatio non appareat, differri . . . debet absolutio, donec . . . cum effectu" occasio derelicta fuerit.[1] Dixi: 2° *si . . . periculum infringendi propositum non appareat grave:* quia, si circumstantiæ conatum aliquem requirant, — v. g. in fugiendo aliquo socio, aut non adeunda in certis circumstantiis temporis, personarum, etc. aliqua domo, — tunc ad confessarii prudentiam pertinebit perpendere, an expediat, ut prius pœnitens difficultatem vincat.

Resp. 2° *Neg.*, si agatur de occasione præsente seu *in esse*, ne prima quidem vice. Si tamen pœnitens vel, a) det signa extraordinaria doloris ET absolutio commode differri nequeat; vel b) ad eundem confessarium redire non possit, aut saltem non nisi post diuturnum tempus, NEC promissioni de removenda occasione, jam antea factæ, extiterit infidelis (quo casu tractandus est ut recidivus, i. e. non absolvendus, nisi afferat signa extraordinaria), non solum absolvi potest, sed ad absolutionem recipiendam jus habet.

Ratio *regulæ* est, quia, "ablatio occasionis" præsentis "est res magnopere ardua; . . . et ideo, si occasio non auferatur ante absolutionem, pœnitens de facili post absolutionem se decipiet, falso sibi suadendo quod tentationibus resistet. . . . Qua de re, si talis vellet absolvi, antequam occasionem deserat, esset indispositus, quia se constitueret," idque voluntarie ut in quæsito supponitur, "in probabili periculo infringendi propositum; ac propterea confessarius" eum absolvens "peccaret tam contra officium judicis, quam medici." Et quidem contra officium judicis, quia absolveret indispositum; contra officium autem medici, quia non applicaret illi remedium suæ saluti necessarium.[1]

Ratio *exceptionis* 1ᵐᵉ est, quia signa illa extraordinaria indicant pœnitentem uberiori donatum gratia, ex qua constantior sperari potest in removenda occasione. Quod vero absolutio etiam in hoc casu differenda sit, si commode differri possit, ex eo est, quod funiculus occasionis difficile rumpatur. — Ratio *exceptionis* 2ᵈᵉ est, quia tunc occasio *hic et nunc* est necessaria, cum ante absolutionem commode auferri nequeat. Quod vero absolutio etiam in hoc casu differenda sit, si pœnitens promissioni de ea removenda antea factæ non steterit, ex principiis patebit, quæ de recidivis trademus.[2]

Quær. 2° *An possit absolvi, qui exis-*

[1] L. VI. 454.

[1] L. VI. 454. [2] Ib.

tens in occasione necessaria, remediis adhibitis, eodem semper modo relabitur?

Resp. Neg., si nulla sit emendationis spes, quidquid tandem evenire debeat. Ita S. Alph. ut *verius*. Ratio est, quia, licet ob justam causam possit permitti peccati periculum, numquam tamen permitti potest ipsum peccatum formale; at, cum nulla apparet spes emendationis, periculum et peccatum fiunt quid unum. — Hinc mulier eligere debet potius præ penuria perire, quam frequentare domum, ubi largas recipit eleemosynas, sed quæ semper degenerant in stipendium meretricium. Dixi: *si nulla sit emendationis spes*. Hæc autem adesse censetur, "si in præsenti pœnitens afferat signa extraordinaria doloris."[1]

1437. *Resolves.* — 1° "Ancilla vivide sollicitata ab hero, . . . si . . . sit fragilis, et parum devota . . . tenetur ab illius domo discedere," licet nondum peccaverit. Ratio est, quia occasio hæc, licet adhucdum remota, brevi futura est proxima. Vide n. 1432. — Sin autem "esset pietati dedita, et cauta, et opportuna adhiberet remedia ad tentationes repellendas ac passioni obviandum, tunc eam non obstringerem ad occasionem auferendam." S. Alph.[2] Ratio est, quia tunc occasio non potest præsumi brevi futura proxima.

2° *Paulus* cum ancilla sua sæpe peccavit, eamque sine gravi incommodo dimittere potest. Occasione exercitiorum spiritualium, quibus longe a domo sua operam dat, confitetur. *Quæritur*, an possit absolvi, antequam ancillam reapse dimiserit. *Resp. disting.* Vel aliàs promisit ancillam dimittere, vel non. Si *prius*, absolvi non poterit, nisi præbeat signa extraordinaria, qualia non sunt exercitia spiritualia perfunctorie et ideo solum, quia Superior aut diœcesis statuta ad ea coegerunt, peracta. Si *posterius*, absolvi poterit. Rationem hujus resolutionis vide n. 1436. q. 1°. R. 2°.

3° *Petrus* negotiorum suorum causa, vel quia aliter eas, quæ inter propinquos servari solent, necessitudinis leges, non sine manifesto inimicitiarum periculo, migrare censeretur, bis vel ter in anno domum aliquam adit, quæ sibi est occasio proxima peccati luxuriæ, aut civitatem quamdam, in qua cum meretricibus peccare solet. *Quæritur*, 1° an *Petrus* obligandus sit ad domum vel civitatem illam non amplius adeundam; 2° an absolvi possit, si remedia præscripta adhibere promiserit?

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, si remediis præscriptis uti paratus sit.

Resp. ad 2^um^ *Neg.*, si (quod tamen in casu rarum erit) absolutio commode differri queat, vel si sit recidivus et non afferat signa extraordinaria doloris. Utriusque responsi ratio patet ex dictis n. 1434.

4° Qui sui juris non sunt, ut filius- vel filia- familias ac uxor, et in occasione proxima *in esse* versantur cum famulo, famula, cognato, marito, absolvi possunt, si remedia a confessario præscripta adhibere serio promittant, et absolutio commode differri nequeat; secus, si vel a) absolutio commode differri possit, vel b) remediis nequidquam adhibitis, eodem semper modo relabantur et non dent signa extraordinaria doloris. Sequitur ex dictis n. 1436.

5° *Caia*, parentibus orbata, et omni humana spe destituta, cum *Petro* in concubinatu vivit, ex ejus domo expellenda et fame peritura, nisi *Petri* luxuriæ obsequi pergat. *Quæritur*, utrum absolvi possit, antequam domum *Petri* reliquerit? — *Neg.* Sequitur ex dictis n. 1436.[1]

SECTIO II.

DE OCCASIONIBUS PARTICULARIBUS.

Harum aliæ, ut plurimum, sunt voluntariæ; aliæ, ut plurimum vel frequenter, necessariæ sunt; de utrisque seorsim agendum.

Nota. — Dum in iis, quæ in hac Sectione II. trado, doceo occasionem aliquam non necessario esse derelinquendam, id non ita intelligas, ac si nullo in eventu, et ne in casibus quidem, de quibus n. 1435; 1436. q. 2; 1437. 3°. 4°. 5° egi, deserenda esset, sed accipienda sunt sensu n. 1434 indicato; i. e. experiri licebit remedia, de quibus eodem n. 1434, quousque spes emendationis non evanuerit.

[1] L. VI. 457. 458. Cfr. Vind. p. 603 sq. et 609 sub 6. Ed. 2ª. T. II. p. 227 sq. et p. 233 sub. 6.

[2] L. VI. 452. § Ex præmissis.

[1] Cfr. Vind. p. 610. III. 1. 2. Ed. 2ª. T. II. p. 233. III. 1. 2.

A. *De iis occasionibus particularibus, quæ, ut plurimum, sunt voluntariæ.*

Agendum: 1° de concubinatu; 2° de choreis; 3° de theatris; 4° de conversationibus; 5° de pravis sociis; 6° de pravis libris; 7° de ludo alearum; 8° de cauponis.

I. *De Concubinatu.*

1438. *Definitio.* — Concubinatus *proprie dictus* est frequens et continuatus concubitus soluti cum soluta, tenendo eam ac si esset uxor, sive in eadem domo, sive in alia. — Dixi: *proprie dictus;* nam si esset concubitus frequens et continuatus cum uxorato vel nupta, foret concubinatus *improprie dictus.*[1]

1439. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sit concubinarius, vel saltem an teneatur ad separationem, qui* raro *cum fœmina domestica peccarit?*

Resp. 1° Non est concubinarius, cum non adsit *frequens ac continuatus* ille concubitus, qui, ut in definitione dictum est, ad concubinatum requiritur.

Resp. 2° Non tenetur ad separationem, dummodo, 1) periculum relapsus sine separatione remotum *vel* jam evaserit, *vel* reddi possit; 2) propter speciales circumstantias sive a parte subjecti, sive a parte occasionis ipsius (n. 1430), non possit præsumi, quod periculum relapsus, licet pro nunc remotum, brevi iterum futurum sit proximum; 3) separatio non sit necessaria ad scandalum, quod forte subortum fuerit, finiendum vel reparandum. Ratio 1ª est, quia occasio non est, vel saltem non est amplius proxima; ratio 2ª et 3ª patet ex dictis n. 295. 12°; 301; 1432. — In praxi tamen, ob defectum secundæ conditionis, separatio sæpe erit necessaria.

Casus. — Lampridius semel vel iterum cum ancilla sua peccavit; confitetur post tres menses, affirmans se toto corde dolere et media idonea ad relapsum vitandum esse adhibiturum; sed ancillam sibi perutilem ejicere non posse. His omnibus perpensis, eum absolvit confessarius. *Quær.* An Lampridius . . . absolvi potuerit? Resolvit Gury:[2] "Lampridius *absolute* potuit absolvi, quin *statim* ancillam dimitteret, aspectis casus circumstantiis; seu experimentum aliquod temporis permitti potuit."

Quær. 2° *An aliquando absolvi possit concubinarius, antequam concubinam dimiserit; aut concubina, priusquam concubinarium deseruerit?*

Resp. Disting. Nam ex una parte occasio est *vel* voluntaria, *vel* necessaria; ex altera vero concubinatus est *vel* publicus, *vel* occultus.

Si 1) concubinatus sit *publicus* et occasio *voluntaria, Neg.*, idque licet det signa magni doloris. "Ratio, tum quia scandalum pareret, videre eum, qui adhuc domi concubinam retinet, vel ejus domum frequentat, ad Eucharistiam accedere; tum quia publicus peccator non debet absolvi, nisi etiam publice pœniteat, et scandalo satisfaciat."[1] Ergo, priusquam absolvatur, concubinam dimittere debet, aut, si hæc extra domum degat, per aliquod tempus notabile ad eam non accedere.[2]

Si 2) concubinatus sit *publicus* et occasio *necessaria*, in unico tantum casu concubinarius absolvi poterit; nimirum cum periculose decumbit, et remedium Matrimonii adhiberi potest. Si vero huic remedio locus non sit, absolvi quidem poterit et exeuntium Sacramentis muniri, dummodo tamen, a) præsentia concubinæ vel concubinarii non sit conjuncta cum proximo periculo peccandi, vel periculum hoc remotum *et* reddi queat, *et* reipsa reddatur, ac b) scandalum *vel* non adsit, *vel*, si adsit, tollatur. Scandalum autem *non adest*, si difficultates moraliter insuperabiles, quæ ejectionem concubinæ vel derelictionem concubinarii impediunt, per se populo manifestæ aut eidem omnino præsumibiles sint. *Tollitur* autem scandalum, casu, quo difficultates illæ populo essent ignotæ, si infirmus eas palam faciat aliquibus testibus.

Per se patet, hìc agi de infirmo suî compote; nam, si concubinarius infirmus reperiatur sensibus destitutus, debet absolvi sub conditione, atque etiam Sacro Oleo inungi, ut patet ex dictis n. 1371. 4°, et patebit ex dicendis in Tract. *de Extrema Unctione.*

Si 3) concubinatus sit *occultus* et occasio *voluntaria*, talis nimirum, quæ ante absolutionem facile et statim removeri possit, absolutio dari non potest, ut patet

[1] L. IV. 435. Salm. Tr. XXXI. c. II. n. 21.
[2] Casus. n. 692. 693.

[1] L. IV. 436. [2] Ib.

ex dictis n. 1436. q. 1°. R. 2°, idque licet pœnitens afferat signa extraordinaria doloris et propositi concubinam ejiciendi; nam "experientia nimis constat, quod, obtenta absolutione, difficulter occasio postea aufertur, et sic facillime reditur ad vomitum."[1] Excipe, ex mente S[i] Alph[i], si concubina degat extra domum. Vide n. 1436. q. 1°. R. 1°.

Si 4) concubinatus sit *occultus* et occasio *necessaria*, attendendum est, *quare* sit necessaria.

Si a) necessaria sit ratione scandali aut infamiæ, "*communiter* loquendo non est absolvendus. . . . Ratio, quia in diuturno concubinatu est moraliter impossibile, rem aliis non fieri notam."[2] Dixi: COMMUNITER *loquendo;* nam "si aliter non possit vitari grave damnum famæ," in hoc "casu rarissimo" poterit absolvi. "Sed eo casu dico, omnino expedire, ut saltem differatur absolutio, donec experimento probetur continentia pœnitentis; nisi casus esset, quod pœnitens (satis aliàs dispositus, ut supponitur) non amplius redire posset; . . . vel si immineret necessitas communicandi ad vitandam positivam infamiam."[3] Ratio resolutionis patet ex dictis n. 1434. — Hinc absolvi poterit sacerdos, qui (quod absit!) miserrime viveret in concubinatu cum cognata vel ancilla sine ulla suspicione ex parte populi, si, concubinam ejiciendo extemplo et sine mora in casu gravis infirmitatis, vel immediate postquam domum redierit ab Exercitiis spiritualibus, cum magno scandalo evasurum esset publicum id, quod est occultum. Statuere tamen deberet concubinam dimittere quamprimum sine scandalo prædicto potuerit. Cfr. tamen n. 1437. 2°.— Idem resolve, si tempore Missionis ageretur de dimittenda famula, casu, quo dimissio, eo præcise tempore et illico facta, infamiam causaret.

Si b) necessaria sit ratione damni in bonis fortunæ, distinguendum est. Absolvi nimirum poterit, si agatur de damno, quod faceret hominem decidere a proprio statu, ut si v. g. ancilla valde pauper sit et stipendium notabile ipsi debeatur, v. g. multorum annorum, quod herus non sit persoluturus, si discedat. Ratio est, quia decidere a proprio statu est sacrificium adeo grave, ut practice non possit habere rationem *medii* ad liberandum pœnitentem a peccatis; facilius enim est quod ille efficaciter cesset a peccatis, manente occasione, quam quod cum sacrificio adeo intolerabili eam dimittat. "Sed in his casibus regulariter" (i. e. exceptis casibus mox sub a) allegatis) "semper etiam est differenda absolutio."[1]

Si c) necessaria sit ob omnimodam impossibilitatem eam removendi, vel quia non sit possibile se ab ea eripere, quin incidatur in aliam æqualem aut pejorem; recole dicta n. 1429. 4[a], et monitum de *regulariter* differenda absolutione, ut in casibus præcedentibus.

Quær. 3° *An qui publice existimaretur concubinarius et non esset, teneretur dimittere fœminam, ob quam talis existimatio ei obvenit?*

Resp. Disting. inter Clericum et laicum. — *Affirm.*, si agatur de Clerico, et indicia, ob quæ populus falso credit adesse concubinatum, sint adeo vehementia, ut vix evanescere possint, quia e. g. fœmina merito est suspecta. Secus, si sint levia et talia quæ possint evanescere; quo tamen casu Clericus teneretur viam magis aptam ad suspectus eliminandos eligere. Cfr. dicta n. 295. 12°. — *Neg.*, *generatim* loquendo, dum agitur de laico, speciatim, si dimissio fieri nequeat sine gravi incommodo. Ratio est, quia plura incommoda sequerentur non solum privata, sed etiam publica, si unusquisque propter calumnias et populi dicteria semper res suas immutare deberet. Adde, quod forsan alia media deservire poterunt ad sinistram illam populi opinionem destruendam, v. g. si ancilla herum induceret, ut Religionis exercitiis assidue interveniret. Ita fere Berardi.[2]

Quær. 4° *Quid, si per Matrimonium provideri possit saluti concubinariorum?*

Resp. 1° Expedire remedium istud quando *vel* 1) concubinarius vel concubinaria laborat morbo certe lethali; *vel* 2) nullus exitus infelix a tali Matrimonio timeri possit.

Resp. 2° Illud in duplici illo casu adhiberi *debere*, si necessarium sit ad legitimandam prolem. — Vide dicenda in Tract. *de Matrim.*

[1] L. IV. 436. [2] Ib. 435. q. I.
[3] Ib.

[1] L. IV. 437. 441. L. III. 31.
[2] De Occasion. n. 133.

II. *De Choreis.*

1440. — Nomine choreæ *in Morali* venit actus saltandi, non quatenus in *se solo* consideratur, sed quatenus conjungitur cum diversis circumstantiis, *vel* pravis, *vel* periculosis, a quibus totus reatus chorearum pendet.

Circumstantiæ *pravæ* sunt v. g. — obscœni amplexus, tactus, sermones, nuditates, gestus, — intentio prava, — ratio scandali (de quo n. 295. 8°), — gravis parentum prohibitio, — lex ecclesiastica eas vetans, etc. Ejusmodi circumstantiæ choreas *per se* illicitas reddunt; cæteræ circumstantiæ eas plus minusve *periculosas* efficiunt, seu occasionem peccati. Hic de choreis *primario* sub ratione occasionis peccati agimus.

1441. — *Regula generalis* hac in materia tenenda hæc est. Si periculum, quod choreæ adducunt, sit grave seu probabile, et nulla gravis causa adsit illud adeundi, choreæ sub mortali vitandæ sunt. — Si vero periculum sit leve seu non probabile, vel si gravis causa excuset, tunc vel leve vel nullum peccatum aderit. Attendendæ igitur sunt quantitas periculi et gravitas causæ.

I. *Quantitas periculi.* Ut hæc cognoscatur, consulenda sunt criteria probabilitatis periculi tradita n. 1430, et hinc 1) considerandum est, an pœnitens aliis vicibus interfuerit choreis, et an propter illas *frequenter* peccaverit necne. Si frequenter peccaverit, et nunc circumstantiæ non sint ita diversæ, ut præsumi debeat eum hac vice non peccaturum, apertissime constabit de gravitate periculi. — Si autem a particulari pœnitentis experientia nulla conjectura fieri possit, tunc 2) desumenda est regula ab iis, quæ communiter accidunt. — Sed quid communiter accidit? Communiter in periculo gravi inveniuntur:

a) Tam fœminæ quam viri, si choreas non per aliquam vicem dumtaxat, v. g. semel vel bis in anno, sed cum magna frequentia adeant. Ratio est, quia ejusmodi frequentia solet ex una parte valde excitare libidinem, et ex altera parte auferre voluntatem orandi, frequentandi Sacramenta et adhibendi cautelas, quæ ad peccata evitanda quam maxime necessariæ essent. Adde quod in casu nullum auxilium expectari potest a Deo, quia nulla necessitas cogere solet quemquam ad choreas frequenter et sæpissime adeundas.

b) Illæ puellæ plebeiæ, quæ multam præ se ferunt levitatem, conjunctam cum multa pulchritudine aut muliebrietate, maxime si etiam sint valde libidinosæ et in illis choreis proprios adamantes habeant. Constat enim ab experientia, juvenes cum hujusmodi puellis occasione chorearum abundare specialibus blanditiis, — i. e. pressioribus amplexibus manuumque constrictionibus; item sermonibus non solum amatoriis, sed etiam non raro omnino obscœnis; — et demum, si possunt, eas deosculari et turpiter tangere, sive in intervallis, quando identidem a saltando desistunt, sive etiam in ipso saltandi actu, maxime quando ipsa choreæ qualitas præbet hujusmodi sive deosculandi, sive turpiter tangendi commoditatem. Constat autem ab eadem experientia, istas puellas tentationibus virorum consentire solere, saltem verbis et delectatione interna. Eas igitur in periculo gravi versari, omnino dicendum est.

c) Ducentes choreas, dictas *Round dances*, ut monent Episcopi nostri. Vide n. 295. 8°.

Sed quid si aliqua puella non nimis frequenter, sed semel vel bis in anno dumtaxat choreas adire velit, sitque satis bene morata, nec supra descriptam præ se ferat levitatem; conjicietne se ipsam in periculum grave?

"Ego censeo," ait Berardi,"[1] periculum grave quoad hujusmodi puellam ordinarie non adesse. Moveor ab experientia. Illæ enim puellæ timorem Dei satis habentes, quæ semel vel iterum in anno choreis intersunt, si interrogentur an propter choreas aliquod peccatum mortale commiserint, sive opere, sive verbo, sive cogitatione, sive in ipso saltandi actu, sive postea, ordinarie respondent *negative.*"

Sed quæritur, an hæc pro puellis, de quibus in casu, valeant quoque quoad choreas dictas *Round dances?*

Resp. Choreæ istæ, licet *in genere*, non tamen *semper* et *in omni casu*, seu inter cujuslibet generis personas, sunt inhonestæ, idque ea præsertim de causa, quod non omnes in saltando adhibent amplexus

[1] De Occas. n. 166.

adeo pressos, illamque pectoris et faciei propinquitatem adeo indecoram, quæ communiter adhiberi solent; possunt enim choreæ illæ fieri, etsi in amplexibus aliqua distantia servetur. Verum est rem valde dependere a voluntate viri; sed, si puella honesta et bene morata, qualis in casu supponitur, serio dicat se nolle adeo perstringi, non utique per vim ita perstringetur. Quare, quod nostrum hunc casum attinet, objici non possunt verba, quibus quoad has choreas utuntur Episcopi nostri, sive in decretis Concilii Pl. Balt. II., sive in Litteris Pastoralibus n. 295. 8° citatis; nam choreas istas eo tantum sensu inhonestas dicunt, quod hodiedum *communiter*, non quod *necessario* inhoneste ducantur (*as at present carried on*). — Salvo igitur meliori, hæc mea foret quoad choreas istas praxis. Omnibus quidem eas vehementissime dissuaderem, sed non omnibus *indiscriminatim*, seu *singulis*, eas sub absolutionis negatione prohiberem; certo tamen iis, qui eas ducerent, aut a) inhoneste, aut b) frequenter, aut c) cum periculo proximo relativo, aut d) cum scandalo aliorum in locis, ubi vel non duci solent, vel monitum Episcoporum, de quo n. 295. 8°, urgetur. Hæc de quantitate periculi.

II. Sed ad judicium ferendum de gradu culpæ in choreis adeundis, non sufficit perpendere gradum periculi, quod in eis invenitur; at necessarium est etiam perpendere causam, quæ ad easdem choreas adeundas impellit. Si enim periculum non sit magni momenti, causæ etiam non magni momenti ab omni culpa, etiam veniali, excusare possunt. Si vero periculum esset grave, solæ causæ graves excusare possent. Sed quænam erunt causæ non magni momenti, et quales erunt causæ graves? Causæ non magni momenti solent esse, v. g. finis relaxandi animum; facilius inveniendi occasionem Matrimonii; non displicendi adamanti; satisfaciendi vicinis ad choreas invitantibus; non se exponendi alicui censuræ vel irrisioni, etc. Causæ autem graves possunt esse, v. g. si mulier redditura esset sibi infensum proprium maritum, aut si puella magnæ perturbationi in sua familia occasionem daret, eo quod ipsi ejus parentes in propria domo choreas indixerint, vel ejus fratres jam convenerint cum sociis se esse ducturos sororem ad choreas, communi consilio statutas, etc. Ut tamen causæ hujusmodi vere existimari debeant graves, oportet, ut nullum adsit medium, quo prædictæ perturbationes evitari possint.

1442.— Quær. *Quomodo se gerere debeant confessarii et Parochi quoad choreas?*

Resp. 1° Vitent excessum et defectum zeli contra eas. *Excedunt*, qui nimio impetu et absque ulla prudentia contra eas invehunt. *Deficiunt*, qui nulla cura tanguntur, ut eas impediant.

Resp. 2° Confessarii: a) Quoad absolutionem negandam vel concedendam sequantur regulam n. 1441 traditam. b) Etiam in casibus, in quibus absolutionem confessarius non negat, male se gereret, si tanta facilitate choreas permitteret, ut ne consilium quidem ab iis abstinendi daret. Nam, quantumvis choreæ videantur innocuæ, semper sunt periculosæ, ratione tum jacturæ devotionis et verecundiæ, tum periculi se implicandi in amoribus præcocibus et inconsultis. Quare confessarius, quantum prudenter poterit, omnem curam adhibere debebit, ut vel pœnitentes a choreis avertat, vel saltem aliquibus monitis et mediis opportunis pericula prædicta imminuat. Hæc monita sunt præcipue sequentia, scilicet, ut pœnitens 1° rectam formet intentionem; 2° modestiam servet in omnibus, maxime quoad vestes, gestus et sermones; 3° vitiosis sympathiis nullo modo obsecundet, sive aliorum erga se, sive suî ipsius erga alios; 4° post choream sanctas et congruas reflexiones, quæ pravis cogitationibus aditum præcludant, mente revolvat.

Resp. 3° Parochus: a) Persuasum sibi habeat, choreis magnam dissipationem in Parœcia produci, et sive directe et proxime, sive indirecte et remote occasionem dari multis peccatis; unde curabit pro viribus ut illas impediat, aut saltem diminuat. b) Necessaria utatur prudentia, ut aptiorem eligat viam, quæ ad hunc finem conducat. — Primo quidem multum obtinebit, si, omnibus boni pastoris muneribus rite satisfaciens, infundat fidelibus sibi commissis timorem Dei, odium peccati, curam animæ, et benevolentiam ac existimationem erga seipsum. Deinde hac in re quam maxime proficiet, si pietatem *in puellis* foveat.

III. *De Theatris.*

1443. — Horum : 1) Alia sunt *notabiliter* turpia, — *sive* ob res *notabiliter* turpes in eis aut exhibitas aut recitatas (n. 295. 8°), — *sive* ob fœminas uberibus et brachiis enormiter denudatis in spectaculo aut agentes aut præsentes, præsertim si, ut assolet, perspicillis telescopicis (*opera-glass*) contemplentur, — *sive* ob choreas scenicas (*ballets*), quibus communiter intermiscentur. 2) Alia præterea sanctissimæ Fidei nostræ sunt contraria, — *sive* quod Religionem Catholicam traducant, modo ut tyrannicam, sanguinariam, crudelem ; modo ut scientiæ, luminibus, progressui inimicam ; modo ut ridiculam, despectam, vilem ; modo ut falsam, superstitiosam, impiam, — *sive* quod sacros ritus, et ipsa Sacramenta ludibrio exponant, vel sacerdotes, Pontifices, religiosos, moniales turpibus deditos exhibeant, — *sive* quod extollant aut excusent delicta, v. g. vindictam, suicidium, adulterium, vitia carnis, etc.

1444. — Quær. *Quæ praxis quoad theatra sit tenenda ?*

Resp. 1° "A theatris . . . et scenicis ludis, iis præsertim, qui mali et periculi pleni esse noscuntur, prudenter fideles avertant (Pastores). Curent tamen, ne nimio rigorosas sectando sententias libertatem Evangelicam coarctent. Si qui enim hujusmodi sint ludi, qui nec peccandi periculo, nec scandalo obnoxii sint, iis adstare laicis permitti potest. Inter concionandum vero generalibus et gravibus verbis in eos animadvertant ludos, qui, ut plerumque fit, nonnisi peccandi ansam præbent." Ita Conc. Pl. Balt. II.[1]

Resp. 2° Absolutio deneganda est in casibus sequentibus :

1) Quibusdam ratione *scandali* (n. 295. 8°), nisi permittendi scandali causa adsit proportionata (n. 296 sq.).

2) Aliis ratione *cooperationis* ad *notabiliter* turpia aut Religioni *graviter* adversa. Cooperatio autem erit vel *positiva*, pecunia scil. vel plausu ; vel *negativa*, ea nempe non impediendo, dum aut *ex officio* adest obligatio ea impediendi, aut saltem aliàs *commode* impediri possunt.[2]

3) Aliis ratione *occasionis voluntariæ*, scil. ; a) spectatoribus repræsentationum, quæ Fidei et Religioni sint contrariæ, nisi absit tum ratio scandali, tum periculum perversionis, v. g. in persona in Fide firmissima et contra falsitates optime præmunita ; b) spectatoribus comœdiarum etiam non graviter turpium, iis nempe, quibus sint occasio proxima relativa ; c) spectatoribus comœdiarum graviter turpium, nisi adeant spectacula ob curiositatem tantum aut ob vanum solatium, secluso periculo consensus in turpem delectationem. Hujus periculi ratione S. Alph.,[1] ait : "nullo . . . modo a mortali excusarem adolescentem, qui absque necessitate vellet, curiositatis causa, hujusmodi" graviter turpibus "comœdiis interesse, nisi quis esset valde timoratus, et insuper pluries esset expertus, se, illas spectando, nunquam lethaliter peccasse ; modo suo exemplo aliis adolescentibus occasionem non præberet hujusmodi turpibus repræsentationibus assistendi ; d) *hodiedum* etiam *universim* iis, qui theatrum adeunt, non habita prius certitudine de obscœnitatum et impietatum absentia. Ratio, quia, ex communiter contingentibus,[2] periculo probabili sese exponunt. Speciatim vero patresfamilias hac de re se certiores reddere debent, antequam filiis theatrum adeundi libertatem concedant.

Dixi in Resp. 2ª sub 3) : *aliis ratione occasionis* VOLUNTARIÆ ; nam si causa satis gravis et sufficiens adsit adeundi theatrum, — ut si parentes vel maritus jubeant, *et* simul magna turbatio et discordia inevitabiliter secutura sit, si eorum voluntati resistatur, — adeuntes tractandi sunt juxta principia occasionis *necessariæ*. — Causa autem satis gravis et sufficiens non erit, quod v. g. pretium pro ingressu per totum tempus, in quo locum habebunt repræsentationes, jam datum fuerit ; — nam per interventum non recuperatur pretium ; — vel quod agatur de repræsentatione, ex qua lucrum percipiendum destinatur fini philantropico, v. g. pro asylo infantili, pro hospitali, pro pauperibus, etc. ; nam, si quis velit in illum finem aliquid conferre, id poterit facere, quin repræsentationem adeat, solvendo scil. pretium sine interventu. Hæc tamen causa valere aliquando potest, nimirum quoad optimates,

[1] a. 471. [2] L. IV. 427.

[1] L. IV. 427.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 471.

quorum absentia valde deberet notari, ita ut publice deberent vituperari ut inhumani, crudeles, pauperum inimici, etc.; maxime si ferverent factiones, et ageretur de re, quæ harum factionum valde interesset; quo casu spectabit ad prudentiam confessarii determinare, an talis ac tanta adsit necessitas, quæ tum a periculo individuali, tum a scandalo excuset, vel an facile possit inveniri ratio salvandi corpus simul et animam, v. g. se elongando a civitate, se præsentando ad theatrum per breve tempus et postea abeundo, etc. — Ita Berardi.[1]

IV. *De Conversationibus (Visits, Parties, etc.).*

1445. — Duplex conversationum distinguendum est genus; alterum earum, in quibus magnum periculum ordinarie invenitur, quales sunt: a) in civitatibus eæ, in quibus *vel* sæpe sæpius habentur sermones contra Religionem, *vel* fere semper audis sermones sive aperte, sive ambigue obscœnos, vides mulieres immodestas, et, quocumque oculos vertas, periculosa conspicis; b) rusticanæ illæ, in quibus, parentibus nullo modo vigilantibus, puellæ omnem habent libertatem conversandi cum procis, etc. — Alterum conversationum genus est earum, in quibus nihil agitur vel dicitur contra Religionem vel honestatem, ita ut omnia satis decenter procedant, terendo tempus in ludo, cantu, sonitu, et narratione publicarum vel privatarum novitatum. Periculum harum conversationum reducitur ad aliquas possibiles tentationes propter interventum personarum diversi sexus; ad aliquas murmurationes; ad aliquas levitates, laudando, v. g. hanc vel illam puellam pulchram, loquendo de theatro, de spectaculis, de hoc vel illo Matrimonii tractatu, etc. Ad hoc secundum genus pertinent etiam illæ rusticanæ conversationes, in quibus, sic disponentibus et vigilantibus familiæ rectoribus, omnia extrinsecus satis decenter procedunt.

1446. — "Hac distinctione facta, censeo," ait Berardi,[2] "quod, saltem ordinarie loquendo, a peccato mortali non possit excusari ille, qui, sine gravi causa, velit adire conversationes primi generis."

"Dixi: *sine gravi causa;* si enim aliquis gravi de causa aliquam ex hujusmodi conversationibus adiret (v. g. quia secus redderet sibi infensam illam familiam sibi quam maxime necessariam), tunc forsan permitti poterit, ut, loco deserendi eamdem conversationem statim et totaliter, deserat eam paullatim, inveniendo aliquas excusationes (quæ volenti nunquam deerunt), quarum ope poterit tandem sufficienter se ab illa liberare, quin familiam illam infensam sibi reddat."

"Quoad secundum autem conversationum genus, confessarius diligenter considerabit casus particulares eorumque circumstantias. Sic, v. g. si agatur de muliere conjugata, quæ conversationem adeat, confessarius illam examinabit, an præbeat occasionem zelotypiæ proprio marito; an tempore conversationis relinquat ancillas solas cum famulis; an tunc relinquat proprios filios aut filias in aliquo periculo, etc. — Si agatur de puella, illam interrogabit, an ludat vel sedeat ad latus amasii cum periculo tactuum furtivorum; an malitiosis indulgeat aspectibus, etc. — Si agatur de viro conjugato, illum interrogabit, an præbeat occasionem discordiæ inter seipsum et propriam uxorem; an excedat in ludo cum gravi familiæ suæ detrimento, etc. — Si agatur de filiofamilias, illum interrogabit, an contra voluntatem parentum illam conversationem adeat; an ibi cum aliquo pravo socio amicitiam ineat; an nimiam pecuniam ludo exponat, etc. — Super omnia autem confessarius perpendet, an pœnitens in istis conversationibus (quæ extrinsecus decenter procedunt), geniales affectus in corde suo nutriat, et pravis cupiditatibus consentiat. Ab hoc examine colligere poterit confessarius, an conversatio illa sit ab omni gravi periculo immunis etiam in casu particulari, vel an periculum grave contineat. Postea observabit, an hoc periculum grave (si adsit) reponendum sit in qualibet vice, vel an reponendum sit dumtaxat in conversationis assiduitate et nimia frequentia. Item an periculum possit reddi remotum per opportunas cautelas, vel an necessaria sit separatio totalis."

V. *De pravis Sociis.*

1447. — Quær. *Quomodo se gerere debeat confessarius quoad illos pœnitentes, quos malos socios habere deprehendat?*

[1] De Occas. n. 177 sq. [2] Ib. n. 189. 190.

Resp. Examinet: 1) an *vere* agatur de occasione proxima peccati *mortalis*, de qua indubie ageretur, a) si pœnitens in gravi versaretur periculo faciendi *actiones* graviter pravas, sive cum sociis ipsis (v. g. committendo cum ipsis sodomiam), sive ex eorum instigatione (v. g. eundo cum illis ad lupanaria). Idem dic, si b) ageretur de periculo habendi vel audiendi *sermones*, qui sine mortali haberi aut audiri nequeant. In *hoc* tamen casu non esset præcipitandum judicium, sed prius examinanda esset ipsorum sermonum qualitas, i. e. an sint plurium specierum (v. g. contra Religionem, contra caritatem, contra castitatem, etc.), et an revera gravem reatum contineant. Recole dicta n. 491. I. et n. 492. 1° – 5°, ubi de casibus, in quibus turpiloquia mortalia sint.

In hypothesi autem, quod sermones a mortali excusari non possint, et vere de occasione proxima agatur, examinet: 2) an hæc occasio sit voluntaria, an necessaria. Certe potest esse necessaria, si hujusmodi socii inveniantur in eodem collegio, in eadem officina, etc. (et de his casibus infra redibit sermo), vel si isti socii sint proprii vicini, quatenus (ut ruri sæpe accidit) impossibile moraliter sit eorum occursus omnino vitare.

VI. *De pravis Libris et Ephemeridibus.*

1448. — Lectio pravorum librorum et ephemeridum interdicitur a lege naturali et a lege ecclesiastica. De hac in Tract. *de Censuris* dicemus; de illa hoc loco agendum.

Ad cognoscendum gradum culpæ in iis legendis, quatenus id a lege naturali interdicitur, oportet distinguere libros in duas classes. Alii sunt impietatibus, vel obscœnitatibus pleni: alii sunt erotici tantummodo, i. e. de amoribus agentes, absque ulla vel fere ulla impietate, vel obscœnitate.

"Quoad libros primæ classis dico," ait Berardi,[1] "quod, ordinarie loquendo, et sola lege naturali inspecta, est peccatum mortale illos legere, etiamsi aliqua vice tantummodo legantur. Ratio est, quia tales libri sunt quam maxime periculosi et fatales."

Libri secundæ classis, "prout sunt multæ comœdiæ, tragœdiæ, dramata, poemata, et aliqui libri romantici moderati, in quibus multa quidem inveniuntur valde tenera et affectuosa, sed nihil vel fere nihil adest, quod de impietate vel de obscœnitate redoleat," sunt "omnes periculosi juventuti;" et, ordinarie loquendo, periculum grave adest pro iis, qui toti sunt in hujusmodi amatoriis legendis, non vero pro iis, qui interdum aliquem ex his libris legunt." Maxima autem ex parte res hæc pendet "a circumstantiis particularibus, et præcipue" est "attendendum, an lectio fiat ex fine libidinoso, aut cum speciali periculo, inspecta lectoris ætate, indole, et speciatim inspectis ejus moribus et lapsuum experientia." Cfr. supra n. 233. Resp. ad 1um.

1449. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quia dicendum sit de lectione multarum ephemeridum, in quibus passim inveniuntur aliqua vel multa Catholicæ Religioni hostilia?*

Resp. "Censeo," ait Berardi,[1] "lectionem istarum ephemeridum esse posse graviter illicitam jure naturæ, inspecta qualitate personæ legentis, frequentia lectionis, et qualitate ipsius ephemeridis, i. e. multitudine impietatum in ea contentarum, modo eas enuntiandi, etc." Cfr. supra n. 310. d).

Quær. 2° *An pœnitens habens pravum librum non proprium, sed alienum, possit illum domino reddere?*

Resp. Disting. "Si nullum," ait idem Berardi,[2] "vel parvum inconveniens secuturum sit ex combustione libri, utique tenebitur illum comburere ex caritate erga dominum, quia caritas parvæ illi (si qua sit) violationi justitiæ tunc prævalet. Si vero notabilia inconvenientia sint secutura ex combustione libri, tunc pœnitens potest illum domino reddere."

VII. *De Ludo.*

1450. — De periculis ludi vide n. 1050 *Nota.*

Quær. *An qui propter ludum versaretur in occasione proximâ inordinationum, de quibus n.* 1050 NOTA, *possit reddere remotam hanc occasionem, adhibendo cautelas et moderationem?*

Resp. Id pendet a circumstantiis. Aliquando quidem id poterit; sed, si ad

[1] De Occas. n. 201 sq.

[1] De Occas. n. 204. [2] Ib. n. 206.

ludendum feratur excessive magna passione, vel si qualitas sociorum aut loci ad ludum et ad excessus quasi ex necessitate pertrahat, tunc nullum superest remedium, præterquam in prima hypothesi deserere omnino ludum, et in secunda deserere illos socios et illum locum.[1]

VIII. *De Cauponis.*

1451. — Pericula cauponarum sunt: 1) ebrietas, et inordinationes, quæ ebrietatem ordinarie comitantur (vide n. 243); 2) ludus, et quæ ex ludo existere solent peccata; 3) neglectus orationis, Missæ obligationis, quin et præcepti Paschalis; 4) luxuria; 5) rixæ, percussiones, quin et, apud nos præsertim, homicidia.

1452. QUÆSITA. — Quær. 1° *An cauponarius possit reddere remotam hanc occasionem, abstinendo ab excessibus, quin ex toto cauponam relinquat?*

Resp. "Si cauponarius," ait Berardi,[2] "sine gravi necessitate cauponam frequentet, et si ex vitio nimis inveterato magnam ad excessive bibendum passionem contraxerit, tunc nullo modo potest spem habere reddendi remotam hanc occasionem absque separatione totali. Imo necesse est insuper deserere illos socios, qui solent ad cauponam divertere, et aliquando, maxime in principio conversionis, non erit satis velle deserere socios, sed oportebit etiam constituere se in impossibilitate illorum invitationibus obsecundandi: quod fieri potest tradendo uxori pecuniam statim ac lucrifacta fuerit; sic enim pecunia destitutus omnem divertendi ad cauponam tentationem repellere cogetur."

Quær. 2° *An adsint aliquæ causæ, quæ hanc cauponæ occasionem reddant necessariam?*

Resp. Affirm., scil. necessitas propriæ artis, v. g. quia quis est auriga, proxeneta, mercator, cerevisiæ coctor, etc.

B. *De illis occasionibus particularibus, quæ, ut plurimum vel frequenter, sunt necessariæ.*

Agendum 1° de visitationibus adamantium pro Matrimonio contrahendo; 2° de muliere, quæ propter vim illatam vel metum incussum patitur suî violationem; 3° de nonnullis occasionibus domesticis; 4° de periculis propter famulatum; 5° de periculis in scholis, collegiis et officinis; 6° de periculis in artibus et officiis.

I. *De visitationibus adamantium pro matrimonio contrahendo.*

1453. — In occasione *proxima voluntaria* versantur juvenes et puellæ se adamantes et frequentantes (*company-keeping*) — vel a) sine intentione futuri Matrimonii — vel b) sine spe fundata ejusdem. Hi igitur tractandi sunt modo, quo dictum est n. 1433 et 1436. q. 1°. — Sin vero intentio et spes Matrimonii adsint, *distingue.* Vel enim eo modo se invisunt, ut peccatum grave ejusque proximum periculum absit, vel non. In priori casu absolvi possunt; in posteriori tractandi sunt ut ii, qui in occasione proxima necessaria versantur. Vide n. 1434. 1436. q. 2°.

Cautelæ vero adhibendæ, ne frequentatio peccaminosa fiat, aut proximum peccati periculum, sunt: — 1) Ut ne sub eodem tecto habitent; — 2) ne solus cum sola versetur, eo præsertim tempore (v. g. dum parentes dormiunt, vel e domo exeunt), iisve in locis (v. g. in agro; in domo alicujus mulieris lenocinium exercentis; in aliquo viculo solitario horis nocturnis; quando puella comitatur procum ad ostium domus, etc.), ubi ab aliis non observentur. Quare cum parentibus, et præsertim cum matre, severissime agendum est, gravisque obligatio urgenda vigilis custodiæ et cautelæ; — 3) ne insciis vel invitis parentibus, aut iis, qui ipsis loco parentum sunt, sese frequentent; tunc enim certo certius clanculo, et iis temporibus et locis, quibus observari non possint, se invisuri sunt; — 4) ne nimis diu protrahatur frequentatio: quapropter prudens confessarius nullum non moveat lapidem, ut a frequentatione avertat eos, inter quos Matrimonium nonnisi post longum tempus contrahi possit, aut contrahendum fore prævideatur; — 5) ne visitationes sint nimis frequentes; — 6) ne adamantes ad invicem appropinquentur cum proximo periculo sive tactuum obscœnorum, sive osculorum, amplexuum, etc., sub gravi

[1] Berardi. de Occas. n. 207.
[2] Ib. n. 210.

prohibitorum (vide n. 486. 487. 3°. 488. 6°. 7°); — 7) ut adamantes spiritualibus subsidiis speciali modo se muniant, præcipue vero frequentia Sacramentorum. — Audiatur de his S. Alph.[1] "Generaliter autem loquendo de adolescentibus et puellis, qui invicem se adamant, non sunt isti omnes indistincte de gravi culpa damnandi; sed *ordinarie puto ipsos difficulter esse extra occasionem proximam lethaliter peccandi.* Id nimium experientia patet; nam ex centum adolescentibus vix duo aut tres, in ea occasione, a mortalibus inveniuntur immunes; et, si non in principio, saltem in progressu; tales enim adamantes prius conversantur invicem ob propensionem, deinde propensio fit passio, et passio, postquam radicem in corde fixerit, mentem obtenebrat, et eos in mille crimina ruere facit. Hinc Cardinalis Picus de Mirandola, Episcopus Albanensis, in sua diœcesi per edictum suos admonuit confessarios, ne tales adamantes absolverent, si, postquam ter ab aliis jam fuerint admoniti, ab hujusmodi amore sectando non abstinuissent, præsertim tempore nocturno, aut diu, aut clam, aut intra domos (*cum facili periculo osculorum et tactuum*), aut contra parentum præceptum, aut cum altera pars prorumpit in verba obscœna, aut cum scandalo (prout si in ecclesia), aut cum conjugatis, claustralibus, aut clericis in Sacris. — Et in hoc generaliter advertendum, quod, *ubi agitur de periculo peccati formalis, et præcise peccati turpis, confessarius, quanto magis se rigorosum cum pœnitente adhibebit, tanto magis ejus saluti proderit*, et contra, *tanto magis cum illo immanis erit, quanto magis benignus erit* in permittendo, ut ille in occasione maneat, aut se immittat. S. Thomas de Villanova confessarios in hoc condescendentes vocat: *impie pios.* Hæc caritas est contra caritatem." — Ad hæc S. Doctoris monita Kenrick[2] sequentia advertit: "Hæc nonnulli, haud sine gentis injuria, ex depravatis *Italorum* moribus durius dicta a S. Alphonso censent: sed melius æquiusque *regionibus omnibus* convenire censentur: unicuique enim compertum esse debet, ab hujusmodi consortio, diu continuato, vix abesse graviora peccata."

[1] H. A. Tr. ult. n. 3.
[2] Tr. XVIII. 191.

II. *De muliere, quæ propter vim illatam, vel metum incussum patitur suî violationem.*

1454. — *Dico I.* In *qualibet* hypothesi mulier tenetur ad non consentiendum voluntate, et ideo ad abstinendum ab omni actu *positivæ* cooperationis. Ratio per se patet. — Hinc nulla in hypothesi ipsi licebit ullo modo se componere vel accomodare ad turpem actum, tollendo v. g. vestes, etc. — Hinc etiam, si prævideat futurum, ut vis sibi inferatur, casu v. g. quo *sola* talem domum adeat, debet, si possit, eamdem domum sola non adire.

Dico II. Casus hujus violationis possunt reduci ad tres.

Primus casus est, quando violentia sit totalis et absoluta, ita ut fœmina physice non possit vel clamare, vel se agitare, vel ullo modo copulam impedire; et in hoc casu illa tenetur tantummodo ad repugnandum voluntate; ad impossibile enim nemo tenetur.

Secundus casus est, quando sine periculo notabilis damni, vel infamiæ, vel nimiæ verecundiæ possit clamare, vel extrinsecus repugnare. Hujus casus resolutionem dedimus n. 20. sub. 2°. § *Peccant graviter fœminæ*, etc.

Tertius casus est, quando haberet quidem spem evitandi fœdum congressum clamando vel aliter extrinsecus repugnando, sed solum cum periculo notabilis sui damni (v. g. mortis), vel infamiæ, vel nimiæ verecundiæ.

Circa hunc casum noto sequentia:

1) Quod attinet *periculum infamiæ* ex clamando timendæ, oportet, ut agatur de *vera* infamia, v. g. de periculo ne puella ut corrupta habeatur; sæpe enim non infamia, sed potius honor et laus provenit mulieri, ut suam honestatem servet, clamanti.

2) Recolantur dicta n. 462. q. 2° et q. 3° et n. 20 sub 2°, ubi S. Alphonsi de hoc casu doctrinam tradimus.

3) Notat Lugo:[1] "In praxi difficile credendam esse violentam oppressionem, et absque culpa ex parte fœminæ. Rarissimum enim est, quod, si velit, non possit aliquo modo resistere et violationem impedire; sed ob . . . animi imbecillitatem, et aliquando etiam ob latentem

[1] De Just. D. 10. sect. 10 in fin.

lasciviæ affectum, quam manifestare omnino erubescunt, consentiunt."

Minus tamen difficile credi potest omnino invitam fuisse oppressionem mulierum albi coloris a Nigritis, qualis aliquando in hac regione contingit; a Nigritis enim abhorrere solent.

Ex dictis resolves: 1° Si mulier turpiter tangeretur a viro, cum quo iter agit in rheda, utique meliori, quo poterit, modo resistere tenetur; sed, extra casum periculi proximi consensus, non teneretur se præcipitare e rheda, dum hæc velociter agitur, cum gravissimo periculo sibi infringendi ossa.

2° Mulier permittens se tangi ab alio, tactu, qui vulgo censetur pudicus, ut prehensio, contrectatio manus, amplexus et oscula juxta morem patriæ, non peccat, nisi ei constet fieri pravo affectu; quin et in hoc casu permissive se habere poterit, si alias suspicionem infamiæ ingereret, vel alii scandalizarentur, quod tamen certe non timendum est, dum tactus illi fiunt clam.[1]

III. *De nonnullis periculis domesticis.*

Agitur, 1° de fœmina, quæ versatur in periculo propter famulum vel alium in eadem domo degentem; 2° de adolescente, qui versatur in periculo propter fratrem, a quo turpiter tangitur, dum simul cum eo in lecto decumbit; 3° de nonnullis aliis periculis domesticis, quæ parentes a filiis avertere tenentur.

1455. — I. Quoad fœminam, de qua sub 1°, perpendat confessarius, an separatio necessaria sit ad tollendam periculi probabilitatem, et, si necessaria sit, an circumstantiæ ferant, ut exigatur, procurando scil. ut famulus, aut is, qui sibi in domo peccandi occasio est, expellatur. Hinc quæstio fieri potest, an separatio judicanda sit moraliter possibilis, si, ad illam obtinendam, oporteat rem patefacere vel patri, vel marito? Dico, non unam hac in re generalem regulam dari posse. Ordinarie tamen facienda est distinctio inter puellam, quæ sine gravi incommodo potest rem patefacere matri (quæ postea patri rem ipsam manifestabit), et inter uxorem, quæ justam potest habere repugnantiam id marito manifestandi. Prima quidem nihil damni timere potest a parentibus suis, qui summam habebunt curam cautissime procedendi, ut custodiant propriæ filiæ honorem; sed secunda potest timere imprudentias mariti, calumnias famuli, scandalum familiæ, rei publicitatem et similia mala gravissima.

Si autem circumstantiæ non ferant, ut famuli, vel alterius familiaris expulsio procuretur, confessarius aliorum mediorum applicationem exigere debebit, et præcipue providebit, ne tentator inveniat eam solam, maxime in lecto, aut in locis remotis. Facilis erit cura, si fœmina non sit valde ad venerem proclivis, et si non habeat affectum erga tentatorem; secus vero cura erit difficillima. Cæterum confessarius ex regulis generalibus, ex consideratione particularium circumstantiarum, et præcipue ex lumine divino, ferventibus precibus implorato, consilium sumet.

1456. — II. Adolescentem, de quo sub 2°, suppono non de facili posse destruere hujus periculi gravitatem quousque dormit cum fratre illo salaci, et dico: si, admonendo parentes de hac fratris nefaria actione, sperare possit lecti mutationem, tenebitur hoc medium adhibere; si vero hanc sperare nequeat, ob extremam parentum sive paupertatem, sive negligentiam, contingere potest, ut vel ipse confessarius vel Parochus huic scandalo providere valeat et debeat; et, si hæc spes adsit, adigendus erit pœnitens ad ipsum confessarium extra Confessionem, vel Parochum commonefaciendum. Quodsi neque hæc, neque ulla alia suppetat via ad obtinendam lecti mutationem, nec adolescens sine gravi suo incommodo (quod regulariter adest) possit semper aut plurimis noctibus dormire in terra vel super nudam tabulam, tractandus erit ut versans in occasione necessaria.

1457. — III. 1° Parentes, et præsertim matres, admonendi sunt de gravissima obligatione, quam habent, avertendi vel amovendi a domo, quantum possunt, ea omnia, quæ in familiæ scandalum redundant, v. g. famulos vel ancillas, qui virtuti suorum filiorum periculosi esse possint (vide n. 447, 2°); libros vel ephemerides moribus aut religioni nocivos; picturas vel sculpturas scandalosas; nuditates filiorum aut filiarum, etc.

[1] L. IV. 430.

2° Quoad parentes qui filios secum, in eodem lecto vel cubiculo, vel cum aliis diversi sexus in eodem lecto dormire sinunt, vide n. 432. 5°.

IV. *De periculis puellarum famulatum exercentium.*

1458. — *Dico I.* Ob pericula, quæ famulatum, hodie præsertim, comitari solent, puella, quæ necessitate ad id non adigatur, famulatum haud quærat, maxime si careat pietate et prudentia singulari, excepto tamen casu, in quo occasio ei offeratur illic ineundi servitium, ubi ex certis notitiis cognoverit nullum periculum adesse.

Dico II. Si autem puella famulatum jam exercens tentationibus subjiciatur, et periculo vel proximo, vel nunc quidem remoto, at brevi futuro proximo (vide n. 1432), exponatur, tractanda erit ut in occasione proxima præsenti constituta, eaque vel voluntaria vel necessaria, prout famulatus cum vel sine gravi difficultate deseri poterit. — Quodsi occasio fuerit necessaria, remedia *specialia* erunt fere hæc: 1° Famulo, vel filio, vel hero tentanti minari de re patri, matri, hero, uxori deferenda. 2° Si minæ nequicquam intententur, aut frustra intentandæ prævideantur, dominam vel per se, vel per matrem commonefacere, si exinde efficax remedium sperare liceat.

1459. — **Quær.** *An, si tentator sit herus, ancilla teneatur hujus uxorem commonefacere, quamvis prævideat exinde secuturam esse discordiam hanc inter et maritum?*

Resp. "Censeo" inquit Berardi[1] "ancillam, si faciliter possit aliud servitium sibi procurare a simili periculo immune, utique teneri potius ad eligendum hoc medium. Si autem ei non conveniat illud servitium deserere, tunc *ordinarie* debebit, vel per se, vel per propriam matrem, dominam commonefacere, si speret fructum (et ordinarie fructus est sperabilis), quamvis prædictam discordiam secuturam esse videat. Ratio est, quia, ut plurimum, hujusmodi discordia non solet esse tanti momenti, ut præponderet malis proventibus ab hoc turpi amore heri erga ancillam. Adde, quod hic amor diu non potest remanere ignotus uxori; unde ex silentio ancillæ discordia non evitaretur."

De ancilla, quæ impediatur Missam de præcepto audire, vel abstinentiam servare, recole dicta n. 408. 11°, et n. 573. 6°. — Idem valet de famulo, ut per se patet.

[1] De occ. n. 251.

V. *De periculis in scholis, collegiis, seminariis, etc.*

Quandonam scholæ sic dictæ *publicæ*, ut occasiones proximæ sint deserendæ, dictum est n. 435. Casus hic tractandi præcipue pertinent ad *Catholica* scholas, collegia, etc.

1460. — Pericula scholarum reduci possunt ad duas classes principales. Alia enim inveniuntur intra ipsas scholas; alia dum pueri ad illas accedunt, vel ex eisdem domum revertuntur. Circa hæc pericula postrema dicendum est tantummodo, pravos socios a juvenibus evitandos esse, et genitoribus gravem posse incumbere obligationem procurandi, ut sub custodia alicujus viri probi filii scholam adeant, et ab illa domum reducantur; maximum enim potest adesse periculum, ne filii omnino pervertantur, si ea occasione sine custodia relinquantur.

1461. — Pericula prioris generis, — alia locum habent, quia magistri ipsi scandalum præbent discipulis, vel saltem nulla tanguntur cura circa discipulorum mores; — alia autem, quamvis magistri probi sint, et muneri proprio satisfaciant.

In priori hypothesi, stante gravitate periculi, *ordinarie* unicum adest remedium, nempe *vel* scholam deserere, *vel*, si de schola Catholica agitur, rem per seipsum vel per parentes Parocho, *vel*, si de publica, et exinde remedium speretur, alicui ex Curatoribus scholæ, vel alteri, qui providere possit, aperire.

In posteriori hypothesi, ut si v. g. puer tentetur ab aliquo socio ad ejus latus sedente, ad magistrum pro remedio recurrendum est.

1462. — Multo magis adest hæc obligatio, si auctor seductionis pluribus aliis condiscipulis, inscio magistro, scandalum afferret; tunc enim ageretur de publico scandalo, quod potest esse adeo damnosum, ut etiam cum gravi incommodo impediri debeat. — Hæc regula valet non solum pro scholis, sed etiam (et multo magis) pro collegiis, seminariis, etc., eique aperte adhæret S. Alphonsus.[1]

[1] Regol. pei Semin. § 1. n. 5.

1463. — Quær. *An, discipulus, qui nullo modo tentatur a condiscipulo, sed ipse ex sua fragilitate condiscipulum tentat, et, aliis mediis frustra tentatis, versatur in continuo periculo peccandi, nec potest se continere eo quod iste condiscipulus ad ejus latus sedeat, teneatur propriam fragilitatem revelare magistro, ut prædicto condiscipulo locum mutet?*

Nota. Resolutio danda valet etiam pro casibus similibus in collegiis et seminariis forte occurrentibus, ut v. g. si collegialis vel seminarista ex propria infirmitate versetur in periculo propter alium collegialem vel seminaristam in eodem contubernio manentem. Idem dic de juvene vel puella, quæ non possit se eripere a periculo gravi, nisi revelando propriam fragilitatem patri vel matri, etc. His notatis :

Resp. Ante omnia perpendere debet confessarius, an præsumendum sit, Superiorem posse et velle illud remedium apponere ; et in casu affirmativo perpendendum est etiam, an remedium ita caute apponi possit, ut pœnitens publicam infamiam non sit passurus. Si enim hujusmodi infamia publica exoritura sit pœnitenti bono nomine gaudenti, hic non posset cogi ad talem infamiam subeundam, quia in tali casu ageretur de occasione necessaria. Si autem totum incommodum consistat solum in revelanda propria fragilitate Superiori, tunc confessarius perpendere debet utrum talis revelatio grave vel leve incommodum constituat. Sine dubio dantur casus, in quibus hujusmodi revelatio fieri non poterit a pœnitente sine maxima et extrema difficultate, ut si v. g. magna gaudeat existimatione apud Superiorem, vel sit valde timidus et verecundus ; verecundia enim potest esse tanta, ut aliqui eligerent potius damnari, quam tali personæ peccatum proprium manifestare, ut scripsit D. Thomas :[1] unde nil mirum si plures gravissimam habituri sint difficultatem manifestandi turpe peccatum Superiori, et multo magis patri vel matri, quibuscum quotidie conversari debent. Stante autem hac magna difficultate, non est adigendus pœnitens ad tantum onus subeundum, quia tunc de occasione necessaria res esset. Aliquando econtra ad hanc revelationem adigi deberet, quia aliquando dantur casus, in quibus hujusmodi revelatio fieri potest satis faciliter, v. g. si alia ejusdem generis peccata pœnitentis jam nota sint Superiori ; si pœnitens habeat indolem apertam et facilem ad peccata manifestanda ; si facile ei sit per litteras aut per tertiam personam ea de re certiorem reddere Superiorem, etc. Confessarius tamen, quantum possibile est, hujusmodi delationis onus suscipere evitabit.

[1] Suppl. q. 8. a. 4. ad. 6.

VI. *De periculis in artibus et officiis.*

1464. — Aliquæ artes sunt non solum periculosæ, sed prorsus iniquæ. Tales sunt omnes artes superstitiosæ, v. g. ars *sanitatum*, ars *magica*, ars *divinatoria*, etc., ad quas reducuntur modernus *magnetismus animalis*, et *spiritismus*. Tales sunt etiam ars usuraria, turpe lenocinium, etc. Nemo non videt, hujusmodi artes nulla ratione posse cohonestari, et omnino esse deserendas. Aliæ autem artes non sunt per se iniquæ, sed tantummodo periculosæ. Sic multis peccandi periculis exponuntur milites propter blasphemias et fornicationes, quæ illis sunt valde communes : item mercatores et proxenetæ propter fraudes, perjuria, etc. : item medici et chirurgi propter curationem fœminarum : item agricolæ propter turpes sermones, bestialitates, etc. : item rhedarii propter blasphemias, ebrietates, etc. : item fere omnes artifices propter sermones impudicos aut impios, etc. Idem dic de variis officiis, in quibus multa inveniuntur pericula, sicut accidit, v. g. in officio Confessarii, Advocati, Judicis, Magistratus, etc.

1465. — Quær. *An quis teneatur deserere artem non per se iniquam, sed sibi graviter periculosam?*

Resp. Neg., si vel 1) periculi gravitas faciliter destrui possit a pœnitente per alia media, v. g. mutando non artem, sed officinam ; vel 2) adsit ratio gravis non deserendi artem, et pœnitens paratus sit ad periculum remotum reddendum, et ad subeunda sacrificia eo magis gravia, quo major est ruina, cujus periculo exponitur.

C. *De occasionibus, quæ his præsertim regionibus propriæ sunt.*

Ejusmodi sunt :

1466. — I. *Quædam occasiones ebrietatis.* Præcipuæ sunt : cauponæ et po-

pinæ ; — socii et amici huic vitio dediti ; — quidam speciales sive hebdomadæ, sive anni dies, ut dies, qua operariis solvi solet salarium hebdomadarium ; quarta julii ; dies gratiis publice agendis a Gubernio quotannis designata ; prima anni ; Bacchanalium ; Paschatis ; Feria II. Paschatis et Pentecostes ; festum S. Patritii ; dies politicis electionibus præfixi ; — certæ nundinæ ; — festivitates, quæ veniunt nomine *picnics, excursions*, etc., — dies, quo infanti confertur Baptisma ; — convivia vel festa nuptialia ; — vigiliæ apud cadavera mortuorum (*wakes*) ; — funeralia.

1467. — II. *Quædam occasiones luxuriæ sive internæ, sive externæ.* Præter supra sub A et B recensitas, notandæ hic veniunt : a) Ludi, dicti *kissing plays*. b) Multæ ex iis, quas n. 1466 inter occasiones ebrietatis recensuimus, ut *excursions, picnics, wakes*, etc. c) Si solus cum sola curru vehatur, vel per loca solitaria, qualia ruri, apud nos præsertim, frequentissima sunt, deambulet.

1468. — III. *Occasiones injustitiæ.* Ejusmodi sunt : 1° plura officia publica, quæ vel facile præbent medium injuste ditescendi, vel obtineri, geri, aut retineri vix possunt, quin aliorum injustæ cupiditati indulgeatur (cfr. n. 453. 456. 458). 2° Quædam mercaturæ, e. g. quæ exercentur ab illis, qui Anglice audiunt *pedlers*. 3° Administratio rei alienæ per illos, qui operariis præsunt (*foremen*), per nummulariorum vel aliorum negotiatorum scribas (*clerks, book-keepers*), per curruum publicorum conductores, etc.

1469. — IV. *Hæresis vel Apostasiæ occasiones.* Ejusmodi esse aut fieri possunt : 1° Famulatus apud hæreticos, apostatas, vel infideles. 2° Lectio certarum ephemeridum vel librorum hæreticalium. 3° Intimior cum acatholicis consuetudo. 4° Scholæ publicæ, vel altioris disciplinæ (*high schools*). 5° Conciones acatholicorum adire. 6° Matrimonia mixta et procatio prævia ad ea, etc.

Punctum II. De consuetudinariis et recidivis.

1470. — *Consuetudinarius*, seu *Habituatus*, sedulo distinguendus est a *Recidivo*, et ille dicitur, qui per repetitionem peccatorum ejusdem generis, de quibus vel nondum confessus, vel saltem nondum confessus *et* admonitus fuit, veram propensionem in illa peccata, seu *pravum* illorum *habitum*, contraxit.[1]

Quot actus ad pravum habitum contrahendum sufficiant, pendet ab ipsius peccati repetiti *natura*, ac a *modo*, quo commissum fuit, cogitatione scil., verbo, aut opere ; — a tempore longiori vel breviori, quod inter ipsos peccati ejusdem generis actus intercessit ; — ab indole seu temperamento pœnitentis ; — a majori minorive intensitate, qua voluntas actus posuit, etc. — Sic "*quinque* vices in mense," ait S. Alph.,[2] "jam *possunt* malum habitum constituere in aliquo vitio peccati externi, modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat. Et in materia fornicationum, sodomiarum et bestialitatum multo minor numerus habitum quit constituere : qui e. g. semel in mense fornicaretur per annum, bene hic habituatus dici potest."

Inter habituatos alii sunt simpliciter tales, seu incontinentes, alii vero *habituati in mala voluntate*. — *Hi* peccant a) propter habitualem voluntatis perversitatem ; b) sine prævio impulsu passionis vehementis, seu ex propria electione, aut saltem ex levi tantum concupiscentia ; c) peccatum patratum non facile detestantur. — *Illi* econtra peccant 1) ex impetu passionis vehementis ; ita ut 2) habitualiter ipsorum voluntas sit bona et peccato contraria, quod ideo 3), transacto passionis impetu, quam maxime abhorrent. Ita Berardi[3] ex S. Thoma.[4]

Recidivus ille dicitur, qui, licet monitus et emendationem pollicitus, in idem consuetudinis peccatum est relapsus. Probe autem ex *mente* S. Alphonsi distinguendum est inter recidivum *formaliter* et *materialiter* talem. Prior ille est, qui eodem vel quasi eodem modo relapsus est ; posterior, qui post ultimam Confessionem relapsus quidem fuit, sed non eodem aut quasi eodem modo. — Itaque, ut quis dicatur recidivus *formaliter* talis, tria requiruntur : 1° Ut *habitum* peccati contraxerit ; 2° ut in *alia* Confessione rite fuerit admonitus ; 3° ut *eodem vel fere*

[1] L. VI. 459.
[2] Prax. Conf. n. 70.
[3] De Recid. n. 77.
[4] 2. 2. q. 156. a. 3. ad. 3.

eodem modo in peccatum habitus relapsus fuerit, nullo adhibito emendationis studio, nec ullo impleto medio præscripto.[1]

1471. — PRINCIPIUM I. Pravus habitus *per se* non est signum indispositionis. Ratio est, quia "licet . . . reddat peccatorem propensiorem ad peccatum, non tamen dat præsumptionem suæ infirmæ voluntatis."[2] — Hinc habituatus *statim* absolvi potest et *regulariter* debet, "etiamsi nulla emendatio præcesserit, modo eam serio proponat";[3] i. e. dispositus sit "per verum dolorem et firmum propositum adhibendi media efficacia ad emendationem."[4] Ejusmodi autem dolor et propositum præsumitur ex ipsa Confessione, spontanea utique; quæ præsumptioni cedit tantum alicui *positivæ* præsumptioni in contrarium.[5] — Dixi: STATIM *absolvi potest et* REGULARITER *debet*. Nam "si habitus esset *valde radicatus*," qualis esse solet in eo, qui est habituatus in mala voluntate, et universim in iis, qui per longum tempus alicui vitio, carnis præsertim, dediti fuere, "potest etiam confessarius ei *differre* absolutionem," a) "ad experiendum quomodo sit constans pœnitens in praxim deducendo media præscripta, utque" b) "ipse de suo vitio majorem concipiat horrorem."[6]

1472. — PRINCIPIUM II. Neque est signum indispositionis, quod quis in peccatum habitus recidivus sit, dummodo sit tantum *materialiter* talis (n. 1470). Recidivum autem tantum *materialiter* talem ostendunt — "impletio mediorum præscriptorum a confessario"; — "minor numerus peccatorum," . . . scilicet "cum pœnitens fuerit in iisdem occasionibus peccandi," non vero cum minor ille peccatorum numerus alteri causæ, quam emendationis proposito, v. g. morbo, quo post ultimam Confessionem laboravit, tribuendus est; — "si . . . post ultimam Confessionem diu se continuerit, v. g. per 20 vel 30 dies, cum ante assuetus fuerit prolabi pluries in hebdomada"; — "si relapsus" tantum "fuerit post magnum conflictum,"[7] seu diuturnam et energicam resistentiam, aut in tentatione *vehementissima*; — si post relapsum et ante Confessionem per notabile tempus a peccato abstinuerit. — Ratio principii est, quod in ejusmodi casibus relapsus, etiam frequens, merito tribuatur, non defectui veri doloris et firmi propositi, sed majori infirmitati, quæ ex pravo habitu existit. — Hinc confessarius pœnitentem, qui in peccatum habitus relapsus est, præsertim interrogare debet; a) utrum media ad emendationem præscripta adhibuerit; b) quoties et quibus in adjunctis sit relapsus. Ex responso patebit, utrum relapsus sit signum indispositionis necne. Quodsi non sit, eum absolvere potest et debet. Utrum vero *statim*, mox dicemus.

1473. — PRINCIPIUM III. Recidivus *formaliter* talis (n. 1470) eo ipso, quod eodem vel quasi eodem modo in peccatum habitus sit relapsus, fundatam indispositionis suæ præbet præsumptionem; — quæ præsumptio, nisi contraria præsumptione tollatur, efficit, ut dispositio ejus sit saltem dubia, ideoque ut dubie dispositus habendus sit ac tractandus.

Dico: 1° *fundatam indispositionis suæ præbet præsumptionem*. "Qui enim *firme* proponit (bene ait Lugo) rem sibi *moraliter possibilem*, non ita facile sui propositi obliviscitur," seu non agit ac ille, qui nullum omnino habuit propositum; "sed saltem per aliquod tempus perseverat, et difficilius aut rarius cadit."[1] Ergo hoc ipso quod eodem vel quasi eodem modo in peccatum habitus relapsus sit, fundatam præbet præsumptionem infirmi propositi.

Dico: 2° *quæ præsumptio, nisi contraria præsumptione tollatur, efficit, ut dispositio ejus sit saltem dubia*. Contrariam autem illam præsumptionem non fundant signa *ordinaria* dispositionis, *solita* scil. pœnitentium affirmatio seu protestatio, se sincere dolere et firmiter proponere; sed signa tantum extraordinaria (seu specialis aliqua doloris manifestatio), eaque *solida* et *fundata*, talia nimirum, ex quibus cum fundamento argui possit pœnitentis voluntatem revera in melius fuisse mutatam.[2]

1474. — Novem ejusmodi signa enu-

[1] Vind. Ed. 2ª. T. II. p. 276. col. 1 (1).
[2] L. VI. 459.
[3] Ib.
[4] Prax. Conf. n. 70.
[5] L. VI. 459.
[6] Prax. Conf. n. 70.
[7] L. VI. 460.

[1] L. VI. 459.
[2] Prax. Conf. n. 73. Vind. Ed. 2ª. T. II. p. 285 sq.

merat S. Alphonsus,[1] eaque hic, memoriæ juvandæ causa, sub quatuor capitibus recensemus, prout scilicet; vel A) animi dolorem primario manifestant; vel B) ex ipso Confessionis motivo; vel C) ex iis, quæ pœnitens, antequam ad Confessionem accederet, præstitit; vel D) ex ipsa accusatione et ex modo, quo instituitur, colliguntur.

1475. — A. *Animi dolorem* seu *cordis compunctionem extraordinarie manifestant lacrymæ, suspiria*, aut *cordialia verba*. Cordialia autem verba "aliquando," ait S. Alph., "certiora signa quam lacrymæ esse possunt"; lacrymæ enim "quandoque proveniunt ex aliqua passione, quam pœnitentes exponunt; vel ex motivo negatæ absolutionis, vel damni passi aut imminentis."[2] Sunt præterea, qui ipsa suî indole facilius ad lacrymas moventur, et quibus eæ ad levissimos etiam, et vix non illico sedandos, animi motus fluunt. Hinc regulariter minoris faciendæ sunt in mulieribus quam in viris. "Cæterum," addit S. Alph.,[3] "lacrymæ pœnitentium ut *plurimum* oriuntur ex compunctione cordis, *maxime* si effundantur post auditam concionem vel monitionem confessarii præbentis aliquod compunctionis motivum."

1476. — B. *Ipsum Confessionis motivum*, scilicet:

a) "*Spontanea* Confessio, nempe si pœnitens accedit, non jam ad implendum præceptum Paschale, nec propter quemdam usum se confitendi in aliquibus festis, neque accedit impulsus a parentibus, a domino aut magistro: sed venit omnino sponte, et vere inspiratus a divino lumine, ad solum finem, ut divinam gratiam recipiat. Præsertim si ad se confitendum longum iter aggressus fuerit, abstinuerit a lucro notabili," v. g. "a lucro illius diei, grave sustinuerit incommodum, aut magnum conflictum internum vel externum superaverit."[4]

b) "Si venerit motus ab aliquo extraordinario impulsu, puta ob concionem auditam," vel Missionem frequentatam, vel exercitia spiritualia peracta, "aut mortem amici" vel cognati, "obve metum alicujus imminentis flagelli," e. g. morbi epidemici, aut quia proximo alicui mortis periculo fuit ereptus.[1]

Nota. — 1° Dictum est sub a), spontaneam non esse Confessionem illam, quæ instituitur ad implendum præceptum Paschale. Cave tamen ne inde concludas, eum, qui per totum annum non sit confessus et tempore tantum Paschali ad Sacramentum Pœnitentiæ accedat, *hoc ipso*, seu *a priori*, ut indispositum esse habendum. Potius dixeris, eum qui sponte et eo fine, ut Ecclesiæ pareat et se cum Deo reconciliet, tempore Paschali ad Sacrum Tribunal accedit, præsumendum esse dispositum, quousque præsumptio hæc contraria præsumptione non elidatur. Multi tamen ad Confessionem Paschalem accedunt sine ulla animi præparatione et ex mera consuetudine; alii, quia ad eam coguntur; alii, quia sua interest ut boni Christiani censeantur. Qui quidem omnes ipso confitendi modo debitæ dispositionis defectum communiter satis ostendunt. — Meminerit tamen confessarius se Paschali præsertim tempore obligari ad disponendos pœnitentes; illud enim tempus unicum fere est, quo in animum ejusmodi pœnitentium *directe* agere possit. — Quinam hoc tempore conditionate absolvi possint, vide supra n. 1344. q. 8°.

2° *Spontaneitas* Confessionis in iis præsertim vel regionibus vel nationibus præsumenda est, in quibus fides elanguit; ibi enim respectus humanus ad suscipienda Sacramenta non impellit (sicut in aliis, in quibus viget religio), sed potius ab iisdem retrahit. Cæterum in ejusmodi etiam regionibus vel nationibus non desunt, qui ex sola consuetudine, vel ex aliis quoque motivis, ad Sacrum Tribunal accedunt.[2]

1477. — C. *Ea, quæ pœnitens præstitit antequam ad Confessionem accederet.* Ejusmodi sunt: "studium" (serium utique seu æquum, non vero minimum aliquod et vix perceptibile) "adhibitum ad emendationem; . . . aut si pœnitens adhibuerit jejunia, eleemosynas, orationes et Missas, ut bonam faceret Confessionem, et ad absolutionem se disponeret; fuga" vel amotio "occasionum; . . . impletio mediorum præscriptorum a confessario. . . . Si pœnitens, antequam accedat, res-

[1] L. VI. 460. Prax. Conf. n. 74.
[2] Ib.
[3] Ib.
[4] Ib.

[1] L. VI. 460. Prax. Conf. n. 74.
[2] Vind. Ed. 2ª. p. 402. 4. p. 444 (4).

tituerit rem vel famam ablatam "; [1] libros pravos, erga quos multum afficiebatur, combusserit vel aliter destruxerit; societati damnatæ renunciaverit, etc.

Nota quoad studium emendationis. — Id non præcise ex gradu secutæ emendationis dijudicandum est; fieri enim potest, ut levior emendatio præcipue tribuenda sit; *vel* 1) habitui valde radicato; *vel* 2) tentationibus assiduis et vehementibus; *vel* 3) indoli valde levi et volubili, quæ juvenum maxime propria est, et qua fit, ut pari facilitate ad bonum ac ad malum transeant; *vel* 4) rusticitati pœnitentis, ejus hebetudini, labili ejus memoriæ, ejus occupationibus, et etiam parvæ curæ confessariorum in assignandis ei congruis remediis; *vel* 5) ipsi peccati conditioni, puta quia facillime committitur, ut peccatum *cordis* et *oris*. Quin et in ipsis peccatis operis hoc attendendum est; nam facilius quis se polluit quam fornicetur; facilius seducitur quam seducat, etc.

1478. — D. *Ipsa accusatio, et modus, quo instituitur.* a) " Si pœnitens confiteatur peccata anterius per verecundiam tacita." b) " Si propter monitionem confessarii ostendit se apprehendisse novam cognitionem et horrorem sui peccati, periculique suæ damnationis." c) " Si ipse " pœnitens " petit a confessario remedia, aut nova media ad emendationem; item si promittit implere media, quæ tunc ei suggerit confessarius, maxime si nunquam monitus fuerit ad illa adhibenda," aut si promittit " media " antea " a confessario præstita melius exequi. . . . Sed his promissionibus censeo *non omnino fidendum*, si *alia signa desint:* cum pœnitentes, ut absolutionem carpant, facile promittant, sed postea difficulter attendant." [2]

" Alii alia signa *addunt*, prout si pœnitens magnam libenter acceptat pœnitentiam; si asserit se pœnituisse peccati statim ac illud patravit; si protestatur se velle mori potius quam peccare. Sed hæc signa nescio an *sola* satis esse possint; potius dicerem quod possunt deservire ad alia signa, *quæ sola* non sufficerent, adjuvanda." [3]

Ex his concludes sagaci confessario non esse tam difficile invenire in pœnitente, — vel confessario vero animarum zelo succenso in eodem inducere — signum aliquod extraordinarium solidum et fundatum, v. g. illud quod h. n. sub b) allatum est. Quapropter confessarius probe attendat ad hæc S. M. P. P. Leonis XII. in Bulla Jubilæi 1825 verba: " Sistunt se quidem multi Sacramenti Pœnitentiæ ministris prorsus imparati, sed *persæpe* tamen hujusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera indutus misericordiæ Jesu Christi, qui non venit vocare justos, sed peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete cum illis agere." [1]

1479. — Dico: 3° *ut dubie dispositus habendus est, ac tractandus.*

Hinc: a) Ipsi absolutio *hic et nunc* non est concedenda; neque enim Sacramentum cum materia dubia administrare licet; contritio autem, quæ est materia Sacramenti Pœnitentiæ, dubia est in recidivo *formaliter* tali. Ergo.

b) Ipsi absolutio est differenda, usquedum habeatur prudens probabilitas, *solitaria* nimirum (n. 52. 3°), de ejus dispositione, seu contritione; aliis verbis, usquedum sufficientia emendationis signa afferat. — Quod *tempus* attinet, ad quod differenda sit absolutio, S. Alph.[2] hanc tradit regulam: 1° Si agatur de recidivis ex *fragilitate intrinseca*, regulariter *sufficit* dilatio 8 vel 10, aut *ad summum* 15 aut 20 dierum. Si enim ultra id tempus protrahatur, ea vires pœnitentis, quæ alioquin satis debiles sunt, facile excedet, et hic animo cadet et difficile redibit. — Si 2° agatur de recidivis *in occasione proxima extrinseca*, diuturnior requiritur experientia, cum occasio " sit fortius incentivum ad peccandum. Verum semper sufficiet experientia mensis." Sed nec ad tantum tempus protrahenda videtur, si intra illud occasionem adire non possit pœnitens; fine enim suo dilatio tanta hoc in casu frustraretur.

c) Differenda erit absolutio ei etiam, qui jam post *primam* admonitionem *formaliter* recidivus est; quia etiam hic dubie dispositus est. Quin et regulariter magis dubia est hujus dispositio, quam illius, qui post secundam vel tertiam mo-

[1] L. VI. 460. Prax. Conf. n. 74.
[2] Ib.
[3] Ib.

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 286. Cfr. Vind. Ed. 2ª. T. II. p. 285. col. 1 (1).
[2] Prax. Conf. n. 72.

nitionem relabitur; prima enim, suapte natura, majorem ad commovendum vim habet, quam subsequentes.

Cæterum *ob alias rationes* recidivus prima vice rediens *facilius* absolvi poterit, quam secunda aut tertia vice. Signa enim extraordinaria eo *facilius* obtinentur a confessario, quo *promptius et ocyus* falcem ad radicem mittit, et præterea eo *minora* exiguntur specialia signa dispositionis, quo nondum tam multiplicata sunt indispositionis indicia.[1]

Recole etiam dicta supra n. 1476, Nota 2, de judicio circa spontaneitatem Confessionis in regionibus vel nationibus, in quibus fides elanguit et Sacramentorum frequentia valde imminuta est.

Nota. — Non mireris S. Alphonsum severiorem esse erga recidivum *formaliter* talem, quam erga pœnitentem, qui relapsus sit ex occasione voluntaria non præsenti, quem *bis terve* absolvi posse docet. Nam: 1° hic firmo vitandæ occasionis proposito non carere, nec omnia emendationis media, puta orationem, propositi renovationem, etc. neglexisse supponitur (n. 1436. q. 1°. R. 1°), ideoque non censetur recidivus *formaliter* talis. 2° Relapsus (et hæc forsan potior est ratio) ex habitu contracto per se majorem inducit suspicionem indispositionis, quam relapsus ex passione transeunte; hic enim determinatur ex subitanea et vividiori objecti præsentia in occasione; econtra habitus, ut docet S. Th.,[2] est qualitas, quæ secundum suam rationem habet, quod *non de facili transmutetur*. — Cæterum, qua *medicus*, confessarius severior esse debet cum recidivis ex occasione; quia medicus, non ad dispositionem præsentem (sicuti *judex*), sed ad pericula futura, vel ad ipsas morbi causas potissimum attendit.[3]

d) Recidivus *formaliter* talis, nisi *certo* indispositus sit, sub conditione absolvi potest vel debet in iis casibus, in quibus potest vel debet absolvi dubie dispositus (n. 1344. q. 8°). Adverte quoque, ob collabentem ubique fidem, hac nostra ætate *sæpius* lugendum occurrere casum, quo jure timeatur, ne pœnitens dubie dispositus et sine absolutione dimissus Sacramentis valedicat, atque in peccatis suis tabescat.[1]

1480. — PRINCIPIUM IV. Recidivo, licet *satis* seu *sufficienter* disposito, i. e. *materialiter* tali, vel etiam *formaliter*, sed signa extraordinaria afferenti, confessarius, ut medicus, *potest* differre absolutionem, etiam sine ejus consensu, semper ac prudenter judicat dilationem esse utilem ejus emendationi; imo ad id *tenetur*, quando judicat tale remedium esse *necessario* utile saluti sui pœnitentis.[2] Vide dicta n. 1427. II. An autem *expediat* ORDINARIE uti hoc remedio aut non, sine consensu pœnitentis? Vide dicta n. 1428. q. 1°, quibus addit S. Alphonsus: "Si pœnitens relapsus est ex fragilitate intrinseca, . . . dico cum sententia communissima Doctorum, quod raro expedit differre absolutionem recidivo, cum ille est dispositus: nam sperari debet magis gratiam Sacramenti, quam dilationem absolutionis illi prodesse posse."[3] Verum "semper proderit, quod confessarius hujusmodi recidivos" ex fragilitate intrinseca "terreat, ostendatque ac si non posset eos absolvere."[4]

Dicit S. Alph.: 1° *si pœnitens relapsus est ex* FRAGILITATE; nam ex *mente* S. Doctoris puto regulariter *differendam* esse absolutionem pœnitenti, etiam satis disposito, si relapsus est in peccatum habitus et agatur de habituato in mala voluntate (n. 1470). Differri enim juxta S. Doctorem (ib.) jam potest absolutio habituato non recidivo, si agatur de habitu *valde radicato*.

Addo, ex Berardi,[5] sequentes casus, in quibus puto ex mente S. Alphonsi regulariter convenire aut etiam oportere, ut differatur absolutio, etiam recidivo ex fragilitate intrinseca.

Primus casus esse potest, si pœnitens *versetur in magno periculo damnationis æternæ*, quatenus scilicet remedia a longo jam tempore fuerint quidem ab eo adhibita, et cum sufficienti etiam diligentia et perseverantia, sed cum nulla aut fere nulla pravæ consuetudinis emendatione (qui

[1] Vind. Ed. 2ª. T. II. p. 378 sq.
[2] 1. 2. q. 49. art. 2. ad 3.
[3] Prax. Conf. n. 71. Vind. p. 786. 2. Ed. 2ª. T. II. p. 399 sq.

[1] Vind. Ed. 2ª. T. II. p. 402. 4.
[2] Prax. Conf. n. 76.
[3] Ib.
[4] Ib. n. 77. L. VI. 464 in fine. Cfr. Vind. Ed. 2ª. p. 404 sq. et 423 sq.
[5] De Recid. n. 110 sq.

casus profecto, ut experientia constat, non est chimæricus), maxime si ille miser, sic perpetuo vivens in statu peccati mortalis, sit jam senex, vel lenta phthisi laborans, et multo magis si adsit periculum, ne aliquando mors repentina eum aggrediatur, quandoquidem v. g. ictus apoplecticus alias illum minitatus fuerit. In tali enim ac tanto periculo ratio suadet, ut, frustra tentatis omnibus aliis remediis, experiri oporteat (saltem ut plurimum) etiam remedium dilationis absolutionis; extremis enim malis extrema remedia sunt applicanda.

Secundus casus esse potest, si pœnitens habituatus *magnum et extraordinarium scandalum afferat*, ut notant plures Theologi, v. g. Sanchez,[1] Bonacina,[2] Sporer,[3] et Laymann;[4] spes enim, etiam modica, impediendi ruinam multarum animarum prævalere debet timori afferendi damnum pœnitenti; nam damnum publicum multo magis æstimandum est, quam privatum.

Tertius est casus *restitutionis* (maxime si agatur de magna summa), ut dictum est n. 719. 4°.

Quartus est casus *reconciliationis* exequendæ cum inimico, aut inter maritum et uxorem, ut notant S. Franciscus Xaverius,[5] et Roncaglia.[6]

Dicit S. Alphonsus: 2° *si pœnitens relapsus est ex fragilitate* INTRINSECA: nam si relapsus est ob occasionem, cum eo agendum erit, ut dictum est n. 1479. b).[7]

1481. — RATIO *agendi cum consuetudinariis et recidivis.*

1° *Quoad monitiones.* Eos, qui *levioris* ingenii sunt, nec *gravitatem* et *periculum* peccati habitus et relapsus satis persentiscunt, concutere et terrefacere conetur confessarius, ac gravioribus verbis doceat, quanto periculo æternam suam salutem exponant, nisi *seriam* vim sibi inferant. — *Pusillanimibus* autem animos addat, eosque hortetur, ne proposito emendationis renuntient, auxilio confisi Illius, qui non deserit eos, qui bonæ sunt voluntatis. Speciatim eos moneat, ut, dum relabuntur, a melancholia et pusillanimitate sibi caveant, et potius statim actum contritionis eliciant, propositum renovent, ac, quantocius fieri poterit, ad Confessionis remedium recurrant, ne scilicet primus ille relapsus multorum aliorum causa fiat. Ipse vero etiam confessarius quam maxime curet, ut ne et sibi animus ac patientia deficiat.

2° *Quoad media emendationis.* Vide dicta n. 1434.

3° *Quoad absolutionis dilationem.* Curet quam maxime confessarius, ut quam minime fieri poterit odiosa sit pœnitenti. Ideo eum de ejusdem vel necessitate vel utilitate convincere conetur, eumque nonnisi verbis humanissimis a se dimittat, ac amanter inducat, ut tempore determinato ad se redeat. Recidivi enim, cum animo facile despondeant, dum post aliquod tempus in eadem semper peccata relabuntur, difficulter redibunt ad confessarium, a quo minus benigne tractantur.

Punctum III. De Confessione puerorum ante Primam Communionem.

1482. — 1° *Annua ejusdem obligatio* quandonam existat, vide n. 115. 548. — Valde commendanda est praxis illorum pastorum, qui omnes parochiæ suæ parvulos, qui septennium jam expleverunt, bis, ter vel quater etiam per annum ad Sacramentum Pœnitentiæ adduci curant. Ne vero hæ parvulorum Confessiones optato frustrentur fructu,

2° *Debita ad eam requiritur præparatio*, seu *specialis de Sacramento Pœnitentiæ instructio.* Hæc: a) fiat ante primam, et, si fieri possit, ante singulam etiam trimestrem parvulorum Confessionem; b) eorum captui sit accommodata; c) ita instituatur, ut parvulis provida (non tamen anxia) ad hoc Sacramentum digne suscipiendum ingeratur sollicitudo, discantque illud amare potius quam timere; d) doceat *necessitatem* et *modum* examinis conscientiæ, percurrendo præcepta Decalogi, quatenus ea a parvulis violari communiter soleant aut verosimiliter violata fuerint; — *necessitatem* pariter et *motiva* contritionis, eamque, ut donum gratiæ, fervidis a Deo precibus impetrandam esse; — *gravissimam* sigilli Sacramentalis *obligationem*, non confessario tantum, sed omnibus etiam, quibus per accidens aliquid ex Confessione alterius innotuisset, incumbentem, unaque eos moneat, ne vel ipsi aliis quidpiam ex

[1] L. II. Dec. c. XXXII. n. 45.
[2] De II. Dec. D. IV. q. 1. p. 13.
[3] n. 332.
[4] L. V. Tr. VI. c. IV. n. 10.
[5] L. IV. Ep. 8. n. 14.
[6] Q. 5. c. 4. Reg. 1.
[7] Cfr. Vind. Ed. 2ª. T. II. p. 426 sq.

propria Confessione, ne pœnitentiam quidem, patefaciant. — Licet vero parvulis absolute prohibendum non sit, ut Confessionem suam scripto consignent, curandum tamen est, ne in Formula Examinis Conscientiæ, quæ in certis libris precum reperitur, peccata sua signo aliquo annotent; ne scriptam Confessionem ludimagistro corrigendam præbeant; ne eam aliis ostendant, eamve conservent. — Optimam instructionis normam exhibet libellus: *Catechism of Christian Doctrine for Beginners*, p. 76 sq. Auctore M. Müller C. SS. R., typis Fratrum Kreutzer Balt. et Fr. Pustet Neo-Ebor. et Cinn. 1874 editus.

Post hanc instructionem cum parvulis fiat *exercitium practicum* eorum, quæ ante Confessionem, in ipsa, et post ipsam peragenda sunt, nimirum invocationis Spiritus Sancti, examinis, contritionis et Confessionis. — Parvuli publice in Ecclesia ad Confessionem admittantur, sed singulis diebus aut diei partibus is tantum eorum numerus, qui commode audiri possit; ita nimirum nec ipsi expectando tædii, nec confessarius audiendo operationis periculo exponentur. — Post Confessionem per aliquod temporis spatium gratiis Deo agendis vacent ac pœnitentiam persolvant, separati tamen a sociis, qui Confessionem necdum absolverunt.

3° *In ipsa parvulorum Confessione* confessarius: a) "Adhibere debet omnem caritatem et modos suaviores," [1] ne scil. ex timore, ætati suæ proprio, aliquid reticeant, neve a Confessione abhorrescant. — b) Aures præbeat parvulo, expectans donec ipse incipiat peccata sua declarare; quodsi silens manserit, *suaviter* hortandus erit, ut incipiat. Sin autem confessarius nequicquam ad id hortatus fuerit, ipse totum Confessionis onus in se suscipiat. — c) Qua ratione parvuli interrogandi sint circa *Sextum* Decalogi præceptum, vide n. 1425. — d) Dum parvuli læsum parentum honorem veniæ petitione reparare tenentur, "*satius* est curare, ut *ante* absolutionem hanc veniam poscant. . . . Si autem non possit *commode* hic actus ab illis exigi, . . . potius ut consilium insinuetur, dum certe præsumuntur, saltem ut plurimum, parentes remittere filiis hanc obligationem, ne filii iterum in Dei offensam incurrant." [1] — e) Ante absolutionem actus contritionis cum parvulis *interrogando* eliciatur. — d) "Pœnitentia . . . levis sit, quantum fieri potest." [2]

De absolutione parvulis concedenda necne, eaque vel absoluta vel conditionata, vide n. 1344. q. 8°.

Nota. Etiam illi parvuli, qui absolutionis necdum sint capaces, non sine fructu in confessionali audientur, ut sic confiteri addiscant, et hac occasione doceantur, qua ratione cogitationes, verba et opera examinari, mane et vespere orare, ac domi et in ecclesia sese gerere debeant. Hanc praxim S. Carolus Borromæus cum iis etiam parvulis, qui quintum aut sextum ætatis annum nondum expleverint, commendat.

Punctum IV. De Confessione adolescentium post Primam Communionem.

1483. — 1° Nulli curæ parcat confessarius, ut sæpius per annum ad Sacramenta accedant. Inde enim timor Domini in eis augetur, seductio et imbecillis hominum timor præcaventur, ac animi in aperiendis conscientiæ latebris sinceritas fovetur. Hinc

2° Caveat confessarius, ne adolescentes verbis rudioribus, aut acerbioribus increpationibus a se avertat, sed curet potius, ut eorum sibi corda paterna benevolentia devinciat, eos ad vigilantiam christianam, ad perseverantiam in bono, ac ad extirpanda vitia, in quæ propensiores eos esse cognoverit, benevola gravitate monendo et exhortando.

3° In audiendis eorum Confessionibus: a) Videat, an et quibus periculis fides et mores eorum exponantur; — quibuscum sociis consuetudinem foveant; — quibus quasi initiis peccato exponantur aut expositi fuerint, an cogitationibus, an sermonibus, an cantilenis, an aspectibus, an consuetudine cum aliis; — *qualia* fuerint prima eorum peccata mortalia, malitiæ an infirmitatis. — b) Hortetur ad sinceritatem, ad energicam resistentiam tentationibus opponendam, ad fugam periculorum et occasionum. — c) Potior sit in docendo et monendo quam in interrogando. — d) Abstineat a quocumque etiam verbulo, quod ab aliis audiri nollet.

[1] Prax. Conf. n. 90. [2] Ib. n. 91.

4° Nullam iis displicentiam ostendat, si *quando* ad alium confessarium accesserint; quin et dissimulet se id scire; ad causam vero, cur eos id fecisse suspicetur, attendat. Quodsi alterius confessarii pœnitens ad se accesserit, pro nunc eum audiat; at causam inquirat, et casu, quo mutandi confessarii rationem sufficientem nullam adesse detexerit, hortetur, ut ad eundem confessarium redeat; nam servandæ innocentiæ et vitæ in melius mutandæ nullum aptius est medium, quam regulariter eundem semper adire confessarium.

De eligendo ab adolescentibus vitæ statu consule dicta n. 425. 426. 1150 sq. et 1524.

Punctum V. De Confessione personarum alterius sexus.

1484. — Confessarius:

1° "Regulariter in confessionario cum junioribus" alterius sexus personis "sit potius rigidus," i. e. gravis, "quam suavis." [1]

2° "Imprudentia . . . est conjicere oculos in pœnitentes, cum a confessionario recedunt, easque per aliquod tempus intueri." [2]

3° Nisi *pastoralis* officii ratio id expostulet, "extra confessionarium nec etiam immoretur ad colloquendum cum ipsis, . . . omnemque familiaritatem devitet, . . . et præcipue ad illarum domus nunquam accedat." [3]

4° "Abstineat etiam a recipiendis," præsertim in suî unius favorem, "munusculis." [4]

5° "Non adeo mulierum Confessionibus sit addictus, ut per hoc homines," i. e. viros, "ad se venientes, audire recuset," [5] aut commode nequeat. Quare commendanda est praxis in quibusdam ecclesiis existens, ut ab una parte confessionarii, ad dexteram scil. confessarii, consistant soli viri, ad alteram solæ mulieres, et ut personis devotis dies aliquis vel tempus assignetur, quo commode accedere possint, quin alii ob eas expectare cogantur.

6° Litteræ ad directionem mulierum pertinentes sint: a) *responsoriæ tantum* et ne hæ quidem adhibeantur, dum directioni aliter provideri potest; b) *graves*, et, quoad ejus fieri poterit, *breves*; c) ita scriptæ, ut, præciso sigillo sacramentali, ab Episcopo legi possint. Ita Dubois, *Pratique du zèle ecclésiastique*.[1]

[1] Prax. Conf. n. 119. [2] Ib. [3] Ib. [4] Ib. [5] Ib. n. 120.

Punctum VI. De Confessione personarum spectatæ conditionis.

1485. — Agitur hic præsertim de *modo*, quo honoratiores, puta præcipui inter parochianos, sacerdotes, Prælati tractandi sint. "Cum hujusmodi adhiberi debent correctiones verbis lenioribus et discretioribus, sed majori animi fortitudine et calore, cum ex istorum peccatis propter gravius damnum, quod ipsorum malo exemplo aliis afferri potest, perniciosior flagitiorum consequens esse soleat licentia." [2]

Punctum VII. De Confessione personarum pietatem profitentium.

1486. — Ad perfectionem ducantur pœnitentes qui vivunt immunes a culpis mortalibus,[3] at

1° *Ordinate* et *per gradus*. — Hinc doceantur: a) "Cavere a minimo defectu deliberato, sive apertis oculis admisso," [4] ita tamen, ut post admissam quamdam levem culpam non cadant animo, sed actibus humilitatis, doloris et propositi a lapsu resurgant, idque etiamsi centies in die caderent.[5] b) Actiones ordinarias, seu orationes, officia status sui, etc. bene peragere, et rectam in omnibus habere intentionem. c) Primum conari ad *patientiam*, deinde tantum ad *gaudium* in adversis. d) Ferre levia discant, priusquam appetant gravia.

2° Exerceant se præcipue in obedientia erga confessarium, parentes, maritum; in caritate erga proximum, præcipue erga domesticos; in patientia, in exercitio præsentiæ Dei, in devotione speciali erga B. M. Virginem, S. Josephum, Angelum Custodem, et Sanctum Tutelarem.

3° a) Orationi mentali pro captu suo quotidie per aliquod tempus incumbant, nec eam, aut alia pietatis aut mortifica-

[1] Chap. XV. [2] H. A. Tr. 21. n. 4. [3] Prax. Conf. n. 121. [4] Prax. Conf. n. 161. [5] Ib. n. 162.

tionis exercitia, ob ariditatem spiritus umquam omittant.[1] b) Mortificationi christianæ sic incumbant, ut internam externæ anteponant, hanc vero non negligant. In externa autem *positiva*, puta jejuniis, disciplinis, etc., nihil agant sine consilio confessarii. Hic vero generatim minus concedat quam rogetur; gulæ et sensualitati coercendæ præcipue intendat; in somni mortificatione concedenda discretus sit; et imprimis hortetur ad mortificationes *negativas*, cujusmodi sunt privare se visione aut auditione rerum curiosarum, etc.[2]

c) Quod attinet ad Sacramentorum frequentationem: 1) Suadeat Confessionem generalem iis, qui scrupulosi non sint, nec eam adhucdum peregerunt. 2) Semel, aut ad *summum* bis in hebdomada confiteantur. Qui vero in veniale lapsus est et opportuna confitendi occasione caret, non ideo a Communione abstineat, cum venialia aliis etiam mediis remittantur. — Quin et quidam timorati sæpe utilius sese propriis actibus, utpote qui tunc ferventiores esse solent, quam Confessione ad Communionem disponent.[3] De contritione ad venialium Confessionem requisita vide n. 1340. q. 7°, 1350. q. 4°, 1355. q. 4°; de absolutione eorum, qui dubie tantum venialia confitentur, n. 1344. q. 8°; de frequentia Communionis n. 1313; de directione eorum, qui altioris orationis, seu Contemplationis dono ditati sunt, *Prax. Conf.*[4]

Recole etiam dicta de modo agendi cum mulieribus (n. 1484), et de non impediendis hujusmodi pœnitentibus (nisi scrupulosi sint) ab adeundo quandoque alio confessario (n. 1483. 4°), quem etiam aliquando adire jubendi sunt.[5]

ARTICULUS II.

DE OFFICIO MINISTRI POST CONFESSIONEM.

Duplex est obligatio confessarii post Confessionem: 1° *per accidens*, quoad defectus commissos reparandos; 2° *per se*, quoad Sigillum servandum.

[1] Prax. Conf. n. 122–125.
[2] Ib. n. 145. 146.
[3] Ib. n. 148.
[4] Ib. n. 126–144.
[5] Ib. n. 100.

§ I. *De obligatione corrigendi defectus in Confessione commissos.*

1487. PRINCIPIA. — I. Error circa valorem Sacramenti cum gravi culpa vel gravi negligentia commissus, supposito gravi damno pœnitentis, reparandus est etiam cum gravi incommodo confessarii. Ratio est, quia pœnitens *grave damnum* pateretur, si confessarius ipsum in carentia gratiæ sacramentalis relinqueret; *justitia* vero etiam cum gravi incommodo obligat ad reparandum damnum, proximo cum gravi culpa illatum. Excipe: a) Si error reparari non posset sine læsione Sigilli Sacramentalis, ut si pœnitentem de errore commisso, petita etiam licentia, monendo, graviter offenderes: b) Si pœnitens postea *vel* alteri confessus fuerit, *vel* S. Eucharistiam susceperit, quia in utroque casu moraliter certo justificatus præsumitur, et damnum reparatum fuit. — Si autem error sit inculpabilis vel leviter culpabilis, confessarius obligatur tantum *ex caritate*, adeoque non cum gravi incommodo. Excipe: 1) Si sit Parochus (seu quasi parochus), ut S° Alph° videtur; hic enim *ex justitia* tenetur reparare grave damnum spirituale subditorum: 2) Si pœnitens esset in articulo mortis, aut in gravi periculo non amplius confitendi, quia in hisce casibus æterna pœnitentis salus *proxime* periclitaretur; caritas autem strictius, et etiam cum gravi incommodo, obligat, si proximus in extrema necessitate spirituali constitutus sit.[1] Cfr. n. 279. 2ª et 3ia Reg.

II. Error circa accidentia Sacramenti, — ut si confessarius neglexerit interrogare circa species et numerum peccatorum, *cum interrogare debuisset*, — non est reparandus extra Confessionem, si confessarius in hoc negative tantum, etsi culpabiliter, se habuerit: ratio, quia confessarius non tenetur procurare integritatem Sacramenti et utilitatem pœnitentis, nisi in Confessione, ut medicus spiritualis et Minister Sacramenti. — Reparandus est autem etiam extra Confessionem error, si positive et cum culpa gravi commissus fuerit; quia ex jure naturali quisque debet tollere causam mali, quam positive et voluntarie posuit. Quærenda tamen est

[1] L. VI. 619. Cfr. Vind. p. 621 sq. Ed. 2ª. T. II. p. 245.

pœnitentis venia; quam si pœnitens neget, confessarius ad nihil ulterius tenetur. Idem dic, si sine scandalo aut gravi suo damno eum monere non posset; nam sicut grave damnum excusat pœnitentem ab integritate, ita etiam confessarium.[1]

III. Minor tamen in hoc posteriori casu erit obligatio monendi extra Confessionem, quia hic error vix, aut ne vix quidem pœnitenti vel aliis (ratione scandali) nocere potest. — Ita *communiter*. — Excusatur itaque in hoc casu confessarius, licet cum culpa gravi positive pœnitentem induxerit, ne v. g. speciem explicaret, si, ut mox sub II. dictum fuit, sine scandalo vel sine gravi suo damno monere nequeat. Si vero sine gravi culpa ita egerit, multo minor causa ab hac obligatione liberabit; si absque culpa, regulariter non tenetur ad hanc monitionem.[2] — Similis resolutio esto, si confessarius oblitus sit pœnitentiam injungere; nihil enim valori Sacramenti deest. — Scav.[3] — Si tamen non solum in aliquo particulari casu pœnitentem ab onere explicandi, v. g. speciem, indebite solvit, sed insuper falsum præceptum ipsi intimavit, v. g. non opus esse species peccatorum explicare, rigidior saltem in genere obligatio ad monitionem subsistet.

1488. QUÆSITA. — Quær. 1° *Ad quid teneatur confessarius, qui indebite pœnitentem a restitutione facienda solvit, vel e contrario ad eam obligavit?*

Resp. 1° Si ex malitia vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia solverit indebite pœnitentem, tenetur errorem corrigere; quod si non corrigat, vel pœnitens, qui secus restituisset, interea factus sit impotens ad restituendum, confessarius ipse ejus loco restituere tenetur, quia jus creditoris violavit, impediendo scilicet restitutionem ei debitam. Dixi: *qui secus restituisset*. Si enim, quamvis monitus, ante impotentiam non restituisset, nec confessarius obligabitur.

Resp. 2° Item, si ex malitia aut ignorantia vel negligentia gravi obligavit pœnitentem ad restitutionem indebitam, tenetur ex justitia errorem retractare; et, si pœnitens jam restituit, tenetur ipsi damnum resarcire.

Resp. 3° Si inculpabiliter aut ex levi negligentia pœnitentem indebite obligavit vel ab obligatione solvit, tenetur ex justitia errorem corrigere, non tamen cum tam gravi incommodo. Ratio est, quia ex una parte quisque tenetur ex justitia impedire, ne sua actione, etiam inculpabili, pariat alteri damnum, quod facile præcavere potest; aliunde vero ex culpa levi aut tantum materiali ordinarie non oritur obligatio cum gravi incommodo.[1]

Quær. 2° *Ad quid teneatur confessarius, qui omisit monere pœnitentem de restitutione facienda?*

Resp. 1° Tenetur monere pœnitentem intra Confessionem de obligatione cum aliquo incommodo, si nulla aut levis tantum culpa intervenerit, saltem ratione caritatis; majori autem cum incommodo, si in omissione graviter peccaverit, vel *forte* etiam, ait S. Alphonsus cum Lugo, si ille, cui restituendum sit, *gravissimum* inde damnum patiatur, licet nullo modo aut leviter tantum peccaverit confessarius in omissione.[2]

Resp. 2° Utrum et quando in hoc casu confessarius tencatur restituere, vide n. 774. q. 1°.

Quær. 3° *An teneatur ad restitutionem, qui ex levi tantum culpa pœnitentem ab obligatione restituendi solvit, si deinde negligat eum monere, cum facile possit?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia, licet confessarius sine culpa saltem gravi pœnitentem exemerit a restitutione, tamen, cum ejus consilium pergat influere in damnum creditoris, ipse, cognito errore, tenetur ex justitia causam damni auferre, si facile possit[3] (n. 749. q. 3°).

Quær. 4° *An confessarius sine pœnitentis licentia possit extra Confessionem cum eo loqui de defectu commisso in Confessione?*

Resp. Neg., si pœnitens jam discesserit; ratio, quia monitio illa extra Confessionem onerosa est pœnitenti. Aliunde post absolutionem completum est judicium; nec refert, quod monitio fiat ad reparandum ejusdem Confessionis defectum.[4] Attamen si confessarius pœnitentem non, vel non rite, i. e. male prolata forma, absolvisset, etiam non petita licentia, *posset*, ac in iis casibus, qui num° proxime præcedenti, 1487, in Princi-

[1] L. VI. 620. [2] Ib.
[3] T. III. n. 413.

[1] L. VI. 621. [2] Ib.
[3] Ib. [4] Ib. 622.

pio I. explanati fuerunt, *deberet* errorem suum aperire, dicendo v. g. se non absolvisse; qua ratione sane nec sigillum frangitur, nec rationabilis adesse potest pœnitentis offensio.[1]

§ II. *De sigillo Confessionis.*

Sigillum Confessionis est religiosa obligatio servandi secretum circa ea, quæ ex Confessione Sacramentali cognita sunt.

Agendum 1° de obligatione sigilli; 2° de subjecto sigilli; 3° de objecto sigilli; 4° de variis modis illud violandi.

Punctum I. De obligatione sigilli.

1489. Principia. — I. Datur strictissima obligatio inviolabiliter servandi sigillum Confessionis. Constat 1° ex *jure naturali*, et quidem titulo tum fidelitatis, tum justitiæ, tum religionis, quo fit, ut qui illud violat, graviter peccet peccato *sacrilegii* contra Sacramentum, *infidelitatis* contra onerosam, licet tacitam, promissionem secreti servandi, et *detractionis*, si peccatum non sit publicum; 2° ex *jure divino positivo*, saltem implicito; nam ex institutione Christi Confessio secreta esse debet: ergo eo ipso a Christo imposita est confessariis obligatio sigilli servandi; 3° ex *jure ecclesiastico*, ut patet ex pluribus Juris Canon. locis, præsertim ex Conc. Lateran. IV. c. 21. *Omnis utriusque sexus*, ubi dicitur: "Caveat autem omnino" confessarius, "ne verbo aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem; sed, si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat."[2] — Non tamen omnem *inanem* suspicionem evitare hac in re confessarius tenetur, sed tantum *probabilem*.[3]

II. Obligatio sigilli Confessionis semper in omni casu urget, etiam post mortem pœnitentis, ita ut nullo casu possibili liceat revelare quidquam in Confessione auditum et acceptum. Ratio manifeste patet; nam, si aliqua posset dari exceptio, homines semper timerent, ne tale peccatum foret illa causa frangendi licite sigillum; et proinde odiosum evaderet Sacramentum. Porro nulla causa boni assequendi, vel mali fugiendi, istud malum odii Sacramenti compensare potest.[1] In hoc igitur secretum *Sacramentale* differt a *naturali*, quod, licet posterius *occasione* Confessionis aliquando exoriatur, non tamen in omni casu obliget; prius autem *nullo casu possibili*, ut dictum est, violari possit.

III. Obligatio sigilli oritur ex *omni* et *sola Confessione Sacramentali*, quæ nempe fiat cum animo se accusandi et absolutionem obtinendi. Dicitur: 1° *ex omni*, . . . quia tunc adest tota ratio præcepti; et hoc valet, etiamsi non collata esset absolutio quacumque de causa, cum Confessio fiat in ordine ad recipiendam aliquando absolutionem. Dicitur: 2° *ex sola*, . . . quia sola Confessio Sacramentalis includit rationem præcepti, cum alia manifestatio quælibet nullam relationem cum Sacramento Pœnitentiæ habeat.[2]

IV. Cessat obligatio sigilli, si pœnitens licentiam dedit utendi scientia ex Confessione. Hæc autem licentia, 1° expressa, 2° omnino spontanea, 3° non revocata sit oportet, nec 4° ultra fines a pœnitente permissos extendatur, 5° servatis simul conditionibus ab ipso appositis, nec 6° petatur, nisi rationabilis causa id exigat.

1490. *Resolves.* — 1° Confessio, quæ *scienter* fit laico vel sacerdoti jurisdictione carenti, non inducit obligationem sigilli, sed tantum secreti naturalis. Secus dicendum esset, si sacerdos credatur approbatus; quia Confessio ex parte pœnitentis vere est Sacramentalis.

2° Si quis ad confessarium accedat animo eum decipiendi, irridendi, in peccatum pertrahendi, aliquid ab eo extorquendi, non se accusat in ordine ad Sacramentum, et proinde nulla est obligatio sigilli Sacramentalis.

3° Si quis conscientiam confessario aperiat sine voluntate absolutionem suscipiendi, nec in ordine ad Confessionem *faciendam*, nec per modum Confessionis *continuatæ*, sed ut consilium obtineat, vel ut mandato Superioris aliquo modo satisfaciat, urget tantummodo obligatio secreti naturalis, quia hoc non fit in ordine ad absolutionem dandam vel datam.

1491. Quæsita. — Quær. 1° *An detur parvitas materiæ in sigilli violatione?*

[1] L. VI. 622.
[2] L. V. Decr. T. XXXVIII. c. 12.
[3] L. VI. 635. 661.

[1] L. VI. 634. [2] Ib. 636 sq.

Resp. Neg., saltem in revelatione directa. Ratio est, quia materia, etiam levissima, includit totam rationem præcepti.[1]

Dixi: *saltem in revelatione directa;* quia si periculum indirectæ revelationis sit *valde remotum* seu *parum probabile*, dari potest materiæ levitas. Revelatio enim, si aliqua forte tunc sequeretur, casu et per accidens subsequi censenda foret.

Quær. 2° *An liceat uti opinione probabili in materia sigilli?*

Resp. Neg., quia non licet uti opinione probabili in præjudicium juris certi, quod alter possidet, etc. Confessarius igitur ad sigillum tenetur, etiam in dubio, an aliquid dictum sit a pœnitente in ordine ad Confessionem.[2]

Quær. 3° *Quid confessarius respondere debeat interroganti de auditis in Confessione, aut de impertita absolutione?*

Resp. Quoad 1^{um} respondeat, etiam cum juramento, si opus sit, se nihil scire, vel nihil audivisse; quia nullam habet scientiam communicabilem. — Ita *omnes.*

Quoad 2^{um} respondeat: *Functus sum meo officio;* vel: *Suntne interrogationes istæ faciendæ?*[3]

Punctum II. De subjecto sigilli.

1492. Principia. — I. Tenetur primario ad sigillum confessarius quilibet, sive verus, sive fictus et per errorem legitimus existimatus, et proinde etiam laicus, qui se sacerdotem fingeret, et Confessionem exciperet. Ratio est, quia quoties quis confitetur in ordine ad Sacramentum, quisquis eum audit, eo ipso contrahit sigilli obligationem; secus enim odium Sacramenti inde sequeretur. — Ita *omnes.*

II. Tenentur secundario, qui Confessionis fiunt participes, seu ii omnes, ad quos notitia Confessionis quomodocumque pervenit, sive ex ipsa Confessione, sive ex mediis ad illam ordinatis. Dicitur: 1° *ex ipsa Confessione;* nam res accusata ad eorum notitiam pervenit eadem occasione seu causa, propter quam obligatio sigilli datur, scilicet ne odium in Sacramentum creetur. Dicitur: 2° *ex mediis;* nam odium mediorum in finem ipsum redundat.

Hinc ad sigillum tenentur: 1° interpretes adhibiti in Confessione peragenda; 2° Superiores, a quibus extra Sacramentum petitur facultas absolvendi vel recipiendi absolutionem a casu reservato; 3° qui peccatum, dum quis confitetur, sive de industria, sive etiam inculpabiliter audiant, et pariter si qui ab istis illud forte audirent; 4° qui scribunt Confessionem rudium, vel ignorantium linguam confessarii, præsertim si alio modo Confessio peragi non possit; 5° doctores a Confessario consulti, etsi de licentia pœnitentis; 6° ii omnes, quibus confessarius sacrilege vel imprudenter peccata in Confessione audita manifestasset.[1]

1493. Quæsita. — Quær. 1° *An pœnitens quoque obligetur sigillo respectu confessarii?*

Resp. 1° Non tenetur ad sigillum *Sacramentale*, quia obligatio sigilli est tantum in favorem pœnitentis.

Resp. 2° Tenetur autem ad *secretum naturale* circa ea, quæ revelare nequit sine injusto confessarii damno, aut contra rationabilem ejus voluntatem, vel sine injuria et contemptu Sacramenti.[2]

Quær. 2° *An confessarius possit loqui cum pœnitente de ipsius Confessione?*

Resp. 1° Potest loqui in Confessione de omnibus Confessionibus præteritis. Caute tamen id fiat, et ex ratione sufficiente, ne forte pœnitens offendatur.

Resp. 2° Potest etiam loqui post absolutionem antequam pœnitens discesserit, vel si postea redierit. Ratio est, quia licet completum sit Sacramentum, tamen judicium adhuc moraliter perseverat.

Resp. 3° Extra Sacrum Tribunal ne ullum quidem verbum sine pœnitentis licentia facere cum ipso potest circa ea, quæ ad ejus Confessionem pertinent. Excipe, si ipse pœnitens prior de sua conscientia, i. e. de iis, quæ fuerunt Confessionis materia, loquatur. Tunc vero confessarius non debet excedere materiam, de qua pœnitens verba fecit.[3]

Quær. 3° *An teneatur ad sigillum, qui legit chartam, in qua pœnitens Confessionem scripsit?*

Resp. 1° *Neg., per se.* Ratio est, quia hoc non est medium *de se* ordinatum ad Confessionem, et proinde non infert *per se* obligationem *sigilli Sacramentalis*, sed tantum *secreti naturalis;* sub gravi ta-

[1] L. VI. 635. [2] Ib. 633.
[3] H. A. Tr. XVI. 148.

[1] L. VI. 647. 648. [2] Ib. 647.
[3] Ib. 651 sq.

men per se urget, nisi de levissimis culpis agatur.[1]

Resp. 2° *Per accidens* potest adesse obligatio sigilli, si charta esset aut fuisset medium necessarium ad Confessionem : v. g. si scripta esset a muto, vel directa ad Superiorem alicujus reservationis causa ; item si charta jam tradita esset sacerdoti ; maxime vero si quis eam legeret, dum est in manu confessarii, aut in actu Confessionis, aut amissa esset ab ipso confessario, aut inventa in confessionali ; nam in his casibus ad Confessionem pertinet.[2]

Quær. 4° *An teneatur ad sigillum Confessionis doctor consultus ab ipso pœnitente ?*

Resp. Neg., saltem *probabilius*, si consulatur circa Confessionem alteri faciendam ; sed tenetur tantum ad *secretum naturale*. Ratio est, quia obligatio sigilli oritur ex sola Confessione Sacramentali, in qua pœnitens manifestat peccata in ordine ad absolutionem. — S. Alph.[3] contra *aliquos*, qui ideo affirmant, quod revelatio Confessionem redderet odiosam. Sed, ut merito reponit S. Doctor, non ipsa Confessio, sed consultatio odiosa evaderet.

Dixi : *si consulatur circa Confessionem alteri faciendam ;* quia si pœnitens eum consulat circa Confessionem ipsimet faciendam, sigillo tenetur, cum hæc consultatio velut inchoata confessio habenda sit.

Punctum III. De objecto sigilli.

1494. Principia. — I. Objectum sigilli sunt omnia peccata confessa,— etiam venialia, saltem in particulari, — et omnia quæ ad individuam peccatorum explicationem pertinent. Ratio est, quia non tantum pro peccatis, sed etiam pro iis omnibus, quæ juvant ad ea explicanda, urget ratio sigilli, et aliunde hæc cum peccatis quid unum constituunt. — Dixi : *etiam venialia, saltem in particulari.* Nam sigillum *certo* læderet, qui diceret, Titium confessum esse v. g. mendacium, vel *plura* venialia ; non autem qui diceret ipsum confessum esse *materiam venialem*.[4] Nam eo ipso, quod confessus est, supponitur confessus ejusmodi materiam. In praxi tamen mihi cum aliis quæstio videtur decidenda juxta circumstantias, considerando, num per tale dictum Confessio forte odiosa reddi possit.

II. Objectum sigilli est etiam quidquid in Confessione manifestatum est, et cujus revelatio cederet in gravamen pœnitentis vel in odium Sacramenti ; quia sigillum inductum est, ne ex metu revelationis fideles a Sacramento Pœnitentiæ retrahantur.

III. Objectum sigilli per Confessionem non fiunt ea, quæ confessarius non ex sola Confessione, sed simul aliunde scit, et in quantum ea hoc modo scit.

1495. *Resolves.* — Sub sigillo Confessionis cadunt :

1° Omnes peccatorum circumstantiæ, etiam post absolutionem declaratæ : nam unum moraliter sunt cum peccatis jam accusatis : imo idem dicendum, etiamsi dubium esset, utrum circumstantiæ in ordine ad Confessionem declaratæ fuerint, necne.

2° Peccata complicis, etsi absque necessitate cum peccato essent revelata, quia ex *intrinseca* Confessionis *occasione* dicta sunt.

3° Pœnitentiæ impositæ, nisi forte sint valde leves, seu ex iis, quæ pro levissimis culpis imponi solent.[1]

4° Defectus manifestati per Confessionem ad explicandam peccati rationem, v. g. si pœnitens dicat se Sacros Ordines cum irregularitate suscepisse, *eo quod sit illegitimus*, etc.[2]

1496. Quæsita. — Quær. 1° *An virtutes et scrupuli pœnitentis sub sigillo cadant ?*

Resp. ad 1^um^ *Neg., per se*, nisi inde sequatur gravamen pœnitentis, vel aliorum. Idem resolve de extraordinariis donis Dei. Illud vero gravamen sequeretur, si manifestata hæc dona fuissent ad melius declarandam proprii peccati malitiam propter ingratitudinem.

Resp. ad 2^um^ *Affirm.*, si scrupulositas aliquo modo sit materia Confessionis, vel aliunde ex tali manifestatione gravamen pœnitentis sequeretur.[3] *Materia* autem *Confessionis* foret scrupulositas quoad actus, quos pœnitens ex scrupuloso judicio peccata putabat et confitetur ; item scrupulositas, quæ ut defectus *moralis* judicio Sacramentali subjicitur. — Ejus vero ma-

[1] L. VI. 650. [2] Ib.
[3] Ib. 649. [4] Ib. 640.

[1] L. VI. 640 sq. [2] Ib. 642.
[3] Ib. 641 sq.

nifestatio *gravamen pœnitentis* habenda foret, si ageretur de Prælato, confessario et similibus, non vero si de sæcularibus, quibus id potius in laudem vertit.

Quær. 2° *An cadant sub sigillo defectus naturales pœnitentis?*

Resp. 1° *Affirm.*, si agatur de "iis defectibus, quorum manifestationem ex se ægre ferre potest pœnitens, ut esset dicere, quod sit hebes mente, natura iracundus, rudis, incapax, pauper (si ille esset civilibus natalibus)."[1]

Resp. 2° *Neg.* vero, si sint "defectus qui rubori aut exprobationi ei non sunt, ut est, esse cæcus, surdus, mendicans, et hujusmodi; et contra, jam communiter innotescunt."[2]

Quær. 3° *An cadant sub sigillo peccata commissa in ipsa Confessione, v. g. impatientiæ, contumeliæ in confessarium?*

Resp. 1° *Neg. per se*, quia culpas illas pœnitens non confitetur, ut patet.

Resp. 2° *Affirm.* tamen plerumque, quamvis *per accidens* tantum; quia, licet peccata illa non sint per se materia sigilli, sæpe tamen per accidens revelationis periculum aliquo modo involvunt: judicium enim probabile præbent, quod confessarius vel pœnitentem noluerit absolvere, vel propter culpam graviorem eum severius reprehenderit, etc.[3]

Non caderet autem sub sigillo furtum a pœnitente in damnum ipsius confessarii tempore Confessionis commissum. Imo si constaret, furem ad confitendum venisse, ut furandi occasionem haberet, peccata ab ipso accusata non forent materia Confessionis; siquidem talis Confessio non vera, sed simulata tantum esset.

Quær. 4° *An violet sigillum, qui dicit se audivisse talem personam in Confessione?*

Resp. Neg.; nam quod aliquis ad confitendum accedat, id agnoscitur externe seu extra Confessionem. Aliunde hoc non est *per se* odiosum, sed potius laudem affert. Confessarius tamen ad secretum *naturale* teneretur, si quis clam ad confitendum accessisset, quin et ad *Sacramentale*, si verbo vel facto, nimirum clam accedendo, significasset, "se nolle sciri quod sit confessus."[4]

[1] H. A. Tr. XVI. 154.
[2] Ib.
[3] L. VI. 643. H. A. Tr. XVI. 154.
[4] L. VI. 638.

Quær. 5° *An violet sigillum, qui dicit se talem pœnitentem absolvisse?*

Resp. Neg., per se, quia istud pœnitenti in tali casu onerosum esse nequit. Attamen posset in quibusdam adjunctis onerosum evadere aliis, de quibus idem dici non potest. — Ita *communiter*. Proinde parentes, magistri, heri, interrogantes de absolutione data filiis vel subditis, remittendi sunt ad ipsos pœnitentes. Similes quæstiones facere solent Moniales curæ infirmorum in nosocomiis addictæ, ut sciant an necessaria ad Viaticum ministrandum parare debeant: hæ pariter ad infirmos sunt remittendæ; vel melius est petenda ab infirmo licentia Moniales vel alios monendi. Sufficiet autem infirmo, qui S. Eucharistiam suscepturus sit, dicere: *Monebo*, etc.

Quær. 6° *An confessarius tradens pœnitenti non absoluto schedulam in testimonium Confessionis, declarare possit eum fuisse absolutum?*

Resp. Neg. omnino. Ratio est, quia esset mendacium, quod, cum intrinsece malum sit, numquam proferri potest. Ita S. Alph.[1] Excipit S. Doctor, ut *probabile*, si schedulæ essent typis editæ et in iis diceretur absolutionem fuisse datam, saltem si publice petantur; quia tales schedulæ omnibus traderentur, ideoque "tantum materialem actum" operaretur confessarius, "talem schedulam præbendo."

Quær. 7° *Quomodo conficienda sit schedula Confessionis?*

Resp. Sic confici solet: *Ego infra scriptus testor audivisse Confessionem N., die tali*, etc.: huic schedulæ nomen suum subscribit confessarius. Vel brevius: *Audivi talem in Confessione, die*, etc. Potest etiam dici: *Audivi Confessionem Sacramentalem;* quia est Sacramentalis omnis Confessio, quæ fit in ordine ad absolutionem recipiendam, sive absolutio data fuerit, sive non.

Quær. 8° *An violet sigillum confessarius, qui pœnitenti indisposito schedulam Confessionis denegat?*

Resp. 1° *Affirm.*, quoties denegat schedulam pœnitenti extra Confessionem eam petenti. Ratio est, quia utitur notitia Confessionis ad exterius agendum, et quidem cum magno pœnitentis gravamine.

[1] L. VI. 639.

Resp. 2° *Affirm.*, etiamsi pœnitens non absolutus petat schedulam intra Confessionem, et agatur de iis circumstantiis, in quibus solet dari, vel a Superioribus pœnitentis exigitur, ut sæpe fit tempore Paschali pro alumnis collegiorum, famulis, etc. Ratio est, quia ex denegatione schedulæ notum aliis fit, pœnitentem non esse rite confessum nec absolutum, ideoque erit indirecta sigilli violatio. — Ita *communiter.*[1]

Resp. 3° *Neg.* autem, si pœnitens petat schedulam in Confessione extra præfatas circumstantias, seu quando non solet omnibus dari, vel a Superioribus non exigitur. Ratio est, quia tunc confessarius nihil dicens, se habet mere negative, et non approbat illam Confessionem testimonio positivo, ad quod non tenetur. Aliunde pœnitens non compellitur necessitate declarandi aliis, se non fuisse absolutum; unde, si hoc dicat, ipse suam indispositionem patefacit, non vero confessarius.

Interdum tamen potest confessarius etiam pœnitenti indisposito dare schedulam Confessionis ob varia incommoda, quæ ex ejus denegatione sequerentur; nec tunc cooperabitur sacrilegio pœnitentis, qui forte hoc Confessionis testimonio utetur ad Sacramentum vivorum, v. g. Eucharistiam vel Matrimonium, in statu peccati recipiendum; ratio, quia id suæ malitiæ pœnitens tribuere debebit.

Resp. 4° *Neg.* etiam, quoties pœnitens simulatam Confessionem fecit, v. g. ad pœnam fugiendam, infamiam vitandam, aut schedulam arripiendam, ut si juvenis intuitu Matrimonii sic confiteatur: "Feci quod solent facere juvenes meæ conditionis: nihil superest aliud dicendum: non peto absolutionem, sed testimonium peractæ Confessionis." Non enim frangitur sigillum, sive intra, sive extra Confessionem schedula denegetur. Ratio est, quia sigillum oritur ex sola Confessione Sacramentali, quæ hìc nullo modo habetur. Nec generatim potest confessarius talibus schedulam concedere, quia sine ratione sufficienti eorum futuro sacrilegio cooperaretur. Præterea falsum assereret, nempe ipsos fuisse confessos, quod verum non est.

Quær. 9° *Quid agere debeat confessarius detegens pœnitentem esse surdum?*

Resp. Vide n. 1369. q. 6°. Hinc 2°.

Quær. 10° *An possit confessarius monere complicem (de licentia pœnitentis), vel alium ad complicem corrigendum?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia complex ex Confessione alterius complicis nullum jus acquirit ad sigillum Sacramentale; hoc enim sigillum institutum est in favorem pœnitentium tantum; et proinde jus secreti acquiritur illi soli, qui illud alteri committit.[1]

Ordinarie tamen non expedit, ut confessarius talem licentiam petat; sed satius erit, pœnitentem inducere ad id extra Confessionem sibi aperiendum; imo melius etiam erit, ut ipse pœnitens rem deferat alteri, qui malo remedium afferre queat.[2]

Punctum IV. De variis modis sigillum violandi.

1497. — Duplici modo violari potest sigillum: 1° *directe*, revelando expresse aliquid ad secreta Confessionis spectans, v. g. si dicatur: Titius hoc fecit, etc.; 2° *indirecte*, aliquid dicendo aut faciendo, ex quo quis vel objectum sigilli cognoscere aut suspicari possit, aut ex quo Sacramentum odiosum redditur, aut pœnitenti vel aliis, v. g. complicibus, possit oriri pudor, molestia, dedecus, damnum vel quodlibet gravamen.

I^a *Regula.* — Violatur sigillum *indirecte*, quoties pœnitentes vel alii merito offendi possunt de dictis aut gestis a confessario ex sola notitia in Confessione habita. Non autem violari censetur, si pœnitentes hæc indifferenter sint habituri, et non agatur de materia *propria* sigilli. Ratio utriusque satis constat ex supra dictis. — Ita *communiter.*

II^a *Regula.* — In dubio, an in tali modo loquendi vel agendi adsit periculum *revelationis*, vel *offensionis*, pro *tutiori parte*, seu sigillo favente, standum est. — Ita *communiter;* et constat ex dictis supra n. 1491. q. 2°.

III^a *Regula.* — Nulla est sigilli violatio, si quis narret peccatum in Confessione auditum, ita ut nullo indicio revelari possint peccatores. Attamen, seclusa utilitate instructionis vel consilii petendi, a similibus narrationibus generatim absti-

[1] L. VI. 639.

[1] L. VI. 641. [2] Ib. 492.

nendum est. Ratio, quia audientes laici, præsertim simplices, facile scandalizantur, suspicantes violari sigillum. Et quandoque in frequentibus et promiscuis istis colloquiis periculum est, ne in suspicionem pœnitentis quis inducatur, imo et sequatur revelatio.

1498. *Resolves.* — Secretum Confessionis indirecte violat:

1° Qui unum præ aliis, quos audivit, laudans, dicit eum sola venialia commisisse; quia alii inde facile in suspicionem culpæ mortalis adducuntur.

2° Qui de peccato pœnitentis per solam Confessionem cognito loquitur cum aliis, qui hoc aliunde norunt, etiamsi audientes non advertant, illud ex Confessione acceptum esse.

3° Qui dicit, se non absolvisse talem, eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse, vel nondum expletam esse Confessionem; ratio postremi est, quia longa Confessio denotat ordinarie multa peccata, aut indispositionem pœnitentis, nisi cognosceretur esse Confessionem generalem, aut a longo tempore resumptam, et pœnitens hoc non ægre ferat. Item qui de Titio, cognito ut fure, dicit, eum sua furta cum contritione magna sibi confessum esse.

4° Qui alta voce, aut alio modo a circumstantibus intelligibili, arguit pœnitentem; hoc enim et grave est pœnitenti, et aliis suspicionem ingerit, illum gravia peccata confessum esse; *a fortiori* autem, si nimis vocem extollendo repeteret peccata pœnitentis, aut de eorum circumstantiis interrogaret.

5° Qui loquitur cum alio confessario de peccatis alicujus pœnitentis, etiamsi is utrique eadem peccata confessus fuerit.

6° Qui auditis *paucorum* Confessionibus, dicit se tale peccatum audivisse, licet celet personam; singuli enim ex illa revelatione aliquid suspicionis contra se patiuntur. Item qui peccata ex Confessione cognita ita narrat, ut audientes possint ratione aliqua conjicere vel suspicari, quinam ea commiserint.

7° Qui narrans alicujus personæ peccata, quæ extra Confessionem cognovit, addit aliquam circumstantiam cognitam ex *sola* Confessione, vel qui utitur notitia Confessionis ad rem *magis determinandam* aut *confirmandam*.

8° Qui diceret, se in tali monasterio audivisse peccatum grave, etiamsi non nominaret personam; quia singuli Religiosi illius conventus detrimentum patiuntur. *A fortiori* violaret sigillum, qui diceret, in conventu, vel etiam Ordine illo talia peccata committi. — Secus autem, si diceret, se audivisse peccatum grave alicujus Religiosi *in genere*, quin nominaret ipsius Ordinem, quia neque est revelatio sigilli, neque redundat in gravamen pœnitentis, nec alicujus Ordinis, cum inter varios Ordines non desint aliqui minus boni Religiosi. Idem resolve, si loqueretur de peccato gravi *unius tantum* Religiosi, Religionem nominando, dummodo Religio ampla sit et notorie relaxata, et peccata talia sint, quæ in relaxatis occurrere solent, et in hac notorie occurrerunt, necnon absit omne periculum suspicionis de aliquo monasterio in particulari. — Sed a scandalo laicorum sedulo cavendum est.

9° Qui pœnitentem post Confessionem oculo torvo aspicit, non eum alloquitur, sicut prius facere solebat, et ostendit verbis durioribus, gestibus, aut tota agendi ratione, se recordari de ejus peccatis, de iis actu cogitare, et eum minoris, quam antea, facere.

10° Qui Confessiones pœnitentis declinaret, eo quod hic v. g. minus bene dispositus accedere soleat, nisi adsit causa justa, a Confessione omnino independens.

1499. Quæsita. — Quær. 1° *An possit Confessarius Communionem negare pœnitenti, cui prius absolutionem denegavit, si hic ad Sacram Mensam accedat, aut assistentiam Matrimonio ejus, cujus impedimentum, aut Ordinationem ei, cujus irregularitatem ex Confessione tantummodo novit?*

Resp. Neg. Vide n. 1229.

Quær. 2° *An frangat sigillum, qui dicit tale vitium regnare in civitate vel pago, aut ibi gravia crimina committi?*

Resp. Disting. Affirm., si locus sit satis angustus, v. g. si non constet tribus hominum, i. e. Catholicorum, millibus circiter. *Secus*, si oppidum sit amplum, et crimina publica sæpius ibi patrentur.[1]

Quær. 3° *An prædicatores, uti possint notitia Confessionis ad loquendum de iis, de quibus non cogitassent, nisi Confessiones audivissent?*

Resp. Affirm., secluso revelationis peri-

[1] L. VI. 654.

culo, et pœnitentium gravamine.[1] Ratio est, 1° quia nemini gravamen esse potest, quod aliquando sacerdotes se dirigant in concionibus ex notitia Confessionis, modo *hic et nunc* gravamen illud non adsit: possunt igitur *generatim* invehi in vitia, quæ occulte grassantur; 2° quia pro confessario hoc esset onus nimis grave; semper enim timeret, ne concionando Confessionis notitia uteretur. Caveat tamen confessarius, ne loquatur publice de peccatis omnino particularibus unius vel alterius pœnitentis, præsertim si sermonem habeat coram aliqua parva communitate, v. g. in monasterio Monialium, etc.; quia tunc facile gravamen induci posset. Nequeunt præterea Missionarii peccata graviora in Confessione audita in genere Parocho revelare, ut magis invigilet.[2] — Potest tamen, juxta S. Th.,[3] "confessarius dicere Prælato, quod diligentius invigilet super gregem suum, ita tamen, quod non dicat aliquid, per quod verbo vel nutu confitentem prodat."

Quær. 4° *An sacerdos, qui ex Confessione novit sibi parari insidias, possit fugere, aut alio modo damnum præcavere?*

Resp. 1° *Affirm.*, si ex tali cautione minime manifestetur aliis peccatum accusatum, nec ullum gravamen pœnitenti afferatur.[4]

Resp. 2° *Neg.*, si fugere nequeat, quin aliquo modo manifestet peccatum aliquod accusatum fuisse a pœnitente. Ratio est, quia fuga illa esset indirecta revelatio peccati confessi; et, licet confessarius fugam simularet ex aliquo prætextu, semper tamen rationabilem suspicionem peccati declarati præberet.[5] Monet tamen Lugo,[6] experientiam ostendere, nunquam revelationem etiam indirectam necessariam esse ad ea pericula effugienda, cum vel ex licentia pœnitentis, vel aliis modis, obviari iis possit absque sigilli fractione.

Quær. 5° *An Superiores uti possint notitia Confessionis ad gubernationem externam, si nullo modo appareat, quod ex illa notitia se dirigant?*

Resp. Neg. OMNINO cum S. Alph.[7] et aliis *communiter* contra aliquos veteres Theologos, qui sententiam affirmativam defendebant. — Ratio est, quia evidenter hoc cederet in gravamen pœnitentium: et qui nossent talem doctrinam passim doceri, a Confessione retrahi possent. Vide Decretum Clem. VIII. p. XVII. XVIII.

Quær. 6° *An saltem quandoque, vel quandonam, confessarius uti possit notitia Confessionis?*

Resp. Juxta omnes Theologos id potest in sequentibus casibus: 1° ad orandum pro pœnitente, vel benignius erga ipsum agendum; 2° ad consulendos libros, vel sapientes, prudenter tamen, secluso revelationis periculo; quod periculum si adsit, ille, qui consilio indiget, *vel* casum apto modo, v. g. ut fictum, proponat, *vel* licentiam petat a pœnitente utendi scientia Sacramentali, *vel* alibi doctum consiliarium quærat, cui persona pœnitentis omnino ignota est, *vel* pœnitentem ad alium confessarium remittat, etc. Quodsi medium non suppeditet, quo sigillum incolume maneat, nihil superest, nisi ut Confessarius, divino auxilio fretus et adhibitis aliis mediis convenientibus, oratione scil. et studio, difficultatem ipse meliori, quo potest, modo solvat; 3° ad se dirigendum per experientiam ex Confessionibus acquisitam, v. g. ad rigorem augendum vel temperandum, et ad se dirigendum ex Confessione unius ad alios prudenter interrogandos, vel instruendos, nullam dando prioris Confessionis suspicionem; 4° ad reformandos proprios mores, ad corrigendos proprios defectus, aut ad melius fungendum suo officio, v. g. ad socordiam exeundam, vigilantius in subditos invigilandum, seclusa revelationis suspicione, etc., quia quisque tenetur defectus suos corrigere statim ac ad eos advertit; nec potest ullus pœnitens rationabiliter offendi, quod confessarius ob audita in Confessione vitam in melius mutet.[1]

Conclusio. — In re tam gravi, et adeo periculosa, summopere cautus esse debet confessarius, ne verbulum ullum proferat, aut quidpiam agat aut innuat, unde sequi possit odium, etiam minimum, Sacramenti, gravamen pœnitentis, aliorum quorumlibet offensio vel scandalum. Sit igitur *prudens* et *discretus* non in sermonibus solum, sed in tota sua agendi ratione.

[1] L. VI. 654.
[2] S. C. C. 18 nov. 1681.
[3] In 4 Dist. 21. q. 3. a. 1. ad. 1.
[4] L. VI. 659.
[5] Ib.
[6] Disp. 23. n. 110.
[7] L. VI. 656. 657.

[1] L. VI. 637.

Orat frequenter cum *Psalmista*:[1] *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis;* vel cum Sapiente.[2] *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.* — Caveant imprimis Missionarii, ac omnes, qui, v. g. in Precibus XL. horarum, Parochis extraordinarie assistunt, ab imprudentiis, ab inutili loquacitate, a jactantia de *multis* Confessionibus *generalibus* exceptis, de magnis piscibus captis, etc. Præsertim vero videant, ne quidpiam dicant de auditis vel peractis quibuscumque in tribunali Pœnitentiæ in mediis sacerdotum cœtibus vel inter prandendum, notanter coram muliere ad mensam ministrante.

[1] Ps. 140. 3.
[2] Sap. 9. 4.

FORMULA DENUNCIANDI SOLLICITANTEM. [Vide n. 1412 sub d).]

N. N. anno ætatis suæ . . . de Parochia N. (Quasi-parochia; Missione) coram me infrascripto extra Sacramentum Pœnitentiæ conqueritur, quod N. N. (Parochus, Quasi-Parochus, Missionarius, Sacerdos, Religiosus) in . . . (Parochia, Quasi-parochia, Missione, Collegio, Monasterio) . . . eam (eum) in Confessione (occasione, etc.) *hujusmodi* . . . verbis (factis) ad inhonesta et turpia sollicitaverit, idque etiam coram delegato Episcopali, suo (vel vicino) Parocho N. N. juramento firmare parata (us) est.

N. N., *Sacerdos, etc.*

Datum . . .

TRACTATUS DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I.

DE NATURA ET EFFECTIBUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

1500. — I. Extrema Unctio definitur Sacramentum novæ legis a Christo institutum ad conferandam salutem animæ, vel etiam corporis, ægroto vita periclitanti, per unctionem Olei benedicti et orationem sacerdotis.

II. Effectus Sacramenti Extremæ Unctionis sunt:

1° Gratia sanctificans cum gratiis actualibus Sacramenti propriis, quæ mirifice juvant ad recreandum infirmum, eumque confirmandum contra diaboli tentationes.

2° Remissio omnium peccatorum nondum remissorum, etiam mortalium. Constat ex Scriptura:[1] *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Hinc Sacramentum Extremæ Unctionis est quidem primario Sacramentum *vivorum*, sed secundario est Sacramentum *mortuorum*, nempe in hypothesi status peccati. Remittit certo venialia *primario* et *per se*; *probabilius* autem eodem modo etiam mortalia remittit.[2]

3° Abstersio reliquiarum peccati, quæ sunt non solum pœnæ peccatis debitæ, sed etiam animi anxietates, infirmitates, languor ad bonum, torpor, timor, et alia similia, quæ ex peccatis contrahuntur. Hi autem effectus majores sunt, quo infirmus melius est animo comparatus.

4° Restitutio sanitatis corporis interdum, si animæ saluti expediat. Constat ex Scriptura:[3] *Oratio Fidei salvabit infirmum*, et ex Trid.[4] Hinc apparet, quam turpiter errent, qui hoc Sacramentum non recipiunt, nisi cum morbus ita invaluit, ut jam sine miraculo sanari nequeant.[1]

[1] Jac. 5. 14. 15.
[2] L. VI. 731.
[3] Jac. 5. 14, 15.
[4] Sess. 14. de Extr. Unct. c. 2.

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTICULUS I.

DE MATERIA HUJUS SACRAMENTI.

1501. PRINCIPIA. — I. Materia remota est Oleum ab Episcopo benedictum. Constat ex Conc. Trid.[2]

II. Oleum Extremæ Unctionis, seu infirmorum, ab Episcopo diœcesano, vel (Sede vacante) ab alio Episcopo vicino, in Cœna Domini benedicendum est, sicut Chrisma, et singulis annis renovandum, non tamen ad validitatem Sacramenti. Ita ex præcepto Clem. VIII.[3] Constat etiam ex praxi perpetua Ecclesiæ, et ex Rituali Romano *de Extrema Unctione.*

III. Materia proxima est unctio quarumdam partium corporis, quæ sunt, saltem ex præcepto Ecclesiæ, quinque sensus. Unctio enim *renum* non est de necessitate Sacramenti, et apud nos tum in viris, tum in mulieribus omittitur.[4] Idem *communiter* de unctione *pedum* asserunt;[5] attamen sacerdos hanc unctionem non pro libitu omittere potest, et fieri debet, vel

[1] L. VI. 731.
[2] Sess. 14. de Extr. Unct. c. 1.
[3] L. VI. 708.
[4] Kenr. Tr. XIX. 5.
[5] L. VI. 710 et Rit. Rom.

in plantis, vel supra pedes, prout *vel* consuetudo fert, *vel* statuta diœcesana præscribunt, *vel* commodius fieri poterit.[1] Facienda ergo est unctio: 1° in oculis, seu in superciliis; 2° in auribus, i. e. non in alveolo, sed in ima auricula; 3° in naribus, i. e. super extremitatem summitatis nasi, et tantum unica unctione, quia, licet stricte loquendo duplex dicatur organum, equidem unica unctione in summitate facta utrumque simul ungitur: deduci id potest ex ritualibus, quæ, dum de duplici organo loquuntur, narium mentionem non faciunt;[2] 4° in ore compressis labiis; sed si infirmus non audiret, vel labia sine incommodo comprimere non posset, ne respiratio intercluderetur, alterutrum labium inungere sufficiet; 5° in manibus, *supra* pro sacerdotibus, *intra*, seu in palmis, pro aliis.

1502. QUÆSITA. — Quær. 1° *An præceptum renovandi Oleum obliget sub gravi?*

Resp. Affirm., ut videtur, quia materia sat gravis apparet. Attamen, si novum Oleum haberi non possit, antiquo uti licitum est.[3]

Si forte autem intra annum Oleum benedictum sit defecturum, neque aliud haberi queat, Oleo benedicto superstiti aliud Oleum non benedictum, in minori tamen quantitate, potest infundi. — *Rit. Rom.* Idque sæpius fieri potest, quamvis paulatim longe etiam major quantitas addatur, quam ab Episcopo consecrata fuit initio, modo tamen ea in unaquaque commixtione minor sit altera parte, cui infunditur.[4]

Quær. 2° *An Oleum necessario debeat esse olivarum?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia *proprie* nomine olei ex usu communi intelligitur Oleum olivarum. 2° Constat aliunde ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis, in quo de Extrema Unctione legitur: *cujus materia est Oleum olivarum.* 3° Patet etiam ex tota traditione et unanimi Doctorum consensu.[5]

Quær. 3° *An hoc Oleum debeat necessario esse benedictum ab Episcopo?*

Resp. Affirm., ita tamen, ut ex delegatione Pontificia etiam a simplici sacerdote benedici possit. Constat ex variis Declarationibus Pauli V., et nuperrime Gregorii XVI., die 14 sept. 1842, et ex Ben. XIV.[1]

Quær. 4° *An Oleum debeat esse benedictum in ordine ad Extremam Unctionem?*

Resp. Controvertitur. Duplex est sententia probabilis, ait S. Alph.[2] Alii negant, quia Ecclesia nihil aliud requirit, nisi ut Oleum sit ab Episcopo benedictum. Hinc (aiunt) Oleum catechumenorum et Chrisma valide adhiberi possunt ad unctiones faciendas. Alii vero affirmant, quia, sicut Chrisma benedictione propria pro Confirmatione deputatur, ita etiam Oleum infirmorum pro Sacramento Extremæ Unctionis. In praxi tutius omnino sequendum est, excepto necessitatis casu, in quo administrandum est hoc Sacramentum sub conditione cum alio Oleo benedicto, et postea, si Oleum infirmorum haberi potest, iterandum est.[3]

Dixi: *alio Oleo benedicto;* nam triplex distinguitur Oleum sanctum, quod in eadem cæremonia Feria V. in Cœna Domini ab Episcopo benedicitur, scilicet Oleum infirmorum, Oleum catechumenorum, et sanctum Chrisma, seu Oleum cum balsamo immixtum. 1° Oleum infirmorum non inservit nisi ad inungendos infirmos in periculo mortis, et ad consecrationem campanarum pro unctione externa; nam pro interna Chrisma adhibetur; 2° Oleum catechumenorum deputatur ad catechumenos ante Baptismum in pectore et inter scapulas inungendos, ad manus neosacerdotum consecrandas, necnon ad nonnullas alias consecrationes, v. g. regum, etc.; 3° Chrisma vero adhibetur in Sacramento Confirmationis, in cæremoniis Baptismi, jam collato Sacramento, et ad alias consecrationes, v. g. calicis, patenæ, ciborii, altaris, campanæ (interius), etc. . . . — Vide *Pontificale Romanum*, præsertim ubi de cæremoniis Feriæ V. *in Cœna Domini.*

Quær. 5° *An unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti?*

Resp. Ut *tutius* affirmandum cum sententia communiori Theologorum, cui con-

[1] S. C. R. 27 aug. 1836. in Rhedon. et Adnot. Gardell. ad hanc decisionem.
[2] De Herdt. T. III. n. 200.
[3] L. VI. 708.
[4] Ib.
[5] Ib.

[1] De Syn. L. VIII. c. I. n. 4.
[2] L. VI. 709.
[3] Ib.

sonat praxis Ecclesiæ; hæc autem, secluso casu necessitatis (in quo sub conditione poterit adhiberi *una* unctio, consultius in capite, sub forma n. 1504. q. 3° descripta), semper servanda est. Sententia tamen negativa speculative probabilis dicitur a S° Alph°.[1]

Quær. 6° *An requiratur de necessitate Sacramenti gemina unctio in geminis partibus, v. g. in utroque oculo, utraque aure, etc.* ?

Resp. Neg., quia sensus totus in parte unica habetur. Extra casum tamen necessitatis gemina unctio servanda est sub gravi.[2]

Quær. 7° *Quomodo unctiones fieri debeant ?*

Resp. Unctiones fieri debent pollice dextro sacerdotis, qui per modum Crucis infirmum ungit. Sic ex *Rit. Rom.* Sed hæc ad liceitatem, non vero ad validitatem pertinent. In membris autem geminis incipitur a dextro, v. g. ab oculo dextro, etc. — *Rit. Rom.*

Quær. 8° *An de necessitate Sacramenti servandus sit ordo inter variorum sensuum unctiones ?*

Resp. Neg. Ratio est, quia hujusmodi inversio minime impedit Sacramenti significationem. Attamen communiter dicunt talem inversionem esse graviter illicitam, quia est contra usum Ecclesiæ in re notabili.[3]

Quær. 9° *An possit conferri Extrema Unctio mutis, surdis, et cæcis a nativitate ?*

Resp. Affirm.; possunt enim inungi prope organa sensuum, quibus carent: nam, etsi exterius per illa non peccaverint, per interiores tamen animæ potentias, quibus ea respondent, peccare potuerunt. Insuper non de iis solum peccatis agitur, quæ per illa organa et potentias respondentes commissa forte sunt.

Quær. 10° *Quomodo ungendus sit infirmus manu vel pede truncatus ?*

Resp. Unctio facienda est in parte viciniori membro mutilato. Constat ex *Ritual. Rom.*

Quær. 11° *An una sola gutta olei sufficiat ad unctiones faciendas ?*

Resp. Affirm. probabilius. Ratio est, quia qui ungit una gutta olei, vere ungit; Oleum enim plus, quam alii liquores, diffunditur. — Ita S. Alph.,[4] ut *probabilius*, et alii *communius*. — Negant autem nonnulli; quia ungere est Oleum per varias partes diffundere, quod non fit per unicam Olei stillam. Sed respondetur diffundi Oleum per varias partes, cum quinque sensus unguntur, etiamsi eadem stilla adhibeatur. In praxi tamen secunda sententia, utpote non improbabilis, saltem extrinsece, sequenda est; at certe sufficit pro valore Sacramenti intingere in Oleo extremam partem digiti ad singulas unctiones speciales, quæ sub repetita forma fiunt.

Quær. 12° *Utrum tempore pestis, aut alicujus morbi contagiosi, liceat unctiones sacras peragere mediante penicillo ?*

Resp. Affirmative.[1]

ARTICULUS II.

DE FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

1503. — Forma Extremæ Unctionis hæc est: *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum* (ungendo oculum, et sic de aliis) *deliquisti.* Constat ex Trid.,[2] et ex *Rit. Rom.* Forma integre repetenda est ad singulas partes ungendas, exprimendo membrum, quod tunc inungitur, nempe *per visum* ungendo oculos, *per auditum* in unctione aurium, etc. Simultas autem inter materiam et formam eadem esse debet ac in Baptismo. Vide n. 1211. IV. c). — Sacerdote inter unctiones deficiente, eæ, quæ jam factæ sunt, ab alio non sunt iterandæ, nisi alius ille post quadrantem inciperet, quo casu sub conditione repetendæ erunt.[3]

1504. QUÆSITA. — Quær. 1° *An ad validitatem Sacramenti requiratur expressio cujuslibet sensus, scilicet,* PER VISUM, PER AUDITUM, etc. ?

Resp. Controvertitur. Alii *negant*, quia non reperitur in forma Græcorum, quæ tamen ab Ecclesia admittitur ut valida. Alii *affirmant*, quia per unam unctionem et formam illi respondentem non remittuntur quorumcumque peccatorum reliquiæ, sed eorum tantum, quæ per illum sensum commissa sunt. Cum igitur res dubia sit, sub gravi expressio sensus adhibenda est. — Billuart.

[1] L. VI. 710. H. A. Tr. XVII. 3.
[2] Sess. 14. c. 1. de Extr. Unct.
[3] L. VI. 724.

[1] L. VI. 710.
[2] Ib. et Roncagl.
[3] Ib. in fine.
[4] Ib. 709. Dub. 4.

Quær. 2° *Quænam verba sint formæ essentialia ?*

Resp. Sunt sequentia : *Per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti*, cum verbo sensum exprimente, i. e. per *visum*, etc.

Quær. 3° *An ad validitatem sufficiat unica forma ad omnes sensus, si singuli distincti exprimantur et ungantur ?*

Resp. Controvertitur. Alii *affirmant*, quia hæc forma est virtualiter multiplex, et æquivalet pluribus particularibus, sicque specialiter effectum cujuslibet formæ specialis significat. Alii vero *negant*, quia cum materiæ partiales, scilicet unctiones, sint distinctæ, singulis etiam formæ speciales respondere debent.

Urgente necessitate, rectior est hæc forma : *Per istam sanctam unctionem*, etc., *indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum*, præmittendo verbum : *deliquisti ; . . .* quia, si *deliquisti* proferatur in fine, et interim æger moriatur, nullum est Sacramentum. — Sed, si tempus supersit, sub conditione repetendæ sunt unctiones cum forma singulis propria, et addendæ sunt aliæ orationes omissæ, ut in *Rituali* præscribuntur.[1] — " Si vero, dum inungitur, infirmus decedat, presbyter ultra non procedat et prædictas orationes omittat." — *Rit. Rom.*

CAPUT III.

DE MINISTRO EXTREMÆ UNCTIONIS.

1505. — I. Solus sacerdos est Minister hujus Sacramenti. Constat, 1° ex verbis S. Jacobi jam citatis : *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ*, etc. ; 2° ex definitione Ecclesiæ. Trident.[2]

II. Omnis sacerdos potest illud Sacramentum *valide* ministrare, quia potestas valide illud conferendi competit sacerdoti ratione ipsius Ordinis. Non tamen illud ministrare *licite* potest, nisi solus *Parochus*.[3]

1506. QUÆSITA. — Quær. 1° *An quivis sacerdos possit hoc Sacramentum ministrare ex consensu* PAROCHI *probabiliter præsumpto ?*

Resp. Affirm., probabilius, quia non videtur cum tanto rigore procedendum esse, ubi agitur de delegatione ad meram liceitatem, nec ullatenus sermo est de valore ipsius Sacramenti. Attamen non facile præsumenda est talis delegatio.[1]

Verumtamen si sacerdos, cui administratio hujus Sacramenti competit, abest, vel illud dare non vult, vel excommunicatione aut suspensione ligatur, quilibet sacerdos in casu necessitatis hoc Sacramentum administrare potest, imo ex caritate debet, sub gravi vel levi juxta ægroti necessitatem vel scandalum, quod ex negata administratione sequeretur.

Nota. — Licet nulli presbytero apud nos facultas hoc Sacramentum ministrandi denegari soleat, in ejus tamen usu in gratiam eorum, qui ad alienam Congregationem pertinent, prudentiæ pastoralis, necnon mutuæ inter confratres sacerdotes concordiæ ratio est habenda, et Ordinarii statuta sunt servanda.

Quær. 2° *An sit mortale omittere orationes in Rituali præscriptas, vel ministrare sine vestibus sacris ?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.*, quia materia valde gravis est. Excipe necessitatis casum ; item Litanias et Psalmos Pœnitentiales, quæ de consilio tantum sunt.[2]

Resp. ad 2^um^ *Affirm.* pariter, extra necessitatem ; in necessitate vero probabilius *neg.* — Ita *communius*.[3]

Quær. 3° *An vel qualis sit obligatio Extremam Unctionem ministrandi ?*

Resp. Pastor, nisi gravi aliqua causa excusetur, tenetur ratione officii sub mortali eam subditis periculose ægrotantibus, eandemque petentibus, ministrare.[4] (Cfr. n. 1225.) — Quin et cum periculo vitæ teneretur illam ministrare casu, quo infirmus a longo tempore non fuisset confessus, et probabiliter in peccato mortali versaretur,[5] nec, ob sensuum privationem, absolutio ei aliter quam sub conditione dari potuisset. Vide n. 1508. q. 7°.

Quær. 4° *An vel quale peccatum sit ministrare Extremam Unctionem sine lumine ?*

[1] L. VI. 710.
[2] Sess. 14. Can. 4. de Extr. Unct.
[3] L. VI. 722.

[1] L. VI. 722.
[2] Ib. 727.
[3] Ib. 726.
[4] Ib. 729.
[5] Ib. 729.

Resp. Non excusandum est a veniali, nisi necessitas urgeat, tum propter Ecclesiæ consuetudinem, tum ob reverentiam Sacramento debitam. — Attamen veniale non excedit, quia non videtur injuria gravis Sacramento irrogari.[1] Si cærei copia non sit, oleum vel sebum adhiberi potest; quodsi nec hoc haberi queat, absque lumine administretur.[2]

Quær. 5° *Quando suscipit ægrotus et Viaticum et Extremam Unctionem, utrum Sacramentum debeat prius administrari?*

Resp. Extrema Unctio debet post Eucharistiam administrari (at ad summum sub veniali tantum, a quo etiam causa rationabilis excusat).[3] Sic expresse statuit Rubrica *Ritualis Romani.* — In illo casu bis recitari debet *Confiteor.*[4]

Quær. 6° *Quale sit peccatum omittere Signum Crucis in unctionibus?*

Resp. Est veniale tantum juxta communem sententiam, quia ibi materia gravis non apprehenditur; in necessitate vero nullum est peccatum.[5]

Quær. 7° *An vel quale peccatum sit conferre hoc Sacramentum sine ministro inserviente, et an in necessitate mulier adhiberi possit?*

Resp. ad 1^um^. Non est mortale nullum adhibere ministrum, et in necessitate, quæ apud nos semper aut fere semper adest,[6] nullum est peccatum. — Ita *communissime.* Imo juxta *plures* probabiliter nullum est peccatum etiam extra necessitatis casum. Sed oppositum *probabilius* dicit S. Alph.[7]

Resp. ad 2^um^. Mulier ad officium ministrantis nunquam est adhibenda; et, si clericus aut laicus inveniri facile nequit, sacerdos solus omnes cæremonias peragat, et ipse orationibus respondeat.[8]

Quær. 8° *An expectari possit mortis articulus ad conferendum hoc Sacramentum?*

Resp. Neg. Imo *communiter* docent Theologi, graviter peccare Parochos, qui illud differunt usquedum infirmus destituatur usu sensuum et rationis, quia sic caret infirmus uberiori fructu, quem percepisset, si compos rationis Sacramentum recepisset; insuper quia privatur spiritualibus viribus ad resistendum dæmoni, et ad perferenda morbi incommoda; et etiam quia infirmus, si esset in mortali, et Sacramentum suscepisset adhuc rationis compos, auxilio attritionis gratiam fuisset adeptus, qua alioquin privatur; demum, quia virtute hujus Sacramenti consequi potuisset sanitatem corporis, si tempore congruo ipsi collatum fuisset. Hinc Catechismus Romanus:[1] "Gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam, omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipit."

Nota. — 1° Oleum infirmorum in ecclesia servari debet. Cæterum apud nos Missionariis permittitur, *ob necessitatem*, illud apud se retinere, et occulte deferre ad ægrotum; sed curandum omnino est, ut loco decenti habeatur, in vase nitido, et ut decenter deferatur."[2]

2° "Novus globulus bombycis in cujuslibet sensus organi unctione adhibendus est, et deinceps comburendus, et cineres in Sacrarium projiciendi: quod vix a Missionariis accurate servari potest."[3]

CAPUT IV.

DE SUBJECTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

1507. — Subjectum hujus Sacramenti sunt omnes, et soli peccatores (i. e. qui peccati capaces sunt vel aliquando fuerunt), iique infirmi vita periclitantes. Constat, 1° ex verbis D. Jacobi: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ*, etc.: verbum autem *infirmatur* Græce significat morbum *periculosum;* 2° ex definitione Ecclesiæ. Sic enim in Decreto unionis: *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.* Consonat Trid.[4] — Quod vero peccatores esse debeant, ex ipsa Forma patet.

Hinc hujus Sacramenti capaces non sunt pueri ante usum rationis, nec perpetuo amentes, quia nulla peccata actualia commiserunt, nec committere potuerunt. In dubio de capacitate conferatur sub conditione.[5]

1508. QUÆSITA. — Quær. 1° *An Ex-*

[1] L. VI. 728. [2] Kenr. Tr. XIX. 12.
[3] L. VI. 716. [4] S. C. Ind. 5 febr. 1841.
[5] L. VI. 728. [6] Kenr. Tr. XIX. 9.
[7] L. VI. 724. [8] L. VI. 724.

[1] De Extr. Unct. q. 9.
[2] Kenr. Tr. XIX. 12.
[3] Ib. n. 13.
[4] Sess. 14. c. 3. de Extr. Unct.
[5] L. VI. 719. 732.

trema Unctio conferri debeat infirmis delirantibus ?

Resp. Affirm., si antea Sacramentum petiverint, aut verosimiliter petituri fuissent, si de hoc cogitassent, aut signum doloris de peccatis ostenderint. Imo et infirmis destitutis sensibus, ut constat ex Rit. Rom. Cfr. n. 1240. R. 4°. — Phrenesi autem, aut amentia laboranti, qui verosimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non ministretur, nisi periculum tollatur omnino, ipsum v. g. ligando.[1]

Quær. 2° *An hoc Sacramentum licite conferri possit ægroto in periculo mortis dubio, seu probabili ?*

Resp. Affirm., cum sententia communi et vera, quia ad ministrandum hoc Sacramentum *valide et licite*, sufficit, ut infirmus laboret morbo ita gravi, ut prudenter existimetur versari in periculo mortis. Confirmatur ex *Rit. Romano*, ubi sic statuitur : *debet hoc Sacramentum præberi infirmis, qui tam graviter laborant, ut periculum mortis imminere videatur.*[2] Dixi : 1° *ut* prudenter *existimetur versari in periculo mortis.* In mero enim dubio, i. e. quin adsit vere probabilitas periculi, non erit administrandum, cum tunc dici nequeat, vitæ periculum adesse. — Dixi : 2° *ad ministrandum hoc Sacramentum valide* ET *licite.* Censet enim S. Alph.,[3] hoc Sacramentum semper valide conferri, si infirmitas sit gravis. Quæ sententia, apud nos præsertim, hoc sensu in praxim poterit deduci, quod sacerdos multo minus anxius esse debeat in judicio de periculo, si multum distet ab ægroto, nec facile reverti possit.

Quær. 3° *An Extrema Unctio conferri possit ; a) mulieri in partu laboranti ; b) difficilem chirurgicam operationem subituris ; senio deficientibus, veneno infectis ; c) capite plectendis ; prœlium commissuris ; in periculo naufragii versantibus ?*

Resp. ad a) Dist. Neg., si agatur de muliere *ordinariis* doloribus in partu laborante, etsi prima vice pariat, vel alias in vitæ periculo fuerit ; *Affirm.*, si laboret extraordinariis et lethalibus doloribus. In posteriori enim, non in priori casu, periculum ex morbo existit.

Resp. ad b) Affirm., quia periculum ex morbo existit.

Resp. ad c) Neg., propter contrariam rationem.[1]

Quær. 4° *An Extrema Unctio possit conferri pueris ?*

Resp. Affirm., dummodo "sint rationis compotes, ac judicentur doli et culpæ capaces." Ita Bened. XIV.[2] Quin et in dubio de usu rationis juxta sententiam, S. Alphonso probabiliorem, ungendi sunt sub conditione.[3] Cfr. n. 1507.

Quær. 5° *An vel quando hoc Sacramentum iterari possit ?*

Resp. 1° Certo iterari potest, quoties infirmus in periculoso morbo inunctus convaluit, et rursus in morbum periculosum incidit. Constat ex Trid.[4]

Resp. 2° Potest etiam iterari in *eadem* infirmitate, si diuturna fuerit, et infirmus *notabiliter* convaluerit, ita ut a periculo mortis eripi visus fuerit, et iterum in idem inciderit. Ratio est, quia tunc est vere novum mortis periculum. Constat ex *Rituali Romano*, ubi dicitur : "in eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, nisi diuturna sit, ut si, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis inciderit."

Quær. 6° *An iterari possit in eodem morbo diuturno, si dubitetur, an revera status morbi mutatus fuerit ?*

Resp. Affirm., probabilius, si dubium sit vere positivum, scilicet quando est vere probabile, infirmum exiisse e periculo mortis ; hæc enim iteratio in istis casibus est veteri Ecclesiæ consuetudini magis conformis. Dubium autem ejusmodi aderit, si infirmus per notabile tempus, puta per mensem, mortis periculum evasisse videatur.[5]

Quær. 7° *An sit obligatio gravis recipiendi hoc Sacramentum ?*

Resp. Duplex est sententia probabilis.

I[a] *affirmat.* 1° Patet (aiunt) ex verbis ipsius Apostoli Jacobi : *Infirmatur quis in vobis ? inducat presbyteros Ecclesiæ*, etc. Vox autem *inducat* præceptum continet. Ergo, etc. 2° Accedit praxis Ecclesiæ, quæ summa sollicitudine semper

1 Rit. Rom. L. VI. 732.
2 L. VI. 714.
3 H. A. Tr. XVII. 7.

1 L. VI. 712. Rit. Rom.
2 De Syn. L. VIII. c. VI. n. 2.
3 L. VI. 719. 732.
4 Sess. 14. c. 3. de Extr. Unct.
5 L. VI. 715.

curavit, ut ab omnibus infirmis susciperetur. Constare etiam videtur ex consuetudine et sensu fidelium. 3° Insuper grave est, et contra caritatem, quam sibi quisque debet, medium adeo efficax, *firmissimumque præsidium*, ut ait Trid., in extremo agone contra dæmonis conatus omittere. — Ita Roncaglia cum aliis.

II^a *negat.* Ratio est, quia neque ex Traditione, neque ex Conciliorum Decretis constat de præcepto hoc Sacramentum suscipiendi. Quod vero S. Jacobus ait, *inducat presbyteros*, . . . ut consilium accipitur atque explicatur. Ergo non potest imponi gravis obligatio de suscipienda Extrema Unctione. — Ita Billuart,[1] post S. Thom.,[2] Sporer,[3] et S. Alph., qui hanc sententiam communem vocat. Prima tamen S° Alph° magis placet, eamque *valde* probabilem vocat casu, quo infirmus, adhibitis exhortationibus, pergeret nolle ungi.[4]

Certo autem graviter peccaret: 1° qui ex contemptu hoc Sacramentum recusaret; vel 2° graves tentationes sine ipso vincere non posset; vel 3° grave scandalum præberet illud non suscipiendo. Præterea 4° necessitas Extremæ Unctionis ad salutem adesset casu, quo quis versans in mortali et contritione saltem existimata carens, attritus tamen, signum Confessionis non daret, ideoque Sacramentum Pœnitentiæ suscipere non posset. In hoc ergo casu, absolutione sub conditione data, conditionate quoque Extrema Unctio conferenda est.

Quær. 8° *Quænam dispositio requiratur ad hujus Sacramenti susceptionem?*

Resp. 1° Peccatorum Confessio, si infirmus in mortali versetur (*practicè*).

Resp. 2° Quod si infirmus non possit sua peccata confiteri, contritio, saltem existimata, præcedat: hoc enim Extremæ Unctionis Sacramentum est *primario* Sacramentum *vivorum*, et ad reliquias peccatorum tollendas præcipue institutum. — Verum in tali casu ipsa attritio sufficit et requiritur; est enim simul Sacramentum *mortuorum*, et peccata mortalia cum attritione remittere potest. — Salmant.,[5] Ben. XIV.[6] et *alii*.

[1] Art. 7.
[2] P. III. q. LXV. art. 4.
[3] De Sacr. in gen. n. 24.
[4] L. VI. 733. Prax. Conf. n. 107.
[5] Tr. VII. c. III. n. 2. 3. Cfr. H. A. Tr. XVII. 9.
[6] De Syn. L. VIII. c. VII. n. 3.

Hinc patet hoc Sacramentum, prout ait *Rit. Rom.*, denegandum esse "impœnitentibus, . . . et qui in *manifesto* peccato mortali moriuntur."

Dicitur: *impœnitentibus et qui in* MANIFESTO *peccato mortali moriuntur.* Sub his autem comprehendi non debent moribundi, qui in actu peccati mortalis sensibus destituuntur; neque enim omnino certum est, eos in *manifesto* peccato mori. His igitur, data sub conditione absolutione, conditionate conferri potest hoc Sacramentum. Ita S. Alph.,[1] ut *probabile.*

Nota. — Ungi etiam potest qui in gravi infirmitate baptizatur.

APPENDIX.

DE VISITATIONE ET CURA INFIRMORUM.

1509. QUÆSITA. — Quær. 1° *An infirmi sint visitandi, quando, quoties, et quinam præcipue?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.* Ratio est, 1° quod infirmi cura sacerdotali magis indigeant, quam sani; 2° quod tempus infirmitatis animarum saluti procurandæ opportunissimum sit; 3° quod sacerdos sustentationis stipendium recipiat, non tantum pro cura in vita parochianorum, sed etiam pro cura in eorundem morte.

Hinc Parochus: a) "Hortetur" . . . publice et sæpius "parochiales suos," itemque, si fieri possit, medicum, "ut ipsum admoneant, cum aliquem in parochia sua ægrotare contigerit, præcipue si morbus gravior fuerit." b) "Quodsi Parochus legitime impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, *visitationi* interdum vacare non potest, id præstandum curabit per alios sacerdotes, si quos habet in parochia sua, aut saltem per laicos homines pios et christiana caritate præditos." [2] c) Ingravescente morbo, etiam domesticos infirmi admoneat, ut ipsum arcessant; [3] d) In amplis præsertim parochiis, ægrotorum catalogum habeat, ut cujusque statum et conditionem cognoscat, eorumque memoriam facilius retinere, et illis opportune subvenire possit.

Resp. ad 2^um^. Parochus, "cum primum noverit," ait *Rit. Rom.*, "quempiam ex fidelibus curæ suæ commissis ægrotare,

[1] L. VI. 82. [2] Rit. Rom.
[3] Rit. Rom.

non expectabit, ut ad eum vocetur," nec *a fortiori* sua suorumve agendi ratione causa erit, cur fideles deterreantur eum tempore opportuno accersere; "sed ultro ad illum accedat," saltem si morbus gravior fuerit. Præcipue tamen visitandi sunt ingravescente morbo, et in articulo mortis.

Resp. ad 3^um^ "Non semel tantum," ait iterum Rit., "sed sæpius, quatenus opus fuerit"; *sæpius* nimirum cum morbus gravior est, vel diuturnior, vel acerbior; *sæpius* item cum infirmus minus bene dispositus, vel animo dejectior aut anxior est, aut gravioribus tentationibus impetitur. — Si tamen infirmus sit amens, phreneticus, aut usu rationis destitutus, visitationes rariores esse possunt.

Resp. ad 4^um^ Præcipue visitandi sunt: 1° pauperes, qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi pastoris caritatem et operam requirunt; quibus ipse de suo, prout debet, et si facultas non suppetat, per aliorum eleemosynas succurret;[1] 2° peccatores, et spiritualiter ægri, et tentati (præsertim si sacerdotis ministerium respuant), ut in viam salutis dirigantur; 3° gravius infirmi; 4° cæteris paribus omnes æque visitandi sunt, sine acceptione personarum. — Per se patet obligationem non cessare, licet vel iter longius sit, vel via ardua, vel cœlum intempestum, vel morbus contagiosus.

Quær. 2° *Quæ notanda sint circa visitationem ægrotorum?*

Resp. 1° "Ægrotos visitans," ait *Rit. Rom.*, "ea, qua sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat," præsertim cum fœminis, iis præcipue, quæ canonicam ætatem necdum attigerunt; infirmæ scil. cubiculum, nisi illa prænonita, non ingrediatur; sine necessitate non sit solus cum sola, et, dum eam consolatur eive commiserationem testatur, abstineat ab omni sermone, vel etiam verbo, quod ab aliis audiri nollet. Honestas tamen et gravitas, præcipue in prima visitatione, caritati, urbanitati et affabilitati christianæ conjunctæ esse debent, ut sacerdos animum infirmi lucretur, facilioremque ad eum accessum habeat.

Resp. 2° "In primis autem spiritualem ægrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in viam salutis eos dirigat, atque a diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendat ac tueatur."[1] Quapropter diligenter et prudenter inquirere debet, quo morbo *anima* laboret; quibus potissimum tentationibus aut pravis opinionibus æger sit subjectus; quæ ejus natura, defectus, ac passiones, ut apta remedia prudenter adhibeat.[2] Hinc sacerdos, dum primum ad infirmum vocatur, prudenter ea omnia investigabit, quæ ad eumdem spectant, puta ejus morbum, statum, mores, vitam, etc.; item an ipsum vocari jusserit, vel saltem vocatum sciat.

Resp. 3° Visitationes ordinariæ non nimis protrahantur.

Resp. 4° Sacerdoti curæ sit, ut ab infirmi cubiculo periculosa objecta removeantur, et personæ, quæ aliquo modo occasionem peccati præbere possunt, ad eum nullatenus accedant; item ne memoret personas impure dilectas, odio habitas, aut a quibus læsus fuit; neque loquatur de litibus, filiis, bonis, aliisque similibus, nisi necessitas urgeat; et, si de his infirmus loquatur, sacerdos sermonem ad alia divertat.

Resp. 5° Sacerdos curet, ut imagines Crucifixi, B. Mariæ Virginis et Sancti, quem æger præcipue veneratur, ob oculos ejus apponantur; item ut adsit vasculum aquæ benedictæ, qua frequenter aspergatur.[3]

Resp. 6° Infirmum consoletur tum verbis et exemplis, tum dicendo se pro eo in Missa aliisque precibus oraturum, curaturumque, ut alii itidem pro eo faciant: item eum excitet, confortet et adhortetur.

1510. — Quær. 3° *Quæ notanda sint circa adhortationes?*

Resp. 1° Opportune et discrete suggerantur, ne ægroto molestiam afferant, sed levamen; 2° sacerdos accedat ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac præsertim Sanctorum exempla, quæ plurimum valent; 3° non semper eadem dicantur, sed varia pro varia qualitate et statu infirmi, nimirum doctis pauca et gravia, rudibus communia, devotis et parvulis suavia, peccatoribus consolatoria, excitatoria, manifesta; item alia ante Confessionem, alia post ultima Sacra-

[1] Rit. Rom.

[1] Rit. Rom.

[2] Vide Remedia apud S. Alph. Pr. Conf. n. 237. etc.

[3] Rit. Rom.

menta, alia in agonia; 4° sermo sit familiaris, candidus et non affectatus, brevis et sæpius interruptus, ut infirmus dicta meditari valeat; 5° sonus sit non altus, nec clamosus, nec durus, et, si minæ et increpationes requirantur, blandis sermonibus mulceantur; 6° sermo sæpius dirigi potest ad circumstantes de miseriis vitæ, vanitate sæculi, etc.

Quær. 4° *Ad quæ sacerdos infirmum adhortari debeat?*

Resp. 1° a) "Ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum pœniteat, divinam misericordiam imploret, et infirmitatis pœnas, tanquam paternam Dei visitationem, patienter ferat, et ad salutem suam provenisse credat, ut vitam moresque suos melius instituat";[1] b) ad crebro eliciendos actus fidei, spei, caritatis, contritionis, patientiæ, aliarumque virtutum; c) ad frequenter, prout ejus conditio feret, orandum et meditandum, atque invocandum patrocinium B. Mariæ Virginis aliorumque Sanctorum, saltem per orationes jaculatorias et pia suspiria: in quem finem proponet aliquas breves orationes et pias mentis ad Deum exercitationes; item Passionis Domini nostri meditationem, Sanctorum martyria et exempla, ac cœlestis gloriæ beatitudinem. — Religiosis et doctis etiam suggeret versiculos e Psalmis, rudibus autem orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, et præsertim invocationem SS. Nominum Jesu, Mariæ, Joseph, etc.; d) ad exercenda bona opera, quorum capax est, ad elargiendas eleemosynas, ad curandum ut preces et Missæ pro se fiant, bene tamen cavendo proprii lucri commodum, et onus in se non suscipiendo, nisi infirmus propria sponte petierit; quo casu stipendia recusare non debet; e) ne pro salute corporali aliquid adhibeat, quod in detrimentum animæ convertatur. f) De Confessione vide quæstionem proxime sequentem.

Resp. 2° Si morbus gravior vel periculosus fuerit, hortabitur, ut, dum integra mente est, rem suam omnem recte constituat; si quid habeat alienum, restituat; debita solvat, vel curet solvi, aut saltem cautionem præbeat; pacem stabiliat; inimicis reconcilietur; testamentum juste condat, ne qua inter hæredes discordia oriatur, et ad refrigerium animæ suæ pro facultatibus, quod in Domino placuerit, disponat: hæc autem suggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur.[1]

Resp. 3° Ubi periculum imminet, *quod ipsi infirmi, ut plurimum, ignorant*, sacerdoti incumbit, si alius non faciat, veritatem infirmo revelare, et statum periculosum indicare;[2] atque "monebit infirmum, ne dæmonum astutia, neque medicorum pollicitationibus, neque propinquorum aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat; quo minus ea, quæ ad animæ salutem pertinent, opportune procuret; et qua par est devotione et celeritate SS. Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiose suscipiat, citra fallacem illam ac perniciosam procrastinationem, quæ plurimos ad æterna supplicia perduxit, in diesque, fallente diabolo, perducit."[3] Quod fieri potest, hoc vel simili modo infirmum alloquendo: *amice mi, licet tua sanitas non sit desperata, in periculo tamen est; ideoque optimum est, ut quanto citius potes, ultima Sacramenta accipias; nam Christus in pristinam te restituet sanitatem, si hoc tuæ æternæ saluti expedierit; si tamen moriendum sit, gratiis valde indiges, et per Sacramenta gratiæ copiosæ in te effundentur, quibus brevi ad cœlestem patriam pervenies.*[4]

Resp. 4° Susceptis ultimis Sacramentis, infirmum adhortari perget ad omnia, quæ supra dicta sunt, præcipue ad patientiam, perseverantiam, resignationem, orationes, actus fidei, etc.; item ad iteratam Confessionem, si opus sit, et S. Communionem.

Resp. 5° Convalescentes hortabitur, ut ante omnia ad ecclesiam veniant; Deo gratias agant; peccata rite confiteantur, si forte Confessio ex causa necessitatis imperfecta vel non materialiter integra fuerit; Sacram Communionem pie suscipiant, ac deinceps meliorem vitæ disciplinam teneant.

1511. — Quær. 5° *Quæ notanda sint circa Confessionem infirmorum?*

Resp. 1° a) Licet ex jure naturali medicis gravis incumbat obligatio ægrotos

[1] Rit. Rom.

[1] Rit. Rom. Catal. in Rit. Rom. Tit. V. c. IV. § IV. et XVI.
[2] Baruff. Tit. XXX. n. 31.
[3] Rit. Rom.
[4] Prax. Conf. n. 268.

in morbis periculosis de Confessione tempestive monendi (vide n. 1078. 14° et 1080. q. 1°), non ideo tamen Parochus a sua cura liberatur, cum ipse, et non medicus, stet pro animabus sibi concreditis. Cognoscens igitur infirmitatem esse mortalem (hujus rei scientiam etiam clam, si aliter fieri nequeat, a medico sibi procurando), infirmum ad Confessionem inducere debet, licet necdum proximum adsit periculum; non tamen ordinarie in prima visitatione, nisi urgeat necessitas, et ea semper, qua par est, prudentia et caritate; initio scilicet non loquendo de Confessione, sed benigne interrogando, quomodo valeat, quæ causa morbi, quanti ejus dolores; inde hortando, ut se Dei voluntati resignet, et dolores in peccatorum satisfactionem patienter ferat; et sic paulatim, qua convenit prudentia, inquirendo tempus, a quo confessus est; ac eodem tempore sensim efficiendo, ut ægrotus suæ infirmitatis periculum agnoscat; et tandem, dicendo sapientis esse providere futura, occasionem sumet eum hortandi ad Confessionem, dum mens valet, simul proponendo, quod ea corporis saluti, si animæ expedierit, sit profutura. Si ægrotus dilationem quærat, et periculum mortis, lethargi vel delirii imminens non sit, ei indulgere potest ad breve tempus determinatum, puta vespertinum, in diem crastinum: si autem imminens sit periculum, dilationem admittere nequit; sed ipsum cum S. Augustino admonere debet, quod Deus non promiserit peccatores expectare, sed tantum parcere eis, si pœnitentiam agant. *Crastinum non promisit, fortasse dabit, fortasse non dabit.*[1] Quodsi infirmus nec sic ad Confessionem adduci possit, sacerdos eum non deserat; et amicorum ac domesticorum consiliis eum adduci curet: quod si necdum velit, tunc non omnino desperanda res est,[2] sed, quamdiu vivit, repetendæ sunt frequentes, variæ et efficaces sacerdotum et aliorum piorum hominum exhortationes, proponendaque æternæ salutis damna et sempiternæ mortis supplicia, ostendendaque immensa Dei misericordia, eum ad pœnitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Infirmus etiam commendandus est precibus fidelium, et præsertim Communitatum Religiosarum, aliarumque personarum devotarum. Adhibendæ sunt quoque ferventes ad Deum preces a sacerdote aliisque adstantibus, qui, si hoc obtineri possit, flexis genibus coram eo orent, ita ut ab eo videantur et audiantur. Si mors instet, et non moveatur, sacerdos personam infirmi induat, ejus nomine Deum orando pro remissione peccatorum, eliciendo actus contritionis, fidei, etc., ut, modo det signum contritionis, in ultimo instanti absolvatur.

Resp. 2° Dum infirmus consentit in Confessionem, semper, si fieri possit, relinquendus est libertati alteri confitendi, et etiam rogandus, an alteri confiteri velit. Confessarius vero eum audire tenetur, etiamsi totius vitæ peccata confiteri velit, et curare, ut ultima Confessio bene fiat, cum vehementi contritione, firmo proposito, et ea integritate, quæ tunc haberi potest. Infirmum hortari debet, ut veraciter et integre confiteatur, dicendo quod modo omnes defectus commissos emendare possit, et etiam interrogando de præcedentibus Confessionibus, de peccatis forte voluntarie celatis, etc. Præterea infirmus adjuvandus est in enarrandis peccatis, in eliciendis actibus contritionis, fidei, etc. Tandem parva pœnitentia est imponenda, quam infirmus præsente confessario statim impleat, indicendo tantum justam pœnitentiam opportuno tempore, si convaluerit, peragendam.[1]

Resp. 3° Dum sacerdos post factam Confessionem infirmum visitat, etiamsi ejus Confessionem non exceperit, prudenter eumdem iterato interrogat, an nihil supersit, quod conscientiam angit; an perduret bona conscientiæ dispositio, sed semper industrie, et nunquam aliis audientibus, ne præ verecundia veritatem dicere non audeat.

Resp. 4° Tempore agoniæ, dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ita ille circa statum gratiæ magis securus reddatur; si forsan præteritæ Confessiones invalidæ fuerint; aut saltem gratiæ augmentum recipiat, necnon purgatorii pœnæ ei minuantur; et, si forte ex tentatione in peccatum incidat, statim absolvatur.[2]

[1] Prax. Conf. n. 231. 232. [2] Rit. Rom.

[1] Rit. Rom. in ordine minist. Sacram. Pœnitentiæ, in fine.

[2] Prax. Conf. n. 276 ad. 11.

Quær. 6° *Quo ritu fiat visitatio ?*

Resp. Vide *Excerpta ex Rit. Rom.* pag. 126 (p. 118. Ed. 1874). Nota vero : 1° hunc ritum non esse de præcepto, ut ex ipso patet Rituali; 2° ipsum autem utilissime adhiberi, præsertim cum periculose decumbentibus, qui ultima Sacramenta jam receperunt; 3° sacerdotem, ut rite animadvertit Baruffaldus, moderate posse salutare ægrum et circumstantes, antequam dicat : *Pax huic domui, etc.*

1512. — Quær. 7° *An et quanta sit obligatio infirmum etiam post suscepta Sacramenta visitandi, juvandi morientes seu agonizantes, et qua ratione hi juvandi sint ?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm.*, ut patet ex verbis Ritualis : " Ingravescente morbo, parochus infirmum " (etiam sensibus destitutum, cum et hic precibus, sacramentalibus, absolutione, etc., juvari possit) " frequentius visitabit, et ad salutem diligenter juvare non desinet, monebitque, instante periculo, se confestim vocari, ut in tempore præsto sit morienti."

Resp. ad 2^um^ *Per se* gravis est. Ratio est, quia infirmus, si quando, tunc certe sui pastoris ope indiget, cum diabolus ipsius calcaneo insidiatur. Adde, quod non raro contingat infirmum ob novum peccatum, vel ob sacrilege peractam Confessionem, confessario denuo indigere. — *Primario* autem et *ex justitia* hæc obligatio Parocho incumbit; aliis vero sacerdotibus *subsidiarie*, i. e. in *necessitate* et *ex caritate* tantum.[1]

Dixi : PER SE *gravis est*, i. e. si commode impleri possit. Licet vero verba : *si commode impleri possit*, late, ut per se patet, interpretanda non sint, excusationem tamen innuunt, quæ ab hac morientes, præsertim agonizantes, juvandi obligatione dari potest, in his potissimum provinciis, tum in urbibus ob sacerdotum penuriam, tum ruri ob magnam sæpe distantiam. — Curabit tamen sacerdos, ut, si ipse agonizantes juvare non possit, a laico quodam pio, si haberi valeat, juventur.

Resp. ad 3^um^ Vide *Excerpta ex Rit. Rom.* p. 149 sq. (p. 141. Ed. 1874) et cfr. S. Alph. *Prax. Conf.* n. 276. 277, ac præterea nota sequentia : Litaniæ recitari possunt, licet mors non ita immineat; sequentes autem orationes : *Proficiscere*, etc., dicendæ tantum sunt, *cum in agone sui exitus anima anxiatur*, seu dum tempus expirandi instat : de quo extremo vitæ tempore profecto difficile est judicare, cum peritissimi medici in hoc sæpe hallucinentur. Quapropter sacerdos non præceps esse debet, sed caute admodum progredi ad præfatas orationes recitandas, eo magis, quod in oratione : *Proficiscere*, denuntietur animæ, ut corpus deserat : quod minus fortibus talem incutere potest tremorem, ut, si non sint in mortis articulo, in eo inde constituantur, ac mors ipsa acceleretur. Si igitur, recitatis litaniis, infirmus verosimilius non judicetur in ipsa agonia constitutus, sacerdos vel easdem litanias repetere, vel litanias B. M. V., aliasve pias orationes consulto dicere potest; seu satius est, si infirmus sit compos mentis, occupari in virtutum actibus et salutis monitis.

Nota. — De ratione cum capite damnatis tenenda consule S. Alph. *Praxis Conf.* n. 108. 109.

[1] Giraldi apud Gury. Ed. in Germ. 4^ta^. P. II. n. 688. Nota (1). S. C. C. 14 apr. 1821; 9 maii 1840. Cfr. Nouv. Revue Théol. 2^me^ année p. 667; 3^me^ année p. 545. Item Conc. Pl. Balt. II. a. 116.

TRACTATUS DE ORDINE.

Agendum 1° de natura et divisione; 2° de materia et forma; 3° de ministro; 4° de subjecto Ordinis.

CAPUT I.

DE NATURA ET DIVISIONE ORDINIS.

1513. — Nomine Ordinis hic intelligitur *gradus* Clericorum ad specialia Officia ecclesiastica consecratorum.

Ordo definitur : Sacramentum novæ legis, quo traditur spiritualis potestas, et confertur gratia ad munia ecclesiastica debite obeunda.

1514. *Statuenda.* — I. Ordo est verum et proprie dictum novæ legis Sacramentum.— Argumenta vide apud Dogmaticos.

II. Septem numerantur Ordines, scilicet, *Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorcistatus Lectoratus*, et *Ostiariatus*. Tres priores dicuntur *Majores* vel etiam *Sacri ;* cæteri *Minores*. — Argumenta vide apud Dogmaticos.

1515. QUÆSITA. —Quær. 1° *Quænam sit horum Ordinum natura et proprietas ?*

Resp. 1° *Ostiariatus* est Ordo, quo specialis confertur potestas aperiendi vel claudendi januam Ecclesiæ, dignos admittendi, excludendi indignos.

2° *Lectoratus* est Ordo, quo specialis traditur potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in Ecclesia, ac populum catechizandi, seu instruendi in rebus Fidei.

3° *Exorcistatus* est Ordo, quo alicui confertur specialis potestas ejiciendi dæmonia per exorcismos ab Ecclesia institutos.

Attamen hodie facultas exorcizandi solis reservatur Presbyteris, qui ea tantum de licentia Ordinarii uti possunt (n. 376).

4° *Acolythatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas inter Missæ solemnia Subdiacono inserviendi, accendendi cereos, præparandi, porrigendique ampullas vini et aquæ.

5° *Subdiaconatus* est Ordo, quo confertur alicui specialis potestas in Missa solemni inserviendi Diacono, solemnique ritu Epistolam cantandi.

6° *Diaconatus* est Ordo, quo confertur specialis potestas in solemni Missa Presbytero immediate assistendi, inter solemnia decantandi Evangelium, prædicandi, et solemniter baptizandi, si justa tamen interveniat causa. Utrum vero Diaconus, ut aliquando prædicet, speciali licentia Episcopi indigeat, vel licentia Parochi vel Rectoris Ecclesiæ sufficiat, ex statutis particularibus vel consuetudine definiendum videtur.

7° *Presbyteratus* est Ordo, quo confertur specialis potestas Corpus et Sanguinem Christi in Missæ celebratione consecrandi, a peccatis absolvendi, subditosque opere ac doctrina pascendi.

His adde *Episcopatum* et *Primam Tonsuram*, quorum alter est ipsius Sacerdotii complementum, altera vero Ordo non est, sed dispositio ad Ordines, qua quis Clericus renuntiatur.

Quær. 2° *An Diaconatus sit Sacramentum ?*

Resp. Affirm., juxta communem et certam sententiam. — Vide Dogmaticos.

Quær. 3° *An etiam Subdiaconatus sit Sacramentum ?*

Resp. Controvertitur. SENTENTIA *probabilior negat.* Deest enim et materia

Sacramenti Ordinis, — scil. impositio manuum, — et ejusdem forma; nam in forma Subdiaconatus non exprimitur collatio gratiæ, sed solummodo potestatis spiritualis. Nec Subdiaconatus numerandus videtur inter Ordines *Majores* ex institutione divina, sed ecclesiastica tantum, cum apud Græcos non habeatur ut Ordo Sacer.[1]

Idem dic de Ordinibus Minoribus.[2]

CAPUT II.

DE MATERIA ET FORMA ORDINIS.

1516. — Materia et forma variæ sunt pro variis Ordinibus.

I. Quod spectat ad *Ordines Minores*, ratione materiæ, — *Ostiarius* ordinatur traditione clavium Ecclesiæ; *Lector* traditione libri lectionum; *Exorcista* traditione libri exorcismorum; *Acolythus* traditione ampullarum vacuarum, vel saltem unius, et candelabri cum cereo extincto, quia ipsius est præparare lumen, vinum et aquam ad Missam. — Forma his Ordinibus propria continetur verbis, quibus utitur Episcopus, dum ipsa instrumenta tradit.

II. Quoad *Subdiaconatum*, tamquam materia *apud Græcos* censetur impositio manuum. *Apud Latinos* controvertitur. Juxta alios traditio vacui calicis cum patena vacua est sola ejus materia proxima. Alii vero contendunt traditionem libri Epistolarum esse pariter materiam hujus Ordinis essentialem. — Forma autem his continetur verbis: *Videte cujus ministerium*, etc.; cui in sententia, requirente etiam traditionem libri Epist. addenda est forma huic traditioni correspondens.

III. Quoad *Diaconatum*, materia duplex statuitur, impositio scilicet dexteræ manus Episcopi, et traditio libri Evangeliorum. Num harum utraque, an vero una tantum, necessaria sit, in controversia est. Theologorum alii solam manuum impositionem, alii solam libri traditionem, alii tandem utramque necessariam censent. Ad praxim autem quod spectat, postrema hæc sententia, utpote tutior, tenenda est. — Forma consequenter etiam duplex habetur. Quæ priori materiæ adjicitur, hæc est: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo et tentationibus ejus. In nomine Domini.* — Quæ posteriorem materiam comitatur, ejusmodi est: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.*

IV. Quoad *Presbyteratum*, ipsius materia *apud Græcos* sita est in sola manuum impositione; *apud Latinos* vero duplex est, saltem ex præcepto, scilicet impositio manuum Episcopi, et traditio calicis cum vino, et patenæ cum hostia superposita. Controvertitur autem inter Theologos, quænam sit materia essentialis. *Probabilius* consistit in sola *secunda* manuum impositione, quæ fit ab Episcopo cum Presbyteris assistentibus.[1]

Forma etiam pro materiæ diversitate varia est; quare de ea pariter controvertitur. Hinc forma, quæ traditioni instrumentorum respondet, hæc est: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missasque celebrandi, tam pro vivis quam pro defunctis. In nomine Domini.* Forma autem impositioni manuum propria, est ipsa oratio, quam recitat Episcopus, dum manus ordinandis *secundò*, seu simul cum sacerdotibus imponit.[2]

1517. QUÆSITA. — Quær. 1° *An requiratur tactus physicus instrumentorum?*

Resp. Dicit S. Alph.,[3] duplicem dari sententiam probabilem, et consequenter tutiorem in praxi sequendam esse. Sunt qui negantem sententiam *tutam* putant, ob duplex scil. S. R. C. Responsum, alterum 3 dec. 1661, alterum 21 jan. 1863. Prius sic sonat: "Ad *scrupulum* fratris Ephrem Chasteau, pro-agentis Recollectorum Galliæ, nempe se non tetigisse tactu physico calicem in sua ordinatione ad Presbyteratum; — S. C. respondit: *Posse continuare celebrationem SS. Sacrificii absque ullo scrupulo, ac tuta prorsus conscientia.*[4] Posterius responsum, quod in Collectione *Gard.* non invenitur, a patronis negantis sententiæ priori tum quoad casum, tum quoad responsum omnino simile dicitur. Verum ex his nullo modo concludere licet sententiam negantem tutam esse. Nam, ut recte animadvertit Adnot.

[1] L. VI. 737. [2] Ib.

[1] L. VI. 749.
[2] Ib. 739 sq.
[3] Ib. 743.
[4] Gardell. 2143. Vol. I. p. 364.

anonymus Gury, Ed. Rom. 1873,[1] "quamvis dubium de validitate ordinationis, cum quis omiserit tangere calicem, etsi patenam tetigerit, non est identicum cum proposito dubio generali: *An requiratur tactus physicus instrumentorum;* tamen, supposito quoque dubii utriusque nexu, scire hic opus esset, an S. C. de dubio *juris*, vel potius de dubio *facti* responderit, cum sæpe contingat, ut ejusmodi responsa non juris quæstiones, sed casum particularem respiciant. Quod autem hoc posteriori sensu citata S. Cong^nis resolutio sit accipienda, suadet mentio *scrupuli*, quæ ibidem occurrit; etenim, si de jure quæstio fuisset, dubium hujusmodi, ob oppositas Theologorum sententias, nomine scrupuli traducere, a praxi S. Cong^nis alienum videretur."

Cæterum nemini ordinato rationabilis et fundatus scrupulus inesse potest. Nam in praxi Episcopi solent ita procedere, ut in re tanti momenti tutiorem viam semper teneant. Aliunde tot Ministris et Officialibus incumbit munus invigilandi de ritu in Ordinatione servando, ut moralis certitudo habeatur, omnia recte et valide gesta fuisse.

Quær. 2° *An necessario traditio utriusque speciei requiratur?*

Resp. Affirm., probabilius, quia per traditionem unius speciei non traditur potestas in totum Sacrificium. — S. Alph.[2]

Quær. 3° *An valide ordinetur, qui tangit hostiam, non autem patenam; et qui tangit calicem et patenam, non autem hostiam?*

Resp. ad 1^um *Affirm.* cum sententia communi, quæ probabilissima videtur. Ratio est, quia hostia et vinum sunt materia substantialis Ordinis, quibus principaliter significatur potestas in Corpus Christi, et propter solam decentiam ex præcepto Ecclesiæ usurpatur calix et patena. Attamen in praxi pars tutior sequenda est.[3]

Resp. ad 2^um Etiam *affirmative* cum sententia *communi* et *veriori*, ait S. Alph. Ratio est, 1° quia tunc tangitur hostia mediante patena; non autem præscribitur ab Ecclesia tactus immediatus hostiæ, sed tantum patenæ, ut patet ex Pontificali; 2° quia vinum in calice nunquam tangitur immediate: ergo nec requiritur, ut hostia immediate tangatur. Cæterum curandum est ordinando, ut tangat calicem, patenam et simul hostiam, et sic ab omni scrupulo se eximet.[1]

[1] P. II. n. 702. (1). (*). Cfr. Vindic. p. 388 sq. Ed. 2^a. T. I. p. 439 sq.
[2] L. VI. 750.
[3] Ib. 751.

CAPUT III.

DE MINISTRO SACRAMENTI ORDINIS.

1518. Principia. — I. Solus Episcopus est ordinarius Sacramenti Ordinis Minister. — Argumenta vide apud Dogmaticos.

II. Simplex sacerdos, S. Pontifice committente, potest Tonsuræ et quatuor Minorum Ordinum, et probabiliter etiam Subdiaconatus, extraordinarius esse Minister.

Probatur quoad Tonsuram et Minores ex Conciliis, præsertim ex Trid.,[2] ubi dicitur: "Abbatibus et aliis quibuscumque, quantumvis exemptis et privilegiatis, non licet in posterum . . . cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre." Ergo supponit Trident., illos suis Religiosis Ordines conferre posse. — Quoad Subdiaconatum, vide S. Alph.[3]

III. Episcopus solos sibi subditos licite ordinare potest: quod DD. communiter etiam de Tonsura intelligunt.[4]

Alios vero licite ordinare nequit absque ipsorum Episcopi facultate. — Eruitur ex Trid.[5]

1519. Quæsita. — Quær. 1° *Quisnam censeatur proprius ordinandi Episcopus?*

Resp. Triplici titulo Episcopus potest esse proprius, scilicet titulo *nativitatis*, *domicilii*, *beneficii* et *familiaritatis*, de quibus quoad has Provincias notandum:

1° Quum unum tantum apud nos sit stricti nominis beneficium, soli *nativitatis* seu *originis* et *domicilii* tituli attendendi sunt, non *beneficii* neque *familiaritatis;*

[1] L. VI. 752.
[2] Sess. 23. c. 10. Ref.
[3] L. VI. 762.
[4] Ib. 769.
[5] Sess. 23. c. 8. Ref.

neque enim familiaritatis titulo quis ordinari potest, nisi et beneficium ei statim, i. e. intra mensem, conferatur.[1]

2° De titulo *nativitatis* seu *originis* hæc habet Conc. Pl. Balt. II.[2] "Locus originis dicitur urbs, oppidum aut pagus, ubi quis naturaliter ortus est, scilicet ubi pater verum domicilium habet. Si autem alibi per accidens nascatur, v. g. occasione itineris, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, tum nullatenus hujusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda. Quod si pater in alieno loco, ubi filius nascitur, tamdiu eoque animo permanserit, ut ibi domicilium de *Jure* contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium pro filii ordinatione attendi debet.[3] In neo-baptizatis, ex hæresi aut infidelitate conversis, locus originis censetur ille, in quo Baptismum accipiunt. Ita enim a Paulo III.[4] constitutum fuit; et ita se habet praxis Curiæ Romanæ." — Si vero filius est illegitimus, attenditur origo matris; si expositus, locus, in quo expositus fuit.[5]

3° De titulo *domicilii* hæc notat idem Concilium:[6] "Subditus . . . ratione domicilii, ad effectum suscipiendi Ordines, is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamen stabiliter constituit in aliquo loco, vel decennali habitatione, vel illuc majorem bonorum partem cum ædibus instructis transferendo, ibique per notabile tempus commorando, atque insuper animum permanendi habere jurejurando affirmat.[7] Plura hinc ad domicilium vere dictum pro Ordinandis constituendum lege positiva requiri patet, quam pro cætera Sacramenta suscepturis. Si quis duo habeat domicilia, poterit ab utriuslibet loci Episcopo Ordines petere, quia uterque *proprii* Episcopi loco habetur."

4° "Ab *alieno*" (i. e. in nostris provinciis neque *originis*, neque *domicilii*) "Episcopo nemo ordinari potest, nisi secum afferat *proprii* Episcopi litteras dimissoriales."[1]

5° Requiruntur etiam quandoque litteræ *testimoniales*, licet quis ab Episcopo sive *originis*, sive *domicilii* ordinetur, et quidem:

a) Si ad *ulteriores* Ordines promovendus est aliquis, qui ab alio Episcopo (*quocumque* titulo hic proprius fuerit) ad clericalem Tonsuram seu etiam ad Minores Ordines fuerit assumptus. Hic enim, si ab Episcopo domicilii ordinetur, tenetur huic exhibere testimoniales Episcopi originis; testimoniales vero Episcopi domicilii, si ordinetur ab Episcopo originis.[2]

b) Quicumque — sive necdum clericus sit, sive jam ad Minores aut ad Tonsuram ab alio Episcopo, quocumque titulo, promotus fuerit, — "a propriæ originis loco," in Europa v. g., vel in alia harum Provinciarum diœcesi sito, "discesserit, tenetur litteras testimoniales Ordinarii suæ originis Episcopo ordinanti," licet domicilii ratione proprio, aut de moribus ordinandi alioquin certo, "offerre. . . . Neque refert, utrum ordinandus a loco originis in ea ætate discesserit, qua potuerit canonico impedimento irretiri, an antea, cum hujusmodi impedimento ob annorum defectum subjacere non posset."[3] Ab hujusmodi igitur testimonialibus requirendis dispensatio obtinenda est a S. Sede casu, quo ageretur de ordinando Europæo, cujus "legibus patriis vetatur, ne Episcopus, absque civilis regiminis venia, det exeundi facultatem."[4]

c) "Si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo non *naturaliter*, sed *ex accidenti*, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonicum aliquod impedimentum contrahere, tunc etiam testimoniales ab Ordinario ejus loci litteras Episcopo ordinanti exhibere teneatur."[5] Præter hæc Concilium statuit:

d) "Ut Episcopi, eorumque examinatores, . . . ab omnibus, præter cætera requisita, exigant insuper litteras testimoniales, a Rectoribus aut Superioribus Collegiorum et Seminariorum," ubi

1 Sess. 23. c. 9. Ref. C. Speculatores. Innoc. XII.
2 a. 317.
3 C. Speculatores. Innoc. XII.
4 C. Cupientes.
5 Ib.
6 a. 318.
7 Honorante. Prax. Sacr. Trib. Urb. Vicarii, Romæ, 1762. p. 21. Pauli III. C. Cupientes, quam Pauli Constitutionem postea confirmavit ampliavitque Clem. XI. C. Propagandæ.

1 Conc. Pl. Balt. II. a. 319.
2 Ib. a. 320.
3 Ib. a. 321.
4 Kenr. Tr. XX. 15.
5 Conc. Pl. Balt. II. a. 321.

alumni fuerunt, "subscribendas, in quibus patefiat qualemcumque studiis operam dederint; necnon a Parochis vel probatæ vitæ sacerdotibus aliorum locorum, in quibus per aliquod *notabile* tempus commorati fuerint." [1]

Quær. 2° *Quinam litteras dimissorias concedere possint?*

Resp. 1° Solus ordinandi Episcopus, dummodo possessionem adeptus, licet nondum consecratus et licet in aliena diœcesi existens, Sede non vacante, dimissorias litteras dare potest, sive per se, sive per Vicarios suos Generales, si in remotis agat, vel eis illam potestatem contulerit. Solius enim Episcopi est diœcesim gubernare, et ordinario jure Ordines conferre.[2]

Resp. 2° Sede autem vacante, Capitulum habet quidem facultatem litteras dimissorias concedendi, sed non infra annum a die vacationis, nisi quis sit arctatus ad Ordines infra illum annum suscipiendos ob *beneficium*, requirens obsequium personale. — Ita ex Trid.[3]

Litteras dimissoriales, quas Capitulum, Sede vacante, infra annum a die vacationis dare prohibetur, dare etiam prohibetur Administrator, qui apud nos Capituli seu potius Vicarii Capitularis loco est; cum vero in nostris Provinciis quæstio esse nequeat de arctatis ad *beneficia*, opinatur Kenrick,[4] Administratorem litteras dimissoriales etiam intra annum a die vacationis dare posse, si urgeat necessitas providendi animarum curæ.

Quær. 3° *A quonam Episcopo Regulares ordinandi sint?*

Resp. Ab Episcopo, in cujus diœcesi est monasterium, ubi tunc commorantur.[5] Excipe, si post Trid. speciale obtinuerint privilegium, ut ordinari possint a quocumque Episcopo. Privilegium autem illud non acquiritur per communicationem.

Si tamen Episcopus vel absens fuerit vel ordinationem non sit habiturus proximo legitimo tempore, per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto, Superior, dimissoriis traditis, poterit subditos ad quemlibet Episcopum ordinandos mittere, modo huic Episcopo ostendant testimonium Vicarii Generalis, vel Cancellarii, seu Secretarii proprii Episcopi,[1] et modo insuper concessio dimissoriarum non ex industria differatur in tempus, quo Episcopus diœcesanus vel abfuturus, vel nullas est habiturus ordinationes, et ordinandi examinentur ab Episcopo ordinante.— At hæc, præscindendo a privilegio speciali, valent tantum quoad eos Regulares, qui emittunt vota *solemnia*, eosque *professos*.

In ordinatione autem Regularium, servanda est dispositio Pontificalis Romani quoad formulam: *Promittis ordinario tuo obedientiam*, etc.[2]

Quær. 4° *Quænam missa dicenda sit ab Episcopo in collatione generali Ordinum, quando in Sabbatis quatuor Temporum, aut ante Dominicam Passionis occurrit aliquod festum, an scilicet de feria, an vero de festo?*

Resp. De feria. — Ita *S. Congr. Rit.* multoties declaravit.

CAPUT IV.

DE SUBJECTO SACRAMENTI ORDINIS.

1520. PRINCIPIA.— I. Subjectum Ordinis est solus mas baptizatus.

Ratio 1^mi^ est, quia fœminæ ex divina institutione sunt Ordinis cujuslibet prorsus incapaces. Constat ex Sacris Litteris.[3] Probatur etiam ex perpetua Ecclesiæ praxi et unanimi Patrum omniumque Doctorum consensu.

Ratio 2^di^ patet. Nemo enim ante susceptum Baptismum aliud quodlibet Sacramentum suscipere valet.

Puerulus autem baptizatus, nondum rationis compos, valide quidem, sed illicite ordinaretur.

1521.— II. Ut quis Ordines rite suscipiat, sequentes requiruntur conditiones:

1° Ut nulla irregularitate, suspensione, excommunicatione, interdicto devinciatur.

2° Ut ætatem per Sacros Canones requisitam attigerit.

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 322.
[2] L. VI. 787.
[3] Sess 7. c. 10. Ref. S. Alph. L. VI. 788.
[4] Tr. XX. 21.
[5] L. VI. 768.

[1] L. VI. 765. 768. Acta, Vol. I. p. 358 sq. Anal. Jur. Pont. Sér. 2. Col. 2318. Sér. 7; Col. 744 sq.
[2] S. R. C. 22 jul. 1848 in Gandav.
[3] I. Cor. 14. 34. I. Tim. 2. 11. 12.

3° Ut congruam scientiam, specimine comprobatam,[1] præ se ferat.

4° Ut in casibus n. 1519. q. 1° expositis vel testimoniales, vel dimissoriales ostendat litteras.

5° Ut debito tempore, debitisque interstitiis interpositis, ordinetur.

6° Ut positiva vitæ probitas divinam quoque vocationem comitem habeat.

7° Ut ordinatio fiat per gradus, superior scil. Ordo ante inferiorem non suscipiatur, et quidem sub mortali: ordinatio tamen aliter suscepta valida esset, si Episcopatum excipias, qui Sacerdotium prærequirit.[2]

8° Ut ordinandi S. Eucharistiam accipiant, quod statutum Pontificalis Romani verius presbyteros sub mortali ligat; diaconos et subdiaconos sub levi; pro initiandis autem ad Minores de solo consilio censetur.[3]

9° Ut, si agatur de Regularibus, serventur ea, quæ supra n. 1195. C). 5° et n. 1519. q. 3° dicta sunt, et n. 1522. sub 2° dicentur. — Habent præterea Regulares privilegium, ut extra tempora ordinari possint.[4]

10° Ut, si agatur de conjugato, in sæculo persistente, ad nullum Ordinem, ne ad Tonsuram quidem, promoveri licite valeat, nisi de consensu expresso et spontaneo compartis.[5] Excipe; a) si ob uxoris adulterium divortium legitimum factum est, et juridice quidem, si crimen non sit notorium;[6] b) si ob ejusdem hæresim aut apostasiam a Fide judex separationem *perpetuam* (perpetua autem hodie vix permitti consuevit) decrevit; item generatim c) si vir ad Catholicam Fidem se convertit, uxore in infidelitate remanente. — Imprudentissime autem apud nos ejusmodi conjugatus ordinaretur, nisi obtenta prius a civili judice sententia divortii.

At exigiturne insuper uxorem Religionem ingredi, *et* in eadem *solemniter* profiteri?

Resp. 1° *Neg. generatim*, sed sufficit votum perpetuum castitatis.

Resp. 2° *Affirm.*, si, *vel* uxor esset juvenis et vir fieret religiosus, *vel* vir ad Episcopatum assumeretur.

Resp. 3° Neque votum, neque ingressus in Religionem requiritur, si uxor crimen adulterii commisit.[1]

11° Ut clericorum sæcularium, qui ad Sacros Ordines sunt assumendi, nomina in Ecclesia parochiæ, ad quam pertinent, recitentur.[2] Hic autem mos apud nos non obtinet, ait Kenrick.[3]

12° Ut susceptus Ordo exerceatur, antequam ad altiorem ascendatur.[4] De præcepto tamen, absque mandato stricto Episcopi, non constat, præsertim quoad *Minores*, quorum exercitium fere obsolevit.[5]

13° Ut adsit animus clericandi, i. e. voluntas permanenter se devovendi statui clericali.[6]

1522. — Ad Subdiaconum ordinandum requiritur præterea titulus *sustentationis honestæ*, ne scil. clerici in Sacris constituti, aut emendicatis subsidiis, aut ex sordido quæstu, ea, quæ ad victum necessaria sunt, sibi cum dedecore Sacri Ordinis comparare cogantur. Juvat hac de re synopsim tradere Instructionis, quam pro locis Missionum die 27 apr. 1871 edidit S. C. de P. F.

1° "Geminus distinguitur titulus: *ecclesiasticus* scil. ac *patrimonialis*. Hic postremus . . . obtinet, cum ordinandus talibus bonis certis, stabilibus ac frugiferis, aliunde quam ab Ecclesia provenientibus, est instructus, quæ ad congruam ejus sustentationem sufficere Episcopi judicio censeantur."[7] — "Ecclesiasticus . . . titulus in *beneficialem* subdividitur ac *paupertatis*, quibus aliæ quædam veluti subsidiariæ atque extraordinariæ species adjiciendæ sunt, tituli nempe *Mensæ communis*, atque *Servitii Ecclesiæ, Missionis, Sufficientiæ* et *Collegii*."[8] — Prætermissis titulis *Beneficii, Servitii Ecclesiæ, Sufficientiæ* ac *Collegii*, qui apud nos non occurrunt, ac explanato jam supra titulo *Patrimonii*, qui etiam apud nos adhiberi potest,[9] superest, ut agamus de titulo *Paupertatis* et

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 316.
[2] L. VI. 793.
[3] Ib. 801.
[4] S. Alph. de Priv. n. 115. 116.
[5] L. VI. 812.
[6] Ib. 969.

[1] L. VI. 812.
[2] Trid. Sess. 23. c. 5. Ref.
[3] Tr. XX. 33.
[4] Trid. Sess. 23. c. 11. 13. 17. Ref.
[5] L. VI. 801.
[6] Ib. 785.
[7] Instr. cit. n. 2.
[8] Ib. n. 3.
[9] Ib. n. 14.

Mensæ Communis, necnon de titulo *Missionis*.

2° "*Paupertatis* . . . titulus in religiosa professione est positus, vi cujus, qui *solemnia* vota in probata Religione emiserunt, vel ex reditibus bonorum, si quæ ipsamet Religio possideat, vel ex piis fidelium largitionibus omnia communia habent, quorum ad vitam alendam indigent. Quem vero vocant *Communis Mensæ* titulum, eos clericos attingit, qui Religiosorum more in communi vitæ disciplina degentes, aut nulla nuncupant vota, aut simplicia tantum, proindeque e domo religiosa exire aut dimitti, atque ad sæculum redire permittuntur. Neque enim ad eos pertinet titulus paupertatis, ut ex Const. *Romanus Pontifex* S. Pii V., prid. Id. oct. 1568, deducitur. Verum ex hisce clericis ii dumtaxat Communis Mensæ titulo promoveri ad Sacros Ordines possunt, quorum Congregationes aut Instituta peculiari ad id privilegio ab Apostolica Sede aucta fuerint."[1] Ergo ad *Sacros* Ordines, sine speciali indulto, titulo paupertatis promoveri non possunt religiosi Ordinum, in quibus vota solemnia emittuntur, quousque votis tantum simplicibus, ad normam Decreti Pii IX. (vide n. 1187), tenentur. Patet etiam ex Resp. S. C. Reg. 20 jan. 1866 ad Archiepisc. Mexican.

3° "Titulus *Missionis* . . . adhiberi consuevit . . . pro iis, qui . . . Apostolicarum Missionum servitio sese devovent . . . in locis, . . . in quibus ea est rerum conditio, ut commune Ecclesiæ jus circa ea, quæ ad prærequisitum pro Sacra Ordinatione titulum spectant, servari ad amussim nequeant. Qui vero hujusmodi titulo ordinati sunt, ii ex apostolico ministerio in Missione, cui fuerunt addicti, ad victum necessaria consequuntur."[2] — Ut quis hoc titulo ordinari possit, requiritur:

a) Speciale indultum a S. Sede Ordinario (regulariter vel ad certum tempus, vel ad præfixum casuum numerum) concessum, onerata districte ejusdem conscientia, ut adhibeatur "in eorum dumtaxat favorem, qui animi indole et docilitate, intentionis rectitudine, aptitudine ingenii, profectu in sacris studiis, morum integritate, ac rerum mundanarum contemptu, spem faciant, sese strenuos futuros fore Evangelii præcones."[1] — Indultum ejusmodi singulis harum Provinciarum Episcopis die 24 jan. 1868 ad terminum unicuique eorum pro aliarum facultatum (p. LXX. sq.) exercitio assignatum concessit S. Pontifex.[2]

b) Juramentum[3] (p. LXXIII. nota 2 et n. 374. 8°), cujus nova Forma non afficit eos, qui juxta priorem jurarunt. — Illud emittentibus, itemque illud anniversaria die repetentibus Pius VI. in audientia 7 maii 1775 plenariam indulgentiam, defunctis applicabilem, concessit, dummodo in utroque casu confessi et S. Communione refecti fuerint.[4]

4° Quemadmodum alii tituli, ita etiam hic, de quo agitur, juxta canonicas sanctiones amitti potest, atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congregationis, cujus est sic ordinatos præstiti juramenti vinculo exolvere.[5] "Quod si, amisso titulo generatim, aut etiam titulo Missionis, alter ei non substituatur, sacerdos haud propterea remanet suspensus; sed Ordinarii tenentur compellere ordinatos ad alterius tituli subrogationem, prout sacris Canonibus consultum est. Id Sacra hæc Congregatio in generalibus comitiis diei 1 septembris 1856 declaravit."[6]

"Pariter sacerdotes regulares, qui vota solemnia nuncuparunt, atque ex Apostolica indulgentia in sæculo vivere permittuntur, vel qui ediderunt vota simplicia, et e suis Congregationibus seu Institutis egressi sunt, ne cum proprii gradus dedecore emendicare cogantur, ad sibi de canonico titulo providendum obligentur; in locis vero Missionum ipsi probare saltem tenentur, sibi suppetere media, quibus propriæ sustentationi, ut par est, consulant."[7]

"Qui titulo certæ alicujus Missionis ad ecclesiasticos Ordines ascenderunt, ubi Missionarii officium dimiserint, procul dubio suum amittunt titulum, ac de alio sibi providere debent; si vero alterius Missionis servitio deputentur, ut hujus Missionis titulum assumant, nova opus erit S. Sedis concessione; neque enim eis

[1] Instr. cit. n. 4. [2] Ib. n. 6.

[1] Instr. cit. n. 7. Conc. Pl. Balt. II. a. 89.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 323. nota 1.
[3] Instr. cit. n. 8.
[4] Ib. n. 15.
[5] Cfr. tamen Conc. Pl. Balt. II. n. 90.
[6] Ib. n. 11.
[7] Instr. cit. n. 12.

suffragatur facultas, si quam obtinuerit ejus Missionis Ordinarius, memorato titulo clericos ordinandi."[1] Vide tamen Conc. Pl. Balt. II.[2]

1523. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *Quænam requiratur scientia in candidatis ad Ordines promovendis?*

Resp. 1° Ab initiandis ad Minores exigitur, ut saltem Latinum sermonem intelligant; 2° ab initiandis ad Subdiaconatum et Diaconatum requiritur, ut in litteris eruditi sint, et in iis quæ ad Ordinem exercendum pertinent; 3° ab initiandis demum ad Sacerdotium exigitur, ut ad populum docendum ea quæ ad salutem omnibus necessaria sunt, et ad ministranda Sacramenta idonei reperiantur. — Trid.[3] Finis porro Concilii, quod terminos infimos scientiæ indicat, est, illiteratos ab Ordinibus arcere, quin Episcopo prohibeatur, uberiorem scientiam ab ordinandis exigere, quæ merito nunc ubique exigitur.[4]

Quær. 2° *Quænam ætas requiratur ad suscipiendos Ordines?*

Resp. 1° Ad *Tonsuram* suscipiendam requiritur, ut initiandus polleat rationis usu, scilicet ut saltem septennis sit. — Trid.[5] 2° Quoad *Minores* nulla in Jure Canonico assignatur ætas. 3° A *Subdiaconis* exigitur vigesimus secundus ætatis annus. 4° A *Diaconis* vigesimus tertius. 5° A *Sacerdotibus* vigesimus quintus. 6° Ad *Episcopatum* autem requiritur annus trigesimus. Colligitur ex Trid.[6] Sufficit autem ut annus indicatus sit inchoatus, exceptis tamen Episcopatu et Tonsura.[7] Dispensatio vero quoad ætatem Summo Pontifici reservatur.[8] Facultates, Episcopis nostris hac in re concedi solitas, vide p. LXX. n. 3. et p. LXXII. n. 3.

Quær. 3° *Quonam tempore et loco Ordines conferri possint?*

Resp. 1° Tonsura quovis die, hora et loco (etiam extra propriam ordinantis diœcesim[9]), conferri potest. — Sic ex *Pontif. Romano.*

Resp. 2° Minores ubivis, at in propria ordinantis diœcesi,[1] conferri possunt singulis Dominicis, vel Festis duplicibus ex præcepto, licet suppressis,[2] dummodo mane conferantur. — Vide *Pontificale Rom.* Sed hoc est intelligendum de ordinatione, quæ non sit generalis; siquidem generalis fieri debet iis diebus, quibus Ordines Majores conferri possunt, nisi consuetudo id feria IV. aut VI. ante ordinationem generalem permittat.[3]

Resp. 3° Ordines *Majores* ex jure, et sub gravi, inter Missæ celebrationem conferendi sunt: 1° Sabbato singulorum quatuor Temporum; 2° Sabbato ante Dominicam Passionis; 3° Sabbato Sancto. Ex dispensatione vero a Papa obtenta (ad quam elargiendam facultas concessa est Episcopis nostris. Vide p. LXX. n. 1) conferri possunt etiam extra tempora, aliis scilicet vel Dominicis vel Festis de præcepto, licet suppressis. — Utrum vero cum ejusmodi dispensatione ordines sive Minores, sive Majores conferri possint in duplicibus, qui non sint, nec fuerint de præcepto, *controvertitur.* S° Alph° *probabilior* est sententia negans,[4] quam et secuta est S. C. C. in Cæsaraugustana, 15 jan. 1689.[5]

"Sed Episcopis Fœderatarum Provinciarum," ait Kenrick,[6] "indulgetur, ut ordines conferant *extra tempora:* quapropter videtur licere eos conferre *quolibet* die, pro æquo Episcopi arbitrio." — Qua vero ratione hæc clarissimi Kenrick verba intelligenda sint, non satis liquet. Si ut interpretativa privilegii, quemadmodum ex contextu concludendum videtur (adi locum citatum), doctissimi viri sententiæ haud acquiescimus; neque enim, juxta S. Alph.,[7] aliqua differentia admittenda est inter privilegium ordines conferendi vel recipiendi *tribus diebus festivis* et privilegium ordinandi *extra tempora*, prout etiam patere videtur ex Decreto Innoc. XII. dd. 14 dec. 1693,[8] ac ex pluribus concessionibus, quas videre est in Bullar. Cong. de P. F.[9] et clare patet ex decl. in

1 Instr. cit. n. 13.
2 a. 109. 122.
3 Sess. 23. c. 4 sq. Ref.
4 L. VI. 792. Adv. 2.
5 Sess. 23. c. 4. Ref.
6 Ib. c. 12. Ref.
7 L. VI. 799. 800.
8 Ib. 800.
9 Ib. 798.

1 L. VI. 798.
2 S. R. C. 12 nov. 1831. in Mars. 16 mart. 1833 in Claremont, etc.
3 L. VI. 794.
4 Ib. 797. Dub. 4. de Priv. n. 116.
5 Apud Lucidi, de visit. T. I. p. 180.
6 Tr. XX. 34. 7 De Priv. n. 116.
8 Bull. Rom. Ed. Taur. T. XX. p. 587. § 5.
9 App. 1. p. 175 et 305.

Cæsaraug supra. — Si vero Kenrick de sola consuetudine Fœderatorum Statuum testari voluit, consuetudinem illam legitimam esse posse, cum S. Alph°,[1] admittimus. Plura hac de re non permittit Compendii nostri ratio.

Nota præterea de eodem privilegio ; a) extra casum consuetudinis contrariæ vel specialis indulti, ordines conferendos esse diebus interpolatis ; b) posse Episcopum eo uti favore alieni subditi, de consensu tamen sui Superioris.

Non licet sine gravi causa sacras *generales* ordinationes extra Cathedralem peragere.[2]

Quær. 4° *Quænam sint interstitia inter singulos Ordines servanda ?*

Resp. 1° Inter Minores quædam servanda sunt interstitia, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur. — Sic ex Trid.[3] — Tempus autem non determinatur. In multis locis ex consuetudine quatuor Minores eadem die conferuntur.

Resp. 2° Quoad Majores sic statutum est a Trid. :[4] inter postremum e Minoribus susceptum et Subdiaconatum, unus annus, non *mathematice*, sed ecclesiastice, v. g. a quatuor temporibus unius anni ad quatuor tempora sequentis anni, computatus, intercedere debet ; nisi *necessitas aut Ecclesiæ utilitas*, judicio Episcopi, aliud exposcat. Idem dicas Subdiaconatum inter et Diaconatum ; nisi, *ob quamvis rationabilem causam*, aliud Episcopo videatur. Idem etiam dicendum inter Diaconatum et Presbyteratum, nisi Episcopus, *ob utilitatem notabilem ac certam* propriæ Ecclesiæ, secus decernat.[5] Nostris autem Episcopis amplior quoad hoc potestas conceditur. Vide p. LXX. n. 1.

Graviter autem peccaret, qui eodem die præter quatuor Minores etiam Subdiaconatum susciperet, nisi excuset contraria consuetudo, quæ per Episcopum probanda est.[6]

Nota. — Dispensatio in interstitiis ab Episcopo tribui potest etiam Regularibus rite ad se dimissis, non autem subditis alienæ diœcesis, quibus concedi debet a proprio Ordinario, facta de ea mentione in dimissoriis. — Craisson *Manuale.*[1]

Quær. 5° *An peccet Clericus, qui initiatus in Minoribus uxorem ducit ?*

Resp. Per se loquendo certum est, non peccare graviter, imo nec etiam leviter, si ob justam causam hoc facit, v. g. ad sedandas inimicitias, aut tentationes carnis, ad subveniendum fœminæ pauperi, etc. ; alias a veniali non excusabitur.[2] — Dixi : *per se loquendo ;* nam valde timendum est, ait S. Alph., ne in malo statu existat ille, qui, certus de sua vocatione ad statum ecclesiasticum, ab eo recedit, ut sæculo fruatur.

Quær. 6° *An requiratur, ut ordinandus sit confirmatus ?*

Resp. Trid.[3] hæc habet : " Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint." Sed disputatur, num hæc verba sint *de præcepto, an de consilio* tantum : " Communiter," ait S. Alph.,[4] " dicunt, Confirmationem non requiri in ordinando sub obligatione gravi, sed requiri quidem sub levi ; quia licet verba Trid. potius indicent decentiam quam præceptum, tamen in hoc contraire non excusatur a levi saltem deordinatione."

Quær. 7° *An peccet, qui suscipit aliquem Ordinem sine animo ascendendi ad superiores ?*

Resp. 1° Non peccat graviter, etiamsi suscipiat Ordines Majores, et non intendat suscipere Sacerdotium.— Ita S. Alph., qui dicit, hoc esse certum et commune.[5]

Resp. 2° Nec probabiliter *per se* peccat venialiter, quia nullo jure præscribitur alicui, ut ad superiores Ordines ascendat, nisi quis acceptet beneficium requirens Sacerdotium, vel Ordinem sacrum.[6]

Vide tamen dicta de ordinatis ad titulum Missionis, n. 374. 8°.

Quær. 8° *An vel quomodo peccet ordinatus, qui omittit recitationem precum, quæ post ordinationem per modum pœnitentiæ ab Episcopo imponuntur ?*

Resp. Non consentiunt de hoc Theologi. Alii enim dicunt, eum peccare graviter, quia materia præcepti est gravis. Alii tenent, illum minime peccare, quia Episcopus præceptum non imponit. Alii tandem censent, hujusmodi omissionem

[1] L. VI. 797. Dub. 4.
[2] S. C. R. 16 sept. 1747 in Avenion.
[3] Sess. 23. c. 11. Ref.
[4] Ib. c. 11. 13. 14. Ref.
[5] Exam. Ord. 41. L. VI. 795.
[6] L. VI. 797.

[1] n. 2036. 2037.
[2] L. VI. 785.
[3] Sess. 23. c. 4 Ref.
[4] L. VI. 786.
[5] L. VI. 785.
[6] Ib. 785.

non vacare quidem culpa, sed venialem non excedere. Hæc sententia probabilior videtur.[1]

Quoad istas preces hæc habetur S. C. R. Declaratio:[2] "Verba Pontificalis Romani: *Nocturnum talis diei*, intellige de unico Nocturno in feriali, vel de primo Dominicæ, ut in Psalterio, id est duodecim Psalmorum cum suis antiphonis de tempore, quem Episcopus ordinans designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem, vel alterius pro suo arbitrio." — Quando vero Episcopus nihil aliud exprimit, quam id quod verba Pontificalis referunt, dicendus est Nocturnus feriæ, quæ respondeat illi diei, in quo facta est ordinatio.

Quær. 9° *An vel quomodo Neo-sacerdotes tres Missas ab Episcopo præscriptas legere teneantur?*

Resp. 1° Non tenentur eas applicare ad Episcopi intentionem, et proinde stipendium pro illis accipere possunt.[3]

Resp. 2° Nec apparet obligatio gravis eas Missas celebrandi: neque prius dicendæ sunt, quam adveniant dies non impediti, cum Missæ votivæ esse debeant.[4]

Quær. 10° *Quid Neo-presbyteri, celebrantes cum Episcopo, maxime observare debeant quoad pronunciationem formæ Consecrationis?*

Resp. 1° Ut quoad fieri poterit, formam simul cum Episcopo absolvant; 2° ut habeant intentionem tunc tantum consecrandi quando eodem tempore cum Episcopo formam absolverint; 3° ut in Consecratione Calicis intendant etiam non consecrare, si forte panem non consecraverint.[5] *Practice*, ob facilem ordinandorum perturbationem, optimum erit, ut unus ex ministris assistentibus efformet intentionem, de qua sub 2° et 3ⁱᵒ, ordinandique præmoneantur suam huic simpliciter conformare.

Quær. 11° *Ad quid teneantur sacerdotes vi obedientiæ, quam Episcopo in ordinatione promiserunt?*

Resp. Sic explicat Benedict. XIV. (in Epist. *Ex quo dilectus* 14 jan. 1747): "Agnoscimus, Presbyterum hujusmodi promissionis vigore ea lege inter alias adstrictum teneri, ut a servitio Ecclesiæ, cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia Episcopi."[1]

Quær. 12° *An sacerdotes, vel etiam Parochi statum religiosum amplecti possint, renuente Episcopo?*

Resp. Vide n. 1158.

Quær. 13° *An sit concedenda absolutio Clerico habituato in vitio turpi occulto, qui ad Ordines Sacros ascendere velit, sine prævio continentiæ experimento?*

Resp. Neg., licet sincere sit conversus ad Dominum, et ideo possit statim absolvi. Itaque Sacrum Ordinem suscipere non poterit, nisi aliquandiu operam dederit ad pravum habitum extirpandum. Si vero persistat velle Sacrum Ordinem suscipere, S. Alph. eum non censet dispositum ad absolutionem, quia legem Ecclesiæ violat in re gravi. Excipit tantummodo casum, in quo Deus donet pœnitenti extraordinariam compunctionis gratiam, quæ eum reddat adeo probatum, ut ipse statim possit Sacrum Ordinem suscipere, quin temporis experientia comprobetur. At vero in hoc quoque casu volenti statim ordinari consultius absolutio differtur, ut temporis experimento firmius probetur, dummodo ex dilatione non timendum sit proximum infamiæ periculum.[2]

[1] L. VI. 829. [2] 11 aug. 1860 in Granat.
[3] L. VI. 829. [4] L. VI. 829.
[5] Ib. n. 232.

APPENDIX.

DE VOCATIONE CLERICALI.

1524. — I. *Necessitas vocationis divinæ* evincitur imprimis ex Scriptura Sacra: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*[3] — Hinc Apostoli, ut alium Apostolum in locum Judæ proditoris subrogarent, sic Deum deprecati sunt: *Tu, Domine, ostende, quem elegeris.*[4] Ipse Christus[5] dixit: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, fur est et latro; qui autem intrat per ostium, Pastor est ovium.* — Iterum: *Non vos me eligistis, sed ego elegi vos.*[6] — Rursus:

[1] L. VI. 828. Cfr. Conc. Pl. Balt. II. a. 108. 109.
[2] L. VI. 63–77. Cfr. Vind. p. 778. Ed. 2ª. T. II. p. 433.
[3] Hebr. 5. 4.
[4] Act. 1. 24.
[5] Joan. 10. 1.
[6] Ib. 15. 16.

Rogate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.[1] Illi igitur, qui non sunt vocati a Deo, se intrudunt, et ipsi sunt, de quibus ait Dominus per Jeremiam:[2] *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant.*[3]

II. *Signa divinæ vocationis* ad statum ecclesiasticum præcipua sunt sequentia: scientia conveniens; probitas vitæ; recta intentio, seu desiderium vacandi divinæ gloriæ et saluti animarum.[4]

Qui sine vocatione ex talibus signis explorata in sacrum ministerium se intrudit, vel principaliter ob fines humanos Sacræ Militiæ adscribi velit, quasi sine cura victurus, cum ad curas pervenerit, non potest a magna præsumptione, et a gravi culpa excusari, cum magno damnationis periculo se exponat. Majori autem periculo se committunt Episcopi, qui non vocatos ad Ordines Sacros promovent, ex illo Apost.: *Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.*[5] Hinc in Jure Can.[1] præscribitur, ut *nullus ordinetur nisi probatus fuerit.*

Quær. *Quid agendum Episcopo, ut candidatos ad Sacros Ordines satis probet?*

Resp. Sic S. Alph.[2] "Ad hanc probationem ab Episcopo exquirendam, non sufficit quod ipse nihil mali noverit de ordinando, sed debet fieri certus de ejus positiva probitate, juxta sublimitatem gradus, ad quem ille inhiat ascendere. . . . Qua de re Episcopi in hac probatione expetenda non debent esse contenti simplici attestatione Parochorum, qui humanis ducti respectibus in hujusmodi attestationibus concedendis facile Clericis indulgent, ne in se attrahant eorum odium, eorumque propinquorum; sed insuper ab aliis fide dignis, capta secreta informatione, certi fieri debent, non solum quod initiandus non sit malus, . . . sed etiam quod sit positive bonus, scilicet quod *vitam agat spiritualem, sit assiduus in Ecclesiis, Sacramenta frequentet et orationem, vivat a sæcularibus segregatus, sociis morigeris comitetur, studio vacet, modesta utatur veste*, etc."

[1] Luc. 10. 2. [2] 23. 21. [3] L. VI. 802. [4] L. VI. 802. [5] I. Tim. 5. 22.

[1] Dist. 24. c. 2. [2] L. VI. 803.

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Mâtrimonium dicitur a matris *munere*, ut habent *communiter* Th. cum S. Thom.; quia in hac societate præcipuæ partes ad matrem pertinere videntur. Matrimonium appellatur etiam *conjugium* a communi jugo, cui vir et mulier subjiciuntur. Item vocatur *nuptiæ* vel *connubium* a verbo *nubere;* quia sponsæ olim velabantur, cum viris traderentur. Item dicitur *consortium*, quia vir et mulier communem sortem habent.

Agendum 1° de sponsalibus; 2° de bannorum proclamatione; 3° de natura et proprietatibus Matrimonii; 4° de ejus materia et forma; 5° de ejusdem ministro et subjecto: 6° de impedimentis Matrimonii; 7° de Matrimonii irriti revalidatione; 8° de conjugali debito.

CAPUT I.

DE SPONSALIBUS.

1° De natura; 2° de effectibus; 3° de dissolutione sponsalium.

ARTICULUS I.

DE NATURA SPONSALIUM.

1525. — *Definitio.* Sponsalia sunt promissio deliberata, mutua et signo sensibili expressa futuri Matrimonii inter personas habiles.

Dicitur: 1° *deliberata*, scil. cum deliberatione requisita ad votum (vide n. 379).

Dicitur: 2° *mutua*. Hinc, si alter tantum contrahentium promittat, altero simpliciter acceptante, at non *repromittente*, nulla aderunt sponsalia. — Æquivalet tamen acceptatio repromissioni, si mulier, *quæ honesta sit*, in tantum suî dedecus inducatur, ut post acceptationem promissionis deflorationem patiatur, saltem si non constet, eam mere libidinis implendæ causa ita egisse.[1]

Dicitur: 3° *signo sensibili expressa*. Hinc verbis opus non est; non sufficit autem consensus tacitus, apto signo non expressus, nisi, ut Jus Canonicum[2] pro *foro externo* disponit, parentes (i. e. pater *vel* mater) contrahant pro filiis præsentibus et non contradicentibus, quamvis facile contradicere possent. — Dixi: a) *pro foro* EXTERNO; nam pro *interno* valere nequeunt sponsalia, nisi filii *positive* (i. e. non tantum negative se habendo), et *interne* consentiant. — Dixi: b) *pater* VEL *mater;* nam sponsalium valor, seu filiorum consensus in Jure præsumitur, non ex patria potestate, qua filii ad ea cogi nequeunt (vide n. 425), sed ex affectu parentali, qui æque est in matre ac in patre, et cujus dispositiones, utpote in suî favorem factas, filii admittere censentur. — Dixi: c) *pro filiis* PRÆSENTIBUS; nam licet S° Alphonso *probabilior* sit sententia affirmans parentes etiam contrahere posse pro absentibus (per se vel per epistolam aut nuntium certiorandis), negantem tamen etiam *probabilem* habet. — Dixi: d) *non contradicentibus*, QUAMVIS FACILE CONTRADICERE POSSENT; neque enim valerent sponsalia, si ratio subesset cur non contradicant, v. g. metus.[3]

[1] Acta T. I. p. 77 sq.; p. 342 sub fine n. 2. T. II. p. 145 sq.
[2] L. IV. T. II. c. unic. § finali. in 6°.
[3] L. VI. 838. 839.

Dicitur: 4° *futuri Matrimonii.* Hinc non valerent sponsalia, si partes sibi sponderent tantum se numquam cum alia quapiam persona Matrimonium inituras, nisi ex circumstantiis pateat tales vere voluisse sponsalia contrahere, ut si verba sint de præsenti, nempe: *Nullam volo, nisi te.*[1]

Dicitur: 5° *inter personas habiles*, i. e. nullo impedimento sive dirimente, sive impediente prohibitas. Hinc non valent, si fiant inter partem unam Catholicam, hæreticam alteram.

1526. — *Divisio.* Distinguuntur sponsalia:

1° *Ecclesiastica* seu *solemnia*, et *privata*, prout vel in facie Ecclesiæ, i. e. coram Parocho et testibus celebrantur; vel privatim solo contrahentium consensu, aut coram parentibus in media familia perficiuntur.

2° *Absoluta* et *conditionata*, prout absque ulla conditione, vel cum aliqua conditione adjecta fiunt.

1527. Principia. — I. Ad validitatem sponsalium requiruntur conditiones omnes in definitione contentæ, ita ut, si una earum deficiat, contractus sponsalitius nullus sit habendus. Ratio patet ex dictis de natura contractus, n. 828, 845.

II. Sponsalia valent eodem modo, sive sint *solemnia* seu *ecclesiastica*, sive sint *privata* seu *clandestina*, quia consensus duorum sufficit ad verum contractum; nec unquam Ecclesia irritavit sponsalia privata. Imo nunc in plerisque locis sponsalia solemnia in desuetudinem abierunt, nec apud nos umquam contrahuntur.[2]

III. Sponsalia inita sub conditione *de præsenti* hic et nunc valent, si conditio sit verificata; si autem sub conditione *de futuro* contrahantur, valebunt statim ac conditio adimplebitur, absque novo consensu contrahentium, modo neuter consensum antea datum revocaverit. Interea vero contrahentes tenentur ad exspectandam conditionis impletionem, si honesta sit et possibilis, neque naturæ hujus contractus vel futuri Matrimonii adversetur.

IV. Quando verba vel signa sunt dubia, in foro conscientiæ standum est intentioni contrahentium, si de illa constet: in externo autem, communi intelligentiæ et sensui verborum. Dubio vero permanente, inclinandum est in favorem libertatis.[1]

1528. Quæsita. — Quær. 1° *An valeant sponsalia ex metu gravi contracta?*

Resp. Neg. probabilius, dummodo metus sit ab extrinseco, injuste, ac in ordine ad contrahendum incussus. Ratio est, quia Matrimonium ex tali metu contractum nullum est, ut ex Jure Canonico constat, et infra explicabitur. Ergo eo ipso nulla esse debent etiam sponsalia ex tali metu inita.[2] Cfr. n. 854.

Quær. 2° *An valeant sponsalia ex metu levi inita?*

Resp. Vide n. 853. III.[3]

Quær. 3° *An inter habentes impedimentum dirimens, sine novo consensu, valida sint sponsalia sub conditione expressa: si Papa dispensaverit?*

Resp. Affirm., impleta conditione et dispensatione executioni mandata. Ratio est, quia consensus perseverat usque ad impletionem conditionis.[4]

Quær. 4° *An valeant sponsalia ficta?*

Resp. Quæstio resolvenda est eodem fere modo, quo quæstio de ficto juramento (vide n. 367. 1°. 2°). Valent igitur, si quis intentionem habuit sponsalia celebrandi et se obligandi, obligationi autem non satisfaciendi. Secus vero, si interne vel sponsalia contrahere, vel se obligare noluit. Peccat tamen per ejusmodi fictionem graviter, et obligatur ad damna resarcienda, imo et ad Matrimonium celebrandum, si damna aliter reparari nequeant.[5] Vide tamen dicta n. 810. a). 2°.

Quær. 5° *An valeant sponsalia:* 1) *impuberum:* 2) *non septennium?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm. per se;* quia etiam in impuberum sponsalibus omnia essentialia (n. 1525) adesse possunt.

Resp. ad 2^um^ *Affirm. probabilius, jure naturæ,* si promittens perfecto rationis usu polleat et aliquo modo onera status conjugalis comprehendat.[6]

Quær. 6° *An valeant sponsalia inter*

[1] L. VI. 842.
[2] Kenr. Tr. XXI. 27.

[1] L. VI. 840. Acta. T. I. pp. 336. 525. T. II. p. 142.
[2] L. VI. 844. H. A. Tr. XVIII. 3.
[3] Cfr. Vind. p. 925 et 789. Ed. 2ª. T. II. p. 583 et p. 449.
[4] L. VI. 859. Vind. pp. 945. 946. 1). Ed. 2ª. T. II. pp. 605. 606. 1).
[5] L. VI. 832. 833.
[6] Knopp. Eherecht. § 34. S. 324 et Ferraris. V. Sponsalia. n. 12. 16 sq.

absentes per internuntium, litteras vel procuratorem?

Resp. Affirm., dummodo, si de procuratore agatur, hic, 1) habeat mandatum speciale; 2) mandatum sit de contrahendo cum persona determinata; 3) procurator per se contrahat; 4) mandatum a mandante, antequam sponsalia contracta fuerint, non sit revocatum, sive mentaliter, sive tacite, v. g. celebrando sponsalia cum alia; 5) procurator limites mandati non excedat.[1]

Quær. 7° *An promissiones, quæ fieri solent de ineundo Matrimonio, semper habendæ sint ut vera sponsalia?*

Resp. Videtur negandum; sæpe enim promissiones illæ potius propositi, quam veræ promissionis speciem præ se ferunt.[2] In praxi igitur ad intentionem particularem promittentium attendendum est.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE ET EFFECTIBUS SPONSALIUM.

1529. Principia. — I. Sponsalia ex justitia obligant, sub gravi, ad Matrimonium ineundum, tempore determinato, si quod determinatum sit; si vero nullum tempus fuerit præfixum, quamprimum una pars rationabiliter exigit. Ratio est, quia, ubi vera sunt sponsalia, adest verus contractus in re gravi, et inde gravis obligatio sequitur. Hæc autem obligatio urget tum in foro conscientiæ, tum in foro externo. Idcirco resiliens cogi a judice potest ad Matrimonium, etiam per censuras,[3] quamquam hortationes prius ac monitiones debeant præcedere,[4] et a coactione quoque abstinendum sit, si quando, inspectis circumstantiis, judex prudenter arbitretur, ex nuptiis invitis gravia mala ac scandala timenda, v. g. rixas perpetuas, viri discessionem ab uxore, aut etiam conjugicidium; expedit enim ut minus permittatur malum ad gravius cavendum, et sic a judice etiam Actori favor impenditur.[5]

II. Sponsalia inducunt impedimentum *impediens* Matrimonium, seu prohibens, ne Matrimonium *licite* cum alia persona contrahatur, nisi priora sponsalia fuerint legitime dissoluta. Ratio est, quia ex dictis sponsalia obligationem justitiæ pariunt.

III. Sponsalia inducunt etiam impedimentum, quod in jure vocatur *publicæ honestatis*, quo scilicet sponsorum alter inhabilis fit ad contrahendum Matrimonium cum consanguineis alterius in primo gradu.

IV. Sponsalia, in locis, ubi decretum Trid. de forma Matrimonii non viget, secuta carnali copula, fiunt sponsalia de præsenti seu Matrimonium præsumptum, qua de re infra latius.

Nota. Ex sponsalibus apud nos non datur actio in foro civili, nisi ad reparationem damni ex eorum dissolutione parti innocenti obvenientis.[1]

1530. Quæsita. — Quær. 1° *Si quis cum duabus fœminis sponsalia contraxerit, et cum secunda peccaverit, utram ducere debeat?*

Resp. 1° *Certo* Matrimonium est contrahendum cum prima, si, dum secunda contrahebat, hæc priorum sponsalium erat conscia. Ratio est, quia tunc secunda decepta non fuit, sed decipi voluit.

Resp. 2° *Probabilius* etiam cum prima Matrimonium est contrahendum, licet secunda non fuerit conscia promissionis alteri factæ. Ratio est, quia promissio facta secundæ est semper nulla, utpote de re illicita, nec injuria alteri illata jus priori adimit; et hoc valet, etiamsi secunda promissio fuerit juramento firmata.[2]

Quær. 2° *An tunc prior sponsa cedere debeat de jure suo, si altera ex defloratione grave damnum passura sit?*

Resp. Neg., probabiliter. Ratio est, quia secunda sponsa imbecillitati suæ hujusmodi damnum imputare debet. Priori tamen suadendum foret, ut juri suo sponte renuntiet, nisi forte et ipsa notabile damnum inde incurrat.[3]

Quær. 3° *An licitæ sint arrhæ in sponsalibus?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia nec Jure Canonico prohibentur, nec juri naturali adversantur.[4]

Quær. 4° *An pœna sponsalibus apposita*

1 L. VI. 885.
2 Acta. T. I. p. 342. not. 2 sub fine.
3 Decr. L. IV. T. I. c. 10.
4 Ib. et c. 17.
5 L. VI. 845.

1 New Amer. Encyclop. v. *Marriage.*
2 L. VI. 848. Cfr. Ben. XIV. Inst. XLVI. § Secundo illud.
3 L. VI. 848.
4 Ib. 852.

a resiliente solvenda sit, et an soluta retineri possit ?

Resp. ad 1um *Affirm., probabilius,* si agatur de injuste resiliente, cum appositio pœnæ in injuste resilientem nullo jure prohibeatur. Probabilis tamen etiam est S° Alph.[1] sententia negans, quia et justæ pœnæ appositione Matrimonii libertas aliquam læsionem patitur. — *Negat* vero, si de juste resiliente agatur.

Resp. ad 2um *Neg., probabilius,* si agatur de pœna soluta a juste resiliente ; quia nullo titulo ejusmodi retentio legitimatur.[2]

Quær. 5° *An sponsa reddere debeat munera a sponso accepta, si Matrimonium non subsequatur ?*

Resp. 1° *Neg.*, si ex culpa sponsi sponsalia dissolvantur : quia ille, culpabiliter resiliendo a promissione, jacturam horum munerum facere merito censetur. Sic praxis communis.

Resp. 2° *Affirm., per se loquendo,* si absque culpa sponsi, et, *a fortiori,* si ex culpa sponsæ sponsalia solvantur ; sponsa enim absque injustitia ea retinere non potest, cum tantum intuitu Matrimonii collata fuerint. Idem foret dicendum, si unus ex sponsis, qui ab altero munera vel arrhas accepit, morte corripiatur ante initum Matrimonium ; nam juxta modo dicta parentes defuncti omnia sponso superstiti restituere tenentur.

Dixi : *per se loquendo ;* quia, si spectata sponsi conditione, munera parvi sint momenti, et hic non reclamet, ea remittere censetur.

Quær. 6° *An ille qui promisit Matrimonium puellæ, ea conditione ut cum ea peccet, eam ducere debeat ?*

Resp. Vide n. 810.

ARTICULUS III.

DE DISSOLUTIONE SPONSALIUM.

1531. — Sponsalia ex omnium sententia ob justas causas dissolvi possunt. Causæ autem præcipuæ sunt :

1ª *Mutuus consensus,* libere (absque metu gravi et dolo [vide n. 1528. q. 1°. 2°]) inter puberes emissus. Dico : *inter puberes ;* nam impuberum sponsalia, adepta pubertate et alterutro tantum, intra triduum, coram judice aut testibus reclamante, solvuntur, ex privilegio scil. a Jure concesso.[1] Triduum autem illud incipit currere a tempore, non jam pubertatis, sed adeptæ cognitionis privilegii.[2]

2ª *Impedimentum superveniens, dirimens* nimirum, et quidem *jure divino* dirimens, ut e. g. Matrimonium validum cum alio contractum, saltem eo durante. Dico : *jure divino ;* nam, si impedimentum sit dirimens solum *jure ecclesiastico,* obligatio cessat quidem ex parte innocentis, etiam per solam impedimenti famam, non tamen cessat ex parte ejus, qui impedimentum culpa sua induxit, sed tantum suspenditur ; adeo ut hic, etiam secluso damno partis innocentis (cfr. n. 810), teneatur dispensationem impedimenti, si *facile* obtineri possit, petere, eoque sublato, si adhuc velit pars læsa, fidem ei datam implere.[3]

3ª *Electio status perfectioris,* v. g. Professio religiosa, susceptio Ordinis *Sacri,* votum Religionis, et, *probabiliter,* etiam castitatis vel suscipiendi Ordines. Per solum vero ingressum in Religionem ante Professionem sponsalia, secundum opinionem, quam S. Alph. vocat communiorem et cui adhæret, solummodo ex parte manentis in sæculo dissolvuntur.[4]

4ª *Crimen grave alterius,* v. g. furtum grave, homicidium, vel simile, quod grave damnum vel infamiam pariat ; item fornicatio *sponsæ,* sive sponsalia præcesserit (modo tunc sponso ignota fuerit, vel etiam nota, sed fama postea divulgata), sive ea subsecuta sit ; sive voluntaria fuerit, sive (juxta communem et veriorem sententiam) involuntaria. Dixi : *sponsæ ;* nam fornicatio *sponsi,* etiam post sponsalia, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, sponsæ non dat jus resiliendi. Ratio utriusque est, quod fornicatio sponsam, non item sponsum, ex communi hominum æstimatione viliorem reddit. — Quod de sponsa, quæ fornicata fuerit, dictum fuit, idem dic de ea, quæ post sponsalia ita se gerat, ut dubiam de sua virtute faciat fidem, se ab aliis impudice tangi sinens, vel alias minus caute agendo. — Ob eamdem rationem sponsa resilire potest si, celebratis sponsalibus, comperiat sponsum " ex alia muliere habuisse prolem, aut frequenter lapsum fuisse " in fornicationem, " cum

[1] L. VI. 853. [2] Ib.

[1] L. IV. Decr. T. II. c. 7. 8. [2] L. VI. 855. 856.
[3] Ib. 857. 858. [4] Ib. 869 – 874.

multis congressum habendo"; vel etiam, si post sponsalia sponsum inter et aliam tam frequenter oscula vel tactus intercesserint, "ut indicent valde propensum sponsi animum in alteram," et "merito timeri possit, ne sponsæ non sit fidem servaturus."[1]

5ª *Mutatio notabilis status*, circumstantia scilicet, quæ, si cognita fuisset vel prævisa, a sponsalibus deterruisset.[2] Pro *foro externo* id prudentum judicio, vel, si id haberi nequeat, juramento definiri poterit.[3] Si vero ignorantia non dedit causam contractui, i. e. si sponsus etiam cognita prius causa contraxisset, minime a sponsalibus resilire liceret.[4]

6ª *Nimia Matrimonii dilatio.* Differtur autem, sponsalibus vel apposito, vel non apposito celebrandi Matrimonii tempore, et, si tempus apponitur, apponitur vel ad finiendam obligationem sponsalium, vel ad eam sollicitandam tantum.

Si: a) ad *finiendam* obligationem, elapso termino *ex culpa* unius, *certo* liberatur altera pars;[5] imo juxta sententiam communiorem et probabiliorem, licet sine culpa sponsi terminus elapsus sit, puta quia justo impedimento detentus fuit. Ratio est, quia terminus ideo præcise apponitur, ut ne pars parata diu maneat sine nuptiis.[6] Dixi: *liberatur altera pars;* nam, juxta sententiam, quam S. Alph. longe communiorem et, attenta ratione intrinseca, longe probabiliorem vocat (licet opposita "sua probabilitate," ut ait, "non careat, maxime ex auctoritate D. Thomæ"), pars, quæ *culpabiliter* apposuit dilationem, non remanet libera. Ratio est, quia nemo debet commodum ex sua culpa reportare.

Si: b) solummodo ad sollicitandam obligationem tempus sponsalibus sit adjectum, elapso termino sponsalia adhuc obligant. Quando autem in casu ulterioris dilationis per unam partem alteri resilire liceat, ex circumstantiis præsertim decidendum videtur.

Si: c) nullum tempus statutum sit, nuptiæ autem nimis differantur, nec mutuo consilio dissolutio sponsalium obtineri possit, causa melius ad judicem ecclesiasticum remittetur, ut, quæ convenientia censuerit, statuat.

Nota. — Confessarius, si videat Matrimonium de industria sine causa sufficiente dilatum, non importune solutionem datæ fidei exigat, sed aliquando pro circumstantiis potius reparationem damni vel liberam compositionem suadeat, cum Matrimonium improsperum timendum sit.[1]

7ª *Discessus sponsi in terram longinquam*, altera inconsulta; nam cedere censetur juri suo, qui ita discedit. Sin autem in terram propinquam profectus sit, distinguendum est. Vel enim sine animo redeundi ita profectus est, vel cum eo. In priori casu, resolvendum est ut de eo, qui in terram longinquam profectus est; in posteriori vero, vel expectandus erit ejus reditus, per tempus arbitrio prudentis (aut, si fieri possit, judicis) determinandum, vel monendus est, et certum, ut supra, præfigendum tempus, intra quod redeat, et, quo elapso, sponsa liberetur.[2]

1532. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sit causa sufficiens dissolvendi sponsalia, si sponso adveniat pinguis hæreditas?*

Resp. Alii affirmant; alii *communissime* negant, quia sponsus non est deceptus in conditione sponsæ, in qua nulla accedit mutatio. Casu autem, quo sponso postea offeratur *conjugium cum alia ditiore*, S. Alph. non auderet sponsum omnino damnare, si qualitas alterius sponsæ esset excedenter melior; at nihilominus concludit, quod numquam consulere auderet a contraria sententia abscedere.[3]

Quær. 2° *An solvantur sponsalia per votum castitatis, vel votum Sacros Ordines suscipiendi?*

Resp. 1° Si votum *antecedat* sponsalia, certum est ea esse irrita. Ratio est, quia Matrimonii promissio est de re illicita, et proinde non obligat. — Ita *communiter.*

Resp. 2° Si votum *subsequatur*, itidem sponsalia probabiliter solvuntur. Ratio est, quia promissio sponsalium semper censetur facta sub tacita conditione, *nisi*

[1] L. VI. 860–862. H. A. Tr. XVIII. 18.
[2] L. VI. 865.
[3] Sanchez. de Matrim. L. I. Disp. 62. n. 6. Pirhing. L. IV. T. I. n. 63. Schmalzgr. eod. tit. n. 188.
[4] L. VI. 865.
[5] Arguit. L. IV. Decr. T. I. c. 22.
[6] Ib.

[1] L. VI. 846.
[2] Ib. 866.
[3] H. A. Tr. XVIII. 19. L. VI. 876. Vind. p. 797 sq. Ed. 2ª. T. II. p. 457.

melior status eligatur. Certo autem solvuntur ex parte non voventis.[1]

Quær. 3° *An dissensus parentum sit causa sufficiens resiliendi a sponsalibus?*

Resp. Neg., si parentes injuste dissentiant, quia jus filiorum læderetur. Secus vero, si dissensus parentum sit justus, v. g. si altera pars non conveniat familiæ ratione conditionis, honoris, etc.[2]

Pro nostris tamen provinciis sequentia notat Kenrick.[3] "Plerumque fiunt sponsalia parentibus insciis, quorum jura graviter infringi, *pro moribus nostris*, vix dici possunt, ideoque a gravi peccato, quamvis haud ab omni culpa, excusantur spondentes, si nihil aliunde occurrat reprehendendum."

Quod vero dissensum parentum ob conditionis disparitatem attinet, idem animadvertit.[4] "In hac quidem regione, ubi nulla agnoscitur prosapia nobilis, omnes censentur eodem gradu, quamvis revera plurimum inter se distinguantur vel genere, vel divitiis, vel munere publico. Conditionum diversitate neglecta, plerumque licebit sponsalia implere; nam parentum et propinquorum objectiones non debent" (hic) "facile vim obtinere contra jus certum ex sponsalibus ortum; attamen nonnumquam rescindenda erunt."

Quær. 4° *An pars laborans occulto defectu teneatur illud aperire ante sponsalia, vel, iis contractis, ante Matrimonium?*

Resp. 1° *Affirm.*, si defectus ille futurus esset *perniciosus* vel *injuriosus* alteri parti, v. g. si puella sit *gravida*, si sponsus morbo *venereo* laboret, vel *ære alieno* gravetur, etc. Ratio est, quia sicut peccat contra justitiam, qui credenti se bonas merces emere, vendit noxias, ita *a fortiori*, qui cum defectu pernicioso vult Matrimonium contrahere. Ergo si defectum aperire nolit, a contrahendo abstinere debet. Excipe, nisi altera pars eodem defectu laboret.[5]

Resp. 2° *Neg.* autem, si defectus non reddat nuptias noxias, sed tantum minus appetibiles, v. g. si puella, quæ putatur virgo, sit corrupta. Ratio est, quia consuetudine receptum est, ad ejusmodi defectus alteri manifestandos neminem teneri. Insuper nemo tenetur manifestare suum defectum cum propria infamia, quando defectus non lædit jus grave alterius.[1] Altera tamen pars, cognito defectu, jus habet resiliendi.[2]

Quær. 5° *An sponsalia dissolvantur per Matrimonium subsequens, ita ut, soluto Matrimonio, non reviviscant?*

Resp. Neg. cum sententia, quam S. Alph. *absolute* probabiliorem putat.[3] — Ratio est, quia nullo jure probatur, sponsalia omnino dissolvi per Matrimonium subsequens; unde tantum suspenditur obligatio sponsalium, durante tali Matrimonio, ut fit in eo, qui contrahit Matrimonium cum voto castitatis. Cæterum in praxi sponsus injuste derelictus raro talem infidelem requiret, nec felix exitus hujusmodi Matrimonii sperandus foret.

[1] L. VI. 873.
[2] Ib. 877.
[3] Tr. XXI. 11.
[4] Tr. XXI. 6.
[5] L. VI. 864.

CAPUT II.

DE BANNORUM PROCLAMATIONE.

Bannum est vox Germanica, quæ idem significat ac proclamatio publica. Banna igitur sunt publicæ denuntiationes, quibus fideles admonentur de Matrimonio inter certas aliquas personas contrahendo.

Agendum 1° de necessitate bannorum; 2° de eorum circumstantiis; 3° de eorumdem dispensatione; 4° de impedimentorum revelatione.

ARTICULUS I.

DE NECESSITATE BANNORUM.

1533. Principia. — I. Ex præcepto Ecclesiæ gravis est obligatio banna proclamandi. Constat 1° de præcepto ex Conc. Later. IV., et ex Trid.[4] — Constat 2° de obligatione gravi, quia disciplina generalis a duobus Conciliis Generalibus præscripta, gravibusque motivis innixa, gravem parit obligationem. — Id tamen differunt Lateranensis et Tridentini Concilii decreta, quod ex Lateranensi una saltem denuntiatio fieri debeat, ex Triden-

[1] L. VI. 865.
[2] Ib.
[3] H. A. Tr. XVIII. 13. Cfr. Vind. p. 946. Ed. 2ª. T. II. p. 606.
[4] Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.

tino trina, et hæc eo modo, quo lex Tridentina, quæ et apud nos post festa Paschalia a. 1853 inducenda fuit,[1] præscripsit.

II. Proclamatio bannorum non requiritur ex necessitate Sacramenti. Ratio est, quia nec Concilium Tridentinum, nec Concilium Lateranense, quod prius idem præceperat, ullam apponit clausulam irritantem. Nulla vero alia lex citari potest, ex qua constet, proclamationem requiri ad validitatem Matrimonii.

1534. QUÆSITA. — Quær. 1° *An peccet graviter Parochus omittens denuntiationem, si sciat nullum adesse impedimentum?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia difficile Parochus omnino certus esse potest, nullum adesse Matrimonii impedimentum; 2° quia, etiamsi nullum appareat impedimentum ante bannorum proclamationem, fieri potest, ut, iis proclamatis, aliquod superveniat; 3° quia, licet hæ rationes non subsisterent, subsistit semper ratio, quod finis legis in casu privative tantum cesset, ut dictum est n. 165. 2°. Dico: 2).[2]

Quær. 2° *An peccet graviter Parochus, si unam tantum proclamationem sine dispensatione omittat?*

Resp. Controvertitur. Affirmant alii, quia proclamatio una e tribus velut pars gravis totius præcepti habenda est. Negant vero alii, quorum sententiam probabilem vocat S. Alph.[3] Probabilius est autem, omissionem duarum denuntiationum esse peccatum mortale.[4]

ARTICULUS II.

DE CIRCUMSTANTIIS BANNORUM.

Triplex circumstantia hic spectanda est, scilicet 1° temporis; 2° loci; 3° personarum.

I. *Circumstantia temporis.*

1535. — Proclamationes fieri debent *diebus festivis de præcepto — continuis — inter Missarum solemnia.* — Trid.[5]

Dicitur: 1° *diebus festivis*, i. e. diebus festis *de præcepto*, saltem in loco proclamationum. Festis de præcepto annumerari posse festa suppressa, si proclamationes "expleantur tempore Divini Officii, quo frequentior fidelium numerus in Ecclesia adesse solet," satis patere videtur ex responso S. C. C. 7 apr. 1862 Episcopo Pinaroliensi.[1] — Quin et probabiliter feriali die id fieri posse, saltem sine mortali, si quapiam ex causa magnus fiat populi concursus ad Ecclesiam, docet S. Alph.,[2] quia sic quoque satis finis Concilii obtinetur.

Dicitur: 2° *continuis*, i. e. nullo die festo omisso a prima proclamatione ad ultimam. Probabile tamen putat S. Alph.[3] ac plures alii tenent, non graviter peccari, si dies festi, uno alterove interjecto, non sint continui. Ratio, quia leve periculum est, ne populus obliviscatur, et levis materia transgressionis censetur. An vero possint fieri proclamationes diebus festis immediate sibi succedentibus, si occurrant, *controvertitur;* duplex est sententia probabilis.[4]

Dicitur: 3° *inter Missarum solemnia*, i. e. in Missa parochiali vel conventuali, ex Decr. S. Congr. C. — Non possunt fieri proclamationes in Missis privatis, neque in Vesperis. — Rit. Rom. Si tamen Parochus oblitus fuerit proclamationem ultimam facere in Missa, et nuptiæ urgeant, eam supplere posset in Vesperis. Id permittitur ex Decisione S. C. C. 25 oct. 1586. — Ferraris. Probabiliter etiam proclamationes fieri posse in concione vel occasione processionis, cum congregatus est populus, admittit S. Alph.[5]

Si, factis proclamationibus, Matrimonium intra duos menses non celebretur, repetendæ sunt proclamationes, nisi aliter Episcopo videatur. — Rit. Rom. — Consultum etiam est non statim post ultimam proclamationem, seu eadem die, qua hæc facta fuit, Matrimonium contrahere.

II. *Circumstantia loci.*

1536. — Ex Conc. Trid. proclamationes bannorum fieri debent *in Ecclesia*, i. e. in Ecclesia parochiali contrahentium; non vero in Sacellis sive publicis sive privatis, nisi locum parochiæ teneant, et Missa parochialis ibi celebretur. — Quod loca

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 331–333.
[2] L. VI. 990.
[3] Ib.
[4] Ib.
[5] Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.

[1] Scav. T. III. n. 908.
[2] L. VI. 992.
[3] L. VI. 992.
[4] Ib.
[5] Ib. 991.

attinet, in quibus non singulis Dominicis Missa celebratur, consulantur statuta diœcesana. — Probabilis etiam videtur S° Alph° sententia plurium Doctorum, qui dicunt proclamationes posse fieri (saltem sine mortali, et, cum causa, etiam sine veniali) extra Ecclesiam in loco magni concursus, quia sic jam obtinetur finis Concilii.[1] Per parochiam autem non est intelligenda parochia, in qua quis natus est seu parochia *originis*, sed parochia *domicilii* actualis, si *proclamandus* a notabili tempore ibi commoretur.

Hinc: 1° Si sponsi in diversa parochia habitent, in utraque facienda est proclamatio. 2° Si unus aut uterque domicilium circiter æquale in duobus locis habeat, in utroque etiam banna proclamanda sunt. Si autem unum e duobus domiciliis sit præcipuum, aut proprie dictum, non ideo duplex proclamatio exigenda est. Si quis tamen, præter domicilium, alibi quasi-domicilium habeat, etiam in quasi-domicilio proclamationes fieri debent. 3° Si contrahentes recens domicilium fixerint in actuali parochia, banna longe probabilius[2] publicari debent etiam in parochia, ubi antea habitaverunt. Quale vero domicilium hac in re recens dicendum sit, ex statutis diœcesanis, vel, his deficientibus, ex usu dignoscendum esse, docet Feije.[3]

III. *Circumstantia personarum, scilicet minorum, militum, vagorum et famulorum.*

1537. — 1° *Minores.* Banna minorum, prudentiæ causa, proclamari non debent, nisi de expresso consensu parentum, vel tutorum. Quinam vero jure nostro minores sint, ex cujusque Status legibus dignoscendum est. Facienda est proclamatio, tum in domicilio *facti*, tum in domicilio *juris*, hoc est, tum in loco ubi *minores* hic et nunc habitant, tum in loco ubi parentes vel eorum tutores degunt. *Minores* autem, Jure Canonico, habentur masculi usque ad ætatem 25 annorum et fœminæ usque ad annum 21. Masculus tamen ascendentibus orbatus, fit major statim ac annum vigesimum primum complevit.

2° *Milites.* Banna militum sunt proclamanda, 1° in loco ubi sunt in præsidiis; 2° insuper in domicilio parentum, si sint *minores;* si autem sint *majores*, in loco ubi residebant ante militiam susceptam; quia aliud non acquisierunt domicilium juris. — Ita *communiter.*

3° *Vagi* et *alienigenæ.* Horum banna, juxta communem sententiam, publicanda sunt in domicilio *facti* et *in loco originis*, si alibi verum domicilium non obtinuerint, vel saltem in loco, in quo diutius commorati sunt. Insuper testimonium authenticum de eorum *statu libero* habendum est, nec Matrimonio jungendi sunt sine licentia Ordinarii, ut habet Trid.[1]

Nota. — I. Circa ea, quæ hoc et superiori Numero diximus, sequentia animadvertit cl. Heiss.[2] "Cum in his regionibus nimis difficile sit, hanc legem stricte observare, hoc ad minimum in statutis diœcesanis insistendum esse nobis videtur, 1) ut denuntiationes semper in *utraque* parochia fieri debeant, si sponsi sunt ex diversa parochia; 2) ut, si sponsi præter verum domicilium etiam in aliquo loco quasi-domicilium habeant, nec nimis distet, in utroque loco nuptiæ promulgentur; 3) ut, si ob nimiam distantiam aut similem causam denuntiationes modo dicto fieri nequeant, defectus suppleatur aliqua cautela sive per testes, sive per juramentum."

II. Forma denuntiationum ea esse debet, ut intelligibili voce et accurate indicentur personæ earumque parochia, et quota sit denuntiatio, idque præsertim quando in aliqua dispensatum est, ita ut tunc exprimatur e. g. eam, quæ nunc fit, esse primam et secundam. Præstat etiam mentionem facere finis denunciationum, nimirum ut, qui impedimentum norunt, illud detegant;[3] hoc vero si fiat, uniformiter pro omnibus fiat, ne, si aliquando tantum, Parochus videatur suspicari impedimentum, ut recte monet "Past.-Blatt für Nordamerika."[4]

ARTICULUS III.

DE DISPENSATIONE BANNORUM.

1538. PRINCIPIA. — I. Ex justa causa potest dispensari a lege bannorum —

[1] L. VI. 991. [2] Ib.
[3] De Imp. n. 251. 3°.

[1] Sess. 24. c. 7. de Ref. Matr.
[2] De Matr. § 21. V. p. 64. 4).
[3] Feije. de Imp. n. 252.
[4] 7te Jahrg. s. 68.

Trident.[1] — Facilius autem ab una vel altera proclamatione, quam ab omnibus, dispensatur. Ab omnibus autem dispensare Episcopos vetuit Ben. XIV.,[2] "nisi urgente legitima, gravissima et ineluctabili causa, ut liquet ex Tridentino." Ejusmodi autem causa, cum *relativa* sit, multo facilius apud nos quam alibi existet.

II. Dispensatio bannorum pertinet ad Ordinarium, seu ad Episcopum. Eruitur pariter ex Tridentino,[3] ubi dicitur, relinqui facultatem dispensandi prudentiæ et judicio Ordinarii.

III. Causæ autem legitimæ dispensationis aliæ sunt, ob quas Episcopus dispensare *debeat*, aliæ ob quas *possit*. Prioris generis sunt, 1° ne Matrimonium malitiose impediatur; 2° damnum grave, infamia aut scandalum imminens ex Matrimonii dilatione; 3° metus, ne vir puellam stupratam derelinquat; 4° si, Matrimonio jam civiliter contracto, sponsus in tres proclamationes consentire nolit, et alia similia.[4] — Posterioris generis sunt: 1° si nuptiæ contrahendæ sint inter magnates; 2° si sponsi sint valde senes, aut valde dispares conditione, ætate, divitiis aut qualitate; 3° si certo moraliter constet nullum adesse impedimentum.[5]

1539. QUÆSITA. — Quær. 1° *An, cum sponsi sint ex diversis diœcesibus, dispensatio ab utroque Episcopo obtinenda sit?*

Resp. Affirm., ut videtur. Ratio est, quia nulla est connexio inter dispensationem alterius. Aliunde solus Ordinarius loci cognoscere potest de causa dispensationis: possunt enim esse rationes dispensandi pro una parte, quin adsint pro altera; et, si ex una parte non detegantur impedimenta, non sequitur non posse detegi ex altera. — Contrarium tamen docentes S. Alphonsus[6] non corrigit.

Quær. 2° *An Vicarius Generalis, itemque Capitularis (seu apud nos Administrator diœcesis) possit dispensare a proclamationibus bannorum?*

Resp. ad 1^um^ *Affirm., probabilius*, juxta sententiam *communissimam*, modo Episcopus sibi hoc non reservaverit, aut contradicat. Ratio est, quia Synodus hanc facultatem concedit Ordinario; nomine autem Ordinarii, si materia officio illius convenit, et ipse non est expresse exclusus, venit etiam Vicarius Generalis, quippe qui unum tribunal cum Episcopo constituit.[1]

Resp. ad 2^um^ *Affirm.*, idque certum est ex dec. S. C. C. 2 mart. 1624.

Quær. 3° *An et a quibus hæc facultas delegari possit?*

Resp. Affirm., ab iis, qui eam habent jure ordinario; ergo ab Episcopo, a Vicario Generali et Capitulari, ac, cum jurisdictio ejus sit quasi ordinaria seu ad universitatem causarum, etiam ab Administratore diœcesis. Cfr. n. 149, 150. — In plurimis diœcesibus hæc facultas delegatur, saltem quoad unam alteramve denuntiationem, omnibus sacerdotibus. Quisque consulat litteras suæ Jurisdictionis vel statuta diœcesana.

Quær. 4° *An et quando proclamationes, non præmissa Ordinarii dispensatione, per epikeiam omitti possint?*

Resp. Affirm., VALDE *probabiliter*, dummodo sequentes concurrant conditiones: 1ª adsit causa, ob quam *debeat* (n. 1538. III.) dispensare Episcopus; 2ª hic (vel si injuste dispensationem recuset, Superior ejus) adiri non possit; 3ª periculum sit in mora; 4ª constet nullum adesse impedimentum.[2] — Recte tamen monet Reiffenstuel[3] omissionem fere non esse suadendam, dum Ordinarius (extra casum concubinarii morituri, scite addit Feije[4]) denegasset dispensationem; nam Ordinarii est judicare an causa allegata sit ejusmodi, cui dispensatio *debeatur*. — Addo eam etiam dissuadendam esse in Statibus, in quibus proclamationes a lege civili præscribuntur.

Hic iterum moneo conditiones prædictas facilius concurrere apud nos. Quare adhæreo resolutionibus, quas in hanc rem tradit Smith.[5]

Nota. — Tridentinum ponit nonnumquam ita dispensari, ut denunciationes post contractum, sed ante consummatum

[1] Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.
[2] Bulla, Nimiam licentiam, 18 maii 1743. Item C. Satis vobis. 17 nov. 1741.
[3] Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.
[4] L. VI. 1005.
[5] Ib. 1006.
[6] Ib.

[1] L. VI. 1007. H. A. Tr. XVIII. 59.
[2] L. VI. 1007.
[3] L. IV. T. III. n. 46.
[4] De Imped. n. 268.
[5] Notes on the Sec. Plen. Counc. n. 302–304.

Matrimonium locum habeant. Ordinarii tamen judicio relinquit, ut, si maluerit, simpliciter dispenset. Hodie autem generaliter posterior iste modus solus adhibetur.

ARTICULUS IV.

DE REVELATIONE IMPEDIMENTORUM.

1540. PRINCIPIA. — I. Datur *per se* gravis obligatio impedimenta Matrimonii, quantumvis occulta, revelandi. Ratio eruitur ex motivo Religionis et caritatis, necnon ex ipso bannorum præcepto.

II. Obligatio generatim spectat ad omnes fideles cujuscumque sexus, ætatis, parochiæ aut diœcesis, etc., et ad consanguineos quoque et amicos. Ratio est, quia lex illa fertur nomine Ecclesiæ, cui subjacent omnes christiani, et nititur naturali præcepto Religionis et caritatis, quod ad omnes spectat. Imo licet, celebrato Matrimonio, lex positiva denunciandi cesset; potest tamen lex caritatis pro circumstantiis dictam revelationem exigere.

III. Obligatio illa adimplenda est quamprimum moraliter; quia, si sponsi forte obtineant dispensationem ab una aut altera proclamatione, et citius contrahant, tempus ad revelationem peragendam non supererit, etc.

1541. QUÆSITA. — Quær. 1° *An revelari debeant impedimenta sub secreto etiam commisso cognita ?*

Resp. Affirm., etiamsi juramentum de iis non revelandis additum fuerit. Ratio est, quia secretum naturale, etiam commissum et juratum, non obligat, quando damnum grave communitati vel tertiæ personæ imminet. — Si tamen impedimentum est infamans, nupturientes ipsi prius sunt monendi, nisi vel monitio probabiliter non sit profutura, vel periculum sit in mora.[1] Cfr. n. 541. q. 1°.

Excipe *probabilius* secretum *consilii*, seu secretum petendi consilii causa commissum homini officium publicum exercenti, v. g. medico, advocato, Parocho, etc., modo id fiat ratione eorum professionis. Ita enim bonum commune postulare videtur. — Collet,[2] Bouvier,[3] Carrière,[4] et *alii* contra *alios*. Sed et illi, qui sub hujusmodi secreto impedimentum norunt, saltem monere debent sponsos, ut a Matrimonio desistant, nisi monitio probabiliter non sit profutura.

Quær. 2° *An tenearis impedimentum revelare cum gravi tuo incommodo vel detrimento ?*

Resp. Neg., generatim loquendo, quia lex Ecclesiæ et caritas non obligant cum tanto incommodo. — Ita *communiter*.[1] Communiter DD. excusant etiam in aliis hisce casibus, nempe : 1° Quando quis de impedimento tantum audiverit, sed a quo, nesciat, vel de eo audierit a persona non fide digna : — 2° Si probabiliter existimet, revelationem grave apud alios scandalum parituram : — 3° Si noverit, contrahentes dispensationem occultam pro foro conscientiæ impetrasse in impedimento, cujus fama non sit publica,[2] et (addit Feije [3]) quod ad forum externum deduci probabiliter non possit : — 4° Si alio modo Matrimonium impedire possit et vere impediat, vel efficaciter curet dispensationem obtineri.[4]

Quær. 3° *An tenearis impedimentum revelare, si tu solus illud noveris, nec probare possis ?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia in præsenti materia sufficere potest unius testimonium. — Ita *communissima* et *verior* sententia.[5]

Quær. 4° *An ipsi contrahentes impedimentum revelare teneantur ?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia hic non agitur de pœna infligenda, sed de peccato vitando : quare, vel a Matrimonio abstineant, vel impedimenta aperiant, necesse est.

Quær. 5° *Quid facere debeat Parochus, si notitiam impedimenti, quod subesse sciatur vel probabiliter timeatur, per se vel per alios habeat ?*

Resp. 1° Si extra Confessionem notitiam acquisierit, non potest transire ad celebrationem Matrimonii, sed negotium sponsis opportune communicare, et, dubio manente, deferre ad Ordinarium debet.

Resp. 2° Si Parocho constet de impedimento occulto extra Confessionem, neget

[1] L. VI. 994 [2] c. 3.
[3] c. 6. art. 4. [4] n. 409.

[1] L. VI. 995.
[2] Ib. 994.
[3] De Imped. n. 269.
[4] Ib.
[5] L. VI. 995.

autem qui impedimento ligatur, assistere non poterit, sive occulte coram testibus petatur Matrimonium, sive (*verius* secundum S. Alph.[1]) publice. Cfr. dicta n. 1229. Reg. III. Excipe 2°.

Resp. 3° Si noverit impedimentum extra Confessionem, et simul sciat pro foro conscientiæ dispensationem fuisse obtentam, potest assistere, si impedimentum sit ejusmodi, ut ad forum externum non possit deduci, vel saltem nulla probabilis id timendi ratio adsit; secus enim, antequam assisteret, foret dispensatio pro foro externo obtinenda.

Resp. 4° Utrum illico cessare debeat a continuandis proclamationibus, hoc pendet ex certitudine vel verisimilitudine impedimenti. Vide Bangen.[2]

Resp. 5° Si in Confessione notitiam acquirat, vide dicenda infra.

APPENDIX.

I. DE PRÆMITTENDA INQUISITIONE IN IMPEDIMENTA. — II. DE NECESSARIA CONTRAHENTIUM INSTITUTIONE IN DOCTRINA CHRISTIANA. — III. DE CONFESSIONE NUPTIIS PRÆMITTENDA.

1542. I. — 1. *Obligatio* inquirendi in impedimenta patet tum ex rei ipsius, seu Sacramenti, natura (n. 1228. II. Dixi: 1°), tum ex Rituali Rom.

2. *Tempus*, ex Rit. Rom., est illud ipsum, quo Parochus admonetur de aliquo Matrimonio in sua parochia contrahendo. Ergo saltem antequam ad proclamationes procedat.

3. *Modus* sequens vel similis, monente Ben. XIV.,[3] adhibendus est. Remotis testibus, sacerdos tum sponsum, tum sponsam seorsim, caute, et, ut dicitur, ad aurem circa impedimenta, quæ forsan adesse possunt, explorare studeat, atque ea præsertim urgeat, quæ juxta suam de sponsis cognitionem adesse prudenter suspicari potest. Imprimis percunctetur, an nupturi fidem alteri jam antea dederint; an exinde impedimentum publicæ honestatis non evenerit; an impedimentum aliquod cognationis vel affinitatis non intercedat? Debita quoque cum prudentia et verbis modestis advertat ad impedimentum affinitatis ex copula illicita (sed de hoc potius in Confessione præparatoria), et, si una pars fuerit jam nupta, ad impedimentum ligaminis, criminis, etc. — Tunc, *si commode fieri potest*, testes quoque, vel cognatos, vel alios sponsis bene cognitos advocet, et ex iis similiter quærat, num de aliquo impedimento inter sponsos intercedente notitiam habeant.

Nota. — Prudentia etiam exigit, ut Parochus inquirat an illa, quæ lege civili Status, in quo Matrimonium contrahitur, statuuntur, servata sint.

1543. II. — 1. *Obligatio* nupturientes in doctrina christiana instituenda: a) *hypothetica* est, seu non urget casu, quo nupturientes satis instructi sunt; b) ut hypothetica urget, jure etiam *divino*, quoad ea, quæ necessario scienda sunt necessitate sive medii, sive præcepti. Matrimonium enim est Sacramentum *vivorum;* nemo igitur, sive gravi sacrilegio, illud celebrare potest in statu peccati mortalis, nec Parochus licite eidem Matrimonio assistit; qui autem necessaria illa ignorat, quamdiu illa non addiscit cum potest, versatur in statu peccati mortalis.[1] — Dixi: *cum potest;* nam, ut advertit Ben. XIV.,[2] qui hebetis sunt ingenii, ut copiosiorem Catechesin non admittant, doceantur saltem præcipua fidei capita. — Quoad eos vero, qui carent scientia eorum, quæ necessaria sunt necessitate præcepti, usuvenire, apud nos præsertim, aliquando poterunt quæ diximus n. 261. Nam, ut recte animadvertit Kenrick,[3] "quum tanta sit facilitas Matrimonium ineundi coram præcone hæretico vel magistratu, non præstat plerumque eos repellere, quamvis omne studium adhibendum sit, ut quantocius instruantur." Addo, oportere ut in præsens sciant vel edoceantur, quæ scire debent ut Sacramenta, quæ hic et nunc suscepturi sint, valide et licite suscipiant. Cfr. n. 260. 4).

2. In nupturientium instructione, his notanter in Provinciis, ea, quibus præsertim insistendum est, sequentia fere sunt.

[1] L. VI. 1002. Dub. 1°.
[2] p. 71 sq.
[3] Bulla: Nimiam licentiam. 18 maii, 1743. § 10.

[1] Heiss. de Matr. § 68. I.
[2] De Syn. L. VIII. c. XIV. n. 5. 6.
[3] Tr. VIII. 48.

— Vinculi matrimonialis indissolubilitas, — rectus prolem aut fœtum in necessitate baptizandi modus, — advocatio obstetricis vere Catholicæ, si haberi possit, in partu, — tempestivus prolis Baptismus, — nutrix, si adhibenda sit, bonis moribus prædita, — tempestiva prolis instructio in iis, quæ necessitate sive medii, sive præcepti scienda sunt — scholarum publicarum pericula, et quanti intersit, ut, dum sedes mutant, ea loca præferant, ubi schola Catholica adiri possit, — mala ex intemperantia et cauponarum frequentatione sequi solita, — horror, quo secretæ societates fugiendæ sunt, — obligatio pro viribus contribuendi ad sustentationem Religionis.

Præter hæc, quæ nostrarum regionum sunt magis propria, inculcanda veniunt, — debita ad Sacramentum præparatio per *sinceram* Confessionem, eamque, si obtineri possit, generalem, edoctis sponsis, ea, quæ ab ipsis forte contra castitatem sunt commissa, æque peccaminosa esse, ac si inter non desponsatos fuissent patrata, iisque monitis de evitanda tum inter se, tum cum aliis suspecta vel solitaria conversatione, interdictaque severissime cohabitatione ante Matrimonium, — usus Matrimonii præceptus et licitus, — a quibus tempore prægnationis cavendum sit, — periculum suffocationis prolis, si ante primum ætatis annum completum eodem in lecto cum matre decumbat, — periculum perversionis puerorum casu, quo non corriguntur, dum contra *pudorem*, licet leviter, delinquunt, — ejusdem perversionis periculum, dum septennes vel sæpe etiam sexennes eodem in lecto cum parentibus aut alterius sexus pueris decumbunt, — cautio adhibenda, dum necessitas cogit, ut eodem in cubiculo cum parentibus decumbant, — obligatio sibi invicem ac proli bono exemplo præeundi, — mutuus conjugum amor ac fidelitas et quæ his sunt contraria.

Non omnia tamen edocendi sunt omnes, nec omnes eadem ratione; aliter enim instruendi sunt rudes, aliter vero exculti; aliter honoratiores, aliter plebeii.

Nec omnia eodem tempore. Licet enim instructio non sit differenda ad diem, qui Matrimonium proxime præcedit, ea tamen, quæ ad usum præceptum et licitum Matrimonii pertinent, vix non remittenda erunt ad eam Confessionem, quæ Matrimonium immediate antecedit. Quæ vero spectant ad obstetricis vere Catholicæ atque ad bonæ nutricis electionem, necnon ad suffocandæ prolis periculum, universim, et nisi timeatur ne occasio alioquin elabatur, prudentius ad ultimos graviditatis menses amandantur. Demum pericula, quæ proli ex non optime servato pudore vel ex eodem cum parentibus vel diversi sexus pueris lecto aut cubiculo imminent, generatim ad illam puerorum ætatem relegari poterunt, qua periculum enasci solet.

Modus, quo præceptum et licitum Matrimonii usum edocendi sunt, varius esse debet pro varia nupturientium conditione. Si enim vitæ liberioris fuerint, instructio illa aliquanto apertior esse poterit, at numquam non honesta, his e. g. verbis: "In iis, quæ ad prolem suscipiendam pertinent, comparti obediendum est, licentque omnia, quæ ad id conducunt. Dubia, si qua tibi postea suboriantur, confessario candide aperias; interim vero" (si de *sponsa* instruenda agatur) "marito tuo, tamquam Superiori, obedias, nisi clare intelligas aliquid mali tibi præcipi aut a te postulari." — Sponsis, qui non fuerint liberioris vitæ, eadem dici possunt; sed loco verborum: *ad prolem suscipiendam*, adhibenda potius sunt hæc: *ad finem Matrimonii;* et loco: *ad id*, dicatur: *ad hunc finem*.

1544. — III. "Satagendum etiam, et Concilium Tridentinum enixe hortatur,[1] ut nupturientes ante Matrimonii celebrationem, idque non immediate sed saltem triduo ante" (ejusdem consummationem) "ad Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ accedant. In multis etiam statutis diœcesanis ea de re aut consilium aut præceptum reperitur.[2] Optimum quoque illud medium est opportune detegendi impedimentum, præsertim occultum" (vide supra n. 1542. sub 3), "vel circumstantiam in supplici pro obtinenda dispensatione libello exprimendam, et gravia præveniendi incommoda secus oritura."

"Si alterutra pars ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere recuset, allaborabit paro-

[1] Sess. 24. c. 1. Ref. Matr. De hujus Tridentini moniti fine agit Nouvelle Revue Théol. T. V. p. 301 sv.

[2] Cfr. Conc. Pl. Balt. II. n. 329. 330.

chus ut animum mutet; si vero nihil proficiat, eam hortabitur saltem ad contritionem de peccatis eliciendam ante Matrimonii celebrationem. Quodsi utraque pars ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere recuset, et monitionibus suis parochus non proficiat, Ordinarii judicium est provocandum in locis, ubi Confessio est præscripta; sed extra hunc casum parochus assistet." [1]

Quodsi de *publicis* peccatoribus agatur, Parochus eorum Matrimonio assistere poterit " ad vitandam mortem, vel alia graviora mala communitatis, vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato." [2] Ergo *generatim* in hoc casu assistentia neganda est, et *semper* " erit neganda, . . . si utraque pars patenter in contemptum Religionis seu Ecclesiæ confiteri recuset, vel si ipsa ejusmodi Matrimonii celebratio vero scandalo sit futura." [3] Kenrick etiam excusat Parochi assistentiam, si timendum sit, ne nupturientes accedant ad magistratus vel præcones hæreticos, quæ sententia cl° Heiss [4] merito minus probabilis videtur, saltem (addo) si de locis agatur, ubi non viget impedimentum clandestinitatis.

Casu, quo ageretur de iis, qui notorie in ecclesiasticas censuras incidérunt, applica dicta n. 1231. q. 4°. At si de his sermo sit, excludenda semper est Missæ celebratio, ut addit S. Pœnitentiaria in Resp., quod cit. n. 1231 refertur; idque, ob paritatem rationis, applicandum mihi etiam videtur casui publicorum peccatorum, licet non notorie in censuras inciderint.

Dixi: Confessionem consulto *saltem triduo* ante Matrimonii etc. institui; idque non tantum ut opportune detegantur impedimenta, præsertim occulta, verum etiam ut contrahentes, qui hactenus in statu peccati, non raro quasi-concubinatus, vivebant, securius ad Sacramenta digne et fructuose recipienda possint disponi. Hinc plures suadent, ut jam ante primam promulgationem bannorum contrahentes inducantur (pro prima vice) ad Confessionem, et quidem, si fieri potest, ad Confessionem generalem, eamque vel in loco contractus, vel alibi peragendam; ac deinde iterum pridie celebrationem Matrimonii, qua occasione convenienter de *licito ac debito usu* Matrimonii instructio *omnino necessaria* tradi potest. S. Communio, si suscipiatur, juxta Rubricas Missalis (in Missa pro sponsis, ubi legitur, "postquam sacerdos sumpserit Sanguinem, communicet sponsos") suscipi debet ipso die nuptiali, idque, si nuptiæ solemniter benedicantur, infra Missam, et quidem, ut infertur ex Resp. S. C. R. 23 junii 1853 in causa Limburg.,[1] per modum Sacrificii, nimirum hoc modo, ut duæ hostiæ parvæ in hac Missa ipsa pro sponso et sponsa consecrentur.[2] — In multis locis, ex causis obviis, non incongrue præcipitur, ut S. Communio fiat pridie vel biduo ante.

[1] Feije, de Imp. n. 276. 277.
[2] L. VI. 54. Cfr. Vind. Ed. 2ª. T. II. 607. CLVII.
[3] Feije, de Imp. n. 277.
[4] De Matr. § 69. III. p. 264. 2).

CAPUT III.

DE NATURA ET PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

ARTICULUS I.

DE NATURA MATRIMONII.

1545. — *Definitio.* Matrimonium bifariam spectari potest, scilicet ut contractus, et ut Sacramentum.

1° Matrimonium ut contractus est conventio, qua vir et mulier sibi invicem legitime tradunt dominium in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad generationem prolis, et se obligant ad individuam vitæ societatem.

2° Matrimonium ut Sacramentum definitur: Sacramentum novæ legis gratiam conferens ad legitimam viri et mulieris conjunctionem sanctificandam, et ad prolem pie suscipiendam, sancteque educandam.

Est autem Matrimonium de præcepto quoad communitatem in genere, non autem quoad singula ejusdem membra, nisi *per accidens* ob aliud debitum justitiæ vel caritatis, puta ad legitimandam prolem, ad damnum defloratiouis reparandum, vel si quis *nollet* alia media adhibere ad continentiam servandam.[3]

[1] Apud Heiss. de Matr. § 73.
[2] Heiss, de Matr. § 69. V.
[3] L. IV. 209.

1546. — *Divisio.* Matrimonium spectari potest tum quoad conjunctionem viri et mulieris, tum quoad vinculum quod ex ea oritur; hinc dicitur:

1° *In fieri* vel *in facto esse.* — Matrimonium *in fieri* dicitur ipse actualis contractus, qui mutuo consensu viri et mulieris perficitur. Vocatur autem *in facto esse* connubium perseverans in vinculo, quod ex matrimoniali contractu provenit.

2° *Legitimum, ratum* et *consummatum.* — Matrimonium *legitimum* dicitur, quod contrahitur juxta normam legis naturalis et civilis, non tamen Ecclesiæ ratificationem aut rationem Sacramenti habet, quale olim in lege naturæ ac Mosaica, et etiam nunc inter Judæos ac Gentiles initur. — Matrimonium *ratum* est, quod contrahitur inter Christianos nullo impedimento irretitos, inter quos tamen, post contractum, nondum intercessit commercium conjugale. Dicitur *ratum,* quia non solum natura et jus civile, sed etiam Ecclesia illud approbat et ratum habet. — Matrimonium *consummatum* dicitur, quod completum est copula conjugum post contractum Matrimonium habita, eaque pro foro *interno* probabiliter ex utraque parte perfecta, qualis in foro *externo* semper præsumitur, et in dubio etiam pro *interno* præsumenda est.[1]

3° *Verum, præsumptum* et *putatitium.*

Verum dicitur, quod reapse et valide contractum est, atque ut tale est probatum quopiam ex iis argumentis, quibus et cætera negotia probari solent, cujusmodi est Parochi vel aliorum testimonium, liber Matrimoniorum, confessio conjugum, etc.

Præsumptum dicitur, quod *a jure* præsumitur; quæ quidem *juris* præsumptio maxime in triplici casu locum habet, at in locis tantum, ubi decretum Trid. de forma Matrimonii non viget, scilicet: 1° Quando post sponsalia *absolute* inita inter duas personas habiles, secuta est inter eas carnalis copula; tunc enim consensus de futuro præsumitur transisse in consensum de præsenti, et copula præsumitur admissa affectu conjugali.[2] 2° Quando post sponsalia inita *sub conditione,* ante ejusdem eventum, intercessit carnale inter sponsos commercium; Ecclesia enim tunc præsumit, sponsos a conditione recessisse, adeoque voluisse pure et absolute Matrimonium contrahere.[1] 3° Quando post sponsalia *de præsenti* ab impuberibus (in quibus malitia ætatem non suppleat) invalide contracta, inter eosdem, ubi adepti pubertatem fuerint, signa interveniunt ratificati consensus, cujusmodi sunt non tantum carnalis copula, sed etiam oscula, amplexus, cohabitatio, etc.[2]

Putatitium denique Matrimonium dicitur, quod legitime contractum existimatur, cum tamen a parte rei, ob latens aliquod impedimentum, sit nullum. De quo ideo inquirunt DD., ut constet, quandonam vim legitimandi prolem inde susceptam, aliosque juris effectus habeat. Duo porro ad id sunt necessaria: 1° ut contractum sit bona fide saltem ab alterutro conjugum, qui nescius impedimenti fuerit.[3] Quam quidem bonam fidem nec error juris, nec dubitatio de valore Matrimonii excludit, ut probat Covarruvias;[4] in dubio autem bona hæc fides præsumitur. 2° Ut Matrimonium contractum publice fuerit et in facie Ecclesiæ, i. e. coram parocho et testibus, et præmissis, vel saltem dispensatis, denunciationibus.[5]

4° *Canonicum, politicum seu civile, conscientiæ,* et *morganaticum.*

Canonicum dicunt, in quo omnia concurrunt, quæcumque a Sacris Canonibus ad Matrimonium præscripta sunt.

Politicum seu *civile* illud dicunt, in quo concurrunt ea quoque, quæ jure civili exiguntur, quædam scilicet solemnitates, pacta dotalia, etc.; sine quibus Matrimonium *canonice* quidem validum est, illegitimum tamen civiliter reputatur, atque adeo civilibus caret effectibus.

Matrimonium *conscientiæ,* licet olim alio sensu ita dictum (vide Ben. XIV.[6]), hodie dicitur illud, quo vir et fœmina coram Parocho, aut altero sacerdote, ab eo, cui hæc sit auctoritas, deputato, et duobus testibus familiaribus, sed omissis denuntiationibus, connubio conjunguntur. Omnis cura adhibetur, ut ejusmodi Matrimonia occulta remaneant, ad evitanda hominum improbantium dicteria, aliasque

[1] L. VI. 958. 1036. 1075.
[2] L. IV. Decr. T. I. c. 30.
[1] L. IV. Decr. T. V. c. 6.
[2] L. IV. T. II. c. unic. § Idem quoque in 6°.
[3] L. VI. Decr. T. XVII. c. 14.
[4] De Spons. P. II. c. VIII. § I. n. 9. apud Gury. Ed. 1869.
[5] L. IV. Decr. T. III. c. fin. § 1.
[6] De Syn. L. XIII. c. XXIII. n. 12.

molestias, quas facile subirent conjuges. Quid, casu occurrente, in iis servandum sit, vide Ben. XIV.,[1] vel Feije,[2] vel Heiss.[3]

Matrimonium demum *morganaticum* dicitur legitima conjunctio viri cum fœmina inferioris conditionis eo pacto inita, ut uxor et liberi inde nati dono nuptiali vel alia certa portione, tempore sponsalium destinata, contenti sint, et a cæteris bonis avitis ac paternis, una cum titulis, dignitatibus et insignibus, abstineant.[4]

1547. PRINCIPIA. — I. Matrimonium Christianorum, ritu legitimo celebratum, est verum et proprie dictum novæ legis Sacramentum. Argumenta vide apud Dogmaticos.

II. Requiritur ad Matrimonii validitatem verus consensus ex parte utriusque contrahentis; quia Matrimonium, ut contractus, est conventio inter virum et mulierem: consensus autem conventionis essentiam constituit.

III. Consensus vero debet esse:

1° *Mutuus;* consistit enim in contractu, qui est essentialiter consensus duorum, seu consensus mutuus. Unde, si ex una parte deficiat, nullum erit Matrimonium.

2° *De præsenti;* quia per promissionem *de futuro* fiunt tantum sponsalia, non vero Matrimonium.[5]

3° *Deliberatus et voluntarius;* quia est contractus de re gravi, gravem propterea obligationem inducens; nemo autem censetur obligationem gravem sibi imponere, nisi libere ac plene consentiat. Constat ex Jure Canonico, quod invalidat Matrimonia ex metu gravi contracta, ut infra de impedimentis dicetur.

4° *Manifestatus signis externis;* quia omnis conventio inter homines aliquo signo externo cognosci debet: conventio enim mutuam acceptationem inter contrahentes necessario supponit.

1548. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quis modus servandus cum iis fidelibus, qui, in iis nostrarum Provinciarum locis, ubi decretum Tridentinum de forma Matrimonii non viget, post sponsalia absoluta ac valida et copulam habitam cum altera parte, cum alia nuptias vel inire volunt vel in facie Ecclesiæ inierunt?*

Resp. Copula vel maritali, vel fornicario affectu habita fuit. — Si *maritali*, a quovis alio Matrimonio prohibendi sunt. Ratio patet ex dictis n. 1546. 3°. In foro tamen externo cogerentur cum illa remanere cum qua in facie Ecclesiæ nuptias contraxissent, si copulam cum prima habitam probare non possent; at nullum cum secunda carnale commercium exercere possent. — Si *fornicario*, distingue inter forum *externum* et *internum*. — Si copula deducta sit ad forum *externum*, possent ab ecclesiastico judice legitimorum instar conjugum haberi, atque idcirco a quovis alio Matrimonio prohiberi, ac, si cum alia nuptias jam contraxissent, cogi, ut ad primam redeant, cum qua tamen nullum poterunt carnale commercium exercere. Ratio est, quia in foro externo delictum non præsumitur, ideoque copula præsumitur *maritali* affectu habita fuisse. — Quod vero cum prima carnale commercium exerceri nequeat, inde est, quod copula, licet *præsumatur* maritali affectu habita fuisse, *revera* fornicario habita fuit. — Si de foro *interno* agatur, *validum* erit Matrimonium cum alia, et *licitum* quoque, si se legitima occasio præcedentium sponsalium dissolvendorum obtulerit. — Vide Instruct. C. de P. F. p. LXV. sq., quæ communicata etiam fuit Episcopo Altonensi, pro informatione recurrenti. Item Heiss.[1]

Nota. — 1° In quæsito dicitur: *post sponsalia* VALIDA; nam dum e. g. Titius, contractis sponsalibus cum Anna, ea invita contraxit sponsalia cum Maria, et deinde utramque cognoscit, copula illa habita cum Maria non potuit esse signum contracti cum ea Matrimonii, quia sponsalia cum ea fuerunt nulla; copula vero illa cum Anna habita potuit esse signum contracti cum illa Matrimonii; licet enim habuerit voluntatem recedendi ab ejus sponsalibus contrahendo sponsalia cum Maria, de facto tamen non recessit, et copulam cum ea habens, censendus est prædictum contractum approbasse, et attentatum recessum emendasse.[2]

[1] De Syn. L. XIII. c. XXIII. n. 12 et C. Satis vobis. 17 nov. 1741.
[2] De Imp. n. 228–230.
[3] De Matr. § 74. II.
[4] Cfr. Devoti. Instit. L. II. T. II. S. VII. § 108. n. 6 et Du Cange. V. Morganatica.
[5] L. IV. Decr. T. I. c. 31.

[1] De Matr. § 16.
[2] Heiss, de Matr. § 16. p. 51.

2° Pro foro *interno* persuasio pœnitentis se cum alia validum inire posse Matrimonium, in dubio, argumento erit copulam affectu fornicario habitam fuisse.

Quær. 2° *An consensus verbis exprimi debeat?*

Resp. 1° *Neg.*, quoad *validitatem*, quia de jure naturali in contractu sufficit, ut consensus certo aliquo signo exprimatur.[1]

Resp. 2° *Affirm.*, quoad *liceitatem*, quia alias ageretur contra Rubricam et Ecclesiæ consuetudinem. Attamen non videtur excedere veniale, si verba non adhibeantur; imo ab omni culpa verecundia aut alia rationabilis causa excusaret.[2]

Quær. 3° *An sufficiat consensus per procuratorem?*

Resp. 1° Quoad *validitatem affirm.*, modo adsint conditiones requisitæ, quia Matrimonium habet totam rationem contractus naturalis. Contractus autem quilibet per procuratorem fieri potest.

Conditiones vero ad Matrimonium illo modo contrahendum sunt eædem ac illæ, quæ ad valida sponsalia eo modo contrahenda requiruntur (vide n. 1327. q. 6°); quibus pro locis, ubi viget decretum Trid. de forma Matrimonii, addenda est 6ta hæc, ut procurator cum comparte coram Parocho et duobus testibus compareat.

Resp. 2° Quoad *liceitatem neg.*, nisi causa valde gravis urgeat. Ratio est, quia iste modus contrahendi est contrarius praxi ordinariæ Ecclesiæ et vix inter alios, quam inter Principes et Magnates sic Matrimonia fiunt. Hinc Parochus non debet propria auctoritate Matrimoniis hujusmodi benedicere, ut ex praxi Ecclesiæ et Rituali constat.[3]

Quær. 4° *An sit validum Matrimonium* SUB CONDITIONE *initum?*

Resp. 1° Certum est, esse validum, si conditio sit *de præterito* vel *de præsenti*, et verificetur. Ratio est, quia consensus ille *conditionatus* statim transit in absolutum, et proinde nihil deest valori Sacramenti.[4]

Resp. 2° Si adjiciatur conditio *honesta* et *possibilis* de futuro, *dico:* 1° Non perficitur Matrimonium, donec conditio impleatur; quia contractus transferre debet jus mutuum in corpora *de præsenti*, ut supra dictum est, et hinc, si unus ante verificationem conditionis consensum retractet, Matrimonium nullum est, cum tempore, quo contractus perficitur, consensus mutuus desit. *Dico:* 2° Impleta autem conditione, valet Matrimonium; siquidem contractus conditionatus, adimpleta conditione, transit in absolutum, et eo ipso valet ratione Sacramenti, quia inter Christianos contractus Matrimonii a Sacramento disjungi nequit. Hinc probabilius novo consensu tunc opus non est; consultius tamen renovatur.[1]

Quær. 5° *An sit licitum contrahere cum consensu conditionato?*

Resp. Neg. Talis modus contrahendi est illicitus, præsertim si conditio sit *de futuro*, nisi forte, ut habet S. Alph.,[2] adsit urgentissima causa, quæ moram non patitur, ut si agatur de Matrimonio cum moribundo ad legitimandam prolem, casu, quo mors prioris conjugis dubia est. Ratio est, quia multa ac gravia incommoda ex tali modo contrahendi subsequi facile possunt, nempe scandalum, jurgia, ambages, difficultates, etc. — Ita *communiter.*

Quær. 6° *An sit validum Matrimonium initum sub conditione turpi?*

Prænotanda. — Distinguunt quoad Matrimonii fines: 1° fines *intrinsecos essentiales*, scil. a) mutuam corporum traditionem cum obligatione reddendi debitum, si alius jure postulet, et b) vinculum indissolubile; — 2° fines *accidentales intrinsecos*, et quidem tamquam *primarium* procreationem prolis; tamquam *secundarium* remedium concupiscentiæ; — 3° fines *accidentales extrinsecos*, uti sunt v. g. pax familiarum, divitiarum consecutio, etc.

Positiva exclusio porro finium essentialium in celebratione nuptiarum Matrimonium irritum reddit; non vero *per se* accidentalium; imo, principaliter (salva relatione operum ad Deum) nuptias quærere, vel ut remedium concupiscentiæ (quin tamen finis procreandæ prolis excludatur), vel ob finem extrinsecum, modo sit per se honestus, nullum est peccatum.[3]

His prænotatis:

Resp. 1° *Neg.*, si conditio repugnet substantiæ seu essentiæ Matrimonii, triplici nempe ejusdem bono, i. e. 1° bono *Sacramenti;* 2° bono *Fidei;* 3° bono

[1] L. VI. 887. [2] Ib. 888.
[3] Ib. 885. [4] Ib. 890.

[1] L. VI. 892. 895. [2] Ib. 892.
[3] Ib. 882. 883.

prolis; ut foret, si sponsi, contrahendo Matrimonium, generationem prolis in usu ipso Matrimonii (non vero si continentiæ amore ipsum usum), fidelitatem in conjugio, aut perpetuitatem in Matrimonio excluderent. Sed ad hoc requiritur, ut hujusmodi conditio expresse apponatur (quemadmodum in formula, quæ a Methodistis adhiberi solet et qua excluditur perpetuitas [1]), et ut sponsi non aliter se obligare animo intendant. Validum autem erit Matrimonium, si hæc conditio se habeat concomitanter, et ideo non sit motivum, cur contrahatur Matrimonium, ac alioquin adsit voluntas aliqua generalis valide contrahendi. — Hinc:

a) "Acatholicorum error, quo plerique sentiunt conjugia solvi posse ob adulterium, vel aliam ob causam, Status auctoritate, non obstat valori contractus; potior enim est intentio contrahendi, juxta legem naturæ et Christi." [2].

b) Valet Matrimonium, quamquam aliquis ex conjugibus postea ignorasse se dicat Matrimoniale debitum, eoque cognito se Matrimonium non fuisse initurum affirmet.[3]

c) Pristinorum "servorum conjugia, si apposita" fuerit "conditio, quamdiu te bene gesseris, irrita sunt." [4]

d) Relatus mihi fuit casus Matrimonium coram magistratu vel ministello hæretico ideo contrahentium, quod crederent vinculum sic fore dissolubile, persuasi illud indissolubile fore, si contraherent coram sacerdote, cujus ministerio ea præcise de causa non sunt usi. Matrimonium hoc in foro *interno* nullum esse haud dubito; nam hoc in casu error se habet *antecedenter* ad contractum, seu aliud quam solubile Matrimonium inire noluerunt. Pro foro tamen *externo*, ea de re constare deberet ex utriusque conjugis confessione seu declaratione, contra quam non militet præsumptio collusionis. Quodsi, ut apud nos facile contingere potest, unius partis confessio haberi nequeat, sive quod ignoretur ubi sit, sive quod comparere recuset, alterius jurata declaratio sufficere videtur.

[1] S. C. O. Instr. 18 dec. 1872.
[2] Kenr. Tr. XXI. 40 et Litt. Pii VI. ad Arch. Pragens. 11 jul. 1789.
[3] Acta, T. V. p. 551 sq.
[4] Kenr. Tr. XXI. 40.

Resp. 2° Si vero conditio turpis vel impossibilis non repugnet substantiæ Matrimonii, *dist.* 1° Censetur validum *in foro externo*, nisi serio apposita probetur; ratio est, quia in eo casu conditio pro non adjecta habetur. 2° Quoad forum *internum*, *dist.* Si indubie et serio apposita sit, erit invalidum: secus non. In dubio autem ejusmodi conditio vel non, vel non serio apposita præsumitur, cum in dubio semper judicandum sit pro valore Matrimonii.[1] Cfr. n. 870. 2°.

Quær. 7° *Quid agendum, si quis dicat se ficte consensisse?*

Resp. 1° Quoad *forum externum* fides ei non adhibetur, nisi vel ex circumstantiis pateat, illum aut dolo fuisse deceptum aut gravi metu inductum ad contrahendum, vel per conjecturas (quod tamen difficillimum est) fictus consensus sufficienter probetur. Ratio est, quia *supponi* nequit eum, qui libere Matrimonium iniit, ficte consensisse.

Resp. 2° Quoad *forum internum*, qui asserit se *ficte* consensisse, obligandus est, 1° ad abstinendum a debito petendo et reddendo, donec vere consenserit; 2° ordinarie etiam ad consensum verum ponendum, ut sic injuriam comparti illatam reparet. Dico: *ordinarie*, quia si compars separationi consentiat, vel ex hujus quoque parte fictio intercesserit, aut nullum ipsi damnum eventurum sit, vel is, qui ficte consensit, ad contrahendum coactus fuerit, consensum supplere non tenetur.[2]

Cæterum conjux, qui verum assensum posuit, non obligatur credere alteri asserenti se ficte consensisse, licet id juramento firmaret; ideoque licite debitum peteret, donec defectus consensus sufficienter probaretur.[3]

Quær. 8° *An requiratur consensus parentum ad validitatem, vel liceitatem contractus matrimonialis?*

Resp. 1° Quoad *validitatem neg.* prorsus; quia consensus parentum nec jure naturali, nec positivo requiritur. Ac 1° non *jure naturali;* quia contrahentes habent potestatem in proprium corpus, nec parentes habent potestatem in corpus filiorum suorum in ordine ad Matrimonium; secus enim Matrimonia eorum irritare possent, sive juste, sive injuste,

[1] L. VI. 891. [2] Ib. 887.
[3] Ib. 907. 908.

quod omnino repugnat, et sensui communi hominum adversatur. 2° Nec *jure positivo;* nam Trid.[1] anathemate percussit eos, qui "falso affirmant matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse." Quod si lex civilis consensum parentum requireret ad valorem Matrimonii, ejus vis non extenderetur, nisi ad effectus mere civiles. — Ita communiter omnes Theologi Catholici. Cfr. n. 425.

Resp. 2° Quoad *liceitatem affirm., generatim loquendo.* Constat ex *jure naturali,* quia filii debent parentibus honorem, reverentiam et obsequium, præsertim in iis, quæ ad totam familiam spectant, cujusmodi est Matrimonium, ex quo sæpissime pendent honor et pax familiarum, etc.[2]

Quær. 9° *An filii aliquando, invitis parentibus, Matrimonium contrahere possint?*

Resp. Affirm., si parentes injuste consensum recusent. Verum, cum hac in re facile filiifamilias sibi fucum faciant, antequam nuptias celebrent, consulere debent viros prudentes et præsertim confessarios, ne in re tam gravi tantisque plena periculis imprudenter agant, proprio judicio confidentes.

Quær. 10° *Quid agendum confessario vel Parocho, quando filiifamilias, invitis parentibus, Matrimonium inire volunt?*

Resp. 1° *Quoad confessarium,* si reclamationem parentum justam censet, suadebit filiis, ut parentum voluntati morem gerant. Quodsi nolint, et conditiones a lege in aliquo Statu requisitæ non obstent, non debet eos inquietare; imprudentis enim foret, in re adeo difficili se judicem constituere inter patrem aut matrem et ipsorum filios. Ita rem *practice* resolvit Gousset.[3] Quodsi filii, parentibus Matrimonio injuste obsistentibus, "extra Status . . . limites se conferant ad nuptias contrahendas, vel alio pacto legum pœnas evadere studeant, veritate illæsa, non videntur culpandi; secus si falso juramento, vel falsis testibus rem conficiant." Ita Kenrick.[4]

Resp. 2° *Quoad Parochum,* Matrimonio assistere non debet, nisi adimpletis conditionibus jure civili præscriptis; quia Ecclesiæ non adversantur. Vide n. 426. q. 4°. R. II. a).

[1] Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.
[2] L. VI. 849. 850.
[3] n. 839.
[4] Tr. XXI. 41. 42.

ARTICULUS II.

DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII, SCILICET DE EJUS UNITATE ET FIRMITATE.

§ I. *De unitate Matrimonii.*

1549. — Unitas Matrimonii in eo sita est, quod Matrimonium sit conjunctio unius viri cum una fœmina.

1° Certum est, *polyandriam* pugnare cum lege naturali, quia præcipuis Matrimonii finibus adversatur, nempe generationi prolis et bonæ ejus educationi. — Ita *omnes.*

2° Certum est, *polygamiam simultaneam* esse in omni casu prohibitam et irritam, saltem de jure positivo divino novæ legis, ut constat ex Luc.:[1] *Omnis, qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, mœchatur.* Constat pariter ex Trid.[2]

3° Certum est, secundas nuptias et ulteriores esse licitas tam viro, quam mulieri, etiam sub lege Evangelica. Constat ex auctoritate et praxi Ecclesiæ, necnon ex Scriptura Sacra:[3] *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat; tantum in Domino.*

§ II. *De firmitate Matrimonii.*

Duplex distinguitur Matrimonii firmitas: alia enim vinculum, alia torum respicit.

Punctum I. De firmitate Matrimonii, quatenus spectat vinculum.

1550. — Matrimonium est indissolubile, i. e. Matrimonio semel contracto, divortium quoad vinculum fieri nequit, saltem de lege positiva divina. De fide est. Probatur: 1° ex verbis Christi:[4] *Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* 2° Ex verbis divi Pauli:[5] *Iis autem, qui Matrimonio juncti sunt, præcipio, non*

[1] 16. 18.
[2] Sess. 24. can. 2.
[3] I. Cor. 7. 38.
[4] Matt. 19. 6.
[5] I. Cor. 7. 10. 11.

ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat. 3° Ex Trident.[1] Cfr. n. 456. 9°, et n. 1053. q. 2°.

1551. — Triplex tamen casus est excipiendus : nam

1° Dissolvi potest Matrimonium *ratum* et *non consummatum* Christianorum, gravissima de causa *per dispensationem* Papæ, ex potestate divinitus ipsi concessa. Constat ex eo, quod SS. Pontifices jam multoties hac potestate usi sunt, prout videre est apud cl. Feije.[2] Dispensatio tamen non conceditur, nisi certo constet, Matrimonium non fuisse consummatum. Quo autem modo sit probanda non consummatio, et quæ causæ ad dispensandum sufficientes habeantur, vide apud eumdem Feije.[3]

Disputatur possitne Pontifex dispensare in Matrimonio contracto in infidelitate, et sive tunc, sive post unius tantum Baptismum consummato. Sunt graves auctores, quos inter S. Alph.,[4] qui hanc potestatem admittunt, aliis negantibus.[5]

2° Dissolvi potest Matrimonium *ratum* et *non consummatum* per *professionem religiosam solemnem*[6] unius conjugum Religionem ingredientis inter primum bimestre, atque hoc ex privilegio speciali a Christo concesso et ab Ecclesia declarato.[7]

Dixi : *inter primum bimestre.* Ut scil. sponsi de usu hujus privilegii deliberent, eisdem ab ipso Jure bimestre (quod quomodo computandum sit, vide apud Feije[8]) post nuptias conceditur, quo tempore non obligantur reddere debitum, dummodo tamen Matrimonium non sit forte necessarium ad reparandum scandalum aut honorem sponsæ.[9] — Fornicatio habita inter sponsos ante celebrationem Matrimonii hoc privilegium non impedit, si aliud non obstet. — Peccat tamen in genere, qui Matrimonium cum intentione religionem ingrediendi contrahit, quin compartem moneat.[1]

Plura alia huc spectantia vide, si lubet, apud cl. Feije.[2]

3° Dissolvi potest Matrimonium etiam *consummatum infidelium* ex concessione divina, quando alteruter conjugum convertitur *ad Fidem Christianam*, per susceptionem Baptismi, et alter interpellatus recusat cum eo pacifice cohabitare, vel non cohabitat nisi cum *injuria Creatoris*, et Religionis Christianæ contemptu, aut conatum adhibet, ut partem fidelem pervertat. Deducitur ex Declaratione Innocent. III.[3] Concessio autem hæc divina eruitur ex verbis Apostoli :[4] *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam; . . . quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi : in pace autem vocavit nos Deus.*

Multa extant hac de re SS. Pontificum ac SS. Congregationum decreta et decisiones.[5] Ex his cum cl. Feije concludimus :

1. Quando post verum Matrimonium in utriusque infidelitate initum, una pars vel utraque convertitur et baptizatur, validum manet Matrimonium, neque opus est novo consensu. Si autem non fuit verum inter eos Matrimonium, potest conversus sive cum ea, prius tamen baptizata, et (quod ad liceitatem spectat) Catholica, sive cum qualibet alia baptizata et Catholica Matrimonium inire, præstito prius mutuo consensu et observatis iis, quæ alibi de clandestinitate exponemus.

2. Si infidelis plures habeat mulieres, vel resp. viros, tunc aut non recordatur post conversionem, quam primam duxerit, et potest, mutuo prius in debita forma præstito consensu, retinere unam ex illis, cum quibus vere voluit Matrimonio jungi. Aut recordatur quam primam duxerit, quo casu huic applica dicta sub 1. Si vero infidelis, plures habens mulieres, cum nulla inivit verum Matrimonium, post conversionem potest cum qualibet muliere baptizata et Catholica, præstito mutuo et

[1] Sess. 24. sub initio.
[2] De Imp. n. 601. p. 490 (1) et p. 803. VII. Cfr. Vind. p. 800 sq. Ed. 2ª. T. II. p. 461 sq.
[3] De Imp. n. 520. 544 sq. 601.
[4] L. VI. 897. prob. 1. 902. q. 2 et præsertim 956.
[5] Feije, de Imp. n. 602.
[6] Trid. Sess. 24. Can. 6. Ben. XIV. de Syn. L. XIII. c. XII. n. 9.
[7] Trid. Sess. 24. Can. 6.
[8] De Imp. n. 517 sq.
[9] L. VI. 870. Dub. 2; 958.

[1] L. VI. 958.
[2] De Imp. n. 519.
[3] L. IV. Decr. T. XIX. c. 7. L. VI. 956.
[4] I. Cor. 7. 12.
[5] Vide Feije, de Imped. n. 472 sq.

in debita forma consensu, contrahere. In casu tamen validi Matrimonii in infidelitate contracti potest locus esse casui Apostoli.

3. Quando una pars est conversa et baptizata, interpellanda est infidelis velitne et ipsa ad Fidem converti, vel saltem cohabitare, et pacifice quidem ac sine contumelia Creatoris, i. e. ita ut neque molestias inferat Religioni partis fidelis, neque eam pertrahat ad peccatum mortale. Si hæc omnia facere vel renuat infidelis, vel post cohabitationem animum mutaverit, aut sine culpa fidelis discesserit, poterit hic novum inire Matrimonium.

Matrimonium autem in infidelitate initum non solvitur, nisi ipso momento, quo validum aliud Matrimonium contrahitur.[1]

4. Novum Matrimonium pars fidelis absque dispensatione *valide* inire non potest, nisi cum parte jam baptizata; secus enim adesset impedimentum dirimens disparitatis cultus. Insuper, ut *licite* ineatur novum Matrimonium, debet contrahi cum Catholica. Ex dispensatione quidem licite posset cum acatholica contrahi, sed hæc dispensatio nunquam in hujusmodi casu obtinebitur.

Quando autem fidelis ex dispensatione Matrimonium contraxit cum infideli, et is dein renuit cohabitare pacifice et sine contumelia Creatoris, opinatur Kenrick,[2] locum esse casui Apostoli; sed contrarium certum est ex S. C. O. 1 aug. 1759 ad 4, et a. 1854 Dub. II. ad 2. Cfr. etiam S. C. O. 14 junii 1708 apud Perrone.[3]

5. Interpellatio infidelis:

a) Omnino necessaria est, ut ad novas nuptias perveniri queat, nisi a S. Sede, aut, si agitur de casu sub 2), apud nos ab Episcopo (vide p. LXX. 11) in ea dispensatum fuerit. Qua tamen facultate gravi tantum de causa Episcopis uti licebit, e. g. quia ignoratur ubinam infidelis degat, etc.[4]

b) Certo facienda est eo fine, ut sciatur an velit converti; sitne vero necessaria, — casu, quo nec infidelis converti velit, nec Episcopus, ob spem probabilem conversionis infidelis, cohabitationem cum eo permiserit — ut sciatur, num cohabitare velit sine contumelia Creatoris, disputant DD.[1] Juxta S. Alph. sententia negans *communior* est et *probabilior*,[2] eique, tamquam tali, absolute adhæret in opere: *Hom. Ap.*[3] Contradicit cl. Feije.[4] Perrone vero dicit sententiam, cui S. Doctor adhæret, forte admitti posse illis in regionibus, in quibus lege ecclesiastica cohabitatio fidelis cum infideli interdicta est; "infidelis enim," ait, "qui eam legem novit, et nihilominus converti renuit, perinde est ac si declaret se discedere velle."[5] Hanc autem hypothesin S. Alph. satis perspicue innuit.[6]

6. Privilegium Fidei parti conversæ remanet, etiamsi propter adulterium aliamve causam criminosam, *ante* conversionem ab eo positam, infidelis cohabitationem neget; crimina enim ante Baptismum commissa numquam possunt objici.

7. Inito a fideli novo Matrimonio, potest pars infidelis, si et ipsa dein convertatur, cum alia Catholica Matrimonium contrahere. — Utrum vero, si infidelis maneat, cum alia, licet infideli, novum inire possit Matrimonium, disputatur.[7] "Hodie," ait Feije,[8] "communis est doctrina tum valide, tum licite infidelem cum alia infideli Matrimonium eo casu inire."

8. Si vero fidelis non inivit novum Matrimonium, invalide alteri nubit infidelis, nec potest ei, si postea convertatur, Baptismus conferri, nisi, abjectis adulterinis nexibus, se a nova sua comparte separaverit. S. Off. 23 jan. 1805. Idque verum est, etiamsi nova hæc compars et ipsa convertatur, et prior conjux consentiat.

9. Matrimonium in infidelitate initum S. Pontificis dispensatione

1) Non dissolvitur: a) Juxta tutissimam sententiam, dum agitur de Matrimonio duorum adhuc infidelium. Ratio est, quia neutra pars potestati Ecclesiæ subjecta est. b) Dum agitur de Matrimonio inter duos nunc baptizatos olim

[1] L. VI. 957.
[2] Tr. XXI. 110.
[3] De Matr. T. II. p. 309.
[4] Feije, de Imp. n. 494 sq.

[1] L. VI. 957.
[2] Ib.
[3] Tr. XVIII. 90.
[4] De Imped. n. 490 sq.
[5] De Matr. T. II. p. 321.
[6] L. VI. 957.
[7] Vide Ben. XIV. C. Postremo. 28 febr. 1747. § 58 et Apostolici, 16 sept. 1747.
[8] De Imp. n. 501.

in infidelitate inito, et post utriusque Baptismum consummato. Ratio per se patet.

2) Dissolvitur, si agitur de Matrimonio inter duos, quorum sive uterque, sive (secundum Feije[1]) alteruter tantum nunc baptizatur, et quod neque ante, neque post Baptismum fuit consummatum.

3) Disputatur, si agitur de Matrimonio consummato sive ante utriusque conversionem, sive ante vel post conversionem unius. Utriusque sententiæ rationes vide, si lubet, apud Feije.[2] Cæterum pro praxi inutilis fere est disputatio; nam si casus occurrat, recurrendum semper erit ad S. Sedem ejusque practicæ resolutioni standum.

Nota. — Quæ de Pontificia dispensatione diximus in casibus sub 2) et 3), valent etiam in iisdem casibus de Professione solemni.[3]

10. Conversus, qui non inivit novum Matrimonium, post conversionem alterius Matrimonium cum alia inire non potest; quin et *ex caritate* ad compartem redire tenetur, si hujus conversio secus periclitetur. An item *ex justitia?* Disputatur.[4]

Quid vero, si compars convertatur postquam pars primo conversa vel Religionem fuerit professa, vel Sacros Ordines susceperit, vel etiam perpetuam tantum voverit castitatem?

Resp. Absque Pontificia, aut, si apud nos de solo castitatis voto ageretur, Episcopi dispensatione, redire ad compartem nequit.

Nota. — Occurrente apud nos uno ex tribus casibus, in quibus juxta dicta h. n. Matrimonium dissolvi possit, prudentia exiget, ut, antequam pars libera ad alias nuptias transeat, divortium civile obtineatur.

Punctum II. De firmitate Matrimonii quatenus spectat torum, et de divortio a toro.

1552. Principia. — I. Conjuges ratione vinculi Matrimonialis tenentur simul cohabitare, et vitam socialem ducere. Ratio eruitur ex ipsamet Matrimonii definitione.

II. Divortium tamen, seu separatio a toro vel habitatione, gravibus[1] de causis fieri potest, manente nihilominus conjugali vinculo, ita ut neutra pars possit ante mortem alterius inire aliud Matrimonium. Id declaratur a Trid.[2]

III. Causæ ejusmodi divortium cohonestantes sunt: mutuus consensus, grave animæ vel corporis periculum, et alterutrius adulterium vel hæresis (de qua vide n. 1521. 10°); quas causas ita pro praxi intelliges.

1° *Mutuus consensus:* scilicet uterque conjux simul possunt juri proprio renuntiare quoad torum, sive ad tempus, sive in perpetuum, dummodo, præmissa matura deliberatione et longa experientia, constet abesse incontinentiæ periculum, et toro separentur. Item separari possunt etiam quoad habitationem, sive ad tempus negotiorum causa, sive in perpetuum ob vitæ perfectioris desiderium, quod desiderium duplici modo expleri potest, scil. vel susceptione SS. Ordinum (de quo modo vide n. 1521. 10°), vel ingressu Religionis, de quo nota, opus esse, compartem etiam cœnobium ingredi ibique regularem professionem emittere, nisi forte provectæ jam sit ætatis et ab omni incontinentiæ suspicione immunis; tunc enim sufficit, si voto perpetuo simplici castitatis se (coram Superiore ecclesiastico et testibus) obstringat. Excipe, si dispensatio Pontificia ab hoc voto liberet.[3]

Possintne conjuges mutuo consensu Congregationem ingredi, in qua vota tantum simplicia, de se tamen perpetua, emittuntur? — Puto, servata in singulis casibus prudentia, nihil obstare; nam etiam in sæculo manentes ambo continentiam vovere possunt.

2° *Periculum grave animæ*, si adsit perversionis periculum in uno ex causa alterius; vel *corporis*, si immineat periculum vitæ aut mutilationis, vel si cohabitatio ex parte unius erga alium adeo evadat molesta, ut moraliter impossibilis reddatur. Id eveniret, si conjux relative graves aut frequentes sævitias pati cogeretur, aut uxor sine causa expelleretur.[4]

3° *Adulterium alterutrius*, scilicet tale,

[1] De Imp. n. 601. [2] Ib. n. 602.
[3] Ib. n. 500. [4] Ib. n. 499.

[1] V. Acta. T. I. p. 213.
[2] Sess. 24. Can. 8.
[3] H. A. Tr. XVIII. 91. Ben. XIV. de Syn. L. XIII. c. XII. n. 10 sq.
[4] L. VI. 970–974. Acta, T. II. p. 136. 1).

ut sit: 1° *moraliter*[1] certum; 2° voluntarium, non vero ex illata violentia patratum;[2] 3° non condonatum sive expresse, sive implicite, v. g. per actum conjugalem, vel alia signa, ab innocente adulterii conscio et memore (*pro foro interno* animo condonandi) exhibita;[3] 4° non mutuum, quia tunc existeret compensatio;[4] 5° ut S° Alph° *probabilius* est, consummatum;[5] 6° sine consensu compartis commissum.[6] — Patet ex verbis Christi:[7] *Qui dimiserit uxorem, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari*, etc. Quodsi licet viro, eadem ratione etiam uxori licitum esse debet.

Adverte ex communiori et extrinsece saltem probabiliori DD. sententia nomine *adulterii* hic venire quamlibet *carnis divisionem*, licet adulterii proprie dicti rationem non habeat, cujusmodi est sodomia et bestialitas.[8]

1553. QUÆSITA. — Quær. 1° *An vir, cognito uxoris adulterio, illam dimittere teneatur?*

Resp. 1° Certum est non teneri ratione adulterii, quia divortium fuit concessum in favorem innocentis, non in ejus pœnam. — Ita *communiter*.[9]

Resp. 2° Aliquando potest vir teneri ad dimittendam uxorem adulteram ratione correctionis fraternæ aut scandali vitandi, et idem dic de uxore, si fundata emendationis spes adsit et maritus sine gravi incommodo dimitti possit; sed rarus est iste casus prior, tum quia alia media adhiberi possunt ad uxorem corrigendam, aut scandalum vitandum, tum quia grave scandalum vel aliud grave incommodum ex separatione timendum excusare potest. Aliunde ejecta uxor majori periculo, saltem plerumque, exponeretur. Rarissimus autem erit casus posterior.[10]

Quær. 2° *An, facto divortio, possit innocens alterum cogere, ut ad se redeat?*

Resp. 1° *Affirm.*, si agatur de separatione *non juridica*, quia hæc per sententiam judicis non firmatur.

[1] L. VI 961. Acta, T. II. p. 136.
[2] L. VI. 966.
[3] Ib.
[4] Ib.
[5] Ib. 962.
[6] Ib. 966.
[7] Matt. 5. 32.
[8] L. VI. 962.
[9] Ib. 963.
[10] Ib. 963. 964.

Resp. 2° *Affirm., probabilius*, etiam in ipso casu *juridicæ separationis*. Ratio est, quia sententia separationis juridicæ fertur in favorem innocentis, et proinde non aufert jus revocandi alterum; nec ad hoc opus est nova judicis sententia. Non est tamen cogenda mulier adultera ad redeundum, quoties potest rationabiliter timere, ne dure, acerbe, aut etiam crudeliter tractetur.[1]

Advertendum tamen:

1) Licet pars innocens post factum juridice divortium ex communi doctrina possit, etiam invita parte adultera, ingredi Religionem aut Sacros Ordines suscipere; hoc tamen non conceditur adultero dimisso; qui propterea nec Religionem ingredi, nec Sacris initiari potest, nisi innocens aut expresse consentiat, aut statum irrevocabilem jam susceperit; et, si Religionem ingrederetur, posset ab innocente, etiam post professionem, revocari.[2] Monet tamen S. Alphonsus[3] sufficere ad id etiam consensum tacitum, si nempe innocens hoc sciat, nec contradicat, cum possit; qui tamen in casu non tenetur aut Religionem ingredi, aut voto castitatis se obstringere. Id ipsum parti reæ concedit S. Alphons.,[4] quando innocens rogatus noluerit reconciliationem admittere, aut etiam si eam innocens, elapso jam biennio, non revocaverit.

2) "Si auctoritate civili factum sit divortium" quoad vinculum, "pœnis adulterii obnoxii erunt conjuges consuetudinem renovantes domesticam, absque novis nuptiis. Id autem quæri potest, utrum ad pœnas legis effugiendas, et ad jura recuperanda, liceat consensum Matrimonio iterum dare. Videtur licere coram sacerdote consensum olim datum *referre*, ut de Matrimonio possit testari; sed consensus ipse renovandus non est, quum sit forma Sacramenti; cæterum voces lato sensu usurpari possunt ad satisfaciendum legi. Dum cura adhibetur, ut de Matrimonio civile habeatur testimonium, cavendum ne ulli sacri ritus peragantur iterum, vel aliquid fiat, quo errori de vinculo soluto favor præbeatur." Ita Kenrick.[5]

Quær. 3° *An, facta juridica separa-*

[1] L. VI. 967.
[2] Sanchez. de Matr. L. X. Disp. X. n. 12. 13.
[3] L. VI. 969.
[4] Ib.
[5] Tr. XXI. 118.

tione ob adulterium, conjux innocens teneatur redire ad compartem revocantem, si et ipse postea lapsus fuerit ?

Resp. *Neg., probabilius.* Ratio est, quia primus adulter per judicis sententiam jam omnino spoliatus fuit omni jure erga innocentem.[1]

Quær. 4° *An divortium privata auctoritate fieri valeat ?*

Resp. 1° *Affirm.* quoad *torum*, si gravis subsit causa, ut supra dictum est ; et speciatim ratione adulterii, licet occulti, quia jura Matrimonii in perpetuum conjugi infideli denegari possunt.

Resp. 2° Quoad *habitationem :* 1° *affirm.*, ratione adulterii, etiamsi crimen occultum sit (saltem probabilius, si adulterium sit ex parte fœminæ), quia Christus divortium hac de causa permittendo non distinxit inter adulterium publicum et privatum. Sed ad hoc requiritur ut crimen sit certum, et ex separatione non interveniat scandalum, quod non possit aliter reparari.[2] — Plures tamen dicunt, non esse licitum divortium ob adulterium occultum ; quia non licet adulteri famam prodere. 2° *Affirm.*, etiam ratione periculi vel animæ vel corporis, modo periculum sit in mora, vel pars innocens non possit litigare, aut judicem adire, aut causam facile probare. Ita S. Alph.,[3] de sola loquens sævitia, sed, ut mihi quidem videtur, ob paritatem rationis de quocumque animæ vel corporis periculo intelligendus. Sed expedit in praxi, ut consilium viri prudentis, præsertim confessarii, petatur.

Confessarius vero in hoc valde caute procedere debet. Caveat ne facilius credat uxorum adversus viros querelis ; satagatque, ut eas compescat, et a divortio, in quantum fieri potest, avertat. — Servanda præterea, si qua sint, statuta diœcesana.

CAPUT IV.

DE MATERIA ET FORMA MATRIMONII.

1554. — I. Materia *remota* Sacramenti Matrimonii sunt corpora sponsorum in contractu Matrimonii invicem tradenda.

[1] L. VI. 967. [2] Ib. 968.
[3] Ib. 971.

Materia autem *proxima* est traditio ipsa corporum, quæ per verba aut signa consensum exprimentia perficitur. — Sic *communiter* Theologi.

II. Forma consistit in mutua contrahentium acceptatione verbis aut signis expressa. — Ita pariter *communius.*

Vide Dogmaticos.

CAPUT V.

DE MINISTRO ET SUBJECTO MATRIMONII.

ARTICULUS I.

DE MINISTRO.

1555. — I. Certum est, ad Matrimonii valorem requiri præsentiam Parochi aut delegati, ubicumque Decretum Conc. Trid. circa Matrimonia clandestina rite publicatum est.

II. Etiamsi alicubi hoc decretum Tridentini promulgatum non fuerit, certum est tamen : 1° Ecclesiam semper voluisse, ut sacerdos ad id deputatus Matrimoniis fidelium assisteret ; 2° Parochum non posse assistentiam suam in nuptiis fidelium omittere ; eumque obligari ad benedictionem impertiendam juxta ritum in loco proprio receptum ; 3° Peccare graviter fideles, qui Matrimonium clandestine ineunt. Id evincitur ex Trid.[1]

III. Hodie, quidquid nonnulli juxta obsoletam opinionem antea dixerint, *certum* est etiam, ac, juxta Adnotatorem Gury,[2] *Fidei proximum*, ministros Matrimonii ipsos esse contrahentes. Argumenta vide, si lubet, apud citatum Adnotatorem.[3]

1556. QUÆSITA. — Quær. 1° *An Parochus assistere possit Matrimonio eorum, qui sunt publici peccatores ?*

Resp. Vide n. 1231. q. 4°. Ea enim, quæ ibi dicuntur de illis, qui *notorie* in censuras inciderunt, valent de cujusque generis publicis peccatoribus. — Exceptio autem affirmativa, *si gravia inde damna imminere videantur*, a S. Pœnitentiaria, juxta S. Alphonsi doctrinam, apposita firmat regulam generalem assistentiam denegandi.[4]

[1] Sess. 24. de Ref. Matr. c. 1.
[2] Ed. Rom. 1873. T. II. p. 644 (E).
[3] Ib.
[4] Vind. Ed. 2ª. T. II. p. 607.

Minor esset difficultas, si unus e sponsis esset innocens, aut in meliorem vitam mutatus; quia tunc liceret Parocho Matrimonio assistere in favorem innocentis. — Cfr. dicta n. 1544.

Quær. 2° *Quid servandum sit circa nuptiarum benedictionem?*

Prænot. Distinguenda est benedictio nuptialis, quæ unice in Missa confertur, a benedictione annuli, aliisque ritibus, qui exprimuntur in Rituali. Quo prænotato:

Resp. 1° In contrahendo Matrimonio ritus in Rituali descripti *semper* locum habent. Vide *Excerpta ex Rit. Rom.* Baltim. 1872. p. 204–212; Ed. 1874, p. 196–204.

Resp. 2° "Vehementer," aiunt Patres Conc. Pl. Balt. II.[1] "*hortamur* pastores, ut praxim benedicendi Matrimonia *intra Missam* ubique introducant."

Resp. 3° *Quando* et *quibus* benedictio, quæ unice in Missa confertur, dari; — item *quando, quo modo*, et *pro quibus* Missa hæc celebrari — extra *tempus clausum*,[2] possit, vide eadem *Excerpta* Ed. 1872. p. 212–214; Ed. 1874. p. 204–206.

His adde: 1) Dummodo de primis nuptiis agatur, dari potest benedictio nuptialis in Missa, quamvis mulier gravida sit, vel filios genuerit, sive ex legitimo Matrimonio sine tali benedictione contracto, sive ex fornicatione ipsa conceperit, vel etiam filios genuerit, ac de præsenti Matrimonium contrahatur. Constat ex resolutione S. Congregationis de Prop. Fide diei 5 junii, 1841.

2) Prohibetur et reprobatur usus veli albi explicandi super sponsa. S. R. C. 7 sept. 1850 in Rupell.

Quær. 3° *Quid Parocho sit agendum, si omnia jam parata sint ad nuptias et ex sponsorum Confessione impedimentum occultum adesse deprehendat?*

Resp. 1° Si agatur de impedimento, in quo S. Sedes dispensare consuevit, — nuptiæ differri nequeant sine periculo infamiæ, aut aliis gravissimis incommodis, — et pœnitens versetur in impedimenti ignorantia invincibili, omittenda est monitio, et permittenda est Matrimonii celebratio, donec dispensatio aut sanatio in radice obtineatur.[3]

[1] a. 333. [2] Conc. Pl. Balt. II. p. 310. § fin.
[3] L. VI. 613.

Resp. 2° Si pœnitens sit in ignorantia vincibili, aut si aperte cognoscat impedimentum, nec sine infamia aut scandalo differri possit Matrimonium, ne ad dispensationem quidem ab Episcopo obtinendam, tunc maxima est difficultas. — Juxta sententiam, quam S. Alph.[1] non infundatam dicit, posset confessarius, seu Parochus declarare, legem Ecclesiæ de impedimentis non obligare in tantis angustiis, et ad Matrimonii celebrationem procedere. Attamen quamprimum, saltem ad cautelam, dispensationem postulare deberet. — Juxta alios, et, ut videtur, etiam juxta S. Alph.,[2] permitti posset simulatio contractus Matrimonii cum proposito quamprimum dispensationem ab impedimento petendi. Tunc vero non modica exurget difficultas ratione periculi incontinentiæ, nisi forte eadem die dispensatio tempestive haberi possit. Quoties vero adiri potest Episcopus, adeundus est, quia, juxta sententiam communem, in eo casu ab impedimentis Ecclesiasticis dispensare potest.[3] — Alii alias præterea excogitarunt vias, quas vide, si lubet, apud Feije.[4]

Omnis difficultas cessaret in praxi, si Episcopus facultatem, quam pro ejusmodi casu habet, et quam, utpote ordinariam seu a jure delegatam (n. 154. 2°), juxta *probabilem* et *communem* sententiam,[5] generaliter communicare potest, delegaret omnibus sacerdotibus pro cura animarum laborantibus.

ARTICULUS II.

DE SUBJECTO MATRIMONII.

1557. PRINCIPIA. — I. Subjectum *Sacramenti* Matrimonii est omnis homo baptizatus, nullo impedimento, sive naturali, sive divino, sive canonico laborans.

Dixi: 1° *omnis homo* BAPTIZATUS; homines enim non baptizati non sunt capaces Sacramentorum Ecclesiæ, ut patet. Dixi: 2° *nullo impedimento laborans;* licet enim *per se* omnis homo bap-

[1] H. A. Tr. XVI. 114.
[2] L. VI. 62. III. H. A. Tr. XVIII. 29. Exam. Ord. n. 17.
[3] L. VI. 613. Cfr. Vind. p. 807 sq. Ed. 2ª. T. II. p. 471 sq.
[4] De Imp. n. 640 sq.
[5] L. VI. 613. 1122.

tizatus sit subjectum capax Sacramenti Matrimonii, *per accidens* tamen plures a Matrimonio valide contrahendo arcentur propter diversa impedimenta, tum juris naturalis, tum juris divini, aut ecclesiastici, ut infra suo loco dicetur.

Hinc: 1) Matrimonium infidelium, licet validum esse possit in ratione contractus, non tamen est Sacramentum. Imo fidelis ipse contrahens Matrimonium cum infideli, etiam ex Papæ dispensatione, juxta communem sententiam contra paucos, Sacramentum non recipiet. Etenim signum unionis Christi cum Ecclesia, gratiam sacramentalem conferens, neque in unione viri, neque in unione mulieris, sed in unione utriusque consistit.

2) Hæretici et schismatici, qui ineundo Matrimonium leges Ecclesiæ, quæ ad Matrimonii substantiam pertinent, accurate et integre servant, valide contrahunt et Sacramento muniuntur, cum nihil sit, quod valori hujus Sacramenti obstare possit. Hoc ipsum confirmat praxis Ecclesiæ, quæ nullimode eos adigit ad renovandum consensum, si resipiscentes ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem redeant. — Ita *omnes*.

II. Sponsi, Matrimonium contrahentes, in statu gratiæ versari debent, quia Matrimonium est Sacramentum *vivorum*. Qui contrahunt peccato mortali coinquinati, rei sacrilegii evadunt, nec gratias sacramentales sponsis necessarias percipiunt. *Verius* tamen illæ gratiæ sunt tantum suspensæ, et, remoto obice seu peccato mortali, animæ applicantur, uti diximus n. 1242. — Pro praxi, si nullus fructus ex monitione speretur, fere melius erit indignum non monere de sacrilegio indigne accedentis, ut saltem sic minus peccet; et potius inducendus erit, ut saltem quamprimum ad confitendum accedat.

1558. QUÆSITA. — **Quær.** 1° *An Parochus exigere debeat, ut præmittatur Confessio Matrimonio, vel ut libellus Confessionis a sponsis exhibeatur?*

Resp. Vide dicta n. 1544.

Quær. 2° *An liceat Matrimonium inire cum publico peccatore?*

Resp. Affirm., si 1) nequeat sine gravi incommodo a Matrimonio recedere, et 2) non agatur de nominatim excommunicato. Ratio primi est, quia est cooperatio tantum materialis et ex causa proportionata; ratio secundi, quia cum ejusmodi non licet communicare in Sacris.[1] Exceptionem quoad nominatim excommunicatum vide n. 1243. q. 5°.

CAPUT VI.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

1559.— Impedimenta Matrimonii sunt: 1° *dirimentia* vel *impedientia*; 2° *juris divini* (sive *naturalis*, sive *positivi*) vel *ecclesiastici*; 3° *absoluta* vel *relativa* (respectiva); 4° *antecedentia* vel *supervenientia*; 5° *publica* vel *occulta*.

1560. — Impedimentum *dirimens* dicitur, non ideo quod verum Matrimonium dirimat, sed quia efficit, ut irritus sit actus, quo quis, eo subsistente, Matrimonium de facto inire aggrederetur. — Impedimenta *impedientia* non invalidum, sed illicitum reddunt Matrimonium.

1561. — Impedimenta *juris divini* NATURALIS pressius ab ipsa rei substantia repetuntur; talia autem certo sunt defectus consensus, impotentia, et conditiones substantiæ Matrimonii adversantes. — Juris divini positivi, et juris ecclesiastici impedimenta sunt, quæ *expressam* legislatoris sive divini, sive ecclesiastici voluntatem pro causa habent. Juris divini positivi communius dicitur impedimentum *ligaminis*, quod tamen ita prope est connexum cum jure naturæ atque ab eo derivatur, ut juris naturæ potius sit dicendum. Communissime quoque docetur impedimentum *consanguinitatis in primo gradu* LINEÆ RECTÆ esse juris naturæ; de aliis nonnullis disputatur, ut suo loco videbimus; sed reliqua impedimenta fere omnia certo sunt juris ecclesiastici.

In consensum naturalem longe alius est effectus impedimenti juris naturalis vel divini, quam impedimenti juris ecclesiastici. Quando ipse consensus deest, de effectu consensus naturalis sermo esse nequit. Si vero agatur de alio impedimento juris naturæ vel divini, consensus quidem naturalis exstat, sed per impedimentum ita radicitus inficitur, ut vim nullam umquam possit habere, et nullus sit quoad omnem effectum, etiam futurum, quia, aut

[1] L. III. 60. L. VI. 55.

est contra substantiam Matrimonii, aut non est in terris potestas, quæ effectum ei tribuere possit. Sed quando impedimentum est juris ecclesiastici, nullum quidem effectum habet consensus naturalis dum præstatur, sed potest, si perseveret, effectum habere postea, quando per potestatem competentem determinato quodam modo, postea a nobis indicando, tollitur impedimentum.

1562. — Impedimenta *absoluta* aliquem inhabilem reddunt respectu omnium; *relativa* (respectiva) respectu certarum tantum personarum.

1563. — Impedimenta *antecedentia* existunt ante Matrimonii celebrationem; *supervenientia* oriuntur eo contracto. Vis quidem dirimendi impedimento regulariter non est nisi Matrimonium antecedat; si tamen superveniat, notabiles quosdam, licet diversos, effectus habet. Tres tantum casus sunt, in quibus Matrimonium valide contractum dissolvitur, — professio religiosa per vota solemnia emissa Matrimonio nondum consummato; dissolutio Matrimonii non consummati facta a Rom. Pontifice, et casus Apostoli. Attamen impedimentum superveniens in diversis aliis casibus valde notabiles effectus habet, e. g. privationem juris petendi vel reddendi debitum conjugale, vel privationem utriusque.

1564. — Impedimenta *publica* et *occulta*. Maxime notanda est hæc partitio pro dispensationibus. — Brevitatis causa, pro praxi, publicum dicimus, quod nullo modo est occultum. Quare sola quæstio, pro praxi, est, quid hic dicatur *occultum*.

Occultum duplex est, scil. *omnino occultum* et *quasi-occultum*, seu occultum sine addito. — *Omnino occultum* est illud, quod per duos testes probari non possit,[1] seu quod uni tantum præter partes et confessarium notum est. — *Quasi-occultum* est quod *paucis* est notum. At *quot* veniunt nomine *paucorum?* Respondeo attendendas esse circumstantias, præcipue vero sequentes:

1° *Locus*, cujus ratione occultum dicitur quod in oppido sex, in civitate septem vel octo tantum personis notum est. Quin et S. Alphonsus scribit se scire S. Pœnitentiariam, quæ in *occultis* tantum dispensat, dispensasse in impedimento consanguinitatis noto decem circiter personis.

2° *Periculum probabile, seu timor prudens*, ne res ad forum externum deferatur aut divulgetur. "Hinc," recte ait Reiffenstuel[1] "in praxi omnino attendi debet, non tantum *quot* personis, sed etiam *qualibus* impedimentum sit notum, quia bene fieri potest, ut respectu quinque prudentum et timentium Deum, qui impedimentum norunt, prorsus nullum sit periculum ulterioris divulgationis, et econtra respectu duorum vel trium, v. g. garrulorum, aut inimicorum, etc. divulgationis periculum revera adesse videatur, præsertim, si etiam aliæ circumstantiæ tale periculum minentur.

3° *Modus, quo factum, ex quo impedimentum oritur, cognoscitur;* nam factum publicum, quod non innotuit ut *criminosum*, non impedit, quominus impedimentum censeatur occultum.[2] Casus foret e. g. in impedimento criminis ex homicidio consulto patrato, sed quod populus judicat fortuito patratum. — Si vero crimen sit publicum, sed omnes fere ignorant pœnam ei impositam vel impedimentum ei annexum, alii id occultum esse negant; alii, ut S. Alphonsus,[3] affirmant. Sanctus vero Doctor unice videtur inniti doctrinæ Ben. XIV., quem sententiæ affirmanti adhærentem supponit; verum Ben. XIV. sententiam non suam, sed aliorum, exponit loco a S. Alph° citato, scil. *Inst. Eccl.* 87. n. 42; suam vero n. 48, negantem nimirum, cui praxis S. Pœnitentiariæ, Benedicti saltem tempore, conformis erat. — Forte S. Doctor *postea* a S. Pœnitentiaria dispensationem in hujusmodi impedimento obtinuit, ita ut affirmare potuerit,[4] eam ab hoc S. Tribunali impetrari posse, quamvis regulariter non concedatur, nec data censeatur per clausulam ordinariam: *dummodo sit occultum.*

4° *Natura ipsius impedimenti;* nam, si ipsa suî natura sit publicum, ut consanguinitas, affinitas ex copula licita et cognatio spiritualis, licet *per accidens* foret occultum, publicum censetur quotiescumque agitur de Matrimonio *contrahendo*.[5]

[1] L. VI. 1111.

[1] Append. de disp. super imped. (ad calcem L. IV.), n. 46.
[2] Ben. XIV. Inst. 87. n. 48.
[3] L. VI. 1111 in fine.
[4] Ib et II. A. Tr. XVIII. 77.
[5] Feije, de Imp. n. 97.

ARTICULUS I.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONIUM IMPEDIENTIBUS.

1565. — Quatuor hodie numerantur impedimenta Matrimonium impedientia, nempe 1° Prohibitio Ecclesiæ variis de causis facta. 2° Item Ecclesiæ prohibitio, ne determinato quodam tempore Matrimonii solemnitates celebrentur. 3° Contractus sponsalitius cum alia persona jam initus, nec legitime solutus. 4° Votum, quod ex natura sua in contractu aut societate conjugali servari nequeat. Quatuor hæc versiculo sequenti comprehenduntur.

Ecclesiæ vetitum, tempus, sponsalia, votum.

De singulis pauca subjicere satis erit.

I. *Ecclesiæ vetitum.*

1566. — Est prohibitio sive particularis, sive generalis, ab Ecclesia facta aut ab aliquo Superiore ecclesiastico, ne aliquod Matrimonium celebretur.

1° Prohibitio particularis habetur, quando justa et speciali de causa Matrimonium alicui interdicitur, sive a Parocho, sive ab Episcopo: v. g. quia suspicio *probabilis*[1] impedimenti dirimentis exorta est. Probabilis autem hic erit suspicio, si adsit *vel* fama, qualis et graves cordatosque viros movet, *vel* testis unicus, juratus tamen et non de solo auditu; hic tamen sufficit, si agatur de impedimento consanguinitatis et adsit alius testis de certa scientia, etiam non juratus.[2]

2° Prohibitio generalis in triplici præsertim casu habetur, scilicet 1° ne contrahatur Matrimonium inter hæreticum et Catholicam, et vice versa; 2° ne contrahatur sine bannorum proclamatione; 3° ne contrahatur sine consensu parentum debite requisito. De bannis jam supra dictum est, n. 1533; item de consensu parentum n. 1548. q. 8. 9. De impedimento autem mixtæ Communionis dicemus infra.

II. *Tempus.*

1567. — Est determinatum aliquod per decursum anni tempus, quod *feriatum* vel *clausum* dicitur, et quo Ecclesia *solemnitates* nuptiarum vetat. Trid.[1] Tale autem nunc est tempus, quod fluit a prima Dominica Adventus usque ad Epiphaniam *inclusive*, et a die Cinerum usque ad Octavam Paschatis item *inclusive*.

Cæterum Trid. solas nuptiarum *solemnitates* præfato tempore prohibet, nimirum sponsos benedicere, sponsam cum strepitu domum deducere, convivia nuptialia solemniora instruere. Non autem vetat Parocho sponsos privatim conjungere, licet variis in locis propter consuetudinem, vel per constitutiones Episcopales, — extra casum urgentis necessitatis vel dispensationis Ordinarii, — id etiam prohibeatur.

III. *Sponsalia.*

Vide n. 1529. II.

IV. *Votum.*

Quadruplex distinguitur votum Matrimonium impediens, nempe 1° votum castitatis; 2° votum non nubendi; 3° votum ingrediendi Religionem; 4° votum Ordines Sacros suscipiendi.

1568. — I. *Votum castitatis.*

1° Qui tale votum emisit, peccat graviter Matrimonium iniens *cum intentione illud consummandi*, quia votum infringit.

2° Peccat etiam graviter, *seclusa hac intentione*, quia exponit se periculo vel votum, vel jus alterius conjugis violandi.

3° Contracto Matrimonio, nec petere, nec reddere potest debitum, labente primo bimestri, quia ex privilegio divino conjuges hoc tempore ab obligatione conjugalis debiti eximuntur, juxta dicta supra n. 1551. 2°. Elapso autem hoc tempore, potest quidem debitum reddere et alterius juri satisfacere, non tamen petere sine dispensatione a voto, aut sine voti irritatione ab altero conjuge facta.

4° Debet omnino abstinere, si alter consentiat, vel jus petendi amiserit, v. g. ob adulterium vel incestum. Quod si ægre abstinere potest, dispensationem quamprimum postulare aut prædictam irritationem ab alio conjuge quærere debet.

5° Si alter conjux moriatur, ad novas nuptias convolare nequit, nisi dispensatio-

[1] L. IV. Decr. T. III. c. 3.
[2] L. V. 257. I.

[1] Sess. 24. c. 10. de Ref. Matr.

nem a voto suo etiam ad hunc effectum impetraverit. — Lacroix.[1]

1569. — II. *Votum non nubendi, seu votum virginitatis.*

1° Qui voto isto emisso Matrimonium contrahit, graviter peccat, ut manifestum est.

2° Contracto Matrimonio, reddere atque etiam petere potest debitum, quia jam impossibilis facta est voti observatio. — Si autem stricte *virginitatem* vovit, nequit *prima vice* petere.

3° Ob eandem rationem (quia scil. observatio voti impossibilis facta est) mortuo conjuge novum Matrimonium saltem probabiliter contrahere potest. — Excipit Heiss,[2] cum Instr. Eyst., si votum fuit non nubendi, cui assentimur, quia ratio impossibilitatis pro eo non militat.

In praxi dubium est quandoque, an quis virginitatem seu cælibatum, vel potius castitatem voverit. Interrogandus erit pœnitens, an intentione se ab *oneribus* Matrimonii liberandi sanctiusque Deo serviendi ductus fuerit, vel *unice amore et affectu puritatis :* in primo casu cælibatum et virginitatem, in secundo autem vere castitatem vovisse censendus est. — Lacroix.[3]

1570. — III. *Votum ingrediendi Religionem.*

1° Qui tale votum emisit, peccat graviter Matrimonium ineundo, tum quia alterum decipit, tum quia se exponit periculo votum violandi.

2° Ante Matrimonii consummationem tenetur Religionem ingredi ; ideoque mortaliter peccat, quando prima vice, sive petendo, sive reddendo debitum, Matrimonium consummat ; quia votum adimplere debet, quando potest. Illud autem adimplere potest non consummando Matrimonium in primo bimestri, cum tunc ex privilegio divino possit quilibet Religionem ingredi, et altera pars, conjuge solemniter profitente, a vinculo Matrimonii liberetur, juxta superius dicta n. 1551. 2°.

3° Post consummatum Matrimonium potest petere et reddere debitum, quia executio voti facta est impossibilis, et petitio actus conjugalis non est contra illius votum, cum non voverit *castitatem*, sed *Religionem.*

4° Etiam consummato Matrimonio, per se tenetur Religionem ingredi, quoties, illæso compartis jure, id potest, v. g. si alter consentiat, vel jus petendi debitum amittat in perpetuum, aut si Matrimonium per mortem solvatur ; quia obligatio voti semper subsistit. In praxi autem in hisce casibus magis expedit, ut ad dispensationem recurratur, nisi tamen circumstantiæ, ratione *ætatis, prolis forte ex Matrimonio susceptæ, status fortunarum, habilitatis quoque ad munia religiosa,* ita sint immutatæ, ut materia voti *certo* impossibilis facta sit.

1571. — IV. *Votum suscipiendi Ordines.*

1° Qui votum illud emisit, peccat graviter Matrimonium ineundo, ut in comperto est.

2° Tenetur Ordines suscipere, si possit, v. g. si obtineat consensum alterius. Juxta plures tenetur Religionem ingredi ante Matrimonii consummationem, etiam invito altero, ut votum adimplere possit. Sed alii *probabilius* hoc negant.

3° Inito Matrimonio, potest illud consummare, si votum amplius adimplere nequeat.

1572. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quinam dispensare valeant in impedimentis impedientibus ?*

Resp. 1° Nemo dispensare potest, ne Summus quidem Pontifex, ab impedimento ex validis sponsalibus orto, cum hac in re de stricto justitiæ debito agatur. Idem dicendum de necessitate consensus parentum, quæ a jure naturali repetenda est ; hæc tamen naturaliter cessat, si parentes injuste dissentiant.

Resp. 2° Episcopi, seu *ordinarii* animarum *Pastores,* jurisdictione plena in foro externo gaudentes, dispensare possunt, 1° in obligatione bannorum ; 2° quoad *contractum* (non vero quoad *solemnem* benedictionem) Matrimonii per tempus feriatum, ubi *consuetudo* vel *constitutio particularis* hunc quoque interdicat ; 3° in voto castitatis temporaneæ, et virginitatis ac non nubendi.

Nequeunt autem dispensare 1° quoad votum perpetuæ castitatis ; 2° quoad votum ingrediendi Religionem ; 3° quoad impedimentum mixtæ Communionis. Hoc enim triplex impedimentum Papæ reservatum est. — Episcopi autem nostri in

[1] n. 357. [2] § 18. III. 4).
[3] n. 358.

1° et 2° (p. LXX. n. 4), et, si de contrahendis Matrimoniis quibus aliud impedimentum dirimens non obstet, agatur, etiam in 3° (p. LXXIV. n. 4. 5) dispensare possunt.

Resp. 3° Quid possint Regulares, vide n. 1203. I. 2°. 3°.

Quær. 2° *An Episcopus, urgente necessitate, nempe cum periculum est in mora, dispensare possit in voto castitatis perpetuæ ad Matrimonium contrahendum?*

Resp. Affirm., dummodo vere adsit illud periculum, nec aditus ad Pontificem facile pateat.[1] Cæterum quæstio quoad Episcopos nostros inutilis est, ut patet ex dictis in quæsito superiori.

ARTICULUS II.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

Agendum 1° de impedimentis dirimentibus in genere; 2° de impedimentis dirimentibus in specie; 3° de dispensatione ab hisce impedimentis.

§ I. *De impedimentis dirimentibus in genere.*

1573. Principia. — I. Ecclesia potestatem habet constituendi impedimenta Matrimonium non tantum impedientia, sed et dirimentia. De fide est. — Argumenta vide apud Dogmaticos.

II. Ecclesia *sola* impedimenta Matrimonii dirimentia constituere potest, et consequenter Principes *sæculares* quoad subditos christianos non possunt *constituere impedimenta*, nisi ad meros effectus civiles. Vide pariter Dogmaticos.

III. Subjectum impedimentorum dirimentium juris divini, sive naturalis, sive positivi, sunt omnes homines; juris ecclesiastici omnes baptizati, excepta clandestinitate in aliquibus casibus. — Vide n. 109. 110.

1574. Quæsita. — Quær. 1° *An legislator civilis possit constituere impedimenta Matrimonium* infidelium *dirimentia?*

Resp. Affirm., cum sententia communiori. Ratio est, quia Matrimonium infidelium est contractus *naturalis*. Hujus sententiæ etiam videtur esse S. Alph.,[1] licet quæstionem non ex professo tractet. — Inter recentiores tamen negantem sententiam sequuntur Martin, Perrone, Feije,[2] hac innixi ratione, quod infidelium etiam Matrimonium contractus *sacer* sit, cum contractibus profanis non comparandus.

Quær. 2° *An impedimentum invincibiliter ignoratum irritet Matrimonium cum illo contractum?*

Resp. Affirm. Ratio patet ex dictis n. 182. q. 2.

Quær. 3° *An incurrantur*, licet ignorata, *ea quoque impedimenta, quæ videntur habere rationem pœnæ, ut impedimentum criminis?*

Resp. Affirm. Ita *communius* cum Lacroix.[3] Ratio est, quia illa impedimenta *non unice* habent rationem pœnæ; et consequenter semper incurruntur, quamvis ignorantia excuset a pœna juxta communem sententiam, ubi agitur de lege mere prohibente. Cfr. n. 182. q. 2°. §. *Excipe tamen.* — Negant tamen alii rationibus non despiciendis innixi. Cum tamen probabilitas, si qua ex iis exurgit, non *universe* aut *certe* probatur, negans sententia, juxta dicenda q. 5°. R. 1°, in praxin deduci nequit.[4]

Quær. 4° *An leges Ecclesiæ constituentes impedimenta dirimentia urgeant etiam in casu gravissimi incommodi, v. g. periculi mortis, etc.?*

Resp. Affirm. Rationem vide n. 182. q. 3°. — Recole tamen etiam dicta n. 1556. q. 3°.

Quær. 5° *An liceat contrahere Matrimonium cum impedimento dubio, seu probabili?*

Resp. 1° *Affirm.*, juxta sententiam *communem*, in dubio seu *probabilitate Juris ecclesiastici*, dummodo probabilitas illa sit *universe* vel *certe* ab Auctoribus recepta. Ratio est, quia, si forte impedimentum reipsa adesset, Ecclesia supplere censetur defectum contractus de Jure Canonico irriti, sicut et jurisdictionis defectum supplet, quoties communiter Doctores tenent eam supplere jurisdictionem in Sacramento Pœnitentiæ, ubi communis error intercedit.

[1] L. VI. 987.

[1] L. VI. 956. § certum est 2. et n. 981.
[2] De Imp. n. 67.
[3] n. 525.
[4] Vind. p. 792. 1). Ed. 2ª. T. II. p. 452. col. 2 (1).

dit (n. 60. I.). Porro opinio, docens Ecclesiam supplere etiam in præsenti casu de dubio impedimento, generaliter ut probabilis, et juxta plures ut moraliter certa, recepta est ab innumeris Doctoribus, qui ei suffragantur.[1]

Resp. 2° *Neg.*, si agatur de probabilitate *juris divini*, sive positivi, sive naturalis, v. g. in impedimento ligaminis, vel impotentiæ; quia tunc Ecclesia defectui probabili supplere nequit, cum impedimentum illud ab Ecclesia non pendeat. Matrimonium igitur sic contractum dubium remaneret; ac proinde non licet unquam Sacramentum cum tali dubio recipere. Ergo. Casus dari potest cum pristinis mancipiis, "quæ pluribus inter se connubiis aliquando" conjungebantur, "eo tamen pacto, ut non" constaret "aliquod verum connubium ab iis initum. Dicit S. Alphonsus,[2] soli Pontifici licere jus divinum hac in re explicare, in specialibus rarisque rerum adjunctis."[3]

Resp. 3° *Neg.* etiam, si agatur de probabilitate *facti*. Ratio est, quia Ecclesia in hujusmodi probabilitate non præsumitur dispensare. Opinio autem contraria communiter non est recepta, ut probabilis; et aliunde nimia sequerentur incommoda, si, contracto Matrimonio, error detegeretur. — Ita *communiter*.[4] — Cæterum in casibus difficilioribus et implicatis Episcopus consulatur. — In dubio autem de impedimento *impediente* simpliciter principia Probabilismi applicentur.[5]

Quær. 6° *An liceat conjugibus uti Matrimonio, si post nuptias initas dubium probabile de aliquo impedimento oriatur?*

Resp. 1° *Neg.*, donec facta fuerit inquisitio sufficiens de veritate. Si tamen unus tantum dubitet, quamvis non possit debitum petere, debet tamen illud reddere alteri in bona fide petenti, et petendi jure non carenti, ut in primo bimestri, etc.[6]

Resp. 2° *Affirm.*, si, adhibita seria diligentia ad veritatem detegendam, dubium adhuc remaneat; quia in dubio standum est pro valore actus. — Excipe, si dubia remaneat mors prioris conjugis, quo casu pars dubitans non potest *petere* debitum.[1] "Quando vero," ait Kenr.,[2] "conversorum ad Fidem nuptiæ bona fide contractæ in dubium revocantur ob prius ligamen, quod divortio civili solutum est, inquirendum utrum valuerit coram Deo contractus. Quodsi de valore non constet, probabiles rationes, quæ ei adversantur, poterunt sufficere ad eos in bona fide relinquendos, donec rerum veritas in comperto posita fuerit."

Quær. 7° *An valeat Matrimonium contractum cum impedimento putato, sed non existente?*

Resp. 1° Si contrahens non sit omnino certus de impedimento, sed aliquo modo dubitet de illo, validum est Matrimonium. — Ita *communiter* cum Lacroix.[3] — Ratio est, quia contrahit saltem conditionate, nempe *in quantum possum*, quamvis ad conditionem illam non reflectat: ergo, non existente impedimento, consensus jam adest absolutus.

Resp. 2° Si contrahat cum certitudine impedimenti, quod parvi pendet, ita ut statuat vivere in concubinatu, certum est, invalidum esse Matrimonium. Ratio est, quia tunc voluntas contrahendi Matrimonium non est prædominans.

Resp. 3° Si contrahat quidem cum certitudine impedimenti, sed dolens de impedimento et non audens illud aperire, ne impediatur Matrimonium, vel ne infametur, aut ex inadvertentia aliqua, controvertitur. *Probabilius* valet Matrimonium ob voluntatem prædominantem illud contrahendi. — Ita Lacroix.[4] — Attamen *ad cautelam* in praxi inducendus foret ad consensum renovandum.

§ II. *De impedimentis in specie.*

1575. — Impedimenta Matrimonium dirimentia quindecim numerantur, his versibus expressa:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

De singulis seorsim sermonem instituemus.

[1] L. VI. 901. Cfr. Vind. p. 947. Ed. 2ª. T. II. p. 607.
[2] L. VI. 902.
[3] Kenr. Tr. XXI. 51.
[4] L. VI. 902.
[5] Heiss. § 12.
[6] L. VI. 903. 904.

[1] L. VI. 904. 906.
[2] Tr. XXI. 57.
[3] n. 531.
[4] n. 531.

Punctum I. De impedimento erroris et conditionis.

Duplex circa Matrimonium error distinguitur, scilicet: 1° error *substantialis*, qui versatur circa personam; 2° error *accidentalis*, qui personæ qualitates afficit. Conditio autem intelligitur *servilis*, ab altera parte ignorata.

1576. Principia. — I. Omnis error circa *personam* Matrimonium efficit nullum de jure naturali, etiamsi error sit omnino invincibilis, vel concomitans tantum, vel crassissimus.[1] Ratio est, quia ex parte contrahentis tollit voluntarium circa objectum contractus, et proinde, consensu deficiente, contractus est irritus. — Excipe, si quis cum præsente muliere, quæcumque ea demum sit, actualiter contrahere intendat.

II. Error circa *qualitates* personæ, qualiscumque sit, — etiam si dedit causam contractui, — per se non irritat Matrimonium. Ita sententia communis et verior.[2] Ratio est, 1° quia error circa qualitates non cadit in objectum contractus; objectum enim istud est ipsamet persona, cum qua contrahitur, ut modo dictum est; non vero sunt ipsius qualitates; 2° quia in iis, quæ constituunt statum ex natura sua firmum et irrevocabilem, quales sunt Professio et Matrimonium, voluntas juxta naturam rei, de qua agitur, accommodat se et consentit sine restrictione vel conditione, ac omnino absolute et independenter ab aliis conditionibus præter eas, quæ sunt de substantia ejusdem contractus. Ex iis enim conditionibus manerent incerta Matrimonia et Professiones, atque adeo ipse status, quod non est juxta naturam rei de qua agitur.[3] Excipe, nisi vel a) qualitas *explicite*, velut conditio *sine qua non* (ut aiunt) intendatur, vel b) error qualitatis redundet in substantiam, — sive quod erretur in qualitate non jam communi, sed propria et individuali alicujus determinatæ personæ, ut si velles contrahere cum primogenita et tibi sisteretur secundo genita, — sive quod consensus directe et principaliter in qualitatem feratur, et minus principaliter in personam, ut si velles ducere nobilem, qualem putas esse Titiam; non vero si velles ducere Titiam, quam falso putas esse nobilem.[1]

III. Error circa *conditionem servilem* compartis dirimit Matrimonium de Jure ecclesiastico, ut constat ex L. IV. Decr. T. IX.

1577. *Resolves.* — 1° Si quis putet contrahere nuptias cum Anna, et ducat Agatham, invalidum est Matrimonium. Secus, si putans se duxisse puellam nobilem, divitem, virginem, pacificam, e contrario plebeiam, pauperem, corruptam, rixosam eam inveniat.

2° Validum est Matrimonium, si quis ducat viduam putans se ducere cælibem, etiamsi per fraudem in hunc errorem inductus fuerit; nam fraus inducit quidem obligationem reparandi injuriam, non autem efficit, ut consensus non versetur circa substantiam rei, de qua agitur. Imo hoc valet, licet certo contrahere noluisset, si prius eam viduam esse novisset; non enim ad id, quod forte vel etiam certo quis facturus fuisset, sed ad id, quod reapse fecit, attendendum est.

3° Valide contrahit puella nobilis cum viro vago, qui falso se jactat nobilem et bonorum multorum possessorem, idque falsis testimoniis probat. Sed mulier illa non tenetur cum ipso cohabitare, et divortium perpetuum quoad torum et habitationem statim facere potest.

4° Ex quo servi libertate apud nos potiti sunt, de impedimento conditionis quoad Matrimonia inde ab hoc tempore contracta sermo esse nequit; attendi tamen debet, quando agitur de Matrimoniis olim inter liberos et mancipia, quæ errore forte libera habebantur, initis; neque enim sine novo eoque libero (et in locis, ubi viget Decretum Trid. "*Tametsi*," coram Parocho et duobus testibus præstito) consensu firmatur contractus, qui ab initio non substitit. Idem resolve de similibus Matrimoniis in iis Americæ Meridionalis locis initis, in quibus servitus etiamnum viget, dum partes in nostras provincias immigrant. Cæterum rarissimi erunt ejusmodi casus.

De cæteris pristinorum mancipiorum in servitute initis connubiis plerumque difficile judicatur; sæpe enim consuetudinem inter se fovebant, nullo conjugii

[1] L. VI. 1010.
[2] Ib. 1011. 1012.
[3] Ib. 1012.

[1] L. VI. 1013–1016. Acta. T. I. pp. 257. 371 sq.

animo, vel ea sub conditione contrahebant, ut Matrimonium subsisteret tantum, quamdiu uterque rite se gereret, vel donec domini eos separarent, altero nimirum vendito, altero retento, vel utroque diversis dominis vendito. Alias videntur perpetuum voluisse inire consortium; sed utrum vinculo priori liberi tunc essent, vix sciri potest. Si constet eos aliquando serio iniisse conjugium, animo sese in perpetuum obligandi, validum habendum erit: nec ad alias nuptias transire licebit, donec de conjugis prioris morte constiterit. Cæterum plerique eorum contractus non habebant conjugii vim, quum animus vinculi perpetui contrahendi illis deesset, aut conditio, de qua supra, consensui apponeretur. Quapropter qui ad Fidem Catholicam veniunt, vel ad bonam frugem rediguntur, non sunt statim cogendi ut deserant quam conjugis nomine habent, etsi aliæ, cum quibus jam consueverunt, in vivis degant vel de earum morte non constet; sed res diligenter investiganda est.[1]

Punctum II. De impedimento voti et Ordinis.

1578. — I. Votum dirimens Matrimonium est solum votum solemne castitatis perfectæ (et non conjugalis tantum, quale emittitur in quibusdam Ordinibus Equestribus), per professionem in Religione approbata emissum. Votum enim simplex castitatis, etiam perfectæ et perpetuæ, Matrimonium non dirimit, sed tantum impedit, juxta dicta n. 1568.

II. Ordo autem, Matrimonium dirimens, est Ordo Sacer. De utroque hoc impedimento loquitur Concil. Later. I. et II. ac Trid.[2]

III. Votum castitatis solemne in Professione religiosa emissum, atque Ordo Sacer diversimode Matrimonium dirimunt. Illud enim Matrimonium dirimit tum contrahendum, tum etiam contractum,[3] dummodo fuerit tantummodo ratum; non vero consummatum. Ordo vero dirimit Matrimonium contrahendum;[4] non vero contractum, licet tantum ratum.[5]

[1] Kenr. Tr. XXI. 141.
[2] Sess. 24. Can. 9.
[3] Ib. Can. 6.
[4] Ib. Can. 9.
[5] Extr. Joan. XXII. T. VI. c. unic.

1579. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quonam jure prædicta impedimenta Matrimonium dirimant?*

Resp. 1° Impedimentum *Ordinis* juxta sententiam communem dirimit tantum Jure ecclesiastico. Ratio est, quia ex una parte Ordo *per se* non repugnat cum statu conjugali; nec adest ex altera parte prohibitio ulla divina, quæ in Scripturis aut in traditione inveniatur.[1]

Resp. 2° Cum solemnitas voti sit Juris ecclesiastici, eo ipso Papa dispensare potest, dummodo adsit causa sufficiens, i. e. rei gravitati proportionata.

Quær. 2° *Quænam conditiones requirantur, ut votum solemne et Ordo Matrimonium dirimant?*

Resp. 1° Quoad *votum*, debet esse emissum in Professione valida (n. 1159. I.).

Resp. 2° Quoad *Ordinem*, requiritur: 1° ut sit susceptus valide; 2° ut sit susceptus voluntarie. — Ita *omnes*.

Punctum III. De impedimento cognationis.

Cognatio triplicis generis distinguitur, scilicet: 1° *naturalis;* 2° *spiritualis;* 3° *legalis*. De singulis seorsim.

SECTIO I.

DE COGNATIONE NATURALI.

1580. — Cognatio *naturalis*, seu consanguinitas, est vinculum personarum ab eodem stipite proximo per carnalem generationem descendentium, quod scilicet exsurgit ex unitate et participatione ejusdem sanguinis.

In consanguinitate tria sunt distinguenda, scilicet: 1° *stipes* seu persona, ex qua aliæ ducunt originem; 2° *gradus*, seu mensura distantiæ unius personæ ab altera; 3° *linea*, seu series personarum ab eodem stipite descendentium.

Linea duplex est: alia *recta*, alia *collateralis* seu *transversalis*. Prior est series personarum, quarum aliæ ab aliis descendunt, vel *immediate*, ut filii a parentibus, vel *mediate*, ut nepotes ab avis, vel a proavis, etc. Posterior vero est series personarum, quæ licet stipitem communem habeant, aliæ tamen ab aliis

[1] L. VI. 1059.

non descendunt, ut sunt fratres, consobrini, etc.

Linea collateralis est *æqualis* vel *inæqualis*, prout consanguinei æqualiter a communi stipite distant, vel inæqualiter.

1581. STATUENDA. — I. Consanguinitas in *linea recta*, saltem de jure positivo, Matrimonium dirimit *indefinite* in quocumque gradu. Patet ex Jure Can. *in Resp. Nicolai I. ad Bulgaros, c.* 37.

II. Consanguinitas in *linea collaterali* Matrimonium dirimit usque *ad quartum gradum inclusive*, et non ultra. Constat ex Conc. Later. IV. et pluribus locis Juris Canonici.

III. Consanguinitas Matrimonium dirimit etiam inter eos, qui tantum vel ex eodem patre, vel ex eadem matre nati sunt; item inter consanguineos ex illegitimis natalibus genitos. Ratio est, quia diversitas patris aut matris, vel illegitimitas, non impedit, quin carnalis consanguinitas inter eos existat.

Regulæ ad gradus consanguinitatis computandos.

1582. — I^a *Regula.* In linea recta *tot numerantur gradus, quot personæ, stipite dempto*, seu tot sunt gradus, quot sunt generationes. Hinc inter patrem et filium unicus est gradus, quia unica est generatio, seu unica filii persona, secluso patre, utpote stipite. Inter nepotem et avum duo gradus numerantur, quia duæ sunt generationes, licet tres interveniant personæ, nempe avus, pater, et ejus filius, seu nepos respectu avi. Ponas pariter proavum vel abavum, et tres vel quatuor gradus habebis.

II^a *Regula.* In linea collaterali ÆQUALI *tot sunt gradus, quot sunt personæ in una parte, stipite dempto.* Hinc frater et soror sunt in primo gradu: quia, si stipes communis seu pater seponatur, remanet unica persona ex utraque parte; et, cum singuli distent uno gradu a stipite, etiam unico gradu inter se distant. Pariter patrueles, seu duorum fratrum filii, distant singuli duobus gradibus a stipite communi, seu ab avo, et proinde consanguinei sunt inter se in secundo gradu. Sic etiam de aliis dicendum est.

III^a *Regula.* In linea collaterali INÆQUALI *tot sunt gradus, quot personæ in parte remotiori*, semper stipite dempto. Hinc si unus distet a communi stipite duobus gradibus, et ejus consanguineus tribus, erunt inter se consanguinei in tertio gradu, juxta effatum: *Gradus remotior trahit ad se propinquiorem.* Igitur Berta consanguinea erit in secundo gradu cum patruo, seu fratre patris sui, quia distat duobus gradibus a stipite communi, nempe ab avo suo, licet patruus ipse unico gradu ab eodem stipite separetur, cum sit stipitis filius, seu frater patris Bertæ. Sic etiam de aliis quibuscumque statuendum.

"In plerisque Statibus Fœderatis," ait Kenr.,[1] "Levitici prohibitiones adoptatæ sunt ex legis civilis" i. e. Romanæ "auctoritate; in aliis intra arctiores limites prohibitio nubendi consistit." Sed hæc valent tantum quoad effectus civiles.

Ad gradus juxta *jus civile*, i. e. Romanum, computandos, desumitur numerus, seu summa omnium personarum in qualibet linea, stipite dempto. Proinde in *linea recta* eodem modo computantur ac gradus canonici: in *linea collaterali æquali* gradus canonici duplicantur; in *linea collaterali inæquali* duplicatur linea minor et additur excessus majoris. Cfr. n. 904. X.

1583. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quo jure consanguinitas in prædictis gradibus Matrimonium dirimat?*

Resp. 1° Certum est, consanguinitatem *in linea recta* jure naturæ Matrimonium dirimere in primo gradu, at *probabilius* juxta S. Alph.[2] non *indefinite* in cæteris gradibus. Cæterum casus, uti patet, a praxi longissime distat.

Resp. 2° *Quoad lineam collateralem*, in primo gradu juxta sententiam, quam S. Alphonsus[3] æque probabilem censet ac oppositam, non dirimit jure divino. In aliis gradibus juxta *omnes* dirimit Jure ecclesiastico, ut deducitur ex praxi Ecclesiæ, quæ ab iis dispensat.

Quær. 2° *Quomodo inveniri facile possint gradus consanguinitatis?*

Resp. 1° Si cognitus sit stipes communis, scribas illius nomen in charta, et

[1] Tr. XXI. 153.
[2] L. VI. 470.
[3] Ib.

infra generationes et nomina personarum hinc et inde descendentium referas, usquedum pervenias ad eas personas, quæ connubio jungendæ sunt : facile inde gradus computabis.

Resp. 2° Si incognitus sit stipes, sic procedas : Scribas in inferiori parte chartæ vel tabulæ nomen sponsi ad unum latus, et nomen sponsæ ad alterum ; dein supra nomen sponsi adnotes nomina eorum consanguineorum, qui forte causa esse possunt, cur aliqua intersit cognatio cum sponsa ; idem facito quoad sponsam. Qua facta adnotatione, ascendas ex una parte, et videas utrum conveniant in communi principio seu stipite, ex quo sponsus et sponsa sint mediate generati. Hinc, postquam inveneris, simulque animadverteris, utrum sponsi sint in linea æquali vel inæquali, applices tandem regulas infra proponendas, et resolutio dubii patebit. Pro quibus sit sequens exemplum :

ABAVUS.
Didacus Johnson.

PROAVIA.	PROAVUS.
I. *Julia Johnson.* *Uxor Titi Harvey.*	I. *Arthur Johnson.*
AVUS.	AVUS.
II. *Mævius Harvey.*	II. *Maurus Johnson.*
PATER.	PATER.
III. *Paulus Harvey.*	III. *Hector Johnson.*
SPONSUS.	SPONSA.
IV. *Petrus Harvey.*	IV. *Maria Johnson.*

In hoc exemplo *Petrus Harvey* et *Maria Johnson* sunt consanguinei in quarto gradu æquali. Si vero *Maria Johnson* immediate descenderet a *Mauro Johnson*, *Arthur Johnson* esset ejus avus et *Didacus Johnson* ejus proavus, et proinde consanguinei forent in *quarto gradu* quidem, sed *attingente tertium*.

Alia etiam methodus indicatur ad gra-

☞ 1° *Ex parte patris.*

PROPATRUUS, seu frater proavi,	great-grandfather's brother, great grand-uncle,
PROAMITA, seu soror proavi,	great-grandfather's sister, great grand-aunt,
PATRUUS MAGNUS, frater avi,	grandfather's brother (great uncle),
PROAMITA, soror avi,	grandfather's sister (great aunt),
PATRUUS, frater patris,	paternal uncle, uncle by the father's side, a father's brother,
AMITA, soror patris,	paternal aunt, aunt by the father's side, a father's sister,
PATRUELES, filii fratrum ex parte patris,	cousins-german, first cousins,

2° *Ex parte matris.*

PROAVUNCULUS, frater proaviæ,	great-grandmother's brother,
PROMATERTERA, soror proaviæ,	great-grandmother's sister,
AVUNCULUS MAGNUS, frater aviæ,	grandmother's brother,
MATERTERA MAGNA, soror aviæ,	grandmother's sister,
AVUNCULUS, frater matris,	maternal uncle, uncle by the mother's side, a mother's brother,
MATERTERA, soror matris,	maternal aunt, aunt by the mother's side, a mother's sister,
CONSOBRINI, filii fratrum ex parte matris,	cousins-german, first cousins,

3° *Ex utraque parte.*

AMITINI, filii fratrum,	cousins-german, first cousins, cousins by blood (children of brothers),
SOBRINI, horum filii,	children of cousins-german, second cousins,
NEPOTES, filii fratrum,	a brother's or sister's children, nephews,
PRONEPOTES, horum filii,	children of nephews, second nephews,

dus cognationis dignoscendos, scilicet cum tabella genealogiæ, seu arbore consanguinitatis. Inspice tabellam p. 710, et vide in qua linea, et in quibus cellulis reperias personas, de quarum cognatione quæritur, et attende quot gradibus distent a stipite communi. Exemplum : Quæris v. g. quonam gradu Titius sponsus sit consanguineus respectu Bertæ sponsæ, cum jam scias avum prioris fuisse fratrem proavi posterioris. Pone Titium in cella media N. ; ascende ad ejus avum ; frater ejus ad dexterum latus, in cella ubi notatur patruus, erit proavus Bertæ ; descende per lineam rectam illius numerando avum, patrem et sponsam ipsam ; hinc stipes communis erit ille, qui reperitur in cella tertia superiore lineæ mediæ. Sic numerabis tres gradus ex parte sponsi, et quatuor ex parte sponsæ ; hinc concludes esse consanguineos in quarto gradu attingente tertium.

Finge alia quævis exempla similia, alterutrum e sponsis in qualibet cella sive media, sive ad unum latus supponens, et ad stipitem communem ascendens, ut inde ad alterum sponsum descendas ; sed minime attendas ad nomina, quæ in variis cellis occurrentibus reperies, quia pro cellâ electâ omnia variabunt, ut patet.

Consanguinitas inter easdem personas ex duplici vel etiam multiplici capite oriri potest, et tunc est duplex vel multiplex propinquitas, seu impedimentum in petitione dispensationis aperiendum ; ita v. g. si duo fratres duas fœminas sibi consanguineas ducant, liberi ex utroque Matrimonio provenientes dupliciter inter se consanguinei erunt, et hæc circumstantia necessario declaranda est.

Quær. 3° *Quinam sint consanguinei collaterales ?*

Resp. Sunt sequentes, scilicet : ☞

Urgrossvaters Bruder,	grand oncle.
Urgrossvaters Schwester,	grande tante.
Grossvaters Bruder,	frère de l'aïeul.
Grossvaters Schwester,	sœur de l'aïeul.
Vaters Bruder, Oheim,	oncle paternel.
Vaters Schwester, Tante,	tante paternelle.
Geschwisterkinder von väterlicher Seite,	cousins-germains paternels.

Bruder der Urgrossmutter,	grand oncle.
Schwester der Aeltermutter (Urgrossmutter),	sœur de la bisaïeule.
der Grossmutter Bruder, Grossoheim,	grand oncle maternel.
der Grossmutter Schwester, Grosstante,	grande tante maternelle.
der Mutter Bruder, Oheim,	oncle maternel.
der Mutter Schwester, Tante,	tante maternelle.
Geschwisterkinder von mütterlicher Seite,	cousins-germains maternels.

Geschwisterkinder,	cousins-germains.
Zweit (Ander) Geschwisterkinder,	cousins issus de germains.
Bruder oder Schwestersohn, Neffe,	neveux.
Zweit (Ander) Geschwisterkinder,	arrières-neveux.

GRADUS CONSANGUINITATIS.



NOTA. — 1° Personæ, quæ tractu conjunguntur, sunt inter se in linea recta, cum cæteris in linea collaterali.

2° Ubi lineæ conjunguntur, ibi stipes habetur.

SECTIO II.

DE COGNATIONE SPIRITUALI.

Cognatio spiritualis est propinquitas quædam, quæ ex statuto Ecclesiæ oritur ex administratione et susceptione Baptismi vel Confirmationis inter certas personas in Jure Canonico determinatas.

1584. PRINCIPIUM. — Cognatio *spiritualis* dirimit Matrimonium de *Jure ecclesiastico :* 1° inter Ministrum Sacramenti et subjectum, hujusque genitores ; 2° inter patrinum vel matrinam et filiolam vel filiolum, eorumque genitores. Sic ex Trid.[1] — Conditiones vide n. 1265. II., quibus adde : ex *validо* tantum Baptismo oriri hoc impedimentum, — et, si de Confirmatione agitur, requiri etiam, ut patrinus fuerit confirmatus.[1]

1585. *Resolves.* — 1° Patrinus et matrina Matrimonium inter se inire possunt, non vero cum patre vel matre baptizati.

2° Non contrahunt cognationem spiritualem, qui officium patrini et matrinæ exercent in supplendis Baptismi solemnitatibus, ut conceptis verbis declaravit S. C. de P. F.,[2] nec qui tantum nomine alterius baptizatum de sacro fonte suscipiunt.

3° Contrahunt veram cognationem spiritualem patrini a parentibus designati et injuste a Parocho reprobati, si infantem

[1] Sess. 24. c. 2. de Ref.

[1] L. VI. 151. 186. Dub. 2.

[2] Apud Gury. Ed. Rom. 1873. T. II. p. 452 (*).

reapse tenent; secus, si a Parocho juste rejicerentur.[1]

4° Vir, qui puellam in casu necessitatis et privatim baptizavit, nec ipsam nec ejus matrem ducere potest.[2] Idem dicendum, uti patet, de muliere, quæ privatim puellum baptizaverit.

5° *Probabilius* autem non videntur hanc cognationem contrahere patrini in Baptismo privato adhibiti. Ratio est, quia in Conc. Trid. de iis tantum patrinis, qui in Baptismo solemni adhibentur, sermo est, cum pro Baptismo privato nulli requirantur.[3] Sunt qui contrarium certum affirment ex decisionibus S. C. C.[4]

6° Parentes baptizantes filios in necessitate vel bona fide nullam contrahunt spiritualem cognationem, qua ab usu conjugii prohibeantur; hæc enim prohibitio rationem habet pœnæ, quæ sine culpa non incurritur.[5] Imo *probabilius* nec videntur cognationem contrahere, etiamsi ex industria, seclusa necessitate, prolem baptizarent.[6] Contradicunt alii.[7]

7° Quando Baptismus fuit sub conditione iteratus, nulla quidem difficultas est, si deinde prior Baptismus evadat aut certo validus, aut certo invalidus. Manente autem dubio *positivo*, procedendum est ut in casu impedimenti ecclesiastici dubii, dubio juris.[8] Vide n. 1574. q. 5°. R. 1°.

SECTIO III.

DE COGNATIONE LEGALI.

1586. — Cognatio *legalis* est propinquitas personarum extranearum, quæ oritur ex adoptione legali. Duplex distinguitur adoptio:

1° *Perfecta* seu *adrogatio*, qua persona sui juris, forma legali, transit in potestatem et familiam adoptantis, et omnia filii legitimi jura acquirit.

2° *Imperfecta* seu *adoptio*, qua persona extranea, quæ sui juris non est, assumitur in filium vel nepotem, non tamen transit in adoptantis familiam et potestatem, et propterea non fit hujus hæres necessarius ex testamento, licet ei succedat ab intestato.

Si quæstio incidat, an in hoc vel illo casu adsit impedimentum cognationis legalis, necessario recurrendum est ad leges civiles Status, i. e. toties aderit impedimentum, quoties requisita legum Status ita adsunt, ut simul adsint requisita substantialia Juris Romani.

Principia. — I. Cognatio *legalis* constituit impedimentum dirimens de jure ecclesiastico, quamvis prius in Jure Romano stabilitum fuerit. Eruitur ex *Resp. Nicolai I. ad Bulgaros*, etc.

II. Cognatio *legalis* ad similitudinem cognationis naturalis ex Jure Romano Matrimonium dirimit inter sequentes personas:

1° Quasi in linea recta, inter adoptantem et adoptatum et ejus filios, dum sunt sub paterna potestate constituti; 2° inter adoptatum et filios adoptantis, quasi in linea collaterali, dum hujus filii sub paterna potestate versantur; 3° inter adoptantem et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptatum et uxorem adoptantis, quasi in linea recta per modum affinitatis, ut constat ex declaratione S. C. in Hortana 25 sept. 1734.

1587. Quæsita. — Quær. 1° *An cognatio legalis Matrimonium dirimat usque ad quartum gradum inter adoptantem et descendentes adoptati, aut vice versa?*

Resp. 1° Certo restringitur ad primum gradum quoad adoptatum et descendentes adoptantis. Ex Jure Canonico constat.

Resp. 2° *Controvertitur* quoad adoptantem et descendentes adoptati. *Probabiliter* cognatio non extenditur ultra primum gradum, seu ultra adoptatum, nisi habeat descendentes sub potestate sua constitutos; nihil enim in jure huic decisioni oppositum reperitur.[1]

Quær. 2° *An adoptio imperfecta dirimat Matrimonium?*

Resp. Neg., probabilius cum S. Alph.[2] et aliis *communius*. — Ratio est, quia sola adoptio perfecta censenda est adoptio proprie dicta. — Responsio, a S. Pœnitentiaria die 17 maii 1826 data Vicario Generali Petrocoricensi,[3] nihil evincit contra hanc sententiam, quia petitio non dicebat requisita Codicis civilis Gallici differre ab iis, quæ requirit Jus Romanum.

[1] L. VI. 154.
[2] Ib. 149.
[3] Ib.
[4] Apud Feije. de Imp. n. 413.
[5] L. VI. 150.
[6] Ib.
[7] Apud Feije. de Imp. n. 426. 427.
[8] L. VI. 151.

[1] L. VI. 1027. [2] Ib.
[3] Apud Gury. P. II. n. 809. nota.

Punctum IV. De impedimento affinitatis.

1588.—Affinitas est propinquitas, quam quis contrahit cum consanguineis personæ, quacum carnale commercium habet; seu, est propinquitas orta ex copula carnali inter alterutrum copulatorum et consanguineos alterius. Proinde exurgit affinitas inter virum et consanguineos mulieris, et vice versa.

Potest autem affinitas multiplex contingere cum eadem persona, et totidem tunc constituit vincula necessario exprimenda, ut valeat dispensatio. Causa hujus multiplicitatis varia esse potest. Oritur enim: 1° Quando copula habita est cum pluribus comparti consanguineis: 2° Quando habita est cum persona comparti multipliciter consanguinea: 3° Quando ab utraque parte copula habita fuit cum persona comparti consanguinea: 4° Quando cum persona comparti consanguinea habita fuit copula tum licita, tum illicita.

Verumtamen pro casu, quo ante Matrimonium copula habita fuit cum persona, cum qua dein Matrimonium fuit contractum et consummatum, Sedes Ap. necessitatem duplicem hanc affinitatem exprimendi abstulit litteris 29 martii 1842 singulis Episcopis Belgii communicatis, quas Soglia merito affirmat ubique valere.[1]

Oritur etiam hoc impedimentum ex copula inter senes et steriles; item ex copula cum muliere coacta, suî non compote, amente, etc.; nec per mortem alterutrius dissolvitur.[2]

Hinc: 1° Affinitas oritur tum ex copula *licita*, hoc est, conjugali; tum ex copula *illicita*, nempe ex fornicatione, adulterio, incestu, etc.

2° Affinitas contrahi potest etiam inter ipsos conjuges, si alteruter rem cum aliquo ex consanguineis alterius habeat.

1589. Principia. — I. Affinitas ex *copula licita* dirimit Matrimonium usque ad quartum gradum *inclusive;* ex *copula* autem *illicita* solum usque ad secundum gradum *inclusive*. Evincitur ex Conc. Later. IV. et ex Trid.[3]

II. Affinitas non contrahitur nisi per copulam *perfectam* et *consummatam*, quia secus vir et mulier non fiunt stricte una caro. Consentiunt unaniniter DD. in neganda affinitate, si sola fœmina seminaverit: non item, si seminaverit solus vir; de qua controversia S. Alphonsus[1] concludit, utramque oppositam sententiam esse probabilem, et certum est, S. Thomam pro iis stare, qui exigunt actum utrinque perfectum. Quocirca, cum agatur de impedimento, ex generali principio definiendum foret, rem esse dubiam, ac propterea impedimentum non adesse.

Quoad praxim autem valere debent regulæ, quas et S. Alphonsus[2] habet, nempe, 1° Quando de copula constat, in foro externo semper præsumitur pro impedimento contracto; 2° idem præsumitur etiam in foro interno, quando de opposito non constet, quia judicium prudenter fit ex communiter contingentibus, præsertim si fœmina fateatur magnum voluptatis sensum se expertam, esto seminalem effusionem non adverterit; 3° si certo constet, re ipsa seminationem alterutra ex parte non esse secutam, in foro conscientiæ non potest sententia pro impedimento ferri.

III. Affinitas inter conjuges contracta Matrimonium ipsorum dirimere nequit, cum huic indissolubiliter jam contracto superveniat; ejusdem tamen usum impedit in pœnam conjugis adulteri vel incestuosi. Constat ex pluribus locis Juris Canonici.[3] Hæc autem, utpote ex copula illicita, vi Decreti Trident,[4] non contrahitur, nisi ex copula cum consanguineis alterius in primo et secundo gradu. Confirmatur ex Declaratione expressa Gregor. XIII. apud S. Alph.[5]

Requiritur tamen ut incestus sit: 1) culpabilis; 2) consummatus ut supra II.; 3) non per metum gravem coactus; 4) sine ignorantia, etiam crassa, juris, facti et pœnæ commissus.[6] Ratio generalis est, quia agitur de lege pœnali.

1590. *Regulæ.* — 1ª Personæ, quæ carnaliter conjunguntur, non sunt proprie inter se affines, sed sunt principium affinitatis, et quasi stipitis locum tenent.

2ª Affinitas esse non potest inter duas personas, quarum neutra copulam habue-

1 Feije, de Imp. n. 371. 704.
2 Heiss. § 40. I. 2).
3 Sess. 24. c. 4. de Ref. Matr.

1 L. VI. 1075.
2 Ib.
3 L. IV. Decr. T. XIII c. 1.
4 Sess. 24. c. 4. de Ref. Matr.
5 L. VI. 1070.
6 Ib. 1071–1075.

GRADUS AFFINITATIS.



Nota. — 1° Hæc tabella refert consanguineos viri et mulieris in linea recta usque ad quartum gradum. Lineas collaterales, puta fratres, consobrinos, etc., facile adjicies.

2° Lineæ ab uno centro ad opposita ductæ affinitatem unius exhibent cum consanguineis alterius, et vice versa.

rit cum consanguinea alterius ; idcirco consanguinei unius conjugis nullam habent affinitatem cum consanguineis alterius.

3ª Duo fratres ducere possunt duas sorores ; pater et filius ducere possunt matrem et filiam ; imo filius potest ducere matrem, et pater ejusdem filiam. Hinc hodie axioma : *Affinitas non parit affinitatem.*

4ª Gradus affinitatis eodem modo computantur, ac gradus consanguinitatis ; imo affinitas gradus non habet *per se*, sed tantum ratione consanguinitatis ; qualis igitur est gradus consanguinitatis cum una persona, talis est gradus affinitatis cum altera.

5ª Qui peccavit cum duabus sororibus, aut consobrinis germanis, aut cum matre et filia, nullam harum ducere potest.

6ª Vir, qui peccavit cum sorore vel consobrina, vel amita compartis suæ, debitum petenti reddere tenetur, quamvis petere ipse nequeat. Ratio est, quia cum agatur de lege mere prohibente, innocens ex culpa nocentis pati non debet.

7ª Non privatur jure petendi debitum, qui cum propriis consanguineis peccat, quia nullam affinitatem inde cum uxore contrahit.

8ª Si uterque conjux per incestum affinitatem cum altero contraxerit, neuter potest debitum petere, quia uterque jus suum amisit ; et proinde neuter tenetur, imo nec potest debitum alteri reddere.[1]

1591. Quæsita. — Quær. 1° *Quo jure dirimat affinitas ?*

Resp. 1° Ex certa omnium sententia dirimit *solo Ecclesiæ jure* in linea *collaterali*, et multo *probabilius* etiam in linea *recta*, si forte primum gradum, ex copula licita, excipias.

Cum vero affinitas, ratione copulæ, unde licite vel illicite provenit, sit quædam naturalis propinquitas ac veluti consanguinitas mediata, idcirco sive dirimat jure naturæ sive non, est tamen quoad baptizatos impedimentum dirimens, quamvis in infidelitate contracta. Id autem constat

[1] L. VI. 1069 sq.

ex declaratione S. C. de P. F. sub die 23 aug. 1852.[1]

Resp. 2° *Controvertitur* quoad primum gradum lineæ rectæ. Ecclesia tamen, licet pluries enixe rogata fuerit, nunquam voluit dispensare, si affinitas oriatur ex legitimo Matrimonio, ut etiam testatur Benedict. XIV.[2] Quia præterea gravissimi DD. negant, Matrimonium cum ejusmodi affini irritum esse jure naturæ, propterea si duo infideles tali Matrimonio contracto ad Fidem venirent, tutum non esset eos separare sine Pontificis dispensatione; nisi forte hæc conjugia inter infideles lege positiva irritentur. Verum hoc etiam in casu tutius, ut opinor, ad S. Sedem recurritur, ob aliquorum non infundatam sententiam, quâ legislatori civili negatur potestas statuendi impedimenta dirimentia Matrimonium, etiam infidelium. Cfr. dicta n. 1574. q. 1°.— Non raro dispensavit Ecclesia in hujusmodi affinitate orta ex commercio illicito, v. g. si quis ducat uxorem, postquam cum hujus filia aut matre fornicatus fuerit, *dummodo tamen copula cum matre non antecesserit nativitatem filiæ*, quæ conditio semper apponi solet in dispensatione. Hæc tamen conditio satis impleta censenda est, si copula cum matre eo tempore antecesserit nativitatem filiæ, ut periculum, quod hæc possit esse filia sponsi, *prorsus* absit, vel, ut sonat facultas Episcopis nostris concedi solita (p. LXXV. 4): "nullum subsit dubium quod conjux sit proles ab altero contrahentium genita."

Quær. 2° *Quinam sint varii affines?*

Resp. Sunt sequentes, scilicet:

Socer, pater ratione affinitatis, sive conjugati, sive conjugatæ,	father-in-law,
Socrus, mater affinis, ut supra,	mother-in-law,
Prosocer, avus affinis,	wife's grandfather,
Prosocrus, avia affinis,	wife's grandmother,
Gener, maritus filiæ,	son-in-law,
Nurus, uxor filii,	daughter-in-law,
Progener, maritus neptis,	granddaughter's husband,
Pronurus, uxor nepotis,	grandson's wife,
Levir, frater mariti aut uxoris,	brother-in-law,
Glos, soror mariti,	sister-in-law,
Fratria, uxor fratris,	sister-in-law (a brother's wife),
Sororius, maritus sororis,	brother-in-law (a sister's husband),
Vitricus, maritus matris,	step-father,
Privignus, filius ex primo matrimonio patris aut matris,	step-son, step-daughter, step-child,
Noverca, uxor patris,	step-mother,

[1] Apud Gury. Ed. Rom. 1873. T. II. p. 456 (*).

[2] De Syn. L. IX. c. XIII. n. 4.

Quær. 3° *An affinitas ex Matrimonio consummato, sed invalido, dirimat Matrimonium ad quartum gradum, vel ad secundum tantum?*

Resp. 1° Ratione *affinitatis* dirimit ad 4^{tum} gradum, si utraque pars bonæ fidei fuerit, ut patet ex declar. S. C. C. in Brixien. *Matr.* 3 dec. 1667.— Utrum vero ad 2^{um} gradum tantum, si vel utraque, vel alterutra pars malæ fidei fuerit, aut casu, quo Matrimonium fuerit invalidum propter clandestinitatem, disputatur. Opinamur cum cl. Feije,[1] casu occurrente, rem ad Sedem Apostolicam esse deferendam, aut dispensandum.

Resp. 2° Ratione vero *honestatis publicæ* dirimit usque ad quartum gradum, quia Matrimonium, etiam invalidum, vi honestatis publicæ dirimit ad quartum gradum.— Vide mox dicenda n. 1593. q. 3.

Punctum V. De impedimento honestatis publicæ.

1592.— *Publica honestas* est propinquitas, seu quædam quasi affinitas, quæ per conjunctionem, non corporum, sed animorum oritur tum ex *sponsalibus* inter unum sponsum et consanguineos alterius, tum ex *Matrimonio rato* inter alterum conjugem et compartis consanguineos. De jure ecclesiastico dirimit.

Regulæ.— 1° Honestas publica, ex *sponsalibus validis* et cum persona *individualiter determinata*[2] celebratis orta, ex novo jure Tridentini[3] Matrimonium dirimit usque ad primum gradum tantum.

2° Honestas publica, orta ex *Matrimo-*

[1] De Imp. n. 377. 378.

[2] L. VI. 1061.

[3] Sess. 24. c. 3. de Ref. Matr.

nio rato, dirimit Matrimonium ad quartum gradum inclusive.

1593. QUÆSITA. — Quær. 1° *An* HONESTAS PUBLICA *oriatur ex sponsalibus conditionatis, aut mutuo consensu, vel quavis justa de causa dissolutis?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, nisi conditio adimpleta fuerit; quia, conditione non adimpleta, vera sponsalia non habentur.[1]

Resp. ad 2^um^ *Affirm.* Ratio est, quia impedimentum contrahitur statim post inita valide sponsalia, et impedimentum semel inductum non potest auferri ex voluntate sponsorum, vel alia causa superveniente. Ita ex Declaratione S. C. apud S. Alph.[2]

Quær. 2° *An* HONESTAS PUBLICA *oriatur ex sponsalibus* PRIVATIS?

Resp. Affirm. Ratio est, quia Ecclesia inter sponsalia privata et publica nullam admittit distinctionem.

Quær. 3° *An oriatur* HONESTAS PUBLICA *ex Matrimonio* INVALIDO?

Resp. Affirm., quia ante Trid. honestas oriebatur ex hujusmodi Matrimonio. Concilium vero nihil circa hoc immutavit, quamvis jus antiquum pro sponsalibus de futuro coarctaverit. Sic declaravit S. Pius V. C. *Ad Romanum* 1 jul. 1568.

Excipe: 1° Si oriatur invaliditas ex defectu consensus. Sic ex Jure Canonico. — Hinc non adest impedimentum *publicæ honestatis*, si Matrimonium vel ex errore, vel ex metu, aut cum ficto consensu contractum fuerit.[3]

Excipe: 2° Si invaliditas veniat ex priore impedimento publicæ honestatis, orto ex sponsalibus valide contractis; in hoc enim casu non inducitur impedimentum in præjudicium priorum sponsalium.[1] — Hinc si Titius v. g. initis sponsalibus cum Berta, eaque relicta, ejus sororem ducat, ad primam redire potest, imo debet; nec indiget dispensatione, nisi Matrimonium *consummaverit*. — Adest tamen impedimentum quoad alias consanguineas uxoris, quam invalide duxit.

Quær. 4° *An* HONESTAS PUBLICA *oriatur ex Matrimonio inito coram magistratu civili aut ministello?*

Resp. Disting. Vel alterutra saltem pars *noluit*, vel utraque *voluit* verum inire Matrimonium. In priori hypothesi, *negative;* quia Matrimonium invalidum est ex defectu consensus in altera saltem parte (vide h. n. q. 3° *Excipe:* 1°). Nec dici potest, ut quidam volunt, ejusmodi Matrimonium censeri contractum sponsalitium casu, quo sponsi intenderent contrahere deinde coram Ecclesia; nam neque ex natura rei, ut per se patet, neque ex intentione contrahentium id deduci potest. — In posteriori hypothesi, *affirmative;* Matrimonium enim etiam clandestinum, et licet nullum in locis et casibus, in quibus contrahentes ligantur Decreto *Tametsi*, inducit impedimentum usque ad 4^tum^ gradum inclusive, dummodo nullum non sit ex defectu consensus (h. n. q. 3°).[2]

Punctum VI. De impedimento criminis.

Crimen Matrimonium dirimens triplex est, scilicet 1° adulterium, 2° homicidium

Schwiegervater,	beau-père.
Schwiegermutter,	belle-mère.
Gross-schwiegervater,	aïeul par affinité.
Gross-schwiegermutter,	aïeule par affinité.
Tochtermann (Eidam), Schwiegersohn,	gendre.
Schwiegertochter, Schnur,	bru, belle-fille.
Kindestochtermann,	mari de la petite-fille.
Gross-schwiegertochter,	femme du petit fils.
des Mannes Bruder, Schwager,	beau-frère.
des Mannes Schwester, Schwägerin,	belle-sœur.
Bruders Frau, Schwägerin,	belle-sœur.
Schwager, der Schwester Mann,	beau-frère.
Stiefvater,	beau-père.
Stiefsohn, Stieftochter, Stiefkind,	beau-fils.
Stiefmutter,	belle-mère, marâtre.

[1] L. VI. 1061.
[2] Ib. 1063.
[3] Ib. 1062.

[1] L. VI. 1064.
[2] Feije, de Imp. n. 783 sq. Nouv. Rev. Théol. T. IV. p. 229 sv.

conjugis, 3° utrumque simul, modo certæ concurrant conditiones, quas subjicimus.

Nota. — Cum impedimentum hoc sit Juris ecclesiastici,[1] neque supponat, uti affinitas, ullum vinculum naturale, baptizati, qui forte crimen ejusmodi in infidelitate commiserint, eo minime afficiuntur. S. C. de P. F. 23 aug. 1852.[2]

I. *Adulterium solum.*

1594. — Ad impedimentum ex hoc capite incurrendum requiritur, 1° Ut adulterium sit *verum, formale, consummatum.* Et primo quidem *verum*, i. e. ut saltem alteruter fornicator Matrimonio non mere *putatitio*, sed legitimo ac valido, etiamsi forte non consummato, sit conjunctus. Deinde *formale*, et quidem ex utraque parte, i. e. ut uterque cognoscat, seu, ut S° Alph° *probabile* est, non crasse ignoret, alterutrum esse conjugatum. Tandem *consummatum*, intercedente nempe copula carnali perfecta, i. e. tali, qualis descripta fuit n. 1589. II. Dixi: *consummatum* et *formale ex utraque parte*, quia odia restringenda sunt. — Ita *communiter*.[3]

2° Ut adsit *promissio* Matrimonii vera, seu non ficta,[4] ac absoluta seu non conditionata,[5] facta ab uno adultero et ab altero saltem aliquo signo (nam merito probabile est alterius taciturnitatem non sufficere[6]) acceptata, sive hæc promissio præcedat, sive comitetur, sive sequatur adulterium; sed, si præcedat, requiritur, ut retractata ante adulterium non fuerit. Probabilius autem non requiritur repromissio. Utrum vero promissio sub conditione, ante mortem conjugis verificata, sufficiat, disputatur. Affirmativæ sententiæ intrinseca ratio S° Alphonso non probatur; at, cum communis sit, sapientibus se remittit S. Doctor.[7]

3° Ut tum *promissio* Matrimonii, tum *adulterium* fiant *vivente priore conjuge*, seu constante eodem Matrimonio. — Ita ex pluribus locis Juris Can.[8]

[1] L. IV. Decr. T. VII. S. Th. in 4. D. 37. q. 2. a. 2.
[2] Apud Gury. Ed. Rom. 1873. T. II. p. 459 (*).
[3] L. VI. 1036.
[4] Ib. 1039.
[5] Ib. 1040.
[6] Ib. 1038.
[7] Ib. 1040.
[8] C. 5. Caus. 31. q. 1. L. IV. Decr. T. VII. c. 1. S. Alph. L. VI. 1037 sq.

Sub iisdem circumstantiis etiam per *adulterium cum Matrimonii attentatione* (v. g. per consensum de præsenti et voluntatem conjugium celebrandi, sive ante, sive post adulterium fiat; sive coram Parocho, sive clandestine) impedimentum dirimens inducitur.[1] — Sufficit etiam, si, scientia de conjugio alterius post Matrimonium adulterinum habita, Matrimonium non retractantes eo utantur.[2] — Non sufficit vero promissio Matrimonii ante obitum conjugis ineundi.[3]

II. *Homicidium solum.*

1595. — Tres conditiones requiruntur, ut ex hoc adsit impedimentum:

1° *Mutua conspiratio;* unde non sufficit, ut conjux conjugem suum occidat, si persona, quacum Matrimonium initurus est, hanc actionem ignoret, aut contradicat,[4] aut postea eam approbet ac ratam habeat.[5]

2° *Intentio Matrimonii.* — Ita *communiter*, quamvis in jure non sit expressum. Ratio est, quia finis legis est, ne quis spe Matrimonii propriam vel alterius conjugem occidat. — Verificatur hæc 2ª conditio per intentionem ex parte *unius*, et sufficit *probabilius*, ut indicia quædam hujus intentionis præcesserint, v. g. familiaritates, epistolæ amatoriæ, etc.[6]

3° *Mors realiter secuta* ex actione physica vel morali (ideoque consilio vel mandato alicui dato[7]) alterutrius complicis. Patet ex Jure Canonico. — Ita *communiter*.

III. *Utrumque simul.*

1596. — Quando crimina adulterii et conjugicidii reperiuntur conjuncta, non requiritur mutua conspiratio ad conjugicidium, nec promissio Matrimonii, sed hæc tria sufficiunt:

1° Adulterium, quale supra (n. 1594. 1°) expositum est. Hinc præcedere debet conjugicidio; si enim præcedat mors conjugis, adulterium quod consistit in copula cum conjuge alterius (certe viven-

[1] L. VI. 1042.
[2] Heiss, de Matr. § 42. III.
[3] L. VI. 1043.
[4] Ib. 1033.
[5] Schmalzgr. L. IV. T. VII. n. 56 sq.
[6] L. VI. 1034.
[7] Ib. 1031.

tis), locum habere amplius non poterit. — Non tamen necesse est, ut præcedat mortis machinationi.

2° Machinatio mortis ab uno adulterorum ex intentione Matrimonii; sufficit autem, ut hæc intentio ab uno habeatur, dummodo tamen alteri manifestetur, ad quod, *probabilius*, sufficiunt indicia, ut supra n. 1595.[1]

3° Mors ex machinatione unius adulterorum secuta, eodem modo ac supra dictum est de solo homicidio. Sic ex eodem Jure Canonico.[2]

Hoc impedimentum, quod propter duplex crimen unitum vocatur *utrumque simul*, unicum constituit impedimentum. Contra vero, si et adulterium et homicidium suas proprias conditiones separatim habeant, uti n. 1594 et 1595 (*resp.* 1596) expositæ sunt, duplex inferunt impedimentum.

Punctum VII. De impedimento disparitatis cultus.

Disparitas cultus intelligitur *in genere* diversitas Religionis inter contrahentes. Sed *hic* intelligitur proprie disparitas, quæ inter baptizatum et non baptizatum intercedit. Attamen etiam de disparitate cultus inter baptizatos Matrimonium contrahentes, seu *de Matrimoniis mixtis*, hic dicemus.

1597. PRINCIPIA. — I. *Cultus disparitas*, quæ est inter baptizatum (sive hic sit Catholicus, sive non) et infidelem, seu non baptizatum, Matrimonium efficit invalidum. Ita ex jure non scripto, i. e. consuetudine vim legis habente. — Vide S. Alph.[3] — Hoc evincitur ex doctrina communi SS. Patrum et Theologorum, idque compertum esse asserit Benedict. XIV. in Epist. *Singulari nobis* ad Cardinalem Eboracensem, 9 febr. 1749. §§ 9. 10.

II. Diversitas autem Religionis inter baptizatos non constituit impedimentum dirimens. Probatur ex eo, quod nulla lege aut consuetudine irrita declarentur Matrimonia inter Catholicos et hæreticos. — Ita *unanimis* consensus Theologorum.

III. Diversitas Religionis inter Catholicos et hæreticos seu apostatas constituit impedimentum impediens. Eruitur tum ex praxi Ecclesiæ, quæ fideles ab istis Matrimoniis semper maxima sollicitudine avertit, tum ex Declaratione expressa Benedicti XIV., qui hæc connubia vocat *detestabilia, quæ sancta Mater Ecclesia perpetuo damnavit atque interdixit.* (Bulla: *Matrimonia*, circa Matrimonia Hollandiæ 4 nov. 1741).

1598. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quonam jure dirimatur Matrimonium inter baptizatos et non baptizatos?*

Resp. Certum est, dirimi solo Jure ecclesiastico. Etenim prioribus Ecclesiæ sæculis hoc impedimentum non existebat, et plura Matrimonia hujusmodi approbata leguntur in Historia Ecclesiastica, uti Matrimonium S. Monicæ cum Patricio.

Quær. 2° *Quibusnam competat facultas a tali impedimento et ab impedimento impediente mixtæ communionis dispensandi?*

Resp. Soli Romano Pontifici, exclusis omnino Episcopis, nisi hanc a Summo Pontifice facultatem obtinuerint, quæ quidem qua ratione nostris Episcopis concedi soleat, vide p. LXXIV. n. 3. 4. 5.

Quær. 3° *Quibusnam conditionibus dispensatio præfata concedatur?*

Resp. Præter causam *gravem*, adesse etiam debent omnes et singulæ, p. LXXIV. n. 3. 4. 5. recensitæ.

Quær. 4° *An valeat Matrimonium inter Catholicos et hæreticos initum, si, obtenta dispensatione, pars hæretica nolit acquiescere conditioni ab Ecclesia impositæ, nempe ut filii* UTRIUSQUE SEXUS *in Religione Catholica educentur?*

Resp. Affirm. Agitur enim de impedimento mere impediente, et consequenter hæc conditio validitatem Matrimonii non afficit. Verum Parochus debet in hoc casu *abstinere a quocumque interventu*, ut loquitur S. C. Inq. 17 jun. 1829.

Quær. 5° *Qua ratione in nostris Provinciis mixtis Matrimoniis assistendum sit, si dispensatio intercesserit?*

Resp. 1° Vide "Excerpta ex Rit. Rom." p. 208. (*) et p. 242 sq. Ed. 1872, vel Ed. 1874. p. 200. (*) et p. 234 sq., ubi inter alia animadvertitur: "In ineundis ejusmodi nuptiis Ecclesia ea generatim omittenda indixit, per quæ Catholicorum Matrimonia decorantur." Dicitur: *generatim*; nam ritus pro Matrimoniis contrahendis in Rituali præscriptus per mo-

[1] L. VI. 1035. 1036. Requir. VI.
[2] Ib. 1036.
[3] Ib. 1044.

dum tantum exceptionis, et exclusa semper Missæ celebratione, *si graviora damna ac mala timenda sint, ab Ordinario*, cujus conscientia hac in re oneratur, tolerando permitti potest.[1]

Resp. 2° Quoad *modum* exigendi promissiones præscriptas, monent Patres Conc. Pl. Balt. II.[2] ut animarum pastores . . . "fortiter quidem in re, in modo tamen suaviter se gerant, ne . . . utrumque sponsum exasperent, indeque mala oriantur graviora; quod eo magis præcavendum, cum constet raro hisce in regionibus ab Episcopo vel sacerdote pro ineundis ejusmodi nuptiis dispensationem peti, donec res jam eo usque processerit, ut Matrimonium per Ecclesiæ monita abrumpi posse vix sit sperandum."— "Omnis opera in eo potius ponenda est, ut fideles a mixtis istis conjugiis omnino deterreantur. Hortamur igitur animarum pastores, ut semel saltem in anno, tempore præsertim Adventus vel Quadragesimæ, gravi sermone greges sibi commissos mala, quæ ex illis pullulant, edoceant."[3] Opportune etiam confessarii tum parentes, tum juvenes ac puellas in hunc finem moneant.

Resp. 3° "Nolumus," aiunt iidem Patres, "sacerdotes suam operam præstare iis, quos noverint ministellum adituros, fœderis matrimonialis iterandi causa, vel qui, fœdere sic inito, absque pœnitentiæ indiciis, benedictionem sacerdotalem petunt."[4]

Quær. 6° *Quid agendum, si mixti Matrimonii ineundi propositum in Catholico aut Catholica detegatur?*

Resp. Omni meliori modo, christiana tamen caritate ac suavitate, in omni patientia et doctrina, avertere suos ab iis debent non Ordinarii soli, sed et parochi et confessarii. Quod si in proposito persistatur, — et *vel* a) pateat non commune tantum, sed et proximum, quod removeri nequeat, periculum in casu individuo existere, *vel* b) nulla allegari queat petendæ dispensationis causa rationabilis (in dubio adeundus Ordinarius), *vel* c) absque dispensatione vel necessariis cautionibus Matrimonium contrahi intendatur, *vel* d) dispensationem petiturus et cautionibus satisfacturus pœnitens nolit abstinere a frequenti conversatione tali, quæ sive aliunde sit culpabilis, sive inanem redditura sit spem propositi dimittendi casu quo denegetur dispensatio,— absolutionis quidem beneficium est pœnitenti denegandum, non tamen projicienda, sed potius augenda cura et sollicitudo de misero ejus statu. Ita Feije.[1]

Quær. 7° *Quid agendum, si, contracto Matrimonio mixto, conditio prolem Catholice instituendi negligatur?*

Resp. Pars Catholica absolvi nequit, nisi faciat aut serio promittat facere quidquid moraliter loquendo facere poterit, ut proles rite baptizetur et Catholice instituatur. Quin et in casu publico publicis peccatoribus est annumeranda. Ex hoc principio, quod probatione haud indiget, resolves:

1. Si pater Catholicus sit et proles nondum ita adoleverit, ut non solum *potestati*, sed et *influxui* paterno subtracta dici debeat, hic absolvi nequit, nisi primum curet aut, si nunc non possit, curare serio promittat, ut proles a) si necdum baptizata vel *certo valide* baptizata fuerit, baptizetur; b) officiis divinis in ecclesia Catholica assistat, scholam Catholicam, si fieri possit, frequentet, etc.

Idem resolve de *tutore* Catholico.

2. Si mater Catholica sit, patre acatholico adhuc in vivis degente, officio suo fungi censenda est et absolvi potest, si *influxum* (potestate enim, quæ lege civili tota apud patrem residet, uti nequit) maternum apud prolem et conjugalem apud maritum adhibeat, aut adhibere serio promittat, ut proles, ut supra rite baptizetur et Catholice educetur.

3. Mortuo patre acatholico, mater Catholica superstes, nisi tutoris officio careat, ad idem tenetur, ad quod pater Catholicus.

Quær. 8° *An Calvinistæ et Lutherani, et universim hæretici, degentes in locis, ubi Baptisma dubium et suspectum est, tamquam infideles habendi sint, ita ut inter Catholicos et eos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur?*

Resp. Vide in *Excerptis ex Rit.* Ed. 1872. p. 242 (†), vel Ed. 1874. p. 234 (†), ubi regulæ hoc in casu servandæ inveniuntur.

Nota. — Si in hisce regionibus agatur de Catholico Matrimonium inituro cum

[1] Pius IX. 15 nov. 1858. App. Conc. Pl. Balt. II. p. 311. et S. C. de P. F. 25 mart. 1868. ib. p. 344.

[2] n. 335.

[3] n. 336.

[4] n. 338.

[1] De Imp. n. 569.

parte acatholica, ad prædictas non tantum regulas sedulo attendendum est, sed præterea de facto ipso collati vel non collati Baptismi inquirendum. Cfr. n. 1264.

Punctum VIII. De impedimento vis seu metus.

Hæc statuenda sunt:

1599. — I. Metus *gravis* dirimit certo Matrimonium de Jure ecclesiastico, et forte probabilius etiam de jure naturali, idque licet metum passus *vere* consenserit, aut juramentum intercesserit, aut metus a tertio fuerit incussus.

Ut vero metus sit gravis:

1) *Requiritur*, ut malum, a) nequeat alias evitari; b) prudenter (non vane et leviter), ac proxime inferendum timeatur; c) sit grave, quale est mors vel gravis cruciatus, — exilium, — carcer diuturnus aut atrox, — amissio status, — violatio virginis aut viduæ honestæ, — ablatio famæ, — amissio bonorum magni momenti, — amissio magni lucri, ad quod quis jus habet aut a quo saltem injuste impediatur.[1]

2) *Sufficit*, ut malum, a) sit grave respectu metum patientis; b) sit grave ex communi hominum opinione; c) sit *absolute*, seu in se, grave, i. e. non requiritur, ut sit *comparative* grave, seu gravius illo, quod eligitur; d) timeatur vel tibi ipsi, vel consanguineis aut affinibus tuis ad quartum usque gradum.[2]

Nota. — Utrolibet jure, naturali scil. an ecclesiastico tantum, Matrimonium per metum dirimi dicas, hoc impedimentum dispensationem non admittit, sed necesse est, ut causa metus tollatur.[3] Idcirco perseverante causa metus, nec per copulam, nec per cohabitationem (hæc alias præsumuntur metu extorta) Matrimonium convalidatur; durante enim metu, sicut Matrimonium non potest valide contrahi, sic nec convalidari contractum invalide. Secus dicendum, si prorsus libere et affectu maritali admittatur copula, ut habent communiter DD. post S. Thomam,[4] vel etiam spontanea sit cohabitatio, quæ pro consensus ratificatione accipitur.[5]

[1] L. VI. 1047. 1048.
[2] Ib. 1047.
[3] L. IV. Decr. T. I. c. 14.
[4] In 4. D. 29. Q. 1. art. 3. q. 2. ad 2.
[5] L. IV. Decr. T. I. c. 21.

II. Ut vero metus, etiam gravis, Matrimonium dirimat, requiruntur præterea sequentes conditiones, scilicet: ut metus incutiatur 1° a causa externa et libera; — 2° injuste; non enim infertur injuria, quando metum incutiens jure suo utitur. Jure autem suo utitur, quando hæc duo concurrunt: a) si persona sive publica, sive privata jus habet hoc Matrimonium exigendi, et b) si jus ei sit minandi et exequendi quod minatur; — 3° ad finem contrahendi Matrimonii, prout communiter tenetur contra paucos.[1]

III. Metus levis, etiam injustus, Matrimonium non dirimit. Ratio est, 1° quia metus levis non censetur graviter et efficaciter in consensum influere; 2° quia ex jure positivo solus metus gravis irritum facit Matrimonium; 3° quia secus innumera Matrimonia fierent irrita cum maximo societatis detrimento.[2]

IV. Metus *reverentialis*, secundum *communem* sententiam *per se*, i. e. nisi ei adjungantur aut verbera, aut minæ, aut timor alicujus gravis mali, puta odii, diuturnæ indignationis, etc. non dirimit Matrimonium. Ratio est, quia non tantum non est metus per se gravis, sed ne metus quidem, sed potius reverentia.[3]

Casus. Titius rem pluries habuit cum Berta. Hæc, parta prole, Titium, Matrimonium cum ea inire et proli providere recusantem, Magistratui defert, a quo Titius, cum neque proli providere posset nec Bertam ducere vellet, carceri mancipatur. Carceris pertæsus Titius, Bertam ducit.

Quær. 1° *An valeat Matrimonium?*

2° *Quid, si Berta eodem tempore cum aliis fornicata fuerit?*

3° *Quid, si sub promissione Matrimonii Berta Titio corporis sui copiam fecerit?*

Resp. ad 1^um^. Valet *generatim loquendo*, saltem pro foro externo; quia, *generatim loquendo*, metus in hoc casu juste incutitur.

Ad 2^um^. Non valet, quia non est certum metum fuisse juste incussum; nam proles non certo ad eum pertinet, et non ipse, sed Berta, plures fornicatores admittendo, dubii circa patrem prolis causa fuit.

Ad 3^um^. Hæc circumstantia casum quoad metum juste vel injuste incussum non mutat, nisi in favorem Titii in supposito quæsiti 2^i^. Promissioni enim, etiam

[1] L. VI. 1049–1053. [2] Ib. 1055.
[3] Ib. 1056.

sponsalitiæ, stare non tenetur casu, quo Berta fornicata sit cum alio, ut dictum est n. 1531. 4ª.

In praxi in hoc et similibus casibus sedulo attendendum est: a) an metum passus non forte fictum tantum consensum dederit, dum nuptias contraxit; b) an cohabitatio nuptias ita initas subsecuta fuerit necne; c) an non detur ratio a Matrimonio contrahendo excusans juxta dicta n. 810. Hæc si adsit, applicari poterunt dicta de eo, qui asserit se ficte consensisse, n. 1548. q. 7°, vel si revera consenserit et cohabitatio nuptias non fuerit subsecuta, peti poterit dispensatio in Matrimonio rato, non consummato.

Punctum IX. De impedimento ligaminis.

1600. — Per *ligamen* intelligitur vinculum Matrimonii, quo conjuges ita inter se constricti sunt, ut, utroque vivente, neuter cum alio quolibet Matrimonium validum inire possit.

Impedimentum ligaminis fundatur in duobus Matrimonii attributis, quæ sunt *indissolubilitas* et *unitas*. Hinc deducitur impedimentum ligaminis esse juris divini.

Casus huc spectantes variis modis, apud nos præsertim, occurrere possunt. Hinc sequentia sint

1601. Quæsita. — Quær. 1° *Quid Parocho sit agendum, dum pro Matrimonio contrahendo se ei sistat vagus vel alienigena asserens se impedimento ligaminis non teneri?*

Resp. Servet ea, quæ servanda esse diximus n. 1536, 1537, et, casu quo, advertat ea, quæ animadvertuntur in Nota I. n° 1537 pro hac regione adjecta.

Quær. 2° *Quid item, si se sistat aliquis pro secundis vel ulterioribus nuptiis?*

Resp. Disting. Vel enim certo adhuc dum in vivis est compars, *vel* moraliter certo mortua est, *vel* de morte ejus dubitatur.

Si *primum*, inquirendum est, utrum Matrimonium cum comparte adhucdum vivente non forte invalide fuerit initum, *sive* ob impedimentum clandestinitatis vigens in loco vel casu, in quo fuit initum, *sive* ob impedimentum disparitatis cultus, *sive* ob impedimentum metus, *sive* ob defectum consensus sub metu alias non irritante dati (n. 1599. *Casus*), *sive* ob conditionem substantiæ Matrimonii contrariam (n. 1548. q. 6°). Si ob unum horum *certo* deprehendatur invalidum, Parocho licebit secundis nuptiis assistere; *in dubio* vero recurrat ad Ordinarium.

Si *secundum*, nulla est difficultas.

Si *tertium*, vel dubium post diligentem inquisitionem perseverat, vel non. Si non, agat ut in primo vel secundo distinctionis membro dictum fuit; si perseveret dubium, Ordinarium consulere debet ejusque responsum expectare.

Quær. 3° *Undenam in dubio Parochus sibi certitudinem moralem de morte compartis comparaturus sit?*

Resp. 1° Certo *non* comparatur, a) ex *sola* absentia, etiam longa, compartis; b) præcise ex uno teste, licet de visu; c) præcise ex pluribus de auditu; d) ex *sola* fama.

Resp. 2° *Certo* procuratur, *vel* a) ex testimonio legitimi magistratus, ecclesiastici vel civilis, vel alius personæ publicam auctoritatem habentis, vel Parochi testantis de sepultura; *vel* b) ex dicto *duorum* testium fide dignorum (quos inter, et quidem ordinarie præ cæteris, admittuntur etiam consanguinei, non vero ipsa compars), asserentium se vidisse obitum vel sepulturam.

Resp. 3° Ea, quæ singulatim sumpta (vide *Resp.* 1°) certo non sufficerent ad producendam certitudinem moralem mortis compartis, omnia,— vel, in quibusdam casibus, aliqua tantum, — simul juncta eam producunt. — Sic unus testis, etiam de visu et fide dignus, per se non sufficit; juratum tamen ejus testimonium Episcopo sufficere poterit, si cum eo concurrant alia indicia verisimilia, qualia e. g. forent, quod compars, quæ jamdiu disparuit, tempore discessus jam fuerit senex vel æger; — quod periculosam navigationem fuerit aggressus; — quod fuerit moratus in locis, ubi pestis sæviens multos e medio tollebat. — Sic pariter sola fama per se non sufficit, sed sufficiet, si cum ea concurrant conjecturæ, quæ vehementem præsumptionem constituant. *Nota* tamen ipsam quoque famam, quotiescumque invocetur, aliis licet conjecturis corroboratam, probandam esse. Ad hoc autem 1) requiritur, ut duo testes omni exceptione majores deponant se a fide dignis audivisse ejusmodi famam existere; 2) ut concurrat

causa rationabilis, e qua fama ortum habeat e. g. quod maritus mare navigaverit, et, suborta tempestate, per tempus congruum exspectatus, per loca verisimilia quæsitus, non compareat, nec de navi sit relatum qua vehebatur, vel quod rudera sint inventa. Famæ enim ratio non habetur, nisi probetur originem trahere a causa rationabili.

Vide Conc. Plen. Balt. II.,[1] ubi speciatim agitur de dubio mortis compartis, si militiæ nomen dederit, cujus dubii casus apud nos post bellum civile facilius contingere potest.

Nota. — 1° Ne Ordinarius quidem, remanente post diligentem inquisitionem dubio, Matrimonii celebrationem permittere potest.

2° Rejicienda est paucorum aliquorum doctrina, existimantium irritum esse Matrimonium contractum absque sufficienti certitudine de morte compartis revera mortuæ. Necesse tamen est verus adfuerit consensus mutuus [2] (cfr. n. 1574. q. 7°), et graviter præterea illicita foret ejusmodi Matrimonii celebratio.

3° Utrum conjugibus uti liceat Matrimonio, si post nuptias initas dubium de morte prioris conjugis oriatur, resolve ex dictis n. 1574. q. 6°.— Utrum et quando, dubio remanente, sub conditione iniri possit Matrimonium, vide n. 1548. q. 5°. — De conjuge post initas nuptias in bona fide relinquendo necne, infra dicetur.

Punctum X. De impedimento ætatis.

1602. — Impedimentum *ætatis* consistit in defectu ætatis sufficientis ad Matrimonii officia adimplenda. Dirimit Matrimonium impuberum de Jure ecclesiastico.[3]

Excipitur tamen in Jure: *modo malitia non suppleat ætatem;* quod intelligitur de impuberibus ætate, qui jam sunt puberes corporis viribus, seu potentes ad generationem, et aliunde onus vinculi conjugalis satis intelligere possunt.

Quandonam ex Jure Can. ætas pubertatis habeatur, vide n. 911 in fine; quid vero prudentia suadeat in casu celebrationis Matrimonii puberum quidem, sed adhuc*dum minorum*, vide n. 1548. q. 8°. 9°. 10°.

[1] a. 328 et p. 308. XII.
[2] Feije, de Imp. n. 446.
[3] L. IV. Decr. T. II. c. 7. 10. 11.

Punctum XI. De impedimento clandestinitatis.

1603. — Matrimonium *clandestinum* dicitur illud, quod contrahitur sine solemnitate ab Ecclesia requisita, nempe sine assistentia Parochi et simultanee duorum saltem testium. Impedimentum istud est de solo Jure ecclesiastico, cum fuerit a Trident.[1] constitutum.

Ad Matrimonii validitatem testes quilibet sufficiunt, sive mares sint, sive fœminæ; sive ætate majores, sive minores, modo rationis usum habeant, et de contracto Matrimonio testari valeant. — Hinc S. Alph.[2] docet, munus testium posse exercere etiam infideles; nec necessarium esse, ut sint ad hoc vocati, sed etiamsi casu transeant aut sint ibi præsentes, dummodo adverterint id, quod factum est; imo sufficiunt, licet dolo et in alium finem vocati fuerint, quin etiam licet inviti ac vi detenti adsint.

Agendum 1° de vi Decreti Concilii Tridentini; 2° de assistentia Parochi.

SECTIO I.

DE VI DECRETI CONCILII TRIDENTINI.

1604. — Concilium sic statuit: "Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio sacerdote, de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus, Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit. . . . Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque parochia suum robur post 30 dies habere incipiat, a die primæ publicationis, in eadem parochia factæ, numerandos."

1605. — *Regulæ practicæ pro America Septentrionali.*

I. Decretum Tridentinum de clandestinitate Matrimoniorum:

a) Promulgatum *præsumitur*, aut certe, ac si promulgatum fuisset, *vim habet*, ubi tamquam conditio sine qua non *valoris* Matrimonii aliquo tempore fuit servatum. Ratio est, quia non sic servaretur, nisi vel *formaliter*, vel *virtualiter*, vi scilicet consuetudinis legis inductivæ, promulgatum fuisset.[3]

[1] Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.
[2] L. VI. 1085.
[3] Ben. XIV. de Syn. L. XII. c. V. n. 6.

b) Obligationi ejus non obstat quod in loco, ubi promulgatum fuit, non adsit verus Parochus; sufficit nimirum ut sacerdos, qui prope ecclesiam aliquam residet, Parochi instar curam gerat animarum. Patet ex Resp. S. Sedis 17 maii 1804 de sacerdotibus Hollandiæ apud P. Heilig.[1]

c) Nova promulgatione haud opus est in parochia per viam dismembrationis ex alia, in qua Decretum vigebat, creata. Ratio est, quod promulgatio territorio inhæreat. Ob eamdem rationem liber manet locus, in quo Decretum non obligabat, si adjungatur parochiæ, ubi viget, dum econtra ligatus manet locus, in quo obligabat, licet adjungatur parochiæ, ubi non viget.[2]

1606. — II. Contra vim non habet Decretum:

a) Ubi dubia est sive formalis, sive virtualis ejus promulgatio. Ratio, quia lex dubia non obligat.[3]

b) Si, extincta parochia, in qua promulgatum fuerat, nova creata fuit, quæ dici nequeat continuatio prioris et in qua non fuit de novo promulgatum. Ratio, quia, destructa parochia, destructa quoque est persona moralis, cui promulgatio facta fuit, ideoque et ipsa promulgatio.[4]

c) Ubi a parocho sine mandato Ordinarii fuit promulgatum. Ratio, quia promulgatio est actus supremæ jurisdictionis fori externi, qua caret Parochus.

d) Ubi memoria promulgationis penitus obliterata est. Si vero memoria exstat consuetudinis, Matrimonia *in executionem Concilii Tridentini* coram Parocho, etc. celebrandi, promulgatio præsumitur. In priori enim casu consuetudine abolitum, in posteriori eâdem inductum censetur.[5]

e) Ubi declaratione aut dispensatione Pontificia abrogatum est. Ratio per se patet.

f) Ubi *moralis* ac in loco quodam *generalis* Decreti observandi impossibilitas adest, scil. quando Parochus aliusve competens adiri non potest, vel nonnisi difficillime et cum gravi periculo, et hæc difficultas seu impossibilitas generalis sit in aliquo loco. Duorum tamen testium præsentia pro valore necessaria tunc est. Præterea expedit, ut, si alius tunc vel postea sacerdos haberi possit, ab hoc petatur benedictio nuptiarum.[1]

1607. — Et hæc quidem certa sunt; quæri vero potest *utrum Decretum, absque speciali Indulto Pontificio, valide publicari possit, aut potuerit, extra Parochias proprie dictas, puta in quasi-Parochiis nostris? Respondeo*, sententiam negantem mihi et aliis quibusdam, quorum hac de re placita mecum communicata fuere, ad minus *certo probabilem* videri. Ratio est, quia, ut valeat promulgatio, huic nihil deesse debet eorum, quæ ad *substantialem* ejusdem formam requiruntur; ad hanc autem a Trid. expressis verbis requiritur, ut fiat *in . . . parochia* (vide textum Concilii n. 1604); parochia vero hic *stricte dicta* seu in obvio ac unico illo sensu intelligenda est; quo tempore Tridentini intelligebatur, ac quo adhibetur in ipso illo Concilii decreto,[2] in quo parochiæ erigi jubentur; idque eo magis, quod agatur hic de materia strictæ interpretationis, de decreto scil. quod — derogat juri antea vigenti, — Matrimonii libertatem restringit, — et irritat actum, qui ab exordio inde Ecclesiæ ubique terrarum fuit validus. — Et hæc quidem ratio promulgationem Decreti extra parochias *proprie* dictas ad minus dubie validam reddit; lex autem dubie promulgata non obligat. Ergo.

Confirmatur sententia: a) Ex auctoritate Lugonis,[3] qui de Decreti obligatione loquens, expressis verbis habet: "non extante Parochia, in qua publicatio fiat, numquam incœpit obligatio,"

b) Ex auctoritate cl. Feije, qui hæc habet: "In . . . casu, in quo *parochialitatis* ratio non existit, validum dicendum est Matrimonium sine sacerdote et testibus contractum. . . . Adeo hoc verum esse opinamur, ut in ejusmodi loco ne publicatio quidem ipsa" (Decreti) "umquam sit facienda." Parochialitatis autem ratio ut existat, cl. Auctor requirit, "ut fideles teneantur *jure ipso* Communionem paschalem aliaque parochialia jura suscipere, sive a determinato missionario, sive ab uno saltem ex diversis missionariis intra cer-

[1] L. VI. 1081 (1).
[2] Feije, de Imp. n. 301.
[3] Heiss, de Matr. § 44. p. 171 in nota.
[4] L. VI. 1079.
[5] Anal. J. P. Sér. 2. col. 1870. Sér. 9. col. 646. n. 51.

[1] L. VI. 1079 (1).
[2] Trid. Sess. 21. c. 4. Ref.
[3] Resp. Mor. L. I. Dub. 36. Tom. VIII. p. 59. Ed. Paris. 1869.

tum locum" (adderem: vel pro certis familiis) "diversis ecclesiis præpositis."[1]

c) Ex auctoritate cl. Perrone, qui in epistola (jul. 1873), quam a se lectam fuisse testatur mihi amicus theologus, eamdem sententiam amplectitur.

d) Ex auctoritate S. Alphonsi. Vide dicta n. 1606. b).

e) Ex Resp. S. C. Inq.— Archiepiscopus nimirum Quebecensis sequens proposuerat dubium: "5° Matrimonium duorum Catholicorum inter se *solos* contractum absque ullo teste, validum-ne est?" S. C. Inq. 17 nov. 1835 respondit: "Validum est pro iis diœcesis Quebecensis incolis, qui missionariis utuntur. Sacra enim Cong. de Prop. Fide, anno 1820 decrevit: "pro incolis diœcesis Quebecensis, qui missionariis tantum et donec utuntur, non esse locum decreto Concilii Tridentini *Tametsi*, nullo habito respectu majoris vel minoris distantiæ; quibus ex verbis" (pergit S. C. Inq.) "patet incolas prædictos Matrimonia inire posse nec Parocho adstante, nec testibus ullis. . . . Secus vero de iis incolis affirmandum est, qui in locis habitant ubi sunt parochiæ constitutæ; illi enim nullo modo a lege Tridentini Decreti immunes haberi possunt."

Ut vis argumenti ex hoc Responso petiti pateat, triplicem pono sensum, qui voci *parochia* in Tridentino decreto tribui queat. *Primus* est *strictus* hic, quem eidem tribuo. *Secundus* est *latus* ille, quem tribuimus Quasi-parochiis nostris, per quas intelligimus territorium, quod, quoad speciem externam, plus vel minus accedit ad similitudinem parochiæ, habens ecclesiam prope quam sacerdos ordinarie vel saltem principaliter resideat, et limites ab Episcopo designatos. *Tertius* est *latissimus* iste, qui nullum locum excludit, ubi adest aliqua fidelium congregatio, et simplicibus Missionibus proprius est.— Dixi: triplicem *pono* sensum; neque enim eum ut vere canonicum *admitto;* nam nulla est differentia *stricte* canonica, sed *usualis* tantum, inter Quasi-parochiam et simplicem Missionem, seu frustra in *jure communi* quærerentur regulæ ad eas discernendas.—Nec SS. Congnes S. Inq. et de Prop. Fide in Resp. citatis triplicem illum sensum admittunt; nam non supponunt medium aliquod existere inter parochias proprie dictas et Missiones.

Objectio I. Ubi eadem est ratio, eadem currit legis dispositio; atqui eadem est ratio publicandi Decretum extra parochias proprie dictas ac intra ipsas. Ergo.— Probatur *minor* ex eo, quod ex publicatione Decreti extra parochias proprie dictas non sunt timenda majora incommoda, nec minor est sperandà utilitas, quam ex publicatione intra illas.

Resp. 1° *Disting. maj.* juxta dicta n. 145. Neque enim *jure communi* parochia et Quasi-parochia dici possunt aut *correlativa*, aut *æquiparata*, aut *connexa*, aut *contenta*, ita ut, quæ de illâ statuantur, pleno jure spectent ad hanc. Sic e. g. jurisdictio *ordinaria* in foro interno, et obligatio applicandi Missam pro populo non spectant ad Quasi-parochias.

Resp. 2° *Neg. minorem.* Nam identitas rationis quoad *Missiones* certo certius non existit; quando enim recursus ad sacerdotem foret impossibilis, Matrimonia nihilominus essent certo valida. Sed *multoties*, dum Missionarius, certis vel incertis temporibus, per Missionis suæ partes successive discurrit, *vere dubium* erit, utrum absentia ejus sit satis diuturna vel distantia satis longa, ut sponsi constituantur in impossibilitate recurrendi ad ipsum, ac proinde utrum Matrimonium, in talibus adjunctis sine ipso initum, sit validum; dum econtra in parochiis proprie dictis pastor habitualiter residet in centro exigui territorii. Ergo magna est disparitas.— Quod vero spectat Quasi-parochias, duplex fieri potest suppositio; nam vel comprehendunt vel non comprehendunt populationem Catholicam ita stabilem et condensatam, et talem sacerdotum numerum, etc., ut exercitium *normale* ministerii pastoralis in iis locum habere possit. In priori casu erigatur parochia proprie dicta, non instituto, si S. Sedi ita visum fuerit, parocho inamovibili, et Decretum modo *certe* valido promulgari poterit. In posteriori facilior quidem erit recursus ad sacerdotem quam in Missione; attamen alia diversi generis incommoda orientur. 1) Frequenter Episopus Quasi-parocho committit paucas Missiones proprie dictas aut stationes, de quibus dubitari poterit, utrum per modum accessorii vel partis sequantur totum vel

[1] De Imp. n. 335.

principale, an vero *per seipsas* subsistere censeantur, ac proinde utrum publicatio Decreti, in Quasi-parochia facta, ad eas extendatur. 2° Nonnumquam dubium erit, utrum talis vel talis congregatio fidelium sit satis similis Parochiæ proprie dictæ, ut mereatur inter Quasi-parochias numerari; proinde publicatio Decreti, ibi facta, *dubie valida* evadet, necnon et omnia Matrimonia clandestina in illo loco contrahenda. — Ergo gravia incommoda sequuntur *quasi necessario* et *per se* ex publicatione Decreti extra Parochias proprie dictas. Ergo jure negatur paritas rationis, et a fortiori negari potest eam *certo probari*, quemadmodum probari debet ab eo, qui legem, eamque irritantem, extendere velit de casu ad casum; libertas enim Matrimonii est in possessione, donec contrarium probetur.

Objectio II. Plures existunt diœceses, in quibus nulla exstitit umquam Parochia proprie dicta, et ad quas tamen, petentibus vel pro dubii solutione consulentibus Episcopis, extensa fuit declaratio Ben. XIV., vel in quibus S. Sedes declaravit constare de impedimento clandestinitatis. Ergo S. Sedes supponit Decretum vim habere posse extra Parochias proprie dictas.

Resp. Ut vim haberet ista objectio, necesse foret, ut in hujusmodi consultationibus vel petitionibus expresse declaratum fuisset nullam in illis diœcesibus Parochiam veram existere, et quod, non obstante hujusmodi cognitione, SS. Congnes sua rescripta dedissent. — Porro, saltem generatim talis declaratio tacetur; imo voces: *Parochus, Parochia,* usurpantur ab Episcopis, qui postulant extensionem declarationis Benedictinæ, vel affirmant factum promulgationis aut diuturnæ observantiæ Decreti Trid.; unde SS. Congnes, supponentes publicationem aut observantiam fuisse vestitam conditionibus de jure requisitis, nonnisi juxta allegata incompleta respondent. — Sic, per plures annos, multi Episcopi obtinuerunt facultatem dispensandi partialiter Parochos ab obligatione Missam applicandi pro populo, eo quod S. Sedes ignoraret nullam existere in ipsorum diœcesibus Parochiam, ac proinde nullum sacerdotem tali obligatione ligatum.

Objectio III. Dubium sequens fuerat propositum ab Archiepiscopo Quebecensi: "Sitne impedimentum clandestinitatis extendendum ad ea Canadensis regionis loca, in quibus incolarum numerus esse incepit, quæque, aucta habitantium copia, paucos post annos, Missionibus vel Parœciis unientur, in quibus clandestinitatis impedimentum viget? — S. Cong. de Prop. Fide" (16 octob. 1824), "generali responso rem definiendam censuit his verbis: Affirm.: si agatur de Missionibus aut Parœciis jam præexistentibus, non esse quidem necessariam, sed posse expedire publicationem Decreti Trid.; — si vero agatur de Missionibus aut Parœciis erigendis ex integro, iisque in locis, ubi non viget observantia Decreti, omnino esse publicandum, erectione facta, ut vigeat clandestinitatis impedimentum." — Et, eodem die, eidem Præsuli S. Cong. rescribebat: "Quoad littora lacus *Champlain*, Matrimonia non irritari ob impedimentum clandestinitatis, sed esse valida, donec, constitutis Parœciis vel Missionibus, publicetur Decretum *Tametsi*." — Ergo Decretum potest valide publicari in *Missionibus erectione facta, in Missionibus constitutis,* scilicet saltem in *Quasi-parochiis,* eodem modo ac in Parochiis.

Resp. 1° Donec solvatur apparens aut vera contradictio, quæ existit inter duplicem hanc responsionem simul datam, et duo decreta supra citata, quorum unum refert et confirmat alterum, concludere licebit *ad summum,* decisiones contradictorias se invicem elidere, earumque auctoritatem esse dubiam; sed nihil inde contra nostram thesim, quam non statuimus nisi tamquam *vere et solide probabilem.*

Resp. 2° Ex allegatis ab Archiepiscopo, quorum transumptum fide dignum ipse legi, videtur constare, quod Missiones in supra citato Responso significant *Parochias canonicam existentiam habentes,* sed ab auctoritate temporali non recognitas nisi tamquam Missiones, et hoc titulo vulgo designatas. — Etenim, ne offensam daret Gubernio Britannico, quod sibi nitebatur arrogare omnia, quæ spectabant ad omnimodam Parochiarum erectionem, eodem modo quo id in pseudo-Ecclesia Anglicana facit, Archiepiscopus erigebat Missiones, quæ sensim sinè sensu nomen Parochiarum, ipso favente, acquirebant, ita ut, exceptis 40 Parochiis olim tempore Gallicæ dominationis erectis, cæteræ non-

nisi canonicam existentiam haberent, et civiliter nomine Missionum designarentur. Ergo.

Attente perlectis Instructionibus S. C. de P. F. a. 1821, quam refero p. LXV., et a. 1822, quam videre est sive in Ephem. *Past.-Blatt für Nordamerika*,[1] sive in opere *Notes on the second Plen. Counc. of Balt.*, auctore S. Smith,[2] nihil inveni, quod *probabilitatem* sententiæ nostræ destruat; in utraque enim Instructione aut dicitur aut supponitur quæstionem agitari (saltem juxta mentem S. Congñis) de locis, ubi adsunt Parochiæ proprie dictæ.

Utrum vero sententiæ nostræ probabilitati *intrinsecæ sola* obsit auctoritas Kenrick,[3] sapientiores me viderint. Certum est doctissimum virum errasse, dum, Quasi-parochias Parochiis proprie dictis assimilans, docuit pastorem Quasi-parochiæ teneri, non secus ac si esset Parochiæ proprie dictæ præpositus, ad Missam pro populo applicandam.[4]

Cæterum, quæ dixi, ideo tantum dixi, ut de gravissima hac quæstione consulatur S. Sedes, non ut quis proprio marte practicam aliquam ex iis deducat conclusionem; nam, ut scite animadvertit Perrone in epistola, cujus supra memini, "plura ibidem" (i. e. in Missionum regionibus) "ex praxi debent dijudicari et a consuetudine ibidem recepta. Optimum tamen foret, ut ab Episcopo ejusmodi quæstiones proponerentur Romæ, ut authentica responsio haberetur circa modum se gerendi in implexis ejusmodi regionibus."

1608. — III. *In quibusnam Fœderatorum Statuum et Americæ Britannicæ locis Decretum* OBSERVETUR.

A) *Quoad Status Fœderatos:* 1° In Provincia ecclesiastica *Neo-Aurelianensi*[5] (seu *Luisiana inferiori*) et *Sancti Francisci*[6] (seu *California*) ubique censetur vim habere.

2° In Provincia *Oregon*[1] nullibi observatur, et promulgatio a pluribus Missionariis facta, instantibus hujus Provinciæ Episcopis, quantum opus esset annullata fuit a S. Sede a° 1850.

3° Nec servatur in Provincia *Baltimorensi* (non excepta *Floridâ*[2]) aut *Philadelphiensi*.

4° Nec in Provincia *Neo-Eboracensi* aut *Bostoniensi*.[3]

5° Nec (ut videtur) in Provincia *Cincinnatensi*,[4] ne *civitate* quidem *Detroitensi* excepta,[5] exceptâ tamen diœcesi Vincennopolitana.

6° Nec in Provincia *S. Ludovici*, *Milwaukiensi* aut *Sante Fé*, paucis locis exceptis.[6]

B) *Quoad Americam Britannicam:* 1° Servatur, in Provincia *Quebecensi*, in diœcesibus *Quebec*,[7] *Montreal*,[7] *Three Rivers*,[7] *St. Hyacinth*,[8] *St. Germain of Rimouski*,[7] *et Sherbrooke*;[7] non autem in diœcesi *Ottawa*.[9]

2° In Provincia *Halifax*, scilicet in diœcesi *Halifax*,[10] *Arichat*,[10] *Charlottetown*,

[1] VII. Jahrg. § 3.
[2] p. 453.
[3] Tr. XXI. 184. 185.
[4] Tr. VIII. 44.
[5] Anno 1824 S. Sedes permisit ut mancipia contrahere possent Matrimonium validum coram uno teste fide digno, qui posset sacerdoti referre testimonium. Hanc concessionem in Epistola ad Episcopum Neo-Aurelianensem consignatam, ob rationis paritatem, extendi potuisse judicatum fuit ad cæteros Status, ubi essent mancipia.
[6] Anno 1860 S. C. Inq. respondit: constare de existentia impedimenti in tota *California*.

[1] Observatum fuit a primis Episcopis, qui erant Gallo-canadenses; sed propter difficultates in praxi occurrentes in desuetudinem abiit.
[2] Certe numquam fuit in usu in antiquis coloniis Anglis. In *Florida* olim observatum fuisse certum videtur. Sed præsens Rsšmus Episcopus testatur Decretum, dum a. 1858 hujus regionis administrationem suscepit, non fuisse servatum, nec, ut videtur, ex tempore, quo Hispani sacerdotes locum cesserunt Americanis, viguisse. Nec observantia ejus postea fuit restituta.
[3] Quædam loca, *Canadæ* vicina, in diœcesibus *Burlington*, *Ogdensburg* et *Buffalo* olim a Gallis occupata fuere, et S. Sedes Episcopo Quebecensi a. 1821 respondit in illis locis Decretum haud censeri debere obligare.
[4] In *Michigan* olim probabiliter fuit in usu; sed ex tempore, quo dispersæ fuerunt Missiones, a Gallis fundatæ, non observatur.
[5] Ut nomine Rsšmi Ordinarii mihi inquirenti rescriptum fuit.
[6] Observatur nunc: — in *diœcesi S. Ludovici* in ipsa civitate et locis vocatis *S. Genovefæ*, *S. Ferdinandi* et *S. Caroli*; — in *diœcesi Alton* in *Kaskaskia*, *Cahokia* et *Prairie du Rocher*.
[7] Saltem in maxima parte diœcesis, scilicet in Parochiis proprie dictis. Quoad pauca loca, quæ extra parochias canonicas remanent, aliqua hæsitatio existere videtur.
[8] Certe viget in *tota* diœcesi, quæ anno 1872 *tota* divisa est in Parochias.
[9] Nullibi observatur, saltem ex tempore erectionis diœcesis (1848). Olim videtur observatum fuisse in parte, quæ ad diœcesim *Montreal* pertinebat.
[10] Olim observatum est in paucis Gallorum coloniis, sed ex quadraginta aut quinquaginta annis, sci-

St. John New Brunswick,[1] *Chatham*,[1] *nullibi* servatur. — Quoad insulam *Terræ Novæ* nec de promulgatione, nec de observantia constat.

3° In Provincia *Toronto*, seu *Canada Superiori* seu Provincia *Ontario*, scilicet in diœcesi *Toronto*,[2] *Kingston*, *Hamilton*, *London*, et in Vicariatu Apostolico *Sault S^te Marie nullibi* observatur.

4° In Provincia *St. Bonifacii* (apud *Rubrum Flumen* seu in Provincia *Manitoba*) videtur observari.

Nota. — Parochiæ existunt:

1) *In Fœderatis Statibus*, juxta declarationem Conc. Pl. Balt. II.,[3] innixam declarationi Conc. Prov. Balt. I., unica, nimirum in civitate Neo-Aurelia. Sed, ut inquirenti mihi rescriptum fuit, ab annis circiter 30, ratihabente S. Sede, extincta fuit.

2) *In America Britannica*:

a) In *maxima parte* diœcesium *Quebec*, *Montreal*, *Three Rivers*, *St. Germain of Rimoustri* et *Sherbrooke*.

b) In tota diœcesi *St. Hyacinthi* ab anno 1872.

c) Nulla existit in diœcesi *Ottawa*.

d) Nulla existit, nec umquam extitit in Provincia ecclesiastica *Toronto*.

e) In Provincia ecclesiastica *Halifax* erectæ fuerunt, ab Episcopo Quebecensi, Parochiæ: *Port-Royal* 1684 (nunc in diœcesi *Halifax*); *les Mines* 1698 (nunc in eadem diœcesi); *Louisbourg* 1726 (in diœcesi *Arichat*). Sed 110 abhinc annis Gallicæ illæ Parochiæ funditus eversæ sunt, nec umquam restitutæ, ita ut vigeat persuasio universalis nullam in tota illa Provincia existere Parochiam, exceptis diœcesibus *Havre de Grâce* et *St. John* in insula *Terræ Novæ*.

f) In Provincia *S. Bonifacii* adsunt *tres* parochiæ. De duarum tamen (S. Bonifacii et S. Franc. Xav.) canonica erectione dubitatur.

1609. — IV. Hæreticos in Septentrionali America Decretum non ligat, nec consequenter Catholicos cum iis contrahentes.[1]

1610. — V. Etsi valide contrahant, graviter tamen peccant qui in locis, ubi Trid. Decretum non censetur publicatum, neglecta sacerdotis opera, contrahunt, sive inter se solos, sive coram civili magistratu, sive coram ministello hæretico: casu vero, quo coram ministello contraxerint, ritus sacri postea, ut n. 1598. q. 5°. R. 3° dictum est, suppleri non possunt, nisi veræ pœnitentiæ dederint signa. Nunquam tamen, sive inter se solos, sive coram magistratu civili, sive coram ministello contraxerint, consensum de novo excipere, nedum exigere, licebit, cum id errori faveret quasi invalidus fuisset contractus.

"Testes etiam adhibendi sunt; sed eorum omissio, si opus sit celare nuptias, nulla videtur culpa."

"Excusantur" quoque "qui coram magistratu contrahant, ut publice constet "de Matrimonio, "quandocumque nulla est copia sacerdotis, nec brevi futura est." [2]

1611. — VI. Ob multitudinem eorum, qui ex totius mundi partibus in has regiones immigrant, utile duxi hic subjicere elenchum *præcipuorum* locorum, in quibus juxta cl. Feije[3] promulgatum vel non promulgatum habendum sit Decretum Tridentinum.

A) Matrimonia clandestina omnia, i. e. sive Catholicorum, sive hæreticorum, sive mixta, sunt invalida in Hispania (Gibraltariæ tamen valent Matrimonia hæreticorum et mixta), Lusitania, Italia et insulis adjacentibus, Germania (exceptis infra excipiendis), Belgio hodierno, magno ducatu Luxemburgensi, Provincia ecclesiastica Goana, Republica Mexicana, et re-

licet, ex tempore, quo illæ regiones a diœcesi Quebecensi fuerunt separatæ, certe nullibi fuit in usu.

[1] Publicatum fuit circa annum 1825; sed nunquam ex hoc tempore observatum.

[2] Circa annum 1840 Episcopus *Kingston* (cujus diœcesis continebat præsentem Provinciam *Toronto* et dimidiam partem diœcesis *Ottawa*) curavit publicari decretum per totam diœcesim suam; de facto fuit publicatum et observatum in quibusdam locis. Cum vero P. P. Conc. Provincialis Quebec. (1852) dubitarent de validitate illius promulgationis, utpote factæ ubi nulla erat Parochia proprie dicta, postularunt a Sacra Cong. de Propaganda, ut illa publicatio, in quantum opus erat, confirmaretur; datum vero fuit responsum, cujus sensus, satis obscurus, Patribus Quebecensibus visus est declarare promulgationem extra Parochias canonicas non posse esse validam. Inde decretum "Tametsi" judicatum est nullam vim in regione supradicta habere, et ex eo tempore talis fuit praxis uniformis.

[3] a. 108.

[1] Kenr. XXI. 186.

[2] Ib. 192. 197.

[3] De Imp. n. 320 sq.

gionibus Americæ centralis et meridionalis, exceptis indicandis sub C) 12°. Denique in omnibus etiam hodiernis Lusitanorum vel Hispanorum coloniis.

Idem dicendum de Gallia, prout ante bellum 1870 existebat. Argentorati tamen valida sunt clandestina Matrimonia hæreticorum et mixta.

B) In variis Europæ regionibus septentrionalibus, quæ a° 1564, quo Concilium Trid. fuit confirmatum, jam defecerant a fide, Decretum de clandestinitate non obligat. Ita se res habet in Anglia, Scotia, Dania, Norvegia, Suecia (non confundenda cum Suevia, ut nonnulli confundunt), et in majori parte Germaniæ septentrionalis. Idem communiter traditur de primitivis Borussiæ provinciis, et de Saxonia.

In nonnullis Helvetiæ pagis, ut Tiguri, non obligat. — Idem valet, quoad Bavariam, in locis acatholicis Onoldinæ et Pappenhemiensis atque in districtu urbium quondam imperialium Norimbergensis et Weissemburgicæ. — In Russia una alterave forte diœcesis non obligatur. — In nonnullis partibus Turciæ remotioribus vigere non videtur. — In nonnullis Persiæ aliarumque in illa Orientis parte regionum parochiis, etiam Catholicis, nulla Decreti publicatio vel observantia locum habuit. — Idem dicendum de Græcia. — In plerisque Sinensis imperii, Tunchini et Japoniæ locis, paucis tantum exceptis, non viget Decretum. Viget Juliæ Cæsareæ seu in Algeria, non vero in Abyssinia, aliisque ferme omnibus Africæ regionibus.

C) Ex declaratione Ben. XIV. pro Hollandia[1] ejusque extensione, aut aliis Pontificiis actis, valent Matrimonia clandestina sive hæreticorum inter se, sive mixta, non vero (exceptis enumeratis sub B) Catholicorum inter se: 1° In tota Neerlandia, excepto Limburgo,[2] ubi tamen valent quoad incolas civitatis Mosæ-Trajectensis et suburbii S. Petri et exceptis pariter quibusdam locis diœcesium Ultrajectensis et Buscoducensis.[3]

2° Argentorati in Gallia.

3° In Hibernia universa. — *Nota.* Ex Directorio a. 1851, ab omnibus Hiberniæ Episcopis approbato, Catholici inter se contrahentes Decreto ligantur. Ita Feije.[1]

4° In Silesia Borussiæ subjecta ac in ducatu Cliviensi, et, inde a die 25 martii 1830 incl., in diœcesibus Coloniensi, Trevirensi, Paderbornensi et Monasteriensi, data Episcopis facultate pro revalidandis Matrimoniis ante hanc diem contractis.

5° In regno Wurtemburgico *certo* extensa fuit declaratio Benedictina ad civitatem Ulmiæ. De aliis quoque provinciæ ecclesiasticæ Rheni superioris locis dubitari potest. Vide Feije.[2]

6° In Russia et in tota Poloniæ parte Russis subjecta.

7° In Hungaria et Transilvania, intra limites, quos anno 1841 habebant.

8° In Turcia, Moldavia et Valachia; in Servia, Albania, Bulgaria, Bosnia Turcica.

9° In Persia aliisque in illa Orientis parte regionibus.

10° In Græcia.

11° In Vicariatu Pudiceriano et in universa ora Malabarica, in Vicariatibus Apostolicis Bombaini et Calcuttæ, et in possessionibus Indicis (nonnullis tantum locis quoad Catholicos exceptis) Anglorum et Gallorum. Item in Algeria.

12° In Americæ centralis vel meridionalis insulis aliisque locis, olim sub dominio Catholicorum existentibus, sed nunc subjectis dominio Anglorum, Hollandorum, Danorum.

1612. Quæsita. — Quær. 1° *An valeat Matrimonium eorum, — a) qui e loco, ubi obligat lex Tridentina, transeunt in locum, ubi non obligat, ibique clandestine contrahunt; b) qui e loco, in quo non obligat, transeuntes clam contrahunt in loco, in quo pariter non obligat; c) qui e loco, in quo non obligat, transeuntes, clam contrahunt in alio, in quo obligat?*

Pro solutione quæstionis sequentia prænotanda:

1) Pars exempta a Decreto privilegium suum communicat alteri parti.

2) *Locus regit actum*, præterquam in casibus a Jure exceptis.

3) Exceptio fraudis casu, quo non fuerit prius acquisitum domicilium vel quasi-domicilium. Vide n. 116 in fine, et n. 1614. q. 1°. R. . . . 2°.

[1] Conc. Pl. Balt. II. p. 314. XV.
[2] Vide tamen Feije, de Imped n. 320. (1).
[3] Ib.

[1] De Imp. n. 325. [2] Ib. n. 329.

4) Sufficientia domicilii vel quasi-domicilii ab una saltem parte acquisiti.

5) Sufficientia qualitatis vagi in una saltem parte existentis. — His prænotatis :

Resp. 1° Vagus ubicumque hic et nunc versatur valide contrahit clandestine cum quacumque persona, si in loco, in quo contrahit, lex Trid. prorsus non obliget. Quid si solos hæreticos ibi non obliget ? Valide contrahit clandestine, si ipse sit hæreticus. Si vero ipse sit Catholicus, sed compars hæretica, valide contrahit clandestine, quando compars aut vaga est, aut in loco habet domicilium vel quasi-domicilium, aut in suo, a quo discessit, loco non tenebatur lege Trid. Hæc de vagis ; in sequentibus unice agitur de habentibus alicubi domicilium vel quasi-domicilium.

Resp. 2° Domiciliati in loco, in quo uterque lege Trid. ligantur, si transeant ad locum, in quo hæc prorsus non viget, et in hoc contrahant clandestine, id invalide faciunt, nisi alteruter ibi prius acquisierit domicilium vel quasi-domicilium.[1] — Vir igitur et mulier, sive Catholici sive acatholici, in Belgio, Gallia, Italia domiciliati, si transeant Neo-Eboracum, ibique clandestine inter se contrahant Matrimonium, antequam alteruter saltem ibi acquisiverit domicilium vel quasi-domicilium, invalide contrahunt. Quid vero si in loco, in quo contrahunt, soli hæretici non ligentur, et contrahentium alteruter vel uterque sit hæreticus ? Eadem est solutio. Vir igitur et mulier, sive uterque sive alteruter hæreticus, in Belgio, etc. domiciliati, si transeant Bostoniam, ibique, ante domicilium vel quasi-domicilium ab hæretica parte contractum, Matrimonium clandestine inter se contrahunt, invalide contrahunt. — Contradicunt alii, qui hic simpliciter applicant principium : *locus regit actum*, at in eo tantum casu, quo contrahentes non in fraudem legis in ejusmodi locum transierint.[2]

Resp. 3° Domiciliati in loco, in quo prorsus non obligat lex Trid., et contrahentes in alio, ubi etiam non obligat, valide contrahunt clandestine, etiamsi neuter ibi acquisiverit domicilium vel quasi-domicilium. Vir v. g. et mulier, sive Catholici sive acatholici, in Anglia domiciliati, transeunt Baltimoram, et ibi, per neutrum acquisito domicilio vel quasi-domicilio, clandestine contrahunt. Valide faciunt. Idem est, si alteruter tantum sit e loco, in quo lex Trid. prorsus non obligat, ut si, Baltimoram transeuntes, unus quidem in Anglia, alter vero in Belgio domicilium vel quasi-domicilium habeat. Applicandum enim est principium, exemptionem unius partis alteri communicari propter individuitatem contractus.

Eadem est solutio, si in utroque loco soli hæretici sint liberi, et aut utraque aut alterutra pars sit hæretica. Partes e. g. acatholicæ, vel Catholica una, hæretica altera, in Hibernia domiciliatæ, transeunt Roffam, ibique prædicto modo contrahunt.

Resp. 4° Domiciliati in loco, in quo non obligat lex Trid., et contrahentes in alio, in quo obligat, invalide hoc faciunt clandestine, etiamsi nondum ibi acquisiverint domicilium vel quasi-domicilium. Vir v. g. et mulier, Baltimoræ domiciliati, sive Catholici sive acatholici, et transeuntes in Belgium, invalide ibi contrahunt clandestine, nondum licet acquisito per alterutrum domicilio vel quasi-domicilio.

Eadem est solutio si utraque vel alterutra pars sit hæretica, et in loco, e quo discesserunt, soli hæretici non ligentur lege Trid., sed ea ligentur in loco, in quem transierunt et in quo contrahunt. Acatholicus, e. g. in Hibernia domiciliatus, transiens in Galliam, ibique contrahens clandestine, invalide contrahit.

Quær. 2° "An, dum agitur de Matrimonio contrahendo vel contracto in locis, in quibus hæretici decreto Tridentino non ligantur, comprehendi possint sub nomine hæretici quinque sequentes classes : 1° Illi, qui Catholice baptizati a pueritia nondum septennali in hæresi educantur, ac hæresim profitentur ; 2° Qui non tam in hæresi quam ab hæreticis educantur, nulla scilicet vel vix ulla hæreticæ doctrinæ instructione accepta, et cultu *non frequentato*, licet *aliquoties participato* ; 3° Qui adhuc pueri in manus hæreticorum incidentes hæreticæ sectæ adjunguntur ; 4° Apostatæ ab Ecclesia Catholica ad hæreticam sectam transeuntes ; 5° Qui nati et baptizati ab hæreticis adoleverunt, quin ullam solemnem hæreseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis, etc."

[1] L. VI. 1080.

[2] Apud Feije, de Imp. n. 338.

Resp. Responsum a S. C. O. a. 1859 Episcopo Harlemensi in Hollandia datum sic habet: "Ad effectum Matrimonii supramemoratos comprehendi in . . . Ben. XIV. Declaratione."

Quær. 3° *An Matrimonium clam celebratum in locis, ubi viget Decretum Conc. Trid., vim habeat sponsalium?*

Resp. 1° *Affirm.* juxta sententiam *communem*, quando Matrimonium ita contractum est inter duos impuberes, vel unum impuberem, alterum puberem. Ratio est, quia antiquo jure Matrimonia impuberum clam contracta vim sponsalium habebant, quæ vis ipsis a Tridentino adempta non est.[1]

Resp. 2° "De Matrimoniis inter puberes ita initis nunc certum est, illa vim sponsalium non habere. Ita, referente Ben. XIV., sæpius declaravit S. C. C. — Ratio potissima et urgens est, quia Trid. non solum clam contrahentes ad sic contrahendum reddit inhabiles, sed insuper decernit hujusmodi actus absolute irritos et nullos esse; proceditque hoc, etsi adjectum sit iis juramentum."[2]

Resp. 3° "Dictis non obstantibus, hujusmodi Matrimonia tamen triplicem habere possunt effectum: a) Nascitur ex iis impedimentum publicæ honestatis. b) Si clandestine contrahens copulam habuit, et damnum sic illatum aliter reparare nequeat, tenetur eam ducere, non ratione contractus, sed ratione justitiæ. c) Si contrahentes in defectu Matrimonii expresse se ad sponsalia obligare intenderent, ex eo contractu nasceretur etiam obligatio sponsalitia, quia contractui sponsalitio Tridentinum non resistit, tametsi sequatur vel connexus sit cum Matrimonia nullo."[3]

Quær. 4° *An censeantur valida Matrimonia clandestina hæreticorum, ubi viget lex Tridentina?*

Resp. Ex litteris Pii VII. ad Arch. Moguntinum 8 oct. 1803, et ad Vicarium diœcesis Trevir. 23 apr. 1817 "eruitur, judicium pendere a diversis casus adjunctis, pro temporum, locorum ac personarum varietate; ac exinde dignoscitur: 1. cur nil generatim hac super re definitum fuerit; 2. cur (pro diversitate adjunctorum) aliquando pro valore, aliquando vero pro nullitate resolutum fuerit." Ita Adnot. anonym. Gury.[1]

Quær. 5° *An Decretum Trid. vigere censeatur in Ecclesia recenter formata apud hæreticos vel infideles?*

Resp. Affirm., si decretum Trid. in illis parœciis publicatum fuerit. Licet autem lege ordinaria hoc Decretum promulgari debeat, sicubi publicatum non fuit, quandoque tamen, ratione specialis difficultatis, novæ Ecclesiæ fundatores promulgationem hujus Decreti differre possent, quando scilicet in magna provincia adeo sunt rari sacerdotes, ut Matrimoniis subinde assistere nequeant. Consultius autem foret in simili casu ad Sedem Apostolicam recursum habere, cujus est judicare, quid in re tam gravi magis expediat.

[1] L. VI. 841.

[2] Heiss. de Matr. § 44. S. Alph. L. VI. 841. 1079.

[3] Heiss. de Matr. § 44.

SECTIÓ II.

DE ASSISTENTIA PAROCHI.

1° Qualis Parochus assistere debeat; 2° quomodo assistere debeat.

I. *Qualis Parochus assistere debeat.*

1613. — I. Ille solus Parochus Matrimonio valide assistere potest, qui est proprius Parochus alterutrius contrahentium, et idcirco qui in eos vel saltem in alterutrum jurisdictionem habet, quales sunt etiam omnes qui nomine *Ordinarii* veniunt, ut Episcopus, Vicarius Generalis, et, Sede vacante, Capitularis seu apud nos Administrator. Evincitur enim ex Conc. Trid., solum Parochum valide Matrimonio assistere posse. Parochum vero sic intelligendum esse, ex pluribus Declarat. S. Congr. Conc. Trid. compertum habemus.

II. Jurisdictio Parochi constituitur per domicilium habituale, aut quasi-domicilium contrahentium vel eorum alterutrius in sua parœcia, non vero per domicilium originis, nec per solam habitationem ad breve tempus. Eruitur ex Declarationibus S. Congreg. et Bened. XIV. etc. . . . Ita unanimi consensu Theologi. — Nec domicilium suppleri potest per simplicem

[1] T. II. n. 840 (*). Ed. Rom. 1873.

adscriptionem inter loci municipes, quidquid statuant super hoc civiles leges. Ita S. C. C. 28 aug. 1864.

1614. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quodnam tempus requiratur, ut aliquis advena possit in loco non suo Matrimonium contrahere?*

Resp. Sufficit *factum* ET *animus* habitionis *unius mensis*. Deducitur ex Declaratione Bened. XIV. in Epistola ad Archiepiscopum Goanum, *Paucis abhinc hebdomadis*, 19 martii 1758, quæ est hujusmodi:

"Post hæc necessarium fore censemus nonnihil adjungere ut in propatulo sit, quidnam requiratur *ad quasi-domicilium adipiscendum*. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod, antequam Matrimonium contrahatur, *spatio saltem unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco ubi Matrimonium celebratur*. Definitiones Congr. Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum . . . ubi, earumdem contextu perpenso, hæc habet: *Vir et mulier Trajectenses timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranum se contulissent, et ibi aliquamdiu morati Matrimonium contraxissent, Sacra Congregatio, consulta super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgrani manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis, dandam esse decisionem pro validitate.* . . . Dubitari autem posset, num ad quasi-domicilium acquirendum Matrimonii causa, non solum requiratur præcedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium. Verum, cum observaverimus subsequentem habitationem ab iis auctoribus, qui hanc tractarunt materiam, tanquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quæsitum dicatur, nihil vero de illa præscriptum fuisse a *Concilii Congregatione* in adducta paulo ante definitione, nolumus hac de re quidquam novi decernere."

Hæc Benedicti XIV. doctrina confirmatur recenti Decisione S. C. Inq. die 6 decemb. 1843. Ad hoc enim Postulatum: "Joannes et Maria Mechliniæ domicilia habentes, Londinum veniunt, et, sine auctoritate vel licentia suorum Parochorum, uno solummodo mense elapso, Londini Matrimonium contrahunt: Quæritur utrum hoc Matrimonium sit invalidum propter supra dictum Conc. Trid., sess. 24. cap. 1. de Reform. — necne? S. C. Inq. die 6 dec. 1843 ad dubium propositum respondit: Stet Epistolæ Benedicti XIV. ad Episcopum Goanum."

Habitationis autem *nudum factum* per unum mensem in aliquo loco non sufficit ad tribuendam Parocho loci illius jurisdictionem, adeo ut valide Matrimonio assistere possit, si fiat recreationis aut rusticationis gratia, vel pro rusticanis negotiis; quia tunc nec domicilium, nec quasi-domicilium verum habetur, uti constat ex Declarat. S. C. relata a Benedicto XIV. Inst. 33. n. 7, ad quam (N. B.) Pontifex remittit in Epistola ad Episcopum Goanum.[1]

Hinc pro praxi concludes:

1° Ad adstruendum domicilium *et* consequenter Matrimonii valorem, nil aliud probandum est præter *factum* habitationis per triginta dies; ad utrumque vero excludendum, probandum est, mansionem eo loci etiam ad id temporis protractam sine ulla domicilii intentione fuisse, sed vel recreationem aut rusticationem, vel rusticana negotia vel aliud simile ut causam habuisse; confirmat hanc conclusionem causa Neo-Eboracensis 25 jan. 1873.[2]

2° Constitutionem Urbani VIII., de qua n. 116 *in fine*, intelligendam esse de eo, qui nullum contraxit domicilium in loco, ad quem Matrimonii contrahendi causa accedit; non vero de eo, qui, ut Matrimonium alicubi inire possit, ibi domicilium contrahit; hic enim utitur jure suo, jure scilicet per domicilium acquisito.[3]

3° Quasi-domicilium in certo loco acquirunt, et quoad Sacramenta (Ordine, ut ex dictis n. 1519. q. 1°. R. 3° patet, excepto) subditi evadunt; — a) prætores (v. g. Gubernator Status), judices, facultatis alicujus professores vel discipuli;[4] — b) illi, qui alicubi degunt, ut ad Religionem Catholicam se convertant et Sacramenta recipiant;[5] — c) qui in carcere ad tempus notabile detinentur, — non pro custodia solum, donec sc. ipsorum causa judicis sententia

[1] L. VI. 1086.

[2] Gury Ed. Rom. 1873. T. II. n. 846 (*). Acta, T. VII. p. 545.

[3] Ib. n. 838 (* * *) et S. Alph. L. VI. 1086 in fine.

[4] Ben. XIV. Inst. 33.

[5] Anal. T. P. Sér. 4. col. 22. 58. n. 19.

cognoscatur, — sed ut pœnam a judice statutam luant;[1] — d) Famuli, ancillæ, juvenes, qui in seminario vel collegio, puellæ, quæ in monasterio aliave domo educationis causa degunt; — e) expositi, et generatim pueri et puellæ, qui ab hospitii vel brephotrophii administratoribus educationis vel famulatus causa aliis commissi fuerunt, quasi domicilium habent in loco ubi morantur ii, quibus commissi sunt; — f) milites ubi in præsidiis vel stationibus vel castris sunt, non vero ubi in expeditione. — Hi tamen omnes *valide* contrahere possunt etiam coram Parocho loci, ubi *verum* habent domicilium; quin et puellæ educationis causa in monasterio vel conservatorio degentes, quæ Matrimonium inire volunt, remittantur ad domum paternam, prout faciendum esse ostendunt et ratio decori, et decretum S. C. E. 8 oct. 1723, relatum a Ben. XIV.[2] Idem profecto servandum est pro juvenibus in seminario, collegio, aliave domo educationis causa degentibus.[3]

Nota. — Matrimonium *decentius* contrahitur coram Parocho *sponsæ*.

Quær. 2° *An vagi contrahere possint coram quolibet Parocho?*

Prænotandum. — *Vagum* definit Benedictus XIV.,[4] *qui relicto suo domicilio sedem in exteris terris inquirit;* quod intelligendum est, tum si destinavit ubi sedem collocaturus sit, tum si nondum destinavit; adhuc enim in utroque casu æque domicilio caret, ut notat Sanchez.[5] Adde necessarium non esse, ut *sedem inquirat;* æque enim, imo a fortiori, *vagus* dicetur, qui nullibi certam et constantem sedem habet aut vult habere, ut advertit idem Sanchez.[6] Insuper, quoad rem præsentem, ut vagus quis dicatur relate *ad parochiam*, nec opus quidem est, ut domicilium in remota seu *extera* aliqua regione quærat; sed generatim satis est, quod, priori parochia relicta, nondum in alia sedem defixerit, quia tunc revera sine parochia est, quippe qui priorem amisit, et aliam nondum acquisivit. Idcirco: 1° qui, relicta parochia, nondum domum invenit, in qua habitet, et interim aliquo in loco hospitatur, iste est vagus; 2° etiamsi domum invenerit, in qua habiturus erit, alibi tamen hospitatur, dum inventa domus antiquo expeditur habitatore, pariter quoad parochiam vagus est; 3° sic etiam, si in urbem advenerit, et nondum statuerit, qua in parte habitet, inter vagos seu parochia carentes recensetur. Sanchez.[1] His prænotatis:

Resp. 1° *Affirm.*, si ambo contrahentes sint vagi, dummodo contrahant coram Parocho illius Parochiæ, in qua actu alteruter eorum degit. Ratio est, quia Parochum proprium non habent.

Resp. 2° Si unus tantum sit vagus, adhuc contrahere possunt coram quolibet Parocho, quia sponsus, habens domicilium fixum, alterius privilegio uti potest. — Ita *communiter*.[2]

Quær. 3° *An Matrimonio* VALIDE *assistere possit Parochus suspensus, irregularis, excommunicatus, aut schismaticus?*

Resp. Affirm., dummodo non renuntiaverit titulo, vel ab illo canonice depositus non fuerit. Hinc nequit *valide* assistere hæreticus nominatim excommunicatus. — Ita *communiter*. — Sed *gravissima* requiritur causa ad petendam assistentiam a Parocho *nominatim* excommunicato aut interdicto.[3]

Nota. — A pastore censura innodato probe, apud nos præsertim, distinguendus est pastor, cui *ademptæ* sint facultates; hic enim etiam invalide assisteret.

Quær. 4° *An valide assistat sacerdos, qui falso Parochus existimatur?*

Resp. Affirm., si habeat titulum *coloratum*, et ex *errore communi* Parochus reputetur. Ratio est, quia Ecclesia tunc ob bonum commune jurisdictionem supplet. — Ita *omnes*. Sic etiam *probabiliter* videtur dicendum, si adsit solus error *communis* sine *titulo colorato* ob eamdem rationem, ut dictum est de jurisdictione in foro interno n. 1394. q. 3°. R. 2°.

Quær. 5° *An valide assistat Matrimonio sacerdos quilibet cum licentia præsumpta Parochi?*

Resp. Neg., quia non est vera licentia; sufficit tamen licentia tacita, aut etiam

[1] Ben. XIV. Inst. 33.
[2] Ib.
[3] Cfr. Feije. de Imp. n. 230 sq.
[4] Inst. 33. n. 10.
[5] De Matr. L. III. D. 25. n. 3.
[6] Ib. n. 1.

[1] De Matr. L. III. D. 25. n. 4.
[2] L. VI. 1089.
[3] Ib. 1083. 1084. Vind. p. 815. Ed. 2ª. T. II. p. 480.

metu vel dolo extorta. — S. Alph.,[1] et alii *communiter*.

Quær. 6° *An Vicarius possit valide Matrimonio assistere, seclusa Parochi delegatione?*

Resp. 1° *Affirm.*, si Vicarius suppleat vices Parochi defuncti vel absentis; tunc enim est certo delegatus ad *universitatem causarum*; imo tunc potest et alium subdelegare; nam ex jure delegatus, tamquam per officium, ad *causarum universitatem* alium ad *casum particularem* subdelegare potest. Cfr. n. 149. 4°; 150. 2°.

Resp. 2° Si autem Vicarius sit *Parochi* præsentis cooperator, major est difficultas, nec res generali et absoluta regula definiri potest. Quare attende ad statuta vel consuetudinem diœceseon. Episcopus enim constituens Vicarios, Parochi adjutores, vel eis immediate conferre potest jus Matrimoniis assistendi, vel illud ex delegatione Parochi ipsis committendum relinquere.

Resp. 3° Apud nos nulla est difficultas, nam sacerdotes assistentes non sunt Vicarii, sed *compastores*.

II. *Quomodo Parochus assistere debeat.*

1615. Principia. — I. Requiritur, et satis est ad Matrimonii validitatem, ut Parochus sit moraliter præsens, sicut testis qui de re peracta testimonium perhibere debet. Ratio est, quia Parochus adhibetur hic tamquam testis principalis ab Ecclesia deputatus, ut constat ex Bened. XIV.[2]

II. Requiritur, ut Parochus interpelletur et moneatur de eo, quod agere volunt contrahentes, seu ut sit ab eis adhibitus. Ratio est, quia alioquin Parochus non censetur advertere ad illud quod fit, nec judicare potest, eos, qui agunt, velle serio agere. Non tamen requiritur, ut fuerit ad hoc expresse vocatus. Sufficeret enim, si fortuito ibi præsens adesset, aut sub alio prætextu accersitus fuisset, dummodo contrahentes, dum consensum exprimunt, signum aliquod, v. g. oculis, vocis modulo, nutu, etc., præbeant, quo Parocho indicent, se illum ut testem habere velle. Patet ex Declaratione S. Congreg. apud Ben. XIV.[1]

Hinc: 1° non sufficit præsentia Parochi mere physica, cum ad id, quod fit, animadvertere debeat: unde ebrius, dormiens, amens Matrimonio assistere nequit.

2° Non est necesse, ut videat contrahentes, dummodo eos suum consensum clare exprimentes audiat: proinde cæcus Matrimonio assistere potest; non tamen cæcus et surdus.

3° Valet Matrimonium casu, quo Parochus volens resistere, ne haberi queat velut testis, claudit oculos, obturat aures, vel clamat, et aufugere conatur, ut videlicet irritum actum efficiat propterea quod affirmare dein possit, se nihil vidisse aut audivisse. At enim jam pluries id respondit S. Congregatio, quod habetur etiam in responsione ad Episcopum Giennensem an. 1581,[2] Matrimonium scilicet esse invalidum, si parochus, ea, quæ agerentur, neque vidit, neque audivit, *nisi tamen affectasset non intelligere*.

1616. Quæsita.—Quær. 1° *An valide assistat Parochus vi et metu coactus?*

Resp. Affirm., quia sufficit de jure, ut sit præsens, et sciat, quid fiat, sive volens, sive nolens; manifestum est ex Declaratione S. C. — Vide S. Alph.[3]

Quær. 2° *Quo in loco Parochus vel sacerdos ab eo deputatus Matrimonio assistere possit?*

Resp. 1° Ubique *valide* assistere potest, etiam extra parochiam, quin et extra diœcesim.

Resp. 2° Non potest *licite* assistere, seclusa gravi causa, nisi 1° in Ecclesia sua parochiali; 2° in alia Ecclesia parochiali de consensu Parochi loci illius; 3° in Sacellis vel Oratoriis privatis de licentia Episcopi, in cujus ditione situs est locus.

Punctum XII. De impedimento impotentiæ.

1617. — Impotentia ad officia matrimonialia obeunda, seu incapacitas ad copulam carnalem, per se aptam ad generationem, multiplex distinguitur, scilicet:

[1] L. VI. 1088.
[2] De Syn. L. VIII. c. XII. et L. XIII. c. XXIII.

[1] De Syn. L. XIII. c. XXIII. n. 1.
[2] Ib.
[3] L. VI. 1092.

1° *Certa* vel *dubia*, prout est vel non est manifesta.

2° *Antecedens* vel *consequens*, prout Matrimonium præcedit vel illud subsequitur.

3° *Temporalis* vel *perpetua*, prout lapsu temporis aut mediis naturalibus (i. e. sine miraculo [1]) et licitis (i. e. sine peccato et periculo mortis [2]) tolli potest vel non potest.

4° *Naturalis* vel *accidentalis*, prout oritur ex vitio intrinseco, vel a causa extrinseca, v. g. maleficio, morbo, actu violento.

5° *Absoluta* vel *respectiva*, prout existit inter virum et omnes mulieres, vel inter virum et aliquam mulierem determinatam; aut vice versa.

1618. PRINCIPIA. — I. Impotentia *antecedens* et *perpetua*, sive absoluta, sive relativa, Matrimonium *invalidum reddit* de jure naturali; *relativa* tamen solummodo respectu illius personæ, quacum copula perfici nequit. Ratio est, quia objectum contractus matrimonialis non existit, cum copula sit impossibilis. Constat etiam ex Jure Canonico.[3]

II. Impotentia *consequens*, et impotentia *antecedens temporalis* Matrimonium non dirimunt; ratio est, quia usus *actualis* Matrimonii ad ejus essentiam non pertinet, et sufficit, ut consummatio vel fuerit possibilis tempore contractus, vel possibilis futura sit.

III. Impotentia certo cognita *illicitum* reddit Matrimonii usum, etiam solummodo attentatum; quia, ubi copula perfici nequit, deest finis, qui licitum efficit congressum.

Nota. — Receptum nunc communiter apud physiologos medicosque illud est, quod experientia docuit, ad conceptum, generationisque effectum nequaquam necessarium esse, ut vir seminalem humorem injiciat in interiores usque fœminei organi partes, sed satis esse, quod ejusmodi humor ad externam ejusdem organi superficiem, seu ad vaginæ (ut aiunt) os, ingressumve affundatur et applicetur.

1619. *Resolves.* — 1° Impotentes reputantur eunuchi seu spadones utroque testiculo destituti; secus, si tantum uno careant.

2° In dubio de impotentia antecedenti, standum est pro valore Matrimonii, et conjugibus copulam experiri permittendum est. Imo ad hoc triennium ipsis a Jure Canonico conceditur, non obstante majori probabilitate pro impotentia perpetua, et quamvis Matrimonium cum fide dubia celebratum fuerit.[1]

3° In dubio de impotentia consequenti, licet pariter conjugibus copulam experiri, usquedum certi sint, eam perfici nullo modo posse.[2]

4° In dubio, num impotentia certa et perpetua *antecedens* fuerit an *consequens*, præsumitur *antecedens*, si vel naturalis sit, vel accidentalis quidem, sed conjux potens uno vel altero mense post celebratum Matrimonium de hoc vitio alterius reclamet; *consequens* vero, si talis reclamatio propter impotentiam accidentalem longo tempore post celebrationem Matrimonii fiat.[3]

5° Non est confundenda impotentia cum sterilitate; steriles enim non sunt ad actum conjugalem impotentes; hinc valide contrahunt senes, qui Matrimonium consummare valent; item mulieres, quæ possunt semen excipere, etsi illud non retineant.[4]

6° "Summopere caveat confessarius, ne in re adeo gravis momenti, ac tot difficultatibus obnoxia temere procedat, aut quidquam propria auctoritate decernat; sed casum rite examinatum, cum omnibus suis circumstantiis, ad Ordinarium deferat, cujus tunc erit statuere ac determinare, quid in simili negotio fieri oporteat. Imo, ut nobis videtur, confessarius prudens ac discretus de impotentia conjuges *non interrogabit*, neque etiam eos, quos credit impotentes, *præmonebit;* neque ipsis ea de re consulentibus *ultimo* respondebit, nisi ipse prius consuluerit Episcopum." [5]

Punctum XIII. De impedimento raptus.

1620. — Raptus est violenta abductio mulieris (etiam impubis, viduæ, corruptæ, etc.[6]) de loco tuto in alium, ubi sub potestate raptoris detineatur, Matrimonii ineundi causa. — Perinde vero est, sive raptor per se, sive per alios raptum exe-

[1] L. VI. 1095. [2] Ib.
[3] Ib.
[1] L. VI. 1102. 1103. [2] Ib. 1104.
[3] Ib. 1104. [4] Ib. 1095.
[5] Gousset. n. 791.
[6] Heiss. de Matr. § 43. II.

quatur; itemque sive per se et penes se, sive per alios ac penes alios raptam personam in sua retineat potestate. Id eruitur ex Declaratione S. C. C. 25 junii 1864, ut videre est in *Actis*.[1] Impedimentum autem incurrit, qui pro se rapit, non vero qui rapiunt pro alio.[2]

Raptus dirimit Matrimonium de Jure ecclesiastico inter raptorem et raptam. Constat ex Trident.[3]

Triplex requiritur conditio ad illud impedimentum incurrendum, nempe: 1° ut mulier rapta abducatur de loco in locum; 2° ut fœmina rapiatur tantum Matrimonii causa; 3° ut raptus fiat muliere repugnante seu omnino invita.[4]

Nihil autem refert, num mulier e propria domo per vim abstrahatur, an vero dolis circumducta in potestatem molientis rapinam inscia deveniat; itemque num e propriis ædibus abstrahatur, an vero per fraudes ex iis abducta, præpediatur deinde, ne ad eas libere reverti possit. Æque enim liber consensus abest, tum si per vim apertam, tum si per fraudes suæ esse potestatis amplius non sinatur. Vide Declarat. S. C. in *Actis*.[5]

1621. QUÆSITA. — Quær. 1° *An impedimentum inducat raptus* SEDUCTIONIS, *seu cum mulier inducitur muneribus, blanditiis, etc., ad raptorem sequendum?*

Resp. Neg. Ratio est, quia Ecclesia per raptus impedimentum intendit tantum consulere perfectæ libertati Matrimonii, quæ non læditur cum mulier consentiens abducitur, etiam invitis parentibus. — Ita *communiter*, juxta S. Alph.[6] Consentiunt Sanchez, Bonacina, Salmant., Scavini, etc.

Quær. 2° *An valeant sponsalia contracta, dum mulier rapta sub potestate raptoris versatur?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis:

I[a] SENTENTIA *negat*, quia sponsalia libertatem requirunt, sicut ipsum Matrimonium; lex enim pœnalis extenditur, ubi eadem ratio militat. — Sanchez, — Salmant., etc.

II[a] SENTENTIA *affirmat*, et hanc *probabiliorem* dicit S. Alph.[1] cum Lacroix, etc. Ratio autem hujus sententiæ est, quia sponsalia, utpote quæ semper sunt rescindibilia, minorem libertatem, quam Matrimonium, requirunt.

1622. *Resolves.* — 1° Non contrahitur impedimentum, si mulier abducatur tantum de cubiculo in cubiculum in eadem domo; quia sic proprie non constituitur sub raptoris potestate; sed de domo in domum abduci debet. Potest tamen in hoc casu adesse impedimentum metus.

2° Non contrahitur impedimentum, si mulier rapiatur alia de causa, præter finem Matrimonii ineundi, v. g. ex fine libidinis explendæ, etc.; quia Concilium hoc impedimento nihil aliud intendit, nisi libertati Matrimonii favere.

3° Non incurritur impedimentum, si mulier rapiat virum, quia Concilium loquitur tantum de viro raptore.

4° Non incurritur impedimentum, si Matrimonium contrahatur raptorem inter et raptam, postquam hæc a potestate raptoris fuerit liberata. Ex Tridentini textu hoc clare apparet.[2] Adnotat autem recte S. Alph.,[3] durare hoc impedimentum *quamdiu* mulier rapta est in potestate raptoris, etiamsi libere consentiat. — Vide, si lubet, alia in *Actis*.[4]

§ III. *De dispensatione ab impedimentis Matrimonii dirimentibus.*

Agendum 1° de potestate dispensandi; 2° de causis dispensationis; 3° de modo dispensationem obtinendi.

Punctum I. De potestate dispensandi.

1623. PRINCIPIA. — I. Papa dispensare potest ab omnibus impedimentis juris Ecclesiastici; 1° valide in omni casu, quia primarius Superior est; 2° licite, si justa de causa id faciat, prouti recta gubernatio requirit. Quid possit in iis, quæ sunt juris divini, vide n. 158. 1574. q. 5°. R. 2°.

II. Episcopus dispensare nequit *ordinarie et de jure proprio* in impedimentis dirimentibus (quoad impedientia vide n. 1572). Ratio est, quia Episcopus nihil potest in communi Ecclesiæ jure, nisi ex concessione Concilii vel Papæ, aut ex le-

1 T. I. p. 15 sq.
2 Schmalzg. L. V. T. XVII. n. 20.
3 Sess. 24. c. 6. de Ref. Matr.
4 L. VI. 1107.
5 T. I. pp. 23. 24.
6 L. VI. 1107.

1 L. VI. 1107.
2 Ib. 1032.
3 Ib. 1032.
4 T. I. p. 24.

gitima consuetudine. Episcopi autem ex nulla harum rationum jus dispensandi in talibus impedimentis sibi vindicare possunt, ut patet tum ex praxi Ecclesiæ, tum ex variis Declarationibus S. C. et præsertim Pii VII. anno 1809 in Rescripto ad Episcopos Galliæ.

Dixi: 1° *ordinarie;* nam dispensare potest:

1) *Probabiliter* in impedimentis DUBIIS, etiam dubio facti.[1]

2) In OCCULTIS: et

I. Quidem, juxta sententiam *communem*, in CONTRACTIS, dummodo adsit, a) necessitas et periculum in mora; b) Matrimonium contractum 1) bona fide, scilicet ex ignorantia (etiam crassa, modo non videatur temeritas) sive juris, sive facti, saltem ab una parte; 2) in facie Ecclesiæ, et præmissis proclamationibus, seu iis dispensatis; c) impedimentum, in quo Papa dispensare consuevit; d) dubitatio saltem de impedimento in una parte; nam si utraque pars in bona fide est, hæc non est turbanda, et interim ad S. Pœnitentiariam recurrendum erit.

II. *Probabilissime* etiam in CONTRAHENDIS, dummodo adsit — vera necessitas, — periculum in mora, — impedimentum, in quo S. Sedes dispensare consuevit.[2]

Dixi: 2° *de jure proprio;* nam in multis impedimentis Episcopi nostri dispensare possunt jure delegato. Vide p. LXX. n. 6. 7. 8. 9. 10. p. LXXIII. – LXXV.

1624.— Quær. *An, si sponsi sint diversæ diœcesis, dispensatio obtinenda sit ab utroque Episcopo, si uterque ex Indulto speciali facultate dispensandi gaudeat?*

Resp. Controvertitur. Sententia S° Alphonso[3] probabilis *negat.* Ratio est, quia, cum Episcopus aufert a suo subdito impedimentum, eum habilem reddit ad contrahendum cum alio impedito. Unus enim fieri nequit habilis ad contrahendum cum altero, nisi etiam iste fiat habilis ad contrahendum cum illo. Aliunde Papa, delegando Episcopum, ipsi totum jus suum tribuit; ergo valet dispensatio Episcopi proinde ac si a Papa ipso concederetur. Et hanc quidem S^i Doctoris sententiam confirmat resolutio S. Off. 22 nov. 1865,[4] cum addito: "nisi obstet tenor Apostolicæ concessionis," et "impetrata tamen venia pro *celebratione* Matrimonii ab Episcopo loci, ubi ipsum Matrimonium contrahitur."

[1] L. VI. 902. [2] Ib. 1122–1125.
[3] Ib. 1142. [4] Acta, T. II. p. 670.

Punctum II. De causis dispensationis.

Prænotatis iis, quæ n. 162, 163 de dispensationum causis *in genere* diximus, sint hæc

1625. QUÆSITA.— Quær. 1° *Quænam sint causæ justæ, ut dispensetur in impedimentis dirimentibus?*

Resp. Sunt sequentes:

1° *Angustia* loci, i. e. si timeatur, ne, ob loci angustiam, puella convenienter alteri non nubat: angustus autem reputatur omnis locus non habens ultra 300 focos, seu 1,500 incolas Catholicos; et hoc valet, licet sponsa domicilium alio sit translatura.

2° *Defectus dotis competentis*, quæ alioquin puellæ a consanguineo offertur, vel ab extraneo, sed ea conditione ut consanguineo nubat.

3° *Ætas jam provecta seu superadulta puellæ* (non viduæ), nempe quando jam 24^um ætatis annum excedit, et alium virum suæ conditionis, cui nubere possit, non invenit.

4° *Copula carnalis* jam habita cum consanguinea, vel alia persona, impedimento laborante, cum periculo ne infamia sequatur, etc.

5° *Nimia partium familiaritas* (absque copula), ex qua timetur scandalum, nisi contrahant.

6° *Legitimanda proles* ex fornicatione nata aut concepta.

7° *Sedatio gravium inimicitiarum*, vel litis exstinctio inter oratorum parentes, consanguineos vel affines.

8° *Periculum Fidei*, i. e. *hodie* periculum Matrimonii mixti, propter circumstantias *particulares* in individuo existens.

9° *Excellentia meritorum* erga Ecclesiam ex parte petentis dispensationem, vel parentum ejus.

10° *Conservatio bonorum* in illustri familia.

11° *Larga eleemosyna* in pia opera refundenda.

12° *Paupertas viduæ* filiis (5 scil.) onustæ, quos vir alere intendit et promittit.

Aliquando contingit, ut una causa seorsim sumpta non sit sufficiens, sed cum

altera juncta gravis reputetur et proinde sufficiat.

Causæ nunc admissæ ut canonicæ pro 2° et 3° gradu sunt: angustia loci, lites vitandæ, copula habita, scandalum tollendum, et ætas superadulta mulieris. — Bouvier.

Suppressio veri, aut expressio falsi circa ea quæ, sub pœna nullitatis, jure, consuetudine, aut stylo Curiæ Romanæ aperienda sunt, *substantialis* reputatur.

Quær. 2° *Quænam sint necessario exprimenda de jure sub pœna invaliditatis in petitione dispensationis?*

Resp. Sunt sequentia:

1° Vera et legitima *causa movens* ad impetrandam dispensationem.

2° *Species*, etiam *infima*, impedimentorum, v. g. affinitas ex copula licita vel illicita; honestas ex sponsalibus, vel ex Matrimonio rato.

3° *Numerus impedimentorum*, v. g. si præter cognationem adsit etiam affinitas, vel si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas. Item si adsit impedimentum impediens, quod solummodo per dispensationem auferri potest et nondum sublatum est.[1] *Semper* vero impedimentum mixtæ religionis.

4° *Filiatio* aut *compaternitas* in cognatione spirituali.

5° *Gradus et linea consanguinitatis* vel *affinitatis* aut *honestatis* ex Matrimonio rato; imo si Oratores sint in linea inæquali, exprimi debet etiam gradus propior, et quinam sexus stipiti proximior sit. Hoc tamen non requiritur ad validitatem, nisi sint conjuncti in 2° gradu attingente 1^um^.

6° Copula incestuosa habita inter Oratores, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione. Evincitur ex Bulla Benedicti XIV. *Pastor bonus* et ex decr. S. O. Fer. IV. 1 aug. 1866, ac Resp. S. Pœn. 20 jul. 1869.[2] — Ut vero copula incestuosa declarari debeat, necesse est, a) ut habita fuerit inter eos, qui ligati erant impedimento vel consanguinitatis, vel affinitatis, vel cognationis spiritualis aut legalis, vel publicæ honestatis; b) ut sit consummata, et, c) si non de dispensatione in forma pauperum agitur, formalis i. e. cum cognitione impedimenti perpetrata.[3] — "Si" tamen "sponsi, qui quærunt dispensari, sint spectatæ conditionis ac bene morati, de copula non sunt interrogandi; offenderentur" enim "nimis, nec copula potest supponi. Si tamen aliqua suspicio illius habetur, interrogentur quidem, sed prudenter, ac nonnisi gradatim ad copulam veniendo. Si tamen sponsus esset rudis atque procax, clarius sine ulla offensione et scandalo posset interrogari.[1] Vitiatur item dispensatio, si falso copula inter Oratores allegetur, ut facilius dispensationem obtineant.[2]

7° *Variæ circumstantiæ* Matrimonii cum impedimento celebrati, scilicet an clandestine; an cum debitis proclamationibus; cum bona vel mala fide utriusque vel alterutrius tantum; an cum spe facilius dispensationem obtinendi; et an Matrimonium fuerit consummatum.

8° *Raptus* forte prius peractus, licet rapta in locum tutum restituta jam sit.[3]

Quær. 3° *Quid agendum in dubio, an causa falso allegata fuerit finalis aut impulsiva, vel an vera aut falsa?*

Resp. Vide n. 162. 5°.

Quær. 4° *An, cessante causa dispensationis, cesset dispensatio, v. g. si mortua fuerit proles per Matrimonium legitimanda, etc.?*

Resp. 1° *Affirm.*, si causa sit *finalis*, ac *totaliter* et *certo* cesset *antequam* dispensatio expediatur, aut fiat ab Episcopo vel ab alio, cui a Pontifice commissa fuerit.[4] Cfr. n. 164.

Resp. 2° *Neg.*, si causa cesset, dispensatione jam expedita et a delegato supplicantibus communicata, etiamsi cesset ante Matrimonii celebrationem. Ratio est, quia per dispensationem jam impedimentum sublatum est.[5]

Quær. 5° *Quid speciatim exponi debeat, quando agitur de Matrimonio primum contrahendo?*

Resp. 1° Impedimentum, cujus dispensatio quæritur, in sua propria specie exprimi debet, non unum pro alio, ne majus quidem pro minori, v. g. consanguinitas pro affinitate. Ratio est, quia

[1] Sanchez, de Matr. L. VIII. D. 23.
[2] Vind. p. 817 sq. Ed. 2ª. T. II. p. 482 sq.
[3] Ben. XIV. Inst. 87. § Satis verba. Scav. T. III. n. 815. 7. nota 2. Gury. Ed. Rom. 1873. T. II. p. 680. nota (P).

[1] Scav. T. III. n. 815. 7. nota 3.
[2] Ben. XIV. Inst. 87. § Magnum hic.
[3] Heiss. § 43. III.
[4] L. VI. 1132.
[5] Ib.

in dispensationibus non valet argumentum a minori ad majus, nec Superior vult in eo dispensare, quod ignorat.

Resp. 2° Si postuletur dispensatio impedimenti ex commercio illicito, exponendum est, an ab uno vel utroque sub spe dispensationis facilius obtinendæ commercium illud habitum sit. Vide etiam h. n. q. 2. Resp. . . . 6°.

Quær. 6° *Quid in postulatione dispensationis super Matrimonio invalide contracto generatim sit exprimendum ?*

Resp. Exponendum est, 1° an ambæ partes vel alterutra tantum bona vel mala fide, nempe cum notitia impedimenti, Matrimonium inierint; 2° an sub spe dispensationis facilius obtinendæ; 3° an Matrimonium consummaverint; 4° an clandestine aut in facie Ecclesiæ, an post bannorum denuntiationes, aut, his sine dispensatione omissis, contraxerint; 5° an ab usu Matrimonii bona fide celebrati, cognito impedimento, abstinuerint; 6° addit cl. Heiss[1] pro foro interno; an impedimentum modo utrique conjugi sit notum, a quo tempore in Matrimonio vivant, et an proles suscepta sit. Facilius enim aut difficilius pro variis istis circumstantiis solet dispensatio impetrari.

Exinde, si qui coram magistratu civili contraxerunt, ut inde facilius cum illis dispensetur, illud exprimendum est, cum mala fides adfuerit, quæ reddit dispensationem obtinentu difficiliorem. Si in locis, ubi viget decr. Trid., contraxerunt civiliter cum intentione non contrahendi coram Ecclesia, illud etiam exprimi debet, quia Matrimonium clandestinum attentarunt. Si autem bona fide, et cum intentione dispensationem ab Ecclesia expostulandi civiliter contraxerunt, hæc circumstantia non videtur absolute exprimenda, quamquam satius sit illam non omittere. — Bouvier.

Quær. 7° *An qui, obtenta dispensatione ab impedimento* AFFINITATIS *ex copula illicita, v. g. cum consanguinea sponsæ, iterum cum eadem ante Matrimonium peccat, nova indigeat dispensatione ?*

Resp. 1° *Neg.*, si dispensatio nondum fuerit *executioni* mandata a delegato; quia tales dispensationes non sortiuntur effectum a die *expeditionis*, sed a tempore *executionis*. — Ita *omnes*.

Resp. 2° Imo *neg.*, etiamsi dispensatio *executioni* mandata fuerit. Ratio est, quia impedimentum affinitatis jam sublatum est per dispensationem quoad effectum contrahendi Matrimonium. — Ita *communiter* contra aliquos.

Si autem, contracto Matrimonio, rursus peccaverit cum eadem consanguinea uxoris, privatur jure petendi debitum, quia dispensatio juxta stylum Curiæ concessa fuit *ad effectum contrahendi Matrimonium*, non vero ad liberius peccandum.

Indigeret vero nova dispensatione, si peccaret cum alia sponsæ consanguinea ante Matrimonium, etiam post expeditam dispensationem, quia nova affinitas contraheretur.

Quær. 8° *An nova requiratur dispensatio, si, obtenta dispensatione ab impedimento* CONSANGUINITATIS, *vel alio ex iis, de quibus h. n. q.* 2. *Resp.* 6° *actum est, copula* INCESTUOSA *inter sponsos intercesserit ?*

Resp. 1° *Affirm.*, si copula habita fuerit ante dispensationis executionem. Sic ex interpretatione communi, atque ex stylo Curiæ Romanæ hujusmodi incestus declarationem exigente; hoc enim manifestato, Pontifex majorem supplicanti pœnitentiam imponit. Confirmatur quoque ex Declaratione S. C. mense maio an. 1634.[1] Peti tunc quoque simpliciter potest revalidatio prioris dispensationis, quam revalidationem vocant: *Perinde valere*, et cujus facultas Episcopis eam petentibus a S. Sede concedi solet. De hac facultate vide Feije.[2]

Resp. 2° *Neg.* vero, si habita fuerit copula post dispensationis executionem. Ratio est, quia, concessa dispensatione, atque adeo ablata prohibitione Matrimonii, cessat etiam malitia incestus. — Constat etiam ex eadem S. C.

Quær. 9° *An nova requiratur pro consanguineis, aut aliquo ex iis impedimentis, de quibus h. n. q.* 2°. *Resp.* 6° *actum est, irretitis, dispensatio, si post obtentam dispensationem copula ab eisdem iteretur ?*

Resp. Neg., quia incestus moraliter idem est, nec numerus copularum declarari debet, ut modo dictum est. Unde nova copula non invalidat dispensationem, sive habeatur ante ejus expeditionem, sive post, sicut fuit resolutum supra de casu

[1] De Matr. § 58. II.

[1] L. VI. 1141. [2] De Imp. n. 729.

simili h. n. q. 7°; datur enim rationis paritas.

Quær. 10° *Si quis petat secundam dispensationem in eadem materia post primam alias obtentam, an primam exprimere debeat?*

Resp. 1° *Affirm.*, si impedimentum contractum fuerit ex aliquo crimine. Ratio est, quia relapsus in idem crimen retrahit Superiorem a dispensando.

Resp. 2° *Neg.*, si impedimentum non sit ex aliquo crimine vel ex crimine diverso. — Ita S. Alph.,[1] et alii *communiter*.

1626. *Resolves.* — 1° ut n. 162. 1°.

2° Non est necessarium dicere in petitione, quoties copula habita sit cum consanguinea sponsæ; quia ex variis copulis exsurgit unica affinitas; debet tamen exprimi copula habita cum pluribus consanguineis sponsæ; quia ex iis tot diversæ affinitates contrahuntur: et, licet hæc impedimenta non sint specie diversa, sunt tamen numero distincta. Manifestum est ex Declarat. Bened. XIV.[2]

3° Error in nomine (si mutatio sit minima) vel cognomine Oratorum, vel diœcesis aut parochiæ validitati *generatim* non officit, modo constet de *corpore*, i. e. de impedimento, de causa, de identitate personæ, etc. Dixi: *generatim;* nam quandoque officit, ut videre est apud *Feije*.[3]

Punctum III. De modo dispensationem petendi.

1627. — Ad concedendas dispensationes S. Sedis duo pro varia impedimentorum qualitate tribunalia, scilicet Dataria et Pœnitentiaria, Romæ constituta sunt.

I. Dataria. Ad Datariam recurrendum est pro omnibus impedimentis notoriis, aut quæ in notitiam aliorum ventura prævidentur, aut quæ sine infamia, scandalo, aliisque incommodis manifestari possunt.

II. Pœnitentiaria. Ad S. Pœnitentiariam recurrendum est pro dispensationibus et facultatibus, quæ forum internum solum spectant, scilicet pro impedimentis occultis. In postulato autem, tacitis propriis sponsorum nominibus, ficta nomina apponuntur. — In præsens tamen conceditur, ut adeatur Pœnitentiaria etiam pro impedimentis notoriis, quando dispensatio in *forma pauperum* postulatur; imo, in casibus extraordinariis et gravibus, etiam pro Oratoribus non pauperibus.[1] — In diœcesibus vero, quæ S. Cgñi de Prop. Fide subjiciuntur, ut nostris, per hujus Cgñis organum *omnes* dispensationes impetrari possunt.

1628. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quomodo petenda sit dispensatio, si adsint duo impedimenta, quorum unum publicum sit, alterum occultum?*

Resp. Si impedimentum occultum *diffamans* sit, possunt quidem Oratores consentire ut et illius fiat mentio in supplicatione pro foro externo; sed oportet tunc addere ad Oratorum petitionem id fieri. Si eorum consensus non detur, vel peti nequeat, vel non videatur petendus, pro foro externo recurrendum est ad Datariam, nulla facta rei occultæ mentione; pro foro vero conscientiæ ad Pœnitentiariam instituitur supplicatio, in qua pro valore debet exprimi impedimentum etiam publicum, addendo hujus relaxationem petitam esse vel petitum iri a Dataria.[2]

Quær. 2° *An recurrendum sit ad Sacram* PŒNITENTIARIAM, *ut circumstantia copulæ occulte habitæ inter consanguineos, etc., manifestetur?*

Resp. 1° Certum est non dari obligationem exponendi copulam *occultam* in petitione ad Datariam. Ratio est, quia nemo tenetur se diffamare, et aliunde hæc revelatio *publica* incestus occulti non præcipitur.

Resp. 2° Hæc autem circumstantia manifestanda est S. Pœnitentiariæ. Ratio est, quia generatim præscribitur, ut exponatur copula habita inter consanguineos, etc., qui Matrimonium inire volunt. Jam vero, cum certum sit non dari obligationem exponendi copulam occultam in petitione ad *Datariam*, — quia nemo tenetur sese diffamare, nec dicatur in præcepto, faciendam esse revelationem *publicam* incestus occulti, — sequitur, copulam occultam saltem secreta manifestatione apud Pœnitentiariam aperiendam esse, ne lex inutilis omnino evadat, et a certa lege absque ulla causa exemptio concedatur. Plures olim oppositum tenebant; sed hodie non est amplius de hoc dubitandum, ait S. Alph.,[3]

[1] L. VI. 1137. [2] Ib. 1138.
[3] De Imp. n. 698. 700.

[1] Cfr. Ben. XIV. C. Pastor bonus. § 39 sq. § 5. et Inst. 87. Acta, T. I. p. 63. 382. S. Alph. L. VI. 1144.
[2] L. VI. 1139.
[3] Ib. 1135.

post Bullam Bened. XIV. *Pastor bonus*. Sancti doctrinam confirmat Resp. S. Pœn. a. 1858 et 20 jul. 1869.[1]

Quær. 3° *An valeat dispensatio petita in forma pauperum, si Oratores non sint pauperes?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia obreptio cadit tantum in causam impulsivam, non autem in motivam seu finalem; paupertas enim non est ratio, ob quam conceditur dispensatio, sed ob quam conceditur *gratis*. Unde debet semper adesse alia causa motiva.— Ita S. Alph.,[2] qui dicit hoc constare ex decisione S. Congr. 9 sept. 1679. Excipe: 1° dispensationem concessam ab Episcopo vi Indulti habentis clausulam: "in eorum tantum favorem, qui vere pauperes sunt"; quæ clausula non invenitur in facultatibus, quæ Episcopis nostris concedi solent; 2° dispensationem concessam a S. Pœnitentiaria in impedimento *publico* (n. 1627. II.), quo casu, secundum praxim hujus S. Tribunalis, vel alia dispensatio vel sanatio tribuitur. — Patet utraque exceptio ex Resp. S. C. C. 26 apr. et 28 jun. 1873.[3]

Quær. 4° *Quinam censendi sint pauperes?*

Resp. Ex Jure Canonico debent esse aliquo modo *miserabiles*, cum de stylo Curiæ sic confici debeat petitio: "Oratores pauperes et miserabiles existunt, atque ex labore, et industria sua vivunt." In praxi exponendus est status fortunæ, vel standum est regulis ab Episcopo datis.

Ex Declaratione, a Rectoribus Apostolicæ Datariæ anno 1841 data, illi reputandi sunt *pauperes*, quorum fortuna valorem 3,000 fr. ($ 600) non excedit; illi vero, quorum fortuna 10,000 fr. ($ 2,000) valorem non excedit, *fere pauperes* dicuntur. — Bouvier.[4]

Quær. 5° *Quomodo sit exequenda dispensatio?*

Resp. 1° Quoad dispensationem *S. Pœnitentiariæ*, fiat post absolutionem his verbis, aut similibus: "Auctoritate Apostolica dispenso tecum super impedimento N., quod incurristi, ut Matrimonium inire (vel initum perficere) valeas, et legitimam reddo prolem susceptam (vel suscipiendam). In nomine Patris, etc."

Nulla formula sub pœna nullitatis, imo nec sub præcepto præscribitur; nulla enim in *Rit. Romano* habetur. Si confessarius prolem legitimare omisisset, hanc omissionem reparare posset; tunc enim causam sibi commissam et nondum absolutam continuaret. — Bouvier.

Resp. 2° Quoad dispensationem *Datariæ*, delegatus ad dispensandum, 1° debet inquirere de veritate causarum, ut in Rescripto habetur; probabilius tamen hæc informatio ad validitatem non requiritur, nisi, ut Auctores dicunt, in Rescripto adsit clausula: "Si preces veritate niti *repereris*"; 2° decretum dispensationis per litteras publicas a se confectas ad Parochum mittat, ut hic illud partibus intimet.

Dispensatio a Dataria semper per Episcopum petenda est. Dispensatio autem a Pœnitentiaria immediate ab Oratore, vel ab alio ejus loco, peti potest. Securius tamen et facilius ista quoque mediante Episcopo et tacito nomine Oratoris postulatur.

Quær. 6° *Quomodo ab Episcopis dispensatio obtinenda sit, quando ex Indulto dispensare possunt?*

Resp. Eædem regulæ, quæ in Curia Romana habentur ut necessariæ, necessario etiam in casu servandæ sunt; quia mens est summi Pontificis, ut Episcopi non alio modo concessione Apostolica uti queant. Patet ex Resp. S. Pœnit. 1 maii 1858.[1]

Episcopus vero, virtute Indulti Apostolici dispensans, non sub pœna nullitatis, ut quidam perperam autumant, exprimere debet, se dispensare tamquam S. Sedis delegatum ex Indulto delegationis concesso tali die et anno, et tot mensibus aut annis valituro. Excipe, si id in Indulto præcipitur, et quidem sub clausula *irritante*, cujusmodi est hæc: *alias nullæ sint*.[2]

Quær. 7° *Quænam sint clausulæ, quæ in dispensationibus a S. Pœnitentiaria apponi solent?*

Resp. Sunt sequentes, scilicet:

1° *Si ita sit.* Fides autem pœnitenti adhibenda est, nisi delegatus certe sciat

[1] Vind. p. 817 sq. Ed. 2ª. T. II. p. 482 sq.
[2] H. A. Tr. XVIII. 87.
[3] Nouv. Rev. Théol. T. V. p. 457 sv.
[4] Disp. Imp. Sect. 3. § 3.

[1] Nouv. Rev. Théol. T. V. p. 444.
[2] Gury. Ed. Rom. 1873. T. II. p. 682.

oppositum ex notitia extra Confessionem accepta.

2° *Audita prius Sacramentali Confessione.* Juxta igitur hanc clausulam necessaria est Confessio, et quidem apud ipsum delegatum.[1] — "Dummodo" vero "confessarius, litterarum S. Pœnitentiariæ exsecutor, servet," ita eadem S. Pœnitentiaria, "quæ sibi in iisdem litteris præscribuntur, tunc datæ vigore earumdem litterarum dispensationes validæ erunt, etiamsi contingat, pœnitentem nulliter et sacrilege confiteri et absolutionem a peccatis recipere. Quodsi confessarius advertat, pœnitentem ex sua indispositione a peccatis absolvi rite non posse, curare debet eumdem pœnitentem rite disponere, vel, si disponi nequeat in præsenti, una cum absolutione a peccatis differre quoque prædictas dispensationes, nisi forte urgens aliqua necessitas suadeat dispensationes easdem accelerare."[2] Debet autem dispensatio intra Confessionem concedi.

3° *Sublata occasione peccandi.* Intelligitur, si occasio sit voluntaria, quæ de facto est tollenda; si vero necessaria, auferatur saltem ex animo, reddendo illam ex proxima remotam per debita media.

4° *Dummodo impedimentum sit occultum.* Vide n. 1564.

5° *Injuncta ei gravi pœnitentia.* Pœnitentia dicitur *gravis*, quæ respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesia injungitur (vide n. 1382. q. 4°); *gravissima*, si gravis duplicetur vel triplicetur; *salutaris*, si non solum est proportionata gravitati peccati (juxta vires pœnitentis), sed etiam medicinalis (vide n. 1389); *longa*, si hebdomatim per annum (juxta gravitatem peccati) continuanda est; *diuturna*, quæ ad 3 annos extenditur; *perpetua* vero, quæ totam vitam complectitur, non quoad singulos dies (nisi id expresse in Rescripto exigatur), sed quoad dies statutos.[3] — Cavendum tamen ne pœnitentia eligatur, ex qua pœnitentis delictum detegi possit. — Si vero aliqua pœnitentia ab ipsa Pœnitentiaria imposita inveniatur, prætermitti nequit.[4]

6° *Præsentibus laceratis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.* Hæc laceratio statim facienda est, sed intellige moraliter, nempe saltem infra triduum post dispensationem executam. Si autem in litteris non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur quando Matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed hujusmodi dispensatio debet a Parocho caute annotari in libro, qui non possit a quopiam alio aspici, quo ipse scilicet, ubi opus fuerit, fidem facere de dispensatione impetrata possit.[1]

Quær. 8° *Quomodo taxa pecuniaria, quæ Oratoribus imponitur, conciliari possit cum Decreto Conc. Trid. jubente, ut dispensatio* GRATIS *concedatur?*

Resp. Si pecunia occasione dispensationum percepta in beneficium dispensantis vergeret, mandatum Conc. Trid. violaretur, et dispensatio simoniaca foret: verum non ita se res habet; pecunia enim accipitur tantum uti eleemosyna in opera pia impendenda. Cfr. quoad nos p. LXXV. A. 1°. C. 4°. D. 5°.

Quær. 9° *Quomodo exequenda sit dispensatio Sacræ Pœnitentiariæ, si impedimentum sit utrique contrahenti notum et commune?*

Resp. In hoc casu uterque a respectivo confessario dispensandus est. Constat ex responsione S. Pœnitentiariæ, die 15 nov. 1748. — Idem autem Rescriptum duobus confessariis inservire potest, et dilacerandum est ab eo, qui posterius cum suo pœnitente illud exequitur. Si vero impedimentum uni tantum notum sit, unica executio requiritur. — Collet, *Traité des Dispenses.* — Bouvier, etc.

Quær. 10° *Quid, in his præsertim Fœderatorum Statuum Provinciis, speciatim servandum est quoad modum dispensationes matrimoniales* 1) *procurandi*, 2) *concedendi et* 3) *exequendi?*

Resp. ad 1^{um}. 1° Parochus advertat sequentia: "Non sufficit merum alicujus Matrimonii ineundi desiderium, major futura rerum temporalium copia, aliud hujusmodi motivum, sed causa canonibus consona exigitur. Parochus itaque vel confessarius imprimis quidem de causa interroget; si certo insufficientem esse videat, id prudenter declaret, nec recurrat; si sufficientem vel forsitan sufficientem, non illico annuat, sed, si fieri possit, suaviter dissuadeat; si autem non desistant, vel Matrimonium sit aut necessarium,

[1] Ben. XIV. Inst. 87. § Disceptabant olim.
[2] Knopp, § 48. p. 485. not. 6.
[3] Ib. p. 497. Heiss. § 59.
[4] Ben. XIV. Inst. 87. § Si dispensatio.

[1] L. VI. 1143.

aut consulendum, officio suo partes adjuvet, numquam tamen inconsiderate dispensationis obtinendæ spem certam faciens." [1]

"Si sufficientes causæ" Parocho "videantur" adesse, Oratores "prudenter" admoneat, . . . nullam . . . fore gratiam impetratam, nisi preces veritate nitantur. Denique, si salva conscientia, sine respectu ad lucrum vel favorem supplicantium, omnibus bene perpensis, legitime dispensari posse censeat, tunc in libello supplici facti speciem nitide ac sincere exponat, caveatque diligenter, ne illam aliquatenus in rebus substantialibus alteret ac immutet, sed stricte adhæreat illis, quæ ab Oratoribus sibi exposita fuerunt, et multo magis abstineat, ne quid falsi aut ficti ex proprio ingenio inventum ad gratiam facilius obtinendam obtrudat cum animæ suæ detrimento. Insuper caute moneat Oratores de iis, quæ diximus supra" (n. 1625. q. 2°. R. 6°. 7°; q. 5°. R. 2°; q. 8°) "de copula inter illos ante vel post petitionem habita." [2]

2° "Quia . . . Episcopi in hisce provinciis amplas habent facultates dispensandi ex delegatione speciali, rarissime eveniet, ut applicatio facienda sit immediate ad Datariam vel S. Pœnitentiariam, sed potius ad Episcopum Diœceseos." [3]

Quodsi ad Episcopum, sive quod facultate careat, sive quod sigillum sacramentale obstet, recurri nequeat, in priori casu *per ipsum*, in posteriori *directe* Romam recurratur, et quidem per S. Congñem de Propaganda Fide, pro foro externo alloquendo Pontificem, pro interno Pœnitentiarium Majorem. [4]

3° Pro dispensationibus matrimonialibus, etiam fori interni, *prudentior* est *scripta* supplicatio; sic enim casus et preces melius ab Ordinario perpendi poterunt. [5]

Resp. ad 2^um^. 1° Quoties Ordinarius ex facultate *delegata* dispensat, servet ea, quæ dicta sunt h. n. q. 6°.

2° Si dispenset jure *quasi-ordinario* (vide n. 1623. II.) *prudentius* aget, si scripto dispensationem concedat; ita enim et casum et preces melius perpendet, et clausulas debitas certius apponet. [6]

[1] Feije, de Imp. n. 649.
[2] Heiss. § 60. II.
[3] Ib. § 60. I.
[4] Feije, de Imp. n. 688.
[5] Reiffenst. App. § 10. n. 511. 524.
[6] Ib.

3° "Valde desiderandum esse videtur, ut . . . Episcopus alios adhibeat officiales in dispensationibus de publicis, et alios de occultis impedimentis, quia aliter secretum in occultis . . . aliquando vix servari potest." [1]

Resp. ad 3^um^. Serventur quæ dicta sunt h. n. q. 5°. 7°. 9° et dicenda infra.

Formulas ad postulandas dispensationes, pro certis litteris matrimonialibus, ad calcem hujus Tractatus invenies.

CAPUT VII.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII.

1629. — Matrimonium invalidum esse potest: 1° ob defectum consensus; 2° ob defectum formæ præscriptæ; 3° ob inhabilitatem partium.

ARTICULUS I.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI OB DEFECTUM CONSENSUS.

Certum est, 1° Matrimonium irritum ob solum defectum consensus, — celebratum scil. errore, aut per vim et metum, aut ficte, — revalidari posse per simplicem consensus renovationem.

Certum est, 2° requiri renovationem consensus utriusque partis, si utraque vere non consensit, et saltem illius, qui non consensit, si unicus sit. De pluribus autem controvertitur; hinc

1630. QUÆSITA. — Quær. 1° *An consensus ab utroque debeat renovari, si unus tantum ficte vel coacte consenserit?*

Resp. Neg. Ratio est, quia consensus alterius vere positus perseverat, quamdiu positive retractatus non fuerit. — Ita *communiter* Theologi; et hanc sententiam *veriorem* vocat S. Alph. [2]

Nonnulli tamen affirmant, quorum alioqui sententia non videtur probabilis. At in praxi præstat tutius consilium eligere, et, quoad fieri absque incommodo seu periculo potest, curandum, ut consensus ab utroque eliciatur.

Quær. 2° *An consensus renovandus sit coram Parocho et testibus?*

[1] Heiss. § 60. I. 5). in nota.
[2] L. VI. 1114.

Resp. Neg. Apparet ex praxi Ecclesiæ et sententia communi, ob incommoda nimirum, quæ ex illa obligatione sequerentur. Excipe, si nullitas publice innotuerit. Omittuntur tamen tunc proclamationes.

ARTICULUS II.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI OB DEFECTUM FORMÆ PRÆSCRIPTÆ.

1631. — I. Certum est, Matrimonium invalidum ratione clandestinatis ineundum esse coram Parocho et testibus, nisi obtineatur a Summo Pontifice dispensatio a lege Conc. Trid., quæ alioquin raro conceditur. Lex enim illa tamdiu obligat, quamdiu non fuit impleta, cum sit conditio *sine qua non*, requisita in omni casu ad Matrimonii validitatem, nisi recursus ad Parochum sit in aliquo loco communiter et moraliter impossibilis [n. 1606. f)].

II. Si ambo conjuges non renuant se sistere coram Parocho, coram eo revalidandum erit Matrimonium vel *publice* vel *occulte*, prout nullitas Matrimonii publica aut occulta fuerit. Ratio est, quia in *priori* casu scandalum est removendum, in *posteriori* vero præcavendum illud est, et fama sponsorum servanda.

"Quod si Ordinarius," dum invaliditas est notoria, "ob peculiares circumstantias judicaverit expedire ut secreto coram proprio Parocho et duobus testibus potius celebretur, secreto celebrari poterit, dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit, et quamprimum removeatur." Ita Card. Caprara in Instr. de Matrimoniorum revalidatione.

Variæ autem occurrunt difficultates, si una pars consentiat ad contrahendum coram Parocho et altera renuat, vel si ambæ sint male dispositæ. Hinc

1632. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quid agendum, si una pars vel utraque consentiat ad consensum coram Parocho renovandum, sed renuat pergere ad Ecclesiam?*

Resp. Conjungendi sunt in sua ipsorum domo vel alio loco ab ipsis electo, dummodo adsint testes graves, quorum ope convalidatio hujus Matrimonii fieri possit publica, si hoc ad tollendum scandalum sit necessarium, scilicet si invaliditas prioris conjunctionis sit notoria.

Quær. 2° *Quid agendum, si unus renuat contrahere coram Parocho?*

Resp. Sic respondet Card. Caprara in Instructione citata: "Si renuentia oriatur ex ignorantia vel aliquo errore contra leges aut doctrinam Ecclesiæ circa impedimenta Matrimonium irritantia, renuens debita cum prudentia et in caritate instruatur. Et quatenus adhuc renuat Matrimonium suum in facie Ecclesiæ convalidare, tunc satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui ejus nomine Matrimonium contrahat de more; aut saltem, expresso consensu de præsenti per Epistolam directam proprio Parocho vel alteri sacerdoti Ordinarii aut Parochi licentiam habenti, Matrimonium renovetur."

Quær. 3° *Quid, si pars indisposita ne per procuratorem quidem velit contrahere, etc.?*

Resp. Sic idem respondet Cardin. Caprara: "Si hactenus præscripta obtineri nullatenus possint, et pars una ad celebrationem Matrimonii juxta superius tradita faciendam adduci nequeat, . . . ad dispensationem in radice Matrimonii, seu ad Matrimonii sanationem in radice deveniri posse judicamus, ita ut saltem innocentis partis animæ saluti, prolis legitimitati et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animæ saluti provideri possit."

Quær. 4° *Quid, si neutra pars denuo Matrimonium contrahere consentiat?*

Resp. Nihil omnino hic et nunc faciendum est, cum nulla dispensatio ab Ecclesia in tali casu concedatur. Restat igitur, ut Parochus vacet ferventi orationi, frequenter Deo miserrimos concubinarios commendet, et assiduis curis horum conversionem procurare satagat.

ARTICULUS III.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII IRRITI OB INHABILITATEM PARTIUM.

Ad revalidandum Matrimonium irritum ob impedimentum ecclesiasticum, ante omnia obtinenda est impedimenti dispensatio. Duplicis vero generis datur, scilicet: 1° dispensatio simplex, seu modo

consueto; 2° dispensatio in *radice* Matrimonii.

§ I. *De revalidatione Matrimonii modo ordinario.*

1633. — I^a *Regula.* Si uterque conjux sit conscius impedimenti, uterque tenetur consensum renovare, obtenta dispensatione ad Matrimonium revalidandum. Ratio est, quia scientia nullitatis Matrimonii, ob notum impedimentum dirimens, necessario verum consensum in præcedenti Matrimonii contractu excluserat.

II^a *Regula.* Si una tantum pars impedimentum cognoverit, illa certo tenetur consensum suum renovare, saltem sola seorsim. Sequitur ex modo dictis.

III^a *Regula.* Pars ignara impedimenti non deberet necessario renovare consensum ad Matrimonii validitatem, si impedimentum alteram tantum partem respiceret. Ratio est, quia consensus illius fuit ab initio validus, et proinde perseverat; ergo sufficeret renovatio consensus partis inhabilis. Hinc, si fidelis duxisset non baptizatam, quæ ignorat impedimentum, sufficeret, ut, cessante infidelitate vel obtenta dispensatione, fidelis renovaret consensum; quia consensus infidelis fuit validus, cum Ecclesia non potuerit ei imprimere inhabilitatem personalem.

1634. QUÆSITA. — Quær. 1° *An pars ignorans impedimentum, necessario debeat consensum renovare ad validam Matrimonii redintegrationem?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis:

I^a SENTENTIA *affirmat.* Ratio est, 1° quia impedimentum tollit efficaciam consensus a principio; ergo remanet ineffícax, et proinde nullum effectum producere potest, cum perseveret eodem modo, quo datus est: dispensatio autem simplex non sanat vitium, quod præcessit, sed partes reddit solummodo capaces ad consentiendum in posterum; 2° quia in Rescriptis S. Pœnitentiariæ hæc clausula addi solet: *Altera parte de nullitate prioris Matrimonii certiorata.* Ergo. — Sanchez, Sylvius, Navarrus, etc.

II^a SENTENTIA *negat.* Ratio est, quia prior consensus, licet effectu suo caruerit ob impedimentum a jure positivo appositum, tamen de jure naturæ fuit validus, cum fuerit præstitus erga personam de jure naturæ habilem ad contrahendum: ergo, sublato impedimento, sufficit prior consensus, qui virtualiter in effectu per copulam conjugalem, cohabitationem, aut per alia signa externa perseverat. Ergo, accedente consensu interno conjugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia signa externa, utriusque consensus unitur et Matrimonium convalidatur, etc.

Cæterum in praxi ob clausulam S. Pœnitentiariæ, quæ apponitur ut conditio, et non ut simplex instructio tantum, non est recedendum a prima sententia, nisi obtineatur dispensatio *in radice*, saltem extra casum urgentis necessitatis. Si autem casus urgeat, nec facile dispensatio in radice obtineri possit, licebit uti secunda sententia; quia in ejusmodi angustiis non est prohibitum uti opinione probabili, vel etiam tenuiter probabili, etiam cum periculo frustrationis Sacramenti. Necessitas autem urgens adest, quando ex manifestatione nullitatis Matrimonii alteri parti facta, vel ex separatione conjugum, periculum mortis aut gravis infamiæ vel scandali timeri prudenter potest.[1]

Quær. 2° *An consensus renovari debeat coram Parocho et testibus?*

Resp. 1° *Affirm.*, si impedimentum sit publicum. Ratio est, 1° quia urget tunc ratio scandali tollendi aut præcavendi; 2° quia sic exigunt semper Brevia Datariæ; 3° quia secus validitas Matrimonii probari non posset coram Ecclesia, cum constet publice Parochum et testes non adfuisse nisi celebrationi Matrimonii invalidi, et sic finis intentus a Trid. non obtineretur; possent enim conjuges, post Matrimonium clandestine revalidatum, separari, et cum aliis impune novas inire nuptias. Ob paritatem rationum resolutio etiam valet pro locis, ubi Decret. Trid. de clandestinitate non viget, sed valet quoad licéitatem tantum. — Proclamationes in tali casu haud repetantur; consensus coram Parocho (et si de loco, ubi viget Trid. Decr., agitur, coram fidis testibus) *privatim* præstetur.[2] — "Quoties" vero "pars acatholica non vult coram" sacerdote "se sistere, secreta renovatio permitti potest."[3]

[1] L. VI. 1115. 1116. [2] Instr. Austr. § 91.
[3] Kenr. Tr. XXI. 226.

Resp. 2° *Neg.*, si impedimentum sit occultum. Ratio est, 1° quia lex Trid. tunc videtur jam sufficienter adimpleta per præsentiam Parochi et testium in primo Matrimonio, vel quia Conc. Trid., præscribendo præsentiam Parochi et testium, merito præsumitur noluisse hunc casum comprehendere. Concilium enim voluit tantum occurrere incommodis, quæ exsurgebant ex nuptiis clam celebratis; sed in nostro casu Matrimonium jam publice est contractum, et idcirco illud abest periculum; sufficit igitur novum consensum clam ponere; 2° quia non modo inutilis foret legis extensio ad hunc casum, sed etiam nociva; quippe locum præberet pluribus scandalis, partes exponeret diffamationi, multaque alia incommoda induceret; ergo . . . 3° quia evincitur ex praxi constanti S. Pœnitentiariæ, S. C. C. et aliorum tribunalium. — S. Alph., et alii *communiter* contra *paucos*.[1]

Quær. 3° *An saltem Matrimonium, nullum ob impedimentum occultum, sit revalidandum coram Parocho et testibus, si isti tempore Matrimonii fuerunt conscii impedimenti?*

Resp. Sententia *negans* S° Alph° *probabilior* videtur. Ratio est, quia assistentia Parochi et testium fuit præscripta a Trid., non tam ad testandam Matrimonii validitatem, quæ multipliciter potest eis esse ignota, quam ad probandam externam Matrimonii celebrationem, ut periculo obvietur, ne iidem conjuges alias nuptias ineant.

Affirmativa autem S° Doctori etiam probabilis est; quia Parochus et testes, assistendo Matrimonio ipsis noto tamquam invalido, testes tantummodo fuerunt nullitatis Matrimonii.[2]

Quær. 4° *Quotuplici modo possit renovari seu exigi consensus a parte ignara impedimenti, post obtentam dispensationem?*

Resp. Hi sunt præcipui a variis auctoribus assignati:

I^us^ *Modus.* Si conjux simpliciter dicat: *Nullum est Matrimonium nostrum propter aliquod impedimentum*, vel: *Dixit mihi confessarius nullum esse, . . . ideoque renovemus consensum.*

II^us^ *Modus.* Si dicat conjux: *Non habui verum consensum, quando Matrimonium contraxi; novum nunc præstare volo. Vis et tu præstare?* Hic modus communiter admittitur ab auctoribus, et recte adhiberi potest sine mendacio, cum consensus nullus non sit *verus consensus;* et aliunde conjux ignarus impedimenti satis sic cognoscit Matrimonii nullitatem.

III^us^ *Modus.* Si dicat: *Angor scrupulis de valore nostri Matrimonii, ideoque renovemus consensum.* Admitti potest hic modus juxta communiorem sententiam cum S. Alph.[1] Sufficit enim, ut altera pars ponat consensum a priori independentem; ad hoc autem satis est, si dubitet prudenter de valore primi Matrimonii.

Exhibentur etiam varii alii modi a pluribus Theologis; v. g. si conjux comparti dicat: *Dic, quæso, si nullum esset nostrum Matrimonium, nonne iterum contrahere velles?* Vel: *Si non mihi nupsisses, nonne nunc nubere velles?* etc. Sed merito isti modi rejiciuntur; quia sic incertum est, num altera pars intendat consensum iterare in præcedens Matrimonium, an vero in novum consentire. Priorem tamen modum: *Dic, quæso*, etc. admittit S. Alph. casu, quo altera pars per eum dubitare vel suspicari inciperet valorem Matrimonii.[2]

§ II. *De revalidatione Matrimonii cum dispensatione in radice.*

1635. — Dispensatio *in radice* est abrogatio legis ecclesiasticæ, quæ impedimentum induxit, in casu particulari, conjuncta cum irritatione omnium effectuum, qui etiam antea ex lege subsecuti sunt.

Hæc igitur dispensatio effectum producit tollendo de medio legis effectus, qui ob Matrimonii nullitatem, ante indultam dispensationem, ac etiam in ipso contrahendi actu, producti fuerunt. — Ita Ben. XIV.[3]

Hinc dispensatio simplex a dispensatione in radice in eo differt, quod prior effectum suum non habet nisi *a tempore quo conceditur*, seu *ex nunc*, nec proinde eximere potest a consensus renovatione. Posterior vero convalidat Matrimonium *a tempore Matrimonii*, seu *ex tunc*, i. e. per *fictionem juris*, ascendendo

[1] L. VI. 1110. [2] Ib. 1112.

[1] L. VI. 1117.
[2] Ib.
[3] Ben. XIV. Inst. 87. n. 80. § Hæc sane. De Syn. L. XIII. c. XXI. n. 7.

ad radicem seu originem Matrimonii, et in eodem statu rem ponit, ac si impedimentum nunquam extitisset. Hinc dicitur dispensatio *in radice*, propterea quod destruat effectum impedimenti *a radice* seu a principio Matrimonii, scilicet 1° sanando vitium consensus; 2° validitatem Matrimonio tribuendo; 3° legitimitatem filiis conferendo in ordine ad effectus spirituales: intellige, quod idoneus fiat ad beneficia, Ordines, atque ecclesiastica officia; qua de re nulla umquam extitit sententiarum dissensio.

1636. Principia.—I. Potest Ecclesia, seu Summus Pontifex, dispensare *in radice* Matrimonii quoad omnia impedimenta Juris Ecclesiastici. Ratio est, 1° Quia dispensare in radice nihil aliud est, quam auferre impedimentum non tantum *in futurum*, sed etiam in præteritum, seu tollere effectus, quos produxit, ita ut coram Ecclesia habeantur, quasi nunquam extiterint. In his autem nihil est, quod potestatem Ecclesiæ excedat. Ergo. 2° Quia id constat, confirmaturque ex praxi Ecclesiæ, quæ a pluribus sæculis tales dispensationes concedere consuevit. Primus sic dispensasse legitur Bonifacius VIII. ann. 1301; recentioribus autem temporibus frequentius eodem modo dispensarunt Pius VI., Pius VII., Leo XII., etc.

II. Quatuor autem conditiones requiruntur, ut Matrimonium ope dispensationis in radice convalidari possit, scilicet:

1° Ut conjunctio conjugum *habuerit speciem extrinsecam justi Matrimonii*, neque fuerit manifeste fornicaria. Sic Benedict. XIV. Idemque exigit Card. Caprara. Ratio petenda est, non ex rei essentia, ut quidam volunt, sed ex voluntate Pontificia, prout exemplis probat cl. Feije.[1] — Extrinseca autem species Matrimonii adest etiam in nuptiis, quæ in loco, ubi alterutrum lex dirimens clandestinitatis non obligabat, contractæ fuerunt invalide propter occultum impedimentum, sive coram civili magistratu, sive coram ministello, sive alio modo Matrimonii intentionem attestante. Imo species extrinseca Matrimonii excludi non potest ab iis Matrimoniis, de quibus serio dubitatur utrum in loco celebrationis sint lege Trid. ligata, et quæ uno alterove modo supra dicto contracta fuerunt.[1]

2° Ut consensus *utriusque perseveraverit*; neque enim Ecclesia consensum, etiam ex una tantum parte retractatum, convalidare potest. Aliunde non raro Pontifex exigit in Rescripto, ut *constet* de permanenti consensu utriusque partis. Sin autem illud non exigitur, sufficit non haberi revocationis consensus argumentum, de quo non imprudenter inquirendum.[2]

3° Ut adsit urgens et gravis causa. In triplici autem casu præcipue hæc haberi potest, nempe: 1° quando una pars ad renovationem consensus adduci nequit, et nihilominus consensum de præsenti exhibet remanendi in Matrimonio; sic Card. Caprara; 2° Quando uni tantum parti notum est impedimentum, quod sine gravibus incommodis alteri manifestari non posset; 3° Quando urgens adest ratio non monendi conjuges de nullitate Matrimonii.

Hæc tertia conditio non requiritur ad validitatem dispensationis, si dispensatio absque illa *scienter* concedatur a Summo Pontifice; secus, si concedatur ab Episcopo ex Indulto particulari, ut apud nos.

4° Ut agatur de impedimento Juris Ecclesiastici; "consensum enim, impedimento juris naturæ vel divini, e. g. ligaminis, vitiatum, sanare Pontifex nequit. Si vero ejusmodi impedimentum post invalide ob ecclesiasticum impedimentum celebratum Matrimonium supervenerit, e. g. impotentia perpetua, nihilominus potest sanari Matrimonium in radice; respectu enim futuri Matrimonii foret hæc impotentia antecedens, sed respectu jam contracti est subsequens. Difficile quidem est concipere sanationem in radice, quum Matrimonium revera non fiat validum, nisi ex nunc, seu quando sanatio applicatur, ideoque revera videri potest impotentia Matrimonium antecedere; verum explicandi ratio est petenda a peculiari natura sanationis in radice, qua consensus olim actu præstitus per impedimenti ex tunc abrogationem sanatur. Ad manum habemus ejusmodi sanationem in radice a SS. D. N. Pio IX. concessam a. 1848. Uti tamen Matrimonio partes profecto non possunt." Ita cl. Feije.[3]

[1] De Imp. n. 768.

[1] De Imp. n. 768. [2] Acta, T. I. p. 186.
[3] Feije, de Imp. n. 769.

Nota. — Quamquam ordinarie sanatio in radice datur pro nullitate occulta, nihilominus in quibusdam circumstantiis difficillimis, et, positis quibusdam conditionibus, pro publica quoque nullitate conceditur.[1]

1637. QUÆSITA. — Quær. 1° *An dispensatio in radice possit obtineri et applicari, utraque parte illius ignara?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia nullo modo cognitio dispensationis requiritur, ut Ecclesia possit tollere effectum legis, seu obstaculum, quod oberat efficaciæ consensus; potestas enim Ecclesiæ a tali cognitione est omnino independens. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ. Etenim Clemens XIII., ut refert Collet, concessit cuidam Procopo (qui videtur fuisse Episcopus) facultatem, ut sanaret *in radice*, non monitis partibus, multa Matrimonia invalide inita ob nimiam facultatum acceptarum extensionem. Alia quoque exempla ab aliis de simili Matrimoniorum revalidatione referuntur.

Quær. 2° *An possit concedi dispensatio* IN RADICE, *si ambæ partes, dum contraherent, impedimentum cognoverint?*

Resp. 1° *Neg.*, juxta communiorem sententiam, si conjuges contrahendo clare cognoverint Matrimonii nullitatem. Ratio est, quia, cognita Matrimonii invaliditate, nequit dari in illud verus ac proprie dictus consensus, sed habetur tantum intentio vivendi in *concubinatu;* et proinde consensus sanari nequit, cum a principio fictus fuerit.

Resp. 2° *Affirm.*, si conjuges contrahendo, etsi impedimentum cognoverint, non tamen Matrimonium esse nullum dubitaverint, vel ad ejus invaliditatem non attenderint. Sic videtur intelligendus Card. Caprara, qui supponit posse obtineri dispensationem *in radice* ad convalidandum Matrimonium *clandestinum*, quando una pars recusat consensum renovare coram Ecclesia. Eodem modo de Matrimoniis civiliter tantum contractis in locis, ubi Trid. Decr. viget, distinguendum videtur.

Quær. 3° *An Episcopus dispensare possit* IN RADICE, *quando potest de impedimentis dirimentibus ex Indulto particulari dispensare?*

Resp. Neg. Ratio est, quia dispensatio in radice requirit majorem potestatem; et ideo non censetur contineri in aliis facultatibus. Comprobatur etiam ex praxi Ecclesiæ, quæ semper dat specialem facultatem, quando potestatem dispensandi in radice concedere intendit, uti datur Episcopis nostris. Vide p. LXXIV. n. 6.

Quær. 4° *Quomodo sit exequenda dispensatio* IN RADICE?

Resp. Eodem modo, ac dispensatio simplex, addendo in formula verba: *in radice.* Sic e. g.: "Ego, auctoritate Apostolica mihi concessa, Matrimonium a te contractum cum N., in radice ejus sano et consolido, prolemque susceptam et suscipiendam legitimam declaro. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti." Sed nulla formula in Rit. Rom. habetur. — Ejusmodi autem executio non *per se* necessaria est. Hinc omittenda, si præstat, neutrum conjugem de Matrimonii nullitate certiorem fieri. Secus fiat pro foro conscientiæ quoad eam partem, quæ impedimenti conscia est et executioni dispensationis se submittere parata; publice vero, vel saltem ita, ut publice innotescat, si nullitas Matrimonii publica est.[1]

Nota. — De competentia et modo judicium ferendi in causis matrimonialibus vide inter alia *Inst. pro judiciis eccles. Imp. Aust.*[2] *Anal.*[3] *Act.*[4]

APPENDICULA.

DE MODO PROCEDENDI, SI REVALIDATIO NULLO MODO LOCUM HABERE POSSIT VEL ANTEQUAM EA FIERI VALEAT.

1638. — Si post Matrimonium celebratum aliquod impedimentum *indispensabile utrique* conjugi indubie innotescat, conjuges non solum ab omni opere conjugali abstinere debent, sed etiam in genere a cohabitatione separandi sunt, invocato antea ad hanc finem interventu judicis ecclesiastici,[5] nisi grave scandalum publicum, quod aliter auferri nequit, vel periculum incontinentiæ illico separationem necessariam reddant. Si tamen impedimentum

[1] Feije, de Imp. n. 769.

[1] Heiss. § 64. III.
[2] § 95 sq.
[3] Sér. 6. col. 2071.
[4] T. I. p. 439. T. II. p. 434.
[5] L. IV. Decr. T. XIX. c. 3.

occultum esset, ex ejus manifestatione autem gravia incommoda provenirent et periculum incontinentiæ non urgeret, uti frater et soror simul habitare non illicitum conjugibus putamus. Si *unus solus* conjux impedimentum scit, regulariter alter monendus erit, licet monitio non profutura sit, qua monitione facta observandæ erunt regulæ modo expositæ.

Si autem *neuter* impedimenti occulti conscius sit et ex revelatione majora mala timeantur, in bona fide relinquantur.

1639.— Si vero dictum impedimentum est *dispensabile, utrique* conjugi notum et publicum, nec per simplicem consensus renovationem tolli potest, recurratur ad judicem ecclesiasticum, ut, quoad separationem a cohabitatione, ea, quæ conveniunt, statuat (nisi grave scandalum, etc. eam ante judicis dispositionem licitam reddat), et dispensationem procuret. — Si non est publicum, ipsi conjuges secreto per parochum vel confessarium dispensationem urgeant. Cohabitatio interim permitti potest, si periculum peccandi absit; secus se separent ad tempus, prudenter tamen, ne impedimentum, præsertim diffamans, publicum fiat. Si *unus* solummodo istud novit, regulariter alter certior faciendus erit; quod si sine magno incommodo fieri nequit, conscius impedimenti protinus dispensationem urgeat; et interim prudenter copulam vitet. Si *ambo* sint in bona fide, et circumstantiæ, v. g. ob periculum incontinentiæ, suadeant ipsis, ante obtentam dispensationem, nullitatem Matrimonii occultare, parochus vel confessarius ipse dispensationem procuret, et hac concessa, conjugi, cujus culpa forte impedimentum exortum est, id patefaciat, ut Matrimonium revalidetur.

Si vero ob grave incommodum neutri exponi potest, in bona fide relinquantur, obtinendo forte, ad removendum etiam peccatum materiale, revalidationem Matrimonii *in radice*, quæ tamen raro pro tali casu sperari potest. Non licet autem conjugi, qui impedimentum dirimens adesse certo scit, debitum vel petere vel reddere, dum impedimentum istud legitime non ablatum est, quæ demum cumque mala ex negatione debiti proveniant, et quamvis nullitas in foro externo probari nequeat.[1]

[1] L. V. Decr. T. XXXIX. c. 44.

CAPUT VIII.

DE DEBITO CONJUGALI.

1640. — Audi S. Alphonsum, quæstionem hanc aggredientem:[1] "Piget me de hac materia, quæ tantam præ se fert fœditatem, ut castas mentes ipso solo nomine perturbet, longiorem habere sermonem. Sed utinam non esset hæc materia frequens in Confessionibus excipiendis, ut non oporteret omnino confessarium plena tractatione, sed sufficeret compendio instructum esse! Ignoscat mihi propterea castus lector, si fuse de ea hic loquar, et ad casus particulares, qui deformiorem exhibent turpitudinem, descendam." . . .

Conjugale *debitum* dicitur communis ea conjugum actio, quæ generationi necessaria est, quæque a summo rerum omnium Provisore ad humanam societatem propagandam est ordinata. Hæc autem actio sita est in carnali copula, qua vir ac fœmina unum quasi corpus et una caro efficiuntur.

Ejusmodi actus vocatur *debitum* ab Apostolo; est enim id, quod sibi mutuo debent conjuges.

Agendum 1° de liceitate actus conjugalis; 2° de ejusdem obligatione: 3° de peccatis conjugum.

ARTICULUS I.

DE LICEITATE ACTUS CONJUGALIS 1° IN SE; 2° QUOAD CIRCUMSTANTIAS.

§ I. *De liceitate actus conjugalis in se spectati.*

1641. PRINCIPIA. — I. Actus conjugalis inter legitimos conjuges per se *honestus* est et *licitus:* est enim medium ab ipso naturæ Conditore statutum atque ordinatum ad legitimam humani generis propagationem.

II. Fines, qui actum hujusmodi honestum reddunt, sunt: 1° prolis generatio, quæ inter præcipuos Matrimonii fines enumeratur; 2° satisfactio obligationis erga alterum conjugem; 3° sedatio concupiscentiæ, atque exinde vitatio inconti-

[1] L. VI. 900.

nentiæ tum in se, tum in comparte; 4° desiderium honesti amoris fovendi vel conciliandi, conjugalis affectus patefaciendi, vel promovendi, etc. — Ita *communiter* cum S. Alph.,[1] Sanchez, aliisque contra *nonnullos*, qui postremos duos fines non admittunt.

1642. *Resolves.* — 1° Illicitus est conjugii usus, si fiat ob solam voluptatem, i. e. alios fines sive expresse excludendo, sive nullum eorum, ne virtualiter quidem, intendendo. Patet ex propositione 9ª ab Innocent. XI. damnata (p. XV.). *Per se* tamen esset tantum veniale peccatum, quemadmodum veniale est cibum ob solam delectationem sumere. Immunis autem ab hac culpa est conjugii usus, si satisfactio voluptatis ut remedium concupiscentiæ, sive expresse, sive implicite intendatur.[2] Cfr. n. 1548. q. 6°, *Prænot.* et n. 29. 31. q. 4°.

2° Graviter illicitus est usus Matrimonii cum mente adultera, ut, si quis accedens ad suam, sibi aliam repræsentet. — S. Alph.,[3] et alii *communiter*.

3° Sterilibus licitus est usus Matrimonii, tum quia nulla lex in oppositum ostendi potest, tum quia steriles per se idonei sunt ad actum conjugalem perficiendum: quod si generatio nulla sequatur, id per accidens omnino fit; et alii præter generationem adsunt honesti fines conjugalem congressum cohonestantes.

4° Etiam senibus, quorum semen non est amplius prolificum, vel qui semen emittere non valent, usus conjugii licet, dummodo copulam sufficienter perficere valeant, vel ipsam perficiendi spem habeant non inanem. Favent enim senibus eædem rationes, quas de sterilibus adduximus. Confirmatur præterea ex praxi Ecclesiæ, quæ Matrimoniis senum benedicit.[4]

§ II. *De liceitáte actus conjugalis quoad circumstantias.*

Præcipuæ circumstantiæ respiciunt personam, situm ac tempus.

[1] L. VI. 881 sq.
[2] Ib. 912. Cfr. Vind. p. 822. Ed. 2ª. T. II. p. 488.
[3] L. VI. 913.
[4] Ib. 954. Dub. 2.

I. *De circumstantiis personæ.*

1643.— Quadruplex circumstantia, seu impedimentum personæ adnexum, petitioni debiti obesse potest, scilicet: 1° votum castitatis (n. 1568–1571); 2° affinitas ex incestu (n. 1589. III.; n. 1590. 6ª. 7ª. 8ª); 3° cognatio spiritualis (n. 1585. 6°); 4° impotentia corporalis (n. 1618. III.; n. 1619).

Nota. — 1° Juxta communiorem et probabiliorem sententiam, debitum petere potest, imo tenetur, conjux ligatus voto, aut impedimento affinitatis, vel cognationis spiritualis, cum advertit, compartem, petere non audentem, versari in periculo incontinentiæ. Petere etiam potest, quoties alter *interpretative* petit, e. g. quando mulier verecundia detinetur, ac vir sentit, ut ait S. Thomas, ejus voluntatem petendi; quia tunc potius est reddere quam petere.[1]

2° Conjux tamen vinculo impeditus, ne ad vitandam quidem incontinentiam debitum exigere potest: incontinentiæ quippe periculum est quidem causa dispensationem vel suspensionem voti obtinendi, non vero debitum petendi.— Ita Sanchez, aliique. Excipe, non improbabiliter, si agatur de impedimentis ab Ecclesia impositis, et dispensatio brevi obtineri nequeat, ac magnum periculum incontinentiæ sit in mora.[2]

II. *De circumstantiis modi vel situs.*

1644. — Iª *Regula.* Situs prorsus licitus ille est, quem natura ipsa docet, nempe ut mulier succuba sit, vir autem incubus. — Ita S. Thomas, et alii *communiter*. Ratio est, quia cæteri situs naturæ ordini nonnihil adversantur, et consequenter aliquam ordinis violationem inferunt.

IIª *Regula.* Nullus situs, quantumvis innaturalis, est *per se* graviter illicitus, dummodo actus conjugalis satis perfici possit; ratio est, quia qualiscumque sitûs inversio, dummodo perfici queat unio, generationem non impedit.[3]

IIIª *Regula.* Quilibet innaturalis situs, justa accedente causa, omni culpa vacat: interdum autem situs innaturalis facilior est, vel etiam solus possibilis; et quidem major quæpiam facilitas vel necessitas

[1] L. VI. 930. [2] Ib.
[3] Ib. 917.

ejusmodi inordinationem, quæ per se levis est, amovere potest.[1]

1645. *Resolves.* — 1° Minime peccant conjuges, qui situm invertunt ob periculum abortus tempore prægnationis ; ob viri pinguedinem vel curvitatem ; ob nimiam mulieris defatigationem, aut etiam ob frigiditatem, quando innaturali situ magis excitentur, etc.

2° Situs, qui solus possibilis est, qualiscumque demum sit, nullatenus damnatur, licet non modica seminis perditio sequatur ; quia pars ista seminis non est generationi necessaria, et per accidens, invitis conjugibus, deperditur.

III. *De circumstantiis temporis.*

Hæ circumstantiæ præcipue spectant ad tempus prægnationis, lactationis, menstrui, morbi, Festorum et Sacræ Communionis.

1646. — 1° Nullo tempore *sub gravi* actus conjugalis, *per se*, interdicitur, quia nulla lex invenitur, qua opus conjugii ratione temporis unquam prohibeatur. Dixi : *per se ;* quia forte quandoque, ratione circumstantiarum, induci posset proximum abortus aut valetudinis periculum. Sed hoc rarissimum est, nec facile in quibusdam casibus prævideri potest.

2° Imo juxta Theologos plerosque actus conjugalis ne leviter quidem, ratione temporis, unquam interdicitur ; ratio, quia nulla lex assignari potest, qua etiam sub levi unquam prohibeatur. Attamen S. Alph°[2] magis arridet opinio, quæ non excusat a culpa veniali, si copula tempore prægnationis fiat, nisi adsit periculum incontinentiæ, vel alia causa honesta, quæ vix alioquin unquam abesse potest.

3° Communior sententia docet, coitum tempore menstrui habitum non excusari a veniali ob indecentiam, quam præ se ferre videtur, nisi adsit aliqua causa cohonestans, nempe ad vitanda dissidia, aut incontinentiam præcavendam, etc.[3] — Confessarius autem prudens hac in re ab omni interrogatione abstinebit, cum nihil sit a pœnitente necessario declarandum. Idem, ob paritatem rationis, communiter tenent de copula a conjugibus tempore purgationis, seu diebus partum sequentibus, habita. Hæc tamen mortalis esse posset *per accidens*, si scil. exinde uxori gravis morbus vel notabilis morbi aggravatio immineret.[1]

4° Non est illicitus actus conjugii tempore lactationis, quia nulla est lex prohibens, nec ullum, teste experientia, periculum, saltem proximum, lac inficiendi. Unde non est ratio, cur conjuges tanto tempore teneantur abstinere ab usu Matrimonii cum continuo peccandi periculo. Sic *communissime* ait S. Alph.[2]

5° Actus conjugalis tempore morbi, saltem plerumque, neque *sub gravi*, neque *sub levi* est illicitus, quia crebro nullum inde accidit damnum conjugibus ; labor autem, qui actum comitatur, in morbum, saltem communiter loquendo, admodum influere nequit.

Verum generaliter et sapienter in hanc rem adnotator anonymus Gury[3] sequentia monet : " Opiniones theologicæ de liceitate actus conjugalis, quoad circumstantias, duplici innituntur principio, quorum primum respicit jus seu legis naturalis dictamen, alterum respicit factum. Quod nimirum in usu conjugii haud liceat impedimentum generationi apponere, vel sibi, aut comparti, aut proli grave damnum afferre, hæc totidem sunt juris naturalis principia, quibus merito Theologi firmiter inhærent ; quod vero talis circumstantia gravia ejusmodi mala ordinario producat, hæc alterius ordinis quæstio est, ac nonnisi ex physiologiæ ac medicinæ argumentis resolvenda. Quare diversæ Theologorum sententiæ circa ejusmodi controversias, haud certo definitas, tamquam hypotheticæ conclusiones habendæ sunt."

6° Juxta communiorem sententiam non est illicitus diebus *Dominicis* ac *Festis*, etiam solemnioribus ; tum quia nullum jus adversatur, tum etiam quia maritalis congressus non amovet conjuges a Festis Ecclesiæ servandis. Plerique e SS. Patribus, qui in oppositum objiciuntur, de consilio potius quam de præcepto loqui videntur. Hinc etiam deduces, non esse cur ejusmodi usus tempore Adventus vel Quadragesimæ prohibeatur. — Ita *communiter*.[4] Vide p. XCI. C). 2°.

[1] L. VI. 917. [2] Ib. 924.
[3] Ib. 925.

[1] Ib. 926.
[2] Ib. 911.
[3] Ed. Rom. 1873. n. 913 (* *).
[4] L. VI. 923.

7° Denique *per se* non prohibetur die *Sacræ Communionis*, quamvis ad eam ex pietate tantum accedant conjuges, modo ex honesto fine agant. — Ita *communiter* S. Alph.,[1] Lugo, Sanchez, aliique, qui docent esse de mero consilio abstinere a copula die Communionis, sive ante, sive post Communionem, modo non immediate post eam susceptam, neque ex mera voluptatis causa habeatur. Cfr. n. 1311. 2°.

ARTICULUS II.

DE OBLIGATIONE ACTUS CONJUGALIS.

1647. PRINCIPIA. — I. Datur justitiæ obligatio, *per se* gravis, reddendi debitum alteri conjugi serio et rationabiliter petenti. Ratio est, quia ex ipsa natura contractus matrimonialis conjuges sibi invicem transferunt potestatem corporum in ordine ad usum conjugalem. Deducitur etiam ex verbis Apostoli:[2] *Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro; mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.*

II. Nulla, *per se*, urget obligatio petendi debitum conjugale. Ratio est, quia neuter conjux jure suo uti tenetur, et uterque illud remittere potest. *Per accidens* tamen dari potest petendi obligatio ex caritate vel alia virtute, præsertim in viro, v. g. si judicet compartem versari in periculo incontinentiæ ob verecundiam petendi, aut si petitio necessaria sit ad fovendum aut restaurandum amorem conjugalem, etc. — Vide S. Alph.[3]

III. Cessat in uno obligatio reddendi debitum, cessante jure illud exigendi in altero: jus autem in sequentibus præcipue casibus perimitur, scilicet:

1° Si unus conjugum adulterium commiserit, dummodo adsint conditiones enumeratæ n. 1552. III. 3°. Hoc tamen in casu petitio non erit *illicita*, ut est in casibus, de quibus n. 1643.

2° Si petens usu rationis careat, quia petitio ejus non est humana. Licite tamen redditur, nisi adsit periculum scandali, abortus vel alterius gravis damni; imo reddi debet, si urgeat periculum incontinentiæ, etiam materialis, in amente vel ebrio (secluso tamen majori malo), vel si conjux perfecte amens vel ebrius non sit.[1]

3° Si reddens possit rationabiliter timere damnum vel periculum grave sanitatis, quia non censentur conjuges se obligasse ad debitum cum tanto incommodo reddendum. Idem tene, si ejusmodi mala timenda sint pro prole *jam concepta*, et *universim* etiam, si pro petente.[2]

4° Si petens, ob commissum incestum cum consanguineis alterius, in primo aut secundo gradu, aut aliam ob causam jus petendi amiserit.

5° Si nimis frequenter petatur (n. 1648. 3°).

6° Si alter sufficientem dederit divortii causam, quousque scil. ea perseverat existere (n. 1552. III.).

7° Intra primum bimestre post celebratum Matrimonium (n. 1551. 2°).

8° Si alter illicite petat, quo tamen casu sequenti modo distinguendum est. *Vel* enim illiceitas se tenet ex parte solius reddentis, *vel* ex parte solius petentis, *vel* ex parte actus, ita ut petentem et reddentem afficiat.

Pro 1° *casu* (v. g. si petens actum exigat ea conditione, ut reddens conceptionem impediat) sit regula: *nec* reddere *tenetur, nec licet* cum peccato proprio, etiam veniali, cum nulla obligatio aut liceitas ad peccatum existere possit.[3] Aliter, uti patet, si, quod peccatum *per se* dici debeat, *per adjuncta* licitum redditur, ut contingere potest in situ innaturali, etc.[4]

In 2° *casu* obligatio est reddendi, si agitur solummodo de peccato veniali, v. g. si actus petatur ob solam voluptatem; vix enim demonstrari poterit jus negandi aliquod debitum grave justitiæ, quia jure isto gaudens eo usurus est cum malitia levi. — Si vero petatur cum mortali (v. g. mente adultera, vel ab eo, qui voto castitatis ligatus est, vel ab onanista), licite redditur sive potius *mere permittitur* ille actus, si adsit gravis causa (n. 1653. III.) et periculum proximum consensus in opus, *qua malum est*, non urgeat (n. 1654. 2°; 1655. q. 3°). — Imo redditionem in his circumstantiis *S. Alphonsus* probabilius simpliciter debitam ait, si petens non sit privatus suo jure, v. g. per incestum.[5]

[1] L. VI. 273. 274. 922. [2] I. Cor. 7. 3.
[3] L. VI. 928. 929.
[1] L. VI. 948. [2] Ib. 909. 911. 950.
[3] Ib. 943. [4] Ib. 946 in fine.
[5] Ib. 944–946.

In 3° *casu* vero distinguendum.— Licet reddere, si actus non sit ita intrinsece malus, ut nunquam per circumstantias particulares illiceitas auferri possit, et si tales circumstantiæ revera adsint (n. 1648. 6°. 8°). Secus non licet; esset enim participatio in ipso actu illicito.[1]

Nota. — Si monitio vel petitio, ut exigens a peccato desistat, profutura prævideatur et sine gravi incommodo (quod ut plurimum aderit) fieri possit, permissioni præmitti a comparte debet, præsertim si agatur de peccato mortali (n. 1654. 3° 4°). — Quodsi agitur de impedito ad petendum, v. g. per votum, tutius erit, si compars impeditum propria petitione præveniat, aut petitioni impediti jam factæ propriam superaddat. Uxor tamen, ratione verecundiæ, raro ad id tenebitur.[2]

1648. *Resolves.* — 1° Teuentur conjuges ad cohabitationem, nec potest unus diutius abesse sine alterius consensu, aut sine necessitate; hæc quippe obligatio sequitur ex ipsa obligatione debitum reddendi. Causæ autem justæ abeundi ad longum tempus sunt bonum publicum, familia alenda vel tuenda, damnum ab inimicis vitandum, etc. Debet autem vir, qui alibi diu manere debet, uxorem eo ducere, si commode possit, ut secum cohabitet.[3] Quoad legem civilem, vide n. 445. 2°. 3°.

2° Graviter peccat conjux negans debitum, quoties est periculum incontinentiæ vel gravis molestiæ in altera parte. Item si neget alteri *serio* petenti. Secus autem, si compars benevole remittat, aut remisse petat. Attamen *remissa* petitio omnino distingui debet ab *interpretativa* vel *virtuali*, quæ habetur per signa indicantia seriam voluntatem petendi, et ex qua obligatio debitum reddendi oritur. Hoc maxime verificatur in fœmina, quæ potissimum subditur verecundiæ, et præ rubore non petit *expresse*, quod *anxie* petit.

3° Non peccat negans, quando alter immoderate petit, v. g. post tertiam vel quartam vicem eadem nocte; nec si differat ad breve tempus, nempe ad noctem, vel si a nocte differat ad tempus matutinum, secluso tamen semper incontinentiæ periculo.[4]

4° Reprehendendæ sunt uxores, quæ maritis suis absque sufficienti causa debitum negant, etsi remisse petant; vel quæ non concedunt nisi coactæ, viroque dure et contumeliose suas petitiones exprobrant.

5° Non excusatur a debito reddendo uxor ob ordinaria partus, graviditatis aut nutritionis incommoda; — nec ob dolores graves quidem, sed tempore breves; — nec ob dolores diuturnos, sed moderatos v. g. capitis per plures menses post partum; — nec ob sanitatem aliquantisper debilitatam; quia hæc omnia conditioni matrimoniali adnexa sunt; secus autem, si periculum vitæ aut morbi gravissimi, ex judicio medici vere prudentis, pertimescendum esset.[1]

6° Non est obligatio debitum reddendi alteri laboranti morbo contagioso in se gravi, ut est pestis, morbus venereus, aut quid simile. Pariter ob notabilem corporis debilitatem excusantur a reddendo debito laborantes febri valida aut alio morbo gravi. Probabiliter tamen, non obstante periculo gravi sanitatis, conjux debitum reddere *potest*, ut compartem a probabili incontinentiæ periculo liberet [licet enim etiam vitam exponere propter opus eximium caritatis (n. 279. 461)], vel ob aliam gravem causam (v. g. ad fovendum mutuum amorem), modo morbus sit diuturnus et non soleat de brevi et facili mortem inferre, quibus in casibus etiam petere licet. Debet tamen petens vel reddens, cum morbo contagioso et gravi, hanc circumstantiam parti insciæ manifestare. Morbum vero infamantem, e. g. venereum, non tenetur compars comparti manifestare, modo et a petendo et a reddendo abstineat; nec reddere tenetur casu, quo ejusmodi morbum manifestare nolit; debitum enim conjugale non obligat cum jactura famæ.[2]

7° Non excusatur conjux a debito reddendo ob timorem prolis numerosioris; procreatio enim prolis ad præcipuum finem Matrimonii spectat; unde incommodum illud est ipsimet Matrimonio intrinsecum.[3]

8° Quoad obligationen abstinendi ab actu conjugali ob damnum, quod proli *jam conceptæ vel natæ* forte accidere posset, probabilitas et gravitas damni ex una, difficultas carendi jure conjugali autem ex

[1] L. VI. 946. [2] Ib. 944.
[3] Ib. 939. [4] Ib. 940.

[1] L. VI. 952. [2] Ib. 950. 909.
[3] Ib. 941.

altera parte perpendantur. Non constat, usum conjugii prohiberi ob damnum non tanti momenti, quod proli obvenit et caveri non potest, si longa abstinentia difficillima sit.[1]

Esset vero actus conjugalis illicitus, si exinde periculum mortis proximum pro prole jam concepta oriretur, v. g. ob abortum proxime timendum (n. 1646. 1°); vix umquam enim circumstantiæ concurrent, quæ abortum permittere licitum reddunt (n. 474. II.). Ceterum ejusmodi pericula non sunt fingenda: hinc liceitas hujus actus non est in dubium vocanda, nisi in casu concreto prudens saltem adsit timor.

Si autem de prole *concipienda* agitur, obligant auctores ad redditionem debiti, quamvis timendum sit, ne proles infirma nascatur, cum huic sit melius "sic esse, quam penitus non esse."[2]

Sententia tandem (*communior* utique) asserens, uxorem expertam, se filios parere mortuos, debitum reddere non posse, nisi adsit periculum incontinentiæ, in concreto vix probabilis videtur, nisi de hoc certo, v. g. ex medici periti judicio, constet. Quoties enim id experiri licebit? Nonne sæpe post partus infaustos proles sana prodiit? etc. Adde periculum incontinentiæ, quod maxime aderit, si ob hanc causam perpetuo abstinendum esset ab usu conjugii.[3]

ARTICULUS III.

DE PECCATIS CONJUGUM.

1649. — Patrari possunt peccata inter conjuges ratione actus conjugalis sive per *excessum*, hoc est, actus ad generationem inutiles ponendo, sive per *defectum*, actum essentialem non perficiendo, seu crimine *onanismi* torum maculando. (Cfr. etiam n. 1641. II. 1°. 2°. Insuper verecundia et sæpe ratio vitandi scandali [n. 432. 5°] *locum secretissimum requirit.*)

Hinc paragraphus duplex.

§ I. *De peccatis conjugum per excessum.*

Triplicis generis distinguntur actus qui, præter copulam, sed ejus occasione aut prætextu, a conjugibus exerceri possunt. 1° Alii sunt nocivi generationi, ut sodomia et pollutio, et sunt contra naturam. 2° Alii utiles, ut tactus excitantes naturam et amorem foventes. 3° Alii nec nocivi, nec utiles, et dicuntur præter naturam.

1650. PRINCIPIA. — I. Quidquid est necessarium ad actum conjugalem complendum, aut utile ad illum facilius, citius, aut perfectius exercendum, est conjugibus omnino licitum. Ratio, quia qui habet jus ad rem, habet jus etiam ad media necessaria vel utilia, nec aliunde prohibita; et quibus licitum est principale, licitum etiam est accessorium, ac medium ad illud ordinatum.

II. Quidquid in actu conjugali generationi obest, seu pollutionem per se inducit extra conjunctionem naturalem, est graviter illicitum. Ratio est, quia effusio voluntaria seminis non est licita nisi in ordine ad generationem, et proinde Matrimonium non dat conjugibus facultatem nisi ad seminis effusionem, quæ generationi per se inservire possit; alioquin vero, si homines voluptate ipsa frui sine consequenti prolis alendæ et educandæ onere possent, filiorum generatio facile posthaberetur, imo vitaretur data opera, et sic societas ipsa ad interitum declinaret.

III. Quidquid non obest quidem, per se tamen minus necessarium, minusve utile est ad actum generandi, culpæ verti nequit, nisi levi; a qua tamen alii fines ejusmodi actibus intrinseci excusant, nempe ut affectus conjugalis servetur ac foveatur, aut saltem ut concupiscentia sedetur. Vide n. 1641. II.

1651. *Resolves.* — 1° Culpa vacant inter conjuges oscula quælibet honesta, et tactus in partes tum honestas, tum etiam minus honestas (si tamen caute fiant) ratione affectus conjugalis demonstrandi, aut amoris confovendi, etiamsi aliquando *per accidens* sequeretur *involuntaria* pollutio; quia omnia amoris honesta signa, etiam tenera, ut media ad finem, sunt licita iis, qui ex vinculo matrimoniali *cor unum* et *caro una* fieri debent.[1] Quodsi in aliquo casu *certius* prævideretur pollutio, applicentur principia de *voluntario in causa*, n. 8.

2° Culpa *per se* vacant etiam tactus et aspectus minus honesti, si ad copulam

[1] Ib. 911. Sanchez, de Matr. L. IX. D. 22. n. 14. 15.
[2] L. VI. 951.
[3] Ib. 953. H. A. Tr. XVIII. 49.

[1] L. VI. 934.

immediate referantur. Imo idem tenendum, etiamsi essent *simpliciter* inhonesti, sed ad naturam excitandam necessarii aut utiles; tunc enim sunt quædam copulæ præparatio, et velut inchoatio. Si autem actus, quibus conjux se ad actum conjugalem disponit, tales sint, ut pollutionem *per se* facile provocent, culpabiles esse queunt, si desit diligentia ad pollutionem extra congressum evitandam; quæ diligentiæ omissio, ubi hujusmodi sit ut prope per eam quis pollutionem velle censeatur, gravis etiam culpa erit. Idem tene, si in ejusmodi præambulis ad copulam adesset animus sodomiticus.[1] Quod si, debita adhibita diligentia, pollutio præter intentionem sequatur, nulla erit culpa.

3° Non peccant graviter conjuges, etsi tactibus, etiam sine intentione copulæ habitis, exurgat commotio spirituum, vel membrorum generationi inservientium, aut sequatur distillatio; quamvis hæc in solutis mortalia essent: ratio, quia, secluso voluntariæ pollutionis aut sodomiæ crimine, nihil fit contra bonum Matrimonii. — Ita *communiter*.[2] Levis autem culpa, quæ in hujusmodi actibus inesse potest, facile ob fines ipsi Matrimonio intrinsecos aut alios extrinsecos excusatur, v. g. quia ad fovendum affectum, vel ad sedandam concupiscentiam idonei sunt.

Quid vero, si conjuges, incepta copula, cohibeant seminationem? Respondet S. Alph.[3] "Si conjuges ambo in hoc consentiunt, nec adsit periculum seminandi extra vas, id *per se* loquendo non est mortale; illa enim penetratio vasis fœminei tunc reputatur instar tactus verendorum, qui inter conjuges permittitur, vel saltem non est mortalis, secluso periculo pollutionis. S. Anton., etc. Dixi: 1) *si ambo consentiant*, nam si alter se retrahit sine alterius consensu, certe graviter peccat, ut dicunt omnes AA. præfati. Dixi: 2) *per se loquendo;* nam sapienter advertit Sanchez cum Veracrux, id ordinarie esse mortale, quia ordinarie adest periculum ex tali retractione effundendi semen, nisi conjuges experti sint oppositum, quo casu tamen puto nullo modo posse eos excusari a veniali, quidquid dicat Sanchez cum aliis."

Quid item, si maritus velit directe vel polluere mulierem, vel polluere semetipsum circa corpus mulieris absque copula matrimoniali, ut nimis sæpe in praxi accidit? — Respondet Berardi[1] (cum quadam tamen trepidatione, ut fatetur, eo quod Theologos modo claro et firmo suam opinionem docentes non invenerit): "Si mulier nullo modo possit hos tactus evitare, si cum propri marito dormiat, ita ut ad illos evitandos deberet thalamum omnino deserere, provocando maximam discordiam, et procurando sibi filiisque suis detrimenta gravissima; putarem ipsam non teneri ad talia ac tanta incommoda subeunda, et posse se limitare ad resistentiam moraliter sibi possibilem, dummodo per actus positivos turpibus viri tactibus nunquam se accomodet, sed solum ex prædictis causis gravibus illos permittat, passive se habens. Tunc enim mulier a parte sua nihil mali facit, et simpliciter dormit in suo lecto cum proprio marito. Tota malitia est a parte mariti ipsius, cujus quidem illicitos tactus mulier impedire deberet, si posset; non vero, si, quominus illos impediat, gravissima incommoda obstent."

Rem sapientioribus relinquens, non possum non animadvertere certo non licere mulieri passive se habere, si, nisi positive resistat, sit in periculo proximo consensus (cfr. n. 20).

4° Non peccat graviter, imo, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, nec leviter, uxor quæ seipsam tactibus excitat ad seminationem statim post copulam, in qua vir solus seminavit; 1° quia seminatio mulieris pertinet ad complendum conjugalem actum, ut proprie conjuges sint una caro; et, sicut uxor potest tactibus se præparare ad copulam, ita etiam eam perficere; 2° quia, si mulieres post talem irritationem compescere naturales motus tenerentur, essent jugiter magno periculo expositæ graviter peccandi.[2]

5° Tactus cum seipso ex delectatione venerea, absente altero conjuge, a peccato gravi excusari non possunt. Ratio est, tum quia conjux jus non habet utendi proprio corpore in ordine ad voluptatem secum explendam, sed tantum in ordine ad copulam, tum quia tactus pudendorum, quando fiunt morose, et cum commotione

[2] L. VI. 916. 935. [2] L. VI. 934.
[3] Ib. 918.
[1] De Occas. n. 242. V. [2] L. VI. 919.

spirituum, per se tendunt ad pollutionem, suntque proxime connexi cum ejus periculo. Et hanc opinionem S. Alph.[1] *probabiliorem* vocat et *omnino* in praxi *suadendam*, nullo de oppositæ sententiæ probabilitate lato judicio.

6° Delectatio *morosa* de copula habita, vel remote habenda, secluso pollutionis periculo (quod tamen *proxime* aderit, si cum commotione spirituum jungatur *titillatio* partium), juxta communem sententiam, est peccatum veniale tantum. 1° Est peccatum aliquod; quia in hac voluptate, ad proximam copulam non relata, inordinatio invenitur, cum desit finis honestus et frustra moveantur, inchoative saltem, spiritus genitales. 2° Veniale non excedit; quia, cum copula sit conjugibus *per se* licita, non potest esse graviter illicitum de illa delectari. Non autem illicita est simplex cogitatio de his habendis vel habitis.[2] Imo nec desiderium de copula futura, nec (excepto in viduo vel vidua) gaudium de præterita sunt *per se* illicita; quia desiderium aut gaudium de re licita nequit illicitum esse.

§ II. *De Onanismo in particulari.*

1652. — *Onanismus* in eo consistit quod vir, post incœptam copulam, ante seminationem se retrahat, et semen extra effundat, ut generationem impediat. Quisque per se videt, hoc esse libidini indulgere, et simul nolle onera Matrimonii assumere.

Nomen suum sortitur ab *Onan*, secundo filio patriarchæ *Judæ*, qui post defunctum fratrem suum Her, juxta morem, coactus est viduam ejus Thamar ducere, ut suscitaret semen fratri suo; sed *introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.*[3]

1653. *Statuenda.* — *Dico I.* Onanismus *voluntarius* est semper peccatum mortale, utpote contra naturam; ideoque nunquam conjugibus licitus esse potest. Ratio est, 1° quia plane pugnat contra finem primarium Matrimonii, et ad societatis extinctionem *per se* tendit, ac proinde naturalem ordinem subvertit; 2° quia a supremo Legislatore et naturæ Auctore *stricte* fuit prohibitus, ut eruitur ex textu *Genesis* modo relato; 3° constat insuper ex propositione 49ª ab Innocentio XI. damnata, quæ sic sonat: *Mollities jure naturali prohibita non est.* . . . Unde sic: Onanismus est vera et proprie dicta mollities, seu pollutio extra usum licitum Matrimonii; ergo. Hoc confirmatur pluribus S. Pœnitent. et S. Officii Decisionibus, infra referendis. — Dixi; *voluntarius;* quia non adest peccatum *Onanismi*, si in actu conjugali semen a muliere recipi quidem, sed non retineri possit, vel si post opus conjugii cœptum semen profundatur, ob necessitatem, v. g. quia alii superveniunt et opus conjugii interrumpi debet.[1]

Dico II. Vir *onanista* nunquam a peccato gravi excusari potest, et proinde nunquam absolvendus est, nisi de peccato suo sincere doleat, illudque in posterum vitare proponat. Ratio ex dictis patet.

Dico III. Uxor a peccato excusari potest, si gravi de causa viro onanistæ debitum reddat, modo interius ipsius peccato non assentiatur, exteriusque repugnantiam suam seriis admonitionibus, aliisve displicentiæ signis, ostendat. Ratio est, 1° quia rei licitæ vacat, et utitur jure suo, quo propter malitiam viri privari non potest; nec alterius peccato *proprie* cooperatur, cum se *passive* tantum habeat, et actio intrinsece mala consistat tantum in actu viri contra naturæ ordinem tunc recedentis; 2° quia non obligatur caritate ad peccatum mariti impediendum cum gravi suo incommodo; 3° quia patet ex responsionibus, quibus S. Pœnitentiaria declaravit hujusmodi mulierem inquietandam non esse. — Vide Decisiones infra referendas.

Dixi: *si gravi de causa;* inter graves autem causas Bouvier recenset timorem rationabilem mortis, gravium sævitiarum, jurgiorum vel verberum (gravitatem dimetiendo juxta conditionem personæ), divortii, infamiæ aut gravis scandali; item timorem, ne maritus concubinam habiturus sit vel adulteraturus, vel ne blasphemias in Religionem, injurias erga confessarium edat, vel verba scandalosa coram liberis vel famulis proferat.

1654. *Resolves.* — 1° Graviter peccat mulier, quæ virum ad Matrimonio abu-

[1] L. VI. 936. [2] Ib. 937.
[3] Gen. 38. 9. 10.

[1] L. VI. 954. Sanchez, de Matr. L. IX. D. 17. n. 22. 23.

tendum inducit etiam indirecte vel tacite, v. g. conquerendo de numero prolis, de laboribus partus, vel educationis liberorum, aut dictitando se in proximo partu morituram esse, etc. *A fortiori* graviter peccat, si, invito marito, ab incœpta copula ante seminationem se retrahat.

2° Graviter item peccat mulier detestandæ viri actioni interius consentiendo, etsi exterius repugnantiam ostendat. Peccatum enim semper est odio habendum. — Distingue tamen consensum in ipsam viri actionem a gaudio de effectu inde secuto, seu de immunitate ab incommodis atque periculis, quæ generationem comitantur. Gaudium tamen illud periculo non caret (vide dicta n. 233). Præsertim vero cavendum esset mulieri ab hujusmodi gaudii manifestatione, ne vir onanista ansam inde sumeret ad sic peccandum.

3° Tenetur uxor, saltem *ordinarie*, virum onanistam de obligatione recte agendi monere, eumque, quantum in se est, a perversa agendi ratione avertere. Nec sufficit quod semel eum monuerit, sed admonitiones interdum repetere debet, nisi certa sit, novam admonitionem nihil esse profuturam. Attamen tunc etiam repugnantiam suam aliquo modo patefacere debet, ne peccato mariti libenter consentire videatur. — Ita *communiter*, et sic respondit interrogata S. Pœnitentiaria.

4° Officium quoque uxoris erit maritum blanditiis, variis amoris indiciis, precibus, adhortationibusque permovere ad actum recte perficiendum, vel ab eo prorsus abstinendum. Experientia constat, plurimos viros onanistas ab uxoribus sic allectos ad meliorem frugem sese recepisse.

1655. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quomodo se gerere debeat confessarius cum conjugibus de usu Matrimonii confitentibus, interrogantibus, vel prorsus tacentibus?*

Resp. Vide n. 1425. 2). 3). 4); 1657. Resp. Ad 3^um^; 1658. §. Ad 2^um^ autem.

Quær. 2° *An uxor debitum a viro onanista petere possit?*

Resp. Affirm. probabilius, justa de causa; quia jus habet ad copulam, et a peccato cooperationis excusatur. — "Justam" autem "causam habebit petendi, si ipsa esset in periculo incontinentiæ, vel si deberet alias privari jure suo petendi plusquam semel vel bis, cum perpetuo scrupulo, an ei sit satis grave incommodum, necne, tunc se continere." Ita S. Alph.[1] Sic etiam declaravit Pœnitentiarius Major Card. di Pietro in admonitione ad præfatas S. Pœnitentiariæ responsiones, quamvis addat, S. Pœnitentiariam hac de re decisionem dare recusasse.

Quær. 3° *An peccet uxor consensum internum voluptati præbendo, quando actum conjugalem viro onanistæ permittere potest?*

Resp. Neg., modo assensum peccato viri non præbeat. Ratio est, quia, cum minime peccet actum hujusmodi permittendo, neque peccat voluptatem ex eo provenientem admittendo, quamvis præsciat, virum copulam non esse perfecturum; actus enim ille est in se honestus et licitus mulieri, et per eam non stat, quominus debito modo perficiatur.

Quær. 4° *An graviter peccent conjuges, qui, ad vitandam prolem, copulam eo tantum tempore habent, quo conceptio locum habere non solet, e. g. illo temporis spatio, quod decurrit a quindena circiter post menstrua usque ad alterum horum terminum?*

Resp. S. Alphonsus quæstionem non tractat; verum ex principiis ejus concludendum videtur, eos *per se* non graviter peccare. Nam S. Doctor: 1° Docet, copulam cohonestari iisdem finibus, quos habere licet ad Matrimonium contrahendum;[2] exclusionem autem finium, qui non sint intrinseci essentiales (vide n. 1548. q. 6°. *Prænotanda*) de se non esse illicitam.[3] 2° Non corrigit Busembaum docentem, "licitum esse uti Matrimonio . . . prolis causa, etsi hæc non necessario debeat intendi, dum exercetur, dummodo positive non impediatur; imo etiam ALIQUANDO simplici affectu licite excludatur, v. g. a paupere, ne nimium prolibus gravetur."[4] Adde in opere: *Dictionnaire du Parallèle entre les doctrines philosophiques et la foi catholique, par l'abbé Berton*,[5] afferri Responsum S. Pœnitentiariæ, juxta quod inquietandi non forent conjuges, de quibus in casu.

Nota tamen — 1° Dixi: *per se* graviter non peccare. Nam grave esse poterit: a).

[1] L. VI. 947.
[2] Ib. 927.
[3] Ib. 882.
[4] Ib. 927. I.
[5] Ed. de Migne Col. 866.

ob periculum incontinentiæ, quod infra quindenam, quæ menstrua proxime subsequitur, alterutri saltem conjugi adesse potest, et quod facilius aderit ad venerem proclivibus, præsertim si peccatum non multum exhorreant; b) ob periculum recusandi debitum casu, quo compars illud intra illam quindenam peteret, quod periculum eo majus erit, quo magis vitandæ prolis sollicita est pars, a qua petitur.

2° Conjuges illi a veniali non excusabuntur, si causam proportionatam ita agendi non habeant; nam practice vix non ob solam voluptatem (vide n. 1642. 1°) Matrimonio utentur.

3° Confessarius talem agendi rationem casu etiam, quo ea ut minus malum suaderi posset (vide n. 305. q. 1°), nonnisi discretissimis verbis insinuare potest, et pœnitentibus scandalo esset, si in his materiis vel doctior appareret, vel nimis affirmanter loqueretur. — Vide *Revue des Sciences,*[1] et *Nouv. Rev. Théol.*[2]

Quær. 5° *Quomodo procedendum cum uxore, quæ versatur in occasione proxima peccati propter virum Matrimonio quomodolibet abutentem?*

Prænot. — Casus esset, si, exigente marito, ipsa suis manibus directe eum polluit, aut si ipsa vere consentire solet onanismo, sodomiæ, propriæ pollutioni, etc.

Respondet Berardi:[3] "In hoc casu omnem zelum adhibebit confessarius, ut miseram mulierem a tam horrendis peccatis avertat. Mulieres ordinarie hujusce generis peccatis solent habere maximum affectum, et valde difficiliter solent induci ad eliciendum firmum propositum ab iis cessandi, quia, prædicta peccata committendo, ex una parte satisfaciunt voluptatibus tum propriis, tum mariti, et ex altera parte liberant se a prole numerosa, et ab incommodis gestationis, partus, lactationis, etc. Hinc necesse est, ut confessarius habeat in promptu efficacem admonitionem et verba gravissima, ut illas a tanto crimine deterreat.

Si autem confessarii admonitiones nullam vel parvam producant emendationem, non raro utile erit comminari dilationem absolutionis, et etiam de facto eandem differre."

[1] T. XXVII. de la collection, p. 586 sv.
[2] T. V. p. 424 sv. et 522 sv.
[3] De Occas. n. 244.

Quær. 6° *An uxor, de qua in casu, obligari possit ad faciendum divortium, ut ab hac cum proprio marito peccandi occasione liberetur?*

Respondet idem Berardi[1] distinguens: "Si mulier in usu Matrimonii peccata mortalia committat, quin maritus ad hæc ipsa peccata committenda eam tentet; tunc nullum habet jus faciendi divortium, et ideo aliis mediis uti debet ad removendum peccandi periculum in hac occasione, quæ ut omnino necessaria judicari debet. Si autem maritus ipse eam compellat, vel tentet ad eadem peccata committenda; tunc Canonistæ et Theologi communissime docent, mulierem jus habere faciendi divortium; unde arguunt quod etiam *debeat* idem divortium facere, si, propter cohabitationem, in gravi versetur peccandi periculo. Vide S. Alph.,[2] Sanchez,[3] Salmanticenses, etc. Sed hæc conclusio cum mica salis intelligenda est: quatenus scilicet debeat quidem mulier facere divortium, si possit absque gravi difficultate; non vero si gravia damna gravesque difficultates subire deberet; quia tunc de occasione necessaria ageretur, ut notat Hurtado[4] et S. Alph.[5]

DECISIONES

SACRARUM CONGREGATIONUM CIRCA ONANISMUM.

1656. — I^ma^ Consultatio. "Episcopus N. humillime supplicat pro hujus dubii solutione: 1° an possit absolvi mulier, quæ pateretur equidem virum, si recte ageret in copula conjugali, vehementer autem desiderat, ut se retrahat vir quia mulier illa prolem habere formidat. 2° An possit absolvi mulier, quæ in copula conjugali posset suis blanditiis obtinere a viro, quod non se retraheret, et non facit; quia illa copula sibi displicet."

Responsum. — "S. Pœnitentiaria, perpensis dubiis a Ven. in Christo Patre, Episcopo N., propositis, respondit: *Negative.* Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 27 maii 1847."

1657. — II^a^ Consultatio. "Quæritur

[1] De Occas. n 245.
[2] L. VI. n. 973.
[3] L. X. D. 17. n. 11.
[4] T. I. n. 102.
[5] L. IV. n. 440.

a Sede Apostolica, qua nota theologica, dignæ sint tres propositiones sequentes, nimirum: 1° Ob rationes honestas conjugibus uti licet Matrimonio eo modo, quo usus est Onan. 2° Probabile est istum Matrimonii usum non esse prohibitum de jure naturali. 3° Nunquam expedit interrogare de hac materia utriusque sexus conjuges, etiamsi prudenter timeatur, ne conjuges, sive vir sive uxor, abutantur Matrimonio."

Responsum. — "S. Congreg. Inquisit. die 21 maii 1851. Ad 1^um^. Propositionem esse scandalosam, erroneam, et juri naturali Matrimonii contrariam. Ad 2^um^. Propositionem esse scandalosam, erroneam, et alias implicite damnatam ab Innocentio XI. propositione 49^a^. Ad 3^um^. Propositionem, prout jacet, esse falsam, nimis laxam, et in praxi periculosam."

1658. — III^a^ Consultatio. Postulatum Illustrissimi D. Bouvier Episcopi Cenomanensis, circa agendi rationem confessariorum cum conjugibus, relative ad Onanismum.

"Beatissime Pater, Episcopus Cenomanensis in Galliis ad pedes S. V. summa cum reverentia provolutus, ea, quæ sequuntur, humillime repræsentat.

Fere omnes juniores sponsi numerosiorem prolem habere nolunt, et tamen ab actu conjugali abstinere moraliter nequeunt.

A confessario interrogati circa modum, quo juribus Matrimonii utuntur, graviter communius offendi solent; et moniti, nec ab actu conjugali temperant, nec ad nimiam prolis multiplicationem determinari queunt.

Tunc adversus confessarios mussitantes, Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ derelinquunt, malum præbent exemplum liberis, famulis, aliisque Christi fidelibus; lugendum inde oritur Religionis detrimentum.

Numerus eorum, qui ad Sacrum Pœnitentiæ Tribunal accedunt, multis in locis, ab anno in annum decrescit præsertim ob hanc causam, fatentibus plerisque Parochis pietate, scientia et experientia magis conspicuis.

Quomodo ergo olim agebant confessarii? aiunt multi. Non plures quam hodie communiter nascebantur liberi ex singulis Matrimoniis, conjuges non erant castiores, et nihilominus præceptis annuæ Confessionis ac Communionis Paschalis non deerant.

Omnes libenter admittunt, infidelitatem erga compartem, et abortus attentationem maximum esse peccatum. At vix ac ne vix quidem persuaderi possunt, se teneri sub peccato mortali, aut perfectam in Matrimonio servare castitatem, aut incurrere periculum innumeram generandi prolem.

Præfatus Cenomanensis Episcopus ingentia hinc obventura esse mala prævidens, et anxietate turbatus, a Beatitudine Vestra sollicite exquirit:

1° An conjuges, qui Matrimonio eo utuntur modo, ut conceptionem præcaveant, actum per se moraliter malum exerceant?

2° Si actus habendus sit ut moraliter malus, an conjuges de illo se non accusantes considerari possint tanquam in ea constituti bona fide, quæ eos a gravi culpa excuset?

3° An probanda sit agendi ratio confessariorum, qui, ne conjugatos offendant, illos circa modum, quo juribus Matrimonii utuntur, non interrogant?"

Responsio. — "S. Pœnitentiaria, mature perpensis propositis quæstionibus, Ad 1^um^ respondet: Cum tota actus deordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideo, si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet minando verbera aut mortem, poterit ipsa, ut probati Theologi docent, citra peccatum simpliciter permittere, idque ex gravi causa, quæ eam excuset; quoniam caritas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat.

Ad 2^um^ autem et 3^um^ respondet: Quod præfatus confessarius revocet in mentem adagium illud, *sancta sancte* esse tractanda; atque etiam verba perpendat S. Alphonsi de Ligorio, viri docti et harum rerum peritissimi, qui in Praxi confessariorum § 4. n. 41 inquit: 'Circa autem peccata conjugum respectu ad debitum conjugale, ordinarie loquendo, Confessarius non tenetur, nec decet interrogare, nisi uxores, an illud reddiderint, modestiori modo quo possit. . . . De aliis taceat, nisi interrogatus fuerit.' Necnon alios

probatos auctores consulere non omittat. Datum Romæ a S. Pœnitentiaria die 8 junii 1842."

1659. — IV^a^ Consultatio. Quæsitum. "Bertha virum habet, quem constanti experientia cognoscit esse onanistam. In vanum omnia tentavit media, ut illum a tam nefando crimine retraheret. Quinimo gravissima aut saltem gravia mala ei imminent nunc probabiliter, ita ut vel hæc mala incurrere debeat vel fugere e domo mariti, nisi permittat saltem aliquando abusum Matrimonii, etc."

Responsio. — "Cum in proposito casu mulier a sua quidem parte nihil contra naturam agat, detque operam rei licitæ, tota autem actus inordinatio ex viri malitia procedat, qui, loco consummandi, retrahit se et extra vas effundit; ideoque, si mulier post debitas admonitiones nihil proficiat, vir autem instet, minando verbera aut mortem aut alia gravissima mala, poterit ipsa (ut probati Theologi docent) citra peccatum permissive se habere; cum in his rerum adjunctis ipsa viri sui peccatum simpliciter permittat, idque ex gravi causa, quæ eam excusat; quoniam caritas, qua illud impedire tenetur, cum tanto incommodo non obligat. Datum Romæ in S. Pœnitentiaria die 1^a^ febr. 1823."

V. Responsum Pœnitentiarii Majoris. "Probati castigatique morales Theologi in hoc consentiunt, ut . . . liceat uxori debitum reddere, si ex ejus denegatione male habenda sit a viro suo, et grave inde incommodum sibi timere possit; neque enim, aiunt, hoc in casu censetur uxor viri sui peccato formaliter cooperari, sed illud tantummodo ex justa et rationabili causa permittere. Moneat tamen Orator hujusmodi uxorem, ut non cesset prudenter commonere virum suum, ut ab hac turpitudine desistat.

"Michael, *Card. di Pietro*,
Major Pœnitentiarius.

"Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 19 nov. 1816."

Exstant etiam aliæ responsiones S. Pœnitentiariæ, quæ præcedentibus omnino consonant; has refert Gousset in Opere, *Justification de Saint Liguori.*[1]

[1] p. 272.

FORMULÆ

AD POSTULANDAS DISPENSATIONES.

I. *Ad petendam dispensationem in impedimento pubtico, super quo, juxta facultates* (p. LXX. sq.), *possit dispensare Episcopus.*

"Illustrissime ac Reverendissime Domine.

"Joannes N." (ponitur nomen gentilicium) "et Anna N. . . . de parochia (missione) N. . . . hujus dicœsis N." . . . (si nupturientes ad diversas pertineant dicœceses, id *rectius* exprimitur, et quidem immediate post nomen gentilicium utriusque. Cæterum convenientius dispensatio postulatur per parochum sponsæ, si impedimentum utrique contrahentium sit commune, ut e. g. impedimentum cognationis) "consanguinei in quarto gradu æquali in linea transversali, prout ex annexo schemate" (vide hujus exemplar n. 1583. q. 2°. p. 708) "patet" (exponitur hic impedimentum consanguinitatis; sed, ut liquet, exponendum heic loci est illud ipsum, quo nupturientes ligantur), "Matrimonium secum inire cupiunt, et ideo dispensationem sibi necessariam ab Illustrissima ac Reverendissima Dominatione Vestra supplici efflagitant. — Rationes sunt" . . . (Exponuntur hic causæ, quæ pro impetranda dispensatione existunt, v. g. 1° Ætas puellæ, quæ jam 25 annos nata alium probabiliter non inveniret virum, cui convenienter nubere possit; 2° v. g. periculum hæresis, cum Oratores in loco acatholicis mixto degant, etc.). Sequuntur, si quæ subsint, circumstantiæ necessario exprimendæ.

"Summa, qua par est, reverentia et devotione permaneo,
"Illustrissime ac Reverendissime Domine,
"Illustrissimæ Dominationis Vestræ,
"Submissimus,
"N. N.,
"*Parochus seu Sacerdos Missionarius.*

"Baltimoræ, die dec. 1874."

Nota. — A tergo folii, seu infra textum supplicis libelli, ponatur schema consanguinitatis vel affinitatis.

II. *Ad petendam dispensationem in impedimento occulto, super quo juxta facultates vel jure dispensare possit Episcopus, et cujus dispensatio ab eo sine periculo lædendi sigilli peti valeat.*

" Illustrissime," etc., ut supra I.

" Titius et Caja, vivente adhuc prima Titii conjuge, carnaliter se cognoverunt, et sibi fidem invicem dederunt de Matrimonio inter se contrahendo, si uxor Titii præmoreretur; qua modo mortua, neutro tamen Oratorum in ejus mortem machinante, Matrimonium inter se contrahere desiderant. Cum autem impedimentum criminis ex adulterio et promissione proveniens sit occultum, et, nisi Matrimonium inter eos contrahatur, periculum immineat scandalorum aut perseverantiæ in peccato, ideo ad hæc evitanda, et pro conscientiæ suæ quiete, supplicant humillime, ut Illustrissima Dominatio Vestra gratiam dispensationis sibi clementissime impertiri dignetur."

" Summa," etc., ut I.

III. *Ad petendam dispensationem ab Episcopo, Matrimonio in bona fide cum impedimento de se publico jam contracto, et super quo, vi facultatum, Episcopus dispensare possit.*

" Illustrissime," etc.

" Exponitur humiliter Illustrissimæ Dominationi Vestræ pro parte devotorum Oratorum Joannis N. . . . et Annæ N. (vide supra I.) de parochia (missione) . . . hujus diœcesis " . . . (vide supra I.), " quod ipsi, alias ignorantes aliquod impedimentum inter se existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, Matrimonium inter se per verba de præsenti, publice factis proclamationibus in eorum parochiali ecclesia," (si contraxerunt in loco, ubi viget, additur: " juxta formam Concilii Tridentini,") " nulloque detecto, neque denuntiato impedimento, contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizarunt, et carnali copula consummarunt. Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam, eos (prout ex annexo schemate patet) tertio et quarto a communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus invicem esse conjunctos, propter quod a carnali copula abstinuerunt " (vel " et nihilominus in eadem carnali copula perstiterunt "). " Cum autem Oratores prædicti in hujusmodi Matrimonio remanere non possint absque dispensatione, et, si separatio inter eos fieret, gravia exinde scandala possent oriri, supplicant, ut, legis ecclesiasticæ venia eis clementissime data, Matrimonium " (in locis, ubi viget Decretum Trid., additur: " servata forma Concilii Tridentini ") " in facie Ecclesiæ inire, et postmodum in eo libere et licite vivere valeant."

" Summa," etc., ut supra.

IV. *Ad petendam dispensationem ab Episcopo, Matrimonio in mala fide cum impedimento publico jam contracto.*

" Illustrissime," etc.

" Exponitur humiliter Illustrissimæ Dominationi Vestræ, nomine Oratorum Joannis N. et Annæ N., de parochia N. hujus diœcesis N., quod ipsi, alias scientes se (ut ex annexo patet schemate) secundo consanguinitatis gradu a communi stipite æqualiter proveniente invicem esse conjunctos, dispensationem ab Illustrissima Dominatione Vestra " (vel " ab Illustrissimo ac Reverendissimo Domino N.") " ad valide inter se Matrimonium contrahendum, dicto impedimento non obstante, postulaverunt; sed, repulsam passi, vesana obcœcati libidine ac circumventi diabolica fraude coram magistratu civili " (vel " præcone hæretico ") " Matrimonium incestuosum contraxerunt, ac consummaverunt, ex quo jam tres interea filii ab ipsis suscepti sunt. Nunc vero ex superabundanti Dei misericordia, de periculo salutis æternæ valde timentes, magno ob anteactam vitam sunt commoti dolore. Cum autem, si separatio inter eos fieret, gravia exinde scandala orirentur, necnon magnum damnum emergeret liberis suis; in Matrimonio vero remanere non possint absque dispensatione, supplicant, quatenus Illustrissima Vestra Dominatio cum ipsis, ut in facie Ecclesiæ " (vel " servata forma Concilii Tridentini "), " omissis tamen publicis denuntiationibus, Matrimonium invicem, consensu renovato, contrahere, ac in eo remanere libere et licite valeant, dispensare dignetur; addito insuper ex parte infra signati hoc motivo, quod, nisi dis-

pensatio concedatur, valde timendum foret, ne Oratores in fide omnino pervertantur, et ab ea deficiant, una cum filiis susceptis, cum inter acatholicos et infideles degant."

"Summa," etc.

V. *Ad petendam dispensationem ab Episcopo in impedimento occulto, et quidem cum sanatione Matrimonii in radice.*

"Illustrissime," etc.

"Sempronia, diœcesis N. N., ignara impedimenti, in facie Ecclesiæ et præmissis denuntiationibus, bona fide contraxit Matrimonium cum viro, a cujus fratre" (vel "filio") "prius carnaliter fuerat cognita. Quare, cum absque scandalo separari non possint, et periculum incontinentiæ aut gravis diffamationis subsit, marito putativo impedimenti plane inscio, ac proinde consensus matrimonialis nequeat renovari absque gravi dissidiorum periculo, hinc supplicat humiliter pro celeri remedio dispensationis super hujuscemodi impedimento penitus occulto, ac quidem in radice Matrimonii, ita ut, absque consensus renovatione, Matrimonium sanari valeat."

"Summa," etc.

VI. *Ad petendam dispensationem in impedimento publico, super quo non possit dispensare Episcopus.*

Sumatur Formula I.; sed:

1° Loco: "Illustrissime," etc. scribatur: "Beatissime Pater."

2° Loco: "ab Illustrissima," etc. scribe: "a Sanctitate Vestra."

3° Loco: "Summa," etc. scribe: "Quam gratiam si Sanctitas Vestra benigne Oratoribus elargiri dignetur, maximas pro ea gratias summa, qua par est, reverentia ac devotione aget."

"Sanctitati Vestræ,
"Submissimus,
"N. N., etc.

"Datum N. N."

Nota. — 1° Si sint pauperes, post expositas rationes dicitur: "Pauperes et miserabiles existunt, atque ex suis labore et industria tantum vivunt."

2° Supplicatio a Parocho Oratorum confecta ad Episcopum mittatur; Episcopus vero, vel loco ipsius Vicarius Generalis, eam testimonio, sigillo et chirographo episcopali munitam Romam mittit.

3° Si dispensatio a S. Sede petenda sit in Matrimonio cum impedimento publico sive bona, sive mala fide *contracto*, sumatur Formula III. vel IV., mutatis mutandis juxta ea, quæ in hac Formula VI. mutata sunt.

VII. *Ad petendam dispensationem a S. Pœnitentiaria in Matrimonio contrahendo.*

"Eminentissime Princeps."

"Exponitur humillime Eminentiæ Vestræ, pro parte Oratorum Titii et Cajæ, quod Matrimonium contrahere intendant, sed quod Titius conjugatus Cajam, vivente adhuc propria uxore Sempronia, carnaliter cognoverit copula perfecta, sibique invicem fidem dederint de Matrimonio inter se contrahendo, si Sempronia uxor Titii præmoreretur, quæ etiam per venenum a Titio propinatum præmortua est. Cum autem ex præmissis impedimentum criminis sit exortum, et exinde Matrimonium nec licite, nec valide contrahere possint, supplicant Oratores pro gratia dispensationis super isto impedimento criminis, ut publice" ("servata forma Concilii Tridentini" in locis, ubi viget) "Matrimonium inter se contrahere, et in eo postmodum licite et libere remanere valeant, prolesque legitima decernatur. Impedimentum *omnino* occultum est, et urget periculum perseverantiæ in peccato, quin etiam scandali gravis, si Matrimonio legitimo copulari nequeant. Quare pro quiete conscientiæ suæ, de præmissis summe dolentes, Eminentiam Vestram humiliter supplicant, ut super his de opportuno remedio auctoritate Apostolica providere dignetur.

"Purpuram deosculans, summa," etc. ut I.

"Dignetur Eminentia Vestra, responsum dirigere Neo-Eboracum (n. 173 Third Street, New York, U. S. of America) ad me infra scriptum."

Exterius inscriptionem sic formet: "Eminentissimo et Reverendissimo D. D.

S. R. E. Cardinali Majori Pœnitentiario" (ex nostris Provinciis: "Præfecto S. C. de Propaganda Fide"), "Romæ."

VIII. *Ad petendam dispensationem a S. Pœnitentiaria in Matrimonio jam contracto.*

"Eminentissime Princeps."

"Titius conjugatus Cajam, vivente adhuc propria uxore Sempronia, carnaliter cognovit copula perfecta, sibique invicem fidem dederunt de Matrimonio inter se contrahendo, si Sempronia uxor Titii præmoreretur, ac, postquam Sempronia per venenum a Titio propinatum præmortua esset, conscii" (vel "ignari" [vel "Titio conscio" aut "ignaro" aut "Caja conscia" vel "ignara"]) "impedimenti in facie Ecclesiæ præmissis" (vel "dispensatis") "proclamationibus" (aut, si de loco agitur, in quo vel neutra, vel alterutra tantum pars Decreto *Tametsi* tenebatur, "nullis præmissis proclamationibus, coram Magistratu civili," aut "præcone hæretico") "Matrimonium contraxerunt et carnali copula consummarunt." (Si utraque vel alterutra pars, in bona fide adhucdum perseveret, id exprimatur; item utrum utraque vel alterutra pars, impedimenti conscia, nunc a copula abstineat, vel nihilominus in eadem perstiterit.) "Quare cum impedimentum *omnino* occultum sit, et separatio sine scandalo fieri nequeat, Eminentiam Vestram humillime oro, ut dispensationem eis benigne indulgeat, quatenus valide contrahere possint.

"Purpuram," etc., ut Form. VII.

Nota. — Formulas, quibus Episcopus dispensationes concedat, Præsules invenient apud Heiss, *de Matrim.* p. 406 sq.

TRACTATUS DE CENSURIS.

Censuræ spectandæ sunt tum in genere, tum in specie.

CAPUT I.

DE CENSURIS IN GENERE.

Agendum 1° de natura et divisione censurarum; 2° de principio seu auctore censurarum; 3° de subjecto censurarum; 4° de absolutione a censuris.

Nota. — In hoc Tractatu multa desumpsimus ex opusculo tum Petri Avanzini, cui titulus: "De Constitutione *Apostolicæ Sedis*," tum Illmi ac Rmi Fr. Ægidii Mauri O. P., cui titulus: "In Constitutionem *Apostolicæ Sedis* commentarii." Prius allegatur secundum 3iam Edit. per verbum: "Avanz."; posterius juxta 2am Ed. verbo: "Comm."

ARTICULUS I.

DE NATURA DIVISIONE ET CONDITIONIBUS CENSURARUM.

I. *De natura censuræ.*

1660. — Censura sic communiter definiri solet: Est pœna spiritualis et medicinalis, qua homo baptizatus, delinquens et contumax per potestatem ecclesiasticam quorumdam bonorum spiritualium usu privatur.

Dicitur:

1° *Pœna*, quia culpam supponit.

2° *Spiritualis*, tum quia fertur a potestate spirituali ad spiritualem Christianorum utilitatem, tum quia bona spiritualia immediate aufert, tum quia, — ut definit Bulla: *Auctorem fidei*, contradictoriam doctrinam ut falsam, perniciosam et ad minus erroneam damnans (p. XXXII. p. 46), — ligat in cœlo et animas obligat.

3° *Medicinalis*, quia fertur eo fine, ut anima ad meliorem frugem sese recipiat. Ex quo tamen non inferes, eos, de quorum correctione desperatur, numquam esse hac pœna plectendos, aut eos, qui se emendarunt, *statim* ab ea esse absolvendos. Licet enim hoc *generatim* verum sit, id tamen, juxta S. Alphonsum[1] et D. Thomam, non impedit quominus censura ferri quoque possit ad terrorem aliorum, et absolutio ab ea differri vel ad pleniorem rei resipiscentiam, vel ad ædificationem fidelium et ad scandalum reparandum; quare delinquentis correctio non est *unicus* censuræ finis.

4° *Homo baptizatus*, quia, qui baptizati non sunt, legislativæ aut coercitivæ Ecclesiæ potestati non subduntur; potestas autem exercetur in subditos.

5° *Delinquens et contumax*, quia pœna nonnisi delinquenti infligitur; medicina vero porrigi non debet, nisi iis, quorum contumacia tanto indigeat remedio. Non requiritur tamen ad hanc contumaciam contemptus formalis, sed sufficit virtualis, in hoc consistens, quod quis sciens, aut saltem dubitans, quidquam ab Ecclesia sub censura prohibitum esse, nihilominus illud facere velit.

6° *Usu quorumdam bonorum spiritualium privatur*, nempe bonorum, quæ subsunt potestati Ecclesiæ. Triplicis enim generis bona in Ecclesia existunt. Alia

[1] L. VII. 1.

procedunt immediate *a capite* seu *Christo*, ut variæ gratiæ; alia procedunt *a corpore* seu *Ecclesia*, ut administratio Sacramentorum, suffragia communia, etc.; alia vero procedunt *a membris*, uti sunt preces ac bona opera singulorum fidelium. Jam vero censura non tollit usum bonorum primi generis, cum ab Ecclesia non dependeant; et hinc censura potest consistere cum statu gratiæ, v. g. in eo, qui censuram incurrit propter peccatum, de quo perfecte postea conteritur;[1] item *per se*, neque tertii generis: nec enim potest Ecclesia eam Sanctorum communionem impedire, quæ ex fide et caritate membrorum existit; sed tantum tollit vel prohibet usum bonorum secundi generis, aliquando quidem in toto, aliquando vero tantum in parte.

"Secundario" censura etiam privare potest "usu corporalium, seu externarum actionum, nimirum communicatione humana, honore vel salutatione, etc.; quod tamen semper est quasi indirecte, et in ordine ad spiritualia." Ita Suarez.[2]

Hinc censura differt:

1° *A depositione et degradatione*, quæ non sunt *medicinales*, nec *ad tempus*, sed in pœnam tantum et perpetuæ, et ob peccatum præteritum, etiam emendatum, infligi possunt.

2° *Ab irregularitate*, quæ ob solum quoque defectum animi vel corporis absque ulla culpa contrahi potest, et proinde per se non est pœna, sed tantum impedimentum canonicum, licet ob quædam crimina inflictum pœnæ quoque, at non medicinalis, sed punitivæ et de se perpetuæ, rationem habere possit.

3° *A cessatione a divinis:* quia hæc indicitur ad propulsandam injuriam Ecclesiæ illatam, non ad emendandum reum.

4° *A privatione beneficii, carcere*, etc.; quia hæc non privant usu bonorum spiritualium.

Suspensio et *interdictum particulare*[3] modo *censuræ*, modo pœnæ *vindicativæ* naturam induunt. Dignosces autem esse pœnam vindicativam, tum si feratur propter delictum *mere* præteritum, tum si infligatur in perpetuum aut etiam ad tempus determinatum, puta pro duobus aut tribus mensibus. — Addunt, pœnas illas etiam tunc rationem puræ pœnæ habere, si aliqua conditio desit, ex cujus defectu censura, non vero pura pœna invalidatur, vel si voluntas Superioris meram pœnam constituendi ex aliquo cognosci possit.[1] Cæterum ejusmodi pœnis, si non sint censuræ, applicari nequeunt ea, quæ jus quoad censuras, qua tales, statuit.[2] Secus tamen, si aliud per ipsum jus expresse cautum sit. Vide n. 1771. Dixi: 4°.

[1] L. V. Decr. T. XXXIX. c. 28.
[2] De censur. Disp. I. Sect. I. n. 6 et S. Alph. L. VII. 2.
[3] L. VII. 52.

II. *Divisio censurarum.*

1661. — Variæ distinguuntur, scilicet:

1° Ratione *speciei*, — *excommunicatio, suspensio, interdictum*, de quibus speciatim dicemus.

2° Ratione *modi, quo infliguntur*, — *censuræ latæ a jure* vel *ab homine*, prout feruntur per canones seu *leges* ecclesiasticas (sub quibus etiam veniunt statuta in synodo diœcesana condita), vel feruntur a legitimo Superiore, — sive per modum *sententiæ judiciariæ*, v. g. si cui, qui culpabilis inventus est, per sententiam judicis satisfactio sub censuræ comminatione mandatur, — sive per modum *præcepti* in unum aut in plures. Si censura *ab homine* afficit personas determinatas, est *particularis;* si vero generaliter et absque determinatione personarum fertur, *generalis* est. — Differunt autem a se invicem in eo præsertim, quod censura lata *a jure*, mortuo auctore, qui eam tulit, instar omnium legum perseverat. Lata autem *ab homine*, cum ab hujus jurisdictione et auctoritate pendeat, ubi hæc, eo mortuo vel remoto ab officio, cesset, etiam ipsa cessat: quod intellige, *ut non amplius incurratur;* nam, si quis eam incurrerit, vinculum nonnisi absolutione tollitur.

3° Ratione *modi, quo incurruntur*, — *censuræ latæ* vel *ferendæ sententiæ*, prout Superior statuit, eas incurrendas esse ipso facto, quo quis legem violaverit, vel tantum post sententiam judicis ecclesiastici infligendas esse. Ut utriusque generis censuræ dignoscantur, in genere attende, utrum verba includant alterius actionem,

[1] L. VII. 317. 10°. Cfr. Reiffenst. L. V. T. XXXIX. n. 173.
[2] Reiffenst. ib. n. 179.

seu ministerum, quo casu erunt *ferendæ* sententiæ; *latæ* vero, si non includant.[1] Hinc regulariter:

a) Sunt *latæ* sententiæ: 1) si lex dicat: *ipso facto; ipso jure; sine alia sententia;*[2] 2) si verba sint præteriti aut præsentis temporis, v. g. *excommunicavimus, excommunico;*[3] 3) si absolute, modo imperativo dicatur: *excommunicetur, suspendatur*, etc.; non vero, si per hæc verba præceptum tantum excommunicandi, suspendendi, etc. alteri, puta Episcopo, imponatur.[4] Eadem fere distinctio, juxta Suarez[5] et Croix,[6] adhibenda est, si dicatur: *statim; continuo; ex tunc; in incontinenti.*

b) Sunt *ferendæ* sententiæ, si verba sint vel 1) futuri temporis; vel 2) minatoria, nisi ex adjunctis aliud colligatur;[7] vel 3) ambigua; nam, ex Reg. Juris 49 in 6°, "in pœnis benignior est interpretatio facienda."[8] Ambigua autem essent v. g. hæc: *excommunicatus sit.*[9]

4° Ratione *potestatis absolvendi;* — censuræ *reservatæ* vel *non reservatæ*, prout Superior earum absolutionem sibi reservavit, vel ordinariis Ministris ab iis absolvere permisit. Aliæ autem sunt Papæ reservatæ, aliæ Episcopis. Reservatæ Papæ vel *specialiter* reservantur, vel *simpliciter* (vide n. 1701 sq.). Episcopis vero aliæ reservantur *a jure* (vide 1733 sq.), et hæ proprie Papæ reservantur cum facultate Episcopis facta ut ab iis absolvere possint; aliæ *per seipsos*. Censuræ *ab homine* semper reservatæ censentur, nisi per præceptum generale latæ sint. — Demum distingui etiam merentur:

5° *Censuræ notoriæ* vel *occultæ*, prout publice constat, aliquem eas incurrisse ob factum, quod est ita cognitum, ut jam celari amplius nequeat; vel secus: et

6° *Censuræ justæ* vel *injustæ, validæ* vel *invalidæ;* prout Superior justitiæ, veritati et legi consuluerit, necne, in censura imponenda.

[1] L. VII. 6.
[2] Ib. 7.
[3] Ib.
[4] Ib. 7. 8.
[5] De Cens. Disp. III. Sect. III. n. 5.
[6] L. VII. n. 9.
[7] Ib. n. 8.
[8] Ib. 6.
[9] Ib. 8.

III. *Conditiones censurarum.*

1662. — Requiritur ad censuræ validitatem peccatum, idque censuræ proportionatum, externum, regulariter consummatum, non mere præteritum, et conjunctum cum contumacia.

1° *Peccatum.* Hinc, si crimen, ob quod censura infligitur, vel non subsistit, vel non legitime probatum fuit, censura non ligat in foro conscientiæ. Si vero pro foro externo valida apparet, exterius observanda est ad vitandum scandalum et judiciorum perturbationem.[1] Non debet præterea censura fulminari in propria causa personali, cum hoc in jure reputetur vindicta.[2] Excipe tamen 1) si id fiat non per modum judicii, sed per modum defensionis in eum, qui violentiam infert, quia vim vi repellere licet;[3] 2) ubi causa tam publica est ac manifesta, ut nec negari possit, nec ullo examine indigeat.[4]

2° *Censuræ proportionatum*, et hinc ordinarie *mortale;* censura enim, cum sit pœna gravissima, mortalem culpam requirit. Dixi tamen: *ordinarie mortale;* nam suspensio aut interdictum ad breve tempus *et* privans aliquo tantum usu, itemque excommunicatio minor, ob peccatum veniale ferri possunt.[5]

3° *Externum;* nam Ecclesia judicat in foro externo, ad quod censuræ pertinent; non vero de mere internis. Cæterum non solum exterius debet esse peccatum, sed etiam grave quoad substantiam actus externi. Unde non sufficit actum ex prava intentione aut ex conscientia erronea esse mortalem. — Sic v. g. excommunicationem non incurrit percutiens clericum omnino leviter, etsi cum animo illum occidendi; nec ille, qui percuteret mensam aut diceret: *ita est*, intendens hæresim internam confirmare, etc.; neque demum ille, qui falso putat, se legem violare, v. g. legendo librum quem damnatum falso credit; hi enim omnes contra conscientiam quidem, sed non contra Jus Canonicum peccant.[6]

4° *Regulariter consummatum opere in genere suo*, secundum proprietatem verbo-

[1] L. VII. 66. 68.
[2] Causa XXIII. q. IV. c. 27.
[3] L. V. T. XI. c. 6. in 6°.
[4] Collet P. I. C. III. art. I. sub Dico 2°. Lacroix, n. 20.
[5] L. VII. 30.
[6] Ib. 34. 43.

rum, quæ in præcepto seu lege infligente censuram continentur, et secundum finem principalem legis. Ratio est, quia leges pœnales sunt stricte interpretandæ juxta Regulam Juris : *Odia restringi, favores convenit ampliari.*

Dixi : 1) *regulariter*. Nam et peccatum inchoatum, vel etiam conatus seu auxilium ad illud censura plecti potest ac reipsa quandoque plectitur, ut v. g. provocatio ad duellum aut illius acceptatio quin pugna sequatur ; item operam aut favorem eidem præbere. At, nisi in lege exprimatur, ejusmodi extensio non est facienda. Ideo

Dixi : 2) *secundum proprietatem verborum*, etc. Quare censurâ non ligatur, qui crimen aliquod consuluit tantum, si in lege non alii quam perpetrantes notantur ; ligabitur autem, si et consulentes aut quocumque modo eidem cooperantes.[1] Hinc quoque, ut notat S. Alph.,[2] si censura sit lata *principaliter* in facientes, et *accessorie* in mandantes, consulentes, etc., eam non incurrunt mandans, consulens, ferens suffragium, si mandatum, consilium aut suffragium efficaciter non influat in crimen ; vel si crimen non sit ad effectum perductum. Sic, v. g. ab excommunicatione eximitur qui dedit mandatum aut consilium ei, qui jam paratus erat ad delictum patrandum ; item eximitur mandans percuti clericum, si reipsa percussio non evenit. Et idem probabiliter dicendum, *si dubitetur* an mandatum vel consilium influxerit. — Contra, si censura sit *principaliter lata in ipsos mandantes, consulentes*, etc. statim incurritur, quoties mandatum aut consilium est ab eis præstitum, etiam effectu non secuto ; ratio est, quia tunc censura imposita est præcise ob mandatum aut consilium, et non propter opus, quod ex mandato aut consilio causaretur.

5° *Non mere præteritum* seu non habens *tractum*, ut aiunt, *successivum*, quia censura est pœna medicinalis, quæque proinde ferri non potest in eos, qui jam ad meliorem frugem sese receperunt. " Quando ergo excommunicatur aliquis ob furtum, excommunicatur ratione contumaciæ, vel quia fur sciebat furtum esse . . . vetitum sub censura, vel quia monitus sub pœna censuræ renuit restituere."[1] Idem applica casui scandali dati et nondum reparati.

6° *Conjunctum cum contumacia* contra Ecclesiæ legem seu præceptum. Ratio est, quia finis præcipuus censuræ est pertinaciam frangere. Recole dicta n. 1660. Dicitur. 5°.

1663. *Resolves.* — 1° Qui a gravi culpa excusatur ob aliquam circumstantiam, etiam a censura excusatur, licet materia sit in se gravis.

2° Si quid omnino leve sub censura præcipiatur, hæc non incurritur, modo res, quæ levis sub aliquo respectu appareret, aliunde gravis non fiat.

3° Imprudenter et illicite, sed valide tamen ageret Superior, qui ob quamlibet gravem culpam censuram ferret ; finis enim Ecclesiæ est graviora tantum crimina punire.[2]

4° *Probabilius* censura non incurritur, si quis, antequam opus malum consummetur, pro posse mandatum aut consilium revocet, aut, consummationem impedire non valens, lædendum saltem moneat, ut sibi caveat ; non enim esset contumax eo tempore, quo opus effectum ultimum ad censuram incurrendam requisitum sortitur.[3] De restitutione in hoc casu vide n. 760. q. 1° ; n. 763. q. 1°.

5° Excommunicatio, quæ dicitur ferri in animalia nociva, v. g. in locustas, non est excommunicatio proprie dicta, sed adjuratio, vel oratio in illorum interitum facta, ne noceant.

6° Item quando dicuntur *mortui excommunicari*, id intelligendum est de quadam execratione vel declaratione excommunicationis, quam ante mortem incurrerunt, et in qua mortui sunt. Proinde absolutio impertita excommunicatis, qui cum signis pœnitentiæ decesserint, directe non ad ipsos, sed ad vivos porrigitur, quatenus solvuntur obligatione, ne cum defunctis sepultura et publicis precibus communicent.

1664. QUÆSITA. — Quær. 1° *An judicandus sit incurrisse censuram, qui dubitat, utrum eam incurrerit ?*

Resp. Neg., in dubio tum *facti*, tum *juris*, i. e. sive dubites, an deliqueris,

[1] L. VII. 36.
[2] Ib. 37-39. H. A. Tr. XIX. 7.

[1] L. VII. 54.
[2] Trid. Sess. 25. C. 3. Ref. sub initio.
[3] L. VII. 40. H. A. Tr. III. 45. Cfr. Vind. p. 841. Ed. 2ª. T. II. p. 509.

vel an casus sub censuram cadat. Ratio est, tum quia in dubio nemo expoliandus est jure, quod possidet, utendi bonis spiritualibus, tum quia *odia sunt restringenda*. Ita *communiter*. Hinc regulariter censuram non incurris, nisi peccatum sit ita certum, ut non remaneat *prudens* dubium, an sit patratum; an interne et externe grave; an in sua specie consummatum; an a pubere (vide n. 1668. II.) commissum.

Dicitur in quæsito; *qui dubitat utrum eam incurrerit;* nam in dubio actionem antecedente applicanda sunt dicenda in quæsitis sequentibus 2° et 3°.

Si vero dubium sit *de obtenta absolutione* aut *appellatione interposita* et similibus, reus debet se habere ut censuratum, quia possessio stat pro Superiore. Et idem dicendum si dubitetur de *potestate Superioris*, quando hic pacifice eam possidet. — Item in dubio an *censura sit justa necne*, quidquid nonnulli dicant, verius est dicendum quod justa sit habenda, quia in tali dubio possidet potestas Superioris.[1]

Quær. 2° *An ignorantia a censura excuset?*

Resp. 1° *Certo* excusat ignorantia *facti*, scilicet quando quis ignorat se ponere actum sub censura prohibitum. Sic v. g. si quis percutiat sacerdotem putans esse laicum, non incurrit censuram latam in percussores Clericorum. Ratio est, quia censura debet esse nota peccanti, ut sit contumax. Sic in Jure Can.[2]

Resp. 2° Excusat etiam ignorantia *Juris* ecclesiastici præcipientis, vel prohibentis aliquid sub censura. Constat ex iisdem rationibus modo allatis; non enim dici potest contumax in Ecclesiam, qui ejus legem ignorat, ut patet ex Jure Can.,[3] ubi dicitur: "Ligari nolumus ignorantes, modo tamen ignorantia crassa non fuerit aut supina."

Quær. 3° *An excuset a censura ignorantia vincibilis?*

Resp. 1° *Affirm.*, si hæc non sit *graviter culpabilis;* quia tunc ignorans non potest dici contumax in Ecclesiam. — Ita *omnes*.

Resp. 2° *Neg.* vero, si illa ignorantia sit *graviter* culpabilis; quia tunc *practice* potest dici *crassa:* porro ignorantia *crassa* non excusat a censura, ut patet ex cit. Jure Can. Hæc enim ignorantia non impedit, quominus aliquis sit contumax contra legem, quam culpabiliter ignorat. — S. Alph.[1] et alii *communiter*.

Excipe tamen, si in Decreto censuræ dicatur: qui hoc fecerit *scienter, consulto, temere, qui præsumpserit*, etc. Hæc enim verba postulant voluntarium perfectum ac directum, et ex certa scientia censuræ.[2]

Negant vero *communius*, per has clausulas etiam ignorantiam *affectatam*, utpote quæ dolum includit ac scientiæ æquiparatur, excusari, et huic sententiæ, ut communiori, S. Alph., licet opposita ipsi non videatur improbabilis, magis adhæret.[3]

Quær. 4° *An illi, qui peccatum aliquod commiserunt, cui censura per legem annexa sit, a confessario tum de peccato, tum de censura eidem annexa monendi sint, si vel peccatum, vel censuram ignorent?*

Resp. Quæstio resolvenda est juxta dicta n. 1423, et juxta dicenda n. 1753. q. 2°. R. 3°.

Quær. 5° *An metus gravis a censura excuset?*

Resp. Affirm., etiam dum agitur de censura statuta in transgredientes præceptum divinum sive positivum, sive naturale, dummodo, a) metus ejusmodi sit, ut excuset a culpa violantes præceptum, si foret ecclesiasticum: b) lex aliter non disponat. Ratio est, quia leges ecclesiasticæ, quales sunt illæ, quæ censuras statuunt, cessant obligare, ubi urget metus gravis. — Dixi tamen: a) *metus ejusmodi sit*, etc. Hinc, quando observatio legis humanæ moraliter necessaria videtur pro conservando bono publico, aut si ejus violatio cedat in contemptum Fidei, vel legis, vel potestatis ecclesiasticæ, transgrediens ex gravi metu, etiam vitæ, legem sub censura positam, non excusatur ab illa. Dixi: b) *lex aliter non disponat*, sive explicite, sive implicite, ut e. g. quoad duellantes.[4]

Quær. 6° *An requiratur, ut admonitio delinquentis censuram præcedat?*

[1] L. VII. 32. 67. 68.
[2] c. 4. L. V. Decr. T. XXXIX. S. Alph. L. VII. 43.
[3] L. I. T. II. c. 3. in 6°. S. Alph. L. VII. 43.

[1] L. VII. 45. Vind. p. 848. Ed. 2ª. T. II. p. 516.
[2] L. VII. 45. 47.
[3] Ib. 48. 301. H. A. Tr. XIX. 8. 56.
[4] Ib. 46.

Resp. 1° Nulla requiritur monitio pro censuris *a jure* statutis, quia lex ipsa lata et cognita satis subditos admonet. — Ita *omnes*. Requiritur tamen probabilius, juxta S. Alph.,[1] *citatio rei*, ubi agitur de censura sententiæ ferendæ, casu, quo delictum et contumacia non sint ita notoria, ut evidenter constet nullam reo competere defensionem.

Resp. 2° Requiritur autem admonitio pro censuris ab homine ferendis, et quidem communius et probabilius ad *validitatem*. Ratio est, quia non est *contumax*, qui ante non fuit admonitus de præcepto et de pœna adnexa. Imo ex Jure Canonico ad *liceitatem* requiritur monitio triplex, vel saltem una *peremptoria*, seu in qua exprimatur, eam valere pro triplici, et in quâ tempus ad resipiscendum trium monitionum tempori æquivalens concedatur, nempe biduum pro singula monitione, ideoque spatium sex dierum, v. g. "mandamus, ut intra sex dies talem mulierem e domo ejicias; alias ipso facto excommunicaris."[2] *Ex justa autem causa* tria spatia ad unum diem vel brevius tempus redigi possunt, et, si sit periculum in mora, ut si agatur de violentia reprimenda, v. g. ædituorum fores ecclesiæ aperire recusantium, sufficit una monitio, modo tamen tempus ad resipiscendum, puta spatium unius horæ, designetur.[3]

Excipe: 1°, si agatur de censura *ab homine* per præceptum generale, vel etiam speciale respectu actus futuri; tunc enim non est necessaria admonitio, cum Decretum de ferenda censura admonitionis locum teneat.

Excipe: 2°, si agatur de ejusmodi *suspensione*, et *interdicto*, quæ non sunt censuræ proprie dictæ et medicinales, sed feruntur tantum per modum pœnæ.[4]

Nota. — De solemnitatibus, ad censuras *stricte tales licite* ferendas requisitis, vide, si lubet, Jus Can.[5] vel S. Alph.[6] — Circa has animadverte: a) eas requiri in solis censuris *ab homine*, et quidem per sententiam particularem, latis; non vero in censuris *a jure* statutis, aut *ab homine* quidem, sed per modum præcepti generalis aut particularis;[1] b) requiri inter alia, ut censura ejusque causa *scripto* proferatur, utque exemplum authenticum scripti reo, id postulanti, intra mensem tradatur. Cum vero, ut scite animadvertit Kenrick,[2] "in hac regione lites intententur aliquando Episcopo censuras ferenti, cavere hic debet, ne quid scripto tradat, quod possit actioni civili præbere occasionem, vel quod alias in Religionis detrimentum cedat; sed non videtur dari actio civilis, si reo petenti causa *in judicio*" (ecclesiastico) "*probata* exponatur; secus si Episcopus communicet judicium" (ecclesiasticum) "aliis, quorum non interest."

[1] L. VII. 55. Cfr. Vind. p. 853. Ed. 2ª. T. II. p. 522.
[2] L. V. T. XI. c. 9. in 6°.
[3] Ib. in fine et L. VII. 56. H. A. Tr. XIX. 8. 4°.
[4] L. VII. 52 sq.
[5] C. 1. L. V. T. XI. in 6°.
[6] L. VII. 60 sq.

ARTICULUS II.

DE PRINCIPIO SEU AUCTORE CENSURARUM.

1665. PRINCIPIA. — I. Ecclesia gaudet vera potestate ferendi censuras. Argumenta vide apud Dogmaticos.

II. Censuras ferre possunt *de jure ordinario* omnes et soli Superiores ecclesiastici jurisdictionem in foro externo et contentioso habentes. Patet ex verbis Christi apud Matth.:[3] *Quæcumque alligaveritis*, etc. His enim verbis Christus dedit Prælatis Ecclesiæ, in persona Apostolorum, omnem potestatem ad bonam et rectam Ecclesiæ administrationem. Constat etiam ex pluribus locis Juris Can.

III. Censuras ferre possunt, *ex potestate delegata*, omnes et soli Clerici, quibus concessa fuit a Superiore jurisdictionem ordinariam habente. Ratio est, quia omnis et solus Clericus est capax jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ ad censuras ferendas requiritur.[4]

1666. *Regulæ.* — 1° Censuras *de jure ordinario* ferre possunt Papa et Concilium Generale respectu universæ Ecclesiæ; — Congregationes Romanæ, ut Congr. Concilii, S. Officii, Episcoporum et Regul., etc., pro universa pariter Ecclesia, in iis, quæ sibi demandata sunt, exequendis; — Archiepiscopi tum in diœcesibus propriis, tum in diœcesibus suffraganeorum tempore visitationis, necnon cum agitur de causa ad eorum tribunal per appellationem

[1] L. VII. 61. [2] Tr. XXII. 39.
[3] 18. 18. [4] L. VII. 9 sq.

delata, quia tunc jurisdictione in suffraganeos pollent; — Episcopi respectu propriæ diœcesis, modo confirmati sint, esto non consecrati; — Vicarii Generales Episcoporum respectu diœcesanorum, ut habet verior sententia: nam cum ipsis Episcopis unum tribunal constituunt; — Legati in territorio legationis, et Cardinales in Ecclesia proprii tituli; — Concilia provincialia in suis provinciis; Generales, Provinciales et Superiores locales ac Capitula generalia (apud quosdam regulares etiam provincialia) Ordinum religiosorum pro variis eorum statutis; — Capitulum Ecclesiæ cathedralis, Sede vacante, et ante electionem Vicarii capitularis, qui (apud nos Administrator) tali potestate deinceps exclusive gaudebit.[1]

2° Parochi non possunt, *de jure ordinario*, ferre censuras, quia hodie jurisdictionem non habent in foro externo et judiciali, sed tantum administrationem ad rectum parochiæ ordinem.[2]

3° Mulieres, *probabilius* ne ex *delegatione* quidem, censuras ferre possunt. Proinde Abbatissæ Monialium nequeunt propria auctoritate eas ferre, sed tantum Decretum obtinere possunt, quo sub pœna censuræ mandata sua servari debeant. — *Viri* autem laici incapacitas est de jure tantum ecclesiastico. Potest ergo Papa hanc potestatem laico *viro* delegare.[3]

4° Potestas delegata cessat morte delegantis vel ejus amotione ab officio, nisi causa a delegato jam fuerit incœpta, saltem per citationem (cfr. n. 151. 6°). Delegatus vero ad censuras ferendas non potest alterum subdelegare, nisi expressam habuerit licentiam a delegante, vel nisi saltem sit delegatus ad quascumque causas per modum officii, aut a Papa (cfr. tamen n. 150. R. 2°).

1667. QUÆSITA. — Quær. 1° *An Episcopi hæretici, excommunicati, et suspensi, possint valide censuras ferre?*

Resp. 1° *Affirm.* si sint hæretici, excommunicati, vel suspensi occulti. Ratio est, quia Ecclesia ob bonum commune iis usum jurisdictionis non aufert. Illicite tamen agunt, quoties censuras ferunt. — Ita *communiter* Theologi cum S. Alph.[4]

[1] L. VII. 10.
[2] S. Th. in 4. dist. 18. q. II. art. II.
[3] L. VII. 12. Vind. p. 867. Ed. 2ª. T. II. p. 537.
[4] L. VII. 12.

Resp. 2° *Neg.*, si sint excommunicati vitandi, seu non tolerati, quia tunc omni ecclesiastica jurisdictione privantur. (Idem, ob eamdem rationem, valet de suspensis *a jurisdictione.*) Quid vero, si sint quidem notorii, sed non vitandi? Videtur, eos posse nihilominus censuras valide ferre, quia (aiunt) colligitur ex Constit. Martini V. *Ad evitanda*, ubi sancitur, excommunicatum toleratum, in eis quæ pertinent ad publicum officium, non esse vitandum, ne ab iis quidem, qui id sciunt.[1]

Quær. 2° *An Episcopus possit ferre censuram, si sit extra diœcesim?*

Resp. 1° *Affirm*, si censura feratur per modum præcepti aut statuti ad futura crimina præcavenda.

Resp. 2° *Affirm.* etiam, si censura feratur per modum sententiæ, quæ tamen non indigeat cognitione causæ et strepitu judiciali (sive quia contumacia est tam manifesta, ut non indigeat cognitione causæ, sive quia causa jam cognita fuit in proprio territorio), vel, etiamsi strepitu judiciali indigeat, venia tamen facta sit ab Ordinario territorii et partes consentiantiant, cum nemo invitus extra proprium territorium trahi possit.

Resp. 3° *Neg.*, si censura ferri debeat cum strepitu judiciali, et licentiam neget Ordinarius loci. Excipe, nisi Episcopus injuste expulsus a proprio territorio fuerit; tunc enim in locis vicinioribus jurisdictionem suam exercere poterit, licentia a loci Ordinario petita, licet non obtenta.[2]

Ratio triplicis responsi est, quia in casu Resp. 1^mi^ et 2^i^ vel non exercetur jurisdictio *contentiosa*, vel exercetur de consensu Ordinarii territorii; in casu autem Resp. 3^ii^ revera exercetur talis jurisdictio et quidem sine consensu Ordinarii. Ratio vero exceptionis in Resp. 3^io^ est, quia tunc per Ordinarium non stat, quominus exerceatur in proprio territorio, a quo, ut supponitur, injuste fuit expulsus.

Quær. 3° *An vice versa Episcopus in sua diœcesi existens ferre possit censuram in subditum extra diœcesim existentem?*

Resp. 1° *Affirm.*, si agatur de crimine in propria diœcesi commisso. Ratio est, quia secus delinquens a nullo puniri posset; et, quamvis abierit, non tamen cessat

[1] L. VII. 12. [2] Ib. 21.

jurisdictioni proprii Episcopi subesse. Nec obstat, quod citatio non possit fieri extra territorium; nam sufficit ad censuram incurrendam, ut reus in propria domo citetur aut in loco publico.[1]

Resp. 2° Imo potest Episcopus censuram ferre in subditum delinquentem extra diœcesim, si agatur de re ad suam diœcesim pertinente. Sic excommunicari possunt Clerici, qui, jussi accedere ad Synodum, non obtemperant; secus vero, probabilius, si crimen extra territorium, vel in loco exempto ejusdem territorii, v. g. in ecclesia aut conventu Regularium, consummaretur. Excipe, si sermo sit de censura contra quempiam lata per modum præcepti specialis ad crimen præcavendum, ut probabilius docet S. Alph., cui tamen et contraria sententia probabilis est, "cum extra territorium jus dicenti non pareatur impune."[2]

Quær. 4° *An Episcopus possit censura ligare subditum alienum, qui scil. in illa diœcesi nec domicilium, nec quasi-domicilium habet, in sua diœcesi delinquentem?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia omnis delinquens sortitur forum loci, in quo delinquit. Sic ex Jure Can.[3] Excipe, si delinquens foret illius Episcopi Superior, v. g. Metropolita illius. Licet autem Episcopus non possit ferre censuram in peregrinum ante monitionem, potest tamen, postquam is deliquerit in loco, et eum citaverit. — Hæc dicuntur de censuris *ab homine per sententiam.* Nam si sermo sit de censuris *speciali jure illius loci* inflictis in delinquentes sive contra jus commune, sive contra leges ejusdem loci proprias, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, quæ advenas et peregrinos eximit ab obligatione servandi leges eorum locorum proprias, isti illas non incurrunt.[4]

Quær. 5° *An Prælati Regulares possint censuram ferre in subditos in quocumque loco existentes?*

Resp. Affirm. juxta sententiam *communem.* Ratio est, quia jurisdictio Superiorum non est tantum territorialis, sed magis personalis; unde mutatio loci ex parte subditi, nihil jurisdictioni Superioris detrahit.[1]

[1] L. VII. 22.
[2] Ib. 21–24. L. I. 157. H. A. Tr. XIX. 1. 5. L. I. T. II. c. 2 in 6°.
[3] L. II. Decr. T. II. c. 3. 20.
[4] L. VII. 25–27. L. VI. 591. H. A. Tr. XIX. 6. Cfr. Vind. p. 868. Ed. 2ª. T. II. p. 538.

ARTICULUS III.

DE SUBJECTO CENSURARUM.

1668. PRINCIPIA. — I. Subjectum censuræ non potest esse nisi homo baptizatus, rationis capax, et subditus: 1° debet esse baptizatus, quia juxta Apostolum Ecclesia non judicat de iis, qui foris sunt; 2° rationis capax, quia censura ordinatur ad correptionem delinquentis; hoc autem locum non obtinet in eo, qui usu rationis caret. Qui tamen habet lucida intervalla, ligatur censuris, modo tempore, quo erat rationis compos, causam dederit; 3° subditus, quia censura est actus jurisdictionis, quæ nonnisi in subditos exerceri potest. Cfr. tamen n. 1667. q. 4°.

II. Impuberes, licet censuris absolute ligari possint, attamen, ob ætatis levitatem, ex indulgentia et benignitate Ecclesiæ eas non incurrunt, nisi in lege specialiter expressum sit, vel nisi censura feratur per modum præcepti particularis, et in utroque casu agatur, ut per se patet, de impuberibus, qui sint doli capaces.[2]

Expressus autem in jure duplex tantum casus invenitur, scilicet: 1° Si in monasteria Monialium ingressi fuerint. Trid.[3]— 2° Si Clericos percusserint.[4]

1669. QUÆSITA. — Quær. 1° *An Reges et Reginæ ligari possint censuris ab Episcopis?*

Resp. Neg. Nam licet in spiritualibus subjiciantur Episcopis, attamen ex privilegio non possunt ab ipsis censura plecti. Hoc autem privilegium decursu temporis legitime introductum est, et ipsis communiter a Doctoribus tributum.[5] Subjiciuntur vero censuris Pontificiis, etiam *a jure* latis, v. g. contra invadentes civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia.

Quær. 2° *An Episcopi et Cardinales censuris subjiciantur?*

Resp. 1° Certo non possunt subjici

[1] L. VII. 20.
[2] Ib. 14.
[3] Sess. 25. c. 5. de Reg.
[4] L. V. Decr. T. XXXIX. c. 60. S. Alph. L. VII. 14.
[5] L. VII. 16.

censuris latis a seipsis, quia nemo est suî ipsius subditus.

Resp. 2° Subjiciuntur autem censuris papalibus, quia Papa est omnium, etiam Episcoporum, Superior. Attamen ex privilegio juris non ligantur neque interdicto, neque suspensione, nisi in decernendis iis censuris *eorum* mentio fiat,[1] saltem indirecte, v. g. per clausulam: *etiam speciali seu individua nota dignos.*[2]

Quær. 3° *An religiosi, ab Episcopo loci, censuris episcopalibus ligari possint?*

Resp. Dist. Vel exempti sunt, vel non. — Si non sint exempti, *affirm.*, ut per se patet. — Si sint exempti, *subdist.* — *Affirm.*, si *generali* tantum exemptionis privilegio fruantur, at tunc in iis solis, in quibus Episcopo, sive tamquam Ordinario, sive tamquam delegato Apostolico subjiciuntur. Hæc quæ sint, vide n. 1197 – 1202. — *Negative* vero, si ex *speciali* privilegio censuris feriri non possint etiam in iis, in quibus alioquin Ordinariorum jurisdictioni subduntur, quamvis aliis pœnis coerceri ac puniri ab iisdem possint. Ejusmodi autem privilegio gaudent Mendicantes et Jesuitæ.[3]

Quær. 4° *An possit quis ligari pluribus censuris simul?*

Resp. Affirm. Nihil enim obstat quominus quis pluribus simul vinculis constringatur. Nam quemadmodum potest quis plura patrare peccata specie et numero diversa, ita etiam potest censuris specie et numero diversis simul innodari, v. g. excommunicatione, suspensione (si Clericus sit) et interdicto, nec non pluribus excommunicationibus, etc. Imo ob unum delictum potest quis ligari simul a jure et ab homine, a Papa et ab Episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat, modo alter Superior novam intenderit pœnam imponere; alias regulariter posterior censura habetur ut innovatio seu publicatio prioris. — Ita *communiter* et *absolute probabilius* juxta S. Alph.[4]

Hinc: 1° Si quis unico actu duo committat peccata specie diversa, quorum unicuique sit annexa censura, duas incurret censuras, e. g. qui Clericum occidat in loco, ubi homicidium sub pœna censuræ prohibetur. Secus vero, si peccatum illud unicum non habeat malitias specie diversas.[1]

2° Si quis iteret idem crimen, cui est annexa censura, actu moraliter distincto a primo, iterum eamdem incurrit censuram; secus vero, si actus repetiti non sint inter se moraliter distincti. Sic percutiens Clericum ter vel quater, posito notabili intervallo inter singulas percussiones, incurrit tres vel quatuor censuras, dum unicam incurrit, si eum pluries continuo percutiat.

3° Pariter plures incurret irregularitates sacerdos excommunicatus, qui plures pœnitentes successive absolvat, quia toties novum confert Sacramentum.[2]

Quær. 5° *An appellatio excuset ab incurrenda censura?*

Resp. 1° Appellatio legitima excusat a censura conditionali, i. e. a censura ferendæ sententiæ seu de futuro incurrenda, modo fiat ante lapsum temporis ad implendam conditionem concessi.

Resp. 2° Appellatio legitima a censura jam lata, i. e. quam quis jam incurrit, eam generatim non suspendit. Unde communis vox est Canonistarum, appellationem tunc *devolutivam* esse, non vero *suspensivam.* — Ita Benedict. XIV. C. *A militantis* 30 mart. 1742.

Quær. 6° *An censuræ subjectum possit esse integra communitas?*

Resp. 1° *Neg.* quoad *excommunicationem*, idque probabiliter ne valide quidem. Hinc Episcopus, qui cœtum Ædituorum (*trustees*), Ecclesiæ jura conculcantium, excommunicare voluerit, singulos de cœtu nominet necesse est.[3] Papa tamen excommunicare potest omnes ex communitate, quos reos invenerit, quin singulos nominatim designet.

Resp. 2° *Affirm.* quoad *suspensionem*, ita tamen ut singulos de communitate feriat solum quoad functiones et jura ipsi communitati, ut tali, competentia; non vero quoad functiones ac jura, quæ ipsis *singillatim* competunt.

Quodsi suspensio infligatur communitati *et* singulis ipsius personis, tunc non afficit innocentes, sed tantum delinquentes.

Resp. 3° *Affirm.* etiam quoad *interdictum;* quæ censura id habet singulare,

[1] L. VII. 15.
[2] Thesaurus, de Pœnit. P. II. sub Conceptio. C. I. n. 3. Giraldi, Expos. J. P. P. I. sect. 623.
[3] L. VII. 26. 241. Cfr. Vind. p. 874. Ed. 2ª. T. II. p. 544.
[4] L. VII. 28.

[1] L. VII. 28. [2] Ib.
[3] Kenr. Tr. XXII. 36.

ut, si generale sit, integram communitatem, et in hac etiam innocentes obstringat.[1] Neque ideo tamen censuram ferens argui injustitiæ potest; quippe per tale interdictum proprie loquendo non puniuntur innocentes, sed Ecclesia justas ob causas sua beneficia et officia tam nocentibus quam innocentibus subtrahit. *Communis.*[2]

ARTICULUS IV.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

Prænotanda. — Multiplici modo potest quis absolvi a censura:

1) Quoad omnes effectus, vel quoad aliquem effectum tantum; 2) absolute vel conditionate; 3) ad reincidentiam; 4) ad cautelam.

Jamvero: 1° Absolutio datur ordinarie quoad omnes effectus, quandoque autem datur ad effectum partialem, v. g. ad tollendam privationem vocis activæ in electione canonica; quæ tamen absolutio est improprie dicta, atque speciem dispensationis præ se fert.[3]

2° Absolutio dari potest sub conditione vel *de præterito:* v. g. si jam satisfecisti, ego te absolvo; vel *de præsenti:* si possum absolvere; vel *de futuro:* si satisfacies in posterum, nunc pro tunc te absolvo. Hæc postrema tamen illicita est, nisi ex aliqua gravi causa cohonestetur, puta si postea deesset, qui posset censuratum absolvere.[4]

3° Species absolutionis conditionalis ea est quæ datur ad reincidentiam; ita nempe ut absolutus, nisi intra certum tempus aliquid præstet, v. g. nisi infra mensem restituerit, vel excommunicatorem adeat, reincidat ipso facto in eandem censuram. — Porro reincidentia est ab homine vel a jure: a) est ab homine, quoties adjicitur voluntate ipsius Superioris absolventis; b) est a jure, quando incurritur vi legis: quod in duobus tantum casibus locum habet, scilicet cum quis vel impedimento non perpetuo detentus, vel in articulo seu periculo mortis, absolvitur ab eo, qui super reservatis nullam neque ordinariam, neque delegatam jurisdictionem habet.[5] Ille nimirum, etsi vere absolutus et emendatus, cessante impedimento vel morbo, debet, quam cito commode potest, per se aut per alium se sistere excommunicatori (vel ejus delegato), non quidem ut iterum absolvatur, sed mandatum[1] ab eo humiliter susceperus, ut aiunt Canones; alias in eamdem censuram (ob suam novam contumaciam[2]) reincidit ipso jure.

4° Absolutio ad cautelam ea est, quæ datur v. g. ante absolutionem peccatorum ab tollendam censuram forte ignoratam.

1670. PRINCIPIA. — I. Censuræ, quas reus jam incurrit, non solvuntur per solam delinquentis pœnitentiam vel obedientiam erga Ecclesiæ mandata, nec, — si suspensiones *ex informata conscientia* (vide n. 1686. 1° *in fine*) excipias, — per mortem illius, qui censuram tulit; sed necessaria est absolutio a judice, seu Superiore legitimo, impertita. Manifestum est ex Jure Can.,[3] et prop. 44[a] ab Alexandr. VII. damnata, p. XIV. Si vero similis pœna non ut censura lata sit, sed ut pura pœna, per relaxationem sive dispensationem tollitur.[4]

II. A censura ab homine per sententiam *particularem* lata absolvere possunt tantum: 1° qui censuram tulit; 2° ejus Superior qua talis. Ergo non Metropolita, nisi in casu appellationis aut visitationis diœcesis suffraganei; 3° ejus successor; 4° alius ab horum quopiam delegatus. Ratio est, quia ejus est absolvere, cujus est ligare. Idcirco id valet, etiamsi reus mutet domicilium. Hinc S. Alph.[5] advertit, quod, si quis in alieno territorio ita deliquit, ut ab illius loci Episcopo *specialiter* fuerit excommunicatus, non potest absolvi a proprio Episcopo, nisi de Episcopi excommunicantis licentia.

Nota autem, hoc dici de censura ab homine *per sententiam particularem;* nam censuræ *ab homine* utique, sed *per generalem sententiam* latæ, juxta *probabiliorem* æquiparantur latis *a jure,* quæ non sint reservatæ; et idcirco reum potest absolvere quisquis in eum jurisdictionem habeat.[6]

Quod de absolutione a censura, ab

[1] L. V. T. XI. c. 16 in 6°. [2] L. VII. 18. 317.
[3] Porpora Tract. XXVII. n. 76.
[4] L. VII. 123.
[5] Comment. n. 168.

[1] Cap. 22. L. V. Decr. T. XXXIX.
[2] Lib. VII. 87 et 125.
[3] L. V. Decr. T. XXXIX. c. 15.
[4] Reiffenst. L. V. T. XXXIX. n. 179.
[5] L. VII. 72.
[6] Ib. 73.

homine per sententiam *particularem* lata, dictum est, idem dicendum de censuris a jure reservatis.

Si vero censura Papæ *specialiter* reservetur, pro absolutione ab ea impertienda generalis concessio absolvendi a casibus et censuris Pontifici Romano reservatis nullo pacto sufficit, sed specialis exigitur. Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationem Papæ *simpliciter* reservatam ipso facto incurrunt, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint. — Const. *Apostolicæ sedis* d. d. 12 oct. 1869. § *A quibus*.

III. Quilibet confessarius absolvere potest a censuris non reservatis Papæ vel Episcopo,[1] exceptis tamen censuris latis a jure in aliquem locum vel in communitatem; locus enim et communitas foro pœnitentiali non subjacent.[2]

Ejusmodi autem absolutio a confessariis dari potest tam extra, quam intra Confessionem, et valet etiam pro foro externo.[3] Si autem pœna sit notoria, propter scandalum necesse erit, ut de absolutione quoque publice constet; ad quod tamen sufficit, ut sciatur censuratum confessum,[4] et satisfactionem, si qua necessaria erat, ab eo exhibitam fuisse. Quare *imprudenter*, etiam in foro tantum interno, absolutio daretur a casu ad forum contentiosum vel jam deducto, vel proxime deducendo.

Nota. — 1° Quibus in casibus Episcopi, vel eorum delegati, a censuris Papæ reservatis absolvere possint, vide n. 1402. II.

2° Quandonam, et quo modo, a censuris sive Papæ, sive Episcopo reservatis absolvere possit, sive omnis sacerdos, sive simplex confessarius, vide n. 1402. IV. et n. 1403. q. 1°. q. 2°. q. 4°. q. 5°. q. 7°.

1671. *Resolves.* — 1° Superior ecclesiasticus vel delegatus absolvere potest a censuris, etsi non sit sacerdos. Ratio est, quia jurisdictio, quæ requiritur ad absolvendum a censuris, residere potest in Clerico, etiam sola tonsura initiato.

[1] L. VII. 70. L. V. Decr. T. XXXIX. c. 29.
[2] L. VII. 322.
[3] Ib. 70.
[4] Ib. 65. not. 2.

2° Facultas, concessa ab Episcopo pro peccatis reservatis, non intelligitur pro reservatis cum censura; secus si concessio facta sit a Papa, quia casus papales omnes sunt reservati cum censura, duobus illis, qui n. 1400. IV. indicati sunt, exceptis.

3° Danda est absolutio a censuris non tantum cum certum est illas fuisse contractas, sed etiam in dubio, facti scilicet. Absolutio autem ab excommunicatione, ad cautelam saltem, semper datur (et, si probabilis aliqua suspicio adsit quod contracta fuerit, sub veniali danda est) cuilibet pœnitenti, antequam absolvatur a peccatis, ut removeatur accipiendi Sacramenti impedimentum, si quod forte existat. Valet tamen absolutio *a peccatis*, licet absolutio ab excommunicatione non fuerit præmissa, dummodo pœnitens in bona fide sit, et alias rite dispositus.[1] — Ex Rit. Rom.

Non requiritur ad valide absolvendum *per se* determinata verborum forma, sed sufficit et requiritur voluntas absolventis signo aliquo manifestata. Absolvens utatur pro foro interno illa, quæ jam in ipsa sacramentali absolutione habetur; pro foro autem externo illa, quæ in Rituali Romano describitur. — "Ritus," ait Kenrick,[2] "percutiendi leviter humerum hominis virga," qui in forma pro foro externo præscribitur, "difficile poterit executioni demandari, ob mores regionis repugnantes . . . Percussionem hanc ex justa causa omitti posse tradit Busembaum" apud S. Alphonsum.[3]

1672. QUÆSITA. — Quær. 1° *An possit absolvi absens?*

Resp. Affirm., saltem *valide*. Ratio est, quia sicut pœna potest statui in absentem, ita et tolli potest. Deducitur etiam evidenter ex Jure Can. Excipe, si facultas absolvendi ita concessa sit, ut in actu Sacramentalis Confessionis danda sit absolutio.

Quær. 2° *Quandonam facultas absolvendi ita concessa censeatur, ut in actu Sacramentalis Confessionis exercenda sit?*

Resp. Non una est omnium hac de re sententia. S. Alphonsus docet eam in actu Sacramentalis Confessionis exercendam esse, si in facultate dicatur: *in foro*

[1] L. VI. 430. Dub. 4. [2] Tr. XXII. 51.
[3] L. VII. 116.

conscientiæ. Patet ex iis, quæ docet de facultate Episcoporum ex cap. *Liceat*, seu C. *Apostolicæ Sedis.* § *Firmam tamen.*[1] Cfr. n. 1402. II. 1).

Quær. 3° *An Episcopus absens absolvere possit existentem in diœcesi?*

Resp. Affirm. juxta omnes. Ratio est, quia ad absolutionem non requiritur cognitio causæ, nec strepitus judicialis; et proinde nihil obstat, quominus Episcopus talem actum jurisdictionis in alieno territorio exerceat. Secus tamen, si judicialis strepitus quandoque requiratur, vel si facultas, Episcopo data, in hoc forte restricta sit.[2]

Quær. 4° *An possit absolvi invitus?*

Resp. Affirm. Ratio eadem est, ac mox allata: etenim, sicut pœna in absentem et invitum ferri potest, sic etiam ab eo auferri; attamen id fieri non expedit sine ratione valde gravi, et cavendum, ne dum ille a contumacia non cessat, censura contemptui habeatur. Hinc requiritur ut censuratus absolutionem petat, licet valida sit absolutio etiam non petita, modo agatur de emendato et satisfactio fiat.[3]

Quær. 5° *An valeat absolutio vi aut metu gravi injuste extorta?*

Resp. Neg., ut per se patet, et ut ipsum jus[4] disponit.[5]

Quær. 6° *An ille, qui est obstrictus pluribus censuris, possit absolvi ab una, remanentibus aliis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia inter eas non est necessaria connexio. Et peccata quidem mortalia absolvi alia sine aliis nequaquam possunt; secus autem est de censuris, quarum absolutio non confert gratiam sanctificantem censurato. Habentur ergo instar catenarum, quarum aliæ sine aliis solvi possunt.

Quær. 7° *Utrum absolvi possit a censuris ille, qui nondum publice reparavit scandalum, propter quod censuræ subjacebat?*

Resp. Neg., saltem *per se*, et generatim loquendo. Constat ex Declaratione S. Pœnit. die 5 julii 1857.

Quær. 8° *Quomodo scandalum in dicto casu reparandum sit ab iis, quibus talis reparatio difficilis est et periculis obnoxia?*

Resp. S. Pœnitentiaria 10 dec. 1860, "reparationem scandali esse necessariam de jure divino, eamque faciendam esse meliori modo, quo potest, judicio Ordinarii seu confessarii."[1]

Quær. 9° *Qua ratione parti læsæ satisfactio, si necessaria sit ad tollendam censuram, exhibenda sit?*

Resp. Vide n. 1402. IV. c). Et hæc quidem sub pœna nullitatis servanda, si absolutio a reservatis detur per delegatum sub hac conditione: ejusmodi autem conditionem exprimi per clausulam: *satisfacta parte*, docet opinio, quæ S° Alphonso verior videtur.[2]

Quær. 10° *An et quando juramentum ante absolutionem exigendum sit?*

Resp. Exigendum est *universim* quoties præscribitur; *speciatim* vero: 1° in casu, de quo n. 1402. IV. c), si absolutio detur a delegato cum hac conditione, et tunc *verius*[3] requiritur de valore, nisi de pœnitente agatur, qui foret perpetuo impotens ad satisfaciendum;[4] 2° in casu, de quo n. 1402. IV. e);[5] 3° in casu, quo absolutio datur per Episcopum ob impedimentum adeundi S. Sedem, quod perpetuum non est; ante absolutionem scilicet censuratus in hoc casu jurare (aut, si de absolutione in foro interno agatur, promittere) debet, quod, cessante impedimento, aditurus sit S. Sedem.[6]

Nota.— Ex dictis sequitur magnum intercedere discrimen inter absolutionem a peccatis et absolutionem a censuris. Nam: 1° Illa datur ad Deum nobis reconciliandum; hæc vero ad restituendum ea, quæ propria sunt civium Ecclesiæ militantis. — 2° Illa ab omnibus peccatis danda est; hæc vel ab una censura recte datur. — 3° Illa nonnisi contritis et volentibus tribui potest; hæc contumacibus etiam et invitis valide, saltem a Superiore, impertitur. — 4° Illa pure danda est, hæc dari potest sub conditione, ex die, in diem, ad reincidentiam, ad cautelam, etc. — 5° Illa, quia pars est Sacramenti, præsentibus tantum, hæc et absentibus recte datur. — 6° Illa metu extorta valet, hæc

[1] L. VII. 81 et L. VI. 593.
[2] L. VII. 21.
[3] Ib. 117. 131.
[4] C. unic. L. I. T. XX. in 6°.
[5] L. VII. 119.

[1] Acta, T. I. p. 565 sub n. 27.
[2] L. VI. 537. q. VII. L. VII. 121.
[3] L. VI. 537. q. VII.
[4] Ib. § Si vero.
[5] L. VII. 129.
[6] Ib. 86.

non item. — 7° Illa a solo sacerdote approbato, hæc a simplici clerico jurisdictionem externam obtinente impertiri potest.[1]

Præterea : 1° Quoties censura reservata est, peccatum quoque reservationi est obnoxium. Sed inter reservationes a R. Pontifice et reservationes ab Ordinariis introductas plurimum distat, ut patet ex dictis n. 1400. IV., 1401. q. 2°. — 2° Peccata reservationi obnoxia absolvi possunt nedum directe, sed etiam indirecte, ex justa causa (n. 1403. q. 1°. q. 2°) ; censuræ autem *directe* tantum absolvi possunt.[2]

CAPUT II.

DE CENSURIS IN SPECIE, NEMPE 1° DE EXCOMMUNICATIONE ; 2° DE SUSPENSIONE ; 3° DE INTERDICTO.

ARTICULUS I.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Agendum 1° de ejus natura et divisione ; 2° de ejus effectibus.

§ I. *De natura et divisione excommunicationis.*

1673. *Definitio.* — *Excommunicatio* est censura, per quam quis privatur communione Ecclesiæ ; seu censura, qua Christianus bonis spiritualibus Ecclesiæ communibus, quorum distributio ad ipsam pertinet (n. 1660. 6°), vel omnino vel ex parte privatur.

Distinguitur : 1° *Major*, quæ privat omnibus bonis Ecclesiæ communibus ; 2° *Minor*, quæ bonis aliquibus tantum privat. — Nomine autem *excommunicationis* fere semper in jure intelligitur *Major*, ut notat ex communi sententia S. Alphonsus :[3] tamen ante Gregorium IX. subinde veniebat etiam *Minor*. — Vox vero *anathema* usurpatur in SS. Canonibus modo ad distinctionem excommunicationis *minoris*, ut in c. 12. Caus. 3. q. 4 ; modo ad significandam excommunicationem inflictam ob hæresim, vel ejus suspicionem ; denique ad significandas quasdam solemnitates, cum v. g. excommunicatio denunciatur accensis candelis et postmodum extinctis, aliisque cæremoniis ab Ecclesia institutis.

Excommunicati excommunicatione *majori*, alii dicuntur *tolerati*, quos fideles non tenentur vitare ; alii *non tolerati* seu *vitandi*, quos fideles vitare debent.

Olim omnes, qui excommunicatione ligabantur, *vitandi* erant (i. e. interdicebatur fidelibus communicatio cum ipsis in iis actibus, qui excommunicatis per censuram prohibiti sunt), et quidem vitandi *publice*, si de censura notorie constabat ; secus vero *privatim* ab iis, qui sciebant, aliquem censura innodari.[1]

Sed "ad vitanda scandala et multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possunt," Constitutio *Ad vitanda* Martini V. in Concilio Constantiensi Christi fidelibus indulsit communionem, etiam in divinis quibuscumque, cum iis, qui quacumque censura ecclesiastica innodantur, nisi vel nominatim excommunicati fuerint, vel (qui tamen post Const. *Apostolicæ Sedis* vitandi amplius non sunt) notorii sint clericorum percussores.[2]

Attamen notandum :

1° Præfatum Decretum communionem non indulget iis, qui censuræ subjacent, ut ex ipsius Constitutionis verbis : "*Christi fidelibus* . . . misericorditer indulgemus," colligitur, et interpretes communi sententia, ut verius, tuentur. — Cfr. n. 1243. q. 5°.

2° Licet fidelibus jam nulla lege *ecclesiastica* prohibitum sit, toleratis, etiam in Sacris, consociari, eosdemque ad tales actus requirere, quandoque tamen lex *divina* sive naturalis, sive positiva, tali communicationi obstabit ob læsionem prudentiæ et caritatis, v. g. per scandalum, quod præbetur ; per damnum spirituale, quod fideli imminet ; per retardationem emendationis excommunicati, etc. — Cfr. n. 1317. q. 2. R. 2°.

3° Communiter asserunt auctores, excommunicatis toleratis licere cum fidelibus communicare, *si ab hisce expresse vel tacite requisiti fuerint.*[3]

1674. QUÆSITA. — Quær. 1° *An, ut*

[1] L. VII. 117–125. [2] Comment. n. 167.
[3] L. VII. 133.

[1] L. V. Decr. T. XXXIX. c. 14.
[2] Ben. XIV. de Syn. L. XII. c. V. n. 4.
[3] L. VII. 169 sq.

vitari debeat excommunicatus vitandus, oporteat, ut sit publice notus, quatenus talis?

Resp. Affirm. Non enim sufficit, ut scias esse vitandum; sed requiritur insuper, ut factum istius excommunicationis sit vere notorium, scilicet ut tibi moraliter certo, v. g. per famam publicam aut per duos testes fide dignos constet, quod fuerit *nominatim* et *publice* excommunicatus, vel denunciatus ut jam excommunicatione ligatus.[1] — Ille vero est *nominatim* excommunicatus, qui expresso nomine aut officio designatur verbis aut signis adeo indubiis, ut ab aliis omnino secernatur. *Publice* vero excommunicari dicitur ille, qui ut talis denunciatur in loco publico, v. g. in ecclesia, tempore Missæ vel concionis, viva voce, aut per chartam, in loco publico juxta morem regionis. — Dixi: *ut tibi moraliter certo . . . constet.* In dubio tamen an quis sit vitandus, apud hunc confiteri tibi non licebit, ne forte invalide absolvaris.[2]

Quær. 2° *Quid de excommunicatione* MINORI *tenendum sit?*

Resp. Ante Const. *Apostolicæ Sedis* communicatio illicita in divinis vel in civilibus cum vitando excommunicatione saltem minore ipso facto puniebatur. Privabat vero sub gravi *perceptione* sacramentorum, item electione *passiva* ad beneficia et dignitates Ecclesiæ.[3] — Pro foro externo ordinarius judex ecclesiasticus ab ea absolvebat, pro foro interno confessarius.

Post præfatam Constitutionem hæc excommunicationis species sublata videtur;[4] in aliquibus casibus tamen communicatio cum vitando excommunicatione majore Pontifici simpliciter reservata vel aliis censuris punitur. — Vide n. 1731. 1736. 1747. 1751. — Potest præterea Episcopus, non quidem per statutum, sed nominatim alicui interdicere usum passivum seu receptionem Sacramentorum, aut saltem Communionis.

§ II. *De effectibus excommunicationis.*

1675. — Effectus excommunicationis sive in tolerato, sive in vitando *generatim* est privatio cujuscumque juris baptizato, ceu membro Ecclesiæ, competenti. — In specie octo numerantur, scilicet 1° privatio Sacramentorum; 2° privatio divinorum Officiorum; 3° privatio suffragiorum Ecclesiæ; 4° privatio sepulturæ ecclesiasticæ; 5° privatio jurisdictionis ecclesiasticæ; 6° privatio beneficiorum; 7° privatio communicationis forensis; 8° privatio societatis civilis.

Bona, quibus privat excommunicatio, his versiculis comprehenduntur:

> Res sacræ, ritus, communio, crypta, potestas,
> Prædia sacra, forum, civilia jura vetantur.

Et hi quidem sunt effectus *immediati* excommunicationis; *mediati* vero sunt duo: 1) Irregularitas, quæ ob violationem censuræ incurri potest (n. 1771). 2) Suspicio hæreseos, quam ille incurrit, qui toto anno contumaciter (secundum S. Alph. in quacumque censura, sed præcipue) in excommunicatione persistat, seu, ut Jura loquuntur, *insordescat.* — Suspicio autem illa id operatur, ut sic insordescens sese canonice purgare teneatur (vide p. LXI. nota 2), quia ex insordescentia sufficiens existit præsumptio, ipsum de potestate Ecclesiæ et de Sacramentis male sentire. Quod si non se purget, pro convicto habetur.[1]

I. *Privatio Sacramentorum.*

1676. — Excommunicatio privat jure Sacramenta tum recipiendi, tum administrandi. Hinc resolves:

1° *Graviter* peccat per se excommunicatus, sive vitandus, sive etiam toleratus, qui Sacramenta recipit vel confert.

Excipe: a) dum de *recipiente* agatur, si, alias dispositus, versetur in ignorantia invincibili, vel malum grave (uti scandalum, occisio, mutilatio, infamia, gravis jactura bonorum, etc.) secus immineat, modo hujusmodi mali metus non sit incussus in contemptum censuræ. — Dixi: *graviter peccat;* nam, si Sacramentum Pœnitentiæ (quod, utpote Ecclesiæ inobediens, sine contritione susciperet) excipias, cætera valide recipit.[2]

Excipe: b) dum de *conferente* agatur:

[1] L. VII. 137.
[2] Ib. 136. 137. 207. H. A. Tr. XIX. 26.
[3] L. V. Decr. T. XXVII. c. 10.
[4] Avanzini (38). Comment. n. 111.

[1] L. VII. 157. Vind. p. 877. Ed. 2ª. T. II. p. 548.
[2] L. VII. 158. 159.

1) Si Sacramenta conferat in casu necessitatis (v. g. si secus verum et grave incommodum pro ipso timendum sit), vel cum ignorantia prohibitionis.[1] Attamen in priori casu etiam scandali ratio habeatur. — Cæteroquin etiam extra casum necessitatis *valide* Sacramenta confert, si excipias Sacramentum Pœnitentiæ a *vitando* collatum extra casum erroris communis vel periculi mortis.[2] — 2) Si *toleratus* ea conferat ab ipsis fidelibus rogatus. Cfr. n. 1673. 3°. — 3) Si vitandus ea conferat in casibus extremæ vel gravissimæ necessitatis fidelium, quos casus vide n. 1243. q. 5°.

2° *Graviter* peccant Ecclesiæ Ministri, qui Sacramenta conferunt excommunicatis sive vitandis, sive simpliciter toleratis, saltem *per se*, cum sint indigni. Attamen non peccat contra prohibitionem Ecclesiæ, sed tantum contra jus divinum, ille qui confert Sacramenta solis toleratis. Ratio est, quia Ecclesia non prohibet amplius communionem, etiam in divinis, cum toleratis. Peccant autem contra jus divinum, quia non licet unquam *dare sancta canibus*.[3]

Dixi: *saltem* PER SE; nisi scil. *vel* excommunicatus forte licite Sacramenta petat, *vel* administrans per circumstantias (vide n. 1231. q. 4°) excusetur. — In dubio an quis fuerit necne absolutus a censura, petenti Sacramentum negari non potest, maxime si affirmet se fuisse absolutum; quia in dubio nemo præsumitur mendax.[4]

Nota. — Qua ratione *Sacramentalium* usus excommunicato permittatur, vide n. 1678. 3°.

II. *Privatio divinorum Officiorum.*

1677. — Officia divina intelliguntur Missa, publicæ Processiones, Horæ solemniter decantatæ, solemnis Benedictio, consecratio Chrismatis, aliæque hujusmodi cæremoniæ, quæ fiunt ex instituto Christi vel Ecclesiæ, vel quæ propriæ sunt Ordinis Clericalis, ut cantus Epistolæ vel Evangelii cum ornamentis propriis, sepultura ecclesiastica.

[1] L. VII. 170.
[2] Ib. 167.
[3] Ib. 158. 165 sq.
[4] H. A. Tr. XIX. 17 in fine. L. VII. 160.

1678. *Hinc resolves.* — 1° Quilibet excommunicatus prohibetur sub gravi ab auditione Missæ, omnibusque aliis divinis Officiis proprie publicis, etiam diebus præceptis.[1]

Circa Missam abrumpendam, *vitando* in ecclesia remanente,[2] nota facultatem Episcopis nostris concedi, et sacerdotibus communicari solitam, scil. "celebrandi . . . præsentibus hæreticis, schismaticis, infidelibus *et excommunicatis*, si aliter celebrari non possit." Vide p. LXXI. n. 23.

2° Potest tamen excommunicatus, etiam vitandus, tempore, quo non celebrantur Divina, orare in eodem loco, in quo alii orant, sed seorsim, et separatus a cœtu fidelium: potest etiam interesse concioni, lectioni Scripturæ Sacræ et Theologiæ; quia hæc non veniunt nomine Officiorum divinorum, et Ecclesia libenter hæc ei permittit, ut ad conversionem inducatur. — Privatur autem facultate concionandi et legendi in Theologia vel in Jure Canonico, nisi sit toleratus *et* ab aliis requisitus.[3]

3° Potest etiam uti imaginibus, reliquiis, aqua benedicta et aliis rebus sacris, ut illa veneretur, et sic gratias, quibus indiget, obtineat. Non tamen lucratur Indulgentias rebus sacris adnexas, nec percipit ex aqua benedicta et aliis Sacramentalibus fructum, qui ex benedictione Ecclesiæ provenit.[4]

4° Excommunicatus, ad Horas canonicas obligatus, ab iis non dispensatur: sed eas privatim recitare debet, nec socium adhibere potest, nisi sit toleratus et requisitus. Nec potest dicere: *Dominus vobiscum;* sed ejus loco dicere debet: *Domine, exaudi orationem meam.* Attamen dicendo: *Dominus vobiscum*, venialiter tantum peccaret, et, secundum aliquos, quorum sententiam S. Alph. implicite admittere videtur, ne venialiter quidem, quando solus recitat.[5]

III. *Privatio suffragiorum communium Ecclesiæ.*

1679. — Suffragia Ecclesiæ sunt vel communia, vel privata. Suffragia *communia* ea sunt, quæ fidelibus proveniunt

[1] L. VII. 175.
[2] Ib. 176. 177.
[3] Ib. 174. 177.
[4] Ib. 174.
[5] Ib. 178.

ex bonis operibus, nomine Ecclesiæ factis ab ejus Ministris; ut sunt Missæ, Horæ canonicæ, aliæque orationes et opera, quæ fiunt ab Ecclesiæ Ministris prout tales sunt, et nomine ipsius Ecclesiæ aguntur. Ad hæc etiam revocari debent satisfactiones Christi, B. Virginis et Sanctorum, quæ Thesaurum Ecclesiæ constituunt, et a Prælatis Ecclesiæ per Indulgentias applicantur.

Suffragia *privata* ea sunt, quæ proveniunt ex bonis operibus, quæ fideles proprio nomine peragunt. Talia sunt jejunia, orationes, aliaque bona opera, quæ a privatis fidelibus, vel Ecclesiæ Ministris, ceu personis privatis, fiunt.

1680. *Hinc resolves.* — 1° Excommunicati *vitandi* privantur omnibus suffragiis communibus Ecclesiæ. Patet, quia Ecclesia jure suo prohibet, ne pro illis oretur, vel ulla pars bonorum suorum ad eos deveniat. Et hoc valet, etiamsi essent contriti et ad meliorem vitam conversi, quia adhuc excommunicatio perdurat.[1]

2° Neque *tolerati*, neque etiam *vitandi* privantur suffragiis privatis. Ratio est, quia non prohibentur fideles orare privatim pro excommunicatis, etiam in Ecclesia, et loco publico; ergo bonorum operum fructum eis applicare possunt.[2]

3° Excommunicati *tolerati* probabiliter non privantur suffragiis communibus. Ratio est, quia Ecclesia non prohibet amplius fidelibus communicare cum toleratis, ut deducitur ex dictis supra (n. 1673).[3] — De Missa pro excommunicato offerendo necne, vide n. 1317. q. 2°. R. 2°.

IV. *Privatio sepulturæ ecclesiasticæ.*

1681. — Sepultura ecclesiastica ea est, quæ fit in loco sacro, seu ad sepulturam fidelium benedicto. Hinc:

1° Excommunicatus *vitandus* nequit in loco sacro sepeliri; si vero in tali loco sepultus fuerit, ejus cadaver erui debet, *si adhuc fieri possit*, et locus sacer tali contactu pollutus expiandus est.[4]

2° Excommunicatus *toleratus*, dummodo sit *notorie* excommunicatus,[5] pariter sepultura ecclesiastica privatur; et, si in loco sacro fuerit sepultus, inde extrahendus est. Attamen locus non censetur pollutus, nec proinde expiatione indiget. — Si pœnitentiæ signa dedit, sepeliri in loco sacro potest, quamvis *deceat*, eum prius ab excommunicatione absolvi.

3° Etiam *vitandus*, qui signa pœnitentiæ dedit ante mortem, sepeliri potest in loco sacro; sed antea absolutio est ei impertienda. Non debet tamen e loco sacro moveri, si absque absolutione sepultus sit.[1]

4° Huc faciunt ex Const. *Apostolicæ Sedis* excommunicatio inter non reservatas 1ª (n. 1736), et interdictum 2ᵘᵐ (n. 1751).

V. *Privatio jurisdictionis ecclesiasticæ.*

1682. — 1° Excommunicatus *vitandus* omni jurisdictione ecclesiastica privatur. Unde non potest absolvere in foro pœnitentiæ, nec leges, aut censuras, aut sententias ferre, nec eligere ad beneficia aut ea conferre, etc. Si autem talia ageret, nulla prorsus et irrita forent.[2]

2° Excommunicatus *toleratus*, etsi *notorius*, valide jurisdictionem exercet, quia alias magna confusio in Ecclesia oriretur. Ejusdem tamen acta per exceptionem seu oppositionem excommunicationis infirmari ac repelli possunt, et ipse illicite agit extra casum necessitatis, aut nisi rogatus fuerit; et quidem in re gravi a peccato mortali excusari nequit. Si autem rogatus fuerit, non peccat, etiamsi Sacramenta sine causa ministret. Cum enim concessa sit fidelibus communicatio cum toleratis, indirecte etiam his indultum est cum fidelibus petentibus communicare. Hoc tamen valet, quatenus Sacramenta petuntur ab excommunicato; nam quatenus petuntur a Ministro existente in mortali, ad licite petendum requiritur justa causa.[3] Cfr. n. 1243. q. 5°.

VI. *Privatio beneficiorum.*

1683. — 1° Excommunicatus quilibet, sive toleratus, sive vitandus, fit prorsus inhabilis ad beneficia aut officia ecclesiastica obtinenda. Ratio est, quia benefi-

[1] L. VII. 163.
[2] Ib. 162.
[3] Ib.
[4] Ib. 186.
[5] Ferrar. V. Sepultura n. 202.

[1] L. VII. 186. [2] Ib. 185.
[3] L. VI. 88. L. VII. 139.

cium datur propter officium: excommunicatus officii prorsus incapax est; ergo etiam beneficii. Excipe, si beneficium ab ipso Papa, excommunicationis conscio, aut ab ea absolvente conferretur. — Idem valet de dignitatibus, quibus annexa est jurisdictio (excepta tamen dignitate papali), et de Rescriptis Apostolicis obtinendis, nisi hæc in ipsa causa excommunicationis vel appellationis ad excommunicati defensionem impetrentur.[1]

2° Non tamen excommunicatio privat beneficio jam obtento, nec, si beneficiatus officio suo per se vel per alium functus fuerit, ejus fructibus ante sententiam judicis. Ratio est, quia neutrum in jure clare exprimitur. Si tamen per annum negligat obtinere absolutionem, per judicem beneficio privari potest.[2] Hæreticus autem ipso facto privatur beneficiis et officiis prius rite obtentis, sed ita, ut ante sententiam declaratoriam criminis beneficia dimittere, et fructus post privationem ipso jure statutam perceptos restituere non teneatur.[3]

3° Excommunicatus accipiens beneficium, et ille, a quo accepit, peccant graviter, quippe qui contra gravem prohibitionem Ecclesiæ agunt.[4]

VII. *Privatio communicationis forensis.*

1684. — Communicatio forensis intelligitur communicatio in iis, quæ pertinent ad judicium sive civile (ubi viget Jus Romanum), sive ecclesiasticum.

1° Excommunicatus *vitandus* privatur omni actu ad judicium pertinente in foro civili. Proinde nequit esse judex, advocatus, actor, testis, tabellio, procurator, etc. Pariter nequit esse tutor, curator, aut executor testamenti. — Ita ex jure Romano.[5] — Verum illæ juris dispositiones hodie plerisque in locis (etiam apud nos) usum non obtinent.

2° A *fortiori* privatur *vitandus* omni communicatione in foro ecclesiastico. Attamen potest appellare, et appellationem prosequi. — Ita ex Jure Canonico.[6]

[1] L. VII. 180. 181.
[2] Ib.
[3] Ferrar. V. Hæreticus, 49 sq. Sanch. Op. Mor. L. II. c. XXVI. n. 6 sq.
[4] L. VII. 180. 181.
[5] Ib. 184.
[6] L. II. Decr. T. XXV. c. 5.

3° Excommunicatus *toleratus* nulla communicatione forensi privatur ipso facto; unde valide agit, si ea utatur; sed juridice repelli per exceptionem tum ab adversariis, tum a judice potest.[1]

VIII. *Privatio societatis civilis.*

1685. — Actiones civiles, in quibus cum *vitando* non licet communiter consortium habere, his versiculis continentur:

Si pro delictis anathema quis afficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

1° *Os*, i. e. colloquia, litteræ, signa benevolentiæ.

2° *Orare*, quælibet etiam privata[2] communicatio in divinis. Vide etiam in const. *Apostolicæ Sedis* 16am, 17am excommunicationum, quæ simpliciter Papæ reservatæ sunt, n. 1731. Item interdictum 2um, n. 1751.

3° *Vale*, salutationes omnino particulares.

4° *Communio*, quælibet societas negotii, habitationis, contractus, cooperationis, etc.

5° *Mensa*, invitatio reciproca ad mensam.[3]

Porro: 1) Gravis est culpa communicare in divinis, vel in contemptum Ecclesiæ, vel in crimine criminoso, in eo scilicet ob quod quis excommunicatus fuerit, vel etiam, *probabilius*, in cæteris, si communicatio sit frequens cum proposito eam sæpe iterandi.

2) Venialis est, regulariter loquendo, in aliis casibus.

3) Causæ autem graves excusare possunt communicationem reciprocam inter excommunicatum vitandum et fideles, scilicet necessitas, bonum spirituale excommunicati ipsius, conjunctio matrimonialis, status subjectionis (v. g. filiifamilias minoris), ignorantia sive juris, sive facti.[4] Causas illas exhibet hic versiculus:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Hæc autem omnia de solis *vitandis* dicuntur; et, quamvis *toleratis* minime faveat privilegium Martini V., ex hodierna

[1] L. VII. 184.
[2] Ib. 178.
[3] Ib. 188.
[4] Ib. 200 sq. H. A. Tr. XIX. 22 sq.

tamen consuetudine, vel, ut alii malunt, ob bonam fidem, isti non amplius peccant in civilibus communicando cum fidelibus, etiamsi ab ipsis non fuerint requisiti.

ARTICULUS II.

DE SUSPENSIONE.

1686. *Definitio.* — Suspensio est censura, qua Clericus privatur ad tempus, ex parte vel toto, usu potestatis, quam habet ratione Ordinis, officii, vel beneficii.

Suspensio est *censura*, quia *per se* fertur in medicinam per modum monitionis, ut delinquens a contumacia desistat. Sic 1° differt a depositione et degradatione, quæ sunt meræ pœnæ et perpetuæ in vindictam criminis; 2° differt ab irregularitate, quæ non est *per se* pœna, sed merum impedimentum, seu inhabilitas non solum ab exercenda potestate ecclesiastica, sed etiam ab ea recipienda impediens.

Attamen suspensio non est necessario et essentialiter censura; aliquando enim fertur vel sine monitione prævia, vel ad certum tempus, vel ad beneplacitum, vel in perpetuum ad puniendam culpam *mere* præteritam, seu non habentem tractum successivum (n. 1662. 5°), et proinde tunc non est medicinalis. Constat ex praxi Ecclesiæ et ex Jure Can.[1] — Idem dic, si non in scriptis, sed oretenus fiat; quia, cum censura sine scripto licite ferri non possit, non præsumitur Episcopus voluisse delinquere censuram oretenus ferendo.[2]

Singulares etiam species suspensionis sunt:

1° *Suspensio* ex *informata conscientia*, seu facultas, Episcopis et prælatis jurisdictione quasi episcopali gaudentibus data, interdicendi suis clericis adscensum ad Sacros Ordines, vel suspendendi eosdem a suis Ordinibus seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis (quod tamen probabilissime ad beneficium extendi nequit) ex quacumque causa (gravi tamen, uti rei natura et contextus verborum Tridentini expostulant), cujus æstimatio conscientiæ Episcopi relinquitur,[3] etiam ab occultum crimen quomodolibet, etiam extra-judicialiter.[4]

[1] L. II. Decr. T. XX. c. 33.
[2] L. VII. 314. 317.
[3] Anal. J. P. Série 7. col. 581 sv.
[4] Trid. Sess. 14. c. 1. Ref.

De hujus suspensionis origine et charactere V. *Anal.* J. P.[1] Ipsa, uti ex dictis colligitur, nullas solemnitates requirit; exprimendum tamen est, Episcopum agere vigore Conc. Trid.,[2] ne censeatur via ordinaria procedere, quo in casu solemnitates necessariæ essent.[3]

Videtur vero ex decisionibus S. C. C. non infligi posse propter crimina publica (quod tamen alii non admittunt), licet censuratus ob crimen publicum judicium sui Superioris revereri debeat;[4] insuper juxta aliquos, aliis contradicentibus,[5] statui nequit tamquam pœna perpetua, imo ordinarie ultra sex menses non protrahitur.[6] Ita suspensus, qui Sacrum Ordinem solemniter exercet, irregularitatem incurrit. — Nec conceditur contra hanc Episcopi sententiam appellatio, sed solummodo recursus ad S. Sedem, sine effectu suspensivo.[7]

Cessat hæc suspensio etiam per mortem Episcopi, qui eam tulit.

2° *Suspensio ad cautelam* vel *inhibitio*, præceptum scilicet Episcopi, clericum arcens ab exercitio ministerii, non præcise quia criminis reus est, sed vel quia fama publica de ipso mala refert, vel quia jam criminis publici accusatio aut inquisitio judicialiter instituta est, vel alia justa de causa. Non habet *per se* rationem pœnæ et multo minus censuræ.[8]

1687. *Divisio.* — Suspensio duplex distinguitur:

1° *Totalis*, qua Clericus arcetur ab omni functione vel jure ecclesiastico.

2° *Partialis*, qua functione vel jure aliquo tantum privatur.

Suspensio autem *partialis* triplex est: 1° *ab Ordine*, quæ privat exercitio functionum Ordinis, v. g. ab altari seu celebratione Missæ, a cantu solemni Evangelii, Epistolæ, etc.; 2° *ab officio* (seu *a divinis*) quæ privat usu tum Ordinis, tum jurisdictionis, sive in foro externo, sive etiam in foro interno; 3° *a beneficio*, quæ pri-

[1] Série 7. col. 565 sv.
[2] Sess. 14. c. 1. Ref.
[3] Scav. T. I. n. 978.
[4] Ib.
[5] Ib.
[6] Anal. J. P. Série 7. col. 575 sv.
[7] Ib. col. 568. 569. Ben. XIV. de Syn. L. XII. c. VIII. n. 3 sq.
[8] Acta, T. II. p. 284. Anal. J. P. Série 8. col. 1643 sv.

vat reditibus et administratione beneficii. Hæc autem singula iterum in suspensionem *totalem* vel *partialem* sive Ordinis, sive officii, sive beneficii, subdividi possunt.[1]

Per suspensionem *a divinis* sine alio addito, juxta communiorem sententiam, intelligitur suspensio ab officio, nisi forsan usus illa verba aliter explicet. Promiscue enim hæ duæ formulæ in Jure Can. adhibentur. — Scavini.[2]

1688. *Regulæ generales.* — 1ª *Regula.* Peccat graviter Clericus suspensus, si actum Ordinis Sacri vetitum exerceat, nisi ignorantia invincibili, aut metu gravi, aut alia legitima causa, v. g. necessitatis, excusetur, vel nisi suspensus, qui a judice nominatim non denuntiatus est, a fidelibus requiratur et aliud non obstet, uti communiter addunt auctores. Item S. Alphonsus[3] ob materiæ parvitatem saltem a peccato gravi eum excusat, qui v. g. actum levem jurisdictionis exercet. Potest tamen facere ea omnia, quæ a laicis fieri solent, v. g. canere in choro more laicorum, etc. Suspensus autem ab Ordine, si hunc *solemniter* exerceat, non solum graviter peccat, sed etiam irregularitatem incurrit, ut suo loco dicemus.

IIª *Regula.* Suspensio *absolute* et *simpliciter*, sine ulla determinatione ad hoc vel illud, — v. g. qui talia egerit, suspensionem incurrat! — semper censetur *totalis*, nisi usus vel circumstantiæ aliud clare suadeant,[4] et proinde privat omni usu Ordinis, jurisdictionis et beneficii. Suspensio vero *partialis* privat ea tantum parte hujus potestatis, quæ in lege, vel statuto, vel mandato aut sententia exprimitur.

IIIª *Regula.* Suspensio *ab Ordine, absolute* et *simpliciter*, privat exercitio et usu cujuscumque Ordinis sive Majoris, sive Minoris. Suspensio *a jurisdictione* privationem omnis jurisdictionis importat.

IVª *Regula.* Suspensio *ab officio, simpliciter* et *sine limitatione*, privat usu tum jurisdictionis, tum Ordinis, seu cujuscumque ministerii ecclesiastici. Hinc Parochus ab officio suspensus nec Missam celebrare, nec prædicare, nec officiis præesse, nec Sacramenta ministrare potest.

1689. *Resolves.* — 1° Suspensus simpliciter ab Ordine non intelligitur suspensus a jurisdictione, et vice versa. Suspensus ab Ordine superiore, non ideo ab inferiore est suspensus. Suspensus tamen ab Ordine inferiore, etiam a superiore suspensus censetur,[1] nisi circumstantiæ aliud suadeant. Is vero, qui ab aliquo officio speciali suspenditur, non eo ipso suspensionem a cæteris officiis incurrit.[2] Item suspensus a beneficio non censetur suspensus ab officio, nec vice versa.[3]

2° Non incurritur irregularitas violatione suspensionis latæ propter delictum mere præteritum, vel in perpetuum.[4] Ratio est, quia tunc non est violatio censuræ. *A fortiori*, si suspensio facta fuerit propter defectum inculpabilem mentis vel corporis. Nec incurritur per exercitium cujuslibet actus, a quo quis fuit suspensus, præter exercitium solemne Ordinis Sacri. — Ita *communiter*.

3° Episcopus suspensus a Pontificalibus, si Missam celebraret, etiam cum Pontificalibus, non incurreret irregularitatem; quia non exerceret actum substantialem Ordinis Episcopalis.

4° Actus Ordinis Clerici suspensi, non dependentes a jurisdictione, sunt validi; quia Ecclesia nequit tollere potestatem Ordinis, sed tantum illius exercitium prohibere potest. Actus vero jurisdictionis sunt invalidi, si suspensus sit nominatim et publice denuntiatus, quia privatur actuali jurisdictione; validi autem sunt, nisi ita sit denuntiatus, quia Ecclesia, eo ipso quod tolerat suspensum, ob bonum fidelium ei non adimit jurisdictionem.[5]

1690. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sacerdos suspensus absolvi possit a peccatis per simplicem confessarium, antequam a censura reservata solvatur per Superiorem?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia effectus suspensionis non est privare receptione Sacramentorum (cfr. n. 1343. q. 7°). Sufficit igitur, ut sit dispositus ad Sacramen-

[1] L. VII. 315 sq.
[2] T. I. n. 977.
[3] L. VII. 313.
[4] Giraldi, Expos. J. P. P. I. Sect. 891, § Cum autem.

[1] Ferrar. V. Suspensio, art. 7. n. 7.
[2] Devoti, Inst. Can. L. IV. Tit. XX. III.
[3] L. VII. 316.
[4] Ib. 314.
[5] L. VII. 314.

tum Pœnitentiæ, scilicet ut sit saltem attritus de peccatis, et promittat sese procuraturum quamprimum, quantum in se erit, absolutionem a censura, et interim se potestate vel juribus prohibitis usurum non esse. Hinc ita a peccatis absolutus, secluso scandalo ejusque periculo, ad Communionem quoque admitti poterit.[1]

Quær. 2° *An possit ferri suspensio* partialis *pro sola culpa veniali?*

Resp. Vide n. 1662. 2°

Quær. 3° *Quomodo tollatur suspensio?*

Resp. 1° Si suspensio rationem habeat *censuræ*, tollitur ut excommunicatio, scilicet per solam absolutionem, et quidem Superioris, si sit reservata; attamen, si lata fuerit ad certum tempus determinatum, vel sub conditione, cessat per seipsam, transacto tempore, vel adimpleta conditione statuta.

Resp. 2° Si vero imposita sit in *perpetuum* propter culpam omnino præteritam, tollitur, ut mera pœna, per solam dispensationem Prælati, vel ejus delegati, quia tunc non est censura. — Ita *communiter.*

Quær. 4° *Quænam forma adhibenda sit ad tollendam suspensionem?*

Resp. 1° Si suspensio occulta sit, tollitur per absolutionem sub forma generali: *Absolvo te ab omni vinculo*, etc.

Resp. 2° Si publica sit, *in foro interno* eâdem formâ tollitur: in *foro* vero *externo* adhibenda est forma solemnis in Rituali determinata. Solemniter autem nemo a suspensione absolvere potest, nisi ipse Superior, aut alius specialiter ad hoc delegatus.

Quær. 5° *An sacerdos simpliciter approbatus absolvere possit suspensum a censura in articulo mortis, si Superior aut delegatus desit?*

Resp. Negant non pauci quibus adhæremus, ea ducti ratione, quod nulla appareat causa, cur Ecclesia ei conferat talem potestatem; suspensio enim non privat facultate recipiendi Sacramenta, si excipias promotionem ad Ordinem superiorem. Sufficit igitur ad salutem æternam, ut suspensus in tali periculo constitutus a peccatis absolvatur.

Quær. 6° *An et qualis communicatio prohibeatur cum suspenso vitando?*

Resp. 1° Communicatio, absque gravi causa, in actibus, a quibus suspensus est, v. g. ejus Missæ *inservire*, si ab altari suspensus fuit.

Resp. 2° Licet communicare *in cæteris;* neque enim hoc prohibetur, nec suspensio per se retrahit a communicatione sicut excommunicatio. Hinc, præciso scandalo, licet *audire* Missam suspensi, etiam vitandi, prout verius et communius docent Salmanticenses. Nec cessandum a divinis, licet suspensus vitandus iis intersit.[1]

[1] L. VII. 430 in fine. Scavini, T. I. n. 875.

APPENDICULA

DE DEPOSITIONE, DEGRADATIONE, ET REMOTIONE A PAROCHIA.

1691. — *Depositio* et *degradatio* sunt pœnæ gravissimæ, suspensioni valde affines.

Depositio (*verbalis*) est pœna ecclesiastica, qua Clericus non solum ab omni munere Ordinis ac beneficii repellitur, sed etiam officio et beneficio omnino privatur, ablato titulo, ita ut ad illud sine nova collatione redire nequeat. Differunt igitur *depositi* a *suspensis*, quod hi dignitatem et beneficium non amittunt, sed tantum privantur fructibus beneficii aliisque inde pendentibus, suique Ordinis ac dignitatis munera exercere prohibentur. — Depositio irrogari potest ab Episcopo vel ejus Vicario ad hoc deputato, at in casibus tantum in Jure expressis et pro delictis atrocioribus. — Quamvis autem *de se* pœna sit irremissibilis, tolli tamen per dispensationem Episcopi poterit, quoties crimen adulterio minus fuerit.[2]

Degradatio (seu depositio *realis*) est solemnis privatio omnium titulorum, honorum, privilegiorum, et bonorum ecclesiasticorum, ita ut degradatus, solo remanente Ordinis charactere indelebili, ad conditionem laicalem reducatur. Hinc differt a *depositione:* 1° quia degradatio est solemnis privatio bonorum ecclesiasticorum, depositio autem non ita; 2° quia degradatio privat utroque privilegio clericali, scilicet Canonis et Fori, depositio autem his privilegiis non privat. Hinc percutiens depositum incurreret excommunicationem;

[1] L. VII. 140. Cfr. Salm. de Cens. C. V. P. II. n. 14. Craisson, Manuale, n. 6592.

[2] L. VII. 323 sq. H. A. Tr. XIX. 67. Devoti, Inst. Can. L. IV. T. XX. § 6.

non vero si in degradatum violentas manus injiceret; a laico enim non differt.

Degradatio non potest infligi nisi ab Episcopo et pro immanibus sceleribus, cujusmodi sunt crimen hæresis manifestum, falsificatio litterarum apostolicarum, sodomia frequentata, gravissima calumnia proprio Episcopo apposita, etc. — Solus Papa in hac gravissima pœna dispensat.[1]

Quær. *An degradatus teneatur ad Horas canonicas, et ad votum castitatis?*

Resp. Affirm. quoad utrumque; quia non debet hoc onere solvi et commodum percipere ex sua malitia. Hinc invalide Matrimonium contraheret.[2]

1692. — A depositione et degradatione differt tum *privatio* parochiæ, tum *œconomica remotio* a parochia. — *Privatio* parochiæ nonnisi ob causas omnino graves, et ordine judiciali apprime servato, statuitur; *œconomica* autem *remotio* locum habet tum ob imperitiam et inidoneitatem parochi ad parochiam, ut par est, regendam,[3] tum ob grave odium et aversionem plebis, quibus exstantibus parochus parochiæ suæ consulere non possit. Si *temporanea* fuerit, loco parochi interea vicarius idoneus instituendus est, æqua portione redituum ipsi assignata; si vero de *perpetua* remotione agatur, succurrendum est parocho adsignatione alterius beneficii.[4]

1693. QUÆSITA. — Quær. 1° *Qua ratione apud nos in praxim deducenda sit* privatio *parochiæ?*

Resp. Privationi parochiæ apud nos assimilatur *revocatio facultatum*, de qua Concilium Pl. Baltim. II.,[5] hæc habet: "Seligantur" (ex Consultorum diœcesanorum[6] numero, si Episcopo videatur), "Judices Causarum, qui sacerdotes criminis postulatos in prima instantia, ex Episcopi delegatione, judicent; juxta normam quæ in Concilio Provinciali Sancti Ludovici, anno 1855 habito, a Sancta Sede recognitam, præscribebatur, quamque legis esse communis statuunt hujus Plenarii Concilii Patres. Decretum autem prædictum est hujusmodi: "Sacerdotes quibus per Ordinarii sententiam sacerdotii exercitium interdictum fuerit, nullum jus habent ad sustentationem ab eo petendam, cum ipsi se sua culpa missionibus operam navandi incapaces reddiderint. Ut autem omnis causa querelarum tollatur, censent Patres omnino expedire, ut Ordinarii, in causis criminalibus clericorum aut presbyterorum, servent certam judicii formam, quæ ad illam a Concilio Tridentino[1] præscriptam quam proxime accedat; scilicet, ut Episcopus, seu ejus Vicarius Generalis, de ipsius commissione, duos ejusdem Episcopi Consultores, nec semper eosdem, eligat, qui ei presbyterum criminis postulatum judicaturo, coram Notario tamen ipsius Episcopi, assistant. Unum autem sit utriusque votum, possitque alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo, seu ejus Vicario, discordes fuerint, tertium tunc ex prædictis suis Consultoribus ipse eligat, et juxta eam partem, cum qua tertius convenit, causa terminetur. Si autem contigerit omnes Consultores, ab Ordinario electos, ab ejus sententia dissidere, tunc ad Metropolitanum causa referri debet, qui sententiarum motiva expendet et judicium feret. Quando autem quæstio erit de subdito Metropolitani criminis postulato, et omnes Assessores Metropolitani ab ejus sententia dissenserint, tunc appellatio fiat ad seniorem Episcopum comprovincialem, cujus sententia finalis erit, salvis semper Sedis Apostolicæ privilegiis et auctoritate."

Quær. 2° *Qua ratione apud nos in praxim deducenda sit* œconomica remotio *a parochia?*

Resp. Œconomicæ remotioni a parochia assimilatur apud nos translatio pastorum ad aliam ejusdem diœcesis Congregationem, de qua Conc. Pl. Balt. II Patres hæc habent:[2] "Monemus omnes sacerdotes in hisce diœcesibus degentes, sive fuerint in iis ordinati, sive in easdem cooptati, ut, memores promissionis in ordinatione emissæ, non detrectent vacare cuilibet missioni ab Episcopo designatæ, si Episcopus judicet sufficiens ad vitæ decentem sustentationem subsidium illic haberi posse, idque munus viribus et valetudini sacerdotum ipsorum convenire. Hac autem declaratione nihil innovare volumus quoad illos, qui parochialia obtinerent beneficia, [quorum unum tantum,

[1] L. VII. 323 sq. [2] Ib. 324.
[3] Trid. Sess. 21. c. 6. Ref.
[4] Acta, T. II. pp. 283. 284. Anal. J. P. Série 8. col. 1643 sv.
[5] a. 77.
[6] Ib. a. 71.

[1] Sess. 25. c. 6. Ref. [2] a. 108.

scilicet in civitate Neo-Aurelia adhuc noscitur in hisce Provinciis. Vide n. 1608, Nota 1)], neque ullatenus derogare intendimus privilegiis, quæ Religiosis fuerint a S. Sede concessa."[1]

His addunt ejusdem Concilii Patres:[1] "Parochialis juris, parœciæ, et parochi nomina usurpando, nullatenus intendimus Ecclesiæ cujuslibet rectori jus, ut aiunt, *inamovibilitatis* tribuere; aut potestatem illam tollere seu ullo modo imminuere, quam ex recepta in his provinciis disciplina habet Episcopus quemvis sacerdotem munere privandi aut alio transferendi. Monemus autem et hortamur, ne Episcopi hoc jure suo, nisi graves ob causas et habita meritorum ratione, uti velint."

ARTICULUS III.

DE INTERDICTO.

1694. — *Definitio.* Interdictum est censura, qua, in pœnam alicujus criminis, usus divinorum Officiorum, aliquorum Sacramentorum, et sepulturæ ecclesiasticæ certis personis aut in quibusdam locis prohibetur.

Hinc differt interdictum: 1° ab excommunicatione, quæ majoribus bonis privat quam interdictum, nec loca, sed solas personas afficit; 2° a suspensione, quæ solos afficit Clericos, et eatenus tantum privat rebus sacris, quatenus sunt usus alicujus ministerii ecclesiastici, non vero quatenus sunt bona fidelium; insuper interdictum afficit etiam loca, et privat sepultura ecclesiastica, non vero suspensio; 3° ab irregularitate et a cessatione a divinis, quæ proprie et *per se* non habent rationem pœnæ, nec proinde censuræ.[2]

Divisio. Interdictum est multiplex, scilicet, 1° *Personale*, *locale* vel *mixtum*, prout immediate afficit personam, vel locum, vel utrumque simul.

2° *Generale* vel *particulare*, prout extenditur ad totam regionem, civitatem et communitatem, vel ad Oratorium, Ecclesiam particularem, aut personas determinatas restringitur.

3° *Totale*, quod simpliciter fertur quoad omnes effectus interdicti, et *partiale*, quod solum fertur quoad unum vel alium effectum.[3]

[1] a. 125. [2] L. VII. 328.
[3] Suarez, de Cens. disp. 32. sect. 2. n. 37.

Partiali adnumerandum est *interdictum ab ingressu ecclesiæ*, quod speciem constituit interdicti personalis, et prohibet eodem ligatos in ecclesia (non tamen extra illam, v. g. in cœmeterio) divina celebrare, percipere, vel iis adsistere; adsistentes, si fieri potest, sunt removendi. Disputatur autem, num ipsis permittatur ecclesiam ingredi, ut ibi privatim orent. — Insuper a sepultura in ecclesia vel in cœmeterio ecclesiastico arcentur, nisi, pœnitentia acta, ab interdicto absoluti fuerint.[1]

1695. *Regulæ.* — I. Interdictum *generale* non cadit nisi in *personas* vel *loca* designata. Hinc: 1° Interdicto *Clero* alicujus loci, non ideo interdicitur *populus*, nec interdicuntur Regulares, nisi beneficium aut officium in illo populo habeant, neque alii clerici, qui ibi nullum habent officium; cum clero enim non constituunt unum corpus; et vice versa.[2] 2° Interdicta *civitate*, incolæ innocentes non sunt interdicti, et aliò ire possunt, ut divinis Officiis intersint. 3° Interdictis *civibus urbis*, Ecclesiæ interdicto non subjacent; ibique peregrini Officiis adesse possunt (Episcopi semper eximuntur ab interdicto personali generali, nisi specialiter designati fuerint). Liberi quoque in hoc casu sunt innocentes, si domicilium aliò transferant. Item infantes et amentes, qui tamen sepultura ecclesiastica privantur.[3]

II. Interdictum sine limitatione in aliquod *totum*, omnes ejus partes afficit. Hinc: 1° Interdictum civitatis involvit omnes illius urbis Ecclesias, etiam exemptas a jurisdictione interdicentis; nam alias interdictum esset illusorium, et ita in Jure decernitur. Et hoc interdictum Episcopus etiam, qui illud tulit, observare tenetur.[4] De Regularibus tamen vide S. Alph.[5] 2° Interdictum familiæ vel communitatis singula ejus membra complectitur. 3° Interdictum Ecclesiæ singulis sacellis in ea contentis competit: at vice versa dici nequit.

III. Interdictum latum in certa *loca*, v. g. castrum, aut civitatem, afficit etiam

[1] L. V. T. XI. c. 20 in 6°. Suarez, de Cens. disp. 35. sect. 4. n. 4 sq. Vide etiam disp. 34. sect. 4. n. 23. 24; disp. 38. sect. 1. n. 20 sq. Ben. XIV. Inst. 55. § 11. Porro die 18 sept.
[2] L. VII. 331.
[3] Ib. 330. 331.
[4] Ib. 330.
[5] L. V. 61. § Infertur III. et L. VII. 333.

suburbia et ædificia contigua. Hinc interdictâ Ecclesiâ parochiali, interdicuntur sacella, nec non cœmeteria contigua ; non vero vice versa : quia *accessorium sequitur principale*, et non principale accessorium.

1696. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quinam sint effectus interdicti ?*

Resp. Sunt tres, ut patet ex definitione superius data, scilicet : 1° *Prohibitio a divinis Officiis*, ab iis nempe, quæ solemniter a Clericis in loco ad hæc deputato exercentur, scilicet a Missa, precatione publica et solemni, publica recitatione Horarum in choro, benedictione publica aquæ, olei, templi, cereorum, etc. Clerici, qui non cadunt sub interdictum generale, celebrare possunt et debent, sed januis clausis et (nisi ad concionem, Salutationem Angelicam vel obitum alicujus) sine campanarum sonitu, submissa voce, et exclusis nominatim interdictis. — Excipiuntur etiam, in interdicto locali generali, nonnulla Festa Solemnia, in quibus omnes interdicti possunt ad divina officia admitti, et, si hæc Festa de præcepto servanda sunt, Sacro interesse debent. Excipitur etiam semper concio.[1]

2° *Prohibitio ab administrandis et recipiendis aliquibus Sacramentis*, scilicet Eucharistia, Ordine (extra gravissimam necessitatem) et Extrema Unctione. Viaticum moribundis ministrari potest, et juxta aliquos etiam Extrema Unctio. Baptismus (etiam solemnis), Confirmatio et Pœnitentia omnibus permittuntur, exceptis illis, qui interdicto causam, etiam auxilio vel favore, dederunt, et illis, qui *nominatim* interdicti sunt, nisi vel prius satisfecerint, vel, si nunc satisfacere nequeunt, de satisfaciendo cautionem juratam dederint. Probabilius etiam Matrimonium, sed absque solemni benedictione.[2]

3° *Prohibitio a sepultura ecclesiastica.* Extenditur etiam ad infantes et amentes in interdicto locali. Clerici tamen, qui personaliter interdicti non sunt, nec interdictum violarunt, sine pompa sepeliri possunt in Ecclesia (cum Missa) ; imo etiamsi Ecclesia esset specialiter interdicta (sed sine Missa).[3]

Quær. 2° *Quomodo peccent violantes interdictum, et quasnam pœnas incurrant ?*

Resp. 1° *Quoad Clericos et Religiosos :* Peccant *graviter* violando interdictum sive personale, sive locale, nisi parvitas materiæ excuset, ut si v. g. per breve tantum tempus januam Ecclesiæ apertam relinquerent. Præterea incurrunt : a) *Irregularitatem*, si exerceant actum proprii Ordinis ; b) *Suspensionem* Papæ reservatam, si recipiant Ordinem ab interdicto nominatim denuntiato (vide n. 1747) ; c) *Interdictum* ab ingressu ecclesiæ (n. 1694), si scienter celebrent in locis interdictis (vide n. 1751).

Resp. 2° Laici peccant *graviter*, si violent interdictum personale, recipiendo v. g. Eucharistiam ; item si compellant Clericos ad Sacra celebranda contra interdictum, quo in casu incurrunt (sicut et Clerici) interdictum personale ab ingressu ecclesiæ (vide n. 1751). *Probabilius* leviter tantum peccant, si, interdicto loco, ipsi, non personaliter interdicti, divinis officiis dumtaxat assistant.[1]

Quær. 3° *Quam ob causam ferri possit interdictum ?*

Resp. Ferri non potest *per se loquendo*, nisi propter culpam gravem bono publico oppositam. Sic pro interdicto personali requiritur culpa illius, qui interdicitur ; nam pœna est propter culpam. Pro interdicto autem generali et locali sufficit culpa illius, qui est caput communitatis, vel præcipuorum ejus membrorum.[2]

Quær. 4° *Quis ab interdicto possit absolvere ?*

Resp. 1° Ab interdicto personali particulari a Jure lato, nec reservato, quivis confessarius absolvere potest.

Resp. 2° Ab interdicto locali non reservato, vel a personali generali non reservato, Episcopus absolvit vel qui episcopalem jurisdictionem participat.

Resp. 3° Si interdictum latum sit *ab homine*, applica dicta n. 1670. II.[3]

APPENDIX I.

DE CESSATIONE A DIVINIS.

1697. — *Cessatio a divinis* est prohibitio Clericis facta, ut abstineant ab Officiis divinis, ab administratione Sacramentorum, et ab ecclesiastica sepultura in aliquo loco determinato.

[1] L. VII. 336. [2] Ib. 337. [3] Ib. 338. 339.

[1] L. VII. 333. [2] Ib. 334. [3] Ib. 335.

Hæc cessatio distinguitur ab interdicto: 1° Quia interdictum potest esse personale, non vero cessatio a divinis. 2° Quia interdictum est censura, unde qui illud violat, fit irregularis; transgressor autem cessationis a divinis, licet graviter peccet, nullam tamen censuram incurrit, nec fit irregularis. Hæc enim cessatio non adhibetur ad corrigendos delinquentes. 3° Quia, durante interdicto generali, licet celebrare Officia divina januis clausis, et submissa voce, et etiam solemniter in quibusdam Festis: in cessatione vero a divinis etiam hæc prohibentur.

Duplex distinguitur cessatio a divinis:

1° Alia *a jure*, quæ ipso facto existit, quando polluitur Ecclesia, vel exsecratur.

2° Alia *ab homine*, quæ, præcedente monitione, imponitur a Superiore jurisdictionem habente in foro externo (qui et tollere eam potest, vel ad tempus suspendere), in signum mœroris, vel ad reparationem gravis injuriæ Deo illatæ; et tunc afficit omnes, qui in eo loco versantur.

Causæ autem cessationis a divinis *a jure* referuntur in Tractatu *de Eucharistia* n. 1329. q. 4°. q. 5°. — Sacramenta, quæ ministrari possunt tempore interdicti, conceduntur etiam tempore cessationis.[1] Hinc generatim permittitur Missa privata semel per hebdomadam ad Sacras Species pro Viatico renovandas. — Clerici autem non gaudent privilegio eis concesso tempore interdicti.

APPENDIX II.

DE SEPULTURA ECCLESIASTICA.

1698. — Corpora fidelium defunctorum ex præcepto Ecclesiæ in loco sancto ad hoc benedicto et consecrato, aut in ipsa Ecclesia sepelienda sunt. Qui autem non pertinent ad Ecclesiam Christi, nec more ecclesiastico, nec in loco sancto sepeliri possunt. Deneganda est sepultura ecclesiastica etiam christianis, qui ea indigni visi sunt, propterea quod aut Fidem deseruerunt, aut in contumacia et impœnitentia e vivis excesserunt, vel filii rebelles fuere, ut constat ex dictis de effectibus excommunicationis et interdicti.

[1] L. VII. 340. Craisson, Manuale n. 6639.

1699. QUÆSITA. — Quær. 2° *Quinam privandi sint sepultura ecclesiastica?*

Resp. De jure communi sunt sequentes:

1° *Infideles* omnes, quicumque sint, sive pagani, sive judæi, sive mahumetani, sive etiam infantes sine Baptismo, saltem dubie valido,[1] mortui. "Infans" autem "in utero matris fidelis simul cum ea defunctus, simul cum ea sepulchrum habeat. Adulti vero qui morte correpti fuerint, dum Baptismo recipiendo semet disponerent, sepultura haud priventur; desiderii namque, seu flaminis, ut aiunt, Baptismo mundati esse rite existimantur."[2]

Præterea "ex mente Sedis Apostolicæ toleratur, ut in sepulchris gentilitiis, quæ videlicet privata et peculiaria pro Catholicis laicorum familiis ædificantur, cognatorum et affinium etiam Acatholicorum corpora tumulentur."[3]

2° *Apostatæ* a Christiana Fide. Adnumerari autem debent inter apostatas omnes impii homines, qui scriptis atheismum, deismum, pantheismum docent, seu uno verbo quicumque Christianam Revelationem negant.

3° *Hæretici*, qui errores suos palam profitentur, eorumque fautores notorii, nec non schismatici publici.

4° *Excommunicati publici* et *notorii*, et *interdicti nominatim*, si absque pœnitentiæ signis decesserint, nec votum ullum reconciliationis cum Ecclesia manifestaverint.

Dixi: 1° *si absque Pœnitentiæ signis decesserint.* Adest autem pœnitentiæ signum, si moriens nomen Jesu invocavit, vel Dei misericordiam imploravit, vel pectus tutudit, vel confessarium petiit, etc., ad quod probandum unus testis sufficit.[4]

Dixi: 2° *nec votum ullum, etc.* Ut tale votum eosdem ab hac pœna liberet, serium esse debet, ita ut per eos non steterit, quominus reconciliarentur ecclesiasticæ unitati.[5] — Etsi toleratus signa pœnitentiæ exhibuerit, *decet* tamen, ipsum ante sepulturam ab excommunicatione absolvi. Pro vitando autem, licet pœnitens deces-

[1] Férrar. V. Sepultura, n. 172.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 390.
[3] Ib. a. 389.
[4] Thesaurus, de pœnis. P. II. V. Concubinarius sub V.
[5] L. V. Decr. T. XXXIX. c. 28.

serit, absolutio de præcepto exigitur. (Vide n. 1680. 3°.)

Quoad censuras huc facientes, vide n. 1736. 1751.

Nota. — Die 10 decemb. 1860 S. Pœnitentiaria ad quæsitum:

"Si quis . . . censura ecclesiastica notorie innodatus obierit, et juxta Sacros Canones et normas hac super re a doctoribus traditas ecclesiastica sepultura carere omnino debeat, et contra pertinaciter gravibus minis expostulentur exequiæ et ipsa ecclesiastica sepultura, quomodo in hujusmodi casu se gerere debeat parochus?" respondit:

"Curandum, ut cuncta ad normam Sacrorum Canonum fiant: quatenus vero absque turbarum et scandali periculo id obtineri nequeat, parochus neque per se, neque per alios sacerdotes ad exequias et ad sepulturam ullo modo concurrat." [1]

5° *Suicidæ*, qui sibi mortem intulerunt, ira aut desperatione impellente, nisi signa amentiæ dederint. Non denegatur autem sepultura iis, qui in statu phrenesis aut in alio morbi excessu seipsos occiderunt, aut "aliquo forsan tempore superstites resipiscentiæ signa dederint." [2] Quando tamen dubium superest, utrum mortem quis sibi dederit per desperationem an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exequiarum." [3]

6° "Qui duello perierint, dederint vel non dederint resipiscentiæ signa"; [4] et juxta Bullam Benedict. XIV. licet absoluti fuerint. Duellantes tamen non incurrunt hanc pœnam ob congressum improvisum, quamvis pugnantes ex eodem rixæ impetu ad locum aliquem idoneum perrexerint. [5]

7° *Peccatores publici et notorii*, qui in impœnitentia mortem oppetierunt. Tales sunt v. g. qui publice vitam degunt in adulterio, vel concubinatu. Sed ad hoc requiritur, 1° ut impœnitentia sit omnino certa; 2° ut sit adeo publica, ut sepultura sine novo scandalo concedi non possit.

8° "Qui morti proximi obstinate et coram testibus Sacramenta sibi oblata respuerint." [1] Si quid autem ejusmodi timendum sit, sacerdos moribundum absque testibus alloquatur et ad Confessionem inducat, ne malus ejus animus innotescat, modo tamen aliquod scandalum non sit necessario reparandum.

Quær. 2° *An sepeliendi sint in loco sacro rei, qui morte plectuntur?*

Resp. Affirm., si confessi fuerint ante mortem, aut signa dederint indubia pœnitentiæ. Sed convenientius sine solemnitate.

Quær. 3° *Quid agendum in dubio, utrum deneganda sit sepultura ecclesiastica, necne?*

Resp. "Consulendus erit Ordinarius, cum id commode fieri poterit; secus autem, in partes lenitatis et misericordiæ propendeat judicium. Quod præstandum consulimus præsertim, quandocumque defunctus morte subitanea correptus nullum habuit pœnitendi tempus; cum, juxta juris regulam, odia sint restringenda." [2]

Quær. 4° *An deneganda sit sepultura mimis et comœdis?*

Resp. Neg., modo Sacramenta Ecclesiæ non recusarint, sicut de cæteris peccatoribus dictum est in quæsito 8°. Nulla enim invenitur lex canonica, quæ eos a sepultura ecclesiastica excludat.

Quær. 5° *An apud nos ritus ecclesiastici adhiberi possint in sepultura fidelium, quando eorum corpora sepeliuntur in cœmeterio non Catholico?*

Resp. Disting. "Si cujus . . . Catholici defuncti, si fuerit ad Fidem conversus, consanguinei superstites sint Acatholici, et fundum in alieno cœmeterio jam possideant, permittimus, ut exequiæ in domo vel etiam publice in Ecclesia celebrentur, si pastori id eorumdem bono spirituali profuturum vel alias expedire visum fuerit. Si superstites Catholici sint, fundum vero in alieno cœmeterio sine ulla fraude legis, vel ab anno 1853, habuerint, in quo cadavera jam sint humata, pastoris arbitrio et conscientiæ relinquimus, ut preces pro exequiis in Rituali præscriptas privatim in domo recitet, antequam cadaver efferatur; at in Ecclesia, ut nonnisi præhabita Ordinarii venia exequiæ fiant, præcipimus." [3]

[1] Acta, T. I. p. 563. n. 21.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 389.
[3] S. C. O. Fer. IV. 16 maii 1866 apud Gury. Ed. Rom. 1873. T. II. p. 544 (*).
[4] Conc. Pl. Balt. II. a. 389.
[5] L. IV. 401.

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 389.
[2] Ib.
[3] Ib. a. 391. 392.

Nota 1° Si in cœmeterio profano separata terræ pars obtineri nequeat, in qua Corpora Catholicorum exclusive inhumentur, saltem loculus ubi cadaver deponitur benedicatur, ea oratione adhibita, quæ in Romano Rituali expresse præscribitur (Tit. de Exequiis): "Deus cujus miseratione animæ, etc."[1]

2° Quando benedicitur cœmeterium, pars aliqua extrema illius sine benedictione relinquenda est, ut inserviat pro sepultura infantium, qui sine Baptismo e vivis excesserunt, et infidelium, qui in locis Christianorum mortui sunt, necnon aliorum quorumlibet, quibus ecclesiastica sepultura deneganda est. Non requiritur absolute, ut pars illa, v. g. per murum aut sepem aut aliquam foveam, a reliquo cœmeterio separetur, sed sufficit ut aliquo modo discerni possit.

3° Cum exhumatio, quando in Jure præcipitur, hodie non ubique toleretur, reconciliatio cœmeterii violati etiam sine exhumatione perfici poterit, si alias gravia incommoda prævideantur. — Imo, si ejusmodi casus sæpius eventuri prævideantur, cœmeterii benedictio aut reconciliatio prudentius omittitur. Tunc vero singula sepulchra benedicantur, ut supra *Nota* 1° dictum fuit.

4° De sepultura non-paschantibus deneganda necne, consule Statuta diœcesana; quæ si taceant, denegatio ferendæ sententiæ erit habenda.

APPENDIX III.

DE CENSURIS LATÆ SENTENTIÆ IN PARTICULARI.[2]

CONSTITUTIO

"APOSTOLICÆ SEDIS"

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolicæ Sedis moderationi convenit, quæ salubriter veterum Canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremæ suæ potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo Nostro jampridem revolveremus, ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiæ tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam sancte per singulas ætates indictæ ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis, ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri sive in iis, quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus dubietates, anxietates, angoresque conscientiæ; Nos, ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam earundem recensionem fieri Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus, quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes, easdem non modo ex veterum Canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

1700. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quid quoad censuras et pœnas ecclesiasticas præstiterit* C. Apost. Sedis?

Resp. Præter ea, quæ de excommuni-

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 392.

[2] Harum index alphabeticus, p. 853.

catione minore deque vitandis notavi n. 1673. 1674:

1° Per hanc Constitutionem nihil est innovatum, nihil immutatum quoad censuras *ferendæ* sententiæ; ideoque quoad eas procedendum secundum veteres Canones.

2° Censuræ, quæ in hac Constitutione non sunt primum latæ, sunt intelligendæ juxta veterem earumdem censurarum traditionem, ita tamen ut temperatæ maneant, prout temperatæ sunt per hanc Constitutionem. Quodsi sensus veterum Canonum non videatur conguerre cum sensu hujus Constitutionis, præferendus est Constitutionis sensus, non secus ac si primum Canones illi ab ea editi fuerint. Si vero non satis appareat, utrum discrepent, an minus, meminisse oportet, posteriores leges ad priores regulariter pertinere.

3° Nihil est immutatum quoad alias *pœnas* canonicas; ac proinde in suo vigore permanserunt, sicut erant ante hanc Constitutionem. — Nihilominus, si ea, quæ veteri jure aliis pœnis plectuntur, nunc excommunicatione coercentur, cæteræ pœnæ cessare videntur, quia perdurum est et a jure alienum ob idem crimen pluribus legibus et pœnis reum fieri.

Quær. 2° *Quæ censuræ latæ sententiæ remanserint post Constitutionem?*

Resp. Præter expresse in Constitutione notatas remanserunt: 1) directe inflictæ a Tridentino; 2) latæ pro Romani Pontificis electione, quatenus hactenus in suo vigore perstiterunt; 3) omnes aliæ *particulares*, quas pro interno regimine unusquisque *particularis* Ordo Religiosus, sive Institutum, sive Societas, sive Locus Pius, sive Collegium, et locus *particularis* cujuscumque generis prius habebat, et quatenus pariter hactenus in suo vigore perstiterunt.

Dixi: a) *directe inflictæ a Tridentino;* nam censuræ a Concilio tantum innovatæ, et non directe inflictæ, sunt omnino abrogatæ. Colligitur ex Constitutionis scopo, qui est, ut certus determinatusque censurarum numerus ad plura evitanda incommoda haberetur; et ex ejusdem verbis: "Præter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum . . . excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus" . . . et non dicit "innovavit." Ita Avanzini contra alios.[1] — Sed nec omnes censuræ, quas Trid. Conc. tulit, *hodie*, aut *ubique* locorum vigent; nam excipiendæ sunt, quæ mutatis temporibus obsoleverunt, quarum exemplum habes Sess. 25 de Ref. Reg. c. 4, et Sess. 24. de Ref. Matr. c. 9.; et ea loca sunt excipienda, ubi Tridentinum receptum non fuit.[2]

Dixi: b) *omnes aliæ* particulares: universales enim abrogatæ videntur hoc ipso quod Constitutio *expresse* firmet universales, quæ ad internum regimen spectant, uti v. g. censuras circa clausuram, quod inutile foret, si ejusmodi sanctiones jam ex regula generali ratæ essent.[3] Contradicunt Comment.[4]

Quær. 3° *Quomodo cognosci possit, quænam censuræ sint a Concilio Tridentino tantum indirecte inflictæ, i. e. innovatæ?*

Resp. Censuræ, quas Concilium Tridentinum indirecte inflixit, illæ sunt, quæ indicuntur *sive* per generalia verba, ut v. g. "Et qui secus fecerint . . . pœnas a jure inflictas ipso facto incurrant," vel his verbis: "Antiquorum Canonum pœnas super his innovando," *sive* per speciales allegationes, ut v. g. "juxta Constitutionem Clementis V. in Concilio Viennensi editam," etc.; vel "Juxta Constitutionem Concilii generalis Lugdunensis," etc.

Quær. 4° *Quis sit sensus aliquarum dictionum in Constitutione passim occurrentium?*

Resp. a) *Mandantes*, i. e. qui rogant *suo nomine*, vel jubent aliquid fieri.

b) *Consulentes*, qui persuadent et impellunt alium ad aliquid faciendum. *Persuadent:* ideo censurâ in consulentes latâ non tenentur, qui consilium præstant doctrinale; *impellunt:* proinde nec ii tenentur, qui id alii suadent, quod huic jam certum erat admittere.[5]

c) *Defensores* sunt, qui protegunt aliquem, ut tuto et libere aliquid facere possit. Modus defensionis est, aliquem recipere: inde

d) *Receptores* seu *receptatores*, ii scil.,

[1] p. XLVIII. sq.
[2] Comment. n. 18.
[3] Avanz. (58).
[4] n. 164 (2).
[5] L. IV. 401.

qui refugium abscondendi causa præstant alicui in suo vel alieno loco; nec interest, quis recipiat, privatus aliquisne an magistratus, an princeps.

e) *Auxilium præstare* est opem ferre ad patrandum delictum.

f) *Favere* est, quamvis operam alicui præstare, seu faciendo (ut puta commendationibus, pecunia, consilio), seu omittendo, quod *ex officio* faciendum erat.[1]

g) *Adhærere* dicitur qui, nullo cum aliquo pacto inito, ejus partes sequitur.

Nota. — 1° Enumerati sub a) et b) in animum seu actum internum agunt; reliqui in opus seu actum externum.

2° Recensiti sub c), d), e), f) non differunt specie, sed ut magis et minus; unum enim præstant omnes, scilicet: *opem.* — Censura non tenentur, nisi prædictis modis *opem* ferant; 1) ut alter delictum patrare, non ut delicti jam patrati pœnam [nisi delictum habeat tractum successivum (n. 1662. 5°)] evadere possit, et 2) *formaliter*, scilicet necesse est, ut qui v. g. hæretico favet, ei faveat, quia hæreticus est.[2]

3° Utrum is, cui consilium, auxilium, etc., præstatur, sit in bona an mala fide, non interest. — Ita de tota hac quæstione *Commentaria.*[3]

Quær. 5° *An Constitutio ipsi legi ecclesiasticæ, a qua censuram abstulit,* antiquam *obligandi vim abstulerit, vel ei, cui censuram affixit aut affixam reliquit,* novam *vim tribuerit?*

Resp. Neg. ad utrumque. Ratio est quoad *prius,* quia Constitutio juri antiquo derogat quoad censuras tantum; — quoad *posterius,* quia Constitutio privilegiis et legitimis consuetudinibus, quæ a lege eximunt, derogat solummodo quoad censuras ipsas earumque absolutionem. Cfr. p. XCII. 10°. Ita quoad privilegia et consuetudines inquirenti mihi respondit Avanzini.

Nota. — Verbis, quibus singulæ censuræ a Summo Pontifice enuntiantur, immediate semper subjicimus loca antiqui juris, ubi eadem vel similis censura reperitur, ut qui plura desiderat, eo, juxta regulam supra q. 1°. R. 2° traditam, recurrere possit.

[1] L. VII. 269.
[2] Ib. 307.
[3] n. 11. 69. not. 9.

ARTICULUS I.

De Excommunicationibus latæ sententiæ per Constitutionem "*Apostolicæ Sedis*" sancitis.

Harum aliæ Romano Pontifici *speciali* modo, aliæ *simpliciter,* aliæ Episcopis, aliæ nemini reservatæ sunt.

§ I. *De excommunicationibus latæ sententiæ Romano Pontifici speciali modo reservatis.*

1701. — Quær. *Quot, et quænam sint excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici speciali modo reservatæ?*

Resp. Sunt tredecim sequentes.

I. "Omnes a Christiana Fide apostatas et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes, eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum defensores." Bulla Cœnæ § 1.

Explanatio.

1° Per "apostatas a Fide Christiana" intelliguntur illi, quos n. 265 *in fine* definivimus. Utrum vero crimen apostasiæ in sola *recessione* consistat, ita ut non requiratur falsæ alicujus religionis professio, disputatur. Puto sufficere recessionem.[1]

2° Per "omnes et singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant," intellige reos hæresis: — a) proprie sumptæ (n. 265); — b) ita formalis (n. 266. 1°; 268. q. 1° et 2°), ut nulla, ne affectata quidem, ignorantia adsit (n. 268. q. 1°. R. 2°); — c) manifestatæ verbo vel facto; — d) saltem occultæ (n. 266. 3°).

Nota. — 1) Ab hæresi notoria et ad forum judiciale quomodocumque (i. e. etiam si hæreticus sponte suum delictum ad forum illud detulerit) deducta Episcopus pro utroque foro vel per se ipsum, vel per delegatum absolvit.[2] — 2) Solus Papa absolvere potest ab hæresi, sive notoria, sive occulta, quæ nondum in foro judiciali agitata fuit.[3] Vide tamen facultatem Episcoporum nostrorum p. LXXI.

[1] Vide Avanz. (4) Comm. n. 22. Nouv. Rev. Théol. T. II. p. 454. III.
[2] Ben. XIV. de Syn. L. IX. c. IV. V.
[3] C. Pastor bonus Ben. XIV. 13 apr. 1744. §§ 9. 10.

15. — 3) Episcopus (et apud nos quicumque sacerdos in Sacro Ministerio laborans) in utroque foro abjurationem neo-conversorum recipere valet. Cfr. n. 1264.

3° "Eisque credentes." Credentes apostatis vel hæreticis sunt, qui sectæ incredulæ vel hæreticæ quidem nomen non dederunt, nec tali se subjecerunt, sed externe ostendunt se erroribus apostatarum vel hæreticorum adhærere seu credere, puta si quis diceret: "Döllinger recte sentit de Primatu." [1]

4° "Eorumque receptores, fautores, ac generaliter quoslibet illorum" (i. e. apostatarum vel hæreticorum) "defensores." Vide n. 1700. q. 4°. Resp. c). d). f), et cfr. *Nouv. Revue Théol.*[2]

Nota. — Ut censura incurratur, sufficit apostatam aut hæreticum, cui creditur, favetur, etc. credenti, faventi, etc. ut talem notum esse, neque necesse est ipsum esse denuntiatum vel etiam notorium.[3]

1702. — II. "Omnes et singulos scienter legentes sine auctoritate Sedis Apostolicæ libros eorumdem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes." Bulla Cœnæ, § I.

Explanatio.

Lectio librorum per legem naturalem, vel per legem positivam, vel per utriusque generis leges prohibita esse potest.

Prohibetur scil. per ipsum jus naturæ lectio illorum librorum, quorum usus periculum peccati affert, et quidem, in quantum idem jus hoc periculum vitare præcipit. — Vide n. 1448. 1449.

Positiva lege autem libri proscribuntur vel immediate per Summum Pontificem, vel per Concilia, etiam generalia, vel per Indicem librorum prohibitorum, vel per aliam competentem auctoritatem, v. g. per Ordinarios locorum, et quidem aut *nominatim*, i. e. expresso libri titulo, aut *in genere*, indicando scilicet non opera singula, sed quasdam operum classes, quarum usus fidelibus interdicitur. Prohibitio autem complectitur lectionem, retentionem, defensionem et impressionem talium operum.[1]

Accedunt leges ecclesiasticæ, quibus specialiter editio vel impressio librorum sine approbatione, v. g. S. C. Indulg. vel Ordinarii, prohibetur.[2]

1703. — In hoc articulo continetur duplex species librorum prohibitorum: prior complectitur libros apostatarum et hæreticorum; posterior libros per Apostolicas litteras nominatim prohibitos.

Libri prioris speciei, ut cadant sub excommunicatione, duas præ se ferre debent conditiones, nempe: 1° Ut sint apostatarum, vel hæreticorum: 2° Ut hæresim propugnent.

Libri prohibiti per *Apostolicas litteras*, ut cadant sub excommunicatione, debent 1° prohiberi vel in forma Brevis ut plerumque contingit, vel in forma Bullæ, vel per epistolas encyclicas, vel alia quavis extrinseca forma, quando in ipsis litteris legitur: *De Apostolicæ nostræ auctoritatis plenitudine*, vel *Apostolica auctoritate*; hæc enim omnia generico nomine appellantur *Litteræ Apostolicæ*. Censura igitur non comprehendit libros per decreta Indicis prohibitos; extenditur vero ad libros per *Apostolicas litteras* ante Cons. *Apost. Sedis* prohibitos, dummodo prohibiti fuerint, vel, si de prohibendis agatur, prohibeantur sub excommunicatione Rom. Pontifici reservata. Rationem vide apud Avanzini.[3] In Indice vero enuntiatur quonam modo singuli libri proscribantur. 2° Debent nominatim prohiberi, seu per proprios suos titulos.[4]

1704. QUÆSITA. — Quær. 1° *Utrum libri eorum, qui credunt apostatis et hæreticis, de quibus sermo est n.* 1701. 3°, *vel fautorum et defensorum* (ib. 4°), *si hæresim propugnent, sint sub hac censura comprehensi?*

Resp. Negat. quia prohibentur libri eorum hæresim propugnantium, qui pertinent ad primam classem, i. e. eorum, qui duces sunt apostatarum et hæreticorum, vel qui ad eorum sectas formaliter

[1] Avanz. (5) Comm. n. 25. Nouv. Revue Théol. T. II. p. 457. V.
[2] T. II. p. 459 sv.
[3] Avanz. (6).

[1] Comm. n. 28.
[2] Avanz. (8). p. 17 sub 3.
[3] Ib. p. 14. 15 sub c) et e).
[4] Ib. p. 14 sub d).

pertinent, seu ad veros certosque hæreticos. Ita Avanzini.[1]

Non tamen requiritur, — ut auctor juridice tamquam hæreticus vel apostata sit damnatus, vel natus in secta hæretica; — nec ut liber a *solis* hæreticis aut apostatis sit conscriptus, non cooperantibus Catholicis; — nec ut auctoris nomen expressum sit; sufficit nimirum ut: 1) in libro contineatur indubia hæreseos aut apostasiæ a Fide propugnatio, atque 2) ita propugnatio sit pertinaciter facta, ut dubitari non possit auctorem libri esse certe hæreticum aut apostatam; et sic credentium, fautorum, etc. libri sub censura comprehendi possunt. — Libri autem infidelium aut Judæorum *sub censura* non comprehenduntur, cum neque apostatæ sint, neque hæretici.

Quær. 2° *An libri apostatarum et hæreticorum, in quibus hæresis simpliciter traditur, quin propugnetur, sub hac censura comprehendantur?*

Resp. Negat., quum in Constitutione, quæ eatenus differt a Bulla Cœnæ, requiratur hæresis propugnatio.

Quær. 3° *An ephemerides, seu diaria eorumdem, hæresim propugnantia, sub hac censura sint prohibita?*

Resp. Non videntur; quia diaria, quousque folia manent per se completa, non veniunt sub nomine librorum.[2] Censura tamen comprehenduntur scripta periodica, seu fasciculi volumini componendo destinati.[3]

Quær. 4° *An nomine libri veniant etiam libelli nimis exiguæ molis, puta epistola, concio, et an manuscripta?*

Resp. ad 1^um^ *Negat.* Ratio est, quia lex pœnalis stricte interpretanda est. Idem dic de foliis ex ipso libro separatis.[4]

Resp. ad 2^um^ *Affirm.* juxta sententiam communiorem, cui S. Alph. magis adhæret et quam omnino consulendam esse dicit.[5]

Nota. — Nomine libri venit etiam ejusdem versio quocumque idiomate facta.[6]

[1] (7). p. 10–12.
[2] Ib. p. 12.
[3] Nouv. Rev. Théol. T. II. p. 619. XI.
[4] L. VII. 293. H. A. Tr. XIX. 59. Quær. 2°. Nouv. Rev. Théol. T. II. p. 614. VI. sv.
[5] L. VII. 293. H. A. Tr. XIX. 59. Quær. 3°. Dissert. de prohib. libr. c. V. n. VIII. Theol. Mor. T. X. p. 247.
[6] H. A. Tr. XIX. 59 in fine.

Item juxta sententiam, cui magis adhæret S. Alph., veniunt libri Catholicorum, quibus notas addit hæreticus adeo copiosas, ut ex his potius quam ex Catholicorum scriptis constare dicendi sint.[1]

Quær. 5° *An sub censura veniant libri vetustissimorum hæreticorum, vel libri errores prorsus obsoletos continentes, qui, remoto omni periculo, tamquam documenta mere historica habentur?*

Resp. Negat., quia quoad hosce finis legis omnino cessavit.[2]

Quær. 6° *Quinam in Const. veniant nomine* a) legentium, b) retinentium, c) imprimentium, d) quomodolibet defendentium?

Resp. ad a) Qui legit per seipsum, non vero, saltem probabiliter, qui legentem audit, licet audientis sive consilio, sive mandato legat. Ratio est, quia non legit. — Nec censuram incurrit qui legit ipse, si ignorat linguam, qua scriptus est liber. — Libro vero prohibito, non ea solum pars, quæ causam prohibitioni dedit, sed totus liber prohibetur legi, et præterea quæcumque pars libri prohibita esse intelligitur, ut epistola dedicatoria, prologus, index. — Quodsi opus in plures tomos sit distributum, disputant DD., utrum prohibitio extendatur ad illos, in quibus hæresis non defendatur, vel qui prohibitioni non dederunt causam. Præplacet nobis opinio Lugonis, qui negat, si operis argumentum divisionem recipit, ut historia; secus vero affirmat. — Cessat prohibitio, si eam partem, quæ prohibitioni causam dedit, detraxeris, vel deleveris, vel induxeris, ut amplius legi nequeat, dummodo liber non fuerit proscriptus, quia tractat de Religione ex professo, vel in odium auctoris.[3]

Resp. ad b) 1° Dominus libri; licet apud alium depositi: 2° Depositarius: 3° Commodatarius: 4° Retinens in pignus. Nec sufficit librum alteri tradere in folia discerptum obvolvendis medicinis, salsamentis, etc., aut eum tradere habenti licentiam illum retinendi, nisi ea lege tradas, ut illum non repetas quoad legendi licentiam obtinueris.[4]

[1] L. VII. 286. H. A. Tr. XIX. 60 ad 2.
[2] Comment. n. 27. nota 3.
[3] L. VII. 283. 292. Dissert. de justa, etc. C. V. n. IX. T. X. Theol. Mor. p. 248. H. A. Tr. XIX. 57. Comment. n. 28.
[4] H. A. Tr. XIX. 62. L. VII. 298. Dissert.

Resp. ad c) Cooperatores *immediati* ad impressionem (n. 315), sive materiales, sive (juxta veriorem sententiam) horum operas velut conducentes, uti typographei dominus, editor, etc.[1]

Resp. ad d) Vide n. 1700. q. 4°. R. c). d). Defendentium autem nomine probabiliter non veniunt, qui stylum tantum aut ingenium auctoris, non vero ejus doctrinam laudarent.[2]

Quær. 7° *Quænam conditiones requirantur ex parte libros legentium, retinentium, imprimentium, vel quomodolibet defendentium, ut censuram incurrant?*

Resp. Requiritur:

1° Ut *scienter* agant, quemadmodum in Const. dicitur. Hinc excusat ignorantia, saltem crassa, et probabiliter etiam affectata. Sufficit tamen scire per famam, vel per testem fide dignum. (Cfr. n. 1664. q. 3°. R. 2°.)[3]

2° Ut adsit materia gravis.[4] — Parvitas autem materiæ: a) Ex parte *legentium* vel *imprimentium* stricte determinari nequit, cum aliquando paucæ lineæ sufficiant, si hæresim propugnent.[5] — b) Ex parte *retinentium* aderit, si quis parvo tempore librum retineat, v. g. uno alterove die, vel retineat expectando tempus opportunum ut Ordinario, vel habenti licentiam, vel confessario tradat. Secus, si illam diu retineret, licet a legendo omnino abstineret.[6] — c) Ex parte *defendentium* non videtur admittenda parvitas materiæ.[7]

3° Ut hæc fiant "sine auctoritate Sedis Apostolicæ," ut loquitur Constitutio, excepto tamen casu pii et docti, qui ex necessitate legit ad convincendum hæreticum, recursu ad Superiorem non patente.[8] Qua ratione Episcopi nostri facultatem communicare possint legendi libros prohibitos, vide p. LXXI. 21. et p. LXXII. 2.

Clausula autem: *ad effectum eos impugnandi*, non facit, ut graviter pecces vel censuram incurras, licet non eo fine legas, sed v. g. ex curiositate.[1]

C. V. n. XI. T. X. Theol. Mor. pp. 248. 249. Comm. n. 29. Nouv. Rev. Théol. T. II. p. 629. XXXII. XXXIII.

[1] Comment. n. 31.

[2] Nouv. Rev. Théol. T. II. p. 632. XXXVI. XXXVII.

[3] L. VII. 296. H. A. Tr. XIX. 56. Nouv. Rev. Théol. T. II. p. 645. XXXVIII. – XLIII.

[4] L. VII. 284.

[5] Ib. et Nouv. Rev. Théol. T. II. p. 649. XLIV. – XLVI., XLIX.

[6] L. VII. 295. Nouv. Rev. Théol. T. II. p. 652. XLVII., XLVIII.

[7] Nouv. Rev. Théol. T. II. p. 655. L.

[8] L. VII. 283.

APPENDICULA AD CENS. II.

DE INDICE LIBRORUM PROHIBITORUM.

A. *De origine et ratione Indicis.*

1705. — Index confectus et vulgatus fuit jussu Pauli IV. anno 1558. — Pius IV. illum perfecit cum Concilio Tridentino, et publicavit anno 1564. — Auxit Clemens VIII. anno 1595. — Congregatio Indicis a S. Pio V. instituta est.[2]

Prohibet vero *Index* libros partim per quasdam classes, ut in decem Regulis Indicis, et in Decretis de libris prohibitis in Indice non nominatim expressis:[3] partim indicando ordine alphabetico vel librorum titulos, vel auctorum nomina.

B. *Præcipuæ Indicis Regulæ Tridentini jussu editæ.*

1706. — I. Prohibentur *omnino*: 1° libri *omnes* hæresiarcharum (tam eorum, qui post annum 1515 hæreses invenerunt vel suscitarunt, quam qui hæreticorum Capita aut Duces sunt vel fuerunt, quales sunt Lutherus, etc.), etiam non erronei, aut non tractantes *ex professo* de Religione.

2° Hæreticorum libri, qui ex professo de Religione tractant.

3° Libri de obscenis *ex professo* tractantes, exceptis antiquis per Ethnicos conscriptis, qui propter sermonis elegantiam et proprietatem, et quatenus de sola lege ecclesiastica agitur, permittuntur: nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt.

4° Omnes libri tractantes de astrologia, divinatione, et sortilegiis.

5° Omnes libri in Indicem sine ullo addito relati.

II. Prohibentur *sub clausulis*:

[1] L. VII. 291.

[2] S. Alph. Dissert. c. IV. n. XVII. sq. Theol. Mor. T. X. p. 325 sq.

[3] Scav. T. IV. 206 – 210.

1° Libri omnes, quos, ante annum 1515, aut SS. Pontifices, aut Concilia Œcumenica damnarunt, *eodem modo, sicut olim damnati fuerant.* Hac regula tamen non prohibentur veteres libri Paganorum, nec etiam, juxta Theologos (vide n. 1704. q. 5°), libri hæreticorum priorum sæculorum, velut Tertulliani, Eusebii, etc.

2° Libri conscripti; vel a) ab hæreticis, licet de Religione non tractantes; vel b) ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, aut post lapsum ad Ecclesiæ gremium redierunt, licet Catholice conscripti, *nisi approbati fuerint.*

3° Biblia in lingua vulgari, *nisi approbata fuerint a S. Sede, vel edita cum notis desumptis ex Sanctis Patribus, vel doctis Catholicisque viris.* Ita, non sine fundamento, S. Sedis Decreta et Responsa interpretatur Craisson.[1] Addo: modo ab Episcopo facta non fuerit specialis prohibitio quoad illas versiones, quæ sine S. Sedis aut Ordinarii approbatione editæ fuerint. Episcopi autem non possunt approbare versiones sine notis prædictis, ut patet ex concessione ipsis facta a° 1757.[2]

4° Libri in Indicem relati cum clausula: *donec corrigantur*, i. e. donec nova editione emendata, quæ fuerit S. Cñii Indicis probata, apparuerint.

III. Statuitur, ut nullus liber nullave scriptura imprimatur sine licentia Ordinarii.

1707. Quæsita. — Quær. 1° *An lex Indicis, prohibens lectionem quorumdam librorum, obliget de jure naturali, vel de jure positivo tantum?*

Resp. Urget ex utroque jure, saltem *per se;* quia libros non prohibet, nisi quia sunt perniciosi, et proximum perversionis vel peccati periculum inducunt; de jure autem naturali quisque hujusmodi periculum effugere tenetur. Unde etiamsi obligatio Indicis alicubi non agnosceretur, nihilominus lectio librorum in Indicem relatorum sub gravi, *saltem in genere*, prohiberetur. Qua de re animadvertit S. Alph.:[3] "Theologi omnes . . . addunt, ne cum licentia quidem Pontificis lectionem permitti posse illius libri, qui subversionis alicui occasio esse posset."

Duo præterea notanda sunt.

1° Privati homines debent confessarii mandatis obsequi in his, quæ lectionem librorum respiciunt. Ita respondit S. C. Inq. anno 1832 ad Episcopos Helvetiæ interrogantes: "An fideles, salva conscientia, legere possint Ephemerides vel libros, qui censuram Ordinarii non subierunt?" Resp. "Recurrant ad confessarium."

2° Confessarius ipse debet Episcopi directionem sedulo exquirere, et diligenter præ oculis habere gravissimum monitum, quod S. Alph.[1] tradidit, nempe: "In hac re expedit ordinarie rigidiores opiniones sequi."

Quær. 2° *Quid de lege Indicis apud nos tenendum sit?*

Resp. Kenrick: 1° *Generatim:* "Res eo reducenda erit, quo ipsa librorum et legentium indoles postulat," i. e. ad jus naturale, "quamvis Sacrorum Ministrorum studium eo dirigi debeat, ut libri omnes vetiti procul habeantur."[2]

2° *Speciatim:* a) "Libri obscœni . . . ex professo non possunt a quocumque legi absque gravi peccato, ob proximum libidinis excitandæ periculum."[3]

b) "Qui libros de historia, geographia, cæterisque hujusmodi rebus tractantes, in quibus plurima hinc inde reperiuntur Fidei adversa, legunt, excusari videntur, ob difficultatem maximam quæ in libris discernendis comparandisque habetur; quum enim plerique libri Anglico sermone scripti acatholicos auctores habeant, vix fieri potest, ut Catholici, absque gravissimo scientiæ detrimento, aliisque incommodis, ab iis se abstineant. Ideo videtur Ecclesiæ benignitas id indulgere, ne irretiantur animæ alioquin piæ. Cæterum providendum sedulo ne perversionis oriatur occasio; ideoque omni studio laborandum, ut libri expurgati habeantur."[4]

c) Servanda sunt, quæ n. 1706. II. 3° dicta sunt de Bibliis in lingua vulgari. — Animadvertit tamen Kenrick:[5] "Si qui

[1] Manuale, n. 737.
[2] Lamy Introd. in Script. P. I. C. VI. n. 28. Ed. 1873. Cfr. Conc. Pl. Balt. II. a. 16.
[3] Diss. de justa, etc. C. I. n. XII. Theol. Mor. T. X. p. 209.

[1] Diss. de justa, etc. C. V. n. VIII. Th. Mor. T. X. p. 247.
[2] Tr. XIII. 55.
[3] Ib. 57.
[4] Ib. 59.
[5] Ib. 60.

sint nuper ad Fidem conversi, qui Biblia a suis Majoribus per manus tradita, in quibus et nomina parentum et filiorum inscribuntur, prout mos est, retineant, non videntur contra sensus affectusque suos cogendi, ut ea abjiciant, Apostolo monente: *Infirmum autem in fide assumite.*" [1]

d) Quoad librorum impressionem in Conc. Pl. Balt. II.[2] *statuitur*, ut "libri, ad Religionem et Dei cultum spectantes," non sine Ordinarii approbatione prælo committantur.

Nota. — Hæc dicta intelligantur quatenus de *solo* Indice agatur, præscindendo ab iis, quæ n. 1702 – 1704 juxta Const. "Apostolicæ Sedis" explanavimus, et quæ n. 1741. 1° juxta eamdem Constitutionem dicemus.

1708. — III. "Schismaticos, et eos qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt." C. 5. Dist. 19. caus. 43. q. III. can. 26. Bulla Cœnæ, § I.

Explanatio.

1° Per "schismaticos" intelliguntur illi, qui pertinent ad schisma perfectum, nempe illi, qui sibi arrogant auctoritatem a Romano Pontifice independentem, et, ita erigentes se in auctoritatem, novas constituunt ecclesias, conventicula faciunt, de rebus Ecclesiæ disponunt ad similitudinem supremæ independentis auctoritatis.

2° Per "eos, qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt," intelliguntur illi, qui pertinent ad schisma imperfectum, nempe qui plena malitia et obstinatione nolunt obedire *personæ* Romani Pontificis, se habentes solutos a suprema ejus divina auctoritate. Dixi: 1) *se habentes solutos a suprema ejus auctoritate.* Hinc censura non tenet eos, qui renuunt obtemperare propter rem præceptam, v. g. in jejuniis, etc.; sed hi tantum, qui auctoritatem Rom. Pontificis abjiciunt. Dixi: 2) *a suprema ejus* DIVINA *auctoritate.* Hinc censuram *hanc* non contrahunt, qui *temporale* ejus dominium detrectant.

Nota. — a) Qui renuit subesse proprio Episcopo, *quia non vult eum habere ut proprium ac legitimum Pastorem*, idem est ac nolle se subjicere Romano Pontifici, qui eum misit. Si quis tamen perseveret in subjectione Rom. Pontifici et in communione cum cæteris Ecclesiis, separatio a sola communione cum proprio Episcopo censuræ non subjicit.

b) Non est necessarium, ut sint rebelles ab auctoritate *S. Sedis universim* sumpta; sed sufficit, ut sint rebelles ab obedientia *ejus personæ*, quæ actu B. Petri Sedem legitime occupat.

3° "Pertinaciter se subtrahunt," i. e. eodem modo, quo hæretici a Fide, seu scientes volentes. Quare censura non teneret eum, qui renueret subesse Pontifici, quatenus sibi suspecto, aut odioso, aut dubie legitimo, i. e. ab universali Ecclesia ob electionem dubie validam nondum recepto.

1709. — IV. "Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint, ab ordinationibus, seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit." Bulla Cœnæ, § II.

Explanatio.

1° "Ad . . . futurum Concilium." Ideo si ad futurum Rom. Pontificem, vel ad Concilium præsens appellatum fuerit, censuræ locus non est.

2° Per "ordinationes, seu mandata" hic non intelliguntur ordinationes, seu mandata quoad res, quæ ad vitam temporalem, et civile gubernium pertinent; sed tantum ordinationes, quæ respiciunt gubernium Ecclesiæ universalis, vel particularis, et quæ ad auctoritatem ejus spiritualem spectant.

1710. — V. "Omnes interficientes, mutilantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes, nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel favorem." S. Pius V. c. Infelicis. Bulla Cœnæ, § XI.

[1] Rom. 14. 1. [2] a. 502 – 504.

Explanatio.

1° "Hostiliter insequentes," i. e. animo nocendi, non perterrefaciendi tantum.

2° "A suis diœcesibus," etc., i. e. a locis suæ jurisdictioni subjectis.

3° "Ejicientes," i. e. antea receptum expellentes, et quidem e toto tractu jurisdictionis. Ergo hac censura non ligantur qui simpliciter non recipiunt, vel expellunt e civitate aliqua diœcesis.

4° "Mandantes," . . . præstantes in eis . . . consilium. Vide n. 1700. q. 4°.

5° "Rata habentes." Ratihabitio hic requirit: a) ut percussio, etc. facta fuerit nomine ratihabentis; quia "non potest ratum quis habere quod non suo nomine gestum est"; b) ut, quo tempore hæc perpetrata fuerunt, ipsi ea admittere, atque ideo mandare potuerint; sic enim, ratihabitio retro trahitur et mandato æquiparatur;[1] c) ut non solum animo, sed gravi aliqua actione externa, v. g. scriptura, congratulatione, applausu, laude, etc. approbent indicata delicta.[2]

1711. — VI. "Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni, sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes, edentes, aut auxilium, consilium, vel favorem præstantes." L. III. T. XXIII. c. 3 in 6° Bulla Cœnæ, § XVI.

Explanatio.

1° Plectuntur hac excommunicatione, qui exercitium *jurisdictionis* ordinariæ vel delegatæ, fori sive interni, sive externi, impediunt. — Dico: *jurisdictionis*, quatenus scil. ab exercitio *Ordinis* distinguitur, quæ tamen duo non semper facile est a se invicem discernere. Generaliter potestas Ordinis ad animarum cumprimis sanctificationem pertinet; Jurisdictionis ad regendam cumprimis societatem fidelium; illius igitur est benedicere et consecrare; hujus regere et gubernare. Quocirca ad potestatem Ordinis pertinet Sacra obire, Sacramenta ministrare, personas et res benedicere, consecrare, etc. Ad potestatem jurisdictionis edere leges, mandata; ligare, solvere; conferre beneficia, munia ecclesiastica decernere vel auferre, prædicatores mittere, visitare diœcesim, et ea, quæ sunt Ordinis, aliis committere.

2° In hoc articulo sunt omnino distincti illi, qui impediunt jurisdictionis ecclesiasticæ exercitium, et illi, qui eludunt effectum ejusdem jurisdictionis per recursum ad laicum tribunal. Ideo particula: ET *ad hoc recurrentes*, habet vim disjunctivam, ita ut significet alteram classem eorum, qui pariter sub eadem censura sunt comprehensi. Unde plectuntur hac excommunicatione tam *impedientes*, quam *recurrentes* solum.

3° "Impedientes," nempe facto aliquo, puta vi, minis, imperio; impedire enim dicitur, qui facit, ut alius *invitus cesset ab opere*. Si quis igitur consiliis, prece, fallacia utitur, is magis suadere, impetrare, decipere dicitur. — "Impedientes *directe*," nimirum si quis obstet *ipsimet* jurisdictionem exercere volenti, et in *ea re*, quam is facere intendit, e. g. dum Episcopo minatur recursum ad forum laicum, si ab ipso ad aliam parochiam transferatur. — *Indirecte*, nempe si ei obstet in *alia re* vel in alia *persona*, veluti si ei grave aliquod malum minetur *prætextu* injuriæ sibi illatæ, *re* autem *vera*, ut Episcopus ab eo ad aliam parochiam transferendo desistat; si judices sibi ab Episcopo datos minis prohibeat ea obire, quæ sui muneris sunt.

4° "Recurrentes." Ad incurrendam hac de causa censuram juxta alios requiritur, ut mandatum, seu prohibitio contra judices ecclesiasticos obtineatur; juxta alios id non requiritur, sed sufficit ut solum recurratur. — Per *forum* alii[1] intelligunt potestatem civilem, sive legislativam, sive executivam, sive judiciariam; alii[2] solam judiciariam.

5° Per "edentes" intelliguntur judices, et omnes alii sæcularis fori, qui mandata edant, quæ impediunt jurisdictionis ecclesiasticæ exercitium, non vero actuarii ea exscribentes, etc.[3]

6° "Auxilium, consilium vel favorem præstantes." Vide n. 1700. q. 4°. Hi autem censuram incurrunt tantum postquam hac ratione exercitium jurisdictionis impeditum fuerit, aut recursus (in senten-

[1] Comment. n. 41. [2] Varceno, p. 929.

[1] Nouv. Rev. Théol. T. III. p. XIV.
[2] Comment. n. 47.
[3] Ib. n. 46.

tia illorum, qui hunc sufficere putant) locum habuerit.

1712. — VII. " Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones : item edentes leges, vel decreta contra libertatem, aut jura Ecclesiæ." Martin V. c. Ad reprimendum. Bulla Cœnæ, § XV.

Explanatio.

Quær. *Utrum judices laici, qui ex officio imposito per leges sive regni, sive imperii, quæ sunt contra ecclesiasticas sanctiones, ad suum tribunal personas ecclesiasticas trahant, ut dicto suo officio fungantur, in ejusmodi censuram incurrant ?*

Resp. Neg. juxta authenticam responsionem, quæ data est in Instr. C. S. U. Inq. 1 febr. 1871, quâ declaratum fuit : " Excommunicationem eos non attingere, qui subordinati sint, etiamsi judices fuerint, sed in eos tantum esse latam, qui, a nemine coacti, vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt."

1° " Cogentes directe vel indirecte." *Indirecte*, v. g. metu incusso judicis consanguineis, vel per alium ipsi judici.

2° " Præter canonicas dispositiones," alluditur ad Concordata regni, vel imperii, cum Apostolica Sede, quæ in vigore permaneant. — Alluditur etiam ad casum, quo aliqua persona ecclesiastica rite degradata fuerit, et laico judici punienda tradita. — Item ad cæteros casus : quando, e. g. persona ecclesiastica trahat in judicium laicas personas ; namque persona ecclesiastica sistere se potest in laico judicio in causa non ecclesiastica *tamquam actor ;* sed ipsa trahi non potest *tamquam reus.* — Addunt *Comment.*[1] " Hæc censura cessat his locis, ubi privilegium fori, sinente vel silente S. Sede, *abrogatum* fuit ; nam prorsus incredibile est, Pontificem sapientissimum amplissimam atque implexissimam controversiarum et molestiarum segetem repente, et vix uno verbo, suscitare voluisse. Cfr. n. 112 – 114.

3° " Edentes leges, vel decreta contra libertatem, et jura Ecclesiæ." Excommunicantur tantum *edentes*, seu auctores legum vel decretorum, ut puta, apud nos, socii cœtuum legislatoriorum vel municipalium, itemque Præses, Gubernator, Urbis Præfectus ejusmodi leges vel decreta non vetantes. — *Leges* sunt, quæ a Suprema Potestate in perpetuum constituuntur. — *Decreta*, quæ a quavis potestate, ut puta a Præfecto Urbis, a Municipiis, etc. feruntur *generaliter*. — *Contra libertatem aut jura Ecclesiæ.* Hæc verba latissime patent, et omne prorsus feriunt legum vel decretorum genus, quibus nedum exercitium potestatis ecclesiasticæ, sive jurisdictionis, sive Ordinis, sed quodvis aliud jus intercipitur, restringitur, perturbatur. Exempla vide in Syllabo pp. 22, 26, 27, 29, 32, 33, 45, 47, p. XLII. – XLIV.

1713. — VIII. " Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras, vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis, aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem, vel executionem directe, vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes, sive alios lædentes, vel perterrefacientes." L. III. T. XXIII. c. 4 in 6° Bulla Cœnæ, § XIII.

Explanatio.

1° Per verba : " litteras," nimirum Apostolicas, quid intelligatur, vide n. 1703. — " Acta " appellantur, quæ Romæ geruntur a Rom. Pontifice sive spirituale, sive temporale negotium contineant ; vel de mandato ejus, ut citationes, processus, etc.

2° Hic articulus triplex personarum genus complectitur : 1) " Recurrentes " ad laicam potestatem ad impediendas litteras, vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Sedis Apostolicæ Legatis, vel Delegatis quibuscumque profecta.

2) " Prohibentes " directe, vel indirecte eorumdem actorum promulgationem, vel executionem.

3° " Lædentes " (quoad corpus), vel " perterrefacientes " (metu *oppido* gravi) partes ipsas, i. e. personas, quæ Rescriptum aliquod sive gratiæ, sive justitiæ a S. Sede, vel ejus Legatis obtinuerint, aut sententiam aliquam sibi favorabilem, etc., vel lædentes aut perterrefecientes *alios*, puta patrocinatores earumdem partium causa actorum obtentorum, aut executores, vel personas ad quas acta obtenta aliqua ratione referantur.

[1] n. 50 (5).

1714. — IX. "Omnes falsarios Litterarum Apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam, vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis, signatarum: nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu Vice-Cancellarii, aut Gerentis vices prædictorum." L. V. Decr. T. XX. c. 7. Bulla Cœnæ, § VI.

Nota. — Requiritur, hæcce dolo malo admissa esse, et, si alterius intersit, huic alteri graviter nocere aut nocere posse. Crimen enim falsi est "Veritatis immutatio vel suppressio *in fraudem alterius* facta."[1]

Quoad *utentes* falsis litteris Apostolicis, vide n. 1735.

1715. — X. "Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non adprobatus ad Confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis Confessionem." Ben. XIV. c. Sacramentum Pœnitentiæ § IV. Cfr. c. Apostolici muneris § III., IV.

Explanatio.

1° "Absolventes." Ergo censura non tenet eum, qui complicem tantum audit in Confessione.[2] Nec eum, qui absolvit quidem, sed cum ignorantia, etiam crassa, censuræ; nam Constitutio Ben. XIV., ex qua censura desumpta est, *ausum* requirit (cfr. n. 1406. 2°. *Nota*, et n. 1664. q. 3°).

2° "Complicem" (vide n. 1404. I.) "in peccato turpi" (vide n. 1405. q. 1°. q. 2°).

3° "Etiam in mortis articulo, si," etc. (vide n. 1405. q. 3°. q. 4°. q. 5°).

Nota. — De hujus censuræ absolutione, vide p. LXXI. n. 16. nota 2. b).

1716. — XI. "Usurpantes, aut sequestrantes jurisdictionem, bona, reditus, ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum, aut beneficiorum pertinentes." Bulla Cœnæ, § XVII. L. I. T. VI. c. 13 in 6°.

[1] Comment. n. 59. 60.
[2] L. V. T. 556.

Explanatio.

1° "Usurpantes," i. e. rem ab alio occupantes tamquam ex jure ad illam, seu quasi ea ad ipsos pertineat. Ideo *hanc* censuram non incurrunt fures, raptores, prædones, etc. (S. C. O. 9 mart. 1870), nec qui rem ab aliis usurpatam acquirunt actibus seu ultimæ voluntatis, seu inter vivos.[1]

2° "Aut sequestrantes," i. e. jurisdictionaliter impedire, ne bona, etc. a dictis personis ecclesiasticis percipiantur.

3° "Jurisdictionem," seu spiritualem, seu temporalem, e. g. Rom. Pontificis in ditione sua.

4° "Bona," seu immobilia, seu mobilia, seu jura. Cfr. n. 593.

5° "Redditus," i. e. quidquid *res* fert, vel percipitur intuitu *rei*, non jura stolæ.

6° "Ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes." Ergo non ea, quæ competunt Nosocomiis, sodalitatibus laicalibus, Monasteriis (alii tamen affirmant[2]), cœmeteriis; nec bona ædibus sacris servandis, reparandis, vel Sacris obeundis addicta.[3]

Cæterum hodiernum jus contra eos, qui de bonis ecclesiasticis, etc. illicite disponunt, quatuor statuit excommunicationes ipso facto incurrendas; 1am, de qua h. n.; 2am, 3iam, 4am, de quibus n. 1717. 1738. 1740. Prima et secunda S. Pontifici specialiter; tertia eidem simpliciter; quarta nemini reservatur.

1717. — XII. "Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per alios, civitates, terras, loca, aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis, nec non ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem, præbentes." Bulla Cœnæ, § I.

Explanatio.

1° Hæc excommunicatio spectat ad defensionem dominii *temporalis* ad S. Sedem pertinentis. Proinde *jura* et *jurisdictio* hic intelliguntur *temporalia:* nec quævis jura, sed *principalia*, seu quæ Principi, qua tali, propria sunt; et jurisdictionem

[1] Comment. n. 66.
[2] Gury, Ed. Rom. 1873. T. II. p. 608 (2).
[3] Comment. n. 65.

supremam, i. e. eam, quæ soli Principi competit; ut puta jus vitæ et necis, jus indicendi tributa, creandi Magistratus, etc.

2° Excommunicantur: a) qui civitates, etc. *destruunt* vel *invadunt*, vi adhibita; b) qui supremam Rom. Pontificis in his jurisdictionem *usurpant*, vel *perturbant*, v. g. qui impediunt ipsum Rom. Pontificem leges in his civitatibus publicare, tributa indicere, etc.; c) qui hanc jurisdictionem, vel civitates, terras, etc. *retinent*; d) qui ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbent. — De his, qui hæc, i. e. auxilium præbent invadentibus, destruentibus, perturbantibus, usurpantibus, nulla est difficultas.

Quid de his, qui *detinentibus* ea præbent? Respondent *Comment.*:[1] "Horum duplex genus, . . . *unum* eorum, qui aliquod publicum munus exercent. Munera autem publica vel ad civium necessitates, seu utilitates, vel ad regimen tuendum pertinent, vel ad utrumque. Illa" (sub quibus venire puto munus consulum, qui in portubus vel civitatibus alienis degunt, necnon legatorum apud prætensum Italiæ regem) "suscipere innoxium est, cæteris paribus, quia societas seipsam necare non potest: ista non item; sed quoad censuras oportet animadvertere, num quis possit his abstinere sine incommodo gravi." (Cfr. n. 1664. q. 5°.)

"*Alterum* genus eorum est, qui nullum publicum munus obeunt. Hi favere intelliguntur, si retinentibus *proximam*, ut in possessione remaneant, operam præstent: ut puta pecunia, . . . scriptis, etc.: si *remotam*, non item; veluti si eis . . . ædes locent, inserviant, etc."

Nota. — Initio hujus § dixi, tredecim esse excommunicationes S. Pontifici *specialiter* reservatas. Duodecim nimirum illis, quæ in Const. "Apostolicæ Sedis" Papæ specialiter reservantur, V. kal. sept. 1873 accessit

XIII., qua in c. *Romanus Pontifex* plectuntur:

1° Canonici ac Dignitates Cathedralium Ecclesiarum vacantium, qui ausi fuerint concedere et transferre Ecclesiæ vacantis curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quæsito colore . . . in nominatum et præsentatum a laica potestate ex S. Sedis concessione seu privilegio, vel, ubi consuetudo viget, a Capitularibus ipsis electum ad eamdem Ecclesiam vacantem.

2° Nominati et præsentati, vel ut supra electi, ad vacantes Ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent, etc. . . .

3° Ii omnes, qui præmissis paruerint, vel auxilium, consilium aut favorem præstiterint, cujuscumque status, conditionis, præeminentiæ et dignitatis fuerint.

Additur porro: "Si vero aliqui ex prædictis Episcopali charactere sint insigniti, in pœnam *suspensionis* ab exercitio Pontificalium et *interdicti* ab ingressu Ecclesiæ ipso facto absque ulla declaratione incidunt, S. Sedi pariter reservatum."

Præterea: 1° Canonici præfati fructibus; — 2° Nominati jure eis quæsito privantur.[1]

[1] n. 69.

[1] Cfr. Acta, T. VII. p. 401.

§ II. *De excommunicationibus latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatis.*

1718. — I. "Docentes, vel defendentes sive publice, sive privatim propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ; item docentes, vel defendentes tamquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prouti damnata est a Benedicto XIV. in Constitutione *Suprema*, 7 julii 1745; *Ubi primum*, 2 julii 1746; *Ad eradicandum*, 28 septembris 1746."

Explanatio.

1° "Docentes," i. e. nescientibus tradentes.

2° "Vel defendentes," i. e. earum patrocinium suscipere, quasi fuerint damnatione indignæ.

3° "Damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ," nempe in eos, qui illas docent vel defendunt. Ejusmodi v. g. sunt damnatæ a Leon. X. in Const. *Exurge Domine*, edita 15 jun. 1520 contra errores Lutheri; a S. Pio V. in c. *Ex omnibus* 1 oct. 1567, edita contra errores Michaelis Baii, et quam confirmavit Greg. XIII. c. *Provisionis nostræ* 29 jan. 1579, et Urb. VIII. c. *In eminenti* 6 mart.

1641; ab Alexandro VII. a. 1665, 1666 (p. XII.–XIV.); ab Innoc. XI. a. 1679 (p. XV.–XVII.); ab Alexandro VIII. a. 1690 (p. XXII.–XXIII.); a Ben. XIV. a. 1752 (p. XXVI.). Ejusmodi vero non sunt damnatæ in Syllabo.

Nota. — 1) Docens aut defendens propositionem damnatam ut hæreticam, vel conjunctim eas, quæ proscriptæ sunt una simul, aliæ ut hæreticæ, aliæ ut erroneæ, etc. duplicem incurret excommunicationem, hanc nimirum, de qua agimus, et illam, de qua actum est n. 1701. — 2) De excommunicatione a Trid. lata (non tamen reservata) contra eos, qui quasdam falsas propositiones docent, vide n. 1741.

4° "Damnatas ab Apostolica Sede," i. e. a Romano Pontifice sive per se, sive per S. C. O., non vero per Concilia Œcumenica.

5° "Item docentes vel defendentes tamquam licitam . . . prouti damnata est a Benedicto XIV." etc. Ben. autem XIV. ait: "Qui *ausus* fuerit docere licitam esse praxim exquirendi nomen complicis, denunciata, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione; vel scribere aut loqui *præsumpserit* in ejusdem damnatæ praxis defensionem." Tria igitur requiruntur, ut hæc excommunicatio incurratur: a) ut doceat hanc praxim licitam esse; b) ut utrumque simul licitum esse doceat, i. e., et exquirere nomen complicis, et reticenti absolutionem denegare; c) ut *temere* (n. 1664. q. 3°) hæc doceat.

Quoad confessarium, qui hanc doctrinam in praxi exercet, vide n. 1369. q. 3°. q. 4°.

1719. — II. "Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in Clericos, vel utriusque sexus Monachos, exceptis quoad reservationem casibus et personis, de quibus jure, vel privilegio, permittitur, ut Episcopus aut alius absolvat." C. 4. Caus. 17. 12.

Explanatio.

In hoc articulo continetur celebre illud privilegium Clericorum, quod ex Canone Conc. Lateran., sub Innocentio II., *Si quis suadente diabolo*, appellatur *privilegium Canonis*, quodque latissime interpretandum est, utpote non personis, sed statui Clericorum concessum, vide n. 193.

1° "Violentas manus . . . injicientes," i. e. injuriam *realem* (non solis verbis) committentes, qua læditur vel corpus, vel libertas, vel dignitas. — *Corpus*, ut si clericum veneno sustuleris (quo casu excommunicatio, juxta communiorem sententiam, quæ S° Alph° probabilior videtur, incurritur cum primum venenum lædere cœperit[1]), vel prosequutus eum fuerit, ut in præceps corrueret vel ex equo decideret,— et corruit, decidit.[2] — *Libertas*, cum detruditur in carcerem, aliumve locum, privatum quoque. — *Dignitas*, quoties vis adhibetur, veluti si rhedam sistas, qua vehitur, aut equum, cui insidet;[3] si aliquid ei *violenter* detraxeris, veluti crumenam, pileum, baculum; vel aliud contumeliosum in ipsum admiseris, ut puta si sputo, pulvere, luto eum fœdaveris; si vestes, quibus indutus erat, conscideris, etc.[4] — Huic excommunicationi omnes sunt obnoxii, impuberes quoque. An, ut in veteri jure, etiam cooperantes? Affirmat cum aliis Avanzini, hac præsertim ratione motus, quod jus antiquum hic simpliciter innovetur, et eadem omnino legis ratio militet pro cooperantibus, i. e. mandantibus, consulentibus, consentientibus (modo graviter et efficaciter influant in percussionem), ratihabentibus (modo quo explicavimus n. 1710. 5°);[5] negant Comment.[6] Adhæremus Avanzinio.

2° "Suadente diabolo," i. e. ex animo injuriandi graviter culpabili.[7] Ergo censura non tenet eum, qui percutit, vel joco,[8] vel corrigendi (moderate tamen),[9] vel defensionis (cum moderamine inculpatæ tutelæ),[10] aut qua alia justa causa (ut si mulier percutiat clericum, a quo sollicitatur, et quem verbis non potest avertere);[11] vel ex subita ira, quæ efficit, ut non plene advertatur quod fit.[12]

3° "In clericos," seu omnes qui Ton-

1 L. VII. 280. Dub. 2.
2 Ib. 274.
3 Ib.
4 Ib.
5 (22) p. 31. Gury, Ed. Rom. 1873. T. II. p. 610 (2). Varceno, p. 941. Nouv. Rev. Théol. T. VI. p. 118 sv.
6 n. 77.
7 L. VII. 275. Dub. 2.
8 Ib. II.
9 Ib. V.
10 Ib. II.
11 Ib. VI.
12 Ib. IV.

suram adepti sunt, "vel utriusque sexus monachos," etiam Novitios, Tertiarios habitum gestantes et in communitate viventes, et Eremitas ex voto aut pacto alicui loco sacro, cum subjectione ad Episcopum, addictos, non tamen vagos illos, qui habitum singularem gestant, licet inserviant alicui Ecclesiæ, etiam ex commissione Episcopi.[1]

An eodem privilegio gaudent mulieres ad instar religiosarum conviventes? Affirmat Fagnanus, cui non contradicit S. Alphonsus.[2] S. Doctor vero manifeste videtur[3] admittere privilegio frui religiosas viventes in simplici Congregatione cum auctoritate Pontificis saltem tacita, quales mihi videntur esse viventes in Congregatione ab Episcopo erecta.

Oportet tamen ut Clericus hoc privilegio non exciderit. Excidunt autem, qui statui clericali renuntiare adhuc possunt (ut qui in Minoribus tantum constituti sunt), et eidem realiter renuntiarunt; item degradati, *realiter* nimirum (n. 1691); non vero excommunicati, suspensi, interdicti, depositi, *verbaliter* scilicet (n. 1691).

4° "Exceptis, quoad reservationem," etc. Vide n. 1753. q. 2°. R. 2°.

1720. — III. "Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes, vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam, aut favorem præbentes, nec non de industria spectantes, illudque permittentes, vel, quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis." Trid. Sess. 25. c. 19. Ref. Greg. XIII. c. Ad tollendum. Clem. VIII. c. Illius vices. Ben. XIV. c. Detestabilem.

Explanatio.

1° *Duellum.* Quid sit, vide 476. Cap. III. Etiam *simplex* (ib.) sub censura cadit.

2° *De industria spectantes,* scilicet qui sua præsentia ad pugnam incendunt: adeoque non, qui casu transeuntes aspiciunt, vel in secreto, vel a longe: nec qui adeunt locum certaminis ut illud impediant.[4]

[1] L. VII. 270. 271.
[2] Ib. 271.
[3] Ib. § Unde gaudent.
[4] L. IV. 401. L. VII. 220. Notand. 3.

3° Opinantur *Comment.*[1] armis *letalibus* certandum esse (dicerem, si opinio, de qua nihil apud S. Alph., admittatur: de letalibus armis paciscendum esse), ut incurratur censura, et eam non incurri, si pugnis, bacillis, ferro acie retusa dimicatum (i. e. de iis conventum sit), etsi mors per accidens sequuta fuerit.

1721. — IV. "Nomen dantes Sectæ Massonicæ, aut Carbonariæ, aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam, vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur, nec non iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; earumve occultos corypheos, ac duces non denuntiantes, donec non denuntiaverint." Clem. XII. In eminenti 28 apr. 1738. Ben. XIV. c. Providus 18 maii 1751. Pius VII. 13 sept. 1821. Pius IX. Alloc. Qui pluribus 9 nov. 1846.

Explanatio.

1° "Sectæ Massonicæ aut Carbonariæ aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam, vel legitimas potestates seu palam, seu clandestine machinantur," *exigant vel non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando.*[2] Ergo censura apud nos tenentur:

a) Liberi Muratores (*Freemasons*).[3]

b) Socii singulares (*Odd Fellows*) et *Filii temperantiæ,* ut constat ex Resp. S. C. O. Fer. IV. 21 aug. 1850.[4]

c) Feniani, ut constat ex Decr. S. C. Inq. 12 jan. 1870.

d) "Illæ societates, cujuscumque naturæ sint, in quibus socii ab ipso ingressu jurejurando se obligant ad obtemperandum iis, quæ a cœtus Superioribus jussa fuerint, vel etiam secreti ineunt fœdus, quod neque interrogante legitima potestate violari impune possit."[5]

e) "Illi . . . cœtus, . . . in quibus ita arcto fœdere in mutuam defensionem conjunguntur socii, ut exinde oriatur turbarum vel cœdium periculum."[6]

Ex his patet damnatas societates *improprie* tantum dici posse *occultas* seu *secretas;* nam damnantur tam illæ, quæ

[1] n. 79.
[2] Conc. Pl. Balt. II. a. 518.
[3] Ib. a. 335.
[4] Ib. a. 335–337.
[5] Ib. a. 519.
[6] Ib.

palam, quam illæ, quæ clandestine machinantur.

Nota. — Ex Conc. Pl. Balt. II.

1) Patribus "nulla apparet ratio, ob quam prohibitio Ecclesiæ adversus Massonicam aliasque occultas sectas ad illas extendatur operariorum sodalitates, quas non constat aliud sibi proponere quam sociorum in propria arte exercenda mutuam tutelam ac juvamen." Hæc vero, ut ex contextu articuli patet, intelligenda sunt de iis sodalitatibus, in quibus socii non ineunt secreti fœdus, quod neque interrogante legitima potestate violari impune possit.[1] Scribit autem Kenrick:[2] "Cœtus operariorum ob suas utilitates coeuntium, qui regulas statuunt, quibus ab opere excludantur qui artem haud rite didicerant, vel pretium laboris statuatur, licitus per se est, etiamsi signa adhibeantur, et arcanum habeatur. Quod si quid minus æquum decernatur, vel fiat, excusari poterunt qui majori sociorum numero frustra repugnarunt, quique absque gravi detrimento vel discrimine sodalitatem nequeunt deserere, dummodo operam nullam dent injuriæ inferendæ." Hæc doctissimi viri sententia non videtur componi posse cum Rescripto S. C. O. Fer. IV. 21 aug. 1850,[1] ad ipsius Kenrick postulationem dato, nisi vocem *arcanum* intelligas subintellecto: *quod tamen interrogante legitima potestate violari impune possit.* Praxis autem in plerisque, ut audio, diœcesibus est, ut hujusmodi operariis Sacramenta *ratione præcise arcani* non negentur, si hoc Episcopo, Paroco, Confessario, saltem tamquam consiliario spirituali, revelari impune possit.

2) Concilium[4] mandat, ut nullus "in hisce Provinciis, in quavis ecclesiastica dignitate constitutus, *nominatim* societatem aliquam occultam damnet, nisi certo et præter omne dubium constet eam ex iis esse, quæ Constitutionibus Pontificiis damnantur," etc. Constare autem id potest *vel* ex declaratione S. Sedis, *vel* "Præsulum . . . *vel* fama communi, *vel* membrorum ipsorum experientia."[5]

3) "Fideles . . . tenebricosos omnes cœtus prorsus fugiant, eos etiam, qui districtissimis Ecclesiæ censuris haud comprehendi videantur. Pro animabus enim periculi plenos et hos esse, dubitare non licet."[1]

Hæc, ut pro praxi rectius intelligantur, sequentibus juverit elucidare.

Ex verbis Concilii, et ex ipsa rei natura, perspicuum est, societatem aliquam *solo* jure naturæ posse esse illicitam. Id ut dignoscatur, ante omnia videre oportet, quisnam sit talis societatis *finis*, quænam sint ejus *media*, scilicet regulæ, etc.; — et, posito quod finis et media sint bona vel saltem licita, inquirendum est ulterius, præsertim hic et hodie, utrum in hujusmodi societate adsit *occasio proxima* propriæ ruinæ vel scandali.

a) FINIS autem esse potest *supernaturaliter bonus, naturaliter honestus, indifferens* (v. g. academia litteraria, societas mercatoria), — vel *malus*, — aliquando directe contra virtutes supernaturales (v. g. ad perversionem Fidei Catholicæ, quo casu sub censuram cadit), vel contra virtutes morales (v. g. contra justitiam strictam, vel contra temperantiam, vel contra justitiam legalem).

b) Item MEDIA comparanda sunt cum regulis morum, scilicet cum legibus; — quantumcumque enim sit laudabilis finis, non tamen sunt facienda mala, ut eveniant bona. — Societatibus, sicut singulis humanis actibus, applicandum est principium: Bonum est ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Sic aliquando legitimæ aspirationes patriotismi miserabiliter pervertuntur. Exemplum: promittere obedientiam sine restrictione omnibus præceptis, quæ a Supremo Concilio emanabunt, est graviter illicitum, et societates, in quibus ejusmodi promissiones fiunt, pariter censura tenentur.

c) Quamvis finis et media, in se considerata, videantur *juxta litteram* bona vel saltem licita, nonnunquam evenit, ut aliquid graviter illicitum per praxin vel interpretationem in societatem subintroductum fuerit: quo casu patet, idem dicendum ac si expresse formularetur. Sic v. g. quædam associationes ad mutuum auxilium in conspirationes stricte injustas degenerant.

d) Nonnunquam contingit finem et media nec juxta litteram, nec juxta spiritum,

[1] a. 519.
[2] Tr. III. n. 64.
[3] Conc. Pl. Balt. II. p. 335. XXVIII.
[4] a. 520.
[5] Kenr. Tr. III. n. 63.

[1] Conc. Pl. Balt. II. a. 522.

esse illicita, et tamen adesse, — vel probabile periculum quod societas supradicto modo brevi sit degeneratura, — vel verum periculum ruinæ spiritualis propter conversationem cum membris impietate vel immoralitate corruptis, — vel periculum scandali.

His positis, jus naturale duas sequentes dictat regulas: I^{a} Ille versatur in statu peccati mortalis, nec absolutione dignus est, qui non est sincere et efficaciter dispositus ad vitandas vel relinquendas societates 1as 2as et 3as categoriæ. II^{a} Quoad 4^{am} categoriam, applicandæ sunt regulæ theologicæ de occasione sive absolute, sive relative proxima; nec non de vitando scandalo, nisi adsit ratio excusans.

2° "Necnon iisdem sectis favorem" (vide n. 1700. q. 4°) "qualemcumque præstantes." Ideo hac excommunicatione tenentur, qui eis præbent consilium, auxilium, palam aut in occulto; directe vel indirecte, per se vel per alios; qui eas in suis ædibus receptant, occultant, seu commoditatem faciunt, ut alicubi convocentur; qui alios hortantur, suadent, ut hujusmodi societatibus adscribantur, adnumerentur, seu intersint, vel ipsas quomodolibet juvent ac foveant.

3° "Earumve occultos" (quales, quoad denuntiandi obligationem, ex Resp. S. O. 1 febr. 1871, etiam sunt ii, quorum nomina per libros et ephemerides passim leguntur) "coryphæos ac duces non denunciantes, donec non denunciaverint." a) Denunciatio hic intelligitur, — non *fraterna*, quæ ad rei emendationem, — sed *judicialis*, quæ ad ejus coercitionem pertinet. — b) Obligatio ejusdem tenet omnes Christi fideles pubertatem adeptos. — c) Facienda esset apud nos Ordinario, et in Missionibus Vicario vel Præfecto Apostolico (S. Pœn. 10 febr. 1871). — d) Obligatio ejusdem universim cessat: 1) quamdiu quis eam per se facere nequit, vel 2) quin seipsum prodat, vel 3) si nulla spes punitionis eluceat,[1] quæ spes in his Provinciis, ob rerum nostrarum conditionem, rarissime elucebit. — Et hæc quidem certo valent pro regionibus et locis, ubi viget lex *ecclesiastica* denuntiandi. Hæc autem lex denuntiandi tum ratione publici boni inducta est, tum ratione privati boni personæ denunciatæ. Si ejusmodi secunda ratio cessaret, manet prima; namque utile Episcopo et auctoritati ecclesiasticæ semper erit pro pascendis fidelibus suæ curæ commissis cognoscere occultos hæreticos vel sectarios, aliosque denunciandos. Et ob has rationes, etiamsi lex ecclesiastica denunciandi cessavisset, maneret obligatio ex jure naturali derivans, quod jus naturale, gravibus concurrentibus adjunctis, ut quando agitur de gravi damno cavendo, graviter potest obligare.

[1] Comment. n. 83 (8).

Regulæ pastorales. — I. S. Pontifex est judex supremus de *liceitate* QUARUMLIBET societatum. Aliquando circa hanc liceitatem, ut supremus *conscientiarum director*, declarationes edit; aliquando vero, tamquam *legislator*, societates *per se* illicitas lege canonica prohibet, vel societates *periculosas* reddit absolute illicitas, legesque suas excommunicatione, etc. sancire valet. Istæ autem leges obligant, — nec obligare cessant, — licet in casibus particularibus constaret, non eventurum fore malum cui avertendo latæ sunt; id enim proprium est omnium legum, quæ in præsumptione periculi communis fundatæ sunt. Cfr. n. 129. 165. — Pudeat igitur sacerdotem ignorantiam suam in rebus theologicis (ne dicam stupidam in S. Sedem inverecundiam) prodere dictitando damnatas societates in nostris his provinciis, utpote minus periculosas (rectius forte dixeris: periculi minus suspectas), vel etiam innoxias!! censuris non subjacere.

II. Episcopus: 1) declarationes et leges S. Pontificis in sua diœcesi fortiter et prudenter urgere tenetur; 2) servata proportione, potest et ipse pro sua diœcesi, sicut Pontifex pro tota Ecclesia, societates per se illicitas condemnare, periculosas prohibere, et, si in Domino expedire judicaverit, violationes suorum statutorum aut præceptorum reservata sibi earum absolutione aut censuris cohibere. — Duo tamen hic advertenda sunt: a) Dubium, utrum societas aliqua sub *censura Pontificia* cadat per se ipsum dirimere non potest, prout supra 1°. 2) dictum est. b) Si de societate agatur per plures diœceses jam dispersa vel probabiliter mox dispergenda, priusquam aliquid decernat, consilium cum collegis ineat, ut uniformi-

tas obtineatur, neve unus destruat quod alter ædificaverit.

III. Missionarii invigilare debent, ut declarationes et leges tum S. Pontificis, tum *proprii* Episcopi a grege sibi credito serventur; — in casibus difficilioribus regulas prudentiæ et Episcopum consulant; — inconsulto Episcopo novam aliquam societatem, præsertim si plus minusve suspecta sit, expresse ne approbent; — et, si de societate agatur, quæ prudenter æstimetur esse vel absolute vel relative periculosa [vide supra 1°. 3)], pastor vel confessarius de *singulis* casibus, *privatim*, judicent juxta regulas de scandalo vel de occasione proxima.

1722. — V. "Immunitatem asyli ecclesiastici, ausu temerario, violare jubentes aut violantes." L. III. Decr. T. XLIX. per totum. Ben. XIII. c. Ex quo divina. Clem. XII. c. In suprema. Ben. XIV. c. Officii nostri.

Explanatio.

1° Per "immunitatem" intelligitur localis ecclesiastica immunitas, quatenus refertur ad asylum reorum ad eam confugentium.

2° Ut incurratur hæc excommunicatio duo simul requiruntur, nempe violatio immunitatis asyli, et ausus temerarius; ideoque si alteruter terminus deficiat, censura non incurritur.

3° In hoc articulo pari modo comprehenduntur tum jubentes violare, tum violantes. Sed S. C. O. 1 febr. 1871 declaravit, "eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens, immunitatem asyli ecclesiastici aut violare jubet, aut exequendo violat. Quare milites vel ministri justitiæ, qui nollent violare immunitatem asyli, et tamen contra, vel præter voluntatem cogantur a suis ducibus vel Superioribus eam violare, hanc censuram non incurrunt.

Juris asyli hodie in regnis sæcularibus vix vestigium superest.

1723. — VI. "Violantes clausuram Monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo: pariterque eos introducentes, vel admittentes, itemque Moniales ab illa exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constit. *Decori* præscriptam." Trid. Sess. 25. c. 4. 5. de Regul.

Explanatio.

1° "Clausuram," i. e. *pro Monialibus* domum integram, et omnia septa huic annexa atque muro circumdata.

2° "Monialium." Vide n. 1185. 5°. Hinc sub hoc articulo non comprehenditur illa clausura, cui identidem alligantur illæ mulieres in communitate viventes, quæ vota simplicia emittunt: quæ clausura imponitur sive ab Episcopo, sive vi suarum constitutionum, sive etiam vi voti specialis. Ita S. Cong. Ep. et Reg. 1 aug. 1839.

3° "Violantes, . . . cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint." Incurrunt igitur censuram ipsi etiam locorum Ordinarii, fœminæ, et impuberes.

4° "In earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo." Legitima autem erit licentia, si data fuit *et* ex causa necessitatis, *et*, nisi periculum sit in mora, ab eo, cui eam dare competit. a) *Ex causa necessitatis*, quæ triplex recensetur, scil. infirmarum cura, administratio Sacramentorum, et commune servitium. Ex *prima* licet intrare medicis et chirurgis ad medendas ægrotas. Ex *secunda* confessario ad ministrandam infirmis Pœnitentiam, Eucharistiam (quoties dabatur sanis[1]), Extremam Unctionem et ad commendandas animas agonizantium. Ex *tertia* operariis, fabris et aliis, qui artem suam extra clausuram exercere non possint. b) *Ab eo, cui eam dare competit*, scil. ab Episcopo, et *præterea*, si monasterium subest Regularibus (quale tamen hic nullum exstat), a Superiore ejus Ordinis. Nihilominus potest Episcopus committere alteri, v. g. Superiorissæ vel confessario, facultatem concedendi licentiam ingrediendi.[2] Licentia autem toties danda est, quoties opus fuerit, exceptis medicis, chirurgis et confessariis, quibus danda est generatim. Post Const. *Apostolicæ Sedis* opus non est amplius, ut in scriptis detur.[3]

5° "Pariterque eos introducentes vel admittentes," licet qui introducuntur vel

[1] L. VII. 227. [2] Ib. 223 in fine.
[3] Comment. n. 88.

admittuntur, septennio minores sint. — Hucusque de *ingredientibus;* quæ sequuntur pertinent ad *exeuntes.*

6° "Itemque Moniales ab illa," i. e. clausura, "exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V. in Constitutione *Decori* præscriptam."

a) "Extra casus . . . a S. Pio V." etc. Casus sunt: 1) magnum incendium, cui assimilantur bellum imminens, inundatio fluminis, ædificii ruina, etc.; 2) morbus contagiosus, qui alios inficere solet.[1]

b) "Ac formam a S. Pio," etc. Forma autem est, ut, nisi periculum sit in mora, licentia *etiam* Ordinarii, eaque in scriptis, detur.

Nota. — Quoad Moniales a Visitatione B. M. V. vide dicta n. 1205. V. 2°.

1724. — VII. "Mulieres violantes Regularium virorum clausuram, et Superiores aliosve eas admittentes." C. Decet et C. Regularium S. Pii V. C. Ubi gratia Gregor. XIII.

1° "Mulieres," exceptis reginis, ac similibus privilegiatis.[2]

2° "Regularium," i. e. solemnia vota emittentium.

3° "Clausuram," sub qua pro viris veniunt: — claustrum, domus, officinæ interiores (v. g. bibliotheca); non vero ecclesia, sacella juncta ecclesiæ, nec hortus, si sine transitu per monasterium possit adiri et a clausura clavi et muro convenienti separatus sit.

1725. — VIII. "Reos simoniæ realis" (n. 351. 3°) "in beneficiis" (et non in officiis tantum) "quibuscumque" (ergo etiam in Episcopatu), "eorumque complices."

IX. "Reos simoniæ confidentialis" (n. 351) "in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis."

X. Reos simoniæ realis ob ingressum in Religionem (n. 354 q. 5°).

Ut una ex his tribus excommunicationibus incurratur, requiritur, ut simonia juris divini (n. 351) committatur.[3]

Hæ tres censuræ desumptæ sunt ex Trid. Sess. XXIV. c. 18 Ref. — Extr. L. V. T. I. — S. Pius V. c. Inscrutabilis 1 jun. 1569.

1726. — XI. "Omnes qui quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus excommunicationis censura plectuntur Constitutione S. Pii V. *Quam plenum,* 2 januarii 1569."

Explanatio.

1° "Indulgentiis." Quid sint neminem latet.

2° "Gratiis spiritualibus." Rarissime apud nos occurret casus; cum eæ solæ gratiæ spirituales hic intelligantur, quæ in cit. Constitutione S. Pii V. enumerantur. Has, si lubet, vide in ipsa illa Constitutione, vel in *Comment.*[1]

3° "Quæstum facientes." Ergo non sufficit solam adfuisse intentionem quæstum faciendi. Oportet ut pecunia accepta fuerit.[2]

4° Confirmatur hoc articulo sola excommunicatio lata in omnes *Episcopis inferiores.*[3]

1727. — XII. "Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent." C. *Quanta cura* Ben. XIV.

Explanatio.

1° "Colligentes," seu non agitur quoad hanc *pœnam* de uno paucisve stipendiis, sed de copioso numero, ita ut ea conquirens appellationem *collectoris* mereatur, et collectum ad verum lucrum usu mercaturæ sufficiat.[4] Neque videtur censura extendi ad eum, qui lucrum captat ex stipendiis, quæ ei dantur, ut ipse ea persolvat, vel quæ ei, non tamen qua collectori, sponte deferuntur, ut Missas ab aliis celebrandas curet.[5]

2° "Missis," scilicet manualibus, ut patet ex eodem verbo *colligentes.*

3° "Ex iis lucrum captantes." Itaque huic pœnæ non subjicitur, qui partem stipendiorum hoc modo pro causa pia acquirere intendit.[6]

4° "Faciendo eas celebrari in locis, ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent." Non igitur incurret censuram, qui facit eas celebrari ibi, ubi eleemosynas collegit, vel in alio quidem loco, sed ubi ejusdem valoris stipendium dari solet.[7]

[1] L. VII. 229. [2] Ib. 231.
[3] L. IV. 108.

[1] n. 100. [2] Ib.
[3] Avanz. (33). [4] Avanz. (34). p. 49.
[5] Comment. n. 102. [6] Comment. n. 102.
[7] Ib.

Nota. — Incurritur excommunicatio, non cum quis colligit eleemosynas, sed quando partem earum, et quidem tantam, quanta sufficit ad furtum grave, sibi retinet, et quidem quando eas retinet nullo ex iis titulis, ob quos pars retineri possit (n. 1325. q. 7°), excusatus.[1]

1728. — XIII. "Omnes, qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V. *Admonet nos*, quarto kalendas aprilis 1567; Innocentii IX. *Quæ ab hac Sede*, pridie nonas novembris 1591; Clementis VIII. *Ad Romani Pontificis curam*, 26 junii 1592; et Alexandri VII. *Inter cæteras*, nono kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem civitatum et locorum S. R. E. respicientibus."

Explanatio.

Constitutio S. Pii V. *Admonet nos*, comprehendit laicos et Clericos, Episcopos et Archiepiscopos, Primates, Patriarchas, Cardinales et omnes alios, qui per se, vel per alios agere studeant, sive insinuare, vel suadere Romano Pontifici alienationem, vel infeudationem civitatum, seu locorum ad S. Sedem pertinentium, ex quovis prætextu, etiam necessitatis, vel evidentis utilitatis, et licet operam et oleum perdant. Quare hi omnes hac excommunicatione mulctantur.

Innocentius IX., Clemens VIII., Alexander VII. propriis Constitutionibus confirmarunt, innovarunt, explicarunt dictam Constitutionem S. Pii V.

Exceptiones vide, si lubet, apud Bonacina.[2]

1729. — XIV. "Religiosos præsumentes Clericis, aut laicis extra casum necessitatis Sacramentum Extremæ Unctionis, aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque Parochi licentia." Clem. L. V. T. VII. c. 1.

Explanatio.

1° "Religiosos," scil. votorum solemnium.

2° "Clericis aut laicis." Ergo censuram non incurrit Regularis ea ministrans Regularibus, vel his, qui in favorabilibus veniunt nomine Regularium (n. 1194. II. § *Subditorum autem*), etiam alterius Ordinis, et extra Monasterium.

[1] Comment. n. 103.
[2] T. III. Disp. 2. q. 3. Punct. 41.

3° "Extra casum necessitatis," qui æstimari debet nedum ex periculo, quo laborat ægrotus, sed et si Parochus non facile acciri potuerit.

4° "Absque Parochi licentia." *Parochum* hic accipere debemus, qui curam animarum habet (quocumque nomine vocetur), aut vices ejus gerit, cujus est hæc Sacramenta tali ægroto ministrare. Parochi autem nomine hic non intelliguntur Quasi-parochi nostri; nam supponitur aliquis qui, quocumque sub nomine, hic et nunc præsit *veræ* Parochiæ. — *Licentia* autem, de qua hic quæstio, intelligitur etiam præsumpta.

5° "Viaticum." Ergo Communio ex devotione sub hac censura non comprehenditur.

1730. — XV. "Extrahentes absque legitima venia Reliquias ex sacris cœmeteriis sive catacumbis Urbis Romæ, ejusque territorii, eisque auxilium, vel favorem præbentes." Edictum 24 aug. 1613 jussu Pauli V. C. *Ex commissæ* Clem. X. 13 jan. 1672.

Explanatio.

1° "Absque legitima venia," concedenda in scriptis per Emin. Vicarium Gen. Urbis.

2° "Reliquias ex sacris cœmeteriis sive catacumbis Urbis Romæ." Harum quasdam SS. Martyrum esse constat, e. g. cum phialæ vitreæ vel figulinæ cruore tinctæ, aut crustas saltem sanguineas occludentes, ad loculos sepultorum intus, vel extra ipsos reperiuntur (S. C. Indulg. 16 febr. 1852 et Pius P. P. IX. 15 mart. eodem anno;[1] S. R. C. 27 nov. 1863[2]); contra quasdam constat Martyrum non esse, ut illæ, quas reperire est in loculis apertis; quasdam denique utrum Martyrum sint an minus, ambiguum est. Porro Reliquias vulgo accipimus *Sanctorum;* proinde qui illas extrahit, non qui istas vel (ut *Comment.*[3] contra Avanzini[4] opinantur) has, excommunicationem incurrit. Illud non interest quantum quis extrahat, multumne, an modicum.

1731. — XVI. "Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in cri-

[1] Acta, T. II. p. 171.
[2] Comment. n. 110 (1).
[3] Ib.
[4] (37). p. 56.

mine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium, vel favorem." L. V. Decr. T. XXXIX. c. 29.

XVII. "Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in Officiis recipientes." L. V. Decr. T. XXXIX. c. 18.

Explanatio.

Ante Const. *Apost. Sedis*, excommunicationem contrahebant quotquot cum vitando communicabant, vel in crimine criminoso (i. e. in crimine, propter quod, seu in contumacia, ob quam excommunicatio lata fuit, ut si concubinarius concubinæ excommunicatæ iterum commisceatur), vel in divinis; et illi quidem majorem, hi vero minorem. Hodie excommunicatio minor sublata est; major superest quidem, sed non incurritur nisi ab his, qui communicant cum excommunicato *nominatim a Papa*, non ab alio. Quare hæc censura non tenet eum, qui sive in crimine criminoso, sive in divinis communicat v. g. cum Titio, quem, tamquam hæreticum, Episcopus nominatim excommunicatum declaraverit. Licet enim excommunicationem Papalem incurrerit, non tamen *nominatim* a Papa excommunicatus fuit.[1] Vide tamen n. 1673 in fine: Notandum . . . 2°.

Per *divina* autem et *Officia* intelliguntur administratio et receptio Sacramentorum ac Officia liturgica.

Duæ hæ excommunicationes his distant: priori omnes sunt obnoxii, sive Clerici, sive laici; posteriori Clerici, tantum. Ab illa non excusat ignorantia, si fuerit crassa aut supina; ab hac excusat. Demum illam incurrunt et hi qui compulsi metu, non tamen gravi; hanc hi solum, qui *sponte*, i. e. sine metu, etiam levi, communicant.

1732. — XVIII. "Absolvere præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici specialiter reservatæ innodatos." Ita § finalis Const. *Apost. Sedis*, post excommunicationem XII. inter *specialiter* Rom. Pontifici reservatas.

Adde ex decreto C. S. O. 4 dec. 1872 excommunicationem XIX. contra Ecclesiasticos et Missionarios mercaturæ in Indiis Orientalibus operam dantes, etc.[1]

[1] Comment. n. 112.

§ III. *De excommunicationibus latæ sententiæ Episcopis, sive Ordinariis, reservatis.* (Cfr. n. 1401. q. 2°. R. 2°.)

1733. — I. "Clericos in Sacris constitutos, vel Regulares aut Moniales, post votum solemne castitatis Matrimonium contrahere præsumentes; nec non omnes cum aliqua ex prædictis personis Matrimonium contrahere præsumentes." Clem. L. IV. T. unic.

Explanatio.

1° "Matrimonium contrahere," i. e. juxta sententiam, cui, cum in odiosis versemur, adhæremus, Matrimonium, quod alias valere potuisset,[2] seu quod alias juxta *validas* leges verum Matrimonium universim habetur, et veri Matrimonii habet legitimam formam, seu quod legalitatem aliquam apparentem in sensu *canonico* præ se ferat, quamvis ob inhabilitatem contrahentium, ut in casu nostro, sit nullum. Quocirca excommunicatio non incurritur, si aut 1) consensus legitimus defuit, sive ex utraque parte, sive ex alterutra; ut puta si alter simulate contraxerit, vel errore inductus, vel metu coactus: aut 2) legitima forma, veluti si contraxerint (licet coram magistratu vel ministello, magistratus apud nos locum tenente), ubi Decretum Conciliare promulgatum est, sine Parocho et testibus: vel demum 3) si quodvis aliud obstiterit dirimens impedimentum; v. c. si contraxerint cum consanguinea, vel affini, vel infideli.[3] Alii tamen opinantur Matrimonium civile in locis, ubi viget Decretum Trid., figuram habere Matrimonii, adeoque censuram incurri a Clericis, etc., qui in prædictis locis sic contrahere præsumerent. Ita Avanzini,[4] Feije,[5] Godschalk,[6] etc. Figuram hanc Matrimonii alii, argumentis non spernendis innixi, negant,[7] alii, vero contendunt, ea etiam admissa, nihil inde pro-

[1] Acta, T. VII. p. 317 sq.
[2] Gury, Ed. Rom. 1873. T. II. p. 616 (2).
[3] Comment. n. 116.
[4] (39). a).
[5] De Imp. n. 783. 784.
[6] Apud Feije, de Imp. n. 784.
[7] Apud Gury, Ed. Rom. 1873. T. II. p. 616 (2).

batum iri, cum et figuram hanc habeat Matrimonium coram Parocho et testibus cum consanguinea v. g., vel affini, vel infideli contractum.[1]

2° "Contrahere *præsumentes*." Vide n. 1664. q. 3°.

1734. — II. "Procurantes abortum, effectu sequuto." Sixtus V. c. *Effrænatam*, 29 oct. 1588. § 7.

Explanatio.

Hujus censuræ:

1° Materia est *abortus directe* voluntarius, non vero in causa tantum, ut si quis prægnantem graviter percusserit ex ira, odio, zelotypia, etc., abortum quidem prævidens, sed non intendens, ut patet ex Const. Sixtina. — Sufficit vero causa moralis, uti terror prægnanti incussus. Nec ulla amplius distinctio fœtus animati vel inanimati facienda est.

2° Conditio est *effectus sequutus*, sequutus, inquam, non ex accidentali aliqua causa, — e. g. ex eo quod, post sumptum abortivum, mulier ex alto ceciderit, — sed ex causa per se efficiente. Nec incurritur excommunicatio, quamdiu probabile videatur abortum sequutum fuisse ex alia causa.[2]

3° Subjectum sunt *omnes sive per se sive per alios abortum procurantes*, non vero consulentes, neque illi, qui procuranti opem præstant, vel jussu aut mandato alterius agunt; nam procurantes hic intelliguntur, ut in Const. Sixtina. § 2. Ergo qui pharmacum consulit, docet, scribit (licet sit medicus), aut parat procuranti, censuram non incurrit.[3] Præterea, ut ait Adnotator anonymus Gury, Ed. Rom. 1873,[4] "Videtur adhuc probabilis sententia illorum, qui cum S. Doctore" Alphonso[5] "existimarunt hanc excommunicationem haud quaquam incurri a mulieribus prægnantibus, quæ abortum sibi procurant. Enim vero in Piana Const. indicantur *procurantes abortum* non *omnes* absque ulla omnino exceptione, sed generatim qui abortum procurant; ea verba sunt quidem generalia, sed interpretationem benignam pati possunt. Quod autem eam revera patiantur, ex sequentibus argumentis eruitur. 1. Id suadet natura legis pœnalis, quia odia sunt restringenda. 2. Confirmatur ex scopo Summi Pontificis, qui voluit prudenti dispensatione veteres censuras moderari. 3. Hæc censura, quod ad subjectum spectat, eodem modo enunciabatur a Doctoribus ante editam Const. *Apostolicæ Sedis*, ac in ipsa enunciatur. Sic in Medulla Theol. Mor. Herm. Busembaum L. VII. Cap. I. Art. 2. inter excommunicationes Episcopis reservatas sub n. 3 legitur: "*In procurantes abortum* fœtus animati, effectu secuto." Et nihilominus S. Doctor, qui recensionem censurarum ex Busembaum ad amussim desumpsit, et excommunicationem, de qua agimus, ipsissimis verbis retulit,[1] eam mitiorem sententiam defendit. 4. Denique circa censuram hujusmodi ea tantum videtur inducta immutatio, quod scilicet prætermissa fuit distinctio inter fœtum animatum et inanimatum. Itaque Const. *Apostolicæ Sedis*, in eo quod pertinet ad subjectum, est mitius intelligenda, prout probabili, imo probabiliori, sententia, juxta S. Doctorem, intellecta fuit Const. Sixtina et Gregoriana, nisi velimus, neglecto spiritu, litteræ tenacius, quam par est, inhærere. Ratio autem, cur Theologi censuerunt, Sixtum V. exemisse ab hac censura prægnantes, est quia compassus præsumitur infirmitati fœminarum, quæ dum impulsæ vehementi timore damni sibi obventuri, scilicet infamiæ, fœtum immaturum expellere conantur, et dum a tanto facinore non abhorrent, facile etiam excommunicationem parvipenderent; ideo ad vitandum novum animæ laqueum, aliaque pericula, præsertim sacrilegarum Confessionem, eas noluit Pontifex comprehendere. Cæterum videtur adhuc *saltem* attendendum, quod S. Alphonsus cum *Ronc.* animadvertit l. c.: "Cum dubium sit, an hæc excommunicatio lata sit etiam contra prægnantes, valde probabiliter ipsæ ab ea excusantur."[2]

1735. — III. "Litteris Apostolicis fal-

[1] Comment. n. 116 (4).
[2] Comment. n. 119. Cfr. S. Alph. L. IV. 562. 658; L. VII. 371.
[3] Comment. n. 120. Gury, Ed. Dumas, T. II. n. 1019. q. 3°. Nouv. Rev. Théol. T. VII. p. 310 sv.
[4] T. II. p. 617 (1).
[5] L. IV. 395.

[1] L. VIII. 213.
[2] Cfr. Vind. Ed. 2ª. T. I. p. CXI. (4), vel Præf. Apolog. p. 107 (4) et Nouv. Rev. Théol. T. VII. p. 304 sv.

sis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes." Ex L. V. Decr. T. XX. c. 7.

Explanatio.

1° "Falsis," vide n. 1714.

2° "Utentes," i. e. qui eas exhibent, ut effectum habere possint. De ipsis *falsificantibus* vide n. 1714.

3° "In ea re," i. e. in dicto usu, "cooperantes."

§ IV. *De excommunicationibus latæ sententiæ nemini reservatis.*

1736. — I. "Mandantes, seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos." Ex L. V. T. II. c. 2 in 6°, et Clem. L. III. T. VII. c. 1.

Explanatio.

1° "Mandantes, seu cogentes tradi," non vero alii, qui associant, Crucem et luminaria deferunt; neque qui in sepulturam mittunt: odia enim sunt restringenda.

2° "Ecclesiasticæ sepulturæ," i. e. humatio quocumque in loco, qui sepulturæ fidelium, vel divinis saltem officiis peragendis, Episcopi seu benedictione seu destinatione, vel communi usu et consuetudine, addictus est.[1]

3° In hoc articulo est vetita sub pœna excommunicationis sepultura pro hæreticis notoriis, seu publicis; item pro excommunicatis nominatim; item pro interdictis nominatim. — Sub nomine *hæretici* veniunt etiam apostatæ notorii a Fide.[2]

1737. — II. "Lædentes, aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes; vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes." S. Pius V. C. *Si protegendis.*

Explanatio.

Intellige impediendi causa, quominus ad Sacrum Tribunal causas deferant, vel ad impediendam sententiam, vel in odium ipsius Sacri Tribunalis: quia si non eos cognoscant ut tales, incurrent forte aliam censuram, sed non censuram hujus articuli.

1738. — III. "Alienantes, et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosæ* de reb. Eccl. non alienandis." C. unic. sub dicto titulo (L. III. T. IV. in Extrav. Comm.).

Explanatio.

1° "Alienantes," dummodo illis bonorum illorum administratio credita sit, nec agatur de Episcopis, licet sint administratores, quippe qui in cit. Extravaganti solo interdicto ab Ecclesia coercentur.[1]

Verbo autem *alienare*, uti ex ipsa Extravaganti patet, hic latissima notio subjecta est; nam continet omnes contractus, quibus: vel 1) dominium transfertur, velut in solutum dare, permutare, etc.; vel 2) aliquod jus reale ab Ecclesia decedit, vel onus reale imponitur rebus Ecclesiæ, v. c. census, hypotheca, servitus; vel (servitus) ei debita remittitur; et 3) locationes ultra triennium utile seu fructiferum.[2]

2° "Recipere præsumentes," non vero consentientes, consulentes, faventes, res ecclesiasticas destruentes, furantes, etc. Alienantes et accipientes tamen illos intellige, quorum mandato ac nomine alienatur, non vero mandatarios.[3]

3° "Bona ecclesiastica" hic stricto sensu intelliguntur, scil.: 1) quæ sunt in *patrimonio* alicujus Ecclesiæ vel Monasterii; 2) beneficia ecclesiastica (n. 628–630); 3) bona cujusvis Loci Pii, puta academiæ, seminarii, collegii, scholæ, nosocomii, orphanotrophii, dummodo auctoritate ecclesiastica erecti.[4] Bona autem accipiuntur, sive immobilia, sive mobilia *pretiosa*. Quæ vero pretiosa habenda sint, arbitrio præsertim judicis determinandum.[5] Sub immobilibus tamen et mobilibus pretiosis non comprehenduntur pecuniæ, nec nummi numerati, nec pecuniæ collocatæ in administrationibus gubernio-

[1] Comment. n. 125. [2] Avanz. (43).

[1] Comment. n. 131 (34).
[2] L. V. 187. n. I. VII.
[3] Comment. n. 131.
[4] Ib. n. 129.
[5] H. A. Tr. XIII. 62.

rum politicorum, vel viarum ferrearum et similium, excepto si pecuniæ proveniant ab alienationibus immobilium, vel datæ sive relictæ fuerint cum onere perpetuo Missarum aut cum obligatione expressa emendi immobile, ut asserit et fusius probat Bouix.[1]

4° "Absque beneplacito Apostolico," quod tamen non requiritur, si: vel 1) res sit exigui valoris; vel 2) talis, ut reditus ipsius ad eam conservandam non sufficiant; vel 3) ejusmodi, ut verisimiliter ad triennium sine notabili deterioratione non sit perduratura, puta vestis; vel 4) urgeat necessitas, quæ moram non patitur, vel adsit occasio, quæ alias transiret. In his tamen duobus casibus necessitatis et utilitatis requiritur consensus Episcopi, nisi agatur de Regularibus exemptis; vel 5) res relicta vel donata sit Ecclesiæ ea lege, ut alienari possit; vel 6) agatur de alienatione, non in usus profanos, sed in aliam ecclesiam;[2] vel 7) sermo sit de Regularibus extra Europam, privilegio ante Decretum Urbani VIII. d. d. 7 sept. 1624 munitis, aut de regionibus, in quibus contraria consuetudo legitima existit. Utrum vero ejusmodi consuetudo apud nos vigeat, sapientiorum judicio remissum malim. Æditui certe eam invocare non possunt, ut patet ex Conc. Pl. Balt. II.[3] (Cfr. supra n. 626. 2°). Qua igitur ratione alii?

5° "Ad formam Extravagantis" etc. i. e. cum legitima causa et servatis solemnitatibus, quatenus his consuetudo non derogarit. — Causa autem legitima est, vel *necessitas*, vel *utilitas*, vel *pietas* (puta gravis pauperum necessitas), vel *incommoditas* (ut si res alienanda valde distet, etc.) — Solemnitates vide, si lubet, apud S. Alph.[4]

1739. — IV. "Negligentes, sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios, sive sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Prædecess. Nostris Gregorio XV. Constit. *Universi*, 20 augusti 1622, et Benedicto XIV. Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ*, 1 junii 1741." Cfr. supra n. 1407 – 1412.

[1] De Regul. P. V. Sect. IV. c. III.
[2] L. V. 187. n. V. VI.
[3] a. 201. 2°.
[4] L. V. 187. n. V.

Explanatio.

1° "Negligentes, sive culpabiliter omittentes," etc. Mensis igitur ad denuntiandum utilis ne censura incurratur, incipit a die, qua certo innotuerit tum denuntiandi obligatio, tum tempus, intra quod ei satisfaciendum est; agitur enim de omissa denuntiatione ob *culpabilem* negligentiam, quæ supponit notitiam integræ obligationis ejusdem.

2° Quod S° Alphonso[1] jam satis probabile erat, id hodie certum est, scil., facta denuntiatione, licet post tempus ab ecclesiastica lege præscriptum, cessare reservationem. Ita S. Pœnit. p. LXI. II. ad 3, et patet ex ipsa Const. *Apost. Sed.*, in qua hæc excommunicatio inter eas recensetur, quæ nemini reservantur.[2]

3° Quandonam pœnitens absolvi vel *absolute*, vel *prudenter*, possit, licet necdum denuntiaverit, vide n. 1412. e).

Prosequitur Constitutio "Apostolicæ Sedis."

"Præter hos hactenus recensitos, eos quoque, quos Sacrosanctum Concilium Tridentinum, sive reservata Summo Pontifici aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus; excepta anathematis pœna in Decreto Sess. IV. *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt." — Hinc sit

§ V. *De excommunicationibus latæ sententiæ a Concilio Tridentino inflictis.*

1740. — I. *Excommunicatio S. Sedi simpliciter reservata* contra usurpatores bonorum ecclesiasticorum.[3] Hæc igitur multo latius patet quam ea, de qua n. 1716 egimus. Complectitur enim, quoad *objecta*, ecclesiarum seu quorumvis beneficiorum vel locorum piorum jurisdictiones, bona, census, jura et quascumque obventiones; quoad *personas* vero quosvis laicos sive Clericos, qui dicta ob-

[1] L. VI. 693.
[2] Vind. p. 578. Ed. 2ª. T. II. p. 199.
[3] Sess. 22. c. 11. Ref.

jecta per se vel per alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas, seu quacumque arte (*fraude*) aut quocumque quæsito colore (*titulo, prætextu*), ideoque etiamsi ex donatione suppositæ personæ ad ipsos pervenerint, in proprios usus convertere præsumunt, et quidem illa usurpando vel impediendo, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur.[1]

Num emptio ab usurpatore sub hac sanctione comprehendatur, dissentiunt auctores.[2]

1741. — II. *Excommunicationes nemini reservatæ:*

1° Contra imprimentes (n. 1704. q. 6°. R. ad c), aut imprimi facientes sine Ordinarii approbatione libros de rebus sacris tractantes, i. e. libros Sacræ Scripturæ et eorumdem librorum adnotationes et expositiones; de his enim, ac de his solis, agitur in allegato Decreto, unde hæc Piana censura sumpta est.[3]

2° Contra præsumentes docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere, gravato conscientia mortalis peccati, habita copia confessarii, necessariam non esse Confessionem ante sumptionem Eucharistiæ, modo sit contritus.[4]

Item contra negantes, clandestina Matrimonia vera ac rata esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, falsoque affirmantes, Matrimonia, a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, irrita esse.[5]

3° Contra raptores mulierum (n. 1620) et omnes illis consilium, auxilium et favorem præbentes (n. 1700. q. 4°).[6]

4° Contra dominos temporales vel magistratus, qui coactione gravi et injusta libertatem Matrimonii contrahendi violant.[7]

5° Contra cogentes mulierem ad ingrediendum monasterium, aut ad solemnia vota nuncupanda, præterquam in casibus in jure expressis, eosque, qui consilium dederint, etc.; item contra impedientes sine justa causa.[8]

[1] Avanz. (61) (62). Comment. n. 66 (20).
[2] Ib.
[3] Sess. IV. Decr. de editione et usu, etc.
[4] Sess. 13. Can. 11. de Euch.
[5] Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr.
[6] Ib. c. 6.
[7] Ib. c. 9.
[8] Sess. 25. c. 18. de Reg. S. Alph. L. VII. 212.

6° Contra magistratus, qui adversus contradictores clausuræ Monialium ad instantiam Episcopi non præbent auxilium.[1]

ARTICULUS II.

DE SUSPENSIONIBUS LATÆ SENTENTIÆ.

§ I. *De suspensionibus latæ sententiæ Summo Pontifici reservatis.*

1742. — I. "Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus Ecclesiarum, et monasteriorum, aliique omnes, qui ad illarum, seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos, aliosve Prælatos, de prædictis Ecclesiis seu monasteriis apud eandem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione." Ex Extrav. Comm. L. I. T. III. c. 1.

1743. — II. Suspensionem per triennium a collatione Ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii, vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta." Ex L. III. Decr. T. V. c. 23. Trid. Sess. 21. c. 2. Ref. L. V. Decr. T. III. c. 45.

1744. — III. Suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrunt ordinantes alienum subditum, etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, — vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus." Ex L. I. T. IX. c. 2. in 6°. Trid. Sess. 23. c. 8. Ref. Innoc. XI. Bull. *Speculatores.* § 4.

Explanatio.

1° "Ordinantes," licet Tonsuram tantum conferentes.[2]

2° "Alienum subditum." Quibus modis aliquis quoad ordinationem subditus fiat, vide n. 1519. q. 1°.

3° Beneficii . . . minime sufficientis" ad congruam sustentationem juxta leges

[1] Sess. 25. c. 5. de Reg.
[2] L. VI. 769.

vel consuetudinem diœcesis, ubi est beneficium, si ipsum requirit perpetuam residentiam; si vero non requirit, juxta taxam originis.[1]

4° "Absque ejus Episcopi," i. e. Ordinarii in genere, quatenus ipsi competit dimissorias ad Ordines concedere.[2]

5° "Qui alibi" post septennium.[3]

6° "Tanto tempore," i. e. ex veriori sententia ultra sex menses.[4]

7° Litteris testimonialibus." Vide n. 1519. q. 1°. R. 5°.

Nota. — Leges de ordinatione etiam eos ligant, qui ad aliquam Congregationem cum votis simplicibus pertinent, nisi privilegiis gaudeant.[5]

1745. — IV. "Suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem Sacrum contulerit absque titulo beneficii, vel patrimonii, Clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo." Ex C. S. Pii V. *Romanus Pontifex Sacrorum.*

Explanatio.

"Religioso nondum professo," i. e. sive adhucdum novitio, sive nondum solemniter professo. Vide n. 1522. 2° *in fine.*

1746. — V. Suspensionem perpetuam ab exercitio Ordinum ipso jure incurrunt Religiosi ejecti, extra Religionem degentes." Ex Decreto S. C. C. 21 sept. 1624, probante Urbano VIII.

Explanatio.

1° "Ejecti," non vero, uti videtur, fugitivi et apostatæ a Religione, qui tamen alias incurrunt pœnas.[6]

2° "Extra Religionem degentes," i. e. extra eam, quam professi sunt, vel extra aliam, ad quam possint canonice transire. Vide n. 1157. d).

1747. — VI. "Suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eundem Ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denuntiatis, aut ab hæretico, vel schismatico, notorio; eum vero, qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere Ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus." Ex L. V. Decr. T. VIII. c. 1. 2.

Explanatio.

1° "Præsumpserunt," i. e. *scienter* et *absque timore gravi* receperunt Ordinem ab aliquo ex dictis.

2° "Qui bona fide," i. e. qui non *præsumpserit.*

3° "Exercitium non habere Ordinis." Hæc suspensio *ab exercitio Ordinis* (non suspensio *ab Ordine*, ut in priori parte hujus articuli) non videtur *proprie* suspensio, quæ irregularitatem gignere possit, sed potius inhibitio sub culpa.[1]

4° "Donec dispensetur." Hanc dispensationem ab Episcopo concedi posse cum Avanzini[2] et Comment.[3] censemus.

Cæterum, ut quis censuram incurrat necesse est, ut Ordinem *receperit;* quare, si quis invalide fuerit ordinatus (ut puta, si ordinatus sit a Ministris Anglicanis), suspensio ne intelligi quidem potest.

1748. — VII. "Clerici sæculares exteri ultra quatuor menses in Urbe commorantes ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; nec non Clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non præmissis ante Ordinem Sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana Sacerdotum a Missione nuncupatorum, suspensionem ab Ordinibus sic susceptis, ad beneplacitum S. Sedis, ipso jure incurrunt: Episcopi vero ordinantes ab usu Pontificalium per annum." Ex Edicto Card. Vicar jussu Clem. VIII. 24 nov. 1603. Decr. S. C. C. 21 sept.

[1] L. VI. 815.
[2] Comment. n. 146.
[3] Ib. n. 147.
[4] Ib.
[5] Ib. (45).
[6] Avanz. (53). Comment. n. 149.

[1] Avanz. (54). a). p. 92.
[2] Ib. pp. 91. 92.
[3] n. 151.

1624. jussu Urban. VIII. Edict. Card. Vicar. jussu Ben. XIV. 20 mart. 1743.

Explanatio.

1° "Clerici," non vero laici, seu Tonsura non insigniti.

2° "Exteri," qui scilicet non pertinent ad Romanam diœcesim vel ad aliquam ex sex suburbicariis.

3° "In Urbe commorantes." Ergo censura hac non tenentur Clerici exteri, qui, completis Romæ quatuor commorationis mensibus, obtentisque dimissoriis litteris a suo Ordinario, ex Urbe discedant animo non redeundi.

§ II. *De suspensionibus latæ sententiæ a Concilio Tridentino inflictis.*

1749. — 1° Qui alienum subditum ordinat absque Ordinarii sui testimonio de ipsius probitate ac moribus, suspenditur a collatione Ordinum per annum; ordinatus autem a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire.[1] Patet differentia inter hanc sanctionem et aliam de qua supra n. 1744. — In lege *Trid.* enim de alieno subdito agitur, qui ordinationem petit, v. g. cum Apostolico rescripto, vi cujus ab Ordinario non proprio ordinari possit, etc., imo cum litteris dimissoriis proprii Episcopi (originis scil., vel domicilii, etc.), sed absque testimonio ejusdem de sua probitate.[2]

2° Episcopus titularis, alterius subditum absque sui proprii Prælati expresso consensu aut litteris dimissoriis ordinans, suspenditur ab exercitio Pontificalium per annum, ordinatus ab exsecutione Ordinum sic susceptorum ad beneplacitum sui Prælati.[3] Vide etiam infra sub 6°.

3° Majores Ordines suscipiens cum dimissoriis Capituli, Sede vacante, infra annum a die vacationis, concessis, dum beneficii ecclesiastici recepti sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, suspenditur ab exsecutione Ordinum ad beneplacitum futuri Prælati. Capitulum vero (vel Vicarius Capitularis[4]) ejusmodi dimissorias concedens subjicitur interdicto; sic promoti ad Ordines Minores privilegio clericali privantur.[1] Easdem pœnas ordinati incurrunt, qui dimissorias non a Capitulo, sed ab aliis in jurisdictionem Episcopi, loco Capituli, Sede vacante succedente obtinent.[2] Vide tamen n. 1519. q. 2°. R. 2°. § *Litteras dimissoriales.*

4° Concedentes dimissorias Clericis sæcularibus, ut ab alio, quam a proprio Episcopo, ordinentur, etsi fuerint Abbates vel alii exempti, aut Collegia vel Capitula, etiam Ecclesiarum Cathedralium, Sede non vacante, — Sede enim vacante Capitulum interdicto punitur, ut sub 3° expositum est — per annum ab officio et beneficio suspenduntur.[3] Quoad Ordinantem autem vide n. 1744 et supra 1°.

5° Promoti per saltum suspenduntur ab exercitio Ordinis sic male suscepti.[4] Ab Episcopo tamen ex legitima causa dispensari possunt, si non ministraverint.[5] Si enim ministraverint in dicto Ordine, fiunt irregulares.[6]

6° Episcopus, Pontificalia in alterius diœcesi exercens, sine Ordinarii loci expressa licentia, vel in personas eidem Ordinario non subjectas, ab exercitio Pontificalium, et sic ordinati ab executione Ordinum suspenduntur.[7]

7° Sacerdos, absque licentia Parochi proprii vel Ordinarii sponsorum hosce Matrimonio conjungere vel benedicere audens, suspenditur, donec ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.[8] Ubi Decretum *Tametsi* publicatum non est, non videtur hæc censura incurri.[9]

8° Episcopi concubinarii, si a Synodo Provinciali admoniti non se emendaverint, suspenduntur.[10]

9° Præfectæ monasteriorum (in quibus vota solemnia emittuntur), si de professione suarum novitiarum Episcopum (mense ante professionem) certiorem non

1 Sess. 23. c. 8. Ref.
2 Avanz. (50). c). p. 82.
3 Sess. 14. c. 2. Ref.
4 Avanz. (71). a). p. 111.

1 Sess. 7. c. 10. Ref.
2 Ib.
3 Ib. 23. c. 10. Ref.
4 Avanz. (70). a). p. 108.
5 Sess. 23. c. 14. Ref.
6 Avanz. (70). d). pp. 109. 110.
7 Sess. 6. c. 5. Ref.
8 Ib. 24. c. 1. Ref. Matr.
9 Avanz. (74). a). p. 115.
10 Sess. 25. c. 14. Ref.

reddiderint, incurrunt suspensionem ab officio quamdiu Episcopo videbitur.[1] Cfr. n. 1188. II. 1).

ARTICULUS III.

De interdictis latæ sententiæ per Constitutionem "*Apost. Sedis*" a Pio. IX. inflictis, et Romano Pontifici "*speciali modo*" reservatis.

1750. — I. "Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia, et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus, seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis ad universale futurum Concilium appellantia." Ex Bulla *Cœnæ*, § II.

Explanatio.

"Universitates" i. e. Communitates, "Collegia, et Capitula, quocumque nomine nuncupentur." Ergo personæ morales; nam physicæ seu singulares incurrunt censuram, de qua n. 1709 actum est.

1751. — II. "Scienter celebrantes, vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato Judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina Officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint." Ex c. 8. L. V. T. VII. in 6°.

Explanatio.

1° "Divina," quæ scil. solis Ecclesiæ Ministris fas est obire, quæque in loco interdicto sub gravi prohibentur per se vel quoad modum.

2° "In locis . . . interdictis," sive generaliter, sive specialiter. Lex enim non distinguit, loca tamen a jure interdicta non censentur talia, nisi accedat declaratio auctoritatis ecclesiasticæ.[2]

3° "Aut nominatim," etc. Vide n. 1674. q. 1°.

4° "Ad divina Officia seu ecclesiastica Sacramenta vel ecclesiasticam sepulturam admittentes. "Hic articulus specialiter videtur pertinere ad eos, ad quorum curam spectat, prohibere vel admittere aliquem ad hujusmodi actus.[1] Hoc interdictum itaque incurrit v. g. sacerdos, qui tali excommunicato Sacramentum ministrat, etc. At illos quoque comprehendi non dubitamus, quibus ex officio, vel privilegio, vel consuetudine incumbit tales arcere, quique id cum gravi culpa omittunt. Hinc, si laicus ex officio, vel privilegio, vel consuetudine habeat custodiam ecclesiæ vel cœmeterii, et nominatim excommunicatum admittat ad sepulturam, hanc censuram incurrit. Censent quidem *Comment.*[2] hanc pœnam, uti antea, solos Clericos, utique omnes, tenere, cum verba "celebrari facientes, . . . admittentes" eos indicent, qui in locis sacris potestatem habent. At aliter Varceno, cui assentimur,[3] interpretatur. Et ratio est, quia lex laicos non excludit, neque directe, neque indirecte. Non directe, uti patet. Sed neque indirecte. Licet enim concedatur, admissionem, de qua in hac sanctione, potestatem quamdam requirere (est enim aliud admittere solum in aliquem locum v. g. in clausuram, et admittere ad divina officia, etc.), talis potestas tamen etiam in laicis aliquando inveniri potest, v. g. ut faciant dicto modo divina in loco interdicto celebrari, vel ut ad sepulturam, imo etiam ad divina officia, admittant.

5° "Donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt." — Si tamen judex delegatus, non per auctoritatem propriam ipsi collatam, sed vice et nomine tantum Superioris sententiam tulit, ad Superiorem recurrendum est: in interdicto vero locali a jure lato ad Summum Pontificem, si hic interdictum denuntiavit (vide 2°); secus ad Episcopum.[4]

1752. — *Interdicta ipso facto a Concilio Tridentino lata.* — Præter interdictum, de quo supra n. 1749. 3°, in Sess. 6. c. 1. Ref. interdicuntur ab ingressu ecclesiæ Metropolitanus, qui Suffraganeos Episcopos sine justa causa ultra annum continuum a suis diœcesibus absentes, et Suffraganeus antiquior residens, qui Metropolitanum ita absentem infra tres menses Rom. Pontifici non denuntiant. Vide etiam Sess. 23. c. 1. Ref.

[1] Sess. 25. de Reg. c. 17. [2] Avanz. (57). p. 95.

[1] Suarez, de Cens. disp. 37. sect. 1. n. 6.
[2] n. 161.
[3] p. 972 sq.
[4] Varceno, p. 974.

ARTICULUS IV.

De censuris, quæ continentur in Const. "*Apostolicæ Sedis*," absolvendis.

Prosequitur Constitutio "Apostolicæ Sedis":

"Cæterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere, aut posse comprehendi, facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita, ac individua mentio facta fuerit: quæ vero privilegia aut facultates, sive a Prædecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Cœtui, Ordini, Congregationi, Societati, et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessæ fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas, et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus, et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non, in Corpore Juris, aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

"Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam Sess. XXIV. C. VI. de Reform. in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

"Decernentes" etc. (sequuntur clausulæ consuetæ). "Dat. Romæ an. 1869.— IV. Id. Octobr."

Explanatio.

1753. Quæsita. — Quær. 1° *Quænam absolvendi facultates seu privilegia in vigore permanserint post editam Const.* "Apostolicæ Sedis"?

Resp. 1° Quod *Episcopos* spectat, vide dicta n. 1402. II. 1). 2) et dicenda h. n. quær. 2°.

Resp. 2° Quod *Regulares* attinet quoad absolutionem *suorum* [præter facultatem n. 1195. G. c). 2). 1° recensitam], si de *particularibus proprii Instituti censuris* (n. 1700. q. 2°) agatur, cum istæ, ut antea, in suo vigore permaneant, et quoad facultatem absolvendi nil de his in præsenti Constitutione disponatur, ejusmodi facultates eisdem, ac antea, competere censendæ sunt; nam legitimarum facultatem revocatio non præsumi, sed ostendi debet.

Resp. 3° Quoad *omnes* "SS^mus Pater nullatenus intendit, ne minimum quidem detrimentum inferre facultatibus, . . . quæ a S. Sede ante promulgationem . . . Constitutionis *Apost. Sedis* concessæ fuerint; . . . atque vult, ut in suo pleno vigore permaneant, *tempore perdurante in dictis concessionibus . . . præfinito.*" Ita Pius IX. *Vivæ vocis Oraculo* Assessori S. O. declaravit.[1] Hinc quisque apud nos videat, quibus facultatibus ab Ordinario loci, in quo Confessiones audit, vi privilegiorum, quæ Episcopis nostris a S. Sede concedi solent (p. LXXI. n. 15. 16), instructus sit. Attendat præterea ad principia generalia, de quibus agitur n. 1402. II. sub 2); IV. et 1403. q. 1°. q. 2°. q. 4°. q. 5°.

Quær. 2° *Quid quoad absolutionem singularum censurarum Const.* "Apost. Sed." *servandum sit?*

Resp. Quæ magis practica sunt, fere ad sequentia reducuntur.

1° Quoad censuram contra damnatos libros (n. 1702), attende non solum *legentes*, sed etiam *retinentes* ea teneri. Quapropter absolutio dari nequit, nisi iis, qui vere cessant esse *retinentes*.

2° "Quoad censuram in Clericorum percussores (n. 1719), distinguenda est percussio levis, gravis seu mediocris, et enormis. *Levis* est ea, quæ gravem quidem injuriam continet, sed cæteris minus gravem, cujusmodi ea est, quæ fit pugno, palma, manu, pede, lapide, fuste,[2] citra circumstantias, quibus gravis vel etiam enormis reddatur.[3] — *Gravis* seu *mediocris* quæ contusionem affert, vel deformitatem, ut si percusso dentem excusseris, vel is copiam sanguinis fuderit.[4] — *Enormis*,

[1] Avanz. (20).
[2] L. VII. 277. 278.
[3] L. VII. 278.
[4] Ib. 277.

si magna intervenit vulneratio (ut si oculum exclusisti, si membrum rupisti, etc.), vel magna sanguinis effusio, aliunde quam e naribus, vel magna injuria.[1] In dubio autem sitne gravis an levis, habenda est gravis, ne occasio præbeatur lædendi Statum ecclesiasticum,[2] seu quia privilegium Canonis large interpretandum est (n. 1719). — Itaque si percussio fuerit levis; — vel gravis quidem aut etiam enormis, sed occulta, aut perpetrata a muliere vel impuberi; vel gravis, sed agatur de collegialiter viventibus; — Episcopi absolvere possunt.[3] Prælati vero regulares absolvere possunt *suos*, qui percusserint alium ejusdem Ordinis, "nisi excessus extiterit difficilis et enormis, utpote si ad mutilationem membri, vel ad effusionem sanguinis est processum." Si vero religiosus percusserit religiosum alterius claustri, "per Abbatem proprium, et ejus qui passus est injuriam, absolvatur."[4]

3° Circa censuram in societates damnatas (n. 1721), absolutio dari nequit iis, qui non *penitus* renunciaverint damnatis illis societatibus. Oportet ergo, ut omne vinculum cum illis solvatur, et omne vinculi illius signum destruatur.

De denunciatione vide n. cit. 1721.

Quærunt, an monendi sint, qui damnatis societatibus dederunt nomen?

Resp. Disting. Agitur enim vel de foro externo, vel de interno.

Si de externo, *subdisting.* inter pastoralem admonitionem, ac judicialem sententiam, qua reum, de quo agitur, excommunicationem incurrisse declaratur.

Sententiam hanc declaratoriam utrum ferri expediat, definiri generatim non potest, sed facti personarumque circumstantiis sedulo expensis dignosci debet.

Ad pastoralem vero admonitionem quod attinet, si deficiat probabilis spes fructus et prudens simul adsit metus gravioris cujusdam mali, differri potest, dummodo e Pastoris silentio scandalum non oriatur.

Si de foro interno sermo sit, *generatim* admonendi sunt, quia generatim deficit aut (addo) postea deficiet bona fides.

Ita, *quoad substantiam*, Instructio S. Off. Fer. IV. d. d. 4 apr. 1871. Cum mica igitur salis intelligenda sunt, quæ hac de re scripsit Schneider.[1]

Confirmatur resolutio nostra ex Resp. S. C. O., dato ad Postulatum Rssmi Patris Sorin, Sup. Gen. Congnis S. Crucis, quod, cum morientes concernat, a *fortiori* facit pro quæstione nostra.

En Postulatum et Resp.

"Beatissime Pater.

"Presbyter Eduardus Sorin, Superior Generalis Congregationis Sanctæ Crucis, pro tranquillitate conscientiæ Missionariorum suæ Congregationis in Statibus Fœderatis Americæ Septentrionalis, humiliter expostulat a S. Congregatione S. Officii responsiones ad sequentia dubia.

"*Dubium primum.*— An Parochus, sive Missionarius, ad ægrotum vel morientem, præsertim non baptizatum vel protestantem vocatus, quem certe scit ad Liberos Muratores pertinere, ac bona fide versari in prædicta secreta societate, possit sine ulla admonitione quoad relinquendam damnatam societatem, illum baptizare vel absolvere?

"*Dubium secundum.* — An Missionarius interrogare debeat morientem, si solum dubitet de morientis affiliatione ad Liberos Muratores?

"*Dubium tertium.* — In utroque casu, si tempus vel morientis status discussionem non permittat, debetne Missionarius quæstionem ullam proponere eidem morienti circa societatem secretam Liberorum Muratorum?"

Responsa.

"Feria IV., die 8 julii, 1874.

"In congregatione Generali S. Rom. et Univ. Inquisitionis habita coram Em'mis ac Il'mis D. D. S. R. E. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Genlibus Inquisitoribus, propositis supra scriptis dubiis, præhabitoque D. D. Consultorum voto, iidem Il'mi dixerunt: — ad 1um generice loquendo *Negative* juxta decreta jam edita: cum vero juxta ea, quæ habet Albitius, pueri et morituri non abjurent, si agatur de morte proximis, ac materialiter seu in bona fide sectis a S. Sede damnatis adscriptis (et nisi prævide-

[1] L. VII. 277. [2] Ib. 280. [3] Ib. 279. [4] Ib. 107.

[1] Manuale Sacerd. Ed. 6a. p. 461. 3).

atur quod specialis admonitio profutura sit), sufficere, quod in genere hortentur, ut se sincere subjiciant Ecclesiæ auctoritati atque mandatis S. Sedis, deinde baptizari atque absolvi possint. Scandalum vero reparetur eo meliori modo, quo fieri possit, etiam post obitum. — Ad 2^{dum} et 3^{um} Provisum in præcedenti.

"Pro Dño J. Pelami, *S. Rñæ et Univ. Inquis. Not.*

"Jacobus Vacgagine, *Substitutus.*"

4° Quod censuram attinet contra Simoniam (n. 1725) vide facultatem Episcoporum nostrorum, p. LXX. n. 5.

5° Absolutio censuræ, quam incurrunt collectores Missarum, de quibus n. 1727, non detur nisi volentibus restituere juxta dicta n. 1325. q. 8°, vel paratis stare mandatis S^{æ} Sedis, casu, quo ad eam pro condonatione recurratur.

Nota. — Rarissime pœnitentem rite dispositum, ob peccatum, cui censura aliqua reservata annexa sit, inabsolutum dimittere oportebit, sive quod 1) paucissimi sint casus, in quibus confessariis non adsit facultas ab Ordinario sibi in litteris jurisdictionis communicata, sive quod 2) paucissimi illi casus rarissime occurrant, sive quod 3) pœnitens, defectu alicujus ex conditionibus n. 1400. 1401 et 1662 – 1664 recensitis, vel ipsam censuram, vel reservationem non incurrerit, sive quod 4) propter causas n. 1402. II. 2). IV. et n. 1403 allegatas reservatio aut *penitus* sublata fuerit, aut saltem *indirecte* tollatur, sive quod 5) hodie frequentius quam olim præsto sint facultates alicujus jubilæi.

TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS.

CAPUT I.

DE IRREGULARITATIBUS IN GENERE.

1754. *Definitio.*— Irregularitas, stricte sumpta, est impedimentum canonicum, prohibens, ne quis Clero adscribatur, vel ad Ordinem superiorem ascendat, vel functiones Ordinis suscepti exerceat.

Dicitur: 1° *impedimentum.* Hinc differt irregularitas a censuris, a depositione et degradatione præsertim ex hoc capite, quia censuræ, depositio et degradatio semper supponunt culpam, et habent rationem pœnæ; irregularitas vero non semper culpam supponit, et, si quando per modum pœnæ imponatur, hoc fit secundario tantum, nec ad reum puniendum, sed ad indecentiam in Sacro Ministerio præcavendam.

Dicitur: 2° *canonicum.* Vide n. 1756. I.

Dicitur: 3° *prohibens;* nam irregularitates, utpote *sola* auctoritate Ecclesiæ constitutæ, non impediunt receptionem vel exercitium Ordinum quoad *validitatem.* Unde sacerdos irregularis, etsi illicite, valide tamen absolvit, etc.[1]

Dicitur: 4° *ne quis Clero adscribatur,* licet per Tonsuram tantum.[2]

Dicitur: 5° *vel functiones Ordinis suscepti.* Irregulari igitur non prohibentur ea, quæ laicis licita sunt, ut in Ecclesia cantare; Sacramenta, si Ordinem excipias, suscipere; conferre beneficia; Matrimonio assistere; dispensare in votis; absolvere a censuris, etc.[3]

1755. *Divisio.* — Multiplex distinguitur irregularitas:

1° Irregularitas *ex defectu* vel *ex delicto,* prout oritur ex quibusdam defectibus in Jure expressis, vel contrahitur ex certis delictis in Jure determinatis.

2° Irregularitas *totalis* vel *partialis,* prout excludit ab omni Ordine (etiam a Tonsura), et Ordinis usu, atque — indirecte et consequenter — ab omni beneficio ecclesiastico, vel arcet tantum ab aliquo horum.

3° Irregularitas *perpetua* vel *temporalis,* prout ex se semper durat nisi tollatur dispensatione, aut aliis modis infra determinandis; vel durat tantum ad aliquod tempus, et postea cessat absque ulla dispensatione. Sic irregularitas ex defectu ætatis evanescit completo tempore ad Ordines requisito.

1756. PRINCIPIA.— I. Nulla unquam incurritur irregularitas, nisi in Jure Canonico, i. e. in decreto Papæ vel Concilii a Papa approbati,[1] expressa sit. Hinc: 1° irregularitas *ab homine* non admittitur; 2° irregularitas incurritur ipso facto ante omnem judicis sententiam, et etiam ob defectum vel crimen occultum;[2] 3° non valent in hac materia argumenta *a pari,* vel etiam *a fortiori;*[3] 4° consuetudo eam inducere nequit, quæ tamen, ut optima legum interpres, in dubio an in Jure sit expressa eam confirmare potest, dummodo accedat communis DD. sensus.[4]

II. Irregularitas *ex defectu* semper incurritur, stante defectu; quia rationem pœnæ non habet, sed rationem solius impedimenti. Irregularitas vero *ex delicto* non incurritur absque culpa, et quidem gravi, quia, licet finis irregularitatis non sit punire, nec corrigere reos,

[1] L. VII. 342. [2] Ib.
[3] Ib.

[1] L. VII. 345.
[2] L. V. T. XI. c. 18 in 6°.
[3] L. VII. 345.
[4] Ib.

non contrahitur tamen nisi ratione delicti proprie voluntarii et vere gravis. Præterea factum, cui irregularitas *ex delicto* annexa est, externum et in genere suo consummatum esse debet; item commissum post septimum ætatis annum.[1]

1757. QUÆSITA. — Quær. 1° *An ad irregularitatem* EX DELICTO *incurrendam, præter scientiam legis divinæ requiratur scientia legis ecclesiasticæ prohibentis?*

Resp. Affirm. probabilius et *communissime.* Ratio est, quia irregularitas hæc rationem pœnæ habet.[2] Excipe tamen homicidium, ob particularem indecentiam, quam inducit.[3]

Quær. 2° *An requiratur etiam scientia pœnæ, seu irregularitatis, si agitur de delicto?*

Resp. Duplex est sententia probabilis.

I^a, *valde probabilis, negat,* quia irregularitas non est pœna medicinalis, sed inhabilitas, seu pœna mere punitiva.

II^a, *sat probabilis, affirmat.* Ratio est, quia irregularitas *ex delicto* censetur vera pœna, et quidem extraordinaria, imposita in vindictam criminis, licet effectus illius primarius sit inhabilitatem constituere. Porro, ubi tanta pœna infligitur, non censetur Ecclesia cum tanto rigore procedere, ut incurratur ab illo, qui eam ignorat.[4]

Quær. 3° *An censearis irregularis in dubio utrum irregularitatem incurreris?*

Resp. 1° *Neg.* in dubio *juris,* seu in dubio, an talis casus subjaceat legi irregularitatem statuenti. Ita fere omnes Theologi. Ratio est, quia, ubi dubium adest, irregularitas hæc in Jure non certe exprimitur. Ergo, etc. Præterea odia sunt restringenda.[5]

Resp. 2° In dubio *facti* disting.: vel est dubium de homicidio, vel de alio delicto. Si *prius, verius* irregularitatem incurristi, ob specialem indecentiam, quæ in homicidio reperitur, ut ex Jure colligitur. Hoc tamen non valet de dubio an secutum fuerit homicidium (e. g. abortus), sed de dubio utrum, dum revera secutum fuit, secutum fuerit ex causa, certo posita, eaque de se mortifera; tunc enim ex communiter contingentibus præsumendum est mortem ex tali, et non ex alia, causa secutam fuisse. Cæterum ejusmodi irregularitas duos tantum producit effectus, obligationem scil. abstinendi a celebratione et quærendi dispensationem, adeoque clericos tantum tenet, non item laicos. — Si *posterius, verius* non incurristi, quia in dubio nemo damnandus est.[1]

Quær. 4° *An incurratur irregularitas ob crimen externum quidem et consummatum, sed prorsus occultum?*

Resp. Affirm. verius, ait S. Alph.[2] Ratio est, quia Ecclesia, crimina reservando, etiam occultissima reservat, modo suæ jurisdictioni subjaceant, nempe modo sint externæ, prout imposuit excommunicationem hæresi omnino occultæ, etc. Evincitur insuper ex cap. *Liceat,*[3] ubi præbetur facultas Episcopis absolvendi ab irregularitatibus et censuris occultis.

Quær. 5° *Quomodo irregularitas tollatur?*

Resp. Tollitur sequentibus modis:

1° *Per dispensationem:* 1) Papæ in omni casu, modo non adsit impedimentum de jure naturali, seu quod exercitium Ordinis Sacri impossibile reddat; 2) Episcopi et Regularium, si irregularitas ex delicto occulto proveniat, excepto homicidio directe voluntario,[4] at non excepta hæresi.[5] *Occultum* autem hic eodem sensu venit, quo sumitur in impedimentis Matrimonii[6] (n. 1564). Episcopi autem hac facultate uti possunt tantum erga *suos;* non tamen refert utrum hi vel etiam illi in diœcesi existant.[7] Cæteras Episcoporum circa irregularitates facultates vide n. 1144. I. 3°. 4°; 3) Cujuslibet delegati pro ratione acceptæ facultatis. Facultates Episcopis nostris delegatas vide p. LXX. n. 2, et p. LXXII. n. 3; Prælatis vero regularibus, quoad suos, n. 1195. c). 5°.

2° *Ordinarie per cessationem causæ,* v. g. ætate requisita adveniente, si irregularitas ex defectu ætatis proveniat; item per mutationem domicilii seu loci, aut per emendationem, si ex infamia oria-

[1] L. VII. 348 et Clement. L. V. T. IV. c. unic.
[2] Ib. 350.
[3] Ib.
[4] Ib. 351.
[5] Ib. 346.

[1] L. VII. 347. Dub. 3.
[2] Ib. 349.
[3] Trid. Sess. 24. c. 6. Ref.
[4] L. VII. 388. 395. 396.
[5] Ib. 76.
[6] L. VI. 593. De Priv. n. 33.
[7] L. VII. 81. De Priv. n. 32.

tur. Pro Juris tamen infamia dispensatio requiritur.[1] — Dixi: *ordinarie;* nam non cessat hoc modo irregularitas *ex delicto*, nec quæcumque *ex defectu*, ut puta ex defectu lenitatis, Sacramenti, etc.[2]

3° *Per Baptismi susceptionem* cessat irregularitas ex delicto et ex infamia facti.[3]

4° *Per Professionem religiosam* cessat irregularitas ex defectu natalium, sed solummodo ad Ordines suscipiendos, non autem quoad dignitates et prælaturas.[4]

Quær. 6° *Quomodo fiat dispensatio ab irregularitate?*

Resp. Nulla forma invenitur præscripta in Jure; unde nulla determinata necessario adhibenda est. Fieri autem potest formula sequenti, aut alia æquivalenti: "Dispenso tecum super irregularitate, quam incurristi propter". . . (talem causam), "in nomine Patris," etc., vel "auctoritate mihi concessa a S. P." vel "ab Episcopo, dispenso tecum," etc., "et habilem reddo et restituo executioni Ordinum, et officiorum tuorum, in nomine Patris," etc., vel si nullum habeat Ordinem: "habilem reddo te ad omnes Ordines suscipiendos. — Cfr. *Rit. Rom. de Sacr. Pœn.* tit. ult.

CAPUT II.

DE IRREGULARITATIBUS IN PARTICULARI 1° DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU; 2° EX DELICTO.

ARTICULUS I.

DE IRREGULARITATIBUS EX DEFECTU.

Octo earum species numerantur, scilicet ex defectu 1° animi; 2° corporis; 3° natalium; 4° ætatis; 5° libertatis; 6° Sacramenti; 7° lenitatis; 8° famæ.

Defectus isti, vel potius qualitates iis oppositæ, his exprimuntur versiculis:

Natales, animus, libertas, corpus et ætas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.

[1] L. VII. 352 sq.
[2] Scavini, T. III. 601.
[3] L. VII. 364.
[4] Ib. 353. 426.

I. *Ex defectu animi.*

1758. — Triplex defectus animi assignatur, scilicet rationis, scientiæ, et Fidei confirmatæ.

1° *Rationis.* Hinc sunt irregulares perpetuo amentes, lunatici, furiosi, epileptici et energumeni, etsi lucida intervalla habeant. Minus difficulter tamen illis permittitur susceptorum Ordinum exercitium, quam novorum susceptio. Hæc irregularitas de jure etiam morbo cessante manet et per dispensationem Pontificis tolli debet, nisi amentia, etc. ex causa potius accidentali, v. g. febre, provenerit. Definivit etiam S. C. C.[1] Clericum, qui levi epilepsia semel affectus fuit et deinde per plures annos dicti morbi signa amplius non dedit, non esse irregularem et promoveri posse. Exercitium tamen Ordinum jam susceptorum permitti ab Episcopo potest, si vel sufficiens tempus jam elapsum est, ita ut cessatio morbi prudenter præsumi possit (quod præsertim ex judicio religiosi et pii medici decidendum putamus), vel raro et minus vehementer morbus ingruit. Hinc aiunt, epileptico, qui v. g. semel solummodo in mense cadit absque clamore et spuma, celebrationem Missæ permitti posse, privatim tamen adjunctoque sacerdote jejuno, qui Missam, adveniente morbo, perficiat.[2]

2° *Scientiæ.* Irregulares sunt, qui non habent scientiam singulis Ordinibus necessariam, sive de facto nesciant, sive discendi sint incapaces. Vide 1524. q. 1°.

3° *Fidei confirmatæ.* Irregulares sunt neophyti in adulta ætate recenter baptizati, usquedum ab Episcopo digni judicentur.[3]

II. *Ex defectu corporis.*

1759. — Ex duplici capite incurritur hæc irregularitas: 1° si quis ad exercitium Ordinis sit ineptus: 2° si aliis notabilem horrorem afferat, aut indecentiam præferat. Hæc præsertim prudenti æstimatione ab Episcopo determinanda erunt.[4] — S. C. C. vero difficiliorem se præbet in hujusmodi dispensationibus concedendis

[1] Cfr. Ferr. V. Irreg. art. 1. n. 47.
[2] L. VII. 398 sq.
[3] Ib. 402.
[4] L. I. Decr. T. XX. c. 2.

cum oratore ad Ordines promovendo, quam cum jam promoto.[1]

Hinc irregulares habentur:

1° *Mutilati*, crus ligneum gerentes, manu, pollice, aut indice uti non valentes.

2° *Cæci*, visu totaliter carentes, vel ita cæcutientes, ut in Missali legere nequeant. Dispensantur tamen, præsertim quando non sunt omnino cæci, sub debitis cautelis a Pontifice, si sacerdotio jam insigniti sint et constet, eos in celebratione non errare.[2]

3° *Surdi*, qui nihil audiunt, ita ut nullatenus vocem ministri respondentis audire queant, non vero surdastri,[3] licet dispensationem, *petitam*, S. C. C., perpensis precibus, *ad cautelam* concesserit, 29 maii 1869.[4]

4° *Muti* aut *balbutientes*, qui verba integra pronuntiare non possunt, aut nonnisi cum magna difficultate, ita ut risum aut contemptum adstantium moveant.

5° *Claudi*, qui sine baculo altare adire non valent.

6° *Carentes naso*, aut enormiter distortum, demissum, aut productum habentes.

7° *Monstruosi*, v. g. habentes gibbum enormem, qui magnam inducat deformitatem, etc., n. 1333. q. 2°.

8° Nigritæ, "non tamen inter suos, sed alienos" i. e. inter homines albi coloris, "ubi disparitas ludibrio est," ut ait Busembaum apud S. Alph., quamvis, ut idem S. Doctor addit, alii hoc negent. "Color autem," ait, "subfuscus" (*mulattoes*), "sive rubeus" (cupreus *Indians*) non nocet altari."[5]

1760. Quæsita. — Quær. 1° *An sit irregularis, qui uno oculo caret?*

Resp. 1° *Neg.*, si caret tantum oculo dextero, quia minus necessarius est ad Missæ celebrationem, modo notabilis inde non nascatur deformitas.

Resp. 2° *Affirm.*, si caret oculo sinistro, qui dicitur *Oculus Canonis*, quia necessarius est ad Canonem Missæ legendum. Excipe, nisi Canonem oculo dextero sine deformitate legere possit. Hoc autem judicio Episcopi subjiciendum est.[6]

Quær. 2° *An possit celebrare, et Eucharistiam ministrare, qui, jam ad Sacerdotium promotus, habet pollicem vel indicem impeditum?*

Resp. 1° *Neg.* quoad Missæ celebrationem, juxta *communem*.[1]

Resp. 2° *Neg.* etiam *per se* quoad Eucharistiæ administrationem, exceptis tamen casibus necessitatis, in quibus aliis digitis uti potest. Vide n. 1293. q. 1°.

III. *Ex defectu natalium.*

1761. — Defectus natalium inducit irregularitatem. Constat ex Jure Can.[2] Hinc:

1° Irregulares sunt illegitimi, etiam occulti, seu quicumque nati sunt ex fornicatione, adulterio, vel incestu.

2° Qui nati sunt ex Matrimonio, quod, omissis absque dispensatione proclamationibus, celebratum est cum impedimento dirimente, licet a sponsis ignorato.[3]

3° Non vero sunt irregulares:

a) Illegitimi tempore suæ conceptionis, quorum parentes tunc temporis (vel, juxta sententiam S. Alphonso[4] valde probabilem, tempore nativitatis tantum) habiles erant ad contrahendum Matrimonium, et postea contraxerunt, quia per Matrimonium subsequens legitimati sunt.[5]

b) Illegitime nati ex Matrimonio publico, sed invalido ob impedimentum ab uno saltem ignoratum.[6]

c) Filii nati ex infidelibus, quorum Matrimonium validum fuit secundum naturam (et, in sententia communiori, de qua n. 1574. q. 1°, secundum civiles eorum leges), quamvis invalidum secundum Jus Canonicum.

d) Expositi, de quorum parentibus non constat.[7]

Quær. *Quomodo tollatur irregularitas ex defectu natalium?*

Resp. Tollitur: 1° per legitimum subsequens Matrimonium parentum, ut modo dictum est; 2° per Professionem religiosam ad effectum n. 1757. q. 5°. R. 4° declaratum; 3° per legitimam dispensationem sive S. Sedis, sive, ad effectus n. 1144. I. 4° designatos, Episcopi.

[1] Acta, T. I. p. 612.
[2] L. VII. 404.
[3] Ib. 405.
[4] Acta, T. IV. p. 594.
[5] L. VII. 403 sq. quoad omnia et 412.
[6] Ib. 404.

[1] L. VI. 244. L. VII. 408.
[2] L. I. Decr. T. XVII. c. 1. 18.
[3] L. VII. 425.
[4] Ib. 422.
[5] Ib. 420 sq.
[6] Ib. 424.
[7] Ib. 432.

IV. *Ex defectu ætatis.*

1762. — 1° Irregulares habentur, qui ætatem canonicam non attigerunt.

2° Qui scienter Ordines suscipiunt ante canonicam ætatem, peccant graviter.

Quænam pro singulis Ordinibus ætas requiratur, vide n. 1523. q. 2°.

V. *Ex defectu libertatis.*

1763. — Ex triplici vinculo oritur libertatis defectus, scilicet ex vinculo servitutis, Matrimonii et officii. Hinc irregulares sunt:

1° Omnes servi proprie dicti, donec plenam libertatem consequantur.

2° Uxorati, qui Ordines suscipere non possunt, nisi de consensu uxoris castitatem voventis et Religionem ingredientis, saltem si juvenis sit, vel nisi ob uxoris adulterium divortium juridice factum sit, vide n. 1521. 10°.

3° Qui ex officio et juramento negotiis sæcularibus implicantur, ut judices, magistratus, etc., quousque durat istud officium, nisi habeant specialem dispensationem Papæ, vel nisi consuetudo, sciente Papa, id permittat.[1]

VI. *Ex defectu Sacramenti.*

1764. — Per defectum Sacramenti intelligitur in præsenti casu Sacramentum Matrimonii pluries receptum, seu bigamia. Patet bigamos esse irregulares ex Jure Can.[2] Ratio autem convenientiæ est, quia in bigamia deficit perfecta significatio unionis Christi cum Ecclesia, quæ unio est omnino simplex, et non multiplex. Id vero illatum est ex Apostolo:[3] *Oportet . . . Episcopum . . . esse unius uxoris virum.*

Bigamia de Jure Can. triplicis est generis, scilicet bigamia *vera*, *interpretativa*, et *similitudinaria*.

1° *Vera* habetur, cum quis plures successive uxores valide ducit, et cum singulis Matrimonium consummat eo modo, quo dictum est n. 1589. II.[4]

2° *Interpretativa* est, qua quis ex interpretatione juris ut bigamus habetur, licet unicam duxerit uxorem. Talis est: 1) qui ducit, etiam invalide, viduam a suo priori marito cognitam; 2) qui ducit mulierem quamlibet *ab alio* corruptam, etsi bona fide putasset virginem, et (juxta sententiam, cui S. Alph. adhæret) licet invalide; 3) qui propriam uxorem cognoscit post adulterium, licet sibi incognitum (ut docet *communis* et *verior* sententia) vel etiam occultum (juxta sententiam, quæ S. Alph° magis arridet), ab ea commissum; 4) qui contrahit et consummat duo Matrimonia, unum validum, et alterum invalidum, licet in bona fide. Imo, etiamsi utrumque Matrimonium esset invalidum, irregularis fieret, qui utrumque consummaret. Evincitur ex variis locis Juris Can.

3° *Similitudinaria*, cum quis contrahit et consummat Matrimonium post votum solemne Religionis, aut Ordinem Sacrum susceptum, licet nullum sit Matrimonium. Ratio est, quia ille merito censetur duo Matrimonia contraxisse, primum spirituale cum Christo, secundum carnale cum muliere.[1]

VII. *Ex defectu lenitatis.*

1765. — Irregularitatem ex defectu *lenitatis* contrahunt quicumque voluntarie, active, efficaciter (i. e. effectu secuto) et proxime ad necem vel mutilationem alicujus, licet juste, concurrunt per actionem natura sua ad id ordinatam.[2]

Resolves. — 1° Sunt irregulares carnifices, judices, et omnes, qui hujusmodi judicio vel juridice, vel (quo casu irregularitas ex delicto incurritur) injuste et cum peccato cooperantur. *Excipe:* 1° testes coactos et, ut mihi quidem ob eamdem coactionis rationem videtur, *juratos* (n. 1056); 2° accusatores, damnorum suorum compensationem petentes. — Proinde Clerici, qui supplicio capitali sine causa sufficiente, v. g. ex curiositate, adsistunt, irregulares non fiunt, modo in pœnam efficaciter non influant; in Majoribus constituti tamen venialiter peccant.

2° Non sunt irregulares medici et chirurgi, licet membra abscindant, aut mortem remediis bona fide datis accelerent, nisi gravis negligentia intercedat, quo in casu irregularitas *ex delicto* oritur.

3° Nec Clerici medicinam aut chirurgi-

[1] L. VII. 456.
[2] L. I. Decr. T. XXI.
[3] I. Tim. 3. 2.
[4] L. VII. 436. 442. L. VI. 1075.

[1] L. VII. 436 sq. [2] Ib. 457 sq.

am exercentes citra incisionem et adustionem. Imo nec si incisionem aut adustionem in casu necessitatis adhibeant; necessitas enim nulla lege regitur. Imo nec extra necessitatem, si Clerici non sint in Sacris constituti, modo (ex gravi culpa) mors aut mutilatio non sequatur.

4° Non sunt irregulares, qui aggressorem occidunt in justa defensione, quia non censetur defectus lenitatis vitam propriam, servato moderamine inculpatæ tutelæ, defendere etiam cum morte injusti aggressoris.

5° Milites non fiunt irregulares in bello justo defensivo, nec in justo offensivo, nisi propria manu occiderint vel mutilaverint; in bello autem injusto totus exercitus fit irregularis, etiamsi unus tantum homo pereat.[1]

VIII. *Ex defectu famæ.*

1766. — Infamia duplex distinguitur: 1° infamia *facti*, quæ contrahitur ante quamlibet sententiam ex notorietate alicujus criminis enormis, vel per exercitium artis ignominiosæ et quæ sine gravi peccato exerceri nequeat; 2° infamia *juris*, quæ triplici modo contrahitur, scilicet ex crimine in Jure sive civili (dummodo ab Ecclesia infamia admitti possit), sive canonico notato, ex judicis sententia, et ex crimine parentum.

1767. Quæsita. — Quær. 1° *Quænam sint crimina, quibus* ex jure *adnexa est infamia?*

Resp. Sunt sequentia: homicidium, perjurium factum in judicio, simonia, sodomia, lenocinium, proditio, adulterium, exercitium usurarum, invasio Cardinalium vel Episcoporum, raptus mulierum, duellum, paratio armorum contra parentes, etc. Non incurritur tamen irregularitas, nisi hæc crimina sint vere notoria sive facto, sive jure; secus enim fama non deficit.[2]

Quær. 2° *An sint irregulares innocentes, qui ex falsis testimoniis ad pœnas infamantes damnati fuere?*

Resp. Affirm., donec sententia fuerit revocata, vel legitimam dispensationem obtinuerint; ratio, quia de facto sunt infames.

[1] Quoad omnia, L. 457 – 468 et 384. 385.
[2] L. VII. 362 sq.

Irregularitas ex infamia facti cessat, tum per Baptismum, tum per emendationem notoriam, saltem per triennium perseverantem, absque dispensatione; secus, si de infamia juris agatur. Salmanticenses tamen non improbabile putant et hanc per Baptismum tolli.[1]

ARTICULUS II.

DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.

1768. — Quintuplici ex capite irregularitas ex delicto incurritur, scilicet: 1° ex mala Baptismi susceptione, et ex ejus iteratione; 2° ex mala Ordinum susceptione et usurpatione; 3° ex censuræ violatione; 4° ex quorumdam criminum enormium patratione; 5° ex homicidio et mutilatione.

Hæc versiculo sequenti exhibentur:

Fonte reus, sacris, censura, crimine, letho.

I. *Baptismi iteratio atque mala susceptio.*

1769. — Hinc irregularis est:

1° Qui in adulta ætate Baptismum ab hæretico declarato scienter (ut puto) suscepit extra casum necessitatis, quia ejus errori communicare videtur.

2° Qui publice et solemniter rebaptizat; item qui scienter rebaptizatur; item Clericus assistens Baptismo iterum collato.[2]

Juxta Bened. XIV.[3] fit irregularis, qui rebaptizat etiam sub conditione culpabiliter, seu sine causa justa. Sed hoc ipse tenet ut Doctor particularis, contra S. Alph.[4] et multos alios. Porro ad irregularitatem contrahendam requiritur certitudo.

Quæsita. — Quær. 1° *An fiat irregularis, qui occulte, et non solemniter, rebaptizat?*

Resp. Videtur negandum *probabilius*; quia in Jure Can. videtur agi tantum de eo, qui publice rebaptizat.[5]

Quær. 2° *An sit irregularis rebaptizans vel rebaptizatus ex metu gravi, sine intentione?*

[1] L. VII. 364.
[2] Ib.
[3] De Syn. L. VII. c. VI.
[4] L. VII. 356.
[5] Ib.

Resp. Neg., probabiliter, licet metus non tollat voluntarium, nec a peccato excuset.[1]

II. *Ordinum usurpatio aut illicita susceptio.*

1770.— 1° *Usurpatio.* Irregulares sunt, qui serio, scienter ac solemniter exercent actum Ordinis Sacri, quem non habent, v. g. si non diaconus canat Evangelium cum stola, vel non subdiaconus Epistolam cum manipulo. *Probabilius* tamen soli Clerici huic irregularitati subjacent.

2° *Susceptio illicita.* Sic irregularitatem incurrunt, qui furtive ordinantur, i. e. non approbante Episcopo (quoad ascensum ad Ordinem superiorem), — vel qui plures Ordines, quorum unus Sacer est (sed vide n. 1523. q. 4°. § *Graviter autem*), eodem die recipiunt. — Item qui ordinantur ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, hæretico, schismatico, aut simoniaco.[2]

III. *Violatio censuræ.*

1771. — Irregulares sunt, qui vinculo alicujus censuræ ligati *scienter*, *sine causa sufficienti*, ac *solemniter* exercent Ordinem Sacrum, quatenus ab eo exercendo per censuram, eamque coram Deo validam, prohibentur.

Dixi: 1° *scienter;* nam irregularitas hæc ob contemptum tantum censuræ a Jure decernitur.

Dixi: 2° *sine causa sufficienti,* — i. e. quin excusetur ratione gravis mali, scandali, infamiæ, etc.; nam leges humanæ cum gravi incommodo non obligant, — vel, si de tolerato agitur, quin ab aliis requisitus fuerit (n. 1673. Notandum 3°).

Dixi: 3° *solemniter.* Vide n. 1770. 1°.

Dixi: 4° *quatenus ab eo exercendo per censuram,* scil. proprie dictam, non per suspensionem sive oretenus (n. 1686), sive ad tempus et per sententiam particularem ob delictum *omnino* præteritum latam. Ita sententia S° Alphonso absolute probabilior. Excipe, si violetur suspensio ex informata conscientia lata, ut decidit S. C. C. S. Alphonsus de hac exceptione silet.

Dixi: 5° *Eamque coram Deo validam.* Ex dec. S. C. C. 19 jul. 1704 et 11 sept. 1717.

1772. *Resolves.* — 1° Duplicem incurrit irregularitatem, qui duplici censura ligatus Ordinem Sacrum exercet; et hæc in postulatione dispensationis exprimi debent.

2° Irregularis est sacerdos, qui ab Ordine suspensus, sacramentaliter absolvit; quia etiam absolvere est actus potestatis Ordinis, non vero actus solius jurisdictionis, qualis esset v. g. actus excommunicandi, confessarios approbandi, assistendi Matrimonio (quin solemniter benedicat), concionandi, a votis dispensandi, etc.[1]

IV. *Crimina enormia.*

1773. — Hac appellatione intelliguntur *hæresis* et *apostasia* a Fide. Hanc irregularitatem incurrunt etiam hæreticorum et apostatarum fautores, receptatores, defensores, imo et ipsorum filii.[2] Hæc autem crimina, ut irregularitatem inducant, debent esse publica; hinc irregularitas ista in irregularitatem ex defectu famæ recidit, ut ait S. Alph.[3] In regionibus tamen, ubi impune grassantur hæreses, hæretici, et a fortiori eorum filii, juxta multos non habentur irregulares. Ab Episcopis autem nostris, ratione facultatis p. LXX. n. 2 allegatæ, facile ad cautelam dispensari possunt.

V. *Homicidium et mutilatio.*

1774. Principium.— Irregularitas incurritur ex homicidio voluntario et graviter culpabili, etiam occulto, sive directe sive indirecte volito, per actionem sive physicam sive moralem patrato. Idem est dicendum quoad mutilationem.

Mutilatio intelligitur, quando a corpore separatur aliquod membrum principale, seu pars corporis, quæ officium per se distinctum habet, v. g. *pes, manus, oculus,* etc.[4]

1775. *Resolves.* — 1° Sunt irregulares, qui causa sunt immediata mortis alicujus, etiamsi illos pœniteat antequam læsus

[1] L. VII. 356. [2] Ib. 358–361.

[1] L. VII. 171. 357. 358.
[2] L. V. T. II. c. 2. 15 in 6°.
[3] L. VII. 362.
[4] Ib. 379.

moriatur. Ratio est, quia causa physica necessario operatur. Item qui alios aut seipsos mutilant. Si quis lethaliter hominem percusserit, et alter occiderit, uterque est vere homicida.

2° Sunt irregulares mandantes, et consilium dantes, effectu ex consilio vel mandato secuto. Excipe, si ante executionem mandatum retractaverint, et retractatio mandatario innotuerit.

3° Item cooperantes, ut homicidium celerius, audacius, aut securius fiat. Sic irregulares fiunt: 1) qui se mutuo excitant, licet unus solum occidat; 2) omnes præliantes in bello injusto, si ibi aliquis pereat; 3) qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium; 4) omnes accusatores, judices et testes injusti.

4° Item consentientes, si consensus in homicidium efficaciter influxerit. Unde non est irregularis, qui homicidium, etiam suo nomine vel grâtia factum, approbat, quia in illud non influxit.

5° Non fiunt irregulares, qui dant operam rei licitæ, adhibita sufficienti diligentia ne accidat homicidium. Hinc non sunt irregulares: 1) qui committunt homicidium casuale, nisi interveniat negligentia graviter culpabilis; 2) nec ii, qui infirmo bona fide aliquid cibi vel potus nocivi præbent, vel, si illum moventes aut volventes, causa sint, cur decedat; 3) nec medici, qui pharmacum mortiferum infirmis dederunt, modo sint periti, aut bona fide agant. Excipe tamen Clericos in Sacris, incisione aut adustione operantes præter necessitatis casum.[1]

1776. Quæsita. — Quær. 1° *An incurrat irregularitatem, qui dans operam rei illicitæ, aliquem occidit, v. g. si Clericus in venatione illicita casu hominem occidat?*

Resp. Neg., probabilius. Ratio est, quia homicidium neque in se, neque in causa est voluntarium: opus enim positum, etsi de se illicitum, non est *per se* mortiferum; secus autem, si, ratione circumstantiarum, proximum mortis periculum alicui induceretur, ut v. g. si quis tormento bellico ignem admoveret, ubi est populi frequentia.[2]

Quær. 2° *An fiat irregularis, qui occidit alium ob suæ aut innocentis vitæ defensionem?*

Resp. ad 1^um^ *Neg.*, nisi excedat *moderamen inculpatæ tutelæ.* Ratio est, quia nullius culpæ reus est. Consule S. Alph.[1] Cfr. n. 467. II.

Resp. ad 2^um^ *Neg.* pariter. Ratio est, quia irregularitas ex homicidio privato non incurritur, nisi cum peccato mortali, ut eruitur ex Jure Can.[2] — Ita S. Alph.[3]

Quær. 3° *An fiat irregularis, qui occidit alium ob defensionem libertatis, honoris vel bonorum temporalium, cum moderamine inculpatæ tutelæ?*

Resp. Neg., juxta *communiorem* et *probabiliorem* sententiam. Evinci videtur ex Jur. Can., cujus loca apud S. Alph.[4] observare est. Insuper, cum ibi nullum adsit peccatum, non potest incurri irregularitas, nisi ob defectum lenitatis: porro irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, nisi in casibus in Jure expressis: casus autem præsens in Jure non reperitur. Ergo.

Quær. 4° *An habendus sit veluti irregularis, qui dubitat an homicidium patraverit, necne?*

Resp. Vide n. 1757. q. 3°. R. 2°.

Quær. 5° *An sit irregularis, qui dubitat utrum in alterius mutilationem influxerit, posito mutilationis facto?*

Resp. Neg. Ratio est, quia pro solo dubio homicidii lex irregularitatem imposuit.[5]

Quær. 6° *An habendus sit tamquam irregularis, qui abortum procuravit, dubitans an fœtus animatus esset, nec ne?*

Resp. Neg. Ratio est, quia tunc non constat proprie de homicidio. — Hinc irregularitas non incurritur, nisi post octogesimum a conceptione diem abortus procuratus fuerit; nam in praxi sua pœnali Ecclesia, quousque contrarium non constat, censenda est sequi opinionem, juxta quam mares quadragesimo, fœminæ octogesimo a conceptione die animantur, et in casu semper dubius erit fœtus sexus.[6]

[1] L. VII. 367 sq. [2] Ib. 387.

[1] L. VII. 388.
[2] L. V. Decr. T. XII. c. 14.
[3] L. VII. 388.
[4] Ib. 389.
[5] Ib. 347. Dub. 2.
[6] L. IV. 396. L. VII. 347. Dub. 4.

APPENDIX DE INDULGENTIIS ET JUBILÆO.

NOTA. — Quoties in hac Appendice citatur, — *Prinzivalli* vel *Prinz.*, intelligitur ejus opus : *Resolutiones seu Decreta authentica S. Congûis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis præpositæ*, etc. Hæc collectio *authentica* est. — *Ulrich C. SS. R.*, intelligitur hujus opusculum a S. C. Ind. approbatum : *Trésor spirituel*, etc., — *Maurel, S. J.*, intelligitur opus ejusdem : *Le chrétien éclairé*, cujus 2ª ac 12ª editio gaudent approbatione S. C. Indulg., — *Bouvier*, intelligitur opus ejusdem : *Traité Dogmatique et pratique des Indulgences*, — *Loiseaux*, intelligitur opus ejusdem : *Traité canonique et pratique du jubilé.*

CAPUT I.

DE INDULGENTIIS.

1777. — *Indulgentia*, ut vox ipsa indicat, idem est ac gratia, condonatio, misericordia, remissio. Indulgentia enim est condonatio pœnæ peccatis debitæ per applicationem satisfactionum Christi et Sanctorum : nam Christus Salvator noster Deo Patri pro plena peccatorum nostrorum remissione suas satisfactiones obtulit. Hæ autem satisfactiones pretii infiniti, quibus accedunt etiam satisfactiones Beatæ Virginis, necnon satisfactiones superabundantes Sanctorum, dicuntur Ecclesiæ *thesaurus*, de quo per *Indulgentias* participamus.

Definitio. Indulgentia est remissio pœnæ temporalis Deo debitæ pro peccatis post Baptismum commissis et quoad culpam remissis, concessa a legitimo ministro, extra Sacramentum Pœnitentiæ, per applicationem thesauri Ecclesiæ.

Divisio. Multipliciter Indulgentia distinguitur.

1° *Plenaria* vel *partialis*, prout integra pœna temporalis remittitur, vel ejusdem pars tantum.

2° *Personalis, localis, realis*, prout conceditur immediate personis, v. g. Confraternitati ; vel est affixa alicui loco, v. g. Templo, Oratorio, etc. ; aut adnectitur alicui rei portatili, v. g. Imagini, Cruci, Rosario, etc. — *Realis* tamen fere semper est simul *personalis*, cum, paucis exceptis, solus dominus rei, cui annexa est, eam lucrari valeat.

3° *Temporalis* aut *perpetua*, prout ad tempus determinatum, aut sine ullo termino præfixo conceditur.

1778. PRINCIPIA. — I. Ecclesia habet veram potestatem Indulgentias concedendi. . . . Est de Fide contra Protestantes. — Argumenta vide apud Dogmaticos.

II. Soli Ecclesiæ Prælati potestatem habent Indulgentias concedendi. Etenim hæc facultas competere iis solum potest, qui habent potestatem in corpus mysticum Christi, et qui thesaurum Ecclesiæ dispensare possunt. Hinc :

1° Solus Papa Indulgentias concedere potest respectu omnium fidelium ; ille enim solus habet jurisdictionem in fideles universos. De harum recognitione et publicatione vide n. 195. 1192. 7°, et nota præterea sequentia :

a) Illicita est publicatio Indulgentiarum *localium* sine recognitione et licentia Ordinarii ; neutra tamen ad valorem harum indulgentiarum requiritur.

b) Indulgentiæ, privilegia et facultates personales non necessario exhibendæ sunt Ordinario, nisi *vel* agatur de facultate erigendi Viam Crucis, *vel* aliter disponatur in obtentis concessionibus.

c) Indulgentiæ, quas Summi Pontifices omnibus totius orbis fidelibus concessere in bullis seu rescriptis, jam publicatis ab auctoribus probatissimis, v. g. a *Ferraris*

vel contentis in *La Raccolta*, non indigent promulgatione Ordinariorum.[1]

De Indulgentiis Confraternitatum vide n. 1790. q. 2°. R. 4).

2° Episcopi, modo Sedem habeant, i. e. jurisdictione Episcopali gaudeant (agitur enim de actu jurisdictionis, non Ordinis), possunt de jure *communi* concedere Indulgentias suis diœcesanis. Sed ex Decreto Conc. Lateran. IV.[2] ita restricta est eorum potestas, ut non possint *ordinarie* concedere nisi Indulgentias 40 dierum, et, in die consecrationis Ecclesiæ, unius anni. — Dixi: *diœcesanis*. Locales enim *generatim* concessas etiam alienigenæ lucrari valent.[3] — Prædictas autem Indulgentias Episcopi concedere possunt in perpetuum.[4] — Vetitum tamen est, ne *eidem* objecto, v. g. per successorem Episcopi, alia Indulgentia 40 dierum applicetur.[5] Indulgentias, quas Episcopi nostri, vi facultatis Apostolicæ, concedere possunt, vide p. LXXI. n. 14. 17. 18. 19. 20, et p. LXXIII. n. 7. 8. 9. 10.

3° Delegatus easdem Indulgentias concedere potest, ac ille, a quo fuit delegatus. Ratio est, quia actus jurisdictionis per delegatos exerceri possunt.

4° Cardinales possunt concedere Indulgentias 100 dierum in ecclesiis suorum titulorum. — Nuntii 100, vel 200, aut 300 dierum, sed minus quam unius anni, subditis suis.[6]

5° Prælati Episcopo inferiores non possunt ullas Indulgentias concedere; — neque Vicarii Generales, nisi ex delegatione expressa Episcopi; — neque Vicarii Capitulares, aut apud nos Administrator, Sede vacante; — multo minus Parochi.[7] Excipe, ut per se patet, sacerdotes, quibus facultates, de quibus sub 2° *in fine*, sive ab Episcopo, sive, Sede vacante, ab Administratore communicantur.

Nota. — Communicatio meritorum Ordinis, quam quandoque Superiores Regularium insignibus benefactoribus concedunt, non est largitio Indulgentiarum, sed, ut ait Suarez, oblatio seu donatio suffragiorum tantum.[1]

III. Quatuor requiruntur in subjecto ad Indulgentias lucrandas:

1° Ut sit baptizatus, — quia thesaurus Ecclesiæ infidelibus dispensari nequit; — et non sit excommunicatus excommunicatione majore; hæc enim privat communione bonorum spiritualium.

2° Ut sit subditus concedenti, ut constat ex dictis h. n. sub II. 2°.

3° Ut opera injuncta tempore, modo, loco præscripto impleat, quia sub hac conditione conceduntur Indulgentiæ.

Sic: a) Quoad *modum* requiritur aliquando ut oratio aliqua, v. g. *Sacrosanctæ*, etc. flexis genibus recitetur. Vide n. 1116. 2°. — Preces vero, quibus annexæ sunt Indulgentiæ, recitari possunt quocunque idiomate, "dummodo versiones sint fideles. . . . Ut vero constet de fidelitate versionis, sufficit declaratio S. Cgñis Indulg., . . vel unius ex Ordinariis loci, ubi vulgaris est lingua, in quam vertitur oratio." Sic S. C. Ind. 4 dec. 1872.

b) Quoad *locum* conditio sæpe est, ut ecclesia parochialis vel publicum oratorium visitetur, quo casu *per se* non sufficit, ut e. g. seminaristæ visitent oratorium seminarii, si fideles ad illud publice non solent accedere.[2] Testatur tamen Maurel[3] Romæ admissum esse, ut qui in Communitate vivunt et facultatem pro libitu exeundi non habent, in oratoriis suis domesticis, licet publice non patentibus, omnes Indulgentias lucrari possint, quibus conditio visitationis ecclesiæ seu oratorii publici apposita est.

c) Quoad *tempus*:

1) Si indulgentia concedatur a primis Vesperis (quæ, juxta S. Alph.,[4] a meridie incipiunt), etiam ab hoc tempore (usque ad solis occasum ipsius Festi) opera præscripta valide peraguntur;[5] secus solummodo ab ortu usque ad occasum solis, nisi indultum plus concedat.[6] — Incipit vero Indulgentia a primis Vesperis, si concessa sit intuitu Mysterii vel Sancti illo die co-

1 Prinz. DVI. DLVI.
2 Can. 62.
3 Bouvier, P. I. ch. II. § 2.
4 Ferrar. V. Indulg. a. II. n. 8.
5 Maurel, P. I. § 3.
6 Lacroix, n. 1321. 1322.
7 Ib. n. 1323.

1 Maurel, P. I. § 3.
2 Prinz. DXL.
3 P. I. § VII.
4 L. V. 173. Cfr. Ulrich, P. I. ch. IV. a. III. § 1. p. 57 (2).
5 Prinz. n. DXI. 4°.
6 Ib. n. CCXIV.

lendi. In aliis casibus consulantur litteræ concessionis.[1]

2) Cum Festi *solemnitate* transfertur quoque Indulgentia.[2]

3) Indulgentiæ concessæ *in Festis* vel *in omnibus et singulis Festis Domini*, aut etiam *in Festis* vel *in omnibus Festis* vel *in omnibus et singulis Festis D. N. J. C.*, semper intelliguntur tantum Festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Dominicæ Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Christi; ac pariter declaravit S. C., ut, quoties in concessione inveniantur verba *in Festis* vel *in omnibus Festis* vel *in omnibus et singulis Festis B. M. V.*, semper intelligantur dumtaxat Festa Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis.[3]

4) Indulgentia semel in mense vel in anno, operibus aut precibus quibusdam per mensem aut annum perficiendis annexa, non acquiritur nisi operibus aut precibus præscriptis per mensem aut annum prævie et realiter persolutis. Mensis vero non necessario a prima ad ultimum diem computandus est, nec annus a 1ª jan. usque ad 31 dec.; sed sumi poterunt 30 dies, aut 12 menses.[4]

4° Ut sit in statu gratiæ, saltem (nisi concessio aliud exigat[5]) quando ultimum opus præscriptum ponit; quia non remittitur pœna, nisi dimissa culpa. — Quod spectat sensum clausulæ: *qui vere pœnitentes, confessi ac S. Communione refecti ecclesiam visitaverint*, ex decr. S. C. I.,[6] visitatio ecclesiæ præscripta sive ante, sive post aliorum piorum operum implementum valide fit.[7]

Quid vero, si opus præscriptum fiat cum culpa veniali ex parte finis vel circumstantiarum? Juxta S. Alph.[8] hoc Indulgentiæ non obest, nisi culpa afficiat substantiam operis, uti v. g. si quis det eleemosynam mere ob vanam gloriam. Cfr. etiam n. 1779. q. 2°. q. 3°.

5° Ut opera perficiantur per actum humanum; non enim sufficit actus mere materialis.

6° Ut debita intentio adsit. — Cfr. n. 1779. q. 15°.

7° Ut opera fiant per eum, qui Indulgentiam lucrari intendit, excepta eleemosyna, quæ etiam per alium fieri potest.[1]

8° Non satisfit tandem operibus requisitis per opera, ad quæ quis jam alio titulo obligatur, nisi Indulgentia præcise hisce operibus concessa sit, vel intentio concedentis hac de re sufficienter pateat. Cfr. Ben XIV.,[2] Prinz.[3]

Pro *indulgentia plenaria* insuper, saltem ordinarie, hæcce requiruntur:

1) Confessio sacramentalis. Cfr. n. 1779. q. 10° et 11°.

2) Communio. Hæc sicut et Confessio die præcedenti fieri potest. — S. C. I. 6 oct. 1870.[4] Quoad Jubilæum tamen vide n. 1786. q. 7°.

3) Preces *vocales* (quoad surdo-mutos cfr. n. 1779. q. 17°) juxta intentionem concedentis. Etiam cum socio alternatim recitari possunt.

Ad *quæsitum* autem: An sufficiant quinque *Pater* et *Ave*, quæ recitari solent ad implendam Summi Pontificis intentionem, quando præscriptum est, ut visitetur ecclesia vel altare, ibique fundantur preces, . . . respondit S. C. I.[5] "Preces requisitæ in Indulgentiarum concessionibus ad adimplendam Summi Pontificis intentionem sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter adsignentur. Monet tamen Ben. XIV.:[6] "Licet oratio brevis, cum sensu ferventis pietatis adhibita, præscripto ac legi Constitutionis" (Indulgentiam promulgantis) "satisfacere possit, plerumque tamen orationis brevitas ex modico pietatis studio aut parum propenso ad res spirituales animo, sive tædio negligentiaque proficisci solet." — Sufficiunt porro, juxta communem sententiam, 5 *Pater* et *Ave*, vel oratio æquivalens. — Quoad *ægrotos*, vide n. 1779. q. 18°.

1779. QUÆSITA. — Quær. 1° *An sit valida concessio Indulgentiæ facta sine causa?*

Resp. Neg. Ratio est, quia Prælati Ecclesiæ non sunt nisi delegati Christi

[1] Maurel, P. I. ch. VII.
[2] Prinz. n. DCXXVII.
[3] S. C. Indulg. 18 sept. 1862.
[4] Ulrich, P. I. ch. IV. a. III. § 2. II. p. 60.
[5] Maurel, P. I. ch. VII. 2°.
[6] Prinz. n. CCXLI.
[7] Cfr. Ben. XIV. Inst. 48.
[8] L. VI. 533. 534. II.

[1] Ferrar. V. Indulg. a. II. n. 41.
[2] Inst. 53. n. 6.
[3] n. DXI. 2°.
[4] Acta, T. VI. p. 197.
[5] Prinz. n. DXI. 3°.
[6] C. Inter præteritos, 3 dec. 1749. § 83.

ad thesaurum Ecclesiæ dispensandum. Christus autem nequit ratas habere profusiones thesauri sui a dispensatoribus propriis factas. Cæterum non est fidelium, nec simplicium sacerdotum, judicare de sufficientia causæ, ob quam Indulgentia conceditur; debent enim simpliciter existimare justam esse.[1]

Quær. 2° *An peccatum veniale sit obex ad lucrandam Indulgentiam?*

Resp. Neg., nisi agatur de Indulgentia *omnino* plenaria, seu *plenissime* plenaria. Ratio est, quia quamvis remitti non possit pœna huic peccato debita, potest tamen remitti pœna debita pro aliis peccatis jam deletis. Sicut enim non repugnat culpam alicujus peccati venialis remitti, quin aliorum culpa remittatur; sic nec repugnat deleri pœnam venialium aut mortalium remissorum, quamvis solvenda remaneat pœna pro uno aut pluribus venialibus.[2]

Quær. 3° *An Indulgentia, quæ conceditur ut* PLENARIA, *possit* PARTIALITER *saltem obtineri, si adsit obex impediens quominus integre obtineatur, v. g. affectus ad aliquod veniale?*

Resp. Affirm. Ratio est, 1° quia, ex dictis in quæsito præcedenti, non obstat peccatum veniale aliquod non remissum, quominus pœna pro aliis debita remittatur; 2° quia Summus Pontifex, concedendo Indulgentiam plenariam, non præsumitur illam velle restringere tantum ad eos, quibus remittuntur omnia venialia; sed potius merito censetur eam concedere juxta capacitatem subjecti, ita ut remittatur saltem pœna, quæ remitti potest, nempe pœna peccatorum jam remissorum. Secus enim Indulgentiæ plenariæ plerumque nihil prodessent, cum raro fideles affectum omnem, vel minimum, erga quodlibet veniale exuant, ac sufficientem dolorem de omnibus venialibus ita concipiant, ut omnium remissionem consequantur. Hinc fieret, ut potiores essent Indulgentiæ partiales quam plenariæ, quod sensui communi repugnat.[3]

Nonnulli tamen docent, Indulgentiam plenariam non concedi nisi *plenarie* seu *plenissime*, sicuti aiunt, ita ut totum vel nullum effectum sortiri debeat. Sed hæc sententia non apparet probabilis.

[1] L. VI. 532. [2] Ib. 534 sub 19.
[3] Ib. 534 sub 19.

Quær. 4° *Quid intelligatur per Indulgentias* 10 *vel* 15 *dierum, annorum, quadragenarum, etc., etc.?*

Resp. Intelligenda est, juxta communem sententiam, remissio tantæ pœnæ, quanta olim remittebatur, vel remissa fuisset per pœnitentiam canonicam ejusdem temporis. Sic v. g. per Indulgentiam septem annorum tanta remittitur pœna, quanta remittebatur per pœnitentiam septem annorum juxta antiquos Canones injungi solitam. — Quanti autem valuerint *coram Deo* pœnitentiæ canonicæ, et quanti nunc valeant Indulgentiæ partiales tot dierum vel annorum, nos omnino latet; quia ignoramus qualem proportionem satisfactiones nostræ habeant cum pœna pro peccatis nostris debita. — Ita *communiter*.

Quær. 5° *An Indulgentias lucretur, qui opus pro eis præscriptum non integre perficit?*

Resp. 1° *Neg.*, si partem operis notabilem omittat, ita ut secundum æstimationem moralem illud quoad substantiam non perficiat; quia simpliciter conditionibus requisitis satisfacere non censetur.

Resp. 2° Secus, si minimam partem prætermittat; quia tunc *moraliter*, vel quoad *substantiam*, censetur perfici opus præscriptum. Pars autem minima *respective* sumenda est. Sic in Rosario omissio unius *Pater* et *Ave* minima videtur; secus vero si quinque *Pater* et *Ave* requirantur, quia omissio quintæ partis operis notabilis est.[1]

Quær. 6° *An et quomodo Indulgentiæ defunctis applicari possint?*

Resp. 1° Applicari possunt, si adsint duæ conditiones sequentes: 1° ut tanquam illis *applicabiles* in Rescripto Pontificio specialiter concedantur. Sic, ex concessione Pii IX.,[2] qui sic dictum votum seu oblationem emiserunt, qua omnia propria meritoria opera, dum in terris morantur, ac singula suffragia, cum ex hac vita decesserint, in defunctorum cedunt utilitatem, omnes omnino Indulgentias, concessas et concedendas, animabus in purgatorio detentis applicare possunt; 2° ut adsit intentio talem applicationem faciendi. — Ita omnes.[3]

Resp. 2° Indulgentia tamen nequit ap-

[1] L. VI. 534 sub 14.
[2] Prinz. n. DCXLIII.
[3] Suarez, Disp. 53. Sect. 4.

plicari defunctis per modum *absolutionis*, sed tantum per modum *suffragii*, nempe Deum deprecando ut benigne velit talem applicationem acceptare et animabus purgatorii applicare. Ratio est, quia Pontifex jurisdictionem non habet in animas defunctorum. Hinc eas absolvere a pœnis, velut per sententiam, non potest.[1]

Quær. 7° *An Indulgentia infallibiliter prosit animabus purgatorii, quibus applicatur?*

Resp. Controvertitur. SENTENTIA, quam S. Alph.[2] sequitur, *negat.* Ratio est, quia nulla adest promissio divina, vi cujus Deus censeatur Indulgentiam oblatam certo acceptare. Hinc videtur, eam tantum admittere pro suo beneplacito applicandam. Præterea Ecclesia servat usum celebrandi per complures annos ac pro eisdem animabus Sacra, v. g. anniversaria, etiam in altaribus privilegiatis, seu quibus inhæret privilegium Indulgentiæ plenariæ. Inanis autem esset illa praxis, si statim in primo Sacro illis applicato liberarentur.

Certum est autem, Indulgentias defunctis, saltem ut plurimum, prodesse; secus enim inutile quid ageret Ecclesia eas illis applicando: quod sane absque impietate dici nequit.

Quær. 8° *An applicatio specialis facienda sit certis animabus determinatis, vel generalis sufficiat?*

Resp. Sufficit applicatio generalis facta omnibus animabus in Purgatorio degentibus, quia suffragia sunt divisibilia, et proinde in omnes animas distribui possunt. Elucet aliunde ex praxi Ecclesiæ, quæ jubet Missas celebrari pro defunctis in genere, præsertim die secunda novembris. Item quando fiunt collectæ in Ecclesiis pro *animabus purgatorii*, Missæ inde celebrandæ pro omnibus in genere applicari debent. Si autem quis velit restringere applicationem suam, tunc animas quasdam specialiter determinare debet, saltem indirecte. — Quoad privilegium altaris, vide n. 1798. q. 4°. R. 3°.

Quær. 9° *An requiratur status gratiæ ad lucrandam Indulgentiam pro defunctis?*

Resp. Duplex est sententia: S° Alph° verior est *affirm.*, quia nemo potest alteri applicare Indulgentiam, nisi eam prius suam fecerit; atqui Indulgentias suas facere nequit ille, qui in statu peccati mortalis versatur: ergo.[1]

Quær. 10° *An requiratur* Confessio ET absolutio *etiam pro venialibus ad lucrandas Indulgentias, quæ conceduntur cum clausula:* contritis *et* confessis?

Resp. 1° Certo requiritur *Confessio,* non obstante statu gratiæ. Ratio est, quia, etsi Confessio tunc non sit necessaria ad remittenda peccata, requiritur tamen tamquam conditio, seu opus præscriptum. Constat ex Decreto S. C. Ind. a *Clemente* XIII. approbato, 19 maii 1759.

Resp. 2° Non requiritur autem absolutio.[2]

Nota. — Clausula: *corde saltem contrito,* quæ concessionibus partialium Indulgentiarum inseri solet, non indicat opus injunctum, sed necessitatem status gratiæ ad Indulgentiam lucrandam. Quare iis, qui jam in statu gratiæ versantur, non opus est actum contritionis elicere. Idem valet de formulis analogis: *contrito corde,* seu *contritis.*[3]

Quær. 11° *An requiratur toties Confessio, quoties lucranda est Indulgentia plenaria?*

Resp. 1° Non requiritur quoad omnes Indulgentias plenarias; sunt enim plures Indulgentiæ, pro quibus lucrandis nulla requiritur Confessio. Tales sunt Indulgentiæ pro exercitio *Viæ Crucis* concessæ. Requiritur tamen status gratiæ. Vide n. 1778. III. 4° et h. n. q. 9°.

Resp. 2° Requiritur quoad plerasque Indulgentias plenarias. Evincitur ex Rescriptis plurium concessionum. Attamen ex indulto speciali, in perpetuum concesso, fideles, qui, nisi legitime impediantur, semel in hebdomade, licet non octavo quoque die, confiteri solent, omnes Indulgentias plenarias in hebdomade occurrentes lucrari possunt, dummodo in statu gratiæ permaneant, et quin aliquid innovetur "circa Indulgentias Jubilæi tam ordinarii, quam extraordinarii, aliasque ad instar Jubilæi concessas, pro quibus assequendis, sicut et alia opera injuncta, ita et Sacramentalis Confessio, tempore in earum concessione præscripto

[1] Lacroix, n. 1336. Lugo, de Pœn. Disp. 27. n. 58.
[2] Ib.

[1] L. VI. 534 sub 10.
[2] Prinz. n. CCXLI.
[3] S. C. Ind. 17 dec. 1870. Acta, T. VI. p. 388.

peragantur." Si vero non in statu gratiæ permaneant, alia opus est Confessione, cum decretum clausulam addat: "si nullius lethalis culpæ a se post prædictam ultimam Confessionem commissæ sibi conscii sunt." Sic ex Decreto Clementis XIII. 9 dec. 1763:[1] et confirmatur etiam ex Decreto S. C. Ind. 15 novembris 1841, jam in q. 10° nota 3 citato.

Nota. — a) Episcopi non pauci, præsertim in Gallia, obtinent a Curia Romana extensionem hujus privilegii ad alteram hebdomadam, seu ad eos, qui bis in mense confitentur.

b) Confessio peracta infra hebdomadam ante Festivitatem suffragari potest ad Indulgentiam lucrandam, expletis tamen aliis conditionibus injunctis, et dummodo nullius lethalis culpæ post peractam Confessionem commissæ fideles sibi conscii sint, et nihil innovato circa Indulgentias ad formam Jubilæi concessas, ut in citato decreto 9 dec. 1763.[2]

Quær. 12° *An quis possit eadem die* diversas *aut* pluries easdem *Indulgentias lucrari?*

Resp. 1° Quoad Indulgentias *diversas*, generatim fideles eas possunt lucrari, saltem si sint partiales (de plenariis vide q. 14°), et annexæ operibus diversis, vel eisdem operibus, sed quæ pluries in die repeti possunt. — Ita *communiter* Theologi, idque ex Ecclesiæ et fidelium praxi confirmatur.

Resp. 2° Quoad Indulgentias *easdem*, id pendet a mente Pontificis Indulgentias elargientis. Unde ad litteras concessionis attendendum est, quæ si nihil determinent, standum est interpretationi et praxi communi Ecclesiæ. — Sic eodem die obtineri non possunt plures Indulgentiæ *stationum*, seu *visitationis Ecclesiæ*, ut constat ex Decreto S. C. Ind. ab Innoc. XI. approbato. — Voit.,[3] Lacroix.[4] Sic quoque Indulgentia *plenaria quotidiana perpetua* vel *ad tempus* concessa visitantibus aliquam ecclesiam seu publicum oratorium, ita semper intelligenda est, ut quocumque quidem die, sed semel tantum in anno ab unoquoque fideli acquiri possit, excepto solummodo casu, quo in Decreto concessionis favore alicujus ecclesiæ seu publici oratorii clare et explicite expressum sit, Indulgentiam plenariam reapse quotidie ab unoquoque Christi fideli rite disposito acquiri posse. Ita S. C. Ind. 15 mart. 1852.[1] E contrario lucrari licet pluries in die Indulgentias plures annexas Rosario et singulis ejus partibus, vel recitationi actuum Fidei, Spei et Caritatis, etc.; quia in Rescripto Pontificis dicitur: *toties, quoties.*

Quær. 13° *An quis eodem actu, seu opere, plures Indulgentias lucrari queat?*

Resp. 1° *Affirm.*, si opus præscriptum repeti non possit, aut non soleat *eodem die*, ut *jejunium*, *Communio*, etc., et concurrant diversæ Indulgentiæ lucrandæ, v. g. Indulgentiæ diversarum Confraternitatum, vel affixæ diversis ecclesiis, ex *diversis titulis*, et *eodem die* concessæ.

Resp. 2° *Neg.* vero, si concurrant Indulgentiæ *eodem titulo*, v. g. si quis habeat duo numismata, quorum singulis Indulgentia unius anni concessa est cum onere operum iterabilium; tunc enim plures Indulgentiæ *simul eodem tempore* obtineri nequeunt, nisi opera injuncta iterentur; talis namque censetur esse mens concedentis, cum injungat opera quæ iterari possunt. — Ita Voit.[2]

Quær. 14° *An possint acquiri plures Indulgentiæ plenariæ eodem die?*

Resp. 1° Nemo potest lucrari secundam Indulgentiam eodem tempore pro seipso, si post primam nulla pœna luenda amplius remaneat.

Resp. 2° Secus *affirm.*, servatis tamen respective aliis conditionibus appositis, v. g. repetitis ecclesiæ visitationibus, et ex ea egrediendo atque in eam denuo ingrediendo.[3]

Quær. 15° *An vel qualis intentio requiratur ad lucrandas Indulgentias?*

Resp. 1° Certo requiritur intentio saltem virtualis, quoties Indulgentia conceditur cum certa intentione sibi proponenda, v. g. orandi pro felici statu Ecclesiæ, vel quoties intentio lucrandi Indulgentiam requiritur ad obtinenda privilegia Indulgentiæ, v. g. Jubilæo annexa; secus enim nulla esset.

Resp. 2° In cæteris casibus, *controvertitur.* Busembaum sic habet: "Non ob-

[1] Prinz. n. CCLIX. [2] Ib. n. CCCCXXIX.
[3] P. II. n. 655. [4] n. 1370.

[1] Prinz. n. DCXXIV.
[2] P. II. n. 655.
[3] Prinz. n. DXI. sub 1°. S. C. Ind. 29 febr. 1864 apud Acta, T. I. p. 116 sq.

stat effectui Indulgentiæ, . . . etsi in opere præstito non habueris intentionem consequendi Indulgentiam, ut docent. . . . Et videtur certum, saltem si habueris interpretativam, ut habet Laym." Addit S. Alph.[1] "Et Wigant . . . et alii." Ratio est, quia *per se* nulla requiritur intentio; effectus enim Indulgentiæ, seu remissio pœnæ pendet omnino a concessione Ecclesiæ, non vero ab intentione agentis: inde, licet se passive habeat, nec attendat ad Indulgentiam, imo nesciat se illam lucrari, dum ipsi contingit, nihilominus jus ad illam consequitur. Indulgentia enim conceditur ab Ecclesia per modum *solutionis* pro opere posito; sed ad *solutionis* validitatem non necessario requiritur, ut ille, pro quo tribuitur, eam noverit. Cfr. n. 1797. q. 3°. R. 6°.

Cæterum *communiter* admittunt, sufficere intentionem mane habitam ad lucrandas omnes Indulgentias per diem occurrentes.

Quær. 16° *Utrum, si concedatur facultas commutandi opera injuncta ad lucrandas Indulgentias, commutatio necessario in Confessione fieri debeat?*

Resp. Controvertitur. Busembaum, a S. Alphonso non correctus, *negat* ex decl. Greg. XIII.[2]

Affirmandum tamen, si agatur de jubilæo. Ben. XIV.[3]

Quær. 17° *Quomodo surdo-muti lucrari valeant Indulgentias, quibus adnexæ sunt orationes vocales?*

Resp. Ex benigna concessione *Pii* IX. 15 martii 1852 hujusmodi beneficio frui possunt, modo sequentia servent: 1° Si ecclesia aliqua visitanda sit, satis erit si eam adeundo mente et affectu Deum orent. 2° Si publicæ preces habendæ sint, non aliud ab iis requiritur, nisi ut fidelibus adunatis mente in Deum elevata et piis cordis affectibus conjungantur. 3° Si orationes privatæ sint recitandæ, a confessario commutationem in alia quævis pia opera, aliquo modo manifestata, obtinere poterunt.[4]

Quær. 18° *Quomodo ægroti lucrari valeant Indulgentias, ad quas acquirendas S. Communio et visitatio ecclesiæ vel publici oratorii in loco, ubi vivunt, præscripta est?*

Resp. Ex concessione Pii IX., 18 sept. 1862,[1] lucrantur "omnes et singulas Indulgentias *plenarias*, concessas vel in posterum concedendas, quas alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, . . . dummodo" 1) "vere pœnitentes, confessi, ac cæteris omnibus absolutis conditionibus, si quæ injunctæ fuerint, loco S. Communionis et visitationis alia pia opera, a respectivo confessario injungenda, fideliter adimpleant"; 2) agatur de fidelibus habitualiter infirmis, chronicis, ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentibus, et non morantibus in Communitate.

Quær. 19° *An amittantur Indulgentiæ, si res mobilis, cui adnexæ sunt, alteri tradatur?*

Resp. 1° *Affirm.*, si dominium rei illius in alium transferatur. Ratio est, quia Ecclesia intendit tantum concedere Indulgentias personæ, pro qua res aliqua fuit benedicta, vel pro primo, qui ea utitur. Ita sapientissime statuit Ecclesia ad præcavendos abusus, qui secus irreperent, si Indulgentiæ possent de uno ad alterum transferri ac donari.

Resp. 2° *Neg.* vero, si per traditionem non transferatur rei dominium, i. e. si res alteri solum commodato tradatur, modo tamen commodans non intendat beneficium Indulgentiæ commodatario concedere. Evincitur ex Elencho Indulgentiarum, quem habes in Con. Pl. Balt. II.[2]

Quær. 20° *Quibusnam rebus Indulgentiæ applicari possint?*

Resp. Applicari possunt Indulgentiæ quibuslibet rebus *solidis*, ne ferro quidem vel ligno exceptis, ut olim. Quare corrigendus est Elenchus Conc. Pl. Balt. II. p. 340, ubi *ferrum, stannum, plumbum* excipiuntur. Etiam corona vitro solido ac compacto confecta cum appositis Indulgentiis benedici potest. Solæ igitur res, quæ facile frangi aut lacerari possunt, ut papyrus, vitrum insufflatum, etc., excipiendæ sunt. Constat ex Decisione S. C. Indulg.[3] Debent autem hæc objecta referre imaginem alicujus Sancti vel solemniter canonizati, vel saltem in Martyrologio Rom. relati (Elenchus Conc.

[1] L. VI. 534 sub 14. [2] Ib. sub 15.
[3] Ib. 536. XIV. [4] Prinz. n. DCXXV.

[1] Acta, T. II. p. 538.
[2] pp. 340–342. § In distribuendis. Prinz. CXXXIII., CCCCLXXXII.
[3] Prinz. n. CCCCXX.

Pl. Balt. II. l. c.), nec sufficit imago alicujus Beati, nisi simul adsit imago Sancti.[1]

1780. *Resolves.* — 1° Episcopus, jure ordinario, potest concedere Indulgentias suis subditis extra suam diœcesim versantibus, quia jurisdictionem habet personalem in illos. Possunt vero Episcopi concedere Indulgentias solum per modum *absolutionis*, ideoque pro solis vivis. — Ita *communiter*.

2° Quisque potest lucrari Indulgentias pro alio quolibet Christiano vivente per modum *solutionis* seu *satisfactionis;* quamvis enim fructus meriti non sit applicabilis alteri, fructus tamen satisfactionis applicabilis est, modo ille sit in statu gratiæ. Sed ad hoc, præter concessionem Papæ, requiritur intentio specialis Indulgentiam pro isto determinato lucrandi. Applicatio autem satisfactionis fieri potest ignoranti, non petenti, absenti, etc. Ita Suarez, Lugo, Lacroix.[2]

3° a) Non cessant Indulgentiæ Ecclesiæ alicui annexæ, si nova ecclesia in loco fere eodem, sub eodem tamen titulo, ædificetur; cessant vero, si in cæmeterio, et non in loco veteris ecclesiæ,[3] i. e. (si quid opinor) non in loco fere eodem ædificetur. — Indulgentia vero, rite visitantibus Regularium ecclesias et intuitu regularis familiæ, a qua ecclesiæ reguntur, concessa, cessante regulari familia pariter cessat.[4]

b) Non amittuntur Indulgentiæ, si objectum, cui annexæ sunt, frangatur quidem, sed ita, ut adhuc suam speciem (v. g. Crucis aut imaginis) referat.[5]

c) Ad *quæsitum*, num Indulgentiæ amittantur:

1° Si rumpatur coronarum filum, sive voluntarie, ut catenis nectantur, sive involuntarie et fortuito id acciderit?

2° Si globuli quatuor vel quinque deperdantur?

S. C. I. 10 jan. 1839[6] respondit:

Ad 1^um^ Negative, quia coronæ eædem perseverant quoad formam moralem.

[1] Prinz. n. XXVIII.
[2] n. 1327. 1328.
[3] Prinz. n. DLVII.
[4] Acta, T. I. p. 687.
[5] Ferrar. V. Indulgentia, art. I. n. 20.
[6] Prinz. n. CCCCLXXXII.

Ad 2^um^ Negative ex allata ratione in præcedente responsione.

4° Nisi id in ipsamet concessione exprimatur sive explicite, sive implicite (v. g. per clausulam; *usque ad beneplacitum nostrum*), Indulgentiæ non expirant morte concedentis, cum sint gratiæ; — nec ante notitiam revocationis. — Indulgentiæ accipiendæ sunt, ut sonant; cum tamen sint gratiæ, large sunt interpretandæ, servata nihilominus verborum proprietate. Unde censendæ sunt perpetuæ, si datæ sint sine temporis restrictione, et perpetuo concessæ non cessant per cessationem causæ.[1]

5° Indulgentia pro articulo mortis concessa ordinarie (cfr. n. 1799) non requirit applicationem confessarii aut ministerium alterius. Expedit tamen, moribundis nomina *Jesu* et *Mariæ* sæpius invocanda suggerere, et ipsis lucrandam Indulgentiam in mentem revocare.[2]

6° Si moribundus habeat plures Imagines, Cruces, Numismata, aut Rosaria benedicta, potest lucrari Indulgentiam toties quoties nomen Jesu repetierit, vel præstiterit opus requisitum (saltem probabiliter), sive Indulgentiæ ex eadem concessione, sive ex diversis proveniant. Sufficit tamen ad eas lucrandas quodvis tempus, in quo verificatur mortis articulus, etsi pluribus diebus tantum postea mors sequatur. Possunt pariter moribundi plures lucrari Indulgentias titulo variarum Confraternitatum, etiamsi eas ignorent, aut de iis non recordentur.[3]

7° Requiritur autem, ut moribundus secum habeat res, quibus affixæ sunt Indulgentiæ, scilicet Rosaria, Cruces, etc. Attamen necesse non est, ut hæc habeat collo appensa, brachio obvoluta, manuve apprehensa; sed sufficit, ut hæc sint in lecto, vel juxta moribundum appensa, licet ipse nec videat, nec tangat, nec sciat aut recordetur se habere.[4]

8° Etsi expediat, ut omnia opera fiant in statu gratiæ, id tamen necessarium non est, juxta sententiam communem, sed sufficit ut ultimum opus in gratia fiat.[5]

[1] L. VI. 534 sub n. 2. 3. Ferrar. V. Indulgentia, art. III. n. 52 sq.
[2] L. VI. 534 sub 4.
[3] Ib. sub 4. 5.
[4] Ib. sub 6.
[5] Ib. sub 9.

CAPUT II.

DE JUBILÆO.

1781. — Vox *Jubilæum* deducitur, juxta plures, ab Hebræo *jobel*, quod significat quinquagesimum, quia apud Hebræos annus Jubilæi anno quinquagesimo recurrebat: vel, juxta alios, ab eodem verbo significante sonum tubæ, quo indicebatur quinquagesimus annus. Juxta alios etiam Jubilæum deducitur a *jubal* vel *jobal*, quod significat germinare, quia anno quinquagesimo terra non colebatur, et incolæ fructibus sponte germinantibus vescebantur.

Ad imitationem Jubilæi Veteris Testamenti institutum est Jubilæum Ecclesiasticum, quod Romæ et in universo orbe cum plenissima peccatorum indulgentia, magno gaudio et solemnitate, nunc celebratur. Post primam ejus institutionem ex decreto Bonifacii VIII. anno 1300 habitum est annō quoque quinquagesimo;[1] ex decreto autem Urbani VI. quolibet anno trigesimo; denique ex statuto Pauli II. quolibet anno vigesimo quinto celebrari cœpit.

1782. *Definitio.* — Jubilæum est Indulgentia plenaria solemnis, quam Summus Pontifex aliquando concedit omnibus fidelibus cum obligatione certa opera pia peragendi, tribuens simul confessariis specialem potestatem a peccatis censurisque reservatis absolvendi, ac pleraque vota commutandi.

Hinc Jubilæum non differt, nisi *accidentaliter*, ab Indulgentia plenaria ordinaria, scilicet ratione a) solemnitatis, b) privilegiorum ipsi adnexorum, et c) uberrimarum et extraordinariarum gratiarum, quæ illud concomitantur. Has enim gratias omnino speciales arguunt miri et stupendi effectus, quos Jubilæum producere solet, etiamsi non fiant solemnes fidelium coadunationes, nec divinum verbum prædicetur.

1783. *Divisio.* — Multiplex distinguitur Jubilæum:

1° Jubilæum *majus*, quod regulariter occurrit omni anno vigesimo quinto, qui *annus sanctus* vocatur. Dicitur etiam Jubilæum *ordinarium*, eo quod sit jure fixum et determinatum.

2° Jubilæum *minus*, quod solet concedi a singulis Summis Pontificibus post uniuscujusque exaltationem, et in aliis peculiaribus circumstantiis, et dicitur Jubilæum *extraordinarium*.

3° *Generale*, quod conceditur universo orbi, cujusmodi semper est Jubilæum *majus*, et quandoque etiam Jubilæum *minus*; sed concedi solet *Urbi*, seu *Romæ soli*, antequam *orbi* concedatur.

4° *Particulare*, quod conceditur alicui provinciæ, civitati vel loco particulari.

Annus integer ordinarie conceditur Romæ ad lucrandum Jubilæum *majus*; et anno sequenti concedi solet per extensionem omnibus aliis orbis christiani regionibus. Singulis autem parochiis ad jubilæum lucrandum conceduntur tantum quindecim dies vel tres hebdomadæ. Utrum vero possit Episcopus justis de causis illud tempus prorogare, dijudicandum ex tenore concessionis.

Jubilæum *minus* primum etiam fit Romæ, sed paucis hebdomadis, et deinde extenditur ad universum orbem, ut, decurrente anno, per tempus ab Episcopo determinandum fieri possit.

Nota. — In interpretandis Bullis Jubilæi servandæ sunt regulæ a Ben. XIV. traditæ, quibus non adversatur Bulla Jubilæi alicujus currentis. Ita quoad Jubilæum tum ordinarium, tum extraordinarium declaravit Pius IX. die 15 martii, 1852.[1]

1784. *Privilegia Jubilæi.* — Quoad hæc *primario* consulatur Bulla, qua Jubilæum conceditur.

Una tantum vice quisque fidelis durante Jubilæo iis frui potest, sed non opus est ut ei omnia eodem tempore vel per eumdem confessarium applicentur; at iis solis illa applicari possunt, "qui Jubilæum consequi sincere ac serio statuerunt, atque ex hoc animo ipsum lucrandi et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi ad Confessionem accedunt."[2]

Ea vero, quæ hucusque, juxta constituta a Ben. XIV.[3] et mentem auctorum

[1] L. V. T. IX. c. 1. 2. Extr. Comm.

[1] Prinz. IV. n. DCXXII.

[2] C. Benedictus, § 4.

[3] Præsertim in Constitutionibus: Benedictus Deus, 25 dec. 1750; Celebrationem, 1 jan. 1751; Convocatis, 25 nov. 1749; Inter præteritos, 3 dec. 1749.

probatorum, tempore extensionis Jubilæi majoris ad universum Catholicum orbem, concedi consueverunt, sunt breviter sequentia :

A. *Directe pro pœnitente.* — Facultas eligendi confessarium inter approbatos ab Episcopo loci, ubi Confessio fit. Hinc etiam Regulares quicunque, Oblatæ, Tertiariæ, etc. pro Confessione, ad lucrandum Jubilæum requisita, absque Superiorum licentia ex dictis approbatis quemcunque sacerdotem, etiam sæcularem, eligere possunt ; Moniales vero stricte dictæ et earum novitiæ aliquem ex approbatis a loci Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones, sive ad hunc finem generatim, sive pro aliis monasteriis approbatus sit.[1] Semel autem pro Monialibus approbatus, sive tamquam ordinarius, sive tamquam extraordinarius, sed cujus approbatio, v. g. ob lapsum termini præfixi, cessavit, etiam eligi potest pro Jubilæo a Monialibus præfatis, " nisi constet eumdem confessarium fuisse postea ob demerita, quæ ipsas Confessiones concernant, ab eodem Ordinario positive reprobatum." Ita S. Pœn. apud *Nouv. Revue Théol.*[2]

B. *Directe pro confessario et indirecte pro pœnitente :*

I. Facultas absolvendi, pro foro conscientiæ duntaxat, " ab excommunicationis, suspensionis et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a jure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum " ac Pontifici et S. Sedi, " speciali licet forma, reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessæ, necnon ab omnibus peccatis et excessibus, quantumcunque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis ac Pontifici . . . reservatis." [3]

Excipiuntur tamen ab hac ampla facultate :

1° Hæresis formalis externata, quamvis occulta, nisi potestas absolvendi saltem æquivalenter indicetur, v. g. per formulam : " absolvendi ab omnibus peccatis, . . . etiam in speciali forma Ordinariis locorum et Sedi Apostolicæ reservatis, quorum absolutio in aliis casibus non intelligitur concessa per simile generale indultum." [1]

2° Casus et censuræ in C. Ben. XIV. *Sacramentum Pœnitentiæ* reservati. Quatuor vero in hac Const. statuuntur. — a) Confessarii prohibentur absolvere pœnitentes ad turpia in Confessione (occasione Confessionis, etc. vide n. 1407 sq.) sollicitatos, quamdiu hi negligunt, sive culpabiliter omittunt, sollicitantem denuntiare. § 2. — b) S. Sedi reservatur crimen eorum, qui innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices, puta apud Ordinarium aut S. Sedem, falso sollicitationis insimulant, vel sceleste procurant, ut id ab aliis fiat. § 3 (vide n. 1400. IV.). — c) Sacerdoti cuilibet, extra extremæ necessitatis casum, omnis facultas et jurisdictio ad sacramentales Confessiones personæ complicis in peccato turpi contra Sextum Decalogi Præceptum commisso excipiendas adimitur. § 4 (vide n. 1404 sq). — d) Excommunicatio major latæ sententiæ Romano Pontifici *specialissimo modo* reservata infligitur absolventibus complicem in peccato turpi. § 4 (vide n. 1715).

3° Peccata et censuræ, a quibus ne in solo quidem conscientiæ foro ipse Pœnitentiarius Major absolvere potest. Vix autem contingunt.[2]

4° Neque absolvi possunt ii, qui a S. Sede vel ab aliquo Prælato seu judice ecclesiastico *nominatim* excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati vel publice denuntiati fuerint, nisi (ergo potestas absolvendi datur tantummodo favore eorum, qui ob injuriam tertio illatam nominatim censurati fuere) intra tempus, pro Jubilæo lucrando concessum, satisfecerint et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint.[3]

II. Facultas dispensandi ab irregularitate, occulta tamen, incursa ob violationem censurarum per exercitium Ordinis.

III. Facultas commutandi vota simplicia (non excepto voto commutationem non petendi [4]), etiam jurata et Sedi Apos-

[1] Ben. XIV. c. Celebrationem, §§ 9–11.
[2] Tom. I. p. 430 sv.
[3] Ben. XIV. c. Benedictus, § 4, et Pius IX. Encycl. : Gravibus Ecclesiæ, 1874.

[1] Ben. XIV. c. Inter præteritos, § 85. Loiseaux, Ch. VI. a. II. Sect. I. § I. n. IV.–VII. p. 384–390.
[2] Ben. XIV. c. Pastor bonus, n. 11 sq.
[3] Ben. XIV. c. Benedictus, § 5.
[4] Ferrar. V. Jubilæum, Art. II. n. 39.

tolicæ reservata,[1] quam facultatem etiam ad juramenta Deo facta extendunt.[2]

Excipiuntur ab hac facultate: 1° Vota castitatis perpetuæ et ingressus in Religionem.[3] Vide n. 392. q. 3°.

2° Vota in favorem tertii, si jam sint acceptata, nisi tertius jūri suo renuntiet.[4] Ergo etiam excipiuntur vota in Communitate aliqua religiosa emissa. Vide n. 1205. V. q. 1°.

3° Vota pœnalia præservativa a peccato, nisi commutatio fiat in aliud opus, quod præservationi æque vel magis conducit.[5]

Hæ vero absolutiones, commutationes et dispensationes absque speciali concessione (vide Resp. S. Pœnit. d. d. 16 mart. 1865 [6]) extra actum Sacramentalis Confessionis exerceri nequeunt.[7]

Conditiones ad Jubilæum requisitæ.

1785.—I. Ad Jubilæum generale *majus* sequentes saltem requiruntur conditiones:

1° *Visitatio* devota (animo nempe exhibendi honorem Deo aut Sanctis ejus [8]) ecclesiarum vel alicujus sacelli, quod facit partem ecclesiæ, cujus visitatio exigitur,[9] pie orando ad Summi Pontificis intentionem. Devotio autem etiam in itinere (quod tamen nemo pedes facere tenetur) requiri videtur, seu, ut loquitur Ben. XIV.;[10] "modeste incedatur, atque in hisce," i. e. etiam in itinere, "aliquis religionis actus exerceatur."—Non obstat autem, si dum ecclesiam visitandam ob hominem multitudinem non possis ingredi, ores in vestibulo, vel ante fores, vel in cæmeterio, aut ante ostium ecclesiæ, dum hoc clausum est. Excipe, si visitatio altaris vel sacelli interioris exigatur. Quodsi plura altaria, etc. visitari deberent, opus esset saltem motu corporis versus illud altare, cum intentione illud visitandi, recitando deinde preces debitas.[1] Si in aliquo loco unica adest ecclesia, Ordinarius tot visitationes ejusdem ecclesiæ substituere potest, quot visitationes diversarum ecclesiarum pro acquisitione Jubilæi exiguntur.[2]

2° *Confessio* peccatorum formaliter integra [3] cum sincero dolore peracta.

3° *Communio* in statu gratiæ facta, vel in qua saltem gratia sanctificans prima per accidens confertur.[4] Cfr. n. 1208. q. 2. 1209. q. 3°.

II. Pro Jubilæo *extraordinario* præscribi præterea solent:

1) Jejunium trium dierum, fer. 4ª, 6ª et Sabbato. Qui vero a jejunio dispensatus est, hac dispensatione diebus, quibus dictum jejunium præscribitur, absque commutatione uti non potest, si Jubilæum lucrari voluerit: [5]

2) Eleemosyna *vel* aliqua, *vel* juxta cujusque facultatem. Non vero necesse est dare pecuniam, sed sufficit dare aliam rem pretio æstimabilem, v. g. vestem, etc.

Nota.—1° Confessio et Communio ante visitationes ecclesiarum, inter, vel post easdem peragi possunt. At vero ultimum opus in statu gratiæ ponendum est. Si quis autem post Confessionem labatur in peccatum mortale, non tenetur iterare visitationes ecclesiarum, jejunia vel eleemosynam; tenetur tamen, si ultimum opus necdum peregerit, iterum confiteri, nec sufficit contritio.[6]

2° Opera ad lucrandum Jubilæum præscripta ubique peragi possunt, si visitatio ecclesiarum excipiatur, cum ecclesiæ *designatæ* visitari debeant. Qui tamen confitetur in loco, ubi Jubilæum non celebratur, nequit frui privilegiis, quæ confessariis in loco Jubilæi concessa sunt.[7] Patet vero ex sequentibus, omnia opera injuncta detentis legitimo impedimento (impotentia morali scil., seu notabili difficultate [8]) va-

[1] Ben XIV. c. Benedictus, § 4.
[2] Ferrar. V. Jubilæum, Art. II. n. 35.
[3] Ben. XIV. c. Benedictus, § 4.
[4] Ib.
[5] Ib.
[6] Acta, T. I. p. 176.
[7] Ben. XIV. c. Convocatis, n. 25.
[8] Ben. XIV. c. Inter præteritos, § 76.
[9] Prinz. n. CCCCXLIV.
[10] Ben. XIV. c. Inter præteritos, § 76. Loiseaux, ch. V. a. II. § IV. n. XXV.–XXVII. pp. 235–239.

[1] L. VI. 534 sub 14. Ferrar. V. Jubilæum, art. III. n. 7 sq. Bouvier, etc.
[2] Prinz. n. DCXXII.
[3] Bouvier, P. IV. c. 2. art. I. § 2. q. 1.
[4] Loiseaux, ch. V. a. II. § III. n. V. p. 202.
[5] Bouvier, P. IV. ch. II. § 2. a. n. 4. Arguit S. Pœn. 16 mart. 1865 ad 2um. Acta, T. I. p. 174 sq.
[6] Ben. XIV. c. Convocatis, n. 45 et Inter præteritos, § 79. L. VI. 536. XVII.
[7] Bouvier, P. IV. ch. 4. q. 1. Prinz. n. CCXLIV. Dub. 2.
[8] Ben. XIV. c. Inter præteritos, § 54.

lide in opera aliunde non debita[1] commutari posse, si excipias orationem, ut contra Acta[2] opinamur, quæ a visitatione ecclesiarum separari potest,[3] Confessionem et in genere Communionem. Hæc commutatio Episcopo competit vel delegatis ab ipso; ast saltem confessarii delegati eam in ipsa Confessione peragere debent.[4]

III. Pro Jubilæo particulari attendendum est ad tenorem Indulti concessi; ordinarie tria tantum requiruntur, nempe Confessio, Communio, et visitatio alicujus ecclesiæ.

1786. QUÆSITA.— Quær. 1° *An Jubilæum lucrari possint absque jejunio pueri, senes, infirmi, vel alii, qui jejunare non possunt?*

Resp. Neg., nisi commutationem jejunii in aliud opus obtineant. Ratio est, quia jejunium expresse præscribitur velut conditio Indulgentiæ lucrandæ. Non enim injungitur ut præceptum, a quo necessitas excusat, sed assignatur ut conditio sine qua non Indulgentiæ.

Quær. 2° *An possit satisfieri jejuniis injunctis per jejunia alias debita, v. g. si Jubilæum fit tempore Quadragesimæ aut quatuor Temporum?*

Resp. Neg. per se cum S. Alph.[5] Ratio est, quia una solutione nequit satisfieri duplici oneri; et Pontifex, dum imponit jejunium, intendit semper imponere specialem obligationem de re non adhuc præcepta.

Attamen si Pontifex determinet, vel determinandum permittat pro Jubilæo lucrando tempus, quo ex præcepto Ecclesiæ jam servandum est jejunium, ut est tempus Quadragesimæ vel quatuor Temporum, eo ipso censetur dispensare fideles ab obligatione commutationem jejunii in aliud opus obtinendi.[6] Hæc doctrina confirmatur Resp. S. Pœn. 20 jan. 1865 ad 1^{um}.[7]

Quær. 3° *An Confessio et Communio commutari possint?*

Resp. Neg., saltem generatim loquendo. Ratio est, quia Bullæ loquentes de operibus commutandis non loquuntur de Confessione, nec de Communione, saltem pro adultis. Imo expresse a Bened. XIV. excluduntur in Bulla: *Inter præteritos* § 53, ubi dicitur, quod facultas commutandi pia opera non intelligitur data circa Confessionem et Communionem (præterquam pueris), aut orationem in visitatione necessariam.

Attamen, ut videtur, si quis communicaturus die ultima, a Communione inopinato casu impediretur, commutationem Communionis, vel prorogationem Jubilæi obtinere posset. — Ita *communiter*, ait Bouvier.[1]

Quær. 4° *An pueri nondum Communione refecti, ea omissa, Jubilæum lucrari possint?*

Resp. Neg., nisi commutationem obtineant. Eruitur enim ex Bulla Benedicti XIV.: *Inter præteritos* § 80 et Leonis XII. pro Jubilæo, eos, qui tempore Jubilæi Communionis capaces non sint, posse Jubilæum lucrari, *commutata Communione*, de licentia Episcopi, in aliud opus pium.

Quær. 5° *An Communio paschalis sufficiat ad Jubilæum lucrandum, si tempore Paschali Jubilæum celebretur?*

Resp. Dubitari ea de re potest, cum declarationes, ex quibus id *affirmandum* videtur (vide Acta[2]), *ad mentem* SS^{mi} datæ sint, et in sensu *indulti* interpretari *possint*.

Quær. 6° *An confiteri debeant sola venialia habentes?*

Resp. Affirm. omnino. Olim de hoc magna agitabatur controversia: sed corruit post expressam Declarationem Bened. XIV.[3] Non tamen requiritur necessario absolutio, cum de ea nulla mentio fiat.

Quær. 7° *An Confessio facta in vigilia primæ diei Jubilæi sufficiat?*

Resp. Neg. Ratio est, quia omnia opera fieri debent intra intervallum temporis ad Jubilæum lucrandum statuti. Potest tamen inchoari Confessio, sive in vigilia, sive ante, modo tempore Jubilæi terminetur. Attamen fieri posset Confessio in ea parte vigiliæ, quæ primas Vesperas subsequitur, quia prima dies ecclesiastico more a primis Vesperis computari solet; et hoc in Jubilæo ordinario Urbis constanter servatur, ut patet ex Bulla: *Peregrinan-*

[1] Ben. XIV. c. Inter præteritos, § 53.
[2] T. VIII. p. 360 (2).
[3] Ben. XIV. c. Inter præteritos, § 53.
[4] Id. c. Benedictus, § 3.
[5] L. VI. 536, XI. et 538. q. 12.
[6] Ib. 536.
[7] Acta, T. I. p. 174.

[1] P. IV. ch. II. § 3. q. 1; ch. III. § 5 sub 5°.
[2] T. I. p. 174.
[3] C. Inter præteritos, § 77.

tes Bened. XIV. 5 maii 1749. § 5. Insuper dies ad præstanda opera injuncta, ut constat ex ejusdem Constitutionis § 6 sumi possunt vel *naturales*, vel *ecclesiastici*, "nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum."—Hinc aliquis, absoluta horis pomeridianis una visitationum serie juxta diei ecclesiastici computationem, statim incipere potest aliam earumdem visitationum seriem pro sequenti die ecclesiastico. Patet etiam ex Responso Em. Card. Pœnitentiarii Majoris apud *Nouv. Revue Théol.*[1]

Quær. 8° *Quænam quantitas eleemosynæ eroganda sit?*

Resp. 1° Si in Bulla dicatur: *Qui dederit eleemosynam*, sufficit quantitas quælibet, modo non sit ita parva, ut fere nihil esse videatur.

Resp. 2° Si dicatur: *Quantum cuique pro sua facultate visum fuerit*, vel exigatur in subsidium alicujus pii operis, tunc quantitas debet aliquo modo proportionem habere cum facultatibus cujusque; unde obolum tribuere sufficeret pauperi, non vero diviti.[2]

Quær. 9° *An, vel quomodo eleemosynam facere debeant pauperes, Religiosi et filiifamilias?*

Resp. 1° Omnes tenentur vel ad eleemosynam aliquo modo, saltem per alium, faciendam, aut ad aliud opus pium a confessario determinatum subrogandum. Ratio est, quia, ubi agitur de aliqua gratia obtinenda, impossibilitas conditionem præstandi ab ea non excusat, sicut impossibilitas præceptum adimplendi, ut jam supra q. 1° dictum est.

Resp. 2° Pauperes satisfacere possunt dando rem minimam, v. g. assem, vel frustulum panis, etc. Sed consultius est eis hoc opus in aliud commutare.

Resp. 3° Religiosi et filiifamilias satisfaciunt, si ab eorum Superioribus aliqua eleemosyna erogetur ipsorum nomine, et ipsis scientibus ac consentientibus.

Quær. 10° *An opera injuncta in una hebdomada perfici omnia debeant?*

Resp. 1° *Affirm., quoad jejunia.* Evincitur clare ex formula, quæ sic jacet: "Qui processioni interfuerint, vel ecclesias visitaverint, et feria quarta, sexta et Sabbato *alterius ex duabus hebdomadis* jejunaverint, pariterque sua peccata confessi, et Sancta Communione refecti fuerint, eleemosynamque tribuerint," etc. Ex his autem evidenter patet, tria jejunia eadem hebdomada esse facienda.

Resp. 2° *Controvertitur* vero *quoad alia opera.* — In Bulla Pii IX. pro Jubilæo post exaltationem suam concesso 20 nov. 1846, dicitur: 1° Pro Urbe: "Qui, a die sexta decembris usque ad diem vigesimam septimam ejusdem mensis, bis visitaverint intra *tres illas hebdomadas* (basilicas, etc.), ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint, et intra *easdem hebdomadas* peccata sua confessi, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter susceperint," etc. 2° Pro Orbe: "Qui . . . designandas" (ecclesias) "vel earum aliquam *spatio trium hebdomadarum* bis visitaverint, aliaque opera devote peregerint," etc. Itaque, si hæc Bulla pro futuris Jubilæis *extraordinariis* loco normæ habenda sit, *negativa* sententia certa erit.

Quær. 11° *An vel quomodo Jubilæum lucrari possint viatores?*

Resp. 1° Potest pro ipsis prorogari tempus Jubilæi, usque ad reditum; nec tenetur quis suum iter differre, nisi id commode possit. 2° Si reperiantur in itinere, dum incipitur Jubilæum in proprio eorum loco, possunt pariter illud ibidem lucrari post reditum. 3° Si transeant per loca, ubi Jubilæum celebratur, possunt illud ibidem lucrari. Ita S. Alph.,[1] cum aliis *communiter*. Constat ex Bullis pro Jubilæo. Consule modo cit. Bullam Pii IX. et Encyclicam ejusdem Pontificis: *Gravibus ecclesiæ* 1874.

Aiunt etiam, confessarios in favorem eorum, qui actualiter opera præscripta peragere non valent, sed *brevi post* id valebunt, tempus Jubilæi prorogare posse: quod extendunt etiam ad casum moralis obstaculi, v. g. si confessarius utile censet absolutionem sacramentalem differre. Si vero prorogatio ad longum tempus extendi deberet, opera commutanda esse dicunt.[2] Conferatur de hoc tenor concessionis. In bullis Benedicti XIV. pro Jubilæo *ordinario* talem facultatem prorogandi non invenimus.

Huc facit etiam decisio S. C. I. 28 nov. 1759: In casu, quo quis peractis

[1] T. VII. pp. 174. 175. [2] L. VI. 538. q. 11.

[1] L. VI. 538.

[2] Bouvier, T. IV. ch. III. § 4.

una hebdomada præscriptis operibus, inabsolutus remittitur ad aliud tempus, non tenetur opera, quæ jam peregit tempore Jubilæi, repetere dum absolvetur, *ad effectum lucrandi Jubilæi Indulgentias.*[1]

Quær. 12° *An Jubilæum pluries lucrifieri possit?*

Resp. Affirm., juxta Acta,[2] quoad Indulgentiam, nisi contrarium in concessione sive implicite, sive explicite dicatur. *Negat.*, juxta omnes, quoad privilegia.

Quær. 13° *An per Confessionem* INVALIDAM *in Jubilæo tollantur censuræ et reservatio peccatorum?*

Resp. Negat., juxta S. Alph. Vide n. 1403. q. 2°. R. 2°. a).

Quær. 14° *An peccet graviter, qui postquam absolutus est a reservatis, non implet cætera opera præscripta?*

Resp. Neg., cum sententia communi. Ratio est, quia non apparet, talem obligationem fuisse impositam sive ex natura Jubilæi, sive ex præcepto Pontificis aut confessarii.[3] Qui autem cum vera intentione lucrandi Jubilæum a censuris absolutus, vel in voto aut irregularitate dispensatus est, non reincidit, si postea, mutata voluntate, Jubilæum non lucratur, etiam culpabiliter.[4]

Quær. 15° *An qui confessus est tempore Jubilæi, et oblitus fuit confiteri peccata sua reservata, possit deinde a quocumque confessario absolvi?*

Resp. 1° *Affirm.*, si confessarius habuerit expressam intentionem ab omnibus peccatis, etiam reservatis, absolvendi.

Resp. 2° *Affirm.* etiam, *probabilius*, si confessarius de hoc non cogitaverit; quia pœnitens vi Jubilæi jus acquisivit, ut a quolibet confessario absolvi possit. — Ita *communius* cum S. Alph.[5]

Si quis autem Confessionem intra Jubilæum incœperit, quam materialiter imperfectam oporteat differri longius, ab omnibus peccatis reservatis vel tunc, vel deinde, absolvi poterit.[6]

Nota. — a) In Jubilæo anni sancti, seu *majori*, suspenduntur toto anno omnes aliæ Indulgentiæ tam plenariæ, quam particulares, concessæ pro *vivis*, non autem quæ sunt concessæ *pro defunctis*. Imo ex concessione Benedicti XIV. omnes indulgentiæ, etiam quæ alias non erant defunctis applicabiles, iis hoc anno applicari possunt.

Excipiuntur a suspensione Indulgentiarum pro vivis: 1° Indulgentiæ pro moribundis; 2° Indulgentiæ pro oratione *Angelus;* 3° Indulgentiæ pro visitatione Sacratissimi Sacramenti in Precibus XL. Horarum solemniter expositi; 4° Indulgentiæ pro iis, qui comitantur SS. Sacramentum infirmis delatum; 5° omnes Indulgentiæ, quæ ab alio, quam a Papa, conceduntur. Hæc deducuntur ex Constitutionibus Benedicti XIV. et Leonis XII.

b) Suspenduntur, etiam extra Romam, facultates absolvendi a casibus S. Sedi reservatis et commutandi vota, etc., exceptis tamen inter alias facultatibus, quæ Episcopis de jure communi vel per concessionem Apostolicam ad habitualem diœcesium gubernationem indultæ permissæque dignoscuntur, et quæ Superioribus Regularibus respectu suorum subditorum Regularium a Sede Apostolica tributæ sunt. — Cfr. de hisce suspensionibus præsertim Const. *Cum nos Ben. XIV.* 17 *maii* 1749. Hæc suspensio tamen locum non habet illo tempore, quo jubilæum majus ad orbem extenditur.[1]

DE INDULGENTIIS

VIÆ CRUCIS, — CRUCIUM, NUMISMATUM, IMAGINUM, CORONARUM, — CONFRATERNITATUM, — SCAPULARIUM, — ALTARIS PRIVILEGIATI, — IN ARTICULO MORTIS.

§ I. *De indulgentiis Viæ Crucis.*

1787. — I. *Requisita ex parte ipsius Viæ Crucis.* — Ut indulgentiæ exercitio Viæ Crucis concessæ acquiri possint, opus est canonica erectione stationum, ad quam, præter facultatem Apostolicam (vide p. LXXIII. 10), *in genere* requiritur licentia Ordinarii.[2] Restrictionem tamen antea

[1] Prinz. n. CCXLIV.
[2] T. VII. p. 222 in nota.
[3] L. VI. 537. q. 3.
[4] Ben. XIV. c. Benedictus, § 6; c. Inter præteritos, § 86.
[5] L. VI. 537. q. 4.
[6] Ib. 535 sub 3.

[1] Bouvier, P. IV. ch. V.
[2] Prinz. n. LXVII. CLXVIII. DLXXII.

subsistentem, qua cautum erat, ne in locis, in quibus exstant monasteria Fratrum Minorum, in templis eidem Ordini non subjectis Via Crucis constituatur, sustulit SS. D. N. Pius PP. IX. per decretum S. C. I. 14 maii 1871, indulsitque, stationes Viæ Crucis, servatis cæterum aliis de jure servandis, ubique in ecclesiis et piis locis erigi posse.[1]

Indulgentiæ Viæ Crucis Crucibus tantum (quæ ligneæ esse debent, metallo tamen ornari possunt) sunt adnexæ; minime vero imaginibus, quæ necessariæ non sunt,[2] nec necessario benedicuntur.[3] — Possunt igitur absque Indulgentiæ detrimento imagines novæ substitui, dummodo Cruces superpositæ *omnes* vel *in majore parte* perseverent.[4] — Possunt etiam Cruces a vetusta tabula ad novam transferri, quin nova canonica erectione stationum opus sit,[5] dummodo Via Crucis in eadem ecclesia remaneat.

Requiritur quoad dispositionem stationum aliqualis distantia inter unam et aliam.[6]

Facta Crucium benedictione, non opus erit, ut facultatem habens stationes percurrat; quin et affixio et collocatio earum etiam per quemcumque alium, quin et alio tempore privatim et sine cæremoniis fieri potest.[7]

Methodum pro erigendis stationibus Viæ Crucis vide Rit. Rom. Baltim. 1873. p. 465 sq.; — formulam ad fidem faciendam de erectione ib. p. 472.

1788. — II. *Requisita ex parte illorum, qui Viam Crucis obeunt.* — Non requiritur — recitatio 6 *Pater*, *Ave* et *Gloria* præter stationum visitationem; — nec *Adoramus te, Christe; Pater noster; Ave Maria; Miserere nostri, Domine.* S. C. Ind. 22 sept. 1829.

Requiritur vero:

1) Aliquis corporis motus, ordinarie procedendo ab una statione ad aliam, in quantum circumstantiæ (v. g. multitudo visitantium Viam Crucis, capacitas loci) id permittunt.[8] In publico vero exercitio Viæ Crucis, quando perturbatio excitari potest, unoquoque de populo suum locum tenente, sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, sistens in qualibet statione, ibique recitans peculiares consuetas preces, ceteris alternatim respondentibus.[1]

2) Meditatio, — at aliqualis tantum et pro captu cujusque, — de Passione Domini, quatenus ad singulas stationes notatur aut exhibetur; vel de eadem Passione *in genere*, si de iis agitur, qui meditationem juxta ordinem stationum instituere nequeunt.[2]

3) Visitatio non *moraliter* interrupta 14 stationum juxta earum ordinem.[3]

4) Interruptio vero, quæ fit ad audiendam Missam, S. Communionem recipiendam, Confessionem peragendam et ejusmodi, non est *moralis*, cum non divergatur ad actus extraneos.[4]

Nota. — Ad lucrandas Indulgentias Viæ Crucis per *crucifixum* ad hunc effectum ab habente potestatem benedictum, requiritur:

a) Impossibilitas (physica vel moralis) visitandi Stationes canonice erectas.

b) Ut manu teneatur Crucifixus, dum preces recitantur.

c) Ut recitentur 20 *Pater*, *Ave*, et *Gloria Patri*, nimirum 1 *Pater*, *Ave*, et *Gloria* pro singula statione; 5 in memoriam 5 Vulnerum D. N. J. C. et 1 ad intentionem S. Pontificis. Nulla alia oratio aut meditatio requiritur.[5]

§ II. *De Indulgentiis Crucium, Sacrorum Numismatum, Coronarum, etc.*

1789. — 1) Recolantur notata n. 1779. q. 19°. 20°: n. 1780. 3°. 6°. 7°. — Indulgentias vero his objectis proprias, vide Conc. Pl. Balt. II. p. 340.

2) *Uni eidemque* ex his objectis *plures diversæ* Indulgentiæ, — quin et eodem tempore pluribus, sive diversis, sive ejusdem generis objectis omnes indulgentiæ, eisdem propriæ, — unica benedictione, i. e. unico Signo Crucis, — applicari possunt.[6] Rosaria tamen S. Dominici et

[1] Acta, T. VI. p. 327.
[2] Prinz. n. CCCCXCIV. Dub. 2. DLXVII.
[3] Ib. n. CCCCLXXXVI.
[4] Ib. n. DLXIV.
[5] Ib. n. DLXX.
[6] Ib. n. CCVI.
[7] n. DXLI. DLXXIII.
[8] Prinz. n. DVII.

[1] Prinz. n. CCXXXVI.
[2] Ib. n. CCCCLXXXVII. 1° et 5°. Ulrich, P. III. ch. II. p. 235. (1). 2°.
[3] Prinz. n. DCLXXVI.
[4] Ib. n. CCXLIX.
[5] Ulrich, P. III. ch. II. p. 233.
[6] Prinz. n. D. sub 5°; n. DXLIV.

Coronæ VII. Dolorum B. M. V. formula propria benedici debent,[1] quam vide in Rit. Rom. Baltim. 1873. p. 474. 493.

3) Indulgentia, *Crucifixo* concessa, soli Christo affixa est; hic igitur ex una Cruce transferri poterit in aliam.[2]

4) Ad lucrandas Indulgentias Coronarum, quibus applicatæ sunt Indulgentiæ Papales (seu Elenchi Conc. Pl. Balt. II. p. 340); a) sufficit, ut, si plures simul, cæteris tamen curis semotis, recitent, solus possessor coronæ hanc manu teneat;[3] b) non requiritur meditatio Mysteriorum;[4] c) requiritur ut recitatio moraliter non interrumpatur.[5] Vide dicta n. 1788. 3).

Nota. — Hæc omnia etiam requiruntur et sufficiunt ad lucrandas Indulgentias Rosarii S. Dominici, et Coronæ, *cui Indulgentiæ Coronæ S. Birgittæ annexæ sunt*, excepto: 1° quod Mysteria meditanda sint ab iis, qui ea meditandi capaces sint;[6] 2° quod *confratres* SS^mi^ Rosarii Indulgentias sibi concessas lucrentur, licet Rosarium moraliter interrumpant, dummodo integrum Rosarium (15 decadum) intra unam hebdomadam absolverint.[7]

§ III. *De Indulgentiis Confraternitatum.*

1790. Quæsita. — **Quær.** 1°. 1) *Quid sint confraternitates;* 2) *quæ earum origo;* 3) *a quibus erigi possint?*

Resp. ad 1^um^ Sunt fidelium (*non vero Religiosorum*) congregationes ad exercenda pia opera, auctoritate ecclesiastica institutæ.[8] *Archiconfraternitatis* vero nomine intelligitur *confraternitas* privilegium habens alias sibi aggregandi, eisque communicandi spirituales gratias, sibi a S. Sede concessas.

Resp. ad 2^um^ Confraternitates originem suam debent, remote *associationis* studio, quod semper in Ecclesia viguit;[9] proxime vero Regularium Ordinibus, quibus concessum fuit laicorum congregationes erigere, eisque varias gratias spirituales communicare.[1] Hujusmodi celebriores Confraternitates sunt v. g. *Rosarii*, quæ Dominicanis; — *Scapularis*, quæ Carmelitis, — *Beatæ Mariæ Virginis*, quæ Jesuitis, — *S. Familiæ J. M. J.* quæ Redemptoristis originem debet, etc. etc.

Resp. ad 3^ium^ Eriguntur vel ab Ordinariis (sub quorum nomine hic non veniunt Vicarii Generales,[2]) vel a Superioribus Ordinum, quibus id concessum sit. Confraternitates autem ab Ordinariis erectæ aggregari solent alicui Archiconfraternitati, ut illius Indulgentiis et aliis gratiis spiritualibus participent.[3]

Quær. 2° *Quæ servanda sint in instituendis, — aggregandis, — gubernandis confraternitatibus?*

Resp. Præcipua sunt hæc: 1) Unica tantum confraternitas *ejusdem generis* institui aut aggregari potest in ejusdem loci ecclesiis, quæ tribus milliaribus ab invicem non distent. Excipe confraternitates SS. Sacramenti, Doctrinæ Christianæ, et illas, pro quibus erigendis aut aggregandis dispensatio ab hac regula a S. Sede fuerit obtenta.

2) Statuta confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci, et ab eo corrigi possint ac mutari. Excipe, si statuta S^æ^ Sedis auctoritate confirmata sint, aut in vim contractus condita.

3) Instituentes aut aggregantes confraternitatem, eidem: a) expresse et in specie communicent privilegia, Indulgentias, etc., Ordini instituenti vel aggreganti *nominatim*, non vero per modum *communicationis*, concessa: b) servent formulam a S. Sede præscriptam, quam vide apud *Acta*.[4]

4) Gratiæ et Indulgentiæ, confraternitati communicatæ, prævia dumtaxat recognitione Ordinarii promulgentur.

Ita ex Const. Clementis VIII. *Quæcumque* 7 dec. 1604, et posterioribus decretis.[5]

Quær. 3° *Quas confraternitates, cum Indulgentiis eisdem a S. Sede annexis, instituere possint Episcopi nostri?*

Resp. Confraternitates B. M. V. de Monte Carmelo, SS^mi^ Rosarii, Bonæ Mortis (vide p. LXXIII. n. 9).

Quær. 4° *Quid circa confraternitates*

1 Acta, T. I. p. 549 sq.
2 Prinz. n. D. sub 6°.
3 Ib. n. DCLXXV.
4 Ib. n. CCCCXCI.
5 Ib. n. DCLXXVI.
6 Ib. n. DXXVIII. ad 3.
7 Ib. n. DCLXXVI.
8 Craisson, Manuale, n. 4654.
9 Conc. Pl. Balt. II. a. 477.

1 Craisson, Manuale, n. 4655.
2 Acta, T. IV. p. 103 sq.
3 Craisson, Manuale, n. 4656.
4 T. II. p. 57 sq. et 107.
5 Craisson, Manuale, n. 4657 – 4680.

seu Societates in genere præcipue moneat Concilium Plen. Balt. II.?

Resp. 1° Ut multiplicentur Sodalitates ad providendum scholis parochialibus.[1]

2° Ut præcipue foveantur ac propagentur illæ, quæ pietati conservandæ et augendæ directe conducunt, vel simul augmentum Religionis atque Ecclesiæ dilatationem fovent, aut opera misericordiæ exercent, et quarum plures enumerat.[2]

3° Ne novæ societates instituantur, si veteres sufficiant, utque, si novas instituere necessum sit, adhibeantur, in quantum fieri possit, veterum regulæ et agendi praxis.[3]

4° Societas nova ab Episcopo ne probetur, quam non constat esse prorsus Catholicam, tum quoad finem, quem sibi præstituunt socii, tum quoad leges, quibus devinciuntur, et quæ absolute auctoritati canonicæ Episcopi non subjaceat. Alias tolerare forte quandoque licet, ast minime probandæ sunt.[4]

5° Ut operariorum sodalitates ad normam Catholicam reducantur, et, Ecclesia benedicente, instituantur.[5]

6° Ut, quatenus ad pias sodalitates fideles alliciantur, celebrentur earum festi dies speciali cum solemnitate; appositæ illis fiant instructiones; in processionibus, et aliis Ecclesiæ cæremoniis, quantum per rubricas liceat, locus proprius illis detur; omnis tandem honoris illis deferendi occasio arripiatur. Sic enim, iis dilatatis, bona obvenient quamplurima; magno vero adjumento pastoribus animarum piæ illæ sodalitates erunt.[6]

§ IV. *De Indulgentiis Scapularium.*

Plura dantur Scapularium genera, puta SS^mæ Trinitatis, B. M. V. VII. Dolorum, Montis Carmeli, Immaculatæ Conceptionis, Passionis, etc.

Ex P. Ulrich sequentia exscribimus.

1791. — Ut quis gratiis spiritualibus Scapularium participet, quatuor hæc in genere requiruntur:

I. Oportet ut Scapularia sint materiæ, coloris ac formæ præscriptæ.

II. Benedicenda ac imponenda sunt ab habente facultatem.

III. Necessaria est receptio ad confraternitatem.

IV. Constanter, et quidem per modum Scapularis, deferenda sunt.

Explicantur singula requisita.

I. a) *Materia.* — Oportet ut Scapularia sint ex lana et quidem texta, non reticulata (*knitted*) aut acu picta, licet ornamenta reticulata aut acu picta, etiam non lanea, habere possint, dummodo hæc non sint ejusmodi, ut color præscriptus non amplius prævaleat.

b) *Color,* — scilicet albus cum cruce visibili, cujus stipes ex rubra, transversa trabes ex cærulea (*blue*) sit lana pro Scapulari SS^mæ Trinitatis; — niger pro Scapulari B. M. V. VII. Dolorum; — fuscus (*brown*) vel niger pro Scapulari B. M. V. de Monte Carmelo; — cæruleus (*azure*) pro Scapulari B. M. V. Immacul. Conc.

c) *Forma,* — debent nimirum ex duabus partibus ita consistere, ut altera super pectus, altera super humerum descendat, quin tamen validitati obsit variorum Scapularium panniculos, alios aliis superpositos, duobus tantum assui funiculis, qui tamen funiculi coloris rubri esse debent casu quo quis quatuor prædictis Scapularibus Scapulare Passionis Lazaristarum jungere vellet. — Decrevit etiam S. C. Ind. 18 aug. 1868,[1] nihil innovandum esse quoad Scapularium formam *oblongam* aut saltem *quadratam.*

1792. — II. *Benedictio ac impositio ab habente facultatem.*

a) *Benedictio ac impositio,* — per formulam præscriptam aut indultam, proferendo saltem verba, quæ sunt substantialia. Plerasque benedictiones habes in Rit. Rom. Baltim. 1873. — Quando plures simul Scapulare recipere desiderant, in plurali uti licet formula: *Accipe, vir devote,* etc.; at, nisi indultum speciale habeatur, singulis aggregandis Scapulare imponendum est, et quidem ab habente potestatem, non vero (extra casum indulti specialis) ab aggregando. — Sacerdos tamen facultatem habens benedicendi Scapulare aliquod, sibi ipsi illud benedicere ac imponere potest, dummodo facultatem illam habeat *indiscriminatim,* et non *taxative* tantum, v. g. pro aliqua Monialium communitate dumtaxat. — "Nonnumquam accidit, . . . ut, cum sacerdos ad id legitime

[1] a. 432. [2] a. 478. 479.
[3] a. 480. [4] Ib.
[5] a. 481. [6] a. 482.

[1] Acta, T. IV. p. 99.

deputatus Scapulare . . . fidelibus imponit, deficiant Scapularia priusquam omnium fidelium votis satisfieri potuerit." Hinc quæsitum fuit: "Utrum unum idemque Scapulare semel benedictum valide possit pluribus per vicem imponi, repetita solummodo super singulis receptionis sive impositionis formula?"

Respondit S. C. Ind. 20 julii 1868:[1] "Affirmative; ita tamen ut primum Scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet, sit benedictum."

Etiam parvulis rationis usum nondum adeptis Scapulare benedici ac imponi potest. S. C. Ind. 29 aug. 1864.[2]

Si contingat Scapulare perdi aut deteri, novum non benedictum quisque sibi assumere potest. Excipe, extra casum indulti specialis, Scapulare SS^me^ Trinitatis, quod de novo benedicendum est, etiam in casu, quo Crux rubra et cærulea non amplius in eo invenitur.

b) Benedictio et impositio *ab habente facultatem.*

Facultas illa obtinetur vel a S. Sede, vel a Superioribus Generalibus (aut deputatis per eos Religiosis) Ordinum, qui deferunt Scapulare illud majus, quod parvo correspondet. — Episcopi nostri concedere possunt ac solent facultatem benedicendi Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo. Vide p. LXXIII. n. 9.

c) Facultatem habens benedicendi quoddam Scapulare, eo ipso facultatem habet aggregatis in articulo mortis concedendi Indulgentiam plenariam et absolutionem generalem juxta formulam huic Scapulari propriam, quam habes in Rit. Rom. Baltimor. 1873.

1793. — III. *Receptio ad confraternitatem* casu, quo receptio Scapularis secum fert receptionem in confraternitatem, ut dum recipitur Scapulare SS^me^ Trinitatis, vel B. M. V. VII. Dol. vel de Monte Carmelo.[3]

Inscriptio vero nominum receptorum, extra casum indulti specialis, necessaria est pro recipientibus Scapularia SS^me^ Trinitatis et B. M. V. VII. Dolor.; non vero pro recipientibus Scapulare B. M. V. de Monte Carmelo. — "Monendi tamen sunt præfati sacerdotes" i. e. ii, quibus est facultas recipiendi fideles in sodalitatem B. M. V. de Monte Carmelo, "ut nomina receptorum in album ipsius sodalitatis vicinioris, sive Monasterii Religiosorum respective adscribere non omittant, ne in eorum obitu suffragiis priventur." Ita S. C. Ind. 17 sept. 1845.[4]

Materialis inscribendi actus a quocumque fieri potest. S. C. Ind. 25 sept. 1844.[2]

1794. — IV. *Gestatio habitus,* — a) ita *continua,* ut ne, — per longissimum tempus, quo Scapulare deponis, aut per motivum, ex quo illud deponis, — sodalitati videaris renunciare. Quare qui Scapulare deposuisset ex contemptu aut ex impietate, aut per tempus ita longum, ut memoriam quasi sacri habitus perdidisset, tutius sibi Scapulare de novo benedicendum ac imponendum curabit. — b) *Per modum Scapularis,* nimirum ita ut a collo pendens, una suî parte pectus, altera scapulas contegat. — Non tamen necessarium est, ut immediate super corpus deferatur, ita ut illud physice tangat.

1795. — Quær. *Quid requiratur, ut quis privilegio dicto Sabbatino potiatur?*

Resp. 1° Hoc privilegium, de quo vide Ben. XIV.[3] et Breviarium Rom.,[4] soli Scapulari B. M. V. de Monte Carmelo annexum est.

2° Præter quatuor illa, de quibus n. 1791 – 1794 diximus, requiritur:

a) Ut quisque *pro sui status ratione* castitatem colat.[5]

b) Ut, qui legere norit, quotidie recitet Officium parvum B. M. V., i. e. nocturnum diei cum Laudibus, et cæteras horas ejusdem diei, idque juxta ritum Romanum, nisi quis habeat proprium ritum a S. Sede approbatum, — exceptis tamen iis, qui jam tenentur ad recitationem divini Officii.

c) Ut, qui legere non norint, servent jejunia Ecclesiæ, ac abstinentiam Fer. IV. et Sabbato, excepto die Nativitatis Domini.

At vero "accedente *gravi* impedimento," v. g. morbo gravi, respondit. S. C. Ind.,[6]

[1] Acta, T. IV. p. 219.
[2] Ib. T. I. p. 430.
[3] Ib. T. IV. pp. 220. 221.
[1] Prinz. n. DLXIX.
[2] Apud Ulrich, p. 117 (1).
[3] De festis, L. II. C. VI.
[4] 16 julii, Lect. V. VI.
[5] Ib. Lect. VI.
[6] Prinz. n. DXIV. ad 2.

"non teneri confratres" ad dicta sub b) et c); "consulendi tamen fideles, ut hoc in casu se subjiciant judicio docti et prudentis confessariis pro aliqua commutatione impetranda." — Si vero agatur de impedimento non gravi, commutatio impetranda est a confessario ad hoc expresse facultate donato; [1] commutatio autem non necessario in Confessione facienda est.[2]

§ V. *De altari privilegiato.*

1796. QUÆSITA. — Quær. 1° *Quid sit* privilegium altaris?

Resp. Dicitur illud, vi cujus ex indulto Pontificio per celebrationem Missæ conceditur Indulgentia plenaria applicabilis solis defunctis.

Dicitur: *solis defunctis;* nam rara sunt altaria privilegiata etiam pro vivis.[3]

Quær. 2° *Quotuplex distinguatur altare privilegiatum?*

Resp. Duplex; *locale* scil., seu *reale*, si altari ad hoc designato adnexum est; *personale*, si alicui personæ conceditur.[4]

1797. — Quær. 3° *Quænam sint specialia altari privilegiato locali?*

Resp. Hæc fere sunt:

1° Si in concessione Pontificia nullum altare designatur, designandum est a respectivo Ordinario,[5] seu Prælato jurisdictione in loco illo prædito.[6] — Ordinarius autem, ex concessione Ben. XIII. 20 julii 1724, semel pro semper, in unaquaque ecclesia patriarchali, metropolitana et cathedrali designare potest unum altare privilegiatum quotidianum perpetuum.[7] — Item Clemens XIII.[8] omnes et singulas totius orbis ecclesias parochiales hoc eodem privilegio, et quidem quotidiano, sed ad septennium tantum duraturo, condecorari voluit, Episcopis tamen pro hac gratia tum prima vice, tum post elapsa septennia ad S. Sedem recurrentibus. — Facultatem Episcopis nostris concessam vide p. LXXIII. n. 8.

2° Altare designandum debet esse *fixum*, nisi in indulto permittatur designari etiam *portatile*.[1] — Fixum autem hic intelligitur non in sensu liturgico, sed quod sit stabile et inamovibile, licet non consecratum, et in cujus medio lapis consecratus, etiam amovibilis, positus sit. Altare autem privilegiatum, iterum ædificatum (etiam in ecclesia destructa, at *in eodem loco* reædificata), non indiget novo privilegio, dummodo sub eodem titulo vel invocatione construatur.[2]

3° Extra casum indulti specialis, unum tantum in unaquaque ecclesia declarari potest altare privilegiatum, et, saltem si secundum altare sub eodem intuitu concessum appareat ac primum, et primi ne in supplicatione quidem mentio injecta sit, indultum, ut putamus (nam Decretum 14 jun. 1845 specie tenus tantum oppositum videtur) semper intelligendum est cum clausula: "dummodo in eadem ecclesia non adsit aliud privilegiatum altare." [3] — Hæc clausula tamen, saltem si agatur de privilegio indefinite pro omnibus concesso, non attingit altaria privilegiata pro certo personarum cœtu, v. g. pro confraternitate, concessa.

4° Translatio privilegii ad altare diversum exigit interventum S^ae^ Sedis.[4]

5° Aggregatio ecclesiæ quoad privilegia et favores spirituales ad alteram ecclesiam privilegia altaris non comprehendit. Cfr. n. 1190. a).

6° Ut Indulgentia acquiratur, non requiritur intentio, sive ex parte celebrantis in altari privilegiato, sive ex parte offerentis honorarium. S. C. Ind. 12 mart. 1855.[5] Cfr. n. 1779. q. 15°.

7° Nequeunt recipi onera perpetua ac fundationes ad altaria privilegiata. S. C. Indulg. 14 dec. 1711.[6]

1798. — Quær. 4° *Quænam sint communia altari privilegiato locali et personali?*

Resp. 1° Utrumque potest esse perpetuum vel temporale; — quotidianum vel restrictum ad certos in hebdomada dies.

2° Utrumque eamdem habet efficaciam.

---

[1] Prinz. n. DXXXIV.
[2] L. VI. 534 ad 15.
[3] Anal. J. P. Série 8. col. 2060.
[4] Ib. col. 2150. XIX. 3.
[5] S. C. Indulg. a. 1750 apud Anal. J. P. Série 8. col. 2067.
[6] Ferrar. T. I. col. 1488.
[7] Anal. J. P. Sér. 8. col. 2068.
[8] Prinz. n. CCXLII.

[1] Anal. J. P. Sér. 8. col. 2070. Acta, T. III. p. 99 sq.
[2] Anal. J. P. Sér. 8. col. 2124. 2125.
[3] Ib. col. 2127 sv. Prinz. n. CXV. et DCLVII.
[4] Anal. J. P. Sér. 8. col. 2132.
[5] Prinz. n. DCLI.
[6] Anal. J. P. Sér. 8. col. 2148.

—Privilegii autem efficaciam his verbis declarat S. C. Ind. 28 jul. 1840:[1] "Per Indulgentiam altari privilegiato annexam, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, intelligendam esse Indulgentiam plenariam, quæ animam statim liberet ab omnibus purgatorii pœnis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligendam esse Indulgentiam, cujus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet."

3° Extra diem Comm. OO. Def. neutrum applicari potest *pluribus* defunctorum animabus. Ita postrema declaratio S. C. Ind. 29 febr. 1864.[2]

4° Neutrum privilegium defunctis suffragatur, si, quoties regulæ liturgicæ id permittunt, non celebres Missam *de Requiem*, et quidem in paramentis nigris, vel ex rationabili causa violaceis. Dixi: *quoties regulæ liturgicæ id permittunt*, i. e. quoties non obstat *vel* rubrica, *vel* particularis dispositio, e. g. ratione expositionis SS^mi Sacramenti cum oratio est pro publica causa, *vel* solemnitas aliqua. — Qui vero privilegium habet personale pro quatuor Missis in hebdomadis singulis, Missam *de Requiem* celebrare debet diebus non impeditis, seu differre ad dies non impeditos, quatenus in eadem hebdomade occurrant.[3]

5° Nequit pro applicatione Missæ cum privilegio altaris majus stipendium accipi; esset enim simoniacum.[4]

6° Num status gratia requiratur in sacerdote, ut privilegium altaris lucretur, vide n. 1779. q. 9°.

7° De obligatione sacerdotis applicandi privilegium, vide n. 1325. q. 14°. q. 15°. — Utrum vero decretum S. C. Ind. 16 febr. 1852[5] abroget decretum ejusdem S. Cgñis 22 febr. 1847,[6] sive in aliquo ei deroget, dubium nobis est; ideoque, quousque res clarior fiat, adhæremus sententiæ S. Alphonsi, quam retulimus n. 1325. q. 14°.

Quær. 5° *Quandonam sine speciali aliqua concessione privilegium altaris acquiratur?*

Resp. 1° Tempore Orationis XL. horarum omnia cujuslibet ecclesiæ, in qua ea oratio habetur, altaria sunt privilegiata.[1]

2° Die 2 nov. Missæ gaudent privilegio, ac si essent in altari privilegiato celebratæ.[2]

3° Sacerdos qui oblationem emisit, de qua n. 1779. q. 6°. R. 1°, gaudet indulto altaris privilegiati personalis quotidiani.[3]

Nota. — Privilegium altaris personale, quod per Episcopos nostros sacerdotibus suarum diœcesium communicari potest ac solet, vide p. LXXI. n. 20.

§ VI. *De Indulgentia Benedictionis Apostolicæ seu absolutione generali in articulo mortis.*

1799. — Bened. XIV. in C. *Pia Mater* 5 apr. 1747 inter alia statuit:

1° Episcopos, qui ecclesiis præficientur, aut ad aliarum ecclesiarum regimen transferentur, obtenturos esse facultatem impertiendi benedictionem cum Indulgentia plenaria fidelibus in articulo mortis constitutis, ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiæ regimen obtinebunt, adjecta etiam facultate subdelegandi, quatenus facultatem prædictam petierint.[4]

2° Episcopos, hac subdelegandi facultate munitos, subdelegare posse in suis civitatibus unum aut plures sacerdotes, prout necessarium fore judicabunt, et in diœcesibus quotquot pro numero animarum in diœcesibus existentium necessarios judicaverint. Sacerdotes tamen deputati et subdelegati ab Episcopis pro eorum arbitrio et prudentia removeri, aliique in eorum locum subrogari possunt.[5]

3° Indulta Episcopis concessa non expirare per mortem summi Pontificis concedentis; nec subdelegationes per Episcopi subdelegantis cessum aut decessum; sed perseverare usque ad superventum novi Præsulis, cujus arbitrio confirmari aut revocari possunt. Hæ tamen subdelegationes, si a successore non revocentur, confirmari censentur.[6]

1800. Quæsita. — Quær. 1° *Quibus infirmis in articulo mortis hæc benedictio impertienda sit?*

[1] Prinz. n. DII.
[2] Acta, T. I. p. 626.
[3] Ib. et p. 42 sq.
[4] Prinz. n. CCL.
[5] Ib. n. DCXIX.
[6] Ib. n. DLXXXVI.

[1] Prinz. n. DXIII.
[2] Ib. n. CCL.
[3] Ib. n. DCXLIII. 1.
[4] De Herdt, T. III. n. 207.
[5] Prinz. n. CCCLVII. 8.
[6] De Herdt, T. III. n. 207.

Resp. Generaliter cunctis petentibus,[1] qui non sunt excommunicati, impœnitentes, neque in manifesto peccato mortali moriuntur; etiam pueris, qui peccare potuerunt, seu quibus absolutio et Extrema Unctio ministrantur;[2] item sensuum usu destitutis, delirantibus et amentibus, quibus eadem Sacramenta ministrantur, uti Benedictus XIV. in rubrica hujus benedictionis præscribit.

Quær. 2° *Quænam requirantur ex parte sacerdotis ad hanc Indulgentiam impertiendam?*

Resp. 1° Ut sit delegatus. — Delegatio autem restringi *potest*, e. g. quoad Moniales pro solo eorum confessario ordinario,[3] et de jure *restringitur* ad diœcesim delegantis; at vero, intra hujus limites, valet pro omnibus indistinctim, sive sint alienæ diœcesis, sive Regulares, aliæve personæ a delegati jurisdictione immunes.[4]

2° Ut adhibeat formulam a Ben. XIV. præscriptam, quæ *non est tantum directiva, sed præscriptiva.*[5] Vide formulam in "Excerpt. ex Rit. Rom. Ed. 1872. p. 248. Ed. 1874. p. 240.

3° Ut, "si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum et absolvat. Si Confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de hujus benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter eum admoneat; tunc instruat atque hortetur, ut morbi incommoda atque dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens fore, ut, ex divinæ munificentiæ largitate, eam pœnarum remissionem et vitam sit consecuturus æternam."[6] Denique alias conditiones, si requisitæ sint, infirmo proponere debet, ut illas adimplere possit, de quibus in sequentibus.

Notandum hic est, sacerdotem quandoque circumspectum esse debere, ne, infirmum adhortando ad mortem patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, eumdem offendat, neve ejus aut adstantium amicorum indignationem incurrat. Quapropter, si difficultates prævideantur, consultum quandoque erit, infirmum ad mortem patienter obeundam adhortari in Confessione aut in absentia aliorum; nam, licet ad Indulgentiæ consecutionem requiratur, ut infirmus mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipiat, non tamen requiritur, ut hæc adhortatio fiat immediate ante applicationem Indulgentiæ, sed sufficit ut infirmus eam dispositionem habeat. Si id fieri nequeat, convenit adhortationem ita moderari, eamque tam prudenter et suaviter proponere, ut infirmus ipsam mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipere paratus sit.[1]

Quær. 3° *Quænam requirantur ex parte infirmi ad hanc Indulgentiam lucrandam?*

Resp. 1° Gravis infirmitas. *Quanta* autem debeat esse infirmitas, non ita constat. *Certo* sufficit mortis articulus, per quem intelligitur, non quidem agonia, sed evidens ac imminens mortis periculum. Neque ipsam agoniam expectare consultum est, ne infirmus usu sensuum destitutus dispositionis ad Indulgentiam lucrandam requisitæ incapax aut ejusdem minus idoneus sit. *Dubium* autem est, an valide concedatur illis, qui quidem tam graviter infirmantur, ut extrema Sacramenta ipsis administrentur, sed tamen morti non ita sunt proximi, ut in articulo mortis constituti dici possint. Argumenta pro et contra vide apud De Herdt.[2] Sententia affirmans nobis multo probabilior videtur et praxi firmata.

2° Intentio non quidem actualis aut virtualis, sed interpretativa, ut patet ex verbis rubricæ: "vel" eam benedictionem "verisimiliter petiissent."

3° Status gratiæ.

4° Actus contritionis et caritatis, ut præscribit Constitutio: *Pia Mater.*

5° Ut ipsam mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipiat (Eadem Constitutio).

Præcedentes conditiones in Const. Ben. XIV. requiruntur; sed præterea aliæ atque aliæ imponi possunt in indulto,

[1] Prinz. n. X. 2; n. CCCLVII. 5.
[2] S. R. C. 16 dec. 1826. n. 4474–4623 in fine.
[3] Prinz. n. CCCLVII. 9.
[4] De Herdt, T. III. n. 209.
[5] Prinz. n. DVI. 8.
[6] Rubrica hujus benedictionis.

[1] De Herdt, T. III. n. 209.
[2] T. III. n. 210. 1°.

quo facultas benedictionem impertiendi conceditur, scil.:

6° Ut infirmus sit confessus ac Sacra Communione refectus, vel, quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore, si potuerit; sin minus corde devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti atque alacri animo susceperit.[1] Juxta facultatem Episcopis nostris tributam, sufficit contritio, si infirmus confiteri non possit. Vide p. LXXI. n. 17.

Notandum conditiones prædictas per se requisitas esse, si nempe infirmus sana mente et integris sensibus fuerit; secus in quantum ad illas adimplendas capax fuerit, ut patet ex rubrica benedictionis, ubi dicitur eamdem impertiendam esse, etiamsi infirmi linguæ cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint.

Quær. 4° *An hæc apostolica benedictio iterari possit?*

Resp. Affirm. in diverso mortis articulo; *Negat.* in eodem.[2] Iterari tamen potest, si prior applicatio invalida fuerit defectu status gratiæ aut aliarum conditionum requisitarum; quia idem est, ac si data non fuisset.

Quær. 5° *Quo ritu hæc benedictio danda sit?*

Resp. Sacerdos pro hac benedictione induitur superpelliceo et stola, scilicet violacea, quia ad ritum pœnitentialem pertinet. — Ingrediens infirmi cubiculum dicit: *Pax huic domui*, etc., ac deinde ægrotum, cubiculum et circumstantes aqua benedicta aspergit, dicendo antiphonam: *Asperges me* sine psalmo *Miserere* et repetitione antiphonæ, quia Benedictus XIV. de his non loquitur.

Tum peragit ea, quæ supra q. 2°. R. 3° dicta sunt. Deinde recitat preces, quas habes in "Excerpta ex Rit. Rom." Ed. 1872. p. 248; Ed. 1874. p. 240.

Si benedictio Apostolica immediate post Viaticum et Extremam Unctionem impertiatur, *Confiteor* ante applicationem Indulgentiæ repetendum est;[1] verba autem *Pax huic Domui* et aquæ aspersio forte omitti possunt, quia ab initio dicta et facta sunt: securius tamen est hæc benedictioni semper præmittere, quia Benedictus XIV. præcipit formulam a se confectam usurpari, et hæc omnia in ipsa formula habentur.[2]

Nota. — Præter hanc etiam alias Indulgentias plenarias infirmus facile lucrari poterit, ratione v. g. Scapularium [vide n. 1792. c).], vel Coronæ, Crucis, Numismatis, quibus indulgentiæ papales (Conc. Pl. Balt. II. p. 340 sq.) annexæ fuerint. Cfr. n. 1780. 5°. 6°. 7°.

[1] Prinz. n. CCCLVII. 7.
[2] Ib. n. CCCLVII. 6; n. CCCCLXXVI. 2; n. DVI. 7; n. DXXIX.

[1] Prinz. n. DVI. 5. 6.
[2] De Herdt, T. III. n. 212.

INDEX ALPHABETICUS.

NOTA.—Nisi aliter notetur, numeri intelligendi sunt numeri Operis, non paginarum.

A.

ABBAS.—An leges ferre possit 102. 3°. 103.

ABBATISSA.—An possit leges ferre 103.

ABLUTIO.—V. BAPTISMUS.

ABORTUS.—Quid, ante 474. Nullo in casu directe procurandus nec attentandus, aut desiderandus 474. I. 475. 476. 2°. 5°. Indirecte quando permitti possit, et quando non 474. II. III. 476. 3°. 4°. An licita craneotomia, et an acceleratio partus fœtus immaturi 475. Excommunicatio Ordinario reservata in procurantes abortum, effectu secuto 1734, et an eam incurrant ipsæ prægnantes, pharmacopolæ, medici 1734. 3°. Abortum fœtus dubie animati procurans non fit irregularis 1776. q. 6°.

ABORTUS MEDICALIS seu *acceleratio partus fœtus immaturi.*—Prohibitus 475. q. 2°.

ABROGATIO.—Legis 165. 1°. Consuetudinis 187. Privilegii 196. 1°.

ABSOLUTIO.—Quomodo substantialiter ejus forma vitietur 1343. q. 1°. Non requiritur elevatio manus, nec Signum Crucis ad ejus validitatem, nec sub gravi ad liceitatem ib. q. 3°. *Valide* et in necessitate *licite* plures absolvuntur unica pluralis numeri forma : *Ego vos*, etc. ib. q. 4°. Moralis præsentia in ordine ad absolutionem est illa, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent ib. q. 5°. Per verba : *Te absolvo a peccatis tuis*, potest confessarius *valide* absolvere pœnitentem, etiam a censuris ib. q. 6°, et 1671. 3°. Valida est, si confessarius absolvat prius a peccatis, quam a censuris, sed illicita ib. q. 7°. Valida et licita quandoque est forma conditionata. Regulæ et Casus ib. q. 8°. Danda *absolute* moribundo, qui aliquo modo confitetur, vel absolutionem petit 1370. I. ; *conditionate* moribundo, in quo attritio et Confessio præsumi possunt aliquo modo ib. II. ; nullatenus moribundo, qui recusat Sacr. Pœn., vel non potest præsumi attritus, aut velle confiteri ib. III. Infirmo sensibus gaudenti utiliter *sæpius* confertur. Quoties sensibus destituto 1371. *Nota.* Danda ex justitia et sub gravi omni pœnitenti *rite* confesso et disposito 1427. I ; differri aliquando potest *satis* disposito ib. II ; omnino neganda *certo* indispositis ib. III. An sæpe expediat differre absolutionem sufficienter disposito, sine ejus consensu 1428. q. 1°. Non requiritur ad eam certitudo absoluta, nec moralis stricta de dispositione ib. q. 2°. Signa ordinaria dispositionis ib. q. 3°. Confessarius tenetur excitare dolorem in pœnitente non satis disposito ; non vero in satis instructo et disposito ib. q. 4°. Absolvi debet pœnitens qui vult sequi opinionem (vere probabilem) sententiæ confessarii oppositam ib. q. 5°. Non est deneganda pœnitenti in occasione *remota* constituto, nisi, etc. 1432. III. *Nunquam* absolvendus qui occasionem proximam voluntariam deserere recusat 1433. IV. Non potest denegari, sed aliquando differenda, pœnitenti in occasione proxima necessaria constituto, disposito et remediis uti volenti 1434. V. Absolvi nequit qui versatur in occasione necessaria, si, stante illa, emendatio sperari non possit 1435. VI. Sincere promittens se derelicturum esse occas. proximam voluntariam bis terve potest absolvi antequam eam deseruerit 1436. q. 1°. R. 1° ; minime vero, si occasio sit præsens, nisi etc. ib. R. 2°., vel etiam necessaria, sed, adhibitis remediis, eodem semper modo relabatur ib. q. 2°. Casus 1437. Absolutio ignorantium ea, quæ explicite credenda sunt 258. 259. 261. Parentum prolem scholis publicis instituendam committentibus 435–439 ; docentium in illis scholis ; curatorum illarum ; habentium curam animarum, si scholas Catholicas suis non procurent 440. Debitoris 719. Volentium inire Matrimonium mixtum 1598. q. 6°. Patris vel matris in Matrimonio mixto, si promissioni de universa prole in Religione Catholica educanda desint ib. q. 7°. Absolutio a censuris.—V. CENSURA.

ABSOLUTIO *generalis* seu *Indulgentia Benedictionis Apostolicæ in articulo mortis.*—Quibus Episcopis delegetur, et quibus per hos subdelegari possit 1799. Quibus infirmis impertienda 1800. q. 1°. Quænam requirantur ex parte sacerdotis ad eam impertiendam ib. q. 2°, et ex parte infirmi ad eam obtinendam ib. q. 3°. An iterari possit ib. q. 4°. Quo ritu impertienda ib. q. 5°.

ABSTINENTIA *extra jejunium.*—Quibus diebus obliget 551. II. An pueros nondum septennes usu rationis pollentes 552. q. 1°. Qui ab ea excusentur 553. Materia parva in ea quæ 552. q. 2°. q. 3°. Quid de Catholicis, qui carnes apponunt acatholicis diebus vetitis 570. Quid item de cauponibus et de iis, qui dicuntur "*boarding-house keepers*" 310. a).—V. DISPENSATIO. JEJUNIUM.

ACCEPTATIO. — Legis quid, et quo sensu necessaria 122 sq. Promissionis.—V. PROMISSIO. Donationis.—V. DONATIO. Promissionis sponsalitiæ an sufficiat 1525. § *Dicitur :* 2°. Promissionis Matrimonii an requiratur ad impedimentum criminis ex adulterio solo 1594. 2°.

ACCEPTIO.—Rei alienæ 721. Restitutio an facienda ab eo, qui a fure accepit pecuniam, ut taceat, si ex officio clamare non debeat 776. q. 6°.

ACCESSIO. — Quid 671. Nativitate, Alluvione 672. Artificialis 673.

ACCUSATOR.—Quis 1071.
ACEDIA.—Notio, malitia, filiæ, remedia 241.
ACTIONES.—An omnes nostræ, ut bonæ sint, motivo caritatis sint informandæ, an ex motivo supernaturali eliciendæ, et an ad Deum referendæ 31.
ACTIONES (*"Bonds"*).—Quotuplices 953, et an licite comparentur ib.
ACTOR.—Quis 1071.—V. etiam ADVOCATUS.
ACTUS.—Quid in genere et quotuplex 1. An externus addat malitiam vel bonitatem interno 25. Heroicus, internus, externus occultus, præteritus an cadat sub lege 105, 108 sq. An per internum inferri valeat injuria 691. q. 2°. An internus efficere possit, ut externus evadat injustus 692. Externus in Confessione accusandus 1360. II, et necessarius ad incurrendam censuram 1662. 3°, vel irregularitatem ex delicto 1756. II, et ad peccatum complicis 1405. q. 1°, ac ad quodcumque reservatum 1400. III. Occultus sufficit de se ad incurrendam censuram et irregularitatem ex delicto 1757. q. 4°. Jure naturæ validus an a legislatore humano irritari possit 127. Locus regit actum 117. 3°. 1612. 2).
ACTUS HUMANUS.—Quid 1. 4°. Quotuplex 2. Ejus principia 3, moralitas hujusque regulæ 21–23. An detur indifferens 24. An externus interno addat moralitatem 25. Moralitatis fons quid ; an et quomodo objectum 26 ; circumstantiæ 27 ; finis 28.—V. ACTUS.
ACTUS MORALIS.—V. ACTUS. ACTUS HUMANUS. ACTIONES.
ACTUS VIRTUTUM THEOLOGICARUM.—Quando, quoties et quomodo eliciendi 250. 270. II. 277.
ADAMANTES *se invicem visitantes* (*"Company-keeping"*).—In occasione proxima voluntaria versantur, si se visitent absque intentione aut spe futuri Matrimonii 1453 ; secus in necessaria ib. Cantelæ illis præscribendæ ib.
ADJUNCTIO, *ut species accessionis.*—673. b). 1°.
ADJURATIO.—Quid, quotuplex, quibus licita 375, 376.
ADOLESCENTES.—V. CONFESSIO.
ADULATIO.—Est mendacium 511. 4°.
ADULTER.—Ad quid teneatur prole nata 812. I. III.—V. etiam ADULTERIUM.
ADULTERA.—Ad quid teneatur, prole nata 812. I. II, et an teneatur crimen suum revelare, si alio modo damnum filiis legitimis causatum reparare nequeat 813.—V. etiam ADULTERIUM.
ADULTERI.—Ad quid teneantur prole nata 812, et an ad aliquid erga brephotrophium, cui prolem commiserint 815.—V. etiam ADULTERIUM.
ADULTERIUM.—Quid 494. Restitutio ob illud 812 sq. Quid in dubio an proles sit adulteri an mariti, vel alterius adulteri 814. Causa sufficiens divortii quoad cohabitationem 1552. III, et quale esse debeat ut sit causa sufficiens ib. 3°. Cognito adulterio compartis, innocens *per se* non tenetur eam dimittere, nec ordinarie *per accidens* 1553. q. 1°.—V. DIVORTIUM. MATRIMONIUM. Qua impedimentum criminis 1594.—V. CRIMEN.
ADVENA.—V. ALIENIGENA. PEREGRINUS. VAGUS.
ADVERTENTIA.—Quæ requiratur ad mortale 201. q. 2°. 2°, ad veniale ib. q. 3°. Quantum sit peccatum advertentis actionem esse *malam*, sed ad *gravitatem* malitiæ ejus non attendentis 51. q. 2°.
ADVOCATUS.—Quis 1060. Ad quid teneatur in genere ib. I. Non potest defendere causam civilem *certo* injustam ib. II, licet injustam injustitia *morali* tantum, et non *legali* ib. q. 1° ; nec causam civilem *actoris* probabilem tantum probabilitate facti 1061. R. 1° ; nec in materia criminali partes suscipere accusatoris evidenter injusti 1060. II. § *A fortiori ;* nec contra adversam partem uti mediis injustis ib. III. § *In causa autem ;* quod tamen etc. 1064. q. 7° ; nec, volente etiam cliente, causam prosequi, simul ac eam injustam esse advertit 1063. q. 5°. q. 6° ; nec stipendium ultra justum accipere 1062 (ubi et quod justum sit et quibus gratuito succurrere teneatur). Possunt defendere causas civiles etiam minus probabiles reorum, et, si de probabilitate juris agatur, etiam actorum 1061. R. 1°, ac *qualescumque* criminales reorum ib. R. 2°. Ejus peccata varia 1065.
ÆDIFICATIO, *ut species accessionis.*—674.
ÆDITUI (*"Trustees"*).—625. II. 626.
ÆGROTUS.—V. INFIRMUS.
ÆQUIPROBABILISMUS S. ALPHONSI.—Quid 62. IV. Quo sensu S. Alph. ejus auctor ib. §. ult. Non applicandus,—ubi adest periculum mali, quod a conscientia non pendet et quod vitare tenemur 58–60. 87. I. 2° ; —nec ubi opinio minus probabilis pro libertate concurrit cum notabiliter probabiliore pro lege, ut explicatur 68. 2°, probatur 71–73. 96 ;—nec, nisi agatur de probabilitate solitaria 52, sub 3, seu præsumptione in favorem libertatis 67. 1°. b), in dubio de legis certæ cessatione 81. 86. 92–95 ;—sed in dubio stricto seu æquali vel fere æquali circa legis existentiam, prout explicatur 67. 1°. a), probatur 74–80. 88–91.
ÆQUIVOCATIO.—Quid 512. § *fin.*—V. JURAMENTUM. RESTRICTIO MENTALIS.
ÆTAS.—Quâ pueri ad leges ecclesiasticas teneantur 115. Requisita ad jejunium 555 ; ad exemptionem a jejunio 575 ; ad abstinentiam 552. q. 1° ; ad suscipiendos Ordines 1523. q. 2°. (Episcoporum nostrorum hac in re facultates p. LXX. 3. p. LXXII. 3.). Ut imped. Matr. in impubere dirimit de jure ecclesiastico, nisi malitia suppleat ætatem 1602. Quoad sponsalia 1528. q. 5°. 1531. 1.
ÆTHER.—Ejus usus in operatione chirurgica 244. q. 3°.
AFFINITAS.—Ut impedimentum Matr. dirimens, quid et quotuplex 1588. Ex copulâ *licitâ* usque ad 4^um^ gradum inclusive 1589. I ; ex *illicitâ* usque ad 2^um^ inclusive ib. Copula autem *hæc* debet esse *perfecta* et *consummata* ib. II. Quid in dubiis tenendum ib. Matr. sequens non dirimit, sed, positis ponendis, privat reum jure petendi debiti ib. III. Regulæ practicæ 1590. In linea collaterali certo dirimit *solo* Ecclesiastico jure ; et multo *probabilius* etiam in rectâ, primo forte gradu excepto ; quo ultimo tamen casu Ecclesia nunquam dispensavit ; nisi ageretur de affinitate orta ex copulâ illicitâ 1591. q. 1°. Hoc impedimento tenentur etiam infideles ad Fidem

conversi ib. Qui sint varii affines ib. q. 2°. Orta ex Matr. consummato, sed invalido, dirimit usque ad 4^um^ gradum ratione tum *affinitatis*, tum *publicæ honestatis* ib. q. 3°. *Schema* affinitatis p. 713. Si quis obtenta dispensatione ab impedimento affinitatis ex copula illicitâ, cum *eadem* consanguinea sponsæ suæ iterum peccet, nova non indiget dispensatione; Matrimonio autem contracto, jure privatur petendi. Nova quoque dispensatione indiget, si cum *alia* consanguineâ peccaret 1625. q. 7°.

AGGRESSOR.—Vitæ 467. 468. q. 1°. q. 2°; membrorum 469. q. 3°; pudicitiæ 470. q. 5°; honoris ib. q. 6°; bonorum fortunæ 469. q. 4°.

AGRICOLÆ.—Quoad opera servilia 417. 5°. 12°. 13°.

ALEATORII CONTRACTUS.—Quid 828. 2°. Qui in specie 1037.

ALIENIGENA.—Abjurans pristinum principem 370. 3°. An et quando possit contrahere 844. Intestatus decedens 654. Quibus legibus teneatur vel non.—V. PEREGRINUS. VAGUS.

ALIMENTA.—Debita parentibus 419. 420. 4°; filiis 428. b). 429. *Quær.*; conjugi 441. 442. 1°. 443. 3°. 445. R. 1° 3°; illegitimis 429 *Quær.* R. 2°. 811. q. 4°. Quando liceat uxori, filiis, famulis accipere a marito, patre, domino fure, etc. 707. q. 3°.

ALLUVIO.—Ut species accessionis 672.

ALTARE.—Quomodo execretur, et an apud nos aliquando in execrato celebrari possit 1329. q. 5°. R. 2°.

ALTARE PRIVILEGIATUM.—Quid, quotuplex 1796. q. 1°. q. 2°, ac quæ ejus efficacia 1798. q. 4°. R. 2°. Locale *ubi* ab Ordinario facultatem habente erigi possit 1797. q. 3°. R. 1°. Quo sensu debeat esse *fixum* ib. R. 2°. *Quot* in unaquaque ecclesia destinari possint ib. R. 3°. An privilegium de uno altari in aliud transferri possit ib. R. 4°. An communicabile ib. R. 5°. An ad lucrandam Indulg. requiratur aliqua intentio in celebrante ad altare privilegiatum, aut in offerente eleemosynam ib. R. 6°. Privilegium altaris sive locale, sive personale extra diem Commem. OO. FF. Defunct. pluribus defunctis applicari nequit 1798. q. 4°. R. 3°. Illicitum est majus ob id accipere stipendium ib. R. 5°. An et quando Missam *de requiem* exigat ib. 4°. An statum gratiæ requirat in celebrante ib. 6°. An et quando celebrans privilegium applicare teneatur ib. 7°., et 1325. q. 14°. q. 15°. Quandonam privilegium altaris sine speciali aliqua concessione acquiratur 1798. q. 5°. Facultas Episcoporum nostrorum quoad privilegium altaris personale p. LXXI. 20, locale p. LXXIII. 8.

AMENTES.—An et quatenus sint sub lege 109. 110. Irregulares 1758. 1°.

AMISSÆ RES.—Quæ dicantur 648. Earum inventorem ad quid obliget caritas 656 1°. a). b); justitia 655. 656. 1°. c). d). 2°. Ad quid obligetur dominus rei amissæ erga inventorem 656. 3°.

AMOR.—Debitus parentibus 419. 420. 1°. 2°. 3°. 4°; filiis 427; conjugi 441. 1°. 442. 2°. 444. 1°. 2°. 3°. *Initialis* ad justificationem in Sacr. Pœn. obtinendam cum attritione non requiritur, si intelligatur aliquis gradus caritatis perfectæ 1350. q. 8°. Semper adest in vera attritione ib.

AMPHIBOLOGIA.—Quid 512. § *fin.*—V. JURAMENTUM. RESTRICTIO MENTALIS.

AMPLEXUS.—V. OSCULA.

ANIMALIA.—Eorum occupatio 641. sq. Damnum per ea illatum 753. q. 10°.—V. APES. COLUMBÆ. "OYSTERS." PISCES.

ANTIDORALIS DONATIO.—Quid 876. Si fiat a creditore, cui per simulatam donationem restitutum fuerit, restituenda 792. q. 2°. Contractui mutui illicite adjicitur ut conditio 934. q. 4°.

APES.—Cujus, si avolaverint 646. 1°.

APOSTASIA A FIDE.—Quid 265. Plectitur excommunicatione majori Papæ specialiter reservata 1701, quemadmodum et libros apostatarum hæresim propugnantes scienter legens, retinens, imprimens, defendens 1702. Item privatione sepulturæ ecclesiasticæ, si sit notoria 1699. q. 1°. R. 2°.

APPROBATIO.—Ad Confessiones soli Episcopo aut alii habenti jurisdictionem quasi-episcopalem competit 1391. II, et quidem Episcopo diœcesis, in qua excipiendæ sunt Confessiones 1392. q. 1°. Qui habet jurisdictionem *personalem* in proprium subditum, potest illum absolvere in alia diœcesi sine approbatione Episcopi istius diœcesis ib. q. 2°. Non sufficit *præsumpta* ib. q. 3°. *Valide* limitatur quoad tempus, locum et personas, etiam sine causa; item *licite*, at justa de causa ib. q. 4°, et quæ sit ea ib. q. 5°. *Valide* revocatur, etiam sine causa; *licite*, cum causa justa ib. q. 6°. Dari potest sacerdoti extraneo ib. q. 7°.—V. JURISDICTIO.

ATTRITIO.—Ex metu gehennæ concepta sufficit ad justificationem in Sacr. Pœn., dummodo sit vere *supernaturalis*, absolute *efficax*, et non *serviliter servilis* 1350. q. 5°; ex metu pœnarum Purgatorii pro peccatis venialibus ib. q. 6°. Ex metu pœnarum temporalium hujus vitæ pro peccato subeundarum, prout a Deo infligendarum, sufficit, modo sit supernaturalis ib. q. 7°. Extra Sacr. non justificat 1351. IV. Elicita *a justo* remittit peccata venialia extra Sacr. 1352. q. 3°.—V. etiam AMOR.

AQUA BAPTISMALIS.—Postquam nova consecrata fuit, antiqua in sacrarium effundenda 329. III. b). 3°.—V. BAPTISMUS.

ARBITER.—Quis 1058. Ejus obligationes 1059.

ARCÆ PARCIMONIÆ.—Quid de iis 945.

ARTIFEX.—Dives an excusetur a jejunio 576. q. 5°.—V. OPERARII.

ARS NOTORIA.—335.

ASPECTUS TURPES.—Unde eorum gravitas dijudicanda 489. I. Qui mortales ib. II. 490. 2°. 5°, et an induant speciem personæ aspectæ 489. *Quær.* Qui *per se* veniales 490. 1°. 2°. § *Excipiunt.* 3°. 4°. 5°. *initio*, et § *Billuart.*

ASSECURATIO, *ut contractus.*—Quid 1037. An licitus 1038. q. 1°, et sub quibus conditionibus ib. q. 2°. An et quando licita dicta "*bottomry*" 1036. 1039; "*respondentia*" 1036; *vitæ* 1041. Quomodo peccent domum contra incendium, vel navem aut merces, quibus onusta est, contra naufragium, etc. assecurantes 1040.

ASSISTENTIA.—Baptismo ab hæreticis collato

254. 3°. Nuptiis coram hæretico præcone ib. 2°. Cœtibus Quackerorum, Presbyterianorum, Methodistarum, etc. ib. 1°. Sepulturæ aut convivio nuptiali hæreticorum ib. 2°. Precibus et concioni in navibus, arcibus, ergastulis, carceribus Gubernii ib. 4°. Hæreticorum orationi ib. 5°. Concioni aut orationi (*"speech"*) in templis hæreticorum aut cœtibus mixtis ib. 6°.

ASTROLOGIA.—337.

ATTENTIO.—In audienda Missa quotuplex 402; an et quæ requiratur ib. I. II. III, speciatim an interna 403. 405. 4°. 5°. 6°. In recitando Officio 1125–1127. Regulæ cum scrupulosis servandæ circa attentionem in audienda Missa, in recitando Officio, etc. 44. II. Ministri Sacramentorum 1215.

"ATTORNEY."—V. et applica dicta sub V. ADVOCATUS.

AUCTIO PUBLICA.—V. VENDITIO SUB HASTA.

AUCTORES.—Eorum in scripta sua dominium 598. Quoad scandalum 295. 4°. 8°. Quoad scandali reparationem 301. Libelli famosi 530. 2°. Historiæ, ignominiæ notam memoriæ defuncti inurentes 526 1°.—V. etiam CENSURÆ LATÆ SENTENTIÆ, etc.

AUCTUARIUM.—Quibus titulis licitum 935–941. q. 1°. Quantum licitum 941. q. 2°. Excedens taxam legalem 942. Ab initio summæ mutuo datæ substractum 943. Interesse ex interesse 944.

AUGURIUM.—337.

AURIFABRI ET ARGENTARII.—Eorum peccata 1081. 1°.

AURIGA.—Publicus an permittatur aliquem ad lupanar vehere 311. *Quær.* "*Horse-car conductors*" quoad compensationem 710. q. 1°. p. 286. 4°.—V. OPERARII.

AUSPICIUM.—337.

AVARITIA.—Notio, malitia, filiæ, remedia 237. An mortalis in iis, qui nihil contribuunt in sustentationem Religionis ejusque Ministrorum 633.

B.

"BANKRUPT LAW."—Quoad debita privilegiata 788. I. Quoad soluta creditori petenti 790. q. 6°. R. 2°; non petenti ib. q. 7°; a debitore labili.—Cætera V. CESSIO BONORUM.

"BANKS."—V. MENSÆ NUMMULARIORUM.

BANNA.—Quid, ante 1533. Obligant ex præcepto gravi Ecclesiæ 1533. I.; sed non ex necessitate Sacramenti ib. II. Parochus *per se* peccat graviter, si absque dispensatione omittat omnia; *probabilius* etiam si duo; si vero unum tantum, *probabiliter* solummodo venialiter 1534. Fieri debent: 1°. diebus festivis de præcepto, vel in festis suppressis, vel (probabiliter) die feriali, si magnus fiat populi concursus; 2°. continuis: 3°. inter Missarum solennia, vel (probabiliter) in concione, etc., cum congregatus est populus 1535. 4°; in ecclesia parochiali domicilii, et præterea in quasi-domicilio et quandoque in loco originis; probabiliter etiam fieri possunt extra ecclesiam in loco magni concursus 1536. *Minorum* proclamentur: 1) de expresso consensu parentum; 2) in domicilio facti et juris 1537. 1°. *Militum* in loco præsidii, et, si sint minores, in domicilio parentum, ac, si majores, in loco, ubi residebant ante militiam susceptam ib. 2°. *Vagorum* et *alienigenarum* in domicilio facti et originis ib. 3°. Matrimonio intra duos menses post banna non celebrato, repetenda, nisi aliter Episcopo videatur 1535. § *fin.* Bannorum forma 1537. *Nota* II. Quatenus hæ leges apud nos servari possint. ib. *Nota* I. Ex justa causa potest ab iis dispensare Ordinarius; ab omnibus tamen solum ex gravissima (relative tamen) causa 1538. I. II. Causæ dispensationis sive necessariæ, sive liberæ ib. III. Sponsi ex diversis diœcesibus dispensari debent ab utriusque Ordinario 1539. q. 1°. Vicarius generalis vel capitularis, vel administrator, possunt in iis dispensare; et hanc facultatem etiam delegare ib. q. 2°. q. 3°. Quandonam possint omitti per epikeiam ib. q. 4°. Gravis obligatio revelandi impedimenta urget quoad omnes, quamprimum moraliter possunt 1540. Revelanda sunt impedimenta cognita ex secreto naturali, sed probabilius non ex secreto consilii 1541. q. 1°. Lex revelationis non obligat generatim loquendo cum gravi incommodo ib. q. 2°. Qui solus novit impedimenta, revelare tenetur, etiamsi non possit probare ib. q. 3°. Ipsi etiam contrahentes tenentur ib. q. 4°. Quid facere debeat parochus, si notitiam impedimenti certam vel probabilem habeat ib. q. 5°.

BAPTISMUS.—Ejus significatio; definitio; divisio 1249. Effectus et necessitas 1250. Validus, sed informis, adulti an deleat originale 1209 q. 4°.

Materia remota valida 1251. I. 1252. 1°; invalida ib. 2°; dubie valida 1251. III. 1252. 3°. Materia remota licita 1251. II. Proxima, seu ablutio, quotuplex 1253. An valida ablutio pueri in utero matris, et quomodo, et a quo perficienda 1254. q. 1°. Invalida vestium tantum, et an valida crinium ib. q. 2°, vel in alia parte quam in capite ib. q. 3°, vel cum una vel altera aquæ gutta ib. q. 4°. Proxima, sub gravi apud nos præcepta, est infusio 1253, et in Baptismo, saltem solemni, trina 1254. q. 5°.

Forma 1255. Quomodo vitietur 1212. 1255. 1256.

Minister ordinarius omnis et solus sacerdos 1257. I; de licitate,—extra casum vel necessitatis, vel delegationis, vel licentiæ rationabiliter præsumptæ,—Ordinarius vel Parochus proprius, et hi in diœcesi vel parochia tantum propria 1257. IV. 1258. 1°. 4°. 5°. Quid de vagis 1258. 2°; de prole matris alibi casu parientis ib; de extraneis quasi domicilium non habentibus ib. 3°. 4°. Quid apud nos ib.

Nota. Extraordinarius et solemnitatis, ex delegatione Ordinarii vel Parochi et gravi de causa, Diaconus 1257. II. Extraordinarius necessitatis omnis homo ratione utens 1257. III. Præferendus sacerdos (sub gravi) diacono ; hic subdiacono ; Clericus (si sit sacerdos, sub gravi) laico ; vir fœminæ, nisi, etc.; cæteri omnes (sub gravi) patri et matri prolis 1258. 6°. 1259 q. 1°. 2°. 3°. Quid de laico, ex Missionarii vel Episcopi venia, infantes ob communia vitæ discrimina baptizante, ubi sacerdotis non sit copia 1259. q. 4°. Minister qua infantium ætate hoc Sacramentum conferre debeat, et quid apud nos quoad hoc servandum et curandum 1259. q. 5°.

Subjectum Baptismi validi omnis et solus homo viator, etiam fœtus abortivus, nondum baptizatus, ante 1260 et 1260. 2°. Sub conditione baptizandi perpetuo amentes, si aliquando ratione usi fuerint, licet tunc Baptismum non petiverint 1260. 1°; infans, vel fœtus abortivus, in dubio an homo vel an vivat ib. 2°; is, de cujus Baptismo vel Baptismi valore dubium extat non spernendum 1263. q. 3°; *generatim loquendo* hodie baptizati ab hæreticis 1264. III. An infantes expositi baptizandi, et an rebaptizandi, qui ab obstetricibus vel a laicis baptizati sunt 1263. q. 4°. q. 5°. Quid de monstris 1260. 3°. Quid de adultis necessaria necessitate medii nescientibus 1260. 6°. Quænam servanda sint in receptione Neo-conversorum 1264. I.–V, et quid, si de acatholico moribundo agatur ib. VI. Subjectum Baptismi liciti an sint filii acatholicorum 1261. 1262.

Patrini quot adhiberi possint 1265. I. Quales non possint 1266. q. 3°. 4°. 5°. Eorum obligationes 1266. q. 1°. An in Baptismo privato adhiberi debeant ib. q. 2°.

Cæremoniæ an omnes, et quæ sine mortali omitti nequeant, ante 1267, et 1267. 1°. 2°. 3°. 4°. An et quando differri possint vel non 1268. q. 1°. An repetendæ, si Baptismus solemniter collatus deprehendatur invalidus ib. q. 2°. An omissæ postea supplendæ ib. q. 3°. Quid Conc. Plen. Balt. II. præcipiat circa nomina, quæ baptizandis imponuntur et circa fontem Baptismalem ib. q. 4°. q. 5°. Quomodo intelligenda prohibitio utendi Chrismate alterius anni ib. q. 6°.

BAPTIZANDUS.—Adultus sub conditione in dubio de valore Baptismi præcedentis peccata jam accusata confiteri non tenetur 1340. q. 2° ; tenetur vero nondum accusata ib. q. 3°. Conditionate baptizandus et absolvendus prius baptizari debet, deinde absolvi ib. q. 4°.—V. BAPTISMUS.

BARBITONSOR.—Artem suam exercens die Dominica aut in Festo 415. q. 7°.

"BARRISTER."—V. ADVOCATUS.

BELLUM.—Quid, quotuplex, quando licitum 479. Quid in dubio de ejus justitia 480. q. 1°.—V. CONSCRIPTIO *ad militiam.* DESERTORES *milites.* DUX BELLI. MILITES.

BENEDICTIONES.—Privatæ et liturgicæ 1247 *initio.* Liturgicæ sunt ratione :—*Effectuum*, invocativæ vel constitutivæ 1247. I :—*Ritus*, verbales vel reales 1247. II :—*Objectorum*, personarum vel rerum 1247. III :—*Ministri*, Papales 1247. IV. A ; Episcopales, et hæ *de se* delegabiles vel non 1247. IV. B. C ; Sacerdotales, et hæ vel simpliciter tales vel Parochiales 1247. IV. D. Quænam ex Episcopalibus ad Superiores Regulares pertineant, et intra quos limites 1247. IV. C. *Nota* b) :—*Necessitatis*, præceptæ vel non præceptæ 1247. V [Indumenta et paramenta sacerdotalia, et vasa, quorum benedictio præcepta est 1247. V. a)]. Ritus benedictionum 1248. Benedictio nuptiarum alia in Missa, quæ in certis casibus, alia extra Missam, quæ semper datur 1556. q. 2°.

BENEFICIUM.—Quid 628.

BESTIALITAS.—507. 508.

BIBLIOPOLÆ.—Eorum ad pravos libros cooperatio 317. 320. 3). Scandalizantes 295. 2°–5°. Eorum peccata 1081. 8°.—V. etiam CENSURÆ LATÆ, etc.

BLASPHEMIA.—Quid, quotuplex, quantum et quale peccatum 361. Formulæ blasphematoriæ 362. 363. Consuetudo 362. 3°.

BONA.—Fortunæ quotuplicia 593. Filiorumfamilias 601. Uxorum 605. Communia marito et uxori 607. Clericorum (V. CLERICI). Ecclesiastica 619. Hæc ut acquirantur quid requiratur 622. sq. Ad quos pertineat eorum administratio 624. Variæ eorum species 628. Quid circa ea servandum ab Episcopis (V. EPISCOPUS) ; a Missionariis 625. II ; ab Ædituis 626 ; a Regularibus 627. II. Derelicta 652, "*Derelict at sea and wrecks*" 653. Vacantia 654. Animi quomodo injuste lædantur et qua ratione damnum in iis illatum reparandum 805. 806.

BONA FIDES.—In præscriptione quid 669. Necessaria ad præscriptionem, sed veniaaliter mala non obest ib. I. An item ad liberativam ib. II. Quid de hærede dubitante de bona fide antecessoris 670. q. 1°, et an mala fides antecessoris ignorata semper impediat successorem a præscribendo ib. q. 2°. q. 3°.—V. POSSESSOR—BONÆ—DUBIÆ—MALÆ—FIDEI.

BONA TEMPORALIA.—An dimittenda ad vitandum scandalum 300. q. 4°.

"BOTTOMRY."—Quid et quando liceat necne 1036. 1039.

BREPHOTROPHIUM ("*Foundling Asylum*").—V. EXPONERE.

BREVE.—Quid 175.

BREVIARIUM.—Quo utendum 1097. Eo carens ad quid teneatur 1128. I. 1°. 1131. q. 3°. q. 4 .—V. HORÆ CANONICÆ.

"BROKERS."—V. PROXENETA.

BULLA.—Quid 175.

C

Cæremomiæ.—V. Minister Sacramentorum.
"Cake"—V. Offa.
Calix.—Sine licentia Episcopi de novo a laicis deaurari et reparari potest 329. III. b). 4°.—Cætera 1331. q. 5°. q. 6°.
Calumnia.—516.—V. Detractio. Fama.
Cambium.—Quid, quotuplex 1024, an et quando licitum 1025, et an iis etiam, qui publicum cambiendi officium non habent 1026.
Campana.—Ad concionem hæreticorum an licite pulsetur a Catholico 313. 1). § *fin.* Quo oleo consecretur 1502. q. 4°. Ejus consecratio ab Episcopis nostris delegabilis p. LXXIII. n. 12.
Cantores.—A Parocho, non ab Ædituis, designandi 626. 5°. Catholici in templo acatholicorum 254. 7°. 313. 1).
Carbones.—Eorum furtum 703. 7°.
Caritas.—Quid, et quod ejus objectum 275. Ejus præceptum quoad Deum 276. 277; quoad seipsum 279. 1°. 2°. 280. q. 1°; quoad proximum 278, et ordo in ea servandus quis 278. 279. Erga inimicos 281-283.—V. Inimicus.
Carnes.—A caupone diebus vetitis ministratæ 310.—V. etiam Abstinentia. Jejunium.
Castitas.—Ejus votum an peccato mere interno lædatur 1168, quomodo differat a virtute 1170, quomodo simplex a solemni 1185. 2°, et quando reservatum 392. q. 3°. An sacrilega ejusdem læsio in vel a persona ejusdem voto simplici ligatâ 348. q. 1°. Conjugum 392. q. 4°.—V. Debitum conjugale. Onanismus. Sacrilegium. Votum.
Casus Apostoli.—V. Matrimonium.
Catechesis.—V. Doctrina Christiana.
Cathedraticum.—631.
Caupo.—Præbens vinum se inebriaturis 310. b); carnes die vetito ib. a); vendens poculenta die Dominica ib. e); choreas admittens ib. c); quævis folia publica exponens ib. d); Missam omittens ob lucrum cessans 408. 10°. 409. q. 3°.
Cauponæ.—Earum pericula 1451. Qualis occasio et an ac quomodo remota reddi possit 1452. q. 1°. Causæ, ex quibus occasio necessaria ib. q. 2°.
Causa.—A lege deobligans quotuplex 137. An a tota lege deobliget eum, qui partem ejus servare potest 138. An liceat voluntarie apponere causam deobligantem a lege 139. Dispensationis a lege 162. 163; a Bannis (V. Banna); ab impedimentis Matrimonii 1625. Sufficiens ad jurandum 369. q. 1°; ad restrictionem 514; voti irritationem 390. q. 3°; dispensationem 392; commutationem 394. q. 1°. Excusantes a Missa 407, ab operibus servilibus 416, ab abstinentia 551. III. 553. q. 4°, a jejunio 573. sq. (V. Jejunium), ab Officio divino (V. Horæ Canonicæ). Cur lex cesset 165. Pollutionis et motuum carnalium (V. Concupiscentia. Pollutio. Pruritus). Cur furtum cesset esse tale pag. 283-286. Excusantes ab integritate Confessionis 1367. sq, a restitutione bonorum fortunæ 798 sq, famæ 531. 532, a servando secreto 541. Damni inculpabiliter posita 749. q. 3°. Causæ cur cesset obligatio contractus 860. Quid differat ab occasione et ab accidenti in damnificatione 746. 2°. Causæ, ob quas occasio necessaria sit 1429. 4°. Ob quas absolutio conditionate danda 1344. q. 8°.
Censura.—Quid 1660, et quid differat a cæteris pœnis ecclesiasticis ib. § *Hinc.* Quotuplex 1661. Conditiones, ut incurratur 1662, et resolutiones huc pertinentes 1663. 1°. 2°. 3°. 4°. Quid in dubio utrum contracta fuerit 1664. q. 1°. An et qualis ignorantia ab ea excuset ib. q. 2°. q. 3°. et an ignorantes monendi ib. q. 4°. Qualis metus et a quibus censuris excuset ib. q. 5°. An prævia delinquentis monitio necessaria ib. q. 6°. Solemnitates requisitæ, et quid de scriptura apud nos ib. § *Nota.* Quid quoad censuras et pœnas ecclesiasticas præstiterit Const. *Apostolicæ Sedis* 1700 q. 1°. q. 5°, et quæ censuræ latæ sententiæ, in ea Constitutione non expresse enumeratæ, ex antiquo jure remanserint ib. q. 2°. q. 3°.

Qui possint ferre potestate ordinaria 1665. II. 1666. 1°. 2°; delegata 1665. III. 1666. 3°; quomodo delegata cesset et an subdelegabilis 1666. 4°. Episcopus an ferre possit, si sit—ipse censuratus 1667. q. 1°,—extra diœcesim ib. q. 2°, et an in subditum extra diœcesim existentem ib. q. 3°,—in non subditum in sua diœcesi delinquentem ib. q. 5°. Prælati regulares quas censuras ferre possint 1195. B), et an in subditos ubivis existentes 1667. q. 5°.

Subjectum ejus quis 1668. I, et an impuberes ib. II, Episcopi et Cardinales quoad censuras *a jure* 1669. q. 2°, Religiosi quoad censuras episcopales ib. q. 3°, integra Communitas, v.g. coetus Ædituorum ib. q. 6°. An quis pluribus censuris simul ligari possit ib. q. 4°. An appellatio ab incurrenda censura excuset ib. q. 5°. Qui in censuris veniant nomine Mandantium, Consulentium, Defensorum, Receptorum, Auxilium præstantium, Faventium, Adhærentium 1700 q. 4°.

Absolutio ab ea quotuplici modo fieri possit, ante 1670, et quid differat ab absolutione a peccatis 1672. *Nota.* p. 773. col. 2. An semper necessaria 1670. I. A censurâ ab homine per sententiam particularem latâ per quem danda ib. II. A reservatâ per quem ib. § *Quod de.* A non reservatâ, si sit a jure lata, per quem et quomodo ib. III. Quibus in casibus Episcopi, vel eorum delegati, a censuris Papæ reservatis absolvere possint 1402. II, et quandonam, et quo modo, sive omnis sacerdos, sive simplex confessarius a censuris sive Papæ, sive Episcopo reservatis ib. iv. et 1403. q. 1°. q. 2°. q. 4°. q. 5°. q. 7°. Facultas, concessa ab Episcopo pro *peccatis* reservatis, non intelligitur pro reservatis cum censura; secus, si a Papa vel pro papalibus 1671. 2°. Aliæ differentiæ inter reservationes Papales et Episcopales 1400. iv. 1401. q. 2°. Concessio *gene-*

ralis absolvendi a papalibus non comprehendit *specialiter* reservatas 1670. II. § *Si vero*, et concessio pro *specialiter* reservatis quid non contineat 1784. B. I. Quid circa absolutionem censurarum possint confessarii in Jubilæo (V. JUBILÆUM). Quænam a reservatis censuris absolvendi facultates in vigore permanserint post editam Const. *Apostolicæ Sedis* 1753. q. 1°. Quæ forma in absolutione adhibenda 1671. 3°. § *fin.* An valeat absolutio a censura data—absenti 1672. q. 1°,—ab Episcopo absente existenti in diœcesi ib. q. 3°,—invito ib. q. 4°,—ex vi aut metu ib. q. 5°. Facultas absolvendi delegata an in actu Sacramentalis Confessionis exercenda ib. q. 2°, et quid in Jubilæo (V. JUBILÆUM). An obstrictus pluribus censuris possit absolvi ab unâ, remanentibus aliis ib. q. 6°. Quid de absolutione ejus, qui nondum publice reparavit scandalum, propter quod censuræ subjacebat ib. q. 7°, et quomodo in dicto casu scandalum reparandum ib. q. 8°. Qua ratione parti læsæ, v.g. Ecclesiæ, satisfactio, si necessaria sit ad tollendam censuram, exhibenda ib. q. 9°. An et quando juramentum ante absolutionem exigendum ib. q. 10°. Advertenda circa absolutionem censuræ contra damnatos libros 1753. q. 2°. R. 1°; in Clericorum percussores ib. R. 2°; in societates damnatas ib. R. 3°. Rarissime pœnitentem rite dispositum ob censuræ reservationem inabsolutum dimittere oportebit ib. *Nota*. p. 816. col. 2.

CENSURÆ LATÆ SENTENTIÆ, ADHUC SUBSISTENTES, *ordine alphabetico*.

A.

Abortus 1734.
Absentia illegitima Episcoporum 1752.
Absolutio complicis 1715.
Absolvere præsumentes ab excommunicationibus Papæ specialiter reservatis 1732.
Acta S. Sedis impedientes 1713.—V. Læsio. Promulgatio. Recursus.
Administratio.—V. Ecclesia, Receptio.
Admittentes ad divina Officia etc.—V. Communicatio. Excommunicati.
Alienatio et infeudatio locorum S. R. E. 1728.
—— et receptio bonorum ecclesiastic. absque beneplacito apostolico 1738.
Apostasia et Hæresis 1701.—V. Librorum lectio. Sepultura.
Appellatio a Papa ad futurum Concilium 1709.
Asyli violatio 1722.

B.

Bona ecclesiastica.—V. Alienatio. Invadentes. Jurisdictio. Usurpantes.

C.

Celebratio in locis interdictis 1751.
Clausuræ violatio 1723. 1724.
Cogentes judices ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas 1712.
—— mulierem ad ingrediendum monasterium vel impedientes sine justa causa 1741. 5°.
Communicatio cum excommunicato nominatim a Papa 1731. XVI.
Communicatio clericorum cum talibus 1731. XVII.—V. Celebratio. Excommunicati. Ordinatio. Sepultura.
Complicis nomen inquirere.—V. Docentes.
Concubinatus Episcopi 1749. 8°.
Confessionis necessitas ante sumptionem Eucharistiæ.—V. Docentes.
Congregationis S. Officii actionem impedientes 1737.

D.

Denuntiationem omittentes.—V. Absentia. Sectæ. Sollicitantes.
Docentes etc. propositiones et doctrinas damnatas 1718. 1741. 2°.
Duellum 1720.

E.

Ecclesiarum vacantium regimen et administratio 1717. XIII.
Edentes leges etc. contra libertatem etc. 1712.
Ejectio Cardinalium etc. e suis diœcesibus, etc. 1710.
Eleemosynis pro Missis ad lucrum captandum abutentes 1727.
Episcoporum absentium denuntiationem omittens Metropolitanus etc.—V. Absentia.
Excommunicatos nominatim ad div. Officia etc. admittentes 1751.—V. Communicatio.
Executio.—V. Promulgatio.

F.

Falsarii quoad litteras apostolicas 1714. —V. Litteræ.

G.

Gratiæ spirituales.—V. Indulgentiæ.

H.

Hæresis.—V. Apostasia. Librorum lectio. Ordinatio. Sepultura.

I.

Impedientes ab ingressu in monasterium. —V. Cogentes.
Indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus utentes ad questum faciendum 1726.
Interdictum.—V. Celebratio. Ordinatio. Sepultura.
Invadentes etc. terras etc. ad Ecclesiam Rom. pertinentes; usurpantes etc. supremum jurisdictionem in eis 1717.

J.

Jurisdictionem, bona etc., ad personas eccles. ratione suarum ecclesiarum pertinentes, usurpantes etc. 1716.
Jurisdictionis ecclesiast. exercitium impedientes 1711.

L.

Læsio etc. litterarum vel actorum a S. Sede profectorum causa 1713.—V. Congregatio. Promulgatio.
Libertas ecclesiæ.—V. Edentes.
Librorum lectio etc. 1702.
—— impressio 1702. 1741. 1°.
Litterarum et actorum apostolicorum promulgationem vel executionem prohibentes.—V. Promulgatio.
Litteris apostolicis falsis utentes 1735.—V. Falsarii.
Litteræ dimissoriæ a capitulo etc., Sede vacante, concessæ 1749 3°.
—— clericis sæcularibus concessæ, ut ab alio, quam a proprio Episcopo ordinentur 1749. 4°.—V. Ordinatio.

M.
Massonicæ sectæ.—V. Sectæ.
Matrimonio conjungens vel ipsi benedicens absque licentia parochi proprii etc. 1749. 7°.
Matrimonia clandestina vel absque consensu parentum.—V. Docentes.
Matrimonii contrahendi libertatem violantes 1741.
Matrimonium contrahentes in Sacris vel cum votis solem., et cum iis contrahentes 1733.
Mercatura ecclesiasticorum etc. 1732 § *Adde.*
Missarum eleemosynæ. —V. Eleemosynæ.
Monasterium.—V. Cogentes.
O.
Obedientiam erga Rom. Pontificem violantes.—V. Appellatio. Schismatici.
Occisio, Percussio etc. Cardinalium, Episcoporum etc. 1710.
Ordinatio proprii subditi alibi morati absque testimonialibus 1744.
—— alieni subditi absque testimonialibus 1749. 1°.
—— alieni subditi absque litteris dimissoriis 1744.
—— sine idoneis litteris dimissoriis.—V. Litteræ Dimissoriæ.
—— absque titulo cum pacto 1743.
—— Clerici in Congregatione, vel religiosi non professi absque titulo 1745.
—— in aliena diœcesi.—V. Pontificalia.
——per Episcopum titularem absque consensu Ordinarii etc. 1749. 2°.
—— per excommunicatum, suspensum, interdictum nominatim denunciatos ; per hæreticum vel schismaticum notorium 1747.
—— excommunicati. —V. Excommunicati.
—— per saltum 1749. 5°.
—— Clerici sæcularis exteri morantis in Urbe 1748.
P.
Percussio Clericorum vel Monachorum 1719.
—— Cardinalium, etc.—V. Occisio.
Pontificalia exercens in aliena diœcesi 1749. 6°.
Promulgationem vel executionem litterarum vel actorum Sedis Apost. prohibentes etc. 1713.—V. Læsio. Recursus.
Propositiones damnatæ.—V. Docentes.
R.
Raptus mulierum 1741. 3°.
Receptio Prælatorum absque exhibitione Litterarum Apost. 1742.
Recursus etc. ad forum sæculare ad impediendum exercitium jurisdictionis eccles. 1711.
—— ad laicam potestatem ad litteras et acta S. Sedis etc. impedienda 1713.—V. Læsio. Promulgatio.
Regimen.—V. Ecclesia. Receptio.
Religiosi Sacramenta ultima absque Parochi licentia administrantes 1729.
—— Ejecti, extra Religionem degentes 1746.
—— Percussio.—V. Percussio.
Reliquias ex Catacumbis Rom. absque venia extrahentes 1730.
Residentia.—V. Absentia.
S.
Sacramenta administrantes, etc.—V. Excommunicati. Religiosi.
Sacrum Officium.—V. Congregatio.
Schismatici et ab obedientia Rom. Pontificis pertinaciter se subtrahentes 1708. —V. Ordinatio.
Sectæ massonicæ, occultos earum coryphæos non denuntiantes 1721.
Sepulturam ecclesiasticam hæreticorum vel apostatarum notoriorum aut nominatim excommunicatorum vel interdictorum mandantes seu ad eam cogentes 1736.
Simonia 1725.
Sollicitantes in Confessione culpabiliter infra mensem non denuntiantes 1739.
Suspensio.—V. Ordinatio.
U.
Usurpantes etc. alicujus ecclesiæ etc. bona, census etc. 1740.—V. Invadentes. Jurisdictio.

CENSUS.—Quid, quotuplex 1027, an et qualis licitus 1028-1031.

CERTITUDO.—Quid, quotuplex, et quænam requiratur ad formandam conscientiam certam 47. Sufficiens ad jurandum 369. q. 2°. Fidei 248. 256. Spei 269. Mortis prioris conjugis quomodo acquiratur 1601. q. 3°.

CESSATIO. — Legis 165, dispensationis 164, consuetudinis 187, privilegii 196. — V. CAUSA.

CESSATIO A DIVINIS.—Quid, quotuplex 1697, et ob quas causas ea, quæ dicitur *a jure*, statuatur 1329. q. 4°. q. 5°.

CESSIO BONORUM.—An et quando liberet ab integra solutione 861. q. 4°. Cedens bonis quid sibi retinere possit ib. q. 5°. Cessurus bonis an creditorem petentem vel non petentem in debiti solutione præferre possit 788. III. 790. q. 6°. q. 7°. q. 8°. Casus varii 862.

CHIROMANTIA.—337.

CHIROGRAPHA.—Privata incerta, litigiosa, difficilis solutionis, pecuniâ numeratâ emuntur infra eorum valorem numericum, et paulo minoris etiam liquida 998. R. 1°. Commercii, quæ publice emenda exponuntur in foro mercatorio, emi possunt pretio currenti ib. R. 2°.

CHIRURGUS.—Ejus obligationes et peccata 1078.

CHLOROFORMUM.—Ejus usus in operatione chirurgica 244. q. 3°.

CHOCOLATUM.—Sumptum in modica quantitate (1½ oz.), uti apud nos, et semel tantum in die, non frangit jejunium 558. q. 4°.

CHOREÆ.—Quæ *per se* illicitæ 1440. Ut scandalum 295. 8°. Ut occasio 1441. Caupo eas admittens 310. c). Cooperatio ad inhonestas per musicam, etc. 320. 1). "*Round dances*" 1441. c) et § *Sed quæritur.* Parochi et confessarii officium quoad eas 1442.

CHRISMA.—V. CONFIRMATIO.

CIRCUMSTANTIÆ.—Actus humani quid, quot, et quomodo moralitatem ejusdem afficiant v.g. aggravando malitiam vel eam minuendo, ejus speciem mutando, actum bonum corrumpendo 27. Inductionis ad peccatum

an confitenda 294. *quær.* An *per se* concubinatûs 493. Speciem mutantes, si gravem inducant malitiam, accusandæ 1364. I; item illæ, quarum ratione peccatum ex genere suo veniale fit mortale ib. III; non vero leviter aggravantes aut minuentes, nec, juxta sententiam *communiorem* et *probabiliorem*, *notabiliter aggravantes* malitiam mortalium intra eandem speciem, nisi *per accidens* 1365. q. 1°. Incestûs in primo gradu lineæ rectæ, patrati cum consanguineis vel affinibus, exprimenda, etc. ib. q. 2°. Dignitatis personæ *per se* non accusanda ib. q. 3°, nec peccati confessarii cum pœnitente, modo non habeat relationem ad Confessionem ib. q. 4°, nec temporis sacri ib. q. 5°. *Per se* satisfacit qui peccatum recens accusat tanquam olim commissum, nisi mentiatur, etc. ib. q. 6°. Necessario accusandus est actus externus peccati ib. q. 7°, non vero *per se* numerus personarum, cum quibus peccatum fuerit ib. q. 8°, sed ratione scandali 294. 3°. Propinquitas personarum in peccatis odii declaranda est, si est *propior*, non vero si *remotior* 1365. q. 9°.

Cives.—Eorum obligationes erga Rempublicam 457, peccata 458, rebellio 459, cooperatio ad injustam patriæ occupationem 318. Præstantes juramentum in publicæ rei perturbationibus 369. q. 5°.

Clandestinitas.—Ut impedimentum Matr. de jure ecclesiastico dirimit contractum sine assistentia parochi et duorum testium 1603. 1604. Hoc impedimentum certo vim habet ubi Decretum "*Tametsi*" (1604), tamquam conditio sine qua non valoris Matrimonii, aliquando fuit servatum 1605. a); nec requiritur ut adsit verus parochus ib. b); nec nova promulgatione opus est in parochia per viam dismembrationis ex alia, in qua vigebat, erecta ib. c). In quibusnam casibus non obliget 1606. *Probabiliter* valide publicari non potest Decretum *Tametsi* extra parochias proprie dictas, secluso Indulto Pontificio 1607. Elenchus locorum Americæ Fœderatæ, in quibus liget Decretum 1608. A); Americæ Britannicæ ib. B; orbis 1611. Hæretici in Septentrionali America decreto non ligantur, nec consequenter Catholici 1609. In quibus aliis orbis partibus hæretici et cum eis contrahentes Catholici non ligentur 1611. C). Contrahentes in locis, ubi Decretum non viget, graviter peccant, si negligant operam sacerdotis; tenentur quoque *per se* adhibere testes 1610. Duo vagi Catholici invalide contrahunt clandestine in loco, ubi viget Decr.; secus, si una pars est hæretica 1612. q. 1°. Domiciliati in loco, ubi viget Decr., transeuntes in locum, ubi non viget, invalide contrahunt, nisi alteruter ibi acquisierit saltem quasi-domicilium; excipiendum etiam, si *non* in fraudem legis in hunc locum transierint ib. R. 2°. Domiciliati in loco, ubi non obligat Decr., si contrahant in loco, ubi obligat, invalide hoc faciunt clandestine ib. R. 4°. Matrimonium ob impedimentum clandestinitatis invalidum vim habet sponsalium pro impuberibus; pro aliis non, nisi contrahentes expresse intendant se in defectu Matrimonii ad sponsalia obligare ib. q. 3°. An vigeat Decretum in ecclesia recenter formata apud hæreticos ib. q. 5°. De assistentia parochi (V. Parochus). Testes quales sufficiant de valore 1603.

Clerici.—An subjiciantur legi civili 112. Quid agere debeant, ne violare videantur jus immunitatis ecclesiasticæ, dum leges eidem adversas servare coguntur 113. Eorum dominium, seu bona ad illud pertinentia 629. Reditus superfluos apud nos non tenentur causis piis impendere 630. Quando et quomodo teneantur ad salarii sui restitutionem ib. § *Unus tantum*. Eorum obligationes — *positivæ*: vitæ sanctitas 1082; cælibatus (V. Cælibatus); habitus et tonsura 1088; horæ canonicæ (V. Horæ Canonicæ); scientia conveniens; convenienter obire munus; obedientia Episcopo, ante 1082:—*negativæ*, seu ea, quæ Clericis prohibentur 1132. Eorum privilegia 1143. Curam animarum habentes an religiosi fieri possint, invito Episcopo 1158.

"Clerk of the Court."—V. Scriba.

Codicillus.—Quid 914.

Cœlibatus.—Obligat Clericos in Sacris 1083. Non est de jure divino 1084, sed ecclesiastico, at mediante voto 1085, nec extra Ecclesiam Latinam universalis 1086. Quid, si quis expresse nollet castitatem vovere 1087.

Cœnula.—V. Jejunium.

Cogitatio.—An liceat delectari de rei malæ cogitatione 233. Quid agendum cum pœnitente se de prava cogitatione accusante 235. Quid si de scrupuloso agatur 44. II. 4°.

Cognatio.—Ut imp. Matr. triplex: 1 naturalis (V. Consanguinitas); 2 spiritualis; 3 legalis.

Spiritualis de jure ecclesiastico dirimit 1° inter Ministrum Baptismi et Confirmationis et subjectum, hujusque genitores; 2° inter patrinum vel matrinam, et filiolum vel filiolam, eorumque genitores 1584. Varii casus, in quibus contrahatur vel non 1585.

Legalis duplex: a) perfecta seu adrogatio 1586. 1°; b) imperfecta seu adoptio ib. 2°, prout adoptatus transit in potestatem et familiam adoptantis et omnia filii legitimi jura acquirit vel non 1586. In dubio de existentia hujus impedimenti consulantur leges civiles, quatenus Juri Romano conformes vel non ib. Perfecta dirimit de jure ecclesiastico; inter quas personas ib. II. et 1587. q. 1°. Imperfecta *probabilius* non dirimit ib. q. 2°.

Cohabitatio conjugum.—Jure naturæ 441. 2°. 1648. 1°; nostro 445. 2°. 3°.

Collatio serotina.—V. Jejunium.

Collegia ("*Corporations*").—Jure nostro quid 614. Quotuplicia 615. A quo jus collegii concedendum 616. Quæ eorum jura 617. Quomodo dissolvantur 618. Ecclesiastica a tributis eximi *solent* 620. 3°; obnoxia infidelitati directorum et revocationi 622. § *Nec secundus;* sunt tamen unus ex modis, quibus communitates religiosæ et piæ institutiones securitati bonorum suorum provideant 623. 7°. a).

Colloquia.—Tenera cum personis alterius sexus periculis plena, præsertim, etc. 492. 5°.

COLUMBÆ.—646. 2°.
COMŒDIÆ.—Quotuplices 1443. Ut scandalum 295. 8°. Cooperatio ad eas 1444. R. 2°. 2). Ut occasio 1444. R. 2°. 3). Praxis quoad eas tenenda 1444.
"COMMISSION-MERCHANTS."—V. PROXENETA.
COMMIXTIO, *ut species accessionis.*—673. b) 2.
COMMODATUM.—Quid 921. Obligationes ex eo existentes commodatario 922, commodanti 923. An commodatarius in periculo rem commodatam suæ præferre teneatur 757. q. 17°.
COMMUNICATIO IN SACRIS.—Cum hæreticis 313. 314.—V. CENSURÆ LATÆ etc. EXCOMMUNICATIO. INTERDICTUM. SUSPENSIO.
COMMUNIO.—V. EUCHARISTIA *ut Sacramentum.*
COMMUNIO PASCHALIS.—Præcepta 549. I, intra tempus ab Ecclesia statutum, vel, uti apud nos, indultum ib, quod tempus qui elabi sinit, licet per unum tantum diem, *per se* graviter peccat 550. q. 2°, et quamprimum communicare debet ib. q. 1°; tempore autem incepto, qui impedimentum prævidet, illud vel auferre vel prævenire debet ib. Sumenda est in propria parœcia 549. II; apud nos vero ubique sumi *per se* potest 549. § *fin.*
COMMUTATIO.—Voti quid, quotuplex, quibus competat 393. Quâ de causâ licita 394. q. 1°. An, commutato voto, ad primum redire liceat aut oporteat 394. q. 2°. 395. Juramenti 373. q. 4°.—V. JUBILÆUM.
COMPENSATIO.—Liberans a restitutione 799. 2°.
COMPENSATIO OCCULTA.—Quid et an licita 708, et quibus sub conditionibus 709. An licita famulis, operariis, officialibus, etc. judicantibus salarium suum esse infra operam a se præstitam 710. q. 1°; famulo operas debitas augenti ib. q. 2°; filio plus cæteris laboranti 603. R. 2°. c); damnato a judice ad solvendum debitum non contractum vel jam solutum 711; ex testamento informi 917. 2°; non prius recurrenti ad judicem 712. An a confessario suadenda, permittenda, et quid post factum ib. *Monit.*
COMPLACENTIA.—V. GAUDIUM.
COMPLEXUS.—Ejus nomen confessario petere non licet 1369. q. 3°; id vero non ita interdictum est, ut in nullo liceat casu ib. q. 4°. Confitendum peccatum, quod declarari nequit sine infamatione complicis, vel alterius ib. q. 1°. q. 5°. Causæ excusantes a quærendo confessario, cui complex sit ignotus ib. q. 2°. Confessarius absolvere non potest complicem suum in peccato turpi 1404. I, et caret omni jurisdictione ad illum absolvendum quoad peccatum turpe, cujus fuit particeps ib. II. Nomine peccati *turpis* venit omne peccatum ex utraque parte certo mortale contra Sextum et externum, quatenus mutuum 1405. q. 1°. Nomine complicis veniunt non solum mulieres, sed etiam viri ib. q. 2°. Sacerdos eum potest absolvere in articulo, vel periculo mortis, si non possit advocari alius sacerdos ib. q. 3°, vel si alius nequeat advocari, vel accedere, sine periculo infamiæ, aut scandali (quod tamen periculum præcavere debet sacerdos complex) ib. q. 4°, vel si complex alteri confiteri recuset ib. q. 5°. Potest eum etiam absolvere ab aliis peccatis, postquam semel ab alio fuit absolutus, excepto etc. ib. q. 6°.
"COMPROMISE."—V. TRANSACTIO.
CONCILIA.—An et quatenus leges ferre possint 102.
CONCIO.—An audienda 398. III. Facienda ab Episcopo 1135, a Parocho 1140. Quid de eâ quoad Regulares 1198. Qualis esse debeat, et quid in ea vitandum 1140.
CONCIONATOR.—Imparatus 345. 4°.—V. CONCIO.
CONCUBINATUS.—Quid 1438. Proprie et improprie dictus ib. Quotuplex: sc. publicus etc. 1439 q. 2°. In eo vivens an aliquando absolvi possit, antequam concubina sit dimissa, vel concubinarius derelictus ib. Concubinarius non est, sed sæpe ad separationem tenetur, qui *raro* cum fœmina domestica peccavit 1439. q. 1°. Qui publice habetur ut concubinarius et non est, vix tenetur dimittere fœminam, si laicus; secus, si Clericus 1439. q. 3°. Si per Matrimonium provideri possit saluti concubinariorum, expedit remedium istud, et, ad prolem legitimandam, adhibendum ib. q. 4°.
CONCUPISCENTIA.—Impedimentum voluntarii quando 12-14. Quomodo motibus carnalis concupiscentiæ resistendum 234. An mortale ponere actionem, ex qua motus turpes secuturi sint 206. q. 8°. Quando mortales motus turpes 504. 8°.
CONDITIO.—In contractu quid et quotuplex 869, quomodo implenda 870. 1°. 4°, quando irritans ib. 2°, suspendens ib. 3°, impleta ib. 5°.—V. ABSOLUTIO. CONDITIO SERVILIS. CONSENSUS. PUBLICA HONESTAS. SACRAMENTA *in genere.*
CONDITIO SERVILIS.—Ignorata irritat Matr. de jure ecclesiastico 1576. III, et quatenus apud nos attendenda 1577. 4°.
CONDONATIO.—Debiti libera ab eo, qui potest condonare, excusat a restitutione in perpetuum 799. 1°, *probabilius* etiam rationabiliter præsumpta 804 q. 7°.
CONFESSARIUS.—Dum *in Ecclesia* Confessiones audit, indutus esse debet superpelliceo et stola violacea, nisi etc. 1344 q. 9°. Ejus munus est quadruplex: 1° Patris; 2° Medici; 3° Doctoris; 4° Judicis, ante 1413. De officio Patris in principio, decursu, fine Confessionis 1413-1416. Tanquam medicus, debet causam morbi cognoscere, morbum sanare, relapsum præcavere 1417-1419. Ut doctor, tenetur sub gravi scire ea omnia, quæ ad munus suum rite obeundum requiruntur 1420. I; non tamen scientiam adeo perfectam habere, ut possit *semper statim*, et *per seipsum* omnes occurrentes dubitationes solvere ib. II. 1), aut de *singulis* peccatis accusatis discernere an sint mortalia ib. 2), nec in omnibus eadem requiritur scientia, et in articulo mortis etiam ignarus, deficiente alio, absolvere debet ib. 3). Resolutiones 1421. Tenetur docere pœnitentes ea omnia, quæ pertinent ad Sacr. hic et nunc rite suscipiendum 1422. I, item ubi advertat, quempiam aliquid ex iis ignorare, quæ necessaria sunt ad christiane vivendum ib.

II. Non tamen, *per se* et *stricte*, illos instruere de omnibus, quæ ipsi scire debent, sed aliunde discere possunt ib. III. In docendo pœnitente de gravitate peccati caute procedat ib. IV. An semper monendus pœnitens laborans ignorantia circa aliquam obligationem 1423. q. 1°. Monitio in dubio quando facienda, vel omittenda ib. q. 2°. Generatim non monendus conjux de invaliditate Matrimonii ob occultum impedimentum, quod detegit confessarius, donec ipse obtinuerit dispensationem; imo potest eum obligare ad reddendum debitum ib. q. 3°. Generatim tamen nupturiens de impedimento ignorato monendus ib. q. 4°. Qua judex, ante 1424.—V. Absolutio. Interrogationes. Occasio. Ejus officium post Confessionem.—V. Error. Sigillum. Detegens pœnitentem esse surdum.—V. Surdus. Scrupulosi 44. An et quando opiniones benigniores sequi debeat 87. Non satis callens idioma pœnitentis 1368. 2°.

Confessio.—Mulierum excipienda in Ecclesia, nisi etc. 1344 q. 9°. Omnibus post Baptismum in mortale lapsis necessaria *de jure divino* 1356. I, etiam de jure *ecclesiastico*, saltem semel in anno, omnibus fidelibus, qui graviter peccaverunt ib. II.—V. Confessio annua. Præceptum divinum urget *per se* in periculo et articulo mortis et aliquando in vita; aliquando etiam *per accidens* 1357. q. 1°; non tamen statim ac patratum est peccatum ib. q. 2°. Sit: integra, simplex, humilis, discreta, fidelis, vocalis, mœrens, parere parata 1358. Surdi simul et muti *aliquo modo* confiteri tenentur 1369. q. 6°. Ignari idiomatis loci non tenentur confiteri per interpretem, nisi in periculo mortis de contritione dubitent 1369. q. 9°. Lethalium moraliter certo invalida repetenda 1375. I. Valida, si careat integritate, non repetenda; sed supplendus defectus ib. II. Repetitio invalidæ *ex integro* facienda, si pœnitens novum adeat confessarium; secus, si eundem. Confessionis adhuc memorem ib. III. Invalida apud eundem confessarium non repetenda ex integro, licet hic *in confuso* tantum de peccatis recordetur, aut etiam eorum oblitus fuerit, dummodo habeat sufficientem notitiam de statu pœnitentis 1376. q. 1°. Cum dubia contritione facta *per se* non repetenda ib. q. 2°. Repetenda *explicite* omnia peccata, quæ antea confessario mere historice narrata fuerunt, si confessarius eorum non recordetur *distincte*; secus non ib. q. 4°. Non repetenda, si confessarius ante absolutionem oblitus fuerit peccatorum accusatorum, dummodo recordetur, saltem in confuso, status pœnitentis ib. q. 5°. An pœnitens teneatur totam retexere Confessionem, si, ea finita, animadvertat confessarium ob somnum, distractionem, etc. peccata aliqua non percepisse, et nesciat qualia ib. q. 6°. Generalis quid, ante 1378. Necessaria, quoties præcedentes Confessiones moraliter certo invalidæ, aut sacrilegæ fuerunt 1378. 1ª Reg., et permittenda, aut etiam *prudenter* suadenda, quando pœnitens notabilem fructum ex ea percepturus est; secus prohibenda ut inutilis vel nociva ib. 2ª Reg., nec facile confessarii pœnitentes ad eam compellere debent 1379. 4°. Modus eam peragendi 1380. Infirmorum 1510. q. 4°. R. 3°. 1511. q. 5°. Puerorum ante primam Communionem, sc.: 1) annua ejusdum obligatio; 2) debita præparatio; 3) quid præstare debeat confessarius in ipsa parvulorum Confessione *ib.* Parvulorum, qui absolutionis nondum sint capaces *ib Nota.* Adolescentium post Primam Communionem: 1° Nulli curæ parcat confessarius ut sæpius per annum accedant; 2° verbis durioribus eos a se non avertat; 3° videat quibus peccati periculis exponantur; 4° displicentiam non ostendat 1483. Personarum alterius sexus 1484. Personarum spectatæ conditionis, puta sacerdotis, Prælati 1485. Personarum pietatem profitentium. Ad perfectionem ducantur; 1° Ordinate et per gradus; 2° exerceantur in obedientia; 3° orationi mentali incumbant, et Sacramentorum frequentationi 1486. Moribundorum 1368. 1°. 4°. 5°. 1370. 1371. 1511. q. 5°. 1753. q. 2°. R. 3°.

Confessio annua.—Hujus præceptum a° 1215 latum 547, obligat omnes qui mortaliter peccarunt, licet nondum septennes 548. q. 1°. q. 2°, et *quamprimum* eos, qui annum elabi passi sunt, et eos, quibus nunc est occasio, quæ per reliquam anni partem defutura sit ib. q. 3°. Non opus est ut fiat Parocho ib. q. 4°. Annus ex consuetudine computatur a Paschate ad Pascha 1356. II.

Confirmatio.—Quid p. 494.

Materia remota *valida* Chrisma, ex oleo olivarum et (*probabilius* 1271. q. 1°) balsamo confectum, benedictum (secundum *communem* 1271. q. 2°), et quidem ab Episcopo vel (juxta S. Alph. 1275. q. 1°) a sacerdote per Papam delegato 1270. I. Materia remota sub gravi *præcepta* Chrisma anni, currentis a Feria V. in Cœna Dñi 1271. q. 3°. Materia proxima 1270. II. 1271. q. 5°. q. 6°.

Forma 1272. 1273.

Minister ordinarius de *valore* Episcopus 1274. I; extraordinarius sacerdos a Papa delegatus, qui tamen uti debet Chrismate per Episcopum benedicto ib. II. et 1275. q. 1°. De *liceitate* Episcopus proprius, et in propria diœcesi, ubi tamen, juxta consuetudinem, etiam alienos confirmare potest 1275. q. 2°. R. 2°. Quandonam Episcopus teneatur confirmare 1275. q. 3°. q. 4°.

Subjectum *validum* omnis et solus baptizatus, nondum confirmatus 1276, habens, si de adulto agitur, intentionem saltem interpretativam 1240. R. 2°. *Licitum* idem, sed, si de adulto agitur, versans in statu gratiæ, rudimentis doctrinæ christianæ imbutus, et, apud nos, quandocumque Confirmatio pluribus confertur, munitus schedula a pastore sibi data 1277. q. 3°. Non debet esse jejunus ib. q. 4°. Obligatio aliquando recipiendi Confirmationem, si non desit opportuna occasio, gravis est 1277. q. 1°. Patrinus 1277. q. 3°. R. . . . 4°. 1584.

Confraternitas.—Quid. Origo. A quibus erigi possit 1790. q. 1°. Servanda in instituendis, aggregandis, gubernandis confraternitatibus 1790. q. 2°. Quas cum Indulgentiis eisdem a S. Sede annexis instituere possint Episcopi nostri p. LXXIII. n. 9. Monita Conc. Pl. Balt. II. circa con-

fraternitates 1790. q. 4°. Confraternitates Scapularium 1793.

CONFUSIO, *ut species accessionis.*—673. b) 2°.

CONGREGATIONES ROMANÆ.—Quæ præcipuæ 172. Earum auctoritas 173. q. 3°. 1666. 1°; an infallibilis ib; universalis ib. q. 4°. An promulgandæ earum decisiones ut obligent ib. q. 5°. An et quæ authenticæ earum collectiones ib. q. 6°. Unde quandoque videantur contradictoriæ ib. q. 7°; et quid si revera sint 1335. IV. Præcipuæ earum clausulæ quid significent 174.

CONJUGES.—Eorum obligationes 441. Jure civili nostro 445. Turpes sermones inter se miscentes 492.—V. DEBITUM CONJUGALE. DIVORTIUM. MATRIMONIUM. ONANISMUS. VOTUM.

CONSANGUINITAS.—Ut imp. Matr. quid 1580. Dirimit saltem de jure *ecclesiastico indefinite* in linea *recta* 1581. I; et usque ad quartum gradum inclusive in *collaterali* ib. II. Triplex regula ad gradus computandos: 1) In linea *recta* tot numerantur gradus, quot personæ, stipite dempto 1582. I^a. 2) In *collaterali æquali* tot, quot personæ in *una* parte, stipite dempto ib. II^a. 3) In collaterali *inæquali* tot, quot personæ in parte *remotiori*, stipite dempto ib. III^a. In primo gradu lineæ rectæ certo dirimit de jure *naturali;* in *cæteris probabilius* non, nec *probabiliter* in tota linea collaterali 1583. q. 1°. Quomodo inveniri possint gradus consanguinitatis ib. q. 2°, et quinam sint consanguinei collaterales ib. q. 3°. Arbor consanguinitatis p. 710. In petitione dispensationis ab hoc impedimento semper exprimenda copula incestuosa 1625. q. 2°. Si, obtenta jam dispensatione, copula locum habuerit ante executionem dispensationis, nova requiritur dispensatio; secus, si post executionem; nec nova requiritur, si post obtentam dispensationem copula iteretur 1625. q. 8°. q. 9°.

CONSCIENTIA.—Quid et quotuplex 32. Quid vera et quomodo differat a recta 33. Erronea, vincibiliter talis, quando 34. Qualem conscientiam sequi oporteat, liceat, non liceat 35. Criterium practicum invincibiliter erroneæ 36. Quid perplexa et ea laborans ad quid teneatur 37. Scrupulosæ notio 38, causæ, signa, damna, remedia 39–43. Regulæ ab ipsis scrupulosis eorumque confessariis servandæ 43. 44. Laxæ notio, divisio 45, reatus, causæ, effectus, remedia 46. Certa quid, et quotuplex certitudo 47. Sola certa est recta regula morum, et quæ certitudo requiratur et sufficiat ib. 49–51. Dubia quid, et quotuplex dubium 48. Quid de dubio mere negativo 49. Probabilis quid, quæ variæ probabilitatis species 52, quomodo ad invicem comparentur 53, et quid differant opinionis probabilitas et ejusdem securitas 54. Quid proprie constituat opinionis alicujus probabilitatem 55, et quando practice ut talis habenda sit 57. Quis judicare valeat de opinionis alicujus probabilitate intrinseca 56. 1°, extrinseca ib. 2°, et quomodo indocti ib. 3°. Quomodo S. Alphonsi judicium de probabilitate alicujus opinionis dignoscatur p. LXXXVIII sq. Cætera vide V. ÆQUIPROBABILISMUS. LAXISMUS. PROBABILISMUS COMMUNIS. PROBABILIORISMUS. RIGORISMUS. RIGORISMUS MITIGATUS.

CONSCRIPTIO *ad militiam.*—Se ei subtrahentes desertione 825 q. 2°, sine veris causis 827, et quid, si se locaverunt pro aliis 826.

CONSECRATIO EUCHARISTIÆ.—V. EUCHARISTIA, *ut Sacramentum.*

CONSENSUS.—Ad Matrimonium requiritur mutuus, de præsenti, deliberatus et voluntarius, signis externis manifestatus 1547. II. III. Ex Rubrica Ecclesiæ *per se* sub veniali *verbis* exprimi debet 1548. q. 2°. *Valide*, servatis servandis, per procuratorem præstatur, sed generatim non *licite* ib. q. 3°. Sub conditione de *præterito* vel *præsenti*, verificatâ, verum efficit Sacramentum; item sub conditione de *futuro*, honestâ, possibili, et impleta, nisi retractatus fuerit. Consultius tamen renovatur ib. q. 5°. Conditionatus, seclusa urgentissimâ causa, illicitus ib. q. 6°. Nec *valet*, si conditio, expresse apposita, repugnet *essentiæ* Matrimonii ib. q. 6°. Qui *ficte* consensit; 1) non potest petere nec reddere debitum, priusquam vere consenserit; 2) *ordinarie* tenetur *vere* consentire ib. q. 7°. Parentum in Matrimonium filiorum de *validitate* non requiritur; nec etiam de *liceitate*, si *injuste* denegetur ib. q. 8° et 9°. Regulæ prudentiæ a Parocho et confessario servandæ, deficiente parentum consensu ib. q. 10°. Renovatio consensus (V. REVALIDATIO). Ad contractum et sponsalia requisitus (V. CONTRACTUS. SPONSALIA). Principis ad consuetudinem 185. III. Requisitus ad mortale, ad venialc 201. q. 2°. q. 3°. 206. q. 9°. Parentum ad statum vitæ filiorum 425. q. 1°. 426. q. 4° II, ad ingressum Religionis ib. q. 2°. 1153.

CONSENTIENS.—V. SUFFRAGATORES.

"CONSTABLE."—Quid 1066. Ejus obligationes ib., peccata 1067.

CONSUETUDINARIUS (*habituatus*). — Quis; distinguendus a recidivo 1470. Quot actus sufficiant ad pravum habitum contrahendum 1470. Habituatus ex incontinentia; in malâ voluntate ib. An semper statim absolvendus 1471.

CONSUETUDO.—Quid et quotuplex 183. 184. Legitimæ conditiones 185, effectus 186, abrogatio 187. Quid de consuetudinibus contrariis Tridentino 188, Rubricis 1336, hujus regionis 189. Mala 184. 3°, a jure non repulsa, a jure abrogata, prohibita, reprobata ib. 4°. Blasphemandi 362. 3°.—V. CONSUETUDINARIUS.

CONSULENS.—Quis, ante 762. Quando restituere teneatur 762. I. II. III § *Secus vero* 766. 4°. Quando non ib. III Hinc non teneris, si *vel* consilium debito modo revoces ante executionem damni, nisi etc. 763. q. 1°; *vel* parato majus damnum inferre suadeas eidem (non alteri) personæ minus inferre ib. q. 2°; *vel* modum mere accidentalem damnificationis consulas 764. q. 4°: *vel* determinato ad damnificandum nec animum mutaturo suadeas, ut damnum citius inferat ib. q. 5°. Consulens malum alteri id advertenti non tenetur de damnis, quæ hic passus est pravum consilium exequendo, nisi etc. 764. q. 3°. Quid, si consilium doctrinale dederis 765. q. 7°, 766. 1°. Tenentur ad restitutionem plures simul

consulentes, licet unius tantum consilio damnum illatum fuisset 766. 3°. Tenetur de excessu qui majus damnum suasit quam alioquin illatum fuisset 766. 2°. 764. q. 4°. An consulens primario ad restitutionem teneatur 765. q. 6°. 766. 5°, et erga quem teneatur dans pravum consilium doctrinale 765. q. 7°.

CONTEMPTUS.—An et quando gravis in violatione legis 128, regulæ religiosæ 1176 § *fin*, in obligatione tendendi ad perfectionem 1181, in obedientia religiosa 1174. 2°.

CONTRACTUS.—Quid et quotuplex 828. Ejus essentia, natura, accidentalia 829.

Ad eum requiruntur—MATERIA (id omne quod sub hominis dominium cadere potest et cujus contrahentes liberam habent administrationem) APTA, scil. : *possibilis* physice et moraliter 830. 1°, in toto vel in parte 831. q. 3° ; *existens*, saltem in spe probabili 830. 2° ; *honesta* substantialiter ib. 3°, ita ut res, ex turpi contractu accepta, ante positionem operis turpis (non item post) restituenda sit 834. q. 6° ; *propria* contrahentis 830. 4°. 831. q. 1°. q. 2° ; *certa* et *determinata* 830. 5° ; *pretio æstimabilis*, seu talis quæ contractum non reddat simoniacum 832. 833 ;—SUBJECTUM CAPAX jure tum naturali 835. I, tum positivo ib. II, quo inhabiles sunt, saltem in multis et ad firmiter contrahendum, minores, uxores, mortui civiliter, interdicti, alienigenæ, de quibus singulis V. sub his ipsis verbis ;—CONSENSUS legitimus, scil. : *externus* 845. 1° ; *internus* ib. 2°, ita ut non valeat contractus sine animo se obligandi, licet ex eo sequatur obligatio etc. 847. 1°) ; valeat autem sine animo implendi initus 846. q. 1° ; *mutuus* 845. 3°, non tamen necessario ab utraqua parte simul eliciendus 846. q. 2° (casus 847. 2°. 3°. 4°. 5°) ; *liber et deliberatus* 845. 4°, qualis sæpe non reputatur is, cui obstat error vel metus.—V. ERROR. METUS.

Obligatio contractus quid, ante 858. Paritur ex parte saltem unius ex contrahentibus 858. I ; pertinet ad solos contrahentes, eorumve locum tenentes aut cum iis causam habentes ib. II ; extenditur etiam ad omnia consectaria, quæ pro contractus natura postulant æquitas, lex aut usus ib. III. Quorsum obliget rescindibilis 859. q. 1°, et an in conscientia initus absque formalitatibus ad ejus valorem a jure civili præscriptis ib. q. 2°. Quomodo cesset ejus obligatio 860.—V. etiam CESSIO BONORUM.

Modificationes contractuum quid, ante 864. Præcipuæ sunt—*juramentum*, cujus, qua talis, obligatio non transit ad hæredes 864, et quod non firmat contractus irritos sive jure naturæ 865. I, sive positivo ob bonum commune ib. II : nec servandum quoties sine jurantis peccato servari nequit ib. III ; ex virtute autem religionis, quousque non relaxetur, servandum, si contractus irritetur in favorem tantum promittentis ib. II, aut apponatur contractui rescindibili tantum 866, aut metu extortum fuerit ad firmandum contractum ex metu irritum 867 ;—*modus* (quid, quotuplex 868), ex justitia servandus, nisi etc. ib. *Resolves* 1°, habendus pro non adjecto, si turpis aut impossibilis, nisi etc. ib. 3°, et cujus violatio *ordinarie* non irritat contractum ib. 2°. Cætera V. MODUS ;—*conditio*.—V. CONDITIO.

Gratuiti qui, ante 871. Onerosi, ante 954. Subsidiarii, ante 1032. Aleatorii 1037.

CONTRACTUS ALEATORII. — V. ALEATORII CONTRACTUS.

CONTRITIO.—Definitur, et ejus objectum determinatur positive et negative 1345. Datur : *perfecta* et *imperfecta ; formalis* et *virtualis* 1346. Perfecta cum voto Sacramenti, vel imperfecta cum ipso Sacramento peccatori omnino necessaria necessitate medii ad justificationem et salutem consequendam 1347. I. Supposito peccato mortali, necessaria necessitate præcepti, saltem aliquando in vita, et quidem præcepti divini tum naturalis, tum positivi, et ecclesiastici ib. II. Obligat modo *per se*, modo *per accidens* ib. III. Qui in actuali articulo mortis suscipit Sacr. Pœn. cum attritione, tenetur insuper elicere actum contritionis perfectæ, occurrente memoria peccati 1348. q. 1°. Actus doloris moraliter perdurare potest per unum, aut etiam alterum diem, si hic actus *efficaciter* moveat ad Confessionem ib. q. 5°. Quid si simpliciter elicitus in ordine ad Confessionem ib. Requiritur novus actus ad novam absolutionem recipiendam, quando pœnitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur ib. q. 6°. An dari possit Sacr. Pœn. validum simul et informe ob insufficientem contritionem ib. q. 7°. Dotes necessario requisitæ ad validitatem tum perfectæ, tum imperfectæ, sunt : 1° sit interna ; 2° supernaturalis ; 3° summa ; 4° universalis ; et, si de suscipiendo Sacr. Pœn. agitur, 5° formalis et 6° elicita in ordine ad Confessionem 1349. Non requiritur *intensive* summa 1350. q. 1°, nec comparatio *formalis* in appretiatione inter varia mala et peccatum, vel Deum ib. q. 2°, nec *per se* ulla temporis diuturnitas ad veram ac summam concipiendam ib. q. 3°. De venialibus debet esse : 1° interna ; 2° supernaturalis ; 3° summa ; 4° formalis ; 5° elicita in ordine ad Confessionem ib. q. 4°. Perfecta hominem *per se* justificat, etiam extra Sacr. Pœn. 1351. I · at non nisi cum voto, saltem implicito, Confessionis 1351. II. 1352. q. 1°. Remittit non tantum culpam, sed etiam pœnam, imo quandoque omnem pœnam 1352. q. 2°.

CONTUMELIA.—Quid 433. Restitutio ob eam 534. II. 535.

CONVERSATIONES (" *Visits.*" " *Parties*" etc.). —Quotuplices ; et quale sit periculum in iis adeundis 1445. Praxis tenenda circa varia conversationum genera 1446.

" CONVEYANCER."—V. NOTARIUS.

CONVICIUM seu *improperium*.—Quid 533 § *Ad contumeliam*. Restitutio ob illud 534. II. 535, notanter 4°.

COOPERATIO.—Quid et quotuplex 302. 303. 308 § *Conclusio ex*. Formalis semper illicita 304, materialis quando 306. Cauponum ad violationem abstinentiæ 310. a), ad ebrietatem ib. b), ad luxuriam ib. c), ad noxiam lectionem ib. d), ad violationem Dominicæ ib. e). Convivas apud

se habentium (*"Boardinghouse-keepers"*) ad violationem abstinentiæ ib. a). Famulorum ad violationem abstinentiæ 311. a), ad libidinem ib. b). Aurigæ publici aliquem ad lupanar vehentis ib. *Quær.* p. 136 col. 1. Opificum ac mercatorum ad abusum materiæ, quam conficiunt aut vendunt 312. Catholicorum ad Sacra hæreticorum 313. 314, ad impressionem aut divulgationem librorum hæreticalium 315–317. Civium ad injustam patriæ occupationem 318. Invitantium alios ad quidpiam præstandum, quod sine peccato non præstabunt 319, v.g. pejeraturum ad juramentum ib. a) ; usurarium ad mutuum ib. b) ; sacerdotem sacrilegum vel censuratum ad administrationem Sacramenti 319. c). 1243. 1673 ; magum ad solutionem maleficii 319. d) 344. *Quær ;* magnetizatorem ad indicanda morbi remedia 342 § *Hinc præcise.* p. 148. col. 1 *in fine ;* conjugem peccaturum ad redditionem debiti 319. e). 1647. III. 1655. q. 2°. Cooperatio ad choreas 320. 1) ; ad meretricium locatione domus ib. 2) ; ad pravam lectionem annuntiando libros ib. 3). Monita practica in dubiis de liceitate cooperationis 321.

COOPERATIO *ad damnum alterius.*—Quotuplex, ante 759.

COOPERATIO *ad malum ex parte illorum, qui vi muneris vel specialis legis malum impedire tenentur.*—308.

COOPERATOR *ad damnum.*—Quotuplex, ante 759. Tenetur de *toto* damno (seu *in solidum*), si totum ei moraliter adscribendum sit 778. I, i.e. si cooperatio ejus vel fuerit necessaria, licet non sufficiens, ad totum damnum, vel fiat ex conspiratione efficaci ib. II. 779. q. 3°. 780, idque *absolute*, si sit damni causa principalis ; *conditionate*, i.e. non restituente causa principali, si secundaria ib. III. Quid, si causa secundaria hanc in solidum restituendi obligationem ignoret ib. § *Quoad causas.* In dubio an in totum damnum influxeris, non teneris in solidum 779. q. 1° ; teneris vero in dubio an alii suam partem pro rata restituerint ib. q. 2°. Casus 781. Ordo restitutionis inter cooperatores exigit, ut, si omnes *eodem* modo concurrerint, singuli æqualiter in solidum conditionate restituant 785. I ; si *diverso*, et agatur de *furto*, primo loco restituat possessor rei individuæ vel ejus æquivalentis, aut injustus ejusdem comsumptor ; deinde mandans, vel, si hic desit, raptor ; tertio cæteri cooperatores positivi ; tandem negativi. Si vero agatur de damno, tenetur primo mandans, deinde executor ; post hunc cæteri cooperatores positivi ; demum negativi ib. II. Casus 786.

COOPERATORES NEGATIVI *ad damnum.*—Sunt mutus, non obstans, non manifestans, ante 773. Ut ad restitutionem teneantur, oportet, ut damnum impedire teneantur ex officio 773. II, non ex charitate tantum ib. I, et sine gravi incommodo illud impedire potuerint. Post reliquos omnes tenentur 785. II. Cætera V. CONFESSARIUS. CUSTODES. FAMULUS. FUR. MARITUS. SUBDITI. SUFFRAGATORES.

COOPERATORES POSITIVI *ad damnum.*—Qui, ante 759. Ad restitutionem tenentur ante negativos 785. II.

"COPYRIGHT."—V. et applica dicta sub verbo "PATENT-RIGHT."

CORONÆ PRECATORIÆ INDULGENTIIS DITATÆ.—Materia 1779. q. 20°. Indulgentiæ iis applicantur solo Signo Crucis, exceptis Rosariis S. Dominici et Coronis VII Dolorum 1789. 2). Uni eidemque coronæ variarum coronarum Indulgentiæ applicari possunt, idque unica benedictione 1789. 2). Quomodo tenendæ vel recitandæ, ut Indulgentiæ iis annexæ acquirantur 1780. 6°. 7°. 1789. 4), et *Nota.* Indulgentiæ iis annexæ an et quomodo amittantur 1779. q. 19°. 1780. 3°.

"CORPORATIONS."—V. COLLEGIA.

CORPUS JURIS CANONICI.—Quid, quot ejus partes, quomodo citetur, quæ ejus partes obligent 169. 170. Tituli ; Superinscriptiones ; Summaria ; Glossa ; Notæ 171.

CORPUS JURIS CIVILIS.—Quid et quæ ejus partes 177 ad f).

CORRECTIO EX OFFICIO.—Quid et quomodo differat a fraterna 287. Cum quo incommodo obliget 288 II. ad 4^um^. *Certo* facienda etiam erga ignorantes, licet invincibiliter, legem humanam 289. q. 2°, item generatim, licet fructus non speretur, si agatur de iis, qui publicum dant scandalum ib. § *Addunt.* Superior non potest *judicialiter* procedere erga eum, cujus delictum sibi innotuit per simplicem denuntiationem ut *patri* ib. *Resolv.* 1° ; tenetur inquirere subditorum peccata, non tamen alicujus particularis, nisi peculiaris ratio id suadeat ib. 4°. Quandonam peccet graviter manifestando illum, a quo de alicujus culpa certior factus est ib. Erga uxorem 442. 444 ; filios 431 ; discipulos 450 ; parochianos 1141. V ; subditos religiosos leviter contra regulam peccantes 1178 ; pœnitentes 1422. IV. 1423 ; sectæ damnatæ adscriptos 1753. q. 2°. R. 3° § *Quærunt.*

CORRECTIO FRATERNA.—Quid et quomodo differat a *judiciali* et *paterna* 287. Præcepta 288. I, sub quibus conditionibus ib. II, quando sub gravi 289. q. 1°, in praxi *raro* sub gravi inter privatos, *sæpe* non erga detrahentes, *ordinarie* non scrupulosis 288 § *Ex his sequitur* p. 120. col. 2, an erga ignorantes 289. q. 2°. Quo ordine ib. q. 3°, et modo ib. q. 4° facienda.

"COUNSEL."—V. ADVOCATUS.

"COUNSELLOR."—V. ADVOCATUS.

CRANEOTOMIA.—Illicita 475. q. 1°.

CREDENDA EXPLICITE.—Necessitate medii 257, præcepti 260.

CREDITORES.—Quotuplices quoad prioritatem restitutionis 787. Qui præferendi 788. Non præferendi ii, quibus debetur ex delicto, iis, quibus ex contractu 789. q. 1° ; nec pauperes divitibus, nisi etc. q. 3° ; nec *probabiliter* tempore priores posterioribus ib. q. 4° ; nec *probabiliter* certi incertis 790. q. 5°. Præferendi ii, quibus obligaris ex titulo oneroso iis, quibus ex gratuito 789. q. 2°. An prius petens licite præferatur 790. q. 6°, et quid, si ne petat quidem ib. q. 7°. 8°.

CRIMEN.—Ut imped. Matr. dirimens, triplex : 1) *Adulterium solum*, at *verum, formale, consummatum ex utraque* parte, *conjunctum cum attentatione*, vel *promissione vera Matrim. facta vivente priore conjuge, et a complice acceptata* 1594. 2)

Homicidium solum cum triplici conditione : a) mutua conspiratione : b) intentione Matrimonii ; c) morte realiter secuta 1595. 3) *Utrumque simul*, ad quod tamen non requiritur mutua conspiratio in conjugicidium ; quæ si adfuerit, duplex erit impedimentum ; secus unicum 1596.

CRUCIFIXUS.—In altari non requiritur cum tanto rigore ac crux 1331. q. 15 *in fine*.—V. etiam CRUX *Indulgentiis ditata*.

CRUSTULA THEOLOGICA.—V. JEJUNIUM.

CRUX.—Quis cultus ei debitus 325. § *fin*. An mortale sine ea celebrare et qualis esse debeat 1331. q. 15°.—V. etiam CRUX *Indulgentiis ditata*. RELIQUIÆ.

CRUX *Indulgentiis ditata*.—Materia 1779. q. 20°. Indulg. eidem applicantur solo Signo Crucis 1789. 2). Uni eidemque variæ Indulgentiæ unica benedictione applicari possunt 1789. 2). Quomodo tenenda ut Indulgentiæ eidem annexæ acquirantur 1780. 6°. 7°. 1788. *Nota*.— . . . b). Indulgentiæ eidem annexæ quomodo amittantur 1779. q. 19°. 1780. 3°. 1789. 3).

CULPA.—Theologica quid 744. Quid et quotuplex juridica ib. Ad obligationem restitutionis in foro interno requiritur theologica, eaque gravis 746. 3°, vel juridica, sed cum sententia judicis 747. Hinc 748. 749. 750. 751. 752. 753. 758. 1°. 2°. 3°. 4°.

CULTUS.—Quid et quotuplex 322-325. Debitus Deo 325. Beatificatorum et Canonizatorum 326. Reliquiarum 327. Imaginum 328.

CULTUS DISPARITAS. — Ut impedimentum Matrim. duplex : 1) dirimens de jure ecclesiastico, si agatur de baptizato et non baptizato 1597. I. 1598. q. 1° ; 2) impediens, si de Catholico et hæretico, apostata, etc. 1597. II. III. Ab his impedimentis dispensare potest solus S. Pontifex et ab eo delegati 1598. q. 2°. Conditiones sub quibus dispensatio datur p. LXXIV. 3. 4. 5. Assistentia sacerdotis Matrimonio mixto, et modus exigendi promissiones ab Ecclesia requisitas 1598. q. 5°.—V. etiam MIXTA MATRIMONIA.

CURRUS DUCERE Dominicis et Festis an liceat.—414. q. 5°.

CUSTODES.—Ægrorum, domûs, etc. an excusentur a Missâ 408. 1°. 3°. Non denunciantes damnificatorem 776. q. 7°.

D

DAMNIFICATOR. — Injustus quis 744. Quid restituere teneatur 745. Ut restituere teneatur, requiritur — actio damnificans theologice culpabilis (V. CULPA),—injusta 746. 1°. 756. 757,—et quæ fuerit causa damni efficax, et quidem certo efficax 746. 2°. 750. q. 4°. 753. q. 11°. 754. 755. Casus varii 758. —V. DAMNUM.

DAMNUM.—Quandonam actio, ex qua sequitur, obligationem restitutionis inducat (V. DAMNIFICATOR). Illatum a subditis tuis 775. q. 3° ; ab uxore tua ib. q. 4° ; ab animali tuo 753. q. 10° ; per causam inculpabiliter positam 749. q. 3° ; per accidens, sed vacando operi illicito 750. q. 5° ; *occasione* injustæ actionis 755 ; ex errore alteri quam ei, cui nocere intendebas 751. q. 6° ; pravo tuo exemplo 753. 9. 11° ; in bonis animi supernaturalibus 805, naturalibus 806 ; in bonis corporis per homicidium, mutilationem vel vulnerationem, stuprum, fornicationem, adulterium (V. ADULTERIUM. DUELLUM. FORNICATIO. HOMICIDIUM. MUTILATIO. STUPRUM. VULNERATIO) ; occasione militiæ (V. MILITES) ; dilatione solutionis debiti (V. DEBITA). Non prævisum 745. 2°. Dubie causatum 754. Damna per alios causata, sed a famulo non impedita ; a famulis inferri solita (V. FAMULUS). Emergens excusans ab usura 935, an etiam, si mutuum sponte offeratur 936. q. 1°, vel damnum sit tantum probabile ib. q. 2°, et an ob illud liceat vendere supra pretium summum 967. 1°, vel emere infra infimum 969. 1°.

DEBITA.—Si non omnia solvi possint, qui creditores præferendi (V. CREDITORES). Eorum restitutionem culpabiliter, seu sine gravi suo incommodo, differens, versatur in peccato continuo, nec a solvi potest, et de damnis domino ex dilatione obvenientibus tenetur 796. I. 1°. Non tamen graviter peccat, qui aliquo tantum tempore, citra grave domini incommodum, differt ; imo ne leviter quidem, si qua differendi adsit causa ib. 2° ; regulariter tamen differenda est absolutio iis, qui, cum moraliter possunt, non restituunt ante absolutionem 719. 4° ; vel partem tantum volunt restituere, cum possint totum, aut differunt ad mortem, cum possunt per vitam, aut in periculo mortis sine ratione sufficienti restituendi obligationem rejiciunt in hæredes 796. I. 3°. 719. An et quæ damna ex dilatione *inculpabili* obvenientia compensanda sint 796. II. 797. Incerta 782.—V. CREDITORES. DEBITOR.

DEBITOR.—Si non possit omnia debita restituere, quos creditores præferre debeat, possit, non possit (V. CREDITORES). Solvere differens (V. DEBITA). An ad expensas pro re domino transmittenda teneatur 792. q. 3°. 793. Quid, si debitum in transmissione ad creditorem pereat 794, vel in eadem necessitate versetur debitor ac creditor 800, vel rem in extrema necessitate consumpserit 801, vel immemor debiti creditori aliquid donet ib. q. 3°, vel Religionem ingrediatur ib. q. 4°, vel creditori creditoris sui restituat 802, vel bonis cedat (V. CESSIO BONORUM). An liberetur in dubio solutionis 803. Ex delicto cui restituere debeat, si creditor inveniri nequeat 784. Incertus cui restituere debeat 782. Per simulatam donationem restituens 792. q. 1°. q. 2°. Causæ, ob quas obligatio ejus cesset 798. sq. 860.

DEBITUM CONJUGALE.—Quid 1640. Fines illud cohonestantes 1641 II. Ob solam voluptatem exercitum peccatum veniale *per se* 1642. 1° ; cum mente adultera mortale ib. 2°. Circumstantiæ, personæ adnexæ, quæ id illicitum reddunt 1643. Nullus situs *per se* graviter illicitus 1644. II° ;

imo quilibet situs innaturalis, justa de causa, omni culpa caret ib. III[a]. 1645. Nullo tempore sub gravi *per se* prohibetur 1646. 1°. 3°; nec sub levi, nisi, deficiente justa causa, tempore prægnationis, menstrui, et purgationis post partum ib. 2°. 3°. Datur obligatio justitiæ, *per se* gravis, reddendi conjugi serio et rationabiliter petenti 1647. I. 1648. 2°. 3°. 4°; at nulla, *per se*, petendi ib. II. Cessat obligatio reddendi, cessante jure compartis petendi ib. III. Quandonam illud jus cesset ib. Non excusatur a reddendo uxor ob ordinaria incommoda partus, etc. 1648. 5°; nec ob timorem prolis numerosioris ib. 7°. Nulla tamen obligatio reddendi alteri laboranti morbo contagioso ib. 6°. Illicitum, si exinde periculum mortis proximum pro prole jam concepta oriretur; practice loquendo uxor, experta se filios parere mortuos, ab actu abstinere non debet ib. 8°. Conjuges ratione illius peccare possunt: 1° per excessum; 2° per defectum (V. Onanismus) 1649. In priori casu principia tenenda: a) quidquid *pro* est licitum; b) quidquid *contra* est mortale; c) quidquid *præter* per se veniale 1650. De oculis et tactibus inter conjuges 1651. 1°. 2°. 3°. 4°. Quid, si, inceptа copula, cohibeant seminationem ib. 3°; quid item, si maritus velit polluere mulierem vel semetipsum circa corpus mulieris sine copula ib. Tactus cum seipso ex delectatione venerea, absente comparte, mortales ib. 5°; delectatio vero morosa de copula habita vel habenda, secluso pollutionis periculo, venialis tantum ib. 6°. *Per se* graviter non peccant conjuges, qui, ad vitandam prolem, copulam eo tantum tempore habent, quo conceptio locum habere non solet 1655. q. 4°. Quomodo procedendum cum uxore, quæ versatur in occasione proxima peccati propter virum Matrimonio quomodolibet abutentem ib. q. 5°. An uxor, de qua in casu, obligari possit ad divortium ib. q. 6°.

Decalogus.—Necessitate præcepti sciendus 260. An invincibiliter ignorari possint ejus præcepta 167. q. 1°. q. 2°.

Defuncti.—Quomodo juventur ex Missa 1317. q. 5°. q. 6°.—V. etiam Altare privilegiatum. Eucharistia, *ut Sacrificium*. Indulgentiæ.

Degradatio.—Quid 1691. A quo et quando infligi possit ib. Quis in ea dispenset ib.

Delectatio.—*Morosa* quid, an peccatum et an induat speciem objecti ejusque circumstantiarum 230. De rei malæ cogitatione vel modo an licita 233. De opere malo ob bonum effectum, deque bono effectu operis mali, applica dicta sub V. Gaudium. *Sensibilis* est vel sensibilis carnalis, vel simpliciter sensibilis. Prior mortalis inter personas diversi sexus ad copulam aptas, si vel intendatur, vel ex actione sine justa causa habita prævideatur, vel, licet nec intenta, nec prævisa, voluntarie admittatur. Posterior, si expresse intendatur, practice a mortali regulariter non excusanda. Aliud tamen est agere cum delectatione, aliud propter eam 485

Delegatio.—V. Dispensatio.

Deliberatio.—Requisita ad actum humanum 1, ad mortale, ad veniale 201. q. 2°. q. 3°. Ad votum 379. Ad sponsalia 1525. 1°.

Denunciatio *in genere*.—Quando facienda de jure naturæ 1071; non præmissa correctione fraterna 289. q. 3°. Quando Superiori mediato, prætermisso immediato ib. *Resolv.* 3°. *Perfecte* emendati illicita ib. 2°. Non facile, nec statim credendum *spontaneæ* ib. 4°. Sacerdotum corruptorum 289. q. 3°. Sollicitantis (V. Sollicitatio). Occultorum corypheorum in societatibus damnatis (V. Censuræ latæ etc.)

Depositio.—Quid 1691. A quo et quando irrogari possit ib. Quomodo et a quo tollatur ib.

Depositum.—Quid 924. Jura et obligationes—depositarii ib, et an in periculo rem depositam suæ præferre teneatur 757. q. 17°; —deponentis 924.

Derogatio Legis.—165. 1°.

Desertores milites.—V. Conscriptio *ad militiam*.

Desiderium.—Mali quid; an peccatum; an induat speciem objecti ejusque circumstantiarum 228. Sub conditione, a malo abstrahente, an licitum 231. Ignorantia circa malitiam pravi desiderii in cognoscente malitiam actus an possit esse invincibilis 167. q. 2°. Operis mali ob bonum effectum illicitum 232. R. ad 1[um]. Perpetuo in hoc mundo vivendi 272. q. 3°.

Desperatio.—Quantum peccatum 271. q. 2°. Remedia 273. q. 5°. Regulæ cum desperantibus servandæ 274.

Detractio.—Quid, quotuplex 516, et an detractor, qui crimen publicum (522) ignorantibus, degentibus in loco, ubi est publicum 520. q. 3°, vel in alio loco 521, revelat. Quid si olim publicum (522), nunc vero occultum sit 523. q. 6°. Quantum peccatum 517. 523. q. 7°. 526. 527. Eam audire 524. q. 8°. An specie differant in materiis specie diversis 227. 9. 2°. Detrahere sacerdoti non est sacrilegium 347. 1°. Restitutio ob eam (V. Fama).

Diaconatus.—V. Irregularitas. Ordo.

Difficultas.—Gravis an excuset a lege 137. III.

Dilatio.—In implendo voto 386. q. 4°, celebrando pro stipendio 1324. q. 3°, procurando infantibus Baptismo 1259. q. 5°, recipienda Extrema Unctione 1506. q. 8°, denuntiando sollicitante 1739. V. Communio Paschalis. Confessio annua. Debita. Infirmi. Pœnitentia Sacramentalis. Sponsalia.

Dilectio.—V. Caritas.

Dimissoriæ *ad Ordines*.—Nequeunt concedi a Vicario Gen., nisi Episcopus in remotis regionibus versetur 1146. I. 1). —V. Censuræ latæ etc. Ordo.

Discipuli.—Eorum obligationes 451.

Disparitas cultus.—V. Cultus disparitas.

Dispensatio.—Legis quid et quotuplex 147. 148. Potestas dispensandi quibus competat et erga quos 153–155. An et a quo delegari possit, et delegata an subdelegabilis 149. 4°. 150. Interpretatio facultatis dispensandi, et ipsius dispensationis 157. An Papa dispensare possit in lege divina 158. An et in quibus Episcopi 153. b). 154. 159. 1144, spe-

ciatim nostri·p. LXX sq. In quibus Superior regularis cum suis 1195. C). An et in quibus Parochi ; item Missionarii nostri 160. An et quis dispensare possit cum seipso 155. b). A quo peregrini 155, vagi ib. a). Causæ 162. 163. q. 1°. q. 2°. Cessatio 164. An liceat uti tacita, et an præsumpta 163. q. 3°. An licite petatur vel detur in dubio an causa sufficiat ib. q. 4°. Quid in dubio an ea indigeas ib. q. 5°. An valeat metu extorta ib. q. 6°, et an data bonâ fide cum causa, quæ putatur adesse et sufficiens esse, quæ tamen revera non sit ib. q. 7°. In voto 391. In voto perpetuæ castitatis, tum ante, tum post Matrimonium emisso 392. q. 4°. In quibus votis reservatis Episcopi nostri p. LXX. n. 4. An Episcopi in votis Religionis 1205. VI. In quibus votis confessarii in Jubilæo (V. JUBILÆUM). In operibus servilibus die Dominica vel Festo 417. 13°. In jejunio et abstinentia p. LXXII. n. 27. et Fac. C. ib. n. 5. 154. 5°. In omnibus impedimentis Matr. juris ecclesiastici Papa 1623. I, et quid possit in imp. juris divini 158. 1574. q. 5°. R. 2°. An et quando in imp. juris eccl. Episcopus (V. EPISCOPUS). Si sponsi sint diversæ diœcesis, dispensatio non ab utroque est obtinenda, nisi etc. 1624. Causæ de jure sufficientes ad dispensationem Matrim. petendam 1625. q. 1°. Quænam sub pœna invaliditatis in petitione dispensationis Matr. exprimenda sunt ib. q. 2°. q. 5° sq. Si causa dispensationis *finalis* totaliter et certo cesset ante executionem, cessat ipsa dispensatio ; secus non ib. q. 4°. Si quis secundam dispensationem in eadem materia ob impedimentum ex aliquo crimine contractum petat, primam exprimere debet ib. q. 10°. Pro dispensationibus Matr. concedendis duo tribunalia Romæ constituta sunt : Dataria et Pœnitentiaria. Ad hanc pro dispensationibus, quæ forum internum respiciunt, recurrendum est ; pro cæteris fere ad illam 1627. Quomodo petenda sit dispensatio, si unum impedimentum publicum, alterum occultum adsit 1628. q. 1°. q. 2°. Quomodo dispensatio sit exequenda ib. q. 5°. Si dispensatio ab Episcopo vi Indulti concedenda rogatur, eædem regulæ serventur, quæ in Curia Romana necessariæ habentur ib. q. 6°. Clausulæ dispensationibus apponi solitæ ib. q. 7°. Si impedimentum utrique contrahenti notum sit, uterque a respectivo confessario dispensetur ib. q. 9°. Quænam quoad dispensationes Matr. apud nos observanda sint ib. q. 10°. Formulæ ad postulandas dispensationes p. 758.

DISPUTATIO CUM HÆRETICIS.—255. 2°.

DISTANTIA.—A Missa excusans 409. q. 1°.

DISTILLATIO. —Quomodo differat a pollutione 500. Directe voluntaria mortalis ; indirecte voluntaria, si fiat cum notabili spirituum genitalium commotione, mortalis, venialis, vel nullum peccatum, ut pollutio indirecte voluntaria ; si vero parva sit et cum levi commotione, sine ullo peccato permitti potest 504. 7°.

DISTINCTIO.—Peccatorum specifica 208 sq. numerica 216 sq.—V. PECCATUM.

DISTRACTIO. —In oratione 332. q. 3°. In Missa 405. In Officio 1126. q. 2°. 1127. In administratione Sacramentorum 1215, speciatim quoad Eucharistiam ib. § *fin.* 1334. 13°.

DIVINATIO.—337.

DIVORTIUM *quoad torum et habitationem.* —Causæ, ex quibus fieri potest 1552. Facto, ob adulterium, divortio, innocens compartem potest cogere ad redeundum ; non item pars nocens, etsi innocens postea lapsus fuerit 1553 q. 2°. et q. 3°. Stante divortio ob adulterium, innocens potest ingredi Religionem aut suscipere SS. Ordines, invita parte adultera ; secus nocens *per se* ib. 9. 2° § *Advertendum* 1). Quid, si auctoritate civili factum sit divortium quoad vinculum ib. 2). An etiam privata auctoritate fieri possit tum quoad torum, tum quoad cohabitationem ib. q. 4°.

DOCTRINA CHRISTIANA.—Ejus præcipua capita a parentibus filii docendi 430. a) 2°. *Præcipua* sollicitudinis pastoralis pars 440. 3°. Scholæ doctrinæ christianæ et catecheses ib. d).

DOLUS *in contractu.*—Quid differat ab errore 852. 3°.—V. et applica dicta sub V. ERROR.

DOMICILIUM *et* QUASI-DOMICILIUM. — Sui domicilii legibus an teneantur ab eo absentes 116. 117. 5°. Se extra illud recipiens, ut ejus legibus eximatur 137. I. 139. I. Episcopus domicilii quoad Ordines (V. ORDO). Quoad banna (V. BANNA). In ordine ad Matrimonium contrahendum acquiritur facto et animo habitationis unius mensis, non autem nudo facto 1614. q. 1°. Quinam in ordine ad Matrimonium censeantur habere quasi-domicilium ib. 3°.

DOMINI.—Eorum obligationes erga famulos 446. An teneantur de damnis per famulos illatis 775. q. 3°. R. 1°.

DOMINIUM.—Quid 589. Quotuplex 590.

Objectum dominii quomodo bona animæ et corporis 591, fortunæ 592, alii homines ("*slavery*") 595. 596 (V. SERVITUS), fructus industriæ et ingenii 598 (V. "PATENT-RIGHT." "COPYRIGHT"), fama propria 525. q. 9°, maria et oceanus 599.

Subjectum dominii in genere 600, et quo modo filiifamilias 601 (V. FILIIFAMILIAS), uxores 605 (V. UXORES), respublica 612. 613 (V. RESPUBLICA), collegia seu "*corporations*" 614 (V. COLLEGIA), Ecclesiæ pag. 255 sq. (V. BONA), Clerici 629 (V. CLERICI).

Acquiritur dominium occupatione, præscriptione, accessione, contractu (V. sub singulis his quatuor verbis).

DOMUS.—An locari possit meretricibus 320. 2). Regularis fundatio et derelictio 1197. 1205. IV.

DONATIO. — Quid 875. Quotuplex 876-880. *Remuneratoria* non est proprie dicta donatio, et hinc, qui prohibetur donare (ut Religiosus, uxor), non ideo prohibetur remunerare II. 876. *Imperfecta* non raro specie tantum tenus adest, cum reapse est simplex promissio 878. Quid differant donatio *inter vivos* et *mortis causa* 879. Ostenditur exemplis 880. q. 1°. q. 2°. Quid differant donatio mortis causa et legatum ib. q. 3°.

Inhabiles ad donandum—*de facto*, qui non sunt sani mente vel non agunt cum sufficiente libertate 881 — *de jure* inter vivos : minores, nisi quoad res parvi mo-

menti ib. a); uxores quoad ea, de quibus contrahere nequeunt ib. b) et 840; conjuges inter se, nisi etc. 881. c); interdicti ib. d); qui donant in fraudem creditorum ib. e) et 882. q. 2°. § *Idem;* mortis causa,—qui non possunt testari II. 881. 2) 911. Hæ tamen *juris* dispositiones, excepto casu donantis in fraudem creditorum, pro solo foro externo valent 822. q. 1°, et idem dicendum de donationibus ad pias causas ib. q. 2°. An et quomodo inhabiles novitii *Ordinum* Regularium ib. § *Speciatim* et 1186. 2°.

Inhabiles ad acquirendum ex donatione: —accipientes ab inhabilibus ad donandum; at etc. 883 a); nondum concepti tempore donationis, vel, quoad testamentum, tempore mortis testatoris ib. b). Excipe 912. a); communitates, nisi etc. 883. c); in Luisiana ib. d).

Materia donationis invalida aut saltem illicita — necessarium ad sustentationem filiorum 884. 1; dos uxoris ib. 2; bonum quodcumque ejus, qui debitis suis solvendis impar est ib. 3.

Forma donationis inter vivos 885. 1, mortis causa ib. 2. Ea non servata, pro solo foro externo invalida est donatio ad causas pias, et pro interno pariter valet ad profanas, donec illi, quorum interest, ejus irritationem juridice petant ib. *Quær.*

Acceptatio donationis fieri debet ab ipso donatario vel a tertio ejusdem vices legitime gerenti 887. 890. q. 5°, idque vivente donatore 887. 890. q. 4°. Quid requiratur, ut valeat donatio in gratiam absentis 888. q. 1°, et quid, si donator, misso ad absentem nuntio, donationem revocaverit ib. q. 2°. Quid de acceptatione donationis ad pias causas 889. An obliget donatio jurata, sed non acceptata 890. q. 6°.

Quo sensu donatio sit irrevocabilis 891.

Donatio—*sub modo* quid 892. Donatarius modum implere tenetur ib; eo tamen non impleto, tenet donatio ib. § *fin;*—*allectiva* quid 893 (Valide, non tamen semper licite, retinetur donatum, licet non præstetur id cujus causa facta fuit donatio 834. q. 7°);—*ob causam falsam* quid 894. Invalida, si causa falsa sit principalis, nisi etc. ib. a); valida, si secundaria, quo tamen casu etc. ib. b). Pro praxi vide ib. § *fin.*

Dos.—Uxoris quæ jure communi 605, et Luisianæ ib.

"Dower."—V. Dos.

"Dower," *ut Vidualitia.*—605 § *fin.*

"Dowry."—V. Dos.

"Dowry," *ut Vidualitia.*—605 § *fin.*

Dubitatio.—De culpa proximi 536. 3°. De Fidei veritate 268. q. 2°.

Dubium.—Quid et quotuplex 48. Quid de negativo in Probabilismo 49. I. Quid agere debeat, qui in dubio versatur 49. II. 50. An graviter peccet operans cum dubio practico (seu non prius deposito) de peccati gravitate 51. 9. 1°. In dubiis quæ valeant principia reflexa 65-67.—V. etiam Probabilitas. Utrum profutura sit correctio 288. II. 2°. 1423. q. 2°. An effectus proveniat a causa naturali 335. III. 338. I. De voto 381. q. 4°. De excusatione a Missa ex parte infirmi 409. q. 2°, item ab Officio 1130. De justitia belli 480. q. 1°. q. 2°. De Fidei articulo 268. q. 2°. De solutione debiti 803. De prolata Sacramenti forma 1214. 2°. 3°. 4°. De morte prioris conjugis 1601. De impedimento Matr. 1574. q. 5°. q. 6°. q. 7°. De censura 1664. q. 1°. An sepultura ecclesiastica sit deneganda 1699. q. 3°. De irregularitate 1756. I. 4°. 1757. q. 3°. 1776. q. 5°. q. 6°. De variis 65-67.

Duellum.—Quid, quotuplex, ante 477. Quodnam licitum 477. I, illicitum ib. II. 478. Censura 1720. Sepultura ecclesiastica 1699 q. 1°. R. 6°. Restitutio ob illud non debetur occisi hæredibus 808 q. 3°.

Dulia.—325.

Dux belli.—Ejus jura et officia 480. 481. Tenetur primario et in solidum de toto damno per exercitum illato 824. III.

E

Ebrietas.—Quid 243. Reatus et signa perfectæ ib. 244. Quandonam et imperfecta practice mortalis 243 § *Probabilius autem.* An ad depellendum morbum licita 244. q. 2°. An licitus usus ætheris, chloroformi et similium, dum subeunda est operatio chirurgica ib. q. 3°. An licite inducatur alicui, ut a malo majori avertatur 245. q. 4°. An et quæ mala in ebrietate commissa imputabilia ib. q. 5°. Resolutiones variæ circa bibulos 246.—V. etiam Caupo. Cauponæ.

Ebriosi.—Quando interdicti quoad contractus 843.—V. etiam Cauponæ.

Ebrius.—Aggressor vitæ alterius an licite occidatur 468. q. 1°.—V. etiam Caupo.

Ecclesia.—Ejus præcepta scienda 260. Ejus officia, ut ab uxore, filiis, famulis frequententur, curare debent vir 442. 2°, parentes 30. a), domini 447. 1°. Ejus dominium V. Bona).

Ecclesia, *ut templum.*—Fœmina, sedens in conspectu viri a quo turpiter amatur, an alium in eâ locum eligere teneatur 298 *in fine.* Qualis ædificanda 329. II. Quid in ea non liceat ib. III. a). Quid agendum de diruta ib. b). Quæ in ea fieri nequeant sine sacrilegio (V. Sacrilegium). Quis in ea corporaliter præsens esse censeatur ad satisfaciendum præcepto audiendæ Missæ 399. 1°. 2°. 3°. In parochiali sumenda Communio Paschalis 549. II; apud nos in quacumque ib. § *fin.* A tributis apud nos eximi solet 620. 3°. Nulla apud nos erigenda aut consecranda, nisi Episcopo scripto adsignata, salvis tamen Regularium privilegiis 623. 5°. Ecclesiæ nomine vel causa æs alienum absque licentia Episcopi non contrahendum 625. II. 1°, et ejus res rebus sacerdotis non miscendæ ib. 2°. In ecclesia, cujus titulus Episcopo traditus, sine hujus licentia, Æditui nec constituantur, nec a fidelibus eligi permittantur ib. 3°.—V.

ÆDITUI. Sedilia in ea quomodo locanda 636. *Nota.* 2°. Nulla exigenda pecunia a fidelibus, ut in ea divinis assistere possint ib. 1°. Regularium quatenus exempta (V. EXEMPTIO). Extra eam non baptizandum. Excipe etc. 1267. 3°. Ubi Baptismus *ordinarie* ministratur, in ecclesia adsit fons baptismalis 1268. q. 5°. In quibus ecclesiis SS. Eucharistia asservanda 1300. I. 1303. In qua ecclesia celebrare liceat 1328. I, et quando extra eam 1329. q. 1°. q. 2°. q. 3°. Quomodo polluatur et quomodo reconcilianda ib. q. 4°. Quomodo execretur vel execrata ad cultum reddatur idonea ib. q. 5°. In ea sint confessionalia pro mulierum Confessionibus 1344. q. 9°. R. ad 2^um^. Sine licentia Episcopi Matrimonio Catholicorum extra eam non assistendum 1616. q. 2°. R. 2°. Habet jus asyli 1722. Interdicta.—V. CESSATIO A DIVINIS. INTERDICTUM.

EDUCATIO PROLIS.—Corporalis quid exigat ratione vitæ 428. a), victûs ib. b), statûs 429. Quid leges nostræ circa eam ib. *Quær.* R. 1°, et quid, si proles illegitima ib. R. 2°. Spiritualis requirit doctrinam 430. 432. 1°. 2°, correctionem 431. b) 432. 3°, exemplum 431. c) 432. 4°.

ELECTUARIA.—An frangant jejunium 559. q. 7°.

ELEEMOSYNA.—Præcepta 284, et quando sub gravi 286. q. 1°. Quanta danda 285. III^a^. Quibus pauperibus 386. q. 3°. Ex quibus bonis superfluis 285. I^a^. II^a^, et an semper ex propriis 286. q. 3°. An uxor, filii, famuli eam dare possint ex bonis mariti etc. V. FAMULUS. FILII. UXOR. An et quibus restituenda, si data fuerit pauperibus fictis 736. 9. 5°. Ut pœnitentia 1383. 3°. 1389. 7°. Data ante Confessionem quandoque signum extraordinarium dispositionis 1477. Imposita occasione dispensationis matrimonialis 1628. q. 8°, et p. LXXV. A. 1°. C. 4°. D. 5°. In Jubilæo (V. JUBILÆUM).

EMPTIO-VENDITIO.—Quid 954. Essentialiter requirit—legitimum vendentis et ementis consensum — mercem — pretium ib ; an etiam traditionem 955.

Legitimus consensus excludit inhabiles ad emendum et vendendum, quales sunt—inhabiles ad contractum quemcumque 957. § *Ad primam*,—inhabiles specialiter ad hunc contractum ib. § *Ad secundam*. Quid in foro interno de iis, qui civiliter tantum, non naturaliter, inhabiles sunt 958.

Merx supponit rem, quæ possit esse materia apta contractus in genere (V. CONTRACTUS), et nullâ lege vendi prohibeatur,—sive *absolute*, ut extra casum Matrimonii hæreditaria successio personæ adhuc viventis 959. 1, certæ res, quæ de se noxiæ sunt ordini sociali ib. 5, res aliena 960. q. 1°, res, quæ ipso venditionis tempore jam periit, nisi etc. ib. q. 3° ;—sive *hypothetice*, ut bona pupillorum 959. 2, et eorum, qui bonis suis cesserunt ib. 3, aut quorum bona sub custodia posita sunt ib. 4. An res, quæ valide venditur, etiam licite vendatur, si emptor ea abusurus prævideatur 960. q. 4°.

Pretium debet esse justum 961, estque ea pecuniæ summa, quæ spectata tum rei natura *usuali*, tum diversitate circumstantiarum temporis, loci, etc., vel a legitima auctoritate, vel, hac deficiente, a communi æstimatione taxatur tamquam rei venalis æquivalens ib. § *Quapropter*, p. 372. Hinc pretium est vel *legale* (quid 962. *initio*), quod arithmetice determinatur ib. § *Differentia prima*, et stabile est ib. § *Differentia secunda* ; vel *vulgare* (quid 962 *initio*), quod non arithmetice determinatum est, sed latitudinem *summi*, *medii* et *infimi* admittit (ib. § *Differentia prima*), nec stabile est, sed crescit aut decrescit ratione etc. ib. *Differentia secunda*. Legali justo et adhuc vigenti (993. 2°.) stare debet venditor, non emptor (ib. 3°) ; si autem res venalis non habeat pretium legale, vulgari hic et nunc currenti 964. Hinc licet vendere summo et emere infimo ib, seclusa tamen fraude ib. § *Dicitur*. Pretium autem justum rerum *singularium* in plerisque casibus est illud, de quo ipsi contrahentes sine fraude et libere conveniunt 965. 966. *Per accidens* licet vendere supra pretium summum ob—damnum ex præsenti venditione emergens 967. 1°,—lucrum ex præsenti venditione cessans ib. 2°,—periculum aliudve incommodum, pretio æstimabile, ex præsenti venditione exurgens ib. 3°,—specialem affectum venditoris erga rem venditam (an etiam ob specialem affectum emptoris) ib. 4°,—modum vendendi, scil. in auctione publica ib. 5°. Rerum autem penuria, copia emptorum, raritas pecuniarum, modus vendendi in parva quantitate, etc. non sunt tituli excedendi pretium summum, sed causæ, ob quas pretium crescit 968. 962. Ob eosdem titulos, excepto titulo specialis affectûs, licet emere infra infimum 969. Paucitas vero emptorum, copia mercium, modus vendendi in magna quantitate etc. non sunt tituli emendi infra infimum, sed causæ, ob quas pretium decrescit 970. 962. Demum licet vilioris emere merces ultroneas, nisi etc. 971 ; auctuarium sibi procurare vendendo supra summum, si differenda sit solutio, et emendo infra infimum, si anticipanda 972, et pretio currenti vendere aut emere, si scientia *privata* noveris pretium brevi augendum vel minuendum, modo etc. 973.

Venditoris obligationes sunt.

I. Manifestare mercium vitia, contra quam obligationem peccat *positive*, si dolose occultat defectus mercis verbis vel factis, nisi etc. 975. a) ; *negative*, si non manifestat vitia circa—substantiam 977, vendendo scil. rem in esse suo *usuali* (et non tantum physico) omnino diversam ab ea, quam emptor intendit 976. 1°, quo casu tenetur etc. 977 ;—quantitatem, i.e. numerum, pondus, mensuram 976. 2°, quo casu tenetur saltem pretium diminuere aut restituere pro quantitatis defectu 978, excepto etc. ib. §. *Probabiliter tamen* ;—qualitatem, si vel ab emptore de eo serio interrogetur 979, excepto etc. ib. § *Verumtamen*, vel vitium sit occultum et notabile 982 ; vitium autem patens vel occultum non notabile ex justitia *per se* non tenetur manifestare, aliquando tamen *per accidens* vel ex caritate 981. 983. *Quomodo* manifestanda vitia mercis 984, et quid, si merci merx vilior admixta sit 985.

II. Rem venditam tradere, nisi etc. 986. Quomodo jure nostro tradenda immobilia ib. I, mobilia ib. II.

III. Rem assecurare (quid 987) contra—evictionem (quid et quotuplex 988), quæ obligatio aliud requirit a venditore malæ fidei, aliud a venditore bonæ fidei 989. Quid requirat a venditore bonæ fidei, qui stipulavit se rem non assecurare 990 ;—vitia redhibitoria 991. 992.—V. etiam 725. 726.

Emptoris obligationes sunt :

I. Rem justo emere pretio, illudque debito loco et tempore solvere 993.

II. Manifestare, sive expresse, sive tacite (augendo pretium usque ad infimum) venditori simplici et ignaro bonitatem mercis. 994. At etc. ib. a) b).

III. Manifestare vitia pretii, quæ forte hic et nunc existant ib. § *Secunda.*

Præcipuæ emptionis—venditionis species, ante 995, de quibus sub propriis verbis.

EMPTOR.—V. EMPTIO-VENDITIO.

EPHEMERIDES (“*Newspapers*”).—Fidei vel moribus adversæ an in cauponis exponi 310. d), et an annuntiari possint 320. 3).—V. CENSURÆ LATÆ etc. LIBRI.

EPIKEIA.—Quid, quotuplex et quando licita 146.

EPISCOPUS.—An et quatenus leges ferre possit 102. Quid agere debeat, ne jus immunitatis ecclesiasticæ lædere videatur, dum leges servare cogitur eidem adversas 113. An sufficiat, ut leges ejus promulgentur in civitate episcopali 119. An possit leges Pontificias non admittere 124. q. 4°. An et quandonam dispensare possit in legibus synodalibus 153. b). An et quandonam in legibus generalibus Ecclesiæ 154. An in sua diœcesi in legibus latis in Concilio Provinciali vel Nationali 159. In quibus votis 391. 392, et an in votis simplicibus Religionis 1205. VI. In laboribus servilibus 417. 13°. In irregularitatibus 1144. I. 2°–4°. 1757. q. 5°. R. 1° sub. 2). In Officio divino 1129. 3°. Cum peregrinis 155. An possit dies festos instituere 545. Ejus jura et obligationes circa bona ecclesiastica 623. 1°. 2°. 3°. 4°. 5°. 6°. 624. 625. 626. a) b) 2°. 3°. 4°. 6°. 627. 631. 635. 1°. 2°. 3°. 4°. 636. 637. 356. R. 1°. c). R. 2°. R. 3°. a) e) R. 4°. II. Quoad residentiam, et causas ab ea excusantes 1134, prædicationem et orationem 1135, visitationem diœcesis 1136 et Monialium 1189. 1°, examen novitiarum in conventibus Monialium ante Professionem 1188. II, electionem Superiorissarum Monialium 1189. 2°, administrationem bonorum earumdem ib. 3°. Ejus potestas in Moniales Superiorissæ Generali subditas ib. 4°. Ejus potestas in censuris ferendis et absolvendis (V. CENSURA). Potest esse ordinandi proprius ratione : nativitatis, domicilii, beneficii et familiaritatis 1519. q. 1°. Quoad Regularium ordinationes ib. q. 3°. Debet dicere Missam de Feria in generali Ordinum collatione, quando etc. ib. q. 4°. Quod tempus et locum Ordinum conferendorum attinet 1523. q. 3°. Quid agendum Episcopo, ut candidatos ad Sacros Ordines satis probet 1524. *Quær.* Dispensare potest : 1° in bannis 1538. I. II. 1572. R. 2°, et quandoque debet 1538. III ; 2° quoad contractum Matrimonii per tempus feriatum, ubi interdictus est ; 3° in voto castitatis temporaneæ 1572. q. 1°. R. 2°. Ordinarie et de jure proprio non potest dispensare in impedimentis dirimentibus 1623. II ; attamen probabiliter potest in impedimentis dubiis etiam dubio facti, et in occultis, tum quoad Matr. contracta, tum quoad contrahenda, servatis tamen conditionibus ib. Quid Episcopi nostri p. LXX. n. 4. 6–11, p. LXXIII.–LXXV.

ERROR.—Qualis dispensationem invalidet, et qualis non 162. 1°. 2°. 3°. 1626. 3°. Error in persona, cui damnum infertur 751. q. 6°. Ejus objectum in contractu 848. Quis contractum *per se* invalidet 849. I, et quis non ib. II. An et quando contractum irritet error circa qualitatem 850. q. 1°, circa personam ib. q. 2°, circa motivum 851. Casus 852. 1°. 2°. Error per se non irritans nullitati locum dat et damni reparationi, si intercesserit dolus ib. 3°. et 989–992. *Substantialis*, seu circa *personam*, semper irritat Matr. jure *naturali;* non autem, si versetur circa qualitates tantum personæ, nisi hæ vel explicite, ut conditio sine qua non, intendantur, vel redundent in substantiam 1576. Resolutiones 1577. Circa valorem Sacramenti cum gravi culpa vel negligentia commissus etiam cum gravi incommodo confessarii reparandus 1487. I. Exceptiones ib. a). b). Si inculpabilis, tenetur tantum ex caritate ib. Excipe etc. ib. Circa accidentia Sacramenti, v.g. species et numerum, non est reparandus extra Confessionem, si *negative ;* secus vero, si *positive* et cum culpa gravi commissus ib. II. Minor tamen est obligatio monendi extra Confessionem, si agatur de accidentibus Sacramenti ib. III. Confessarius deobligans pœnitentem a restitutione debita, vel obligans ad indebitam, sub onere restitutionis tenetur errorem corrigere, si commissus ex malitia vel negligentia gravi ; item si ex negligentia levi et negligat monere, cum facile possit 1488. q. 1°. q. 3°. Qui omisit monere de restitutione facienda, tenetur monere in altera Confessione ib. q. 2° ; simplex tamen monitionis omissio non inducit obligationem restitutionis 774. q. 1°. Confessarius sine pœnitentis licentia non potest loqui extra Confessionem de defectu commisso, excepto casu, quo non, vel non rite, absolvisset 1488. q. 4°.

EUCHARISTIA, *ut Sacramentum.*—Quid p. 498. Christus in ea præsens, quousque species remanent integræ 1278 q. 1°, et quamdiu remaneant integræ post Sacramenti sumptionem ib. q. 2°.

Effectus in anima 1278. q. 3°, et an ac quando deleat mortale 1208. q. 2°.

Materia remota *valida* panis triticeus et vinum de vite 1279. I. II; *invalida* succus ex uvis *omnino* acerbis ib. II ; *dubie valida* pan s non per aquam ib, vel ex siligine aut farre 1280. q. 1°. q. 2° confectus.

Materia remota graviter *illicita* panis fermentatus pro sacerdote Latino, nisi etc. 1280. q. 3° ;—et vinum sine aqua 1279. III. 1280. q. 6° ; mustum extra necessitatem 1279. II ; generatim acescens 1280. q. 4° ; item congelatum ib. q. 5°.

Materia proxima, seu Consecratio, *vali-*

da requirit materiam physice præsentem et per intentionem virtualem Ministri in individuo determinatam 1281. I. Hinc valet, licet consecrentur hostiæ sub aliis latentes, aut aliter tectæ 1282. 1°. 1283. q. 2°, aut plures quam sacerdos putet adesse 1282. 2°, dummodo tunc non inscio sacerdote *et* a cumulo sejunctæ appositæ fuerint ib. 4°. Valet etiam, si consecretur vinum in calice cooperto ib. 1°. *Invalida* censenda est Consecratio guttarum vini calici *exterius* adhærentium 1283. q. 3°. R. 1°. *Dubie* valida Consecratio unius tantum speciei cum intentione positiva non consecrandi alteram 1282. 6°; *ciborii* extra corporale aut petram sacram ex oblivione relicti 1283. q. 1°; guttarum vini calici interius quidem inhærentium, sed a majori quantitate *omnino* separatarum ib. q. 3°. R. 2°. *Sub conditione* consecrari debet totus cumulus, si hostiæ non consecratæ misceantur consecratis 1282. 2° *in fine;* item una species consecrata cum intentione non consecrandi alteram ib. 6°; item ciborium ex oblivione extra corporale aut petram sacram relictum, si particulæ facile absumi nequeant; secus absumi debent post utramque Communionem et ablutionem, sed ante purificationem 1283 q. 1°.

Materia proxima, seu Consecratio, *licita* quid requirat 1281. II. Quantum peccatum sit consecrare hostiam fractam vel maculatam 1283. q. 4°. Quid, si post, et quid si ante Consecrationem sacerdos advertat duas hostias esse simul junctas 1282. 2°. Quid item, si ei post oblationem parvæ hostiæ consecrandæ offerantur ib. 5°.

Forma quæ 1284. Exempla formæ illicitæ, sed tamen validæ 1285. 1°. 1286. q. 1°; invalidæ 1285. 2°. 1286. q. 4°; dubie validæ 1285. 3°. 1286. q. 2°. q. 3°. Proferenda *recitative* simul et *significative* 1285. 4°.

Minister *ordinarius* Eucharistiæ sive conficiendæ, sive dispensandæ sacerdos 1287. I. II; *extraordinarius* dispensandæ diaconus, at, extra necessitatem, ex commissione et sufficienti de causa ib. III. 1288. q. 1°. Licite eam dispensant solus Parochus, ejus Superior, et qui alterutrius licentiam habet aut legitime præsumit 1287. IV. Quid quoad Communionem Paschalem, Viaticum (de censura 1729) et primam Communionem puerorum, notanter apud nos ib. An vel in quibus circumstantiis Religiosi SS. Eucharistiam ministrare possint 1200. E) F).

Obligatio Communionem ministrandi *ex justitia* incumbit Pastori, quoties subditi eam recipere tenentur aut rationabiliter a non impedito (1290. q. 5°) petunt 1289. I. Non tamen peccat graviter, si eam, extra casum præcepti, aliquando deneget, excepto etc. 1290. q. 3°, nec (*valde probabiliter*) eam cum periculo vitæ ministrare tenetur 1226. q. 2°. R. 2°, nec per se ipsum 1290. q. 2°. *Ex charitate*, deficiente pastore, eam morituro ministrare tenetur quivis sacerdos 1289. II, et, sacerdote deficiente, diaconus 1288. q. 1°.

Licita dispensatio requirit Ministrum—excommunicatione, interdicto, suspensione a Sacris, aut irregularitate non impeditum, —in statu gratiæ, saltem per contritionem obtento, existentem—ritum Ecclesiæ servantem 1291.—Ritus Ecclesiæ exigit—stolam, superpelliceum (ita ut mortale sit eam, extra casum necessitatis moribundi 1299. q. 3°, sine ulla veste sacra ministrare), lumen, *Confiteor*, etc.; non tamen *singula* sub gravi 1292.—Ut, seclusa gravissima necessitate, non aliis digitis ministretur quam pollice et indice, idque sub gravi 1293. q. 1°.—Ne plures hostiæ dentur uni, nec una major 1297. q. 13°. Dari potest qualibet die, excepto a repositione SS^mi Fer. V. in Cœna Dñi usque ad finem Missæ in Sabb. S^to, nisi consuetudo id permittat etiam intra hanc Missam 1294. q. 6°;—qualibet hora diei, excepto sub noctem et in Missâ Nat. Dñi, quæ media nocte celebratur ib. q. 5°; —etiam ante vel post Missam 1295. q. 7°, et licet ea celebretur *de requiem*, sed tunc etc. ib. q. 8°. et 1296. q. 10; et infra Missam *de requiem* ex particulis etiam præconsecratis 1295. q. 9°. Quomodo ministranda extra Missam 1296. q. 11°. Quid faciendum, si Hostia decidat in terram, etc. 1293. q. 2°. q. 3°. q. 4°,—si minister sacerdoti desit 1297. q. 12°,—si particulæ omnibus communicaturis non sufficiant, vel si quæ supersint, nec sit tabernaculum, in quo reponantur ib. q. 14°. q. 15°. Infirmis quomodo ministranda 1298. 1299. q. 3° q. 5°. An et quando deferri possit—*nocte* 1299. q. 1°,—*occulte* ib. q. 2°, et p. 513. col. 1. n. 1302. 1°. 3°, et quomodo tunc deferenda 1302. 2°. 4°,—*currendo* 1299. q. 4°. 1302. 5°, —*equitando* 1299. q. 7°. 1302. 5°,—*capite cooperto*, dum publice defertur 1299. q. 6°. Quoties ministrari possit infirmis Viatico jam munitis, licet non jejunis 1299. q. 8°. q. 9°. Quid agendum sacerdoti, si ad infirmum cum SS. Sacramento adveniens, ejusque Confessionem excipiens, eum indispositum invenerit ib. q. 10°.

Eucharistia in quibus sive ecclesiis, sive oratoriis asservari debeat vel possit 1300. I, et quid de ecclesiis ruralibus apud quas nullus sacerdos res.det aut a quibus abest 1303. Quale debeat esse tabernaculum;—quid super illud, ante illud, in illo poni vel tolerari non debeat,—a quo clavis ejus custodienda,—quomodo exterius interiusque ornandum,—quale debeat esse ciborium 1300 II. Coram SS^mo lampas semper accensa sit, citra veram necessitatem etiam apud nos, et mortale esset, si per integrum diem non foret accensa; nutrienda est ex oleo olivarum, vel aliis oleis, quantum fieri possit, vegetabilibus, non vero adhibendum *Gaz carbonicum* ib. III. et 1301. q. 1°.

Quoties et quomodo renovandæ particulæ, et an hæ debeant esse recentes 1300. IV. 1301. q. 5°. Quid faciendum, si fragmenta hostiarum reperiantur 1301. q. 2°,—vel hostia certo aut dubie consecrata ib. q. 3°,—vel ab infirmo ejecta ib. q. 4°.

Obligatio SS. Eucharistiam recipiendi. *Realis* ejus sumptio necessaria necessitate, non medii, sed præcepti tum divini, tum ecclesiastici omnibus fidelibus, qui ad annos discretionis pervenerint 1304. Præceptum divinum urget *per se* in articulo vel periculo mortis, et sæpius in vita 1305. q. 1°. R. 1°. 2°. Quando *per accidens* ib. R. 3°. An in periculo mortis communicare

debeat, qui paucis ante diebus 1305. q. 2°,—vel debeat aut possit, qui ipso mane—ex devotione communicavit ib. q. 3°. An in periculo mortis tribuenda—pueris nondum ad S. Synaxim admissis ib. q. 5°,—nuper ad Fidem conversis ib. q. 6°,—amentibus, semifatuis, delirantibus et sensibus destitutis ib. q. 7°,—surdo-mutis, obsessis, et epilepticis ib. q. 8°,—capite damnatis ib. q. 9°.

In communicaturo, ut sacrilegium evitet, requiritur, *quoad animam*, status gratiæ, saltem prudenter existimatus 1306. I, acquisitus per Confessionem, licet non materialiter integram 1307. q. 3°. q. 6°, vel, si necessitas communicandi aut sacrificandi urgeat et desit copia confessarii, per contritionem ib. 1306. II. Ut vero *totum* Communionis fructum percipiat, requiritur præterea, ut absit affectus voluntarius ad peccatum veniale 1307. q. 8°. Quandonam deesse censeatur copia confessarii ib. q. 1°. q. 3°.—*Sacerdos* qui celebravit (non laicus qui communicavit) conscius peccati mortalis, ex præcepto Ecclesiæ, tenetur confiteri *quamprimum* poterit, antequam iterum celebret; vel, si non celebret, intra triduum ib. q. 4°. q. 5°. q. 7°.

In communicaturo requiritur, *quoad corpus*, jejunium naturale—quid 1308. I. Ut quis defectu jujunii a Communione abstinere teneatur, *moraliter certo* constare debet 1309. q. 6°, post mediam noctem 1308. II. IV, ab extrinseco ib. 1ª, per modum comestionis aut potationis ib. IIª, aliquid quod rationem cibi aut potus habeat ib. III, trajectum fuisse. Si *ex industria* deglutiantur reliquiæ cibi inter dentes inhærentes, *omnino consulenda* est abstinentia a Communione; sufficit tamen solas illas, quæ sensibiliter in lingua percipiuntur, expuisse 1309. q. 1°. Pulvis aut fumus tabaci non solvit jejunium ib. q. 3°. q. 4°, nec guttulæ aquæ aut jusculi degustati cum saliva mixtæ, nisi vel in magna quantitate, aut ex proposito deglutiantur ib. q. 2°. Quid, si folium tabaci vel aroma dentibus conteratur ib. q. 5°. Veniale est, sine aliqua causa, statim post Communionem aliquid sumere ib. q. 7°. Modo nullum hostiæ fragmentum in ore remanserit, illicitum non est, sed incongruum, statim post Communionem expuere ib. q. 8°. Quando non jejuno liceat communicare ib. q. 9°. q. 10°. q. 11°. Requiritur præterea, *quoad corpus*, habitus et compositio reverentiam et devotionem exhibens 1310. I. 1311. 1°. 4°. Maculæ corporis, etiam apparentes, sed hic et nunc indelebiles, licet valde notabiles, Communioni non obstant; *decebit* tamen eam differre, si commode fieri possit, casu quo apparentes valde notabiles brevi cessare debeant 1310. II. III. 1311. 2°. Sacerdos tamen infectus macula vel infirmitate horrorem excitante non potest celebrare in publico 1311. 3°. Quid de Communione post pollutionem ib. 2°, vel copulam conjugalem 1646. 7°.

Communio quibusnam, utpote publice indignis, neganda 1233. 1°. 1439. q. 2°.

Communio *frequens* quid 1312; semper optatissima ib. 1); judicio confessarii relinquenda ib. 2); quid, si de Monialibus agatur ib. 3). *Menstrua* omnibus consulenda 1313. Iª. Quibus permittenda *hebdomodaria* ib. IIª; *frequens* ib. IIIᵃ; *quotidiana* ib. IVª.

Communio spiritualis quid; valde commendanda 1314.

Communio Prima puerorum a quo danda 1287. IV. Ordinarie non ante 10ᵘᵐ ætatis annum danda, nec post 14ᵘᵐ differenda 1315. Multum ad totius reliquæ vitæ rationem confert modus, quo recipitur. Hinc pueri sedulo ad eam præparandi, ac in eorum vitam inquirendum. Quid triduo ante; quid in ipso die agendum ib.

EUCHARISTIA, *ut Sacrificium*.—Sacrificium quid, ante 1316. In quo ejus essentia 1317. q. 1°. Quid sacerdos in eo offerendo agit nomine—Christi,—Ecclesiæ,—suo ib. q. 2°. *Præn.* Pro quibus triplici illo nomine, vel aliquo ex iis (et quo) offerri possit ib. q. 2°. Fructus *ex parte offerentis* est ex opere operato vel operantis ib. q. 3°. R. I; *ex parte victimæ* generalis, specialis, specialissimus ib. R. II. Valor an et quo sensu sit infinitus ib. q. 4°. Quomodo prosit defunctis ib. q. 5°. q. 6°.

Applicatio Sacrificii quid, ante 1318. Non requiritur pro fructu *generali*, nec pro *specialissimo* 1318. I, sed pro *speciali* ib. II. III; pro quo tamen sufficit et requiritur intentio *habitualis* 1319. q. 1°, et *implicite determinata* ib. q. 3°. An habitualis, cujus immemor est sacerdos, revocetur per novam ib. q. 2. Quomodo determinetur, si stipendia data sint e.g. a decem ib. q. 4°, vel a multis ignotis ib. q. 5°.

Obligatio celebrandi—*ratione Sacerdotii*, est juris divini, et sub gravi requirit, ut saltem ter vel quater in anno celebretur 1320. 1321;—*ratione officii*, pro ovibus suis celebrare tenentur omnibus Dominicis, necnon Festis in Elencho Urbani VIII. enumeratis (p. 543), Episcopi post adeptam Sedis possessionem,—Parochi,—non vero Vicarii Apostolici aut Missionarii, dummodo non agatur, etc. 1322. Impeditus tenetur per alium ib. *Quær;—ratione stipendii* licite celebratur 1323. I, etiam a sacerdote divite 1325. q. 11°, et in die Commemorationis OO. Fid. Def. ib. q. 17°; si vero extra diem Nat. Dñi, bis celebret pro una tantum Missa, nisi etc. 1327. q. 7°. q. 8°. Ex justitia vero ac sub gravi celebrandum, idque licet stipendium ipsum non sit materia gravis 1323. II. 1324. q. 4°. Dilatio Missæ ex stipendio celebrandæ quando gravis 1324. q. 3°. Missa alteri celebranda committi nequit stipendium minus dando quam acceptum fuerit, nisi etc. 1325. q. 7°. q. 12°; qui vero partem retinet, tenetur ad restitutionem ib. q. 8° (censura 1727). Quantum stipendium exigi possit vel debeat 1324. q. 1°. 1325. q. 10°. Ad quid teneatur qui, accepto stipendio ad celebrandum in altari privilegiato, in alio celebrat, et an hic *de requiem* celebrare debeat, si ritus id permittat 1325. q. 14°. q. 15°. An obligatus ex stipendio ad legendam Missam *de requiem* vel votivam satisfaciat, si aliam dicat ib. q. 16°. Quid consulat et quid præcipiat Conc. Pl. Balt. II. circa Missas fundatas aut fundandas ib. q. 18°. Quid sit stipendii Missarum *reductio*, *condonatio*, *compositio*, et a quo obtinendæ ib. 19°.

Celebrationis tempus. Celebrare licet quotidie, excepto etc. 1326. I, dummodo, extra casum privilegii, dispensationis Episcopi, causæ legitimæ, et primæ Missæ in Nat. Dñi, Missa saltem meridie incipiatur, et non absolvatur ante auroram 1326. II. 1327. q. 2°. q. 9°. Quomodo privilegium illud interpretandum 1326. III. Quantum peccatum sit celebrare ante recitationem Matutini et Laudum 1100. q. 2°. An et quando liceat sæpius celebrare eodem die 1327. q. 4°. q. 5°. q. 6°. Per quantum tempus Missa lecta et gratiarum actio post eam durare debeat ib. q. 10°.

Celebrationis locus est ecclesia, saltem benedicta, et non polluta, execrata aut interdicta 1328. I ; item cum licentia Episcopi oratoria publica, et omnis locus—*religiosus*, puta Seminarium, etc. ecclesiastica auctoritate erectus,—aut *pius*, i.e. misericordiæ operibus deputatus, ut hospitale, etc. licet sine ecclesiastica auctoritate erectus 1329. q. 1°. An et quando extra ecclesias et oratoria prædicta 1328. II. 1329. q. 2°. Facultates Episcoporum nostrorum circa locum celebrationis 1329. q. 3°. Quomodo ecclesia polluatur et reconcilietur ib. q. 4° ; excretur et iterum ad cultum reddatur idonea ib. q. 5°.

Celebrandi modus seu requisita ad Missam, et Rubricæ. Requisita ad Missam, ubi de altari ; de mappis ; de vestibus sacris earumque coloribus ; de calice et patena ; de corporali, palla, purificatorio ; de missali ejusque pulvillo ; de Cruce ; de candelis ; de bursa, velo, manutergio, ampullis, ministro 1330. 1331. Rubricæ an et quæ præceptivæ 1333. q. 1°, et an sacerdos infirmus celebrare possit, licet non omnes observare queat ib. q. 2°. Quid de S. R. Cgñis decretis et de consuetudine contra Rubricas 1335. 1336. Missæ interruptio an et quando licita 1333. q. 3°. Quid agendum, si sacerdos morbo vel morte correptus Sacrum perficere nequeat ib. q. 4°. Quid de celebrante cum capillatura ficta (*wig*) 1334. 2°, de omittente, vel non integre aut nimis celeriter perficiente benedictiones, inclinationes, genuflexiones, etc. ib. 3°. Quarum Missæ partium omissio sit mortalis ib. 4°. 5°, venialis ib. 6°. 9°. Quantum peccatum sit ea, quæ alta aut secreta voce dicenda sunt, non ea voce recitare ib. 7° ; verba mutilare aut syncope intermediare ib. 8° ; non lavare manus aut omittere orationes ante vel post Missam ib. 10°. 11°. 1333. q. 1°. R. 2° ; celebrare cum distractione 1334. 13°.

EVICTIO.—V. EMPTIO-VENDITIO.

EXAMEN CONSCIENTIÆ.—Pœnitens sub gravi *per se* tenetur ad diligens 1372. I. Diligentia requiritur *seria*, non vero summa ib. II, nec ab omnibus æqualis ib. III, et timor, ne peccata ex memoria excidant, non obligat ad ea scribenda 1374. q. 1°. Ordo in eo sequendus 1374. q. 2°. Si pœnitentes instructi, non satis discussa conscientia, accedant, benigne dimittendi ; secus, si rudes, aut parum instructi ib. q. 3°.

EXCOMMUNICATIO.—Quid 1673 (in animalia 1663. 5°. Mortuorum ib. 6°). Quotuplex 1673. An et quando liceat cum excommunicato communicare in divinis ib § *Olim*. Quomodo excommunicatus denuntiandus, ut sit vitandus 1674. q. 1°. Quid tenendum de excommunicatione *minori* ib. q. 2°.

Ejus effectus mediati duo 1675. § *Et hi quidem ;* immediati : Privatio : 1) Sacramentorum 1676 : 2) Divinorum officiorum 1677. 1678 : 3) Suffragiorum communium Ecclesiæ 1679. 1680 : 4) Sepulturæ ecclesiasticæ 1681 : 5) Jurisdictionis ecclesiasticæ 1682 : 6) Beneficiorum 1683 : 7) Communicationis forensis 1684 : 8) Societatis civilis 1685.

EXCOMMUNICATUS. — An legibus Ecclesiæ subjectus 110 § *Sequitur*.—V. EXCOMMUNICATIO.

"EXCURSIONS."—V. "FAIRS."

EXECRATIO.—Ecclesiæ, vasorum sacrorum, paramentorum quomodo fiat 1329. q. 5°.

EXEMPLUM.—Debent parentes filiis 431. 432. 4°, famulis domini 447. 3°, magistri discipulis 450.

EXEMPTIO.—Quid et quotuplex 1193. Regularium non comprehenditur communicatione privilegiorum, nisi expresse de ea fiat mentio 1190. c). Competit Religiosis votorum solemnium 1185. 3°. Regularium quid comprehendat 1194 sq., quid non 1197 sq.

EXORCISMUS.—Quibus liceat 375. 376. Quid in dubio de possessione 377. q. 1°. q. 4°. Vitanda in ejus usu ib. q. 2°. q. 3°. 376. III § *Adjuratio*.

EXPONERE.—Prolem recens natam an et quando liceat 433. Adulteri et fornicatores opulenti prolem brephotrophio committentes an impensas resarcire teneantur 815.

EXPOSITIO SS^mi SACRAMENTI.—Quibus diebus licita in cunctis nostris Provinciis 1300. V. An liceat Regularibus 1200. G.)

EXTREMA UNCTIO.—Quid 1500. I. Effectus ib. II. Materia remota : Oleum olivarum ab Episcopo benedictum 1501. I. II. 502. q. 2° q. 4° ; benedicendum in Cœna Domini, et singulis annis renovandum, non vero ad validitatem 1501. II. Præceptum renovandi Oleum obligat sub gravi ; sed, si intra annum deficeret, Oleum non benedictum in minore quantitate infundi potest 1502. q. 1°. Proxima : unctio quarundam partium corporis, sc. quinque sensuum, saltem ex præcepto Ecclesiæ 1501. III. Traditur modus, quo facienda est unctio ib. § *Facienda*. In geminis organis (v.g. utroque oculo) non requiritur gemina de necessitate Sacramenti ; sed servanda est vi præcepti 1502 q. 6°. Unctiones fieri debent pollice dextro, per modum Crucis ; in organis geminis incipiendo a dextro ib. q. 7°. Ordo inter variorum sensuum unctiones servandus non est de necessitate Sacr. ; attamen inversio esset graviter illicita ib. q. 8°. Mutis, surdis, et a nativitate cæcis conferri potest Extrema Unctio ib. q. 9°. Infirmus manu vel pede truncatus ungendus est in parte viciniori membro mutilato ib. q. 10°. Una sola gutta Olei sufficit ad unctiones faciendas ib. q. 11°. Tempore pestis vel morbi contagiosi licet unctiones peragere mediante penicillo ib. q. 12°.

Forma integra repetenda est ad singulas partes ungendas, exprimendo membrum quod tunc inungitur 1503. Simultas inter materiam et formam eadem requiritur ac in Baptismo. Vide 1211. IV. c). Sacerdote

deficiente, unctiones jam factæ non sunt iterandæ ab alio, nisi hic inciperet post quadrantem 1503. Controvertitur an ad validitatem Sacramenti requiratur expressio cujuslibet sensus; cum res sit dubia, sub gravi expressio sensus adhibenda 1504. q. 1°. Verba formæ essentialia ib. q. 2°. Controvertitur an ad validitatem sufficiat unica forma ad omnes sensus, licet singuli distincti exprimantur et ungantur ib. q. 3°.

Solus Sacerdos est Minister hujus Sacramenti 1505. I. Omnis Sacerdos potest illud *valide* ministrare; *licite* solus Parochus ib. II, et Superiores Regulares suis 1200. F). Quivis Sacerdos potest illud ministrare ex consensu Parochi probabiliter præsumpto 1506. q. 1°, etiam Regularis 1200 F). In casu necessitatis, ex caritate *debet* vel sub levi, vel sub gravi 1506. q. 1°. Extra casum necessitatis, mortale est omittere orationes, in Rituali præscriptas, vel ministrare sine vestibus sacris ib. q. 2°. Pastor tenetur ratione officii sub mortali Extr. Unct. suis subditis periculose ægrotantibus eamque petentibus ministrare, nisi gravi causâ excusetur ib. q. 3°. Extr. Unct. ministrare sine lumine est veniale, ad summum ib. q. 4°. Ad ministrari debet post Eucharistiam (sub veniali ad summum) ib. q. 5°. Omittere Signum Crucis in unctionibus, sine necessitate, est veniale tantum ib. q. 6°. Conferre hoc Sacramentum sine ministro inserviente non est mortale; in necessitate nullum est peccatum; mulier nunquam est adhibenda ib. q. 7°. "Gravissime peccant, qui illud tempus ægroti ungendi observare solent, cum jam . . . vita et sensibus carere incipit" ib. 9. 8°. Oleum infirmorum servari debet in ecclesia; apud nos permittitur illud apud se retinere ib. *Nota* 1°. Novus globulus bombycis, in cujuslibet sensus unctione adhibendus, deinceps comburendus, et in sacrarium projiciendus est ib. 2°.

Subjectum hujus Sacramenti sunt omnes et soli peccatores infirmi vitâ periclitantes 1507. Pueri ante usum rationis, et perpetuo amentes capaces non sunt; in dubio conferatur sub conditione ib. Infirmis delirantibus, si antea Sacramentum petierint, aut signum doloris ostenderint, conferri debet; infirmo autem sensibus destituto, phrenesi aut amentia laboranti non ministretur, nisi periculum irreverentiæ tollatur 1508. q. 1°.

Licite conferri potest Ext. Unct. ægroto in periculo mortis dubio, seu probabili, constituto 1508 q. 2°. Mulieri in partu laboranti, si agatur de *ordinariis* doloribus, Ext. Unct. conferri nequit; secus, si agatur de doloribus *extraordinariis* ib. q. 3°. Difficilem operationem chirurgicam subituris conferri potest ib.; item senio deficientibus; veneno infectis ib. Non vero capite plectendis; prœlium commissuris; in periculo naufragii versantibus ib. Conferri potest pueris, dummodo rationis sint compotes ac doli capaces ib. q. 4°; in dubio ungendi sunt sub conditione ib. Iterari potest Extr. Unct., quoties in periculoso morbo inunctus convaluit, et rursus in morbum periculosum incidit ib. q. 5°. R. 1°. Etiam iterari potest in *eadem* infirmitate, si diuturna fuerit, et infirmus *notabiliter* convaluerit ib. q. 5°. R. 2°. In eodem morbo diuturno, si dubitetur (dubium sit vere probabile) an revera status morbi mutatus fuerit, Sacramentum iterari potest ib. q. 6°. Duplex est sententia probabilis, an sit obligatio gravis hoc Sacramentum recipiendi; sententia *affirmans* 8° Alphs magis placet; eamque *valde* probabilem censet ib. q. 7°. *Certo graviter* peccaret: 1° qui ex contemptu Extr. Unct. recusaret; 2° graves tentationes aliter vincere nequiret; 3° grave scandalum præberet non suscipiendo; 4° necessitas recipiendi ad salutem adesset ib. q. 7°. § *Certo*. Dispositio ad susceptionem Extr. Unct. requisita: 1° peccatorum Confessio, si quis in mortali versetur (*practice*); 2° si peccata confiteri non possit, contritio existimata præcedere debet ib. q. 8°—Deneganda impœnitentibus et qui in *manifesto* peccato mortali moriuntur ib. § *Hinc*.

F

FABRI.—V. OPERARII.

FACULTAS DISPENSANDI.—V. DISPENSATIO.

"FAIRS."—Quando licitæ 295. 8°. Non licet ad ea contribuere, si proventus cedant in usus protestanticos 313. 2). Ut occasio 1466. 1467.

FALLENTIÆ.—Quid 171. R. ad. 1).

FAMA.—Quid 516. Quomodo differat ab honore 533. Propria an servanda 525. Variis modis lædituf 516. § *Detractio variis*. Unde ejusdem læsio gravior vel levior 517. II. Quandonam licite alicui tollatur 518. IV. Restituenda 528 I. 530. 1°. 531. q. 2°. 532. q. 4°, a quo 528. II. 530. 3°, quomodo a calumniatore 529. 1°, a detractore 2°, quomodo, si per libellum famosum læsa, vel diffamatio ad multos pervaserit 530. 2°, an veniæ petitione ib. 4°, an pecunia 532. q. 5°, quando 529. § *fin*, coram quibus 532. q. 3°. Causæ a restitutione famæ excusantes 531.

FAMULUS.—Ejus obligationes et quomodo his desit 448. Relatio famuli et domini ex legibus nostris 449. Infantes a ministello baptizandos an deferre et brachio sustinere permittatur 254. 3°. Ejus cooperatio ad peccatum domini (V. COOPERATIO). A Missa quando excusetur 408. 11°. 12°. Quando a jejunio 573. 4°. 577. q. 7°. Quoad labores serviles Dominicis et Festis 417. 6°. 10°. Quoad damna ab ipso illata proprio domino 448. 2°. 3°. Quantam et qualem eleemosynam ex bonis domini dare possit 286. q. 3°. Ejus furta quando gravia 696. q. 2°. R. 2°. Alimenta accipiens a domino fure 707. q. 3°. Occulte se compensans 710. An teneatur de damnis domini non impeditis 774. q. 2°.

Modus restitutionis quis illi suggeri possit 795. q. 7°.

FESTA.—Qui instituere possint 545. Servanda apud nos 546. An ab omnibus in hac regione 417. 10°. Quid in iis præscriptum 397.—V. MISSA. Quid non 398. Quid prohibitum 398. 411.—V. OPERA SERVILIA.

FIDEICOMMISSUM.—Quid 914.

FIDEJUSSIO.—Quid 1032. Ejus regulæ 1033.

FIDELES.—Tenentur ad sustentationem Religionis et Cleri 633. q. 1°.

FIDES.—Quid et quotuplex 248. Peccata ei opposita ib. Quot numero peccata committat qui plures Fidei articulos negat 227. q. 4°. Fidei necessitas quoad actum internum 249, et quando hic eliciendus 250. q. 1°, et an explicite ib. q. 2°. Dubitatio de Fidei articulo 268. q. 2°. Fidei externæ profitendæ præceptum *negativum* prohibet veram negare, falsamve profiteri 251. I, aut simulare 252. q. 1° R. 1° (Casus varii 254) ;—*affirmativum* quando obliget 251. II, et an lædatur dissimulatione 252. q. 1°. R. 2°. q. 2°. q. 3°. 255. 1°.

FILII.—Parentibus debent 419 — amorem (quid præcipiat 419, prohibeat 420),—reverentiam 421. 422,—obedientiam 423. 424, non tamen per se in electione status 425. Quid jure nostro ab eis exigi possit 426. q. 4°. An ex bonis parentum eleemosynam dare possint 286. q. 3° Quando liceat illis alimenta accipere a patre fure 707. q. 3. Eorum furtum quando grave 696. q. 2°. R. 1°, vel speciem mutans ib. q. 3°. Modus restituendi quis ipsis suggeri possit 795. q. 7°. Condonatio præsumpta eos a restitutione excusans 804. In qua parentum necessitate Religionem ingredi prohibeantur, et in qua filiorum necessitate parentes 1157. 3°.—V. FILIIFAMILIAS.

FILIIFAMILIAS.—Quinam dicantur quoad dominium 601. Quam potestatem habeat pater in bona, quæ filiis acquiruntur alio titulo quam labore eorum proprio 603. R. 1°. 604 ; in ea, quæ acquirunt labore proprio 603. R. 2°, et quid, si majores sint aut emancipati ib. *Nota*—1.—V. FILII.

FINIS. — Quid et quotuplex 28. Quomodo afficiat moralitatem actus 28–30. Legis et præcepti quis 97. 4). 98. 1°. 100. 3°. An et quatenus cadat sub lege 130–132. An, cessante fine dispensationis, privilegii, legis, hæc pariter cessent 164. I. 196. 2°. 165. 2°.

FŒTUS.—Quando conseatur animatus 474. Quoad irregularitatem ex homicidio 1776. q. 6°.—V. ABORTUS. ABORTUS MEDICALIS. BAPTISMUS. CRANEOTOMIA.

FORNICATIO.—Quid 493. Quid ob eam restituendum.—V. *Stuprum*, et applica ibi dicta, prout mulier in eam libere consenserit necne.

"FOUNDLING ASYLUM."—V. EXPONERE.

FRATRES et SORORES. — Quid sibi invicem debeant 434. q. 4°. In qua eorum necessitate Religionem ingredi prohibeatis 1157. 3°.

FRAUS.—An in fraudem legis agere dicendus sit, qui exit e territorio, ut legi ejusdem se subtrahat 116.

FRUCTUS INDUSTRIÆ ET INGENII. — V. "COPYRIGHT" et "PATENT-RIGHT."

FUR.—Rei certo perituræ 733. Res furtiva apud ipsum periens 734. Ad quid teneatur quando res tempore detentionis varium habuit valorem 735. An etiam *interesse* restituere debeat 736. Quid de illo, qui scienter emit rem a fure 737.—V. FAMULUS. FILII. FURTUM. POSSESSOR MALÆ FIDEI. UXOR.

FURTUM.—Quid, quotuplex 693. 694. II ; an sacrilegium, si fiat in ecclesia 348. q. 3°; quando circumstantia filii a patre furantis speciem mutet 696. q. 3°. Est peccatum ex genere suo grave 694. I. Materiæ gravitas in eo unde desumenda 695. R. 1°; quæ relative gravis apud nos ib. R. 2°; an facile de ea in casibus particularibus a confessario pronuntiandum ib. § *fin.* Uxoris, filii, famuli quando grave 696. q. 2°. Furta minuta fiunt gravia, ratione justitiæ,—per intentionem perveniendi ad materiam gravem 702. q. 12° ; quæ efficit, ut toties graviter pecces, quoties, leve aliquod furando, renoves hanc intentionem, vel etiam quoties furaris, dum ab initio habuisti hanc intentionem 703. 1°;—per conspirationem plurium 702 q. 12°, non vero per solum exemplum ib. q 11°;—per damnum grave domino illatum et prævisum 703. 2°. *in fine* ;—per multiplicationem 702. q. 12°, talem scilicet, quâ minuta furtula coalescant in materiam gravem 697. q. 4°, quo tamen casu materia totalis ex dimidia parte excedere debet summam ad furtum grave communiter requisitam, si furta minuta fiant eidem diversis temporibus, vel diversis eodem tempore 699. q. 7°. R. 1°; debet autem esse duplo major, si fiant diversis et discontinuatim ib. R. 2°. Per multiplicationem vero solam non coalescunt in materiam gravem, si *vel* notabile inter ipsa intercedat intervallum 698. q. 5°, nimirum bimestre ib. q. 6°, *vel* voluntas *efficaciter* retractetur, etc. 699. q. 8°. Nec *per se* graviter peccat, qui post completam materiam gravem leve aliquid furatur 700. q. 9°, vel levi furto complet materiam gravem ab aliis apud eumdem inchoatam 701.—In ratione vero charitatis furta levia gravia fiunt, si exemplo tuo occasio sis damni totalis gravis 702. q. 11°, vel dominus inde graviter sit affligendus 703. 2°. Casus furti 703. 3°–7°. Causæ, ob quas furtum cesset esse tale 704–712.

G

GABELLÆ.—V. TRIBUTA.
GAUDIUM DE MALO.—Quid 228. Induit speciem objecti et circumstantiarum 229. De ipso opere malo, ob bonum effectum inde secutum, illicitum; de bono effectu, si periculum probabile peccati formalis absit, licitum 232.
GEOMANTIA.—337.
GESTIO NEGOTIORUM.—Quid 927. Ad quid teneatur qui alterius negotium gerit ib. 1°, et is, cujus negotium geritur ib. 2°.
GRADUS.—In incestu an speciem mutent 1365. q. 2°.
GRAVITAS PECCATI.—Quid 200. Peccata quæ gravia ex genere suo toto, quæ ex genere suo, quæ non ex genere suo ib. Unde repetenda major minorve 201.—V. PECCATUM. In violatione legis 126. q. 2°; juramenti 372. q. 1°; voti 385; amoris, reverentiæ, obedientiæ, quæ parentibus debentur 420. 422. 424; amoris etc. conjugum 444. 1°. 2°; voti paupertatis 1164; obedientiæ 1174; regulæ 1176 · obligationis tendendi ad perfectionem 1181. 1182. In omissione partis Missæ 400. q. 1°; Pœnitentiæ sacramentalis 1386. 2°. 3°; Officii divini 1091. 1092; correctionis fraternæ 289, q. 1°. In scandalo 292. q. 1° R. 2. In tempore per quod opera servilia fiunt 415. q. 8°. In distractione 1215. II. 1334. 13°; injuria 691. q. 1°; furto (V. FURTUM); detractione 517. II. 519. q. 1°. 523. q. 7°. 524. 526; judicio temerario 537. II. 538; abstinentia et jejunio (V. hæc verba); neglectu rubricarum et cæremoniarum pro singulis Sacramentis præscriptarum (V. ABSOLUTIO. BAPTISMUS. EUCHARISTIA *ut est Sacrificium*. EXTREMA UNCTIO. SACRAMENTUM *in genere*); tactibus inter conjuges et circumstantiis copulæ (V. DEBITUM CONJUGALE); violatione censuræ (V. CENSURA, IRREGULARITAS); lectione et retentione libri sub censura prohibiti 1704. q. 7°. R. 2°.
GULA.—Quid, quotuplici modo committi possit, et quænam ejus malitia, filiæ, remedia 242.—V. etiam EBRIETAS.

H

HABITUS.—Clericorum 1088. Religiosus an assumi possit sine testimonialibus Ordinarii litteris 1157. 7°, et an eo deposito interrumpatur novitiatus 1186. 1°. Ab eo suscepto computatur tempus, quo durare debet novitiatus ib.
HABITUS PRAVUS.—V. CONSUETUDINARIUS.
HÆREDES ET HÆREDITAS.—Quibus hæredibus ob homicidium restituendum, et an ad restitutionem teneantur hæredes homicidæ (V. HOMICIDIUM). Quid et quotuplex successio hæreditaria 895. Quis hæres et quis legatarius 896. Hæredes quotuplices 897. Quid requiratur, ut quis hæres esse possit 898. Hæredum jura 899. Hæreditatis aditio et repudiatio 900. Quid ad hæreditatem pertineat 901, et quid collationi subjaceat et quid non ib. 2). Successionis hæreditariæ vis originaria 902. 903. Quinam ab intestato ad hæreditatem vocentur, et quo ordine 904. 905; quinam ab ea excludantur 906; an parentes teneantur legitimare prolem 907. q. 1°, et an injusti nupturientes, qui occasione Matrimonii falso agnoscunt prolem, quæ non est utriusque ib. q. 2°. Hæreditatis occupatio cuinam competat 908. De successione testamentaria (V. TESTAMENTUM).
HÆRESIS.—Quid, quotuplex et quid differat ab apostasia 265. 266. Formalis quantum peccatum 267. I, et quæ ejus signa 268. q. 1°. R. *ad secund.* Puro materialis omni culpa vacat 267. II, et quæ ejus signa 268. R. *ad prim.* An dubitans de aliquo Fidei articulo sit hæreticus formalis ib. q. 2°. Adhærens opinioni, quæ leviori censura quam hæresis ab Ecclesia notata est, mortaliter peccat, et *virtualiter* hæreticus est ib. q. 3°.—V. FIDES. HÆRETICI.
HÆRETICI.—An et quatenus teneantur legibus Ecclesiæ 110. An (1612. q. 4°) et ubi non ligentur imp. clandestinitatis (V. CLANDESTINITAS), et quinam hac sub ratione tales habendi 1612. q. 2°.—V. etiam CENSURÆ LATÆ etc. IRREGULARITAS. SEPULTURA.
HERUS ("*Slave-holder*").—Quomodo olim peccarint erga mancipia 596.—V. MANCIPIA. NIGRITARUM COMMERCIUM. SERVITUS.
HISTORIOGRAPHI.—Quoad detractionem 526. 1°.
HOMICIDÆ.—Seipsos directe 461. I; reum auctoritate privata 464. II; injustum aggressorem non servato moderamine inculpatæ tutelæ 467. II; innocentem 472. I, aut fœtum 474. I. 475. q. 1°. q. 2°. 476. 2°. 5°. directe occidentes, tentantes vel desiderantes occidere. Item duellantes 477. II (V. CENSURÆ LATÆ etc. SEPULTURA). Item bellum injustum vel dubie justum indicentes 480. q. 1°, vel in bello injusto, licet defensionis tantum causa 481. 1°,—vel non coacti in dubie justo 480. q. 2° R. 3°. hostes,—aut in justo directe innocentes ib. q. 3°, occidentes.—V. HOMICIDIUM.
HOMICIDIUM.—Quid et quotuplex 460. Voluntarium et injustum inducit obligationem reparandi omnia damna temporalia ex eo *realiter* secuta hæredibus necessariis, et hæc obligatio transit ad hæredes homicidæ, nisi vel occisus ea condonarit et condonare potuerit 807, vel homicida morte plexus fuerit et hæredes occisi non reclament 808. q. 1°. Damna vero hæredibus non necessariis vel creditoribus occisi secuta, ab homicida non directe intenta, licet prævisa, probabilius non sunt reparanda 807. III. Quid si occisus fuerit injustus aggressor 808. q. 2°, vel ceciderit in duello ib. q. 3, vel in via ferrea aut pyroscapha perierit ib. q. 4°. Ut impedimentum Matr. (V. CRIMEN).—V. etiam IRREGULARITAS.

HONESTAS PUBLICA.—Ut impediment. Matr. dirimens, quid 1592. Duplex : alia oritur ex sponsalibus validis, etiam privatis, et dissolutis 1593. q. 1°. R. ad 2um q. 2°, ac dirimit ad 1um gradum tantum 1592. 1° ; alia ex Matr. rato, et dirimit ad quartum inclusive 1592. 2°. Ex sponsalibus conditionatis non oritur, nisi conditione impleta 1593. q. 1°. R. ad 1um. Oritur etiam ex. Matr. invalido, modo invalidum non fuerit propter defectum consensus, vel propter impedimentum publicæ honestatis ortum ex sponsalibus valide contractis ib. q. 3°. An et quatenus oriatus ex Matrimonio inito coram magistratu aut ministello ib. q. 4°.

HOSPITIUM RELIGIOSORUM.—Quid et an erigi possit sine licentia Ordinarii 1197. 1). 2).

HORÆ CANONICÆ.—Quid, earum origo 1089. Quinam ad eas obligentur 1090. I. Obligatio ad eas gravis ib. II, diei affixa ib. III. Quænam sit materia gravis in omissione Officii 1091. Quot peccata committat, qui totum Officium omittit 1093. Quid si dubites an aliquid omiseris 1094. An supplenda quæ omittuntur ob functiones Chori 1096. q. 7°. Tempus debitum 1099. An horæ parvæ absque causa ante auroram recitari possint 1100 q. 1°. An Matutinum et Laudes sub gravi recitanda ante Missam ib. q. 2°, et qualis causa ab illa obligatione excusare possit ib. q. 3°. Quanam hora liceat anticipare Matutinum 1101 q. 4°. An debeat iterum recitari Matutinum, si ante tempus debitum recitatum fuerit ib. q. 5°. An prævidens impedimentum recitandi Officium ipsa die teneatur anticipare Matutinum et Laudes 1103. Quanam hora incipi possit recitatio Vesperarum mane tempore Quadragesimæ 1104. Locus et situs 1105. An liceat recitare Officium decumbendo in lecto 1106 q. 1°, in curru vel equo ib. q. 2°. An sit culpa non servare rubricam, ex qua preces quædam genibus flexis recitandæ sunt 1107. q. 3°. An sit peccatum recitare Breviarium in loco indecenti ib. q. 4°. Ordo duplex servandus : Officiorum et Horarum 1108. Quid si quis Officium pro Officio recitet 1109–1112. An et quando liceat invertere Horas 1113 sq. Pronuntiatio debita 1116. An et quondonam liceat interrumpere Horas 1118 sq. An ob interruptionem tenearis repetere 1122 sq. Recitatio cum socio 1123. An tenearis repetere, si socius male recitat 1124. Qualis attentio requiratur 1125–1127. Causæ a recitatione excusantes 1128 sq. An impeditus a recitando integro Breviario teneatur ad partem 1131. Recitari possunt infra Missam de præcepto 404. q. 3°.

"HORSE-CAR CONDUCTORS."—V. AURIGA.

HYPERDULIA.—325.

HYPOCRISIS.—511. 4°.

HYPOTHECA.—Quid 1036. Quæ ejus vis ib.

I

IDOLOLATRIA.—Quid 334. Non licet cooperari ædificandis templis falsorum numinum 314 1°. An conficere vel vendere altaria, paramenta et sacra vasa Ritualistis ib. 4°.

IGNORANTES.—An corrigendi.—V. CONFESSARIUS. CORRECTIO FRATERNA. IGNORANTIA.

IGNORANTIA. — Impedimentum voluntarii quando 10. 11. Puerorum quando ea, quæ *de se* illicita sunt, agunt 11. 2° ; objecti legis naturæ 167. q. 1° ; circa malitiam pravi desiderii in eo, qui cognoscit malitiam actûs ib. q. 2° ; judicis vel confessarii 11. 3°. Missam aut jejunia ex ignorantia negligentes apud nos quando culpandi 11. 4°. Qualis excuset a lege 137. II, a pœna legis 180, v.g. ab impedimento petendi debiti ex incestu 1589. III. 4). An invincibilis impediat effectum legis irritantis 182. q. 2°, v.g. impedimenti Matrimonium dirimentis 1574. q. 2°. q. 3°. Eorum, quæ explicite credenda sunt necessitate medii vel præcepti, quando invalidet absolutionem, et quomodo tractandi qui ea laborant 257–261, et an baptizandus adultus, licet moribundus, ignorans mysteria Trinitatis et Incarnationis 259. R. 2°.—V. etiam CENSURÆ. IGNORANTES. IRREGULARITAS.

ILLEGITIMUS. –Hujus sustentatio cui legibus nostris incumbat 429. *Quær.*—V. IRREGULARITAS.

IMAGINES.—Qualis cultus eis debeatur 325 § *fin.* Quotuplices 328. 1). Quas in Ecclesiis exponere non liceat ib. 2). Coluntur eodem modo ac Reliquiæ, excepto etc. ib. 3).—V. RELIQUIÆ.

IMMUNITAS ECCLESIASTICA.—Quotuplex 112. § *Dixi:* 1°. Officium Episcopi, Clerici, Magistratûs, dum servare coguntur quæ eidem sunt adversa 113. Quousque legibus nostris admittatur 114.—V. etiam CENSURÆ LATÆ etc.

IMPEDIMENTA MATRIMONII. — Quotuplicia 1559, et quid singula 1560–1564. Quandonam censeantur occulta 1564. Impedientia quæ, quot 1565, et a quibus relaxari possint 1572. Parochus tenetur inquirere in ea 1542. 1 ; quando ib. 2 ; quomodo ib. 3. *Dirimentia sola* Ecclesia constituere potest. Juris divini afficiunt omnes ; *ecclesiastici* solos baptizatos 1573. Potestas civilis non potest constituere imp. dir. Matrimonia fidelium 1573. II ; an infidelium 1574. q. 1°. Dir. irritant, licet ignorata, et quamvis pœnæ tantum rationem habere videantur, imo etiam in casu gravissimi incommodi ib. q. 2°. q. 3°. q. 4°. Si dubia, 1) cum vera et universe recepta probabilitate *juris ecclesiastici*, licet contrahere ; 2) cum probabilitate *juris divini*, non licet ; nec 3) cum probabilitate *facti* ib. q. 5°. Oriente dubio probabili post nuptias, facienda inquisitio ; qua facta et dubio perseverante, licet Matrimonio uti, modo dubium non versetur circa mortem prioris conjugis ib. q. 6°. Quoad nuptias ante conversionem initas ib. R. 2°. Si quis Matr. contraxerit cum impedimento *putato*, distingue : 1) vel tantum *dubitavit* de illo, et Matr. valet ; 2)

vel de illo persuasus fuit, et nullum est, cum quadan tamen exceptione ib. q. 7°. Dirimentia quæ 1575. Dispensatio impedimentorum.—V. Dispensatio. Quid agendum si, celebrato Matrimonio, impedimentum appareat 1638. 1639.

Imperfectiones.—Quid 1345. An materia Sacramenti Pœnitentiæ 1344. q. 8°. § *Hinc* . . . 2°.

Implantatio, *ut species accessionis.*—674.

Impossibilitas.—V. Impotentia.

Impotentia.—An excuset a lege 137. III, et ansemper a totâ lege 138. 1131. q. 3°. q. 4°. Excusans a Missa 407; abstinentia vel jejunio (V. Abstinentia. Jejunium); restitutione 798; Officio divino 1128. I. 1130. 1131; integritate Confessionis 1367. sq. Ut impedimentum dirimens Matrimonii quid et quotuplex 1617. 1618. *Nota.* Antecedens et perpetua de jure naturali dirimit 1618. I; non vero consequens, nec antecedens temporalis ib. II. Certo cognita Matrimonii usum illicitum reddit ib. III. Impotentes sunt utroque testiculo destituti, non vero steriles, nec mulieres, quæ possunt semen excipere, etsi illud non retineant 1619. 1°. 5°. In dubio de impotentia sive antecedenti, sive consequenti, licet copulam experiri ib. 2°. 3°. In dubio an impotentia certa naturalis fuerit antecedens necne, præsumitur antecedens; item accidentalis, si alter conjux statim post Matrimonium celebratum de hoc vitio reclamet ib. 4°. Praxis confessarii ib. 6°.

Impuberes.—Qui 911. *in fine.* Quoad irritationem voti 389; sponsalia 1528. q. 5°. R. ad 1um, 1531. 1a; Matrimonium præsumptum 1546. 3°, Matrimonii impedimentum 1602.

Impudicitia.—V. Luxuria.

Inadvertentia.—An excuset a peccato 10. § *fin.* 201.—V. Blasphemia. Distractio.

Incestus.—Quid 495. Ejus gradus qui in Confessione accusandi 1365. q. 2°. Impedimentum petendi debiti (V. Affinitas. Debitum conjugale). In petitione dispensationis an exprimendus (V. Dispensatio).

Indulgentia.—Quid, quotuplex 1777. Non comprehenduntur sub communicatione privilegiorum, nisi exprimantur 1190. a). Decem dierum etc. quid 1779. q. 4°. Qui eas concedere valeant et quas Episcopi nostri 1778. II. 1780. 1°. Quomodo interpretandæ 1780. 4°. Conditiones ad quascumque 1778. III; ad plenarias ib. post 8°. Confessio et communio præscriptæ 1778. III. post 8°. 1). 2). 1779. q. 10°. q. 11°. Quid importet clausula: *corde saltem contrito*, vel similis 1779. q. 10°. *Nota.* Opera præscripta quomodo, a quo, et an integre perficienda 1778. III. 3°. 4°. 5°. 6°. 7°. 1779. q. 5°. 1780. 8°. Facultas opera injuncta commutandi an in Confessione exercenda 1779. q. 16°. Opera aliunde debita an sufficiant 1778. III. 8°. Locus et tempus Ind. lucrandæ 1778. III. 3°. Preces quæ, et quo idiomate, recitandæ 1778. III. 3°, et post 8°. 3). Indultum pro surdo-mutis 1779. q. 17°; pro ægrotis 1779. q. 18°. Veniale an sit obex Indulgentiæ 1778. III. 4°, *in fine*, 1779. q. 2°. q. 3°. Interventus Ordinarii quoad Ind. a. S. Sede concessas 1878. II. 1192. 7°. An et quæ Ind. defunctis vel aliis vivis applicari possint; quomodo; an cum effectu infallibili 1779. q. 6°-9° 1780. 2°. Quoties acquiri possint 1779. 12°-14°. Objecta, quibus applicari possint, et quomodo moribundus iis uti debeat 1779. q. 20°. 1780. 5°-7°. Quomodo amittantur reales et quomodo locales 1779. 19°. 1780. 3°.—V. Altare privilegiatum. Articulus mortis. Confraternitas. Coronæ. Cruces. Imagines. Jubilæum. Moniales. Numismata. Rosarium. Scapularia. Via crucis.

Infans.—Ejus suffocatio 428. a). 3°. An a propria matre lactandus ib. *Quær.*

Infidelitas.—Quid, quotuplex 263, et qualis peccatum 264.

Infirmi.—In dubio utrum legem aut partem ejusdem servare queant 138. Eorum custos an teneatur ad Missam 408. 1°. An ipsi infirmi ib. et 409. q. 2°. Quid si, rejectis mediis naturalibus, a Deo sanitatem sperent 345. 3°. Quando excusentur à lege abstinentiæ 553. q. 4°. R. 3°, a jejunio 573. 2°. In dubio an teneantur ad Horas 1130. An, quando, quoties et quinam visitandi 1509. q. 1b. Notanda circa visitationes ib. q. 2°. Eis 1° suggerantur adhortationes opportune et discrete; 2° sacerdos in promptu habeat argumenta apta; 3° non semper eadem dicantur; 4° sermo sit familiaris, brevis; 5° sonus non sit altus, nec durus; 6° sermones instituantur de miseriis vitæ, etc. 1510. q. 3°. Sacerdos infirmum adhortari debet: a) ut omnem spem suam in Deo collocet; b) ad actus Fidei, etc. crebro eliciendos; c) ad frequenter orandum et meditandum; d) ad exercenda bona opera; e) ut detrimentum animæ caveat. Si morbus sit gravior, hortabitur ut alienum restituat; pacem stabiliat, etc. Ubi periculum imminet, veritatem infirmo revelet. Susceptis Sacramentis hortetur ad patientiam, etc. Convalescentes hortabitur, ut ad ecclesiam veniant; Deo gratias agant, etc. *ib.* q. 4°. Confessarius, cognoscens morbum esse mortalem, infirmum ad Confessionem inducere debet, licet necdum proximum adsit periculum; non tamen ordinarie in primâ visitatione, sed ita ut ægrotus infirmitatis suæ agnoscat periculum. Si dilationem quærat, et periculum imminens non sit, concedi potest ad breve tempus; nulla autem, si imminens sit. Nolentem confiteri non deserat, et commendet precibus fidelium. Ægroto concedenda libertas alteri confitendi; de hoc etiam rogandus; hortetur eum ad *integram* Confessionem; pœnitentia *parva* imponenda. Quando iterum eum visitat, interroget an nihil supersit, quod illum angit. Tempore agoniæ absolutionem *pluries* ei conferre . . . juvabit 1511. q. 5°. Quo ritu fiat visitatio *ib.* q. 6°. Obligatio infirmum etiam post suscepta Sacramenta visitandi et agonizantes juvandi est *per se gravis* 1512. q. 7°. —Qua ratione agonizantes juvandi sint ib. q. 7°. R. ad 3um.

Inhibitio.—Ut suspensio ad cautelam 1686. 2°.

Inimicus.—Quis 281. 1). Ei signa communia [ib. 2)] dilectionis *per se* debentur. Hinc etc. 282. Ia; non vero *per se* specialia 281. 2) 282. IIa, quando *per accidens* 282. IIIa. Peccant qui veniam petitam recu-

sant, vel satisfactionem convenientem oblatam non acceptant, aut justo majorem exigunt. Item qui reconciliari volentem declinant, aut invitati cum eo ire recusant, nisi etc. ib. III[a]. Odium inimicitiæ prohibitum, non abominationis, sed cavendum etc. ib. IV[a]. Pœna publica inimico periculose optatur aut expetitur 283. q. 1°. Ordo in reconciliatione ib. q. 2°. An obvius salutandus ib. q. 3°. An offensor veniam petere teneatur ib. q. 4°. Collegialiter viventes se invicem non salutantes, etc. ib. q. 5°. Parentes veniam recusantes filiis ob Matrimonium iis invitis initum ib. q. 6°.

INJURIA.—Quid et quotuplex 688. *Scienti et volenti non fit*, dummodo quis juri suo cedere possit 689. III. Est peccatum ib. I, ex genere suo grave ib. II. Quæ materia gravis vel levis in ea 691. q. 1°. An per actum internum inferri valeat 691. q. 2°. An actus internus efficere possit, ut externus evadat injustus 692.

INNOCENS.—An quandoque occidi possit 472. 473. 480. q. 3°.

INTEGRITAS CONFESSIONIS.—Materialis vel formalis 1359. Omnia mortalia post Baptisma patrata accusari de jure divino debent, quantum moraliter fieri potest 1360. I. Ad integritatem materialem pertinent peccata gravia quoad :—numerum—species morales—circumstantias quasdam—actum externum ib. II. Materialis non semper necessaria ad validitatem et fructum Confessionis ib. III. Prærequiritexamen ib. IV. Concursus magnus pœnitentium ab ea non excusat 1361. 5°. In particula "*circiter*" qualis comprehendatur excessus vel defectus 1362. q. 1°. Defectus notabilis postea declarandus ib. q. 2°; secus, si quis ex bona fide erraverit notabiliter exaggerendo ib. q. 3°. Mendacium in Confessione grave est, si versetur circa materiam necessariam, aut gravem falso suppositam ib. q. 4°. *Per se* non officit integritati venialia accusare confessario ordinario, mortalia alteri ib. q. 5°; nec aliam vocem simulare, ne agnoscaris ib. q. 6°. Causa generalis a materiali excusans 1367. I, et conditiones ad id requisitæ ib. II. Nunquam excusat difficultas Confessioni intrinseca ib. III. Cessante causa excusante, iterum urget præceptum confitendi omissa ib. IV. A materiali excusant speciatim et præcipue : 1° infirmitas extrema ; 2° defectus loquelæ ; 3° defectus temporis ; 4° periculum vitæ; famæ; revelationis ; scandali, vel lapsûs 1368. Non excusaris à confitendo peccato, quod explicari nequit sine complicis manifestatione 1369. q. 1°.—V. COMPLEX. PECCATA.

INTENTIO. — Regulæ pro scrupulosis circa eam in audienda Missa, recitando Officio etc. 44. II. Qualis requiratur ad satisfaciendum legi 131-132.—V. EUCHARISTIA *ut Sacrificium*. INDULGENTIA. JUBILÆUM. MINISTER SACRAMENTI. SACRAMENTUM *in genere*.

INTERDICTI.—Quoad contractus qui 843. A quibus nullitas contractûs eorum opponi possit ib. Quando ebriosi ib. Interdicti censurâ.—V. INTERDICTUM.

INTERDICTUM.—Quid, quotuplex 1694. Regulæ interdicti—*generalis* 1695. I ;—in aliquod *totum* ib. II ;—in *certa* loca ib. III. Ejus effectus 1696. q. 1°. Illud violantes quomodo peccent et quas pœnas incurrant ib. q. 2°. Quam ob causam ferri possit ib. q. 3°. Quis ab eo absolvere valeat ib. q. 4°.

INTERESSE.—V. AUCTUARIUM.

INTERPRETATIO.—Legis quid, quotuplex, et quæ cujusque vis 140-143. Doctrinalis regulæ 144. 145. Quomodo interpretanda dispensandi facultas, et quomodo ipsa dispensatio 157. Quomodo privilegium 193. Juramentum 371. II. III. 374. 3°. 5°. 7°. 9°. Votum 384.—V. DONATIO. INDULGENTIA. TESTAMENTUM.

INTERROGATIONES.—A confessario sunt faciendæ 1424. I. Necessariæ 1) ad validitatem Sacramenti ; 2) ad integritatem Confessionis ; 3) ad curationem pœnitentis, et quid interrogandum ib. II. Debent esse moderatæ, prudentes, opportunæ ib. III. Circa peccata carnalia debent præterea esse : 1) necessariæ : a. ad succurrendum verecundiæ pœnitentis ; b. ad cognoscendum quænam ei remedia sint adhibenda ; c. ad procurandam integritatem, etiam materialem, Confessionis ; 2) prudentes, ne scandalizetur pœnitens ; 3) modestæ (dantur exempla) ; 4) grave damnum non inferant confessario 1425.

INTERSTITIA.—1523. q. 4°.

INVENTOR.—V. AMISSÆ RES. THESAURUS.

INVIDIA.—Notio, malitia, filiæ, remedia 239.

IRA.—Notio, malitia, filiæ, remedia 240.

IRREGULARES —Qui.—V. IRREGULARITAS.

IRREGULARITAS.—Quid 1754. Quotuplex 1755. Nulla umquam incurritur, nisi in decreto Papa vel Concilii a Papa approbati expressa sit Hinc etc. 1756. I. Ex *defectu* semper incurritur, stante defectu ib. II ; ex delicto vero non nisi ex delicto interne et externe gravi, in genere suo consummato ib. commisso (ut habet sententia sat probabilis) cum scientia irregularitatis 1757. q. 2°, ac certo certitudine juris, et, nisi homicidium excipias, certitudine facti ib. q. 3° ; sufficit vero ut sit occultum ib. q. 4°.

Quomodo tollatur 1757. q. 5°. 1761. *Quær.* 1767. § *fin.*, et qua forma in ejus dispensatione utendum 1757. q. 6°.

Ex defectu sunt :—ex defectu—*animi*, seu rationis 1758. 1°, scientiæ ib. 2°, Fidei confirmatæ (neophyti) ib. 3° :—*corporis*, seu mutilati 1759. 1° (an et quatenus pollicem vel indicem impeditum habentes 1760. q. 2°), cæci 1759. 2° (an uno oculo carentes 1760. q. 1°), surdi 1759. 3°, muti aut balbutientes ib. 4°, claudi ib. 5°, carentes naso ib. 6°, monstruosi ib. 7°, nigritæ inter homines albi coloris ; sed alii id negant ib. 8° ;—*natalium* 1761 ;—*ætatis* 1762 ;—*libertatis*, qui defectus oritur ex vinculo servitutis 1763. 1°, Matrimonii ib. 2° Officii ib. 3° ;—*Sacramenti* (bigamia) 1764 ;—*lenitatis* 1765 ;—*famæ* 1766, 1767.

Ex delicto sunt :—Baptismi iteratio ac mala susceptio 1769 ;—Ordinum usurpatio aut illicita susceptio 1770 ;—Violatio censuræ 1771. 1772 ;—Crimina enormia, scil. hæresis et apostasia a Fide, et quid apud nos de hæreticis eorumque filiis 1773 ;—Homicidium (sub quo et multi cooperantes 1775. 2°, 3°, 4°, ac abortus fœtus certe animati 1776. q. 6°) ac mutilatio 1774. 1775. 1°.

Quinam non sint irregulares ex homicidio 1775. 5°. 1776. q. 1°. q. 2°. q. 3. Quid in dubio homicidii 1776. q. 4°. q. 5°. q. 6°.

IRRISIO.—533. Parentum 422. 2°.

IRRITATIO.—Voti quid, quotuplex 389. Directa competit Papæ et Superioribus ac Superiorissis quoad Religiosos, solo voto transeundi ad strictiorem Religionem excepto ib. I. Patri quoad impuberes ib. III, etiam postquam pubertatem adepti sunt, nisi etc. 390. q. 2°. Marito probabilius quoad uxorem ib. q. 1°. Hi omnes quoad vota etiam a se ratihabita ib. q. 4°. Indirecta omnibus, quorum potestas aut jus per votum læditur 389. II. Sine causa valida, sed illicita, plerumque venialiter 390. q. 3°. An conjuges continentiæ votum mutuo consensu initum invicem irritare possint ib. q. 5.°—Juramentum irritatur ut votum 373. q. 4°.

ITER.—Quale a jejunio excuset 577. q. 7°. 578. An ab abstinentia 553. 5°. Ut servitus quid 681 *in fine*.

J

JACTANTIA.—De peccato.—492. 3°. Applica quoque dicta sub V. GAUDIUM, ad quod refertur.

JEJUNIUM ECCLESIASTICUM.—Quid 554. 555. II ; quando apud nos 554, et a quibus servandum 555. I.

Unica refectio primaria jejunii conditio 556. I, quæ non tollitur haustu potabilium de se ad sitim sedandam ordinatorum 556. III, licet ea sumas ad famem sedandam 557. q. 1°, et licet, ne potus noceat, aliquid cibi, v.g. unciam (aut semel tantum aut iterum) degustes 559. q. 6°, dummodo tamen potabilia non nimia copia manducabilium v.g. sacchari, lactis, etc. misceantur 557. q. 2°. 558. q. 3°. q. 5°. (Quid de chocolato 558. q. 4°. et de electuariis 559. q. 7°.) Nec tollitur unicæ refectionis conditio materiâ levi, v.g. duarum unciarum 560. q. 8°, nisi sæpius repetita ad gravem coalescat 556. II ; quin et materia levis cum causa aliqua sine ullo peccato sumi potest, v.g. ex consuetudine mane 559. q. 7°. Nec tollitur collatione serotina octo circiter unciarum 563, vel etiam majoris quantitatis, si in regione aliquâ necessaria sit ib. *in fine*. *Quali* vero cibo in collatione uti liceat ex locorum consuetudine et Præsulum dispensationibus dijudicandum 564. q. 4°. q. 5°. q. 6°. Tollitur vero probabilius duplici refectione culpabiliter, non vero inculpabiliter sumpta, ita ut in posteriori casu a tertia abstinere tenearis, non vero in priori 560. q. 9°. 561. Quid vero, si die jejunii inadvertenter jentatus fueris 562.

Abstinentia a carne in Jejunio.—Ad eam *per se* tenetur impotens abstinendia pluribus refectionibus 566. I. Quid veniat nomine carnis ib. Ova præterea, sub quibus etiam comprehenduntur panes ovis confecti 568. q. 3°, et lacticinia (nisi, prout fieri solet, dispensetur) prohibentur in Quadragesima 566. II, etiam Dominicis 567. q. 2° ; non vero, lege generali, extra eam ib. q. 1°. Carne et piscibus non licet vesci in eadem refectione die jejunii 568. q. 4°. Cætera quoad abstinentiam V. ABSTINENTIA et DISPENSATIO.

Hora refectionis sub meridie, ante 571 ; non tamen essentiam jejunii frangit, sed venialiter peccat qui sine causa meridie, vel hora decima matutina, cœnulam et vespere refectionem sumit 571. q. 2° ; qui vero mane, itineris causa, jentatus fuerit, *per se* tenetur jejunare, si postea non proficiscatur. Excipe . . . 572. q. 6°. Prandium absque aliqua culpa ultra duas horas non protrahitur 571. q. 3°. Interruptio prandii *levis*, v.g. per semihoram, vel cum gravi causa etiam *valde notabilis*, v.g. duarum horarum (quæ alioquin mortalis foret) omni culpa caret ; unius fere horæ non caret aliqua levi culpa 572. q. 4°. Quid de illo, qui a mensa surrexit cum animo non amplius comedendi ib. q. 5°.

Causæ a jejunio excusantes.—Dispensatio (V. DISPENSATIO), pietas vel charitas (V. OPERA SERVILIA),—Impossibilitas physica vel moralis 573. 1°. 2°. 3°. 4°. 6°. 576. q. 3°. q. 4°. q. 5°, quæ tamen sine justa causa non est inducenda 577. q. 6°, nec *per se* et *ordinarie* existit pro tonsoribus, etc. 573. 5° (an et quando pro viatoribus 577. q. 7°. 578, et pro concionatoribus, scientiarum magistris et confessariis 579), quæque præsumenda est, si labor talis sit, ut *per se* excuset ; secus, si solum *per accidens* 573. 7°. Quid de hac regione ib. 8°. Ad impossibilitatem refertur ætas, cujus ratione excusantur qui 21^{um} ætatis annum nondum compleverint 574. et sexagenarii 575 ; an et mulieres quinquagenariæ ib. *in fine*. Quinam excusentur ab abstinentiâ 553.

JEJUNIUM NATURALE.—V. EUCHARISTIA, *ut Sacramentum*.

JUBENS.—V. MANDANS.

JUBILÆUM.—Etymologia, origo, historia, definitio, divisio 1781–1783. Quomodo differat ab Ind. plenaria ordinaria 1782. Interpretatio Bullæ Jubilæi 1783. *Nota*. Privilegia et facultates Jubilæi 1784 ; semel tantum cuique fideli applicari possunt ;—ad hoc requiritur intentio lucrandi Indulgentiam ;—non tamen peccat graviter qui, applicatis privilegiis, Indulgentiam lucrari negligit 1784. *initio*. 1786. q. 12°. q. 14°. Privilegia directe pro pœnitente seu facultas religiosis facta eligendi confessarium 1784. A. Privilegia seu facultates directe pro confessario 1784. B. 1786. q. 15°.—Exceptiones quoad facultatem absolvendi 1784. B. I.—Quoad facultatem commutandi vota ib. III.—In qua irregularitate dispensare possit ib. II.—Privilegia applicare nequit extra Confessionem 1784 *in fine*.

Conditiones pro Jubilæo Ordinario 1785. I.—extraordinario ib. II.—particulari ib. III. An sufficiant opera aliunde debita 1786. q. 2°. Si quæ opera præscripta adimpleri nequeant, commutatio in alia obtinenda est, idque in Confessione, si a confessario fiat 1785. II. *Nota* 2°. 1786. q. 1°. q. 3°. q. 4°. q. 11°. Visitatio ecclesiæ aut ecclesiarum *qualis* requiratur et sufficiat

1785. I. 1°. 1786 q. 7°. Confessio qualis requiratur et sufficiat 1785. I. 2°. An sufficiat invalida, et an sacrilega pro indulgentia,—pro privilegiis 1785. I. 2°. 1786. q. 13°. Requiritur etiam pro habentibus sola venialia, at non absolutio 1786. q. 6°. Quando fieri debeat vel possit 1786. q. 7°. Requiritur nova, si quis ante ultimum opus in mortalo labatur 1785 II. *Nota* 1°. Communio *qualis* requiratur, et an sufficiat *Paschalis*, si Jubilæum tempore paschali celebretur 1785. I. 3°. 1786. q. 5°. Eleemosyna *quanta* requiratur et sufficiat, et *per quem* fieri debeat 1785. II. 1786. q. 8°. q. 9°. An opera omnia in una hebdomoda perfici debeant 1786. q. 10°. An vel quomodo Jubilæum lucrari possint viatores 1786. q. 11°. De suspensione Indulgentiarum et facultatum durante Jubilæo 1786. post q. 15°. *Nota.*—a) b).

JUDEX.—Quis, ad quid teneatur, quibus dotibus præditus sit oporteat, quomodo sententiam ferre teneatur, et quasnam regulas in causa dubia sequi debeat 1052. An damnare possit reum, quem privata tantum scientia sontem cognoscit, aut innocentem, qui juridice nocens convincitur 1053. q. 1°. Catholicus an possit ferre sententiam divortii quoad vinculum secundum hujusce regionis leges ib. q. 2°. An numera pro ferendâ sententiâ accipere, et an liceat litigantibus ea offerre 1054. q. 3°. An teneatur ad restitutionem, si numera jam acceperit ib. q. 4°. An restituere teneatur quod ad sententiam ferendam *ex pacto* accepit ib. q. 5°. An teneatur reparare damnum, quod non impedivit, vel cujus reparationem non procurat, cum possit 1055. q. 6°. An obliget ejus sententia dubie justa aut certo injusta ib. q. 7°.

JUDICIUM.—In juramento quid 368. II. Ejus defectus, per se, i.e. secluso periculo pejerandi, etc. veniale 370. q. 6°. R. ad 2^um^.

JUDICIUM TEMERARIUM.—Quid 536. 1°, et quid requiratur, ut sit mortale 537. II. Casus, in quibus non est mortale 538. 1°. 2°. 3°, vel omni culpa vacat ib. 4°.

JURA STOLÆ.—Non exigenda a pauperibus, nec ante,—et quomodo post—sacras functiones 356. R. 1°. Quomodo dividenda inter sacerdotes simul commorantes ib. R. 2°. In quorum Sacramentorum administratione licite percipiantur aut exigantur ib. R. 3°.

JURAMENTUM.—Quid, quotuplex, an licitum et quando obligatio jurandi adsit 365.

Conditiones juramenti *validi:* intentio, saltem virtualis, jurandi, et formula seu signum juratorium 366. Hinc 367. Conditiones *liciti:*—Veritas 368. I. 369. q. 2°. q. 3°. 370. q. 6. R. ad 1^um^. *Resolv.* 4°;—judicium 368. II. 369. q. 1°. 370. q. 6°. R. ad 2^um^;—justitia 368. III. 370. q. 6. R. ad 3^um^. *Resolv.* 1°. 2°. 3°. 369. q. 5°. An liceat tactis et osculatis Bibliis protestanticis 359. q. 4°.

Obligatio promissorii 371. I. 374. 1°. 2°. 6°; an admittat parvitatem materiæ 372. q. 1°; an subsistat in juramento errore aut dolo emisso 372. q. 2°, aut metu extorto 373. q. 3°. Quomodo interpretanda 371. II. III. 374. 3°. 5°. 7°. 9°. Quomodo cesset 373. q. 4°. Quomodo violetur juramentum eorum, qui ad titulum Missionis ordinantur 374. 8°. Contractui appositum (V. CONTRACTUS. DONATIO. LUDUS). Quando ante absolutionem exigendum 1672. q. 10°.

JURATI.—Eorum munus, et obligationes 1056. An possint dare votum contra accusatum juridice quidem convictum, sed cujus innocentiam certo cognoscunt 1057.

JURISDICTIO.—Quid et quotuplex 149. Quis possit eam delegare 150. Quot modis cesset delegata 151. An, delegato Episcopo, censeatur etiam delegatus Vicarius Generalis, et vice versa 152. An subdelegata cesset elapso tempore, ad quod delegatus eam subdelegare potest 161. Superiorum regularium in suos 1194. II.—V. etiam CENSURA. CENSURÆ LATÆ etc. JURISDICTIO *in Sacramento Pœnitentiæ.*

JURISDICTIO *in Sacramento Pœnitentiæ.*—Necessaria ad excipiendas Confessiones 1393. I. *Ordinaria* delegari potest ib. III. Confessariorum in Provinciis ecclesiasticis Statuum Fœderatorum est *delegata*, sed ad totam diœcesim extendi solet 1394. q. 1°. Delegata generatim non potest subdelegari ib. q. 2°. An Ecclesia suppleat, quando pœnitentes ipsius defectum invincibiliter ignorant ib. q. 3°. Non licet absolvere cum *dubia* dubio *facti*, nisi urgeat necessitas, quo casu *conditionate* ib. q. 4°. Licet absolvere *aliquando* cum *vere probabili* probabilitate *juris* ib. q. 5°. Excommunicati vitandi, suspensi, interdicti, irregulares, degradati, schismatici, notorie hæretici, apostatæ, etc. in periculo mortis, deficiente alio sacerdote, valide absolvunt ib. q. 6°, item simplex sacerdos ib. q. 7°. An et quando simplex sacerdos possit absolvere moribundum, etiam præsente confessario approbato ib. q. 8°. An parochus possit advocare parochum ejusdem vel diversæ diœcesis ad Confessiones in sua parochia audiendas ib. q. 9°. Sacerdos approbatus ab Episcopo non potest *licite* audire Confessiones fidelium sine venia parochi; quoad validitatem vide ib. q. 10°. Delegatus, elapso termino delegationis, *per se invalide* absolvit, et graviter peccat, si *scienter* agat ib. q. 11°. Sacerdos in aliquo loco approbatus excipere valet Confessiones peregrinorum eo advenientium ib. q. 12°, et Episcopus non potest sub pœna invaliditatis prohibere, ne diœcesani pergant ad confitendum extra diœcesim ib. q. 13°. Ut sacerdos possit absolvere navigantes in oceano, requiritur et sufficit approbatio Episcopi loci, unde navis solvit ib. q. 14°. An Capellani militum eos ubique sine approbatione Episcopi loci absolvere possint ib. q. 15°.

JUS.—Quid sensu latiori 584, stricto 583. Quotuplex 586. Quid differat ab exercitio juris 583 § *Dicitur:* 2°. Juris titulus quid 585.

JUS IN RE *et* AD REM.—Quid 586, et quid requiratur ut utrumque acquiratur ib. § *fin.*

JUS NATURALE.—Quid differat a lege naturali 583. § *Dicitur:* 2° *in fine.*

JUSTITIA.—In juramento (V. JURAMENTUM). Ut virtus quid 580, quotuplex 581; quid legalis ib. 1°; distributiva ib. 2°; vindicativa ib. 3°, quæ tamen ad legalem et dis-

tributivam referenda 582. a) ; commutativa 581. 4°, quæ sola *stricti* nominis justitia 582. b), et sola *per se* obligat cum onere restitutionis 587, cum cæteræ per se non sic obligent 588. Justitiæ objectum materiale est actio alteri debita, formale eadem actio *prout* alteri debita ; fundamentum vero jus 582 § *fin.*

L

LABOR.—Dominicis vel Festis (V. OPERA SERVILIA). Excusans a jejunio 573. 3°. 4°. 576. q. 3°—q. 5° ; ab eo ordinarie et per se non excusans 573. 5°. Quid de viatoribus 577. q. 7°. 578, et de concionatoribus, scientiarum magistris et confessariis 579. Sine justa causa non assumendus in die jejunii, prævisa aut intenta impotentia jejunandi 577. q. 6°. Excusans ab abstinentia 553. 4°, et quando ob laborem pluries de die in Quadragesima liceat vesci carnibus 569.

LACTICINIA.—V. JEJUNIUM.

LACTUCA (" *Pottage* ").—Carne vel sagimine condita an sub gravi vetita die jejunii vel abstinentiæ 552. q. 3°.

LANIFICES.—Eorum peccata 1081. 2°.

LARVÆ IN CHOREIS.—295. 8°.

LATRIA.—325.

"LAWYER."—V. ADVOCATUS.

LAXISMUS.—Quid 62. VI. Damnatus ab Ecclesia 83. Quis præterea ut talis damnetur a S. Alph. 96° *in fine.*

LECTIO.—Impudica 491. II. III. 1448. 1707. q. 2°. R. 2°. a).

"LECTURES" *in protestanticos usus.*—An liceat ad eas contribuere 313. 2).

LEGISLATOR.—Quis dicatur et quinam sint 101. sq. (V. etiam LEX). Civilis obligationes et peccata apud nos 455.—V. etiam CENSURÆ LATÆ etc.

LEX.—Quid et quomodo differat a præcepto 97. 98. Quotuplex 99. Legis humanæ conditiones 100. Quinam in Ecclesia leges condere valeant 102.

Objectum legis humanæ quinam actus 104 ; an heroici 105 ; interni 106 ; occulti 107 ; præteriti 108.

Subjecti legi naturæ 109 ; humanæ 110 ; civili an Clerici 112 ; ecclesiasticæ an pueri nondum septennes 115. Quibus legibus peregrini 116. 117.

Promulgatio legis quid et an necessaria 118. Ubi fieri debeat 119. Quanto tempore post promulgationem incipiant obligare leges papales 120 ; civiles nostræ 121.

Acceptatio legis quid et an necessaria per se 122. I ; per accidens ib. II. et 123. q. 1°. Quid in dubio an sit acceptata 124. q. 2°. Quid de lege ecclesiastica, gubernio civili prohibente, non acceptata ib. q. 3° et 185. III. 2°, et de papali quæ Episcopo videatur non admittenda 124. q. 4°.

Obligatio legis quid 125. I. II ; quanta ib. III. 126. q. 1°. q. 2°. 128. q. 4° ; an semper et pro semper urgeat 125. IV ; an positiva obliget cum incommodo valde gravi aut cum gravi nocumento ib. V. An applicatio legis seu sententia fundata in falsa præsumptione facti 129. An lex humana impedire possit, ne obligatio alioquin valida contrahatur 127. An et quæ intentio requiratur ad satisfaciendum variarum legum obligationi, an scilicet faciendi id quod præceptum est 130 ; implendi præceptum seu obediendi 131 ; implendi finem præcepti 132. IV. An legi satisfaciat, qu in ea implenda peccat 133. An diversa præcepta a) unico actu ; b) diversis actibus, eodem tempore positis, impleri possint 134. Quid agendum in concursu duorum præceptorum insociabilium 135. Vide etiam 37. 67. 1°. c). An cesset obligatio, cui tempore determinato non fuerit satisfactum 136.

Quotuplex causa a lege deobligat et qualis totaliter 137. An teneatur ad partem qui ad totum est impotens 138. An et quando liceat ponere causas a lege deobligantes 139.

Interpretatio legis.—V. INTERPRETATIO. Epikeia quid et quando licita 146. Dispensatio legis.—V. DISPENSATIO. Lex quomodo cesset 165.

Vide cætera sub V. CONSUETUDO. LEX CIVILIS. LEX DIVINA POSITIVA. LEX ECCLESIASTICA. LEX IRRITANS. LEX NATURALIS. LEX PŒNALIS. PRIVILEGIUM.

LEX CIVILIS.—In statibus Fœderatis 177.

LEX DIVINA POSITIVA.—Vetus et nova, et utriusque præcepta 168. An Papa in ea dispensare possit.—V. DISPENSATIO.

LEX ECCLESIASTICA.—Quid, et quotuplex legum ecclesiasticarum collectio 169. Cætera vide sub V. BREVE. BULLA. CONGREGATIONES ROMANÆ. CORPUS JURIS CANONICI. RESCRIPTA. RITUUM CONGREGATIO.

LEX IRRITANS.—Quid et quotuplex 181. An obliget in conscientia ad actum vitandum 182. q. 1°. An ignorantia invincibilis effectum legis irritantis impediat ib. q. 2°, et an incommodum valde grave ib. q. 3°. —V. etiam IMPEDIMENTA MATRIMONII.

LEX NATURALIS.—Quid ac quodnam ejus objectum 166. An ignorari possit 167. q. 1°. q. 2°. An mutabilis ib. q. 3°.

LEX PŒNALIS.—Quid et quotuplex et an possit dari ac revera detur pure pœnalis 178. Pœna quotuplex et an subeunda ante sententiam 179. An ignorantia a pœna excuset 180.—V. etiam CENSURA. DEBITUM CONJUGALE. IMPEDIMENTA MATRIMONII. IRREGULARITAS.

LIBELLUS FAMOSUS.—V. FAMA.

LIBERTAS.—V. VOLUNTARIUM.

LIBRI.—Hæreticalibus edendis aut divulgandis quomodo illicite quis cooperetur 295. 4°-6°. 315. sq. Librorum pravorum lectio interdicitur a lege naturali et ecclesiastica 1448. Lege naturali prohibiti distinguendi sunt in duas classes ib.—Quid, si in lectione ephemeridum passim inveniuntur aliqua vel multa Catholicæ Religioni infensa 1449. q. 1°. An quis possit pravum librum alienum domino reddere ib. q. 2°.—V. etiam CENSURÆ LATÆ etc. LECTIO.

LICENTIA.—Qualis requiratur et sufficiat, ut Religiosus re temporali licituetatur 1163.

LIGAMEN.—Ut impedimentum Matr. 1609. Quid parocho in dubio agendum 1601.
LITANIÆ.—Quæ liturgicæ 333. q. 6°. Festo S. Marci et Triduo Rogat. an obligent sub gravi 1098. q. 10°, et an pridie vespere recitari possint 1102.
LITTERÆ.—Alienas aperire 542. Legere ib. Testimoniales requiruntur quando pro ordinatione 1519. q. 1°. R. 5°. a).—d). Dimissoriæ.—V. DIMISSORIÆ.
LITURGICA ACTIO.—Quæ 324. 330.
LITURGICA VERBA.—Quæ ; qua lingua enuntianda ; quomodo pronuntianda et cantanda 324.
LOCATIO.—Quid 1017. Regulæ generales 1018. Obligationes locatoris 1019, Locatorii 1020. Quid juris, si domus locata incendio pereat 1021 q. 1°. Quid de locatione operum ib. q. 2°. An locatarius agrorum teneatur integram pensionem solvere in casu sterilitatis ob infortunium extraordinarium 1022 q. 3°. Quis tributum rei locatæ solvere debeat ib. q. 4°. Domûs meretricibus an liceat 320. 2).
LOCUS.—In quo Missa de præcepto audiri apud nos possit 406. Ordinationis 1523. q. 3°. In quo Matrimonio Catholicorum assistendum 1616. q. 2°. Regit actum 117. 3°. 1612. 2).
LOCUS SACER.—Quis in ordine ad sacrilegium 346. I. 2°. Peccata in loco sacro quando sacrilegia 347. 2°. 348. q. 2°. q. 3°. Quid in eo aut supra eum prohibeatur 329. III. a). Quid faciendum cum ecclesiis dirutis ib. b). 1°.—V. ECCLESIA, *ut templum*.
LOTERIA.—V. SORTITIO.
LOTIO.—Corporalium etc. a quo facienda 349. q. 5°.
LUCRUM CESSANS. — Quantum excuset a Missa 408. 10°. 409. q. 3°. Quando compensandum 736. q. 4°. 797. *Quær.* Excusans ab usura 937. Quid, si aliam pecuniam otiosam serves ib. *Quær.* An et quando justus titulus ad vendendum supra summum aut emendum infra infimum.—V. EMPTIO-VENEDITIO.
LUDI-MAGISTER. — Obligationes 450. Quæ ipsi potestas in discipulos legibus nostris asseratur 451. Quoad jejunium 579. R. 2°. In scholis publicis 440. 1°. 2°.
LUDUS.—Quid 1044. An licitus 1045, et quibus sub conditionibus 1046. An teneatur restituere victor multo peritior, ita ut certo præsciat se fore victorem 1047. An teneatur ad restituendum victor in ludo prohibito, vel ad solvendum in eodem ludo victus 1048. An ludentes beneficio legis renuntiantes, teneantur solvere, si vincantur 1049 q. 5°. An, in tali casu victus, si jam solvit, pro soluto sibi compensare possit ib. q. 6°. Quid, si victus ficte minitetur se in judicio repetiturum solutum, et victor consentiat transigere ib. q. 7°. An possis retinere lucrum ex ludo, in quo vel ipse vel colludens exposuit pecuniam alienam 1050. q. 8°. Quid, si magna summa una vice exponatur ib. q. 9°. Ludus prohibitus clericis 1132. 1°. 5°. Ludi pericula 1050. *Nota.* Quid agendum, si quis propter ludum versetur in occasione proxima 1450. *Quær.*
LUXURIA.—Ut peccatum capitale, ejus filiæ et remedia 238. Ut peccatum speciale quid 483. Variæ ejus species ib. § *Variæ* p. 209. col. 2. Alia directe quæsita, alia indirecte ib. § *fin.* Per se grave peccatum 484. I, non admittens parvitatem materiæ, si directe quæsita ib. II ; admittens vero, si indirecte voluntaria ib. III. Quid de delectatione sensibili (V. DELECTATIO.) In loco sacro quando sacrilegium (V. SACRILEGIUM).
"LYNCHERS."—458. 4°.

M

MAGIA.—343. 344.
MAGISTER.—V. LUDI-MAGISTER.
MAGISTRATUS.—Obligationes 452. Peccant 453. Non peccant 454.—V. etiam CENSURÆ LATÆ etc.
MAGNETISMUS.—342. q. 4°.
MALEDICERE.—Creaturis 363. q. 1°, mundo ib. q. 3°, mortuis 364. q. 4°.
MALEFICIUM.—343. II.
MALUM.—Temporale proximo desiderans ob bonum effectum 280. q. 3°. Quid de eo, qui unico actu continuo diversa mala cuipiam exoptat 227. q. 3°. Suadens minus malum 305. q. 1°. Malum quia prohibitum, et prohibitum quia malum 26.—Cætera V. ACTUS HUMANUS. PECCATUM.
MANCIPIA.—Pristina quomodo peccarint 597. —V. HERUS. NIGRITARUM COMMERCIUM SERVITUS.
MANDANS.—Quid 759. Ut ad restitutionem teneatur requiritur, ut damnum illatum fuerit vi mandati ib, non tempestive revocati, vel tempestive quidem revocati, sed revocatione mandatario præter hujus culpam non innotescente 760. q. 1°. 761. Ad eam tenetur primario, si agatur de damnificatione 785. II. § *fin.* Non tenetur de damno, quod executor ex errore alteri intulit 760. q. 3°, nec de eo, quod ratihabuit tantum, postquam illatum fuit ib. q. 4°, nec de eo, quod mandatario in executione mandati obvenit, nisi etc. q. 2°. Mandans in contractu (V. MANDATUM).—V. etiam CENSURA. CENSURÆ LATÆ etc. IRREGULARITAS.
MANDATARIUS.—Ad restitutionem tenetur in defectu mandantis 785. II. § *fin.*—Cætera V. MANDANS. In contractu (V. MANDATUM).
MANDATUM.—Quid tamquam contractus 925, et quæ obligationes mandantis ib ; mandatarii 926. Quotuplici modo scindatur 926. § *fin.*
MANIFESTANS (NON).—Ut cooperator ad damnum quis, ante 773.—Cætera V. COOPERATIO. COOPERATORES NEGATIVI.
MARITUS.—Ejus obligationes 441. 442. 444. 3° ; peccata 444. 1° ; jura et officia erga uxorem legibus nostris 445. Quomodo vota uxoris irritare possit (V. IRRITATIO). Quæ ejus potestas in bona communia 607. 611. Notabilem partem bonorum communium im-

pendens an restituere teneatur 611. An teneatur de damnis ab uxore illatis 775. q. 4°.—Cætera V. DEBITUM CONJUGALE.

"MASKED BALLS."—Ut scandalum 295.

MATER.—An filiolos proprio lacte nutrire teneatur 428. *Quær.* Impuberum vota directe irritare potest, etiam præsente, non tamen contradicente patre 389. III. § *fin.*—V. etiam PARENTES.

MATERIA.—Legisquænam (V. LEX). Quæ gravis vel levis in lege 126. q. 2°. Voti quæ 382. In quibus peccatis detur materiæ parvitas 200. Quomodo dignosci possint peccata ratione materiæ mortalia 202. 203. Parva an detur in peccatis contra Spem 271. q. 2°; in blasphemia 361. I; luxuria 484; simonia 352. III; tentatione Dei 345.—Cætera V. GRAVITAS PECCATI.—De materia Sacramentorum V. SACRAMENTUM *in genere* et singula Sacramenta.

MATRIMONIUM.—Unde dictum ante 1525. Quid 1545. Est de præcepto quoad communitatem, quoad singulos non nisi per accidens ib. Est 1) in *fieri* vel in *facto esse;* 2) legitimum, ratum, consummatum; 3) verum, præsumptum, putatitium; 4) canonicum, civile, conscientiæ, morganaticum 1546. Est Sacramentum 1547. I. Ad ejus essentiam requiritur consensus *mutuus, de præsenti, deliberatus* et *voluntarius, signis externis manifestatus* ib. II. III.—V. CONSENSUS.

Fines ejus: 1) *essentiales intrinseci:* a) mutua corporum traditio; b) vinculum indissolubile; 2) *accidentalis intrinsecus primarius:* procreatio prolis; *secundarius:* remedium concupiscentiæ; 3) *accidentales extrinseci* 1548. q. 6°.

Ejusdem proprietates: 1) Unitas 1549. Hinc polyandria lege naturali illicita ib. 1°; polygamia saltem Evangelica ib. 2°; utraque autem licita, si *successiva* ib. 3°. 2) Firmitas, quæ spectat sum vinculum, tum torum, ante 1550. Quoad *vinculum* est omnino indissolubile 1550; excipiendi tamen tres casus: a) Dissolvi potest ratum et non consummatum Christianorum gravissima de causa per dispensationem Papæ 1551. 1°; b) idem per professionem solemnem ib. 2°; c) etiam consummatum infidelium, alterutro ad fidem Christianam converso, altero interpellato et pacifice cohabitare nolente ib. 3°. Ex his concluditur:—Non opus est novo consensu, si una vel utraque pars baptizatur, et Matrimonium fuit *verum;* secus, opus est ib. 1—Si conversus plures habet mulieres (*resp.* viros), vel cum nulla contraxit, et liber est; vel cum omnibus, non recordans cum qua primo, et tunc quamlibet ex illis retinere potest; vel illud recordatur, et tunc etc. ib. 2. In casu c) Matr. prius non solvitur, nisi novo contracto ib. 3—Si fidelis ex *dispensatione* contraxerit cum infideli, locus non est casui Apostoli ib. 4. Antequam ad novas nuptias procedi possit: 1) seclusa dispensatione, interpellatio infidelis omnino necessaria est ib. 5. a); 2) et certo facienda, ut sciatur an velit converti; an etiam ut sciatur, num cohabitare velit sine contumelia Creatoris ib. b). Pars infidelis potest novum Matrimonium inire, si fidelis novum inierit ib. 7; secus non ib. 8°. Quando dissolvatur Matrimonium in infidelitate con tractum per S. P. dispensationem, vel per professionem solemnem ib. 9. Si una pars ante conversionem alterius novum non inierit Matrimonium, post compartis conversionem ad hanc redire tenetur, *saltem* ex caritate, si, etc. ib. 10. Quid, si pars convertatur post professionem vel SS. Ordinum susceptionem alterius ib.

Quoad *torum*, conjuges tenentur ad cohabitationem 1552. I, licet divortium quoad eam obtineri possit ex gravibus causis ib. II; quæ sunt: 1) mutuus consensus ib. III. 1°; 2) periculum grave animæ vel corporis ib. 2°; 3) adulterium alterutrius moraliter certum, voluntarium, non condonatum, non mutuum, consummatum, et sine consensu compartis commissum ib. 3°. (V. ADULTERIUM. DIVORTIUM). An divortium auctoritate privata fieri valeat 1553. q. 4°.

Materia *remota:* corpora sponsorum; *proxima:* eorum traditio, aliquo signo manifestata 1554. I; forma: hujus traditionis mutua acceptatio ib. II.

Minister Matr. ipsi contrahentes 1555. III, qui debent esse in statu gratiæ 1544. 1557. II.

Subjectum Matrimonii: omnis homo baptizatus nullo impedimento laborans 1557. I. Hinc: a) Matrimonium infidelium, licet validum ratione contractus, non est Sacramentum; item si alter tantum sit infidelis. b) Hæretici et Schismatici recipiunt Sacramentum ib. 1). 2). Cum peccatore publico, modo non sit nominatim excommunicatus, licet contrahere ex gravi causa 1558. q. 2°.

Invalidum revalidari potest: 1° aliquando renovando consensum; 2° supplendo formam præscriptam; 3° obtinendo dispensationem simplicem; 4° obtinendo dispensationem in radice.—V. REVALIDATIO.

MATRIMONIUM PRÆSUMPTUM.—Apud nos præsertim attendendum 1546. 3°.

MEDICINA.—Ex qua secuturus abortus 474. II. III. 475. q. 2°. 476. 2°. 3°. 5°.—V. ABORTUS.

MEDICUS.—Ad quid teneatur, et quando peccet 1078. Quoad abortum V. ABORTUS. ABORTUS MEDICALIS. CRANEOTOMIA. Quomodo peccet erga pauperes 285. 1078. 12°. Ad quid teneatur erga animam ægrotantis 1080. q. 1°. 313. 3) a). Quid, si tempore pestis ægrotos deserat 1080. q. 2°.

MEDIUM.—Ejus moralis relatio ad finem 29.

MENDACIUM.—Quid, quotuplex, et an quandoque licitum 510.

MENSÆ NUMMULARIORUM. — Quid, et qui earum fines 951. Quomodo peccent earum rectores et cum eis cooperantes 952.

MERCATORES.—Falsis ponderibus soliti uti graviter peccant 703. 3°, et cui et quomodo restituere teneantur 782. 1°. § *Si post.*

MERCATUS.—Dominicis et Festis 411. III. 412. 3°. 4°. 417. 10°.

MERETRICES.—An liceat illis domum locare 320. 2), vel famulo munuscula illis deferre 311. b), aut herum ad eas comitari ib.—V. etiam AURIGA. MERETRICIUM.

MERETRICIUM.—493. An liceat domum locare iis, quæ illud exercent 320. 2). Quomodo de numero interrogandæ, quæ illud exer-

cuerunt 1424. *Princ.* III. 1°. c).—V. MERETRICES.

METUS.—Impedimentum voluntarii quando 15-17. An gravis excuset a lege 137. III. In juramento 376. q. 3°. In voto 381. q. 3°. In voto reservato 392. q. 3°. 3). Causa dispensationis in voto 392. q. 1°, et juramento 373. q. 4°. R. 2°. In contractu quotuplex, ante 853; quis contractum omnino irritet 853. I. 854. R. 2° § *Adverte;* non irritet 853. II. III; rescindibilem reddat 854. Quid, si reverentialis tantum 855. q. 2°, a tertio tantum incussus ib. q. 3°, non ad extorquendum consensum 856. Casus de metu in contractibus 857. Gravis sponsalia invalida, levis rescindibilia reddit 1528. q. 1°. 853. III. *Gravis*, non item levis, dirimit Matrimonium, saltem de jure ecclesiastico 1599. I. III. Impedimentum ex metu indispensabile, nec cessat, nisi sublata causa metus ib. I. *Nota.* Qualis metus esse debeat, ut dirimat ib. I. II. Reverentialis *per se* non dirimit ib. IV. Casus apud nos non rarus ib.—V. etiam CENSURA.

MILITES.—Quid eis liceat vel non liceat in bello dubie justo 480. q. 2°; in injusto 481. 1°; in justo 480. q. 3. 481. 3°. 4°. 5°. 6°. An, quando, et quomodo ratione damni in bello illati ad restitutionem teneantur 824. I. II. 825. q. 1°.—V. BELLUM. DESERTORES *milites.* CONSCRIPTIO *ad militiam.* DUX BELLI. Americani et eorum familiæ quoad abstinentiam 553. q. 4°. R. . . . 6°.

MILITIA.—V. MILITES.

"MILLINERS."—Quoad scandalum 295. 10°.

MINISTER SACRAMENTI *in genere.*—Quis, ante 1215.

Attentio in eo, ad *validam* Sacramenti collationem, eadem requiritur ac ad actum humanum 1215. I. Distractio voluntaria in eo ordinarie venialis est; quando probabiliter mortalis ib. II.

Intentio in eo quid, quotuplex, et qualis in genere ad validam Sacramenti collationem requiratur 1216. An requiratur interna 1217. q. 1°. An faciendi quod facit Ecclesia *Romana* ib. q. 2°. An conficiendi Sacramentum ib. q. 3°. An determinata ad certam materiam et personam 1218. q. 4°. 1576. I. II. An absoluta ad valorem 1218. q. 5°. 1340. q. 4°. 1344. q. 8. R. ad 1^{um}. 1548. q. 6°; ad liceitatem 1219. q. 6°. 1344. q. 8°. R. ad 2^{um}. 1548. q. 5°.

Fides et status gratiæ, non ad validam, sed ad licitam Sacramenti confectionem *certo* (et *practice* loquendo etiam in casu necessitatis) requisita in Ministro consecrato solemniter conficiente 1220. 1221. q. 3°,—*multo probabilius* etiam in non consecrato, ac in consecrato non solemniter conficiente, itemque in ministrante Eucharistiam extra Missam 1221. q. 1°. q. 2°. 1222. q. 4°. Quid de audiente Confessiones, sed non absolvente vel proponente elicere contritionem antequam absolvat 1224. q. 8°. Cfr. 347. 3°. Quid item de tangente aut deferente SS. Eucharistiam 1222. q. 5°, vel alias functiones sacras exercente 1223. q. 6°. Quot peccata committat in mortali pluribus Eucharistiam aut absolutionem præbens 219. An reus mortalis teneatur confiteri ante confectionem Sacramenti 1223. q. 7°.

Quæ Sacramenta *qualiscumque* Minister cum periculo etiam mortis, conferre teneatur, et quando 1226. q. 2°. q. 3°. Quando Minister habens curam animarum (1226. q. 1°.) teneatur conferre Sacramenta 1225. I, et quomodo in hoc graviter peccetur 1227. 1°. 5°. Quando Minister non habens curam animarum (1226. q. 1°.) teneatur ministrare Sacramenta 1225. II. 1226. q. 2°. R. 1°.

Minister peccatori publico (1230. q. 1. R. 1°.) semper, occulto vero, si occulte ea petierit (1230. q. 1°. R. 2°), denegare debet Sacramenta; non vero occulto publice ea petenti 1229.—Exceptiones quoad publicum Sacramenta publice petentem 1230. q. 2°. 1231. q. 3°. q. 4°;—quoad occultum publice ea petentem 1229 § *Excipe tamen.* —Quid de peccatoribus publicis moribundis 1233. 2°.—Quid exigat prudentia, si agatur de Sacramento publice negando 1233. 3°.

Modus, quo Minister conferre debeat Sacramenta 1234. Quantum peccatum committat leges Ecclesiæ circa Sacramentorum administrationem *contemnens,—omittens,—mutans* 1234. Usus Ritualis Romani præceptus apud nos 1235. Vestes in administratione Sacramentorum 1236. Monita Conc. Pl. Balt. II. circa modum a Ministro in administratione Sacramenterum observandum 1236.

MINORES.—Qui apud nos et quotuplices 836. An et quando possint contrahere 837. 1°. 2°, quando non ib. 1°. 2°. 4°. 6°, quando rescindibiliter ib. 1°. 2°. 3°. 5°, et quando puniantur ob dolum ib. 4°.

MISSA DE PRÆCEPTO.—Audienda a quibus, quando et sub quanto peccato 397; qua corporis 399, et mentis 402. 403 præsentia; quo in loco 406. Quæ obstent vel non obstent morali 399. 1°. 2°. 3°, vel continuæ 400. 401 corporis præsentiæ, speciatim quantæ et qualis partis Missæ omissio obstet continuæ præsentiæ 400. q. 1°, et an debeat reliqua audire, qui advenit post Consecrationem ultimæ Missæ 401. q. 3°, et quid de audiente duas dimidias Missas ib. q. 2°. An mentis præsentiæ obstet attentio tantum externa 403; Confessio Sacramentalis 404. q. 2°; Breviarii recitatio ib. q. 3°; Missæ ministrare; canere; organum pulsare; etc. 405. 1°; eleemosynas colligere ib. 2°; conscientiam discutere; pœnitentiam aut alias preces debitas persolvere; librum spiritualem legere ib. 3°; involuntarie distrahi; dormire; dormitare ib. 4°; voluntarie distrahi ib. 5°; confabulari; circumspicere, etc. ib. 6°.

Causæ a Missa excusantes *in genere* 407, *in particulari* 408. 409.

MISSA, *ut Sacrificium.*—V. EUCHARISTIA, *ut Sacrificium.* In collatione generali Ordinum est de Feria, non de Festo quando simul occurrit 1519. q. 4°. Neo-sacerdotes non tenentur Missas ab Episcopo præscriptas ad ejus intentionem applicare; nec adest gravis obligatio eas celebrandi 1523. q. 9°. De Consecratione in Missa ab ordinatis cum Episcopo dicenda ib. q. 10°.

MIXTA MATRIMONIA.—V. *Cultus disparitas.* Quid agendum, si mixti Matr. ineundi propositum in Catholico detegatur 1598. q. 6°; quid vero, si, contracto Matrimonio, con-

ditio prolem Catholice instituendi negligatur ib. q. 7°.

MODERAMEN INCULPATÆ TUTELÆ.—Quid 467. II. Excedens tenetur ad restitutionem 808. q. 2°. An incurrat irregularitatem 1776. q. 2°. q. 3°.

MODUS IN CONTRACTU.—*Ad diem* obligationem contractus statim parit, sed effectum ad diem determinatum suspendit 868. 4°. *Sub causa*, vel *demonstratione* ib. 5°. 6°. *Sub pœna* ib. 7°. *Sub disjunctione* 8°. In donatione.—V. DONATIO.

MOLITORES.—Eorum peccata 1081. 3°.

MONIALES.—Quæ proprie dictæ, ante 1188, et quæ tales apud nos 1205. V. 1°. Specialia earum novitiatui et professioni 1188; regimini 1189. 1°–5°. Quæ teneantur ad Chorum 1090. I. 3°. 1205. Communicant iis Religiosorum sui Ordinis privilegiis, quorum sunt capaces 1189. 7°. Clausura et censura eam violantibus statuta 1723. Specialia nostris 1205. V. 2°. An earum vota ab Episcopo relaxari possint ib. VI, et an a confessariis in Jubilæo (V. JUBILÆUM). Vota solemnia emittentes et claustratæ non possunt confiteri nisi sacerdoti specialiter pro ipsis approbato ab Episcopo 1398. I. Episcopi et alii earum Superiores tenentur bis aut ter in anno, iis (etiam Novitiis) exhibere confessarium extraordinarium ib. II. Omnes tenentur se præsentare confessario extraordinario, non tamen confiteri 1399. q. 1°. Quid de iis, quæ apud nos existunt ib. q. 2°. Ben. XIV. enixe *hortatur* Episcopos, ut ad quaslibet fœminarum Communitates extendant leges Trid. circa confessarios extraordinarios; et possunt etiam ad id teneri in casibus specialibus ib. q. 3°. Claustratæ, dum casu extra Monasterium versantur, absolvi possunt a quolibet confessario io. q. 4°. Cui confiteri possint in Jubilæo (V. JUBILÆUM). Earum regimini non se immisceat confessarius 1398. *Dico* I. *in fine*, et quomodo conscientiæ rationem reddere debeant Superiorissæ 1189. 6°. Quæ SS. Eucharistiam in ecclesiis vel oratoriis suis asservare possint 1300. I. Frequentia Communionis Monialium 1312. 3). 1189. 5°.

MONOPOLIUM.—Quid 1008. An et quousque licitum 1009–1012.

MONS PIETATIS.—Quid et sub quibus conditionibus licitus 949. An possit institui a privatis 950.

MORIBUNDI.—Eorum confessio et absolutio (V. ABSOLUTIO. INFIRMI. INTEGRITAS CONFESSIONIS). Quas Indulgentias facile lucrari possint 1792. c). 1799. 1800. *Nota* in fine.

MORS.—Exoptata ex vitæ tædio 272. q. 3°, ob infortunia 280. q. 2°.

MORTALE PECCATUM.—Quid 200. Ex genere suo et ex genere toto ib. Requisita ad illud 201. q. 2°. Quomodo dignoscantur mortalia ratione materiæ 202. 303. Quomodo mortale ex genere suo fiat veniale et vicissim 204. Quid de eo qui proponit sola mortalia vitare 205. q. 6°.—Cætera V. GRAVITAS PECCATI. MATERIA. PECCATUM.

MORTUI.—Eis maledicere 364; detrahere 526. 1°; civiliter quoad contractus 842.

MOTUS CARNALES.—V. CONCUPISCENTIA.

MOTUS LUXURIOSI.—V. CONCUPISCENTIA.

MULIER.—Quoad scandalum 295. 11°. 298. q. 2°. Vi oppressa 20. 1°. 2°. 462. q. 2°. q. 3°. 470. q. 5°. 471. 4°. 1454. Turpiter tacta a viro ib. *Resolv.* 1°). Non habens vestes statui suo convenientes non tenetur ad Missam, nisi etc. 409. q. 4°. R. ad a).

MUSICUS.—In choreis 320. 1°. Quoad auditionem Missæ 405, 1°.

MUTILATIO.—Quid 1774. Sui an licita 463. 7°. 8°. 9°. Quid restituendum ob eam. V. et applica dicta sub V. HOMICIDIUM. Quandonam inducat irregularitatem ex defectu corporis 1759. 1°, lenitatis 1765, ex delicto 1774.

MUTUS.—Ut cooperator ad damnum quis ante 773. Cætera V. COOPERATOR *ad damnum*. COOPERATORES NEGATIVI. Quoad Confessionem (V. INTEGRITAS CONFESSIONIS).

MUTUUM.—Quid 928. An detur præceptum mutuo dandi 929. An liceat petere ab usurario 319 b). Obligationes mutuo dantis et accipientis 930. An rem mutuatam in eadem quantitate possis recipere, si mutui tempore creverit ejus pretium 931. De lucro ex mutuo.—V. AUCTUARIUM. USURA. An Religiosus mutuo dare vel accipere possit 1162. 2), 1164 § *fin.*

N

NATIVITAS, *ut species accessionis*.—672.

NAUTÆ.—Americani eorumque familiæ qui et quæ, et quando eximantur ab abstinentia 553. 6°.

NECESSITAS.—Extrema, gravis, communis quid 278. II. 2. Quid quælibet exigat erga proximum in ea versantem 279. Excusans a lege. V. HORÆ CANONICÆ. IMPOTENTIA. JEJUNIUM. LEX. LEX IRRITANS. Fidei 249. Spei 270. Caritatis 276. Excusans a furto est sola extrema seu quasi extrema (705. 4°) propria vel suorum 704. I, vel etiam, cum non potes largiri rem tuam, aliena 706, at eatenus tantum quatenus necessitas postulat 705. 1°, et cum onere restitutionis, si habeas alibi in re vel in spe probabili unde restituas ib. 2°. 3°. 801. q. 2°. An ad restitutionem teneatur dives extreme indigentem a re quapiam sibi sumenda impediens 705. 5°. In qua necessitate uxori, filiis, famulis liceat alimenta accipere a marito, patre, domino fure 707. q. 3°. An debitor restituere teneatur, si versetur in eadem necessitate extrema vel gravi cum creditore 800.

NECROMANTIA.—337.

NEGOTIORUM GESTIO.—V. GESTIO NEGOTIORUM.

NEO-CONVERSI.—Eorum receptio 1264. I–V. Quid, si moribundi ib. VI

NIGRITARUM COMMERCIUM. ("*Slave-trade*").—Hominis *liberi* illicitum 596. 1°; hominis jam servi de se licitum ib. § *Dixi*; at ob circumstantias sæpe illicitum ib. 2°. a). b).

NOMEN.—Vana usurpatio nominis Dei 359, Sanctorum 360. q. 2°. Frequens usurpatio nominis dæmonis ib. q. 3°. In Baptismo 1268. q. 4°. In Confirmatione 1277. q. 3°. R. 5°. Complicis exquirentes (V. COMPLEX), et censuræ in eos etc. (V. CENSURÆ LATÆ etc.)
NOTORIETAS.—Quoad detractionem 521. q. 4°. 522. q. 5°. 523. q. 6°.
NOTARIUS. — Quis 1069. Quando injustus 1070.
NOVITIATUS.—Quid 1156. In eum non admittendi 1157. In Ordinibus votorum solemnium 1186. 1°. Monialium 1188.
NOVITII.—Eorum donationes 1186. 2°. 882. q. 2° § *Speciatim*.—Cætera V. NOVITIATUS.
NUMISMATA (SACRA).—V. CRUX *Indulgentiis ditata*.
NUMMULARIORUM MENSÆ.—V. MENSÆ NUMMULARIORUM.
NUNDINÆ.—An licitæ die festo 411. III.
NUPTURIENTES.—Si necessarium videatur, instruendi in iis, quæ scienda sunt necessitate sive medii, sive præcepti ; et in iis, quæ ad Matrimonium rite suscipiendum requiruntur 1543. 1. Quænam præcipue inculcanda apud nos ib. 2. Accedant ad Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ 1544.

O

OBEDIENTIA.—Præstanda a filiis 423. 424 ; uxoribus 443. 2° ; famulis 448. 2° ; discipulis 451. 2° ; civibus 457-459. Ejus votum ad quid obliget 1171 ; quomodo differat a virtute 1172 ; an obliget in dubio de liceitate aut justitia rei præceptæ 1173 ; quando graviter 1174. Quibus obediendum 1175. q. 4°, quomodo ib. q. 5°, et quomodo a Religioso vi disperso 1204. I. Quid de obedientia Religiosi ejecti, sæcularizati, ad Episcopatum promoti 1184. In ordinatione promissa (V. ORDO).
OBJECTUM.—Actus moralis quid, et quotuplici modo actus ex eo malus 26. Legis (V. LEX). Objecta ejusdem speciei quomodo non coalescant in unum, seu tot constituant peccata quot sint objecta, licet unus sit actus 226.
OBLATIONES.—In sustentationem Religionis et Cleri an obligatoriæ in genere 633. An et quatenus jura stolæ in specie 856. Oblationum præcipuæ species apud nos 634. Practica circa eas 635-638.
OBSIDES.—Eos occidere illicitum 473. 4°.
OBSTANS (NON).—Quis, ante 773.—Cætera V. COOPERATOR *ad damnum*. COOPERATORES NEGATIVI.
OCCASIO PECCATI.—Quid et quotuplex 1429. Criteria practica proximæ 1430. 1431. Media, quibus proxima necessaria remota reddatur 1434 § *Dixi*. An eam aliquando ex industria offerre liceat 305. q. 2°. Particulares p. 622 sq. His regionibus propriæ 1466-1469.—Cætera V. ABSOLUTIO.
OCCISIO.—V. ABORTUS. ABORTUS MEDICALIS. CRANEOTOMIA. HOMICIDÆ. HOMICIDIUM. INJUSTUS AGGRESSOR. IRREGULARITAS.
OCCUPATIO.—Ut modus acquirendi dominii quid 638. Est vel sedium, vel animalium, vel rerum inventarum ib, de quibus sub propriis verbis.
ODIUM.—Quotuplex 282. IV^a. Filiorum in parentes 420.—V. INIMICUS.
ŒCONOMICA REMOTIO A PAROCHIA.—V. PAROCHUS.
OFFA (" *Cake* ").—Carne vel sagimine condita an materia gravis in abstinentia 552. q. 3°.
OFFICIA PUBLICA.—Eorum iniqui distributores 756. 453. 5°. 7°. 456. 8°. 457. II. 458. 1°. Alios ab iis injuste repellentes iisve privantes 458. 2°, aut ne ea consequantur impedientes 757. q. 15°. 16°. 758. 6°. 7°.
OFFICIALES.—Gubernii vel municipiorum quoad occultam compensationem 710. q. 1°. Tributis præpositi (V. TRIBUTA).
OFFICIUM B. M. V.—In aliquibus Ordinibus præscriptum, non est sub gravi privatim recitandum ab eo, qui justa de causa Choro non interest 1095. Excipe Moniales a Visitatione B. M. V. 1205. VI. q. 2°. Quinam adhuc ad illud obligentur 1098. q. 9°.
OFFICIUM DE FUNCTORUM.—An adhuc obligatorium 1098. q. 9°. Sub gravi recitandum die Commemorationis OO. Fid. Def. ib. q. 10°, sed privatim anticipari potest 1102.
OFFICIUM DIVINUM.—V. HORÆ CANONICÆ.
OLEA SACRA.—Quotuplicia, et ad quid singula adhibeantur 1502. q. 4°. Postquam nova consecrata fuerint, antiqua comburenda, cineribus in sacrarium projectis 329. III. b). 2°.—Cætera V. BAPTISMUS. CONFIRMATIO. EXTREMA UNCTIO.
OMEN.—337.
OMISSIO.—In causâ voluntariæ malitia, etiam numerica, quando contrahatur 6.—V. GRAVITAS PECCATI.
ONANISMUS.—In genere quid, ante 500 (V. POLLUTIO). Conjugalis quid 1652 ; mortalis 1653. Uxor a peccato excusatur, si gravi de causa viro onanistæ debitum reddat, modo interius ipsius *peccato* non assentiatur, exteriusque repugnantiam ostendat ; tenetur tamen virum monere 1653. III. 1654. Probabilius potest justa de causa etiam petere ; nec peccat præbendo consensum *voluptati* 1655. q. 2°. q. 3°. Decisiones SS. Cong. circa onanismum 1656.
ONIROMANTIA.—337.
OPERA MISERICORDIÆ.—Ante 284.
OPERA SERVILIA.—Quæ et quæ non 410. Materia gravis in iis 415. q. 8°. Causæ excusantes 416.—V. FESTA.
OPERARII.—Qui excusentur ab abstinentia 553. 2°. 4°. Quando a carne et lacticiniis semel tantum de die ex indulto permissis 569. Quia jejunio 573. 3°. 576. q. 3°-q. 5°. An occulte se compensare possint 710. Eorum peccata et injustitiæ 1081. Quis restitutionis modus eis suggeri possit 795. q. 7°. Eorum monopolia 1012. § *fin*. Societates 1012. § *fin*. 1721. 1°. *Nota*. 1).
OPERATIO CÆSAREA.—An vel quando fieri possit 1269. q. 1° ; debeat ib. q. 2° ; qua ratione perficienda ib. q. 5° ; an sacerdos ad eam teneatur ib. q. 4^a ; an puella occulte præg-

nans, morti proxima, statum suum patefacere teneatur, ut, se mortuâ, fieri possit ib. q. 3°.

Operatio Chirurgica.—V. Æther. Periculum.

Opium.—V. Æther.

Oratio.—Quid et quotuplex 330. Necessitas 330-332. q. 2°. Efficacia et conditiones 330. III. Pro quibus orandum 333. q. 4°, et quinam exorandi ib. q. 5°. Quomodo peccet voluntarie in ea distractus 332. q. 3°. Parentum circa eam obligatio 430 a). 3° ; Episcoporum 1135. III ; Parochorum 1139. II. Ad lucrandas Indulgentias (V. Indulgentiæ). Ut pœnitentia sacramentalis 1387.

Oratio Dominica.—De necessitate præcepti ab adultis scienda 260.

Ordo.—In correctione 289. q. 3°. In caritate 278. II. 279.

Ordo Sacer.—De jure ecclesiastico dirimit Matrimonium contrahendum (non item contractum), modo valide et voluntarie sit susceptus 1578. 1579.

Ordo, *ut Sacramentum*.—Quid 1513. Septem numerantur Ordines 1514. II. Horum natura et proprietas 1515. Diaconatus est Sacramentum ib. q. 2°. Subdiaconatus probabilius non ib. q. 3°. Materia et Forma variæ pro variis Ordinibus 1516. I.-IV. Circa tactum instrumentorum physicum duplex sententia probabilis ; in praxi tutior sequenda 1517. q. 1°. *Probabilius* traditio utriusque speciei in Presbyteratu necessaria ib. q. 2°. Qui tangit hostiam, non autem patenam, *valide* ordinatur ; idem dic de eo, qui tangit calicem et patenam, non autem hostiam ib. q. 3°.

Solus Episcopus ordinarius minister 1518. I. Simplex sacerdos, S. Pontifice committente, extraordinarius Tonsuræ et quatuor Minorum ; probabiliter etiam Subdiaconatûs ib. II. Episcopus solos subditos *licite* ordinare potest ib. III. Triplici titulo Episcopus potest esse proprius, sc. nativitatis, domicilii, beneficii, et familiaritatis. Apud nos soli *originis* (nativitatis) et *domicilii* tituli attendendi 1519. q. 1°. R. 1°. Quoad titulum nativitatis seu originis et domicilii ib. R. 2°. 3°. Requiruntur litteræ dimissoriales proprii Episcopi, ut ab alieno quis ordinari possit ib. R. 4° ; etiam quandoque litteræ testimoniales ib. R. 5°. a). b). c). d). Solus ordinandi Episcopus litteras dimissorias dare potest ; Sede autem vacante, Administrator (juxta Kenrick), etiam intra annum a die vacationis, eas apud nos dare potest 1519. q. 2°. Regulares ordinandi sunt ab Episcopo, in cujus diœcesi situm est eorum monasterium. Si tamen Episcopus absens vel impeditus fuerit, Superior poterit subditos ad quemlibet Episcopum ordinandos dimittere, sub certis tamen conditionibus ib. q. 3°. In collatione generali Ordinum, quando in Sabbatis quatuor Temporum, aut ante Dominicam Passionis occurrit festum, Missa *de Feria* dicenda ib. q. 4°.

Subjectum Ordinis est solus mas baptizatus 1520. I. Quænam conditiones requirantur, ut quis rite suscipiat Ordines 1521. II. Quoad conjugatum ib. 10°. Ad Subdiaconum ordinandum requiritur *titulus sustentationis honestæ*, qui est duplex : sc. *ecclesiasticus* et *patrimonialis*. Ecclesiasticus subdividitur in *beneficialem* et *paupertatis*. Species tituli ecclesiastici sunt : Mensæ Communis ; Servitii Ecclesiæ ; Missionis ; Sufficientiæ et Collegii 1522. 1°. Titulus Paupertatis in religiosa professione *solemni* positus ib. 2° ; Missionis adhiberi consuevit pro iis, qui Apostolicarum Missionum servitio sese devovent ib. 3°, sed requiritur : a) speciale indultum a S. Sede ; b) Juramentum 374. 8°) ib. Titulus Missionis, sicut alii tituli, amitti potest, atque ab Ordinariis auferri, de consensu tamen S. Congreg. ib. 4°. Quænam scientia requiratur in ordinandis 1523. q. 1°. Quænam ætas ib. q. 2°. Quoad tempus et locum, quo Ordines conferri possint ib. q. 3°. Interstitia inter singulos Ordines servanda ib. q. 4°. Clericus in Minoribus uxorem ducens, *per se* loquendo, certo non peccat graviter, imo nec leviter, si ex justa causa hoc faciat ib. q. 5°. An requiratur Confirmatio ib. q. 6°. Qui suscipit aliquem Ordinem sine animo ascendendi ad superiores, non peccat *graviter* ; nec probabiliter *per se* peccat leviter ib. q. 7°, nisi etc. 374. 8°. An vel quomodo peccet qui omittit recitationem precum, quæ post ordinationem per modum pœnitentiæ ab Episcopo imponuntur ib. q. 8°. Neo-sacerdotes non tenentur tres Missas ab Episcopo præscriptas applicare ad ejus intentionem ; nec apparet gravis obligatio eas celebrandi ib. q. 9°, nec prius dicendæ, quam adveniant dies non impediti ib. Neo-presbyteri, celebrantes cum Episcopo, quid maxime observare debeant quoad Consecrationis pronunciationem ib. q. 10°. Obedientia, quam sacerdotes Episcopo promittunt ib. q. 11°. Absolutio non est concedenda Clerico habituato in vitio turpi occulto, qui ad Ordines Sacros ascendere vult, sine prævio continentiæ experimento ib. q. 13°. Exceptio ib. Necessitas vocationis divinæ, et ejusdem signa 1524. I. II. Quomodo Episcopus probare debeat candidatos ad Sacros Ordines ib. *Quær.*—V. etiam Censuræ latæ etc.

Organista.—A Parocho, non ab Ædituis, designandus 626. 5°.—V. etiam Organum.

Organum.—Pulsare aut ejus follem movere in templo acatholico 313. 1).

Ornatus.—Vendere puellæ abusuræ an liceat 312.—V. "Milliners." Mulier.

Oscula.—Qualia semper mortalia 486. I. II. 1°. Qualia fere semper 487. 3°. Qualia per se venialia 486. II. 2°. 487. 2° ; at *per se* venialia *per accidens* non raro sunt mortalia 488 § *fin.* Contrahunt malitiam circumstiarum personæ 486. III. Qualia *per se* nullum peccatum ib. II. 3°. 487. 1°. Inter conjuges (V. Debitum conjugale).

Ova.—V. Jejunium.

"Oysters."—Quæ capi sine injustitia nequeant 643. *Nota.*

P

PALPO.—Quis 770. Quando teneatur ad restitutionem ib. 1°. 2°. 3°.

PANIS.—V. EUCHARISTIA, *ut Sacramentum*.

PANNIFICES.—Eorum peccata 1081. 2°.

PAPA.—Potestas legislatoria 102. An sufficiat ejusdem leges Romæ promulgatas fuisse, ut ubique obligent 119, et an statim post promulgationem obligent 120. An Episcopi ejusdem leges possint non admittere 124. q. 4°. Ejus jurisdictio 149. Ejus potestas dispensandi in lege ecclesiastica 153, in divina positiva 158, in votis 391. II. et juramentis 373. q. 4°. R. 2°.—V. etiam CENSURA. CENSURÆ LATÆ, etc. DISPENSATIO. IMPEDIMENTA MATRIMONII. IRREGULARITAS. IRRITATIO. LEX. MATRIMONIUM.

PARAMENTA.—Quæ necessaria ad celebrandum 1330. sq. Quæ benedicenda 1247. V. a), et a quo ib. IV. B. C. *Nota*. a). b). Quomodo suam benedictionem amittant 1329. q. 5°. R. 2°, et quid cum detritis faciendum 329. III. b). 2°. An liceat conficere vel vendere Ritualistis 314. 4°.

PARAPHERNALIA.—Quæ 606.

PARCIMONIÆ ARCÆ.—V. ARCÆ PARCIMONIÆ.

PARENTES.—Filiis debent—amorem internum 427, efficacem ib. 1°. 2°. 3°, ordinatum ib. 4°. 5°. Educationem corporalem 428. 429. (V. ABORTUS. EDUCATIO. INFANS. MATER. PRÆGNANS. SUFFOCATIO.) Educationem spiritualem 430–433. Quid, si filios secum vel cum aliis diversi sexûs in eodem lecto, aut secum in eodum cubiculo decumbere faciant 432. 5°. Quæ alia pericula domestica ab iis avertere teneantur 1457. III. (V. BAPTISMUS. CORRECTIO EX OFFICIO. DOCTRINA CHRISTIANA. ECCLESIA. EDUCATIO. EXEMPLUM. EXPONERE. SCHOLÆ.) Non implentes juramentum puniendi filios 374. 6°. Irritantes vota filiorum 389. 390. q. 2°. Veniam recusantes filiis ob Matrimonium iis invitis initum 283. q. 6°. A statu religioso filios avertentes 1153. Eorum consensus in Matrimonium filiorum non requiritur ad validitatem; nec, si injuste illum denegent ad licéitatem 1548. q. 8°–q. 10°. —V. etiam FILII. FILIIFAMILIAS. In qua filiorum necessitate Religionem ingredi prohibeantur, et in qua parentum necessitate filii 1157. 3°.

PAROCHIA.—Missa non necessario in ea audienda 406. An Decr. Trid. de forma Matrimonii valide promulgetur in non stricte dicta 1607. An et ubi in America Fœderata vel Britannica Parochiæ stricte dictæ existant 1608. *Nota*. 1). 2).—V. etiam PAROCHUS.

PAROCHUS.—In quibus valeat dispensare 160. 417. 13°. Ejus obligatio quoad scholas 440. 3°. Ejus obligationes in genere, residentia, oratio 1139, prædicatio 1140, Sacramentorum administratio 1141 et V. BAPTISMUS. EUCHARISTIA, *ut Sacramentum*. EXTREMA UNCTIO. MATRIMONIUM. MINISTER SACRAMENTI. Obligatio ad correctionem 1141 et V. CORRECTIO EX OFFICIO. Visitatio parochianorum 1142, et infirmorum (V. INFIRMI). Proprie dictus nonnisi ob causas omnino graves et servato ordine judiciali Parochia *privari* potest 1692; *œconomica* ejus *remotio* quando et quomodo fieri possit ib. Nostrorum quasi-parochorum quando et quomodo *revocentur* facultates 1693. q. 1°, et quando et quibus sub conditionibus eorum translatio ad aliam quasi-parochiam fieri possit ib. q. 2°. Quæ sit Parochorum nostrorum conditio ib. § *fin*. et 1138, et suorum Confessiones an extra diœcesim audire possint 1394 q. 1°. Benedictiones parochiales quæ 1247. IV. D. 2°. In quibus Regulares ab ejus jurisdictione eximantur 1196. Parochus quoad ordinandos 1519. q. 1°. R. 5°. d). 1524. *Quær*. Quoad Matrimonium,—potest assistere Matrimonio publicorum peccatorum ad vitandam mortem vel alia graviora mala communitatis vel ipsorum contrahentium 1544. § *Quodsi*. 1556. Imprudenter assisteret Matrimonio, non adimpletis requisitis de jure civili 1548. q. 10°. R. 2°. Ejus vel Ordinarii, vel alterius sacerdotis ab alterutro delegati assistentia requiritur de valore, ubi viget Decr. *Tametsi;* de liceitate ubique 1555. I. II. Quid ipsi agendum, si, omnibus ad nuptias jam paratis, impedimentum occultum in Confessione detegat 1556. q. 3°. Quid observare debeat quoad Matrimonia mixta 1593. q. 4° sq. Ille solus parochus Matrimonio valide assistit, qui saltem in alterutrum habet jurisdictionem, quam acquirit per domicilium aut quasi-domicilium contrahentium 1613. Valide assistit suspensus, irregularis, excommunicatus (nisi propter hæresim nominatim excommunicatus sit), aut schismaticus. Si sit nominatim excommunicatus, ad assistendum non potest rogari, nisi ex gravissima causa. Invalide assistit pastor, cui ademptæ, sunt facultates 1614. q. 3°. Valide assistit sacerdos, qui errore communi putatur parochus ib. q. 4°. Valide etiam, absque delegatione compastoris, sacerdotes nostri coadjutores ib. q. 6°. R. 3°. Ad validitatem Matrimonii requiritur ut parochus sit moraliter præsens, et ut moneatur de eo, quod agere volunt contrahentes. Invalidum ergo est Matrimonium, si parochus neque vidit, neque audivit, nisi tamen affectasset non intelligere 1615. Valide assistit vi coactus 1516. q. 1°. Parochus ubique valide assistit, non tamen licite in aliena ecclesia sine licentia parochi loci, nec in sacellis vel oratoriis privatis, nisi de venia Episcopi ib. q. 2°. Quid observare debeat quoad dispensationes matrimoniales 1628. q. 10°.

PARTICIPANS.—Duplex; alter in præda, qui tenetur ad restitutionem partis quam accepit 772. I; alter in actione damnosa, qui semper ad restitutionem tenetur, si participavit per cooperationem *formalem* ib. II. Quando, si per *materialem* ib. III.

"PARTIES."—V. CONVERSATIONES.

PATENA.—V. CALIX, et applica ibi dicta.

"PATENT-RIGHT."—Quomodo jure nostro acquiratur 598. R. 2°. Quomodo violetur, quatenus jure naturæ alicui competat ib.

R. 1°. a); quatenus jure positivo acquisitum ib. R. 2° § *fin.*

PATER.—V. PARENTES.

PATRIMONIALIA BONA.—Clericorum, et quasi patrimonialia 629.

PATRINI.—V. BAPTISMA. COGNATIO. CONFIRMATIO.

PAUPERES.—Mulieres, non habentes vestes statui suo convenientes, an excusentur a Missa 409. q. 4°. R. ad a). An teneantur abstinere ab operibus servilibus 417. 1°. Excusantur ab abstinentia 553. 1°. 2°, a jejunio 573. 1°. Ficti restituere tenentur eleemosynas (non tamen valde modicas, quæ ostiatim dantur) vel danti, vel vere pauperibus 736. q. 5°. R. ad 1^um^; non autem veri, qui se dicunt probos, cum non sint ib. R. ad 2^um^. In ordine ad dispensationes matrimoniales censentur ii, quorum fortuna $600 non excedit; fere pauperes, quorum fortuna $2,000 non excedit 1628. q. 4°. Dispensatio petita in forma pauperum a divitibus generatim valida est ib. q. 3°. In forma pauperum a S. Pœn. dispensatio pro impedimentis etiam notoriis obtineri potest 1627. II.

PAUPERTATIS TITULUS.—V. ORDO.

PAUPERTATIS VOTUM.—Objectum ejus quid, et quid non 1160–1162. Solemne quid 1185. 4°. Materia gravis in ejus violatione quæ 1164. Ejus violator an teneatur restituere et quomodo 1165. Quomodo differat a virtute 1166. Quomodo servandum a religioso vi disperso 1204. I, ejecto, sæcularizato, ad Episcopatum promoto 1184. Quale requiratur ad titulum Ordinationis (V. ORDO).

PECCATUM.—Quid 197. Quotuplex 198. Requisita ad formale 199. Quomodo mortale practice distinguatur a veniali 207. 1°. 2°. 3°.

Distinctio specifica peccatorum quid et unde radicitus 208. Quæ peccata specie differant 209. Specifica peccatorum distinctio in particulari petitur ex diversitate virtutum, quibus opponuntur 210; ex modo contrario 211, et ex diverso respectu 212, sub quo eidem virtuti opponuntur. Item ex repugnantia, quam habet peccatum cum pluribus *legibus* ex diverso motivo *formali* latis 213, et *per accidens* ex scandalo vel fine aut affectu perverso, quo lex aliqua violatur ib. § *Nota. Possunt.* p. 89. col. 2. Quid, si agatur de transgressione *præcepti proprie dicti* 214. In uno eodemque actu reperiri possunt plura peccata specie distincta 215.

Distinctio peccatorum numerica quid 216. Petenda: 1° ex multiplicitate *actuum* ejusdem speciei, qui non coalescunt in unum actum peccati 217; non vero ita coalescunt; a) actus inter se disparati 218–222; b) actus, inter quos moralis intercedit interruptio 223–225. Petenda: 2° ex multiplicitate *objectorum* ejusdem speciei, quæ non coalescunt in unum objectum 226. 227.

Peccata mortalia dubie commissa non necessario accusanda sunt, etsi in praxi consulendum 1363. q. 1°. Dubie gravia *per se* non sunt accusanda, in praxi vero duplex attendatur regula ib. q. 2°. Necessario accusanda sunt peccata gravia, certe quidem commissa, de quibus tamen dubites, an confessus fueris, exceptis 2 casibus ib. q. 3°. Qui confessus est peccatum aliquod, tanquam dubium, debet illud repetere, si illud postea ut certum cognoscat ib. q. 4°. Ex oblivione inculpabili omissa accusari debent, si in pœnitentis memoriam redeant; ante 1366. Ex oblivione, aut alia justa causa, omissa non debent *quamprimum* accusari; attamen nulla alia Confessione interposita ib. q. 1°. Ex oblivione omissa non debent accusari *ante* Communionem, etsi menti occurrant ib. q. 2°, nec pœnitens, qui recordatur obliti, nec potest (aut non vult) confiteri ante Communionem, ad actum contritionis eliciendum tenetur ib. q. 3°. Pœnitens necessario iterum absolvi debet, si accuset grave in præcedente Confessione ex oblivione, aut alia legitima causa, omissum et jam indirecte remissum ib. q. 4°.—Cætera V. ADVERTENTIA. COGITATIO. CONCUPISCENTIA. CONSENSUS. DELECTATIO. DELIBERATIO. DESIDERIUM. GAUDIUM. GRAVITAS PECCATI. INADVERTENTIA. INTEGRITAS CONFESSIONIS. MATERIA. MORTALE PECCATUM. PECCATA CAPITALIA singula, ut SUPERBIA, etc. VENIALE PECCATUM.

PECULIUM RELIGIOSI.—Quid, et quibus sub conditionibus licitum 1161. 4).

PERCUSSIO.—Parentum 422. 1°. et *Quær.*—V. etiam CENSURÆ LATÆ etc.

PEREGRINUS.—V. LEX. DISPENSATIO.

PERFECTIO.—Religiosus ad eam tendere tenetur 1179; quibus mediis 1180; et quando graviter peccet contra hanc obligationem 1181.

PERICULUM.—An subeundum ob proximum 279. Mortis an subire possit aut debeat virgo ad servandam castitatem 462. q. 2°, vel puella ut parcat verecundiæ in operatione chirurgica 463. 4°, vel fœmina ne violetur 462. q 3°. Quibus vitæ periculis se exponere possint artifices, etc. 463. 6°. Occisio innocentis ex actione periculosa 472. III. 473. 3°. Abortus (V. ABORTUS).—V. etiam IRREGULARITAS.

PERICULUM PECCATI.—Quid et quomodo differat ab occasione peccati 1429. An mortale se exponere probabili periculo mortaliter peccandi 205. q. 7°. 87. I. Pericula peccati domestica 1) fœminæ propter famulum vel alium in eadem domo 1455; 2) fratri a fratre turpiter tacto in lecto 1456; 3) quæ parentes a filiis avertere tenentur (V. PARENTES). Pericula peccati: 1. puellis in famulatu 1458; 2. in scholis, collegiis, seminariis, etc. 1460. sq.; 3. in artibus et officiis 1464. 1465; 4. his regionibus propria 1466–1469.—V. OCCASIO.

PERICULUM SORTIS.—Quid et an ac quando excuset a) usura 938.

PERPLEXUS.—Conscientiâ quid agere debeat 37.

PHARMACOPOLA.—Ad quid teneatur in genere 1078. Ejus peccata 1079. Vendens quid pro quo 977. Abortivum præparans an incurrat censuram 1734.

PHILTRUM.—843. II.

PHOTOGRAPHI.—An eorum labor sit servilis 413. q. 2°. R. ad 2^um^ *in fine.* Quoad scandalum 295. 9°.

PHOTOGRAPHIA.—V. PHOTOGRAPHI.

"PICNICS."—V. "FAIRS."

PICTORES.—Quoad scandalum 295. 9°. An opus eorum servile 413. q. 2°. An excusentur a jejunio 573. 5°.
PICTURÆ.—Obscœnas aspicere 490. 5°.
PIGNUS.—Quid et quæ ejus regulæ 1035.
PINGERE.—Quando scandalum 295. 9°. An opus servile 413. q. 2°. Imagines acu an servile 414. q. 4°.
PISCARI.—An opus servile 414. q. 4°. Ubi liceat 643. 644.—V. etiam "OYSTERS."
PISCES.—Earum nomine quid veniat in abstinentia 566. I. § *Nomine autem.* Cætera JEJUNIUM. Earum occupatio 643. 644.—V. etiam "OYSTERS."
PISTORES.—Quoad opera servilia 417. 3°. Eorum peccata 1081. 4°.
POCULENTA.—Vendentes die Dominicâ 310. e). Ratio lucri cessantis ea vendentes non excusat a Missâ 408. 10°. 409. q. 3°. Quoad jejunium (V. JEJUNIUM).
PŒNA.—V. LEX PŒNALIS.
PŒNA CONVENTIONALIS.—Quid, et an et quando excuset ab usura 940.—V. etiam SPONSALIA.
PŒNITENTES.—Alterius sexus 1484. Pii. 1486.—V. CONFESSIO. Spectatæ conditionis 1485. Scrupulosi 38 sq.
PŒNITENTIA.—Definitur ut virtus et Sacramentum 1337. Partes requisitæ 1338. III. Necessitas 1338. V. Materia Sacramenti 1339. Remota sufficiens omnia venialia, et omnia sive mortalia, sive venialia jam rite confessa et per absolutionem remissa ib. et 1340. q. 1°. 1341. 1°, et aliquando etiam peccatum accusatum in genere 1340. q. 5°. Confessarius absolutionem daturus tenetur requirere materiam sufficientem, si solam dubiam præbeat pœnitens ib. q. 6°. Pœnitens, non præbens materiam necessariam, *per se* non est necessario absolvendus ib. q. 7°. Si cum sola benedictione dimittatur, confessarius non semper efficaciter procurare tenetur, ut pœnitens ipse id bene intelligat ib. q. 6°. Absolvendus habens mortalia dubia ib. § *Secus;* item a longo tempore non absolutus, vel indigens auxiliis specialibus, vel rite dispositus et absolutionem cupiens ib. q. 7° § *fin.* De nullo peccato se accusans, examinetur ut puer 1341. 2°. Forma præceptiva et essentialis pœnitentiæ 1342.—V. ABSOLUTIO.
Sacramentalis imponenda cuilibet, qui possit eam persolvere 1381. I; eaque tum vindicativa, tum medicinalis, conveniens et salutaris ib. II; et ad id sub gravi *per se* tenetur confessarius, si agitur de mortalibus; si de venialibus, controvertitur 1382. q. 1°. Generatim imponenda ante absolutionem 1382. q. 2°, eaque regulariter gravis pro mortalibus ib. q. 3°, qualis est ea, quæ correspondet operi sub gravi ab Eccl. injuncto, vel quod ex se sub gravi obligaret ib. q. 4°. Aliquando levior imponi potest, et quando ib. q. 5°. Imponi potest sub conditione relapsûs, modo præterea imponatur proportionata pro peccatis confessis ib. q. 6°. Non potest imponi publica pro peccatis occultis; potest vero pro publicis ib. q. 7°; item opus alias debitum, sed etc. ib. q. 8°. Tenetur pœnitens acceptare ac implere rationabilem 1384. I; et sub gravi implere gravem pro lethalibus impositam ib. II, idque tempore a confessario determinato, vel quamprimum commode potest ib. III, et quæ dilatio gravis 1385. q. 6°. In se quidem gravis, sed pro solis venialibus imposita, *per se* non obligat sub gravi, nisi etc. 1385. q. 1°. Confessarius pro gravibus culpis *potest* imponere *gravem, leviter* obligantem, at etc. ib. q. 2°. An sub gravi implendæ *circumstantiæ* ei adjectæ ib. q. 3°. Satisfacit, qui eam implet in mortali, sed venialiter peccat ib. q. 4°. q. 5°. Injunctæ oblitus non tenetur Confessionem repetere, ut aliam accipiat, sed etc. ib. q. 7°. Non potest commutari ab ipso pœnitente, sed vel a confessario, qui eam imposuit, vel a quolibet alio confessario et quidem cum causa, ut fiat licite ib. q. 8°, nec Confessio repetenda ad commutationem obtinendam ib. q. 9°. Confessarius non potest eam commutare extra Confessionem, nisi sit idem qui imposuit, et *immediate* post absolutionem ib. q. 10°. Resolutiones 1386. Pœnitentiæ utilius imponendæ sunt: 1° opera pietatis 1387; 2° opera mortificationis 1388; 3° medicinales 1389.
PŒNITENTIARIA S.—Quid et quæ ejus numera 172. 8°—V. etiam DISPENSATIO. IMPEDIMENTA MATRIMONII. PAUPERES.
POLLUTIO.—Quid 500. 503. 4°. Directe voluntaria numquam licita 501. I. 503. 4°. Indirecte voluntaria mortalis, quoties sine justa ratione causa ponitur directe et naturâ suâ ad eam tendens 501. II; item *practice* in eo, qui sine necessitate causas luxuriosas, licet in se non mortales, ponit, quæ vehementius, etsi non directe ac naturâ suâ, in pollutionem influunt, et ex quibus eam *frequenter* expertus est; secus, si vel *raro* eam ex iis experiatur, vel causa, licet luxuriosa, *omnino leviter* in eam influat 503. 3°; item quoties periculum proximum consensus in eam adest, licet causa non sit luxuriosa 7. 8. 501. III; secus est venialis 501. II, et, si causa cum sufficienti ratione ponatur, nullo modo peccaminosa ib. III. Hinc etc. 502. 1°. 2°. 503. 6°. An pollutio voluntaria prohibeat a Communione (V. EUCHARISTIA, *ut Sacramentum*). Quid de sic dictâ pollutione fœminea 504. 10°.—V. etiam POLLUTIO NOCTURNA.
POLLUTIO ECCLESIÆ.—1329. q. 4°.
POLLUTIO NOCTURNA.—An et quando mortalis, venialis, nullum peccatum 502. 2°. An de habita liceat gaudere ob bonum effectum 232. R. ad 1^um^. An impediat a S. Communione (V. EUCHARISTIA, *ut Sacramentum*).
POSSESSIO.—Quid 662. Ejus fundamentum præsumptio 65, ut ostenditur in casibus particularibus ib. 1°. 2°. 3°. Valet etiam in materia honestatis, et non justitiæ tantum ib. § *Hisce præmissis*, et 91. Hinc favet dubitanti in dubio juris 66. 1°; item in dubio facti fundantis legem 67. 74. a); non vero in dubio facti supponentis legem ib. b). 81. 92–95, nec in dubio juris ad duo contradictoria in eodem actu 76. Ut præscriptionem inducat, debet esse dominativa 663. 1°; tranquilla ib. 2°; certa ib. 3°; continuata ib. 4^b^; pro foro externo publica ib. 5°.

Possessio per dæmonem.—Ejus signa 377. q. 4°.
Possessor bonæ fidei.—Quis, ante 722. Statim ac novit rem esse alienam, eam restituere tenetur quatenus adhuc exstat sive in toto, sive in parte, sive in emolumento 723. I; idem jure naturali valet de fructibus naturalibus et civilibus 723. *Dico:* 2°; non vero de industrialibus ib. *Dico:* 1°. Hinc, re aut fructibus in bona fide consumptis illud tantum restituere tenetur, in quo factus est ditior 722. II; idem valet re aut fructibus alteri donatis 724. q. 2°; quo tamen casu, si facile possit, donatarium aut dominum monere debet, etiam, ut videtur, ex justitia ib. q. 3°. Ad quid teneatur, si alteri vendiderit rem (aut fructus) alienam, quam a fure emit 725; quam gratuito accepit 726; quæ in manibus emptoris periit 728; quam mediocri pretio emit, at majori vendidit 727. Quid si inter varios possessores bonæ fidei unus malæ fidei adfuerit 729. q. 8°; si dominus non compareat ib. q. 9°. An, si rem furtivam emerit, possit eam furi reddere ad pretium suum recuperandum 731.
Possessor dubiæ fidei.—Quis, ante 739. Tenetur inquirere, ut dubium deponat 739. I; secus etc. 741; dubio vero post inquisitionem remanente, rem retinere potest, si ante dubium bona fide possidebat 739 II. 742. q. 5°. 743. 1°. 3°; secus distingue 739 III. 740. 742. q. 4°. Quid, si nemo eorum, de quibus dubitatur, utrum rei sint domini, rem ipsam possideat 743. 2°.
Possessor malæ fidei.—Quis, ante 732. Restituere debet rem, si adhuc existat; secus ejus æquivalens (deductis tamen expensis tum necessariis, tum utilibus) et omne illud, in quo factus est ditior, fructibus industrialibus exceptis. Præterea reparare omne damnum ex acceptione injusta proximo illatum 732. Quid, si res aliena per manus plurium malæ fidei possessorum transierit ex donatione vel venditione 737. q. 6°.—Cætera V. Fur.
Potestas.—V. Dispensatio. Jurisdictio. Lex.
"Pottage."—V. Lactuca.
Præcepta.—Quid differant a lege 98. Quæ Veteris et quæ Novæ Legis 168. An omittenda ob scandalum 299. q. 3°. Decalogi, ante 322. Ecclesiæ 544. Quæ scienda ab adultis 260.
Præda.—Urbs capta in prædam non nisi ob gravissimas causas danda 481. 4°. Quid de maritima ib. 7°.
Prædicatio.—V. Concio.
Prægnans.—Occulte et ex fornicatione interroganda de abortu desiderato vel attentato 476. 5°, et si moribunda an conditionem suam extra Confessionem revelare teneatur, ut, se mortua, fiat operatio cæsarea 1269. q. 3°. Quando abortus indirecti rea ipsa, et quando alii erga eam 428. a). 476. 4°. Inhoneste non tenetur ad Missam, nisi etc. 409. q. 4°. R. ad b).
Prælati regulares.—An possint leges ferre 103.—V. etiam Exemptio.
Præpositi.—Gabellis.—V. Tributa.
Præscriptio.—Quid 657. Quotuplex 659. Est legitimus acquirendi modus, in utroque foro 658. Ad legitimam requiruntur: res præscriptibilis 661; possessio 662. 663; titulus 664; tempus requisitum 665; bona fides 669. —V. sub singulis his verbis. Infirmatur renunciatione 667. 1°; interruptione ib. 2°; suspensione ib. 3°. Quoad servitutes 683. 1) c). 684. 5°. Liberans a restitutione 799. 3°.
Præsumptio.—Præsumptionis principium in Æqui-probabilismo 65-67. 1°. 2°. 3°. Ut peccatum contra Spem quid 269. 272. q. 4°; quot modis committatur 271. q. 1°; et an admittat parvitatem materiæ ib. q. 2°.
Precarium.—Quid et quomodo differat a commodato 921. An quis illud in periculo rei suæ præferre teneatur.—V. Commodatum.
Pretium justum.—V. Emptio-venditio.
Princeps.—Quoad bellum 479.—V. Rebellio.
Privatio Parochiæ.—V. Parochus.
Privilegium.—Quid et quotuplex 190. 191. Quomodo acquiratur 192; interpretandum 193; cesset 196. An eo utendum 194. An Ordinario exhibendum 195. Privilegia Clericorum 1143; Episcoporum 1144; Religiosorum 1190 sq; Monialium 1189. 7°.
Probabiliorismus.—Quid 62. III. Refellitur 74. 75. 88-91.
Probabilismus simplex.—Quid 62. V. Refellitur 71-73. 81. 86. 92-96.
Probabilitas.—V. Conscientia.
Procurator.—V. Advocatus. Matrimonium. Sponsalia.
Professio religiosa.—Requisita, ut sit valida 1159. I. 1186. 3°. Obligationes ex ea 1159. II, et quomodo illæ cessent 1183, vel mutentur 1184.
Proles.—V. Adulterium. Fornicatio. Mater. Parentes. Prægnans. Stuprum.
Promissio.—Quid et quænam ejus conditiones 871. Quæ et quanta ejus obligatio 872. Quid in dubio an quis voluerit se obligare sub gravi vel sub levi 873. q. 2°. An possit acceptari per alium ib. q. 3°. Quandonam cesset ejus vis ib. q. 4°. Quid, si ante executionem moriatur promissarius vel promittens 874. Quid requirat jus nostrum, ut det actionem ib. *Nota.* Matrimonii facta puellæ ob eam violatæ ad quid obliget 810. 811.—V. Sponsalia.
Promulgatio legis.—V. Lex.
Propositum.—Differt a voto 378.
Propositum, *ut pars contritionis.*—Est vel explicitum, vel implicitum 1353. Saltem implicitum est omnino necessarium ad peccati remissionem 1354, et practice etiam explicitum 1355. q. 3°. Ut sit verum debet esse *firmum, efficax, universale* 1354. II. Ut sit firmum, absolute loquendo, non debet constans reperiri 1355. q. 1°. Firmum habere potest, qui habet quidem animum non peccandi, *pertimescit* tamen se relapsurum; secus si *certo* id crederet, nisi etc. ib. q. 2°. Circa venialia tutius est illud facere circa peccata determinata, præsertim graviora, aut ex habitu patrata, et eisdem peccatum aliquod vitæ anteactæ subjungere ib. q. 4°.
Proxeneta.—Venditio per eum quid 1005. Si vendit supra, vel emit infra pretium a principali suo designatum, an excessum sibi licite retineat 1006. 926. 4°. Ex officio quis 1007, et quando fraudis reus ib. 1). 2). 3). 4). 5).

Proximus.—Interno affectu diligendus 278 ; adjuvandus 279 ; corrigendus 288.—V. Caritas. Correctio fraterna. Eleemosyna. Inimicus.
Pruritus.—In verendis an tactu abigi possit 504. 9°.
Publicitas.—V. Detractio. Fama. Notorietas.
Puellæ.—Non tenentur ad Missam, in qua fiunt pro eis proclamationes antenuptiales, si etc. 409. q. 4°. R. ad c).—V. etiam Periculum. Periculum peccati, Prægnans.
Puer.—Nondum septennis an teneatur ad leges ecclesiasticas 115. Non formalis peccati reus, si sine angore conscientiæ vel suspicione malitiæ *de se* illicita egit 11. 2°. 167. q. 1°. R. . . . 2°. 235 § *fin.* Quando obligetur ad annuam Confessionem 548. q. 1°. An et quomodo absolvendus ante Primam Communionem ib.—V. Confessio. Quoad legem abstinentiæ 552. q. 1°.
Puerpera.—Excusatur a Missa per tempus consuetudine locorum determinatum 499. q. 4°. R. ad d). Ejus benedictio 1196. 8°. 1268. q. 7°.

R

Raptus.—Qua species luxuriæ 499.
Raptus.—Ut impedimentum Matr. est violenta abductio mulieris de loco tuto in alium, ubi sub potestate raptoris detineatur, Matrimonii ineundi causa. Dirimit de jure eccles. inter raptorem et raptam 1620. Raptus seductionis non inducit impedimentum 1621. q. 1°. Sponsalia contracta, dum mulier est sub potestate raptoris, probabilius valent ib. q. 2°.
Rebellio.—An licita aliquando 459.
Receptatores.—V. Recursum præbentes.
Recidivus.—Quis ; distinguitur ab habituato 1470. Formaliter, materialiter talis ib. Quis dicatur formaliter talis ib. Formaliter talis fundatam indispositionis suæ præbet præsumptionem, nec absolvendus, nisi extraordinaria contritionis det signa 1473-1479, aut tractandus ut dubie dispositus 1479. d). Recidivo satis disposito differri potest et quandoque debet absolutio 1480. Ratio agendi cum consuetudinariis et recidivis : 1) quoad monitiones ; 2) media emendationis ; 3) absolutionis dilationem 1481.
Reconciliatio.—Quis ordo in ea servandus 283. q. 2°.
Recursum præbentes.—Qui 771. 1°. Qui ad restitutionem teneantur ib. 1°. 2° ; non teneantur ib. 3°.
Refectio.—V. Jejunium.
Regula.—Quid 1176. Non est merum consilium ib. 1, cum obliget vel sub gravi, vel sub levi ib. 2°. 3°, vel ad pœnam ib. 1°. 2. Licet per se ne sub levi quidem obligans, raro tamen sine veniali violatur ib. 4°, et quandoque non sine mortali ib ; et graviter peccare potest Superior subditos de defectibus levibus non corrigens, et zelator de iis non monens 1178. Servanda a religioso ad Episcopatum promoto vel Parocho 1184.
Regularis.—Ejus vota quis irritare possit (V. Irritatio). Regulari communitati detrahere an grave 526. 6°. Justa de causa Choro non interveniens an teneatur sub gravi Officium privatim recitare 1095. An peccet graviter recitans privatim, dum facile Choro interesse potest 1096. q. 6°. Religiosus status (V. Status). An possit transire ad aliam Religionem 1157. d). An teneatur ad statuta nova 1177 ; tendere ad perfectionem 1179 ; et an graviter peccet intendens mandata tantum gravia servare, et de cæteris nullatenus curare 1182.—V. Perfectio. Solemniter professis propria 1185-1187. Ante professionem solemnem emittenda sunt vota simplicia ad triennium 1187. Non solemniter professus an possit acceptare hæreditatem aliasve donationes 1185. 4° § *Hinc.* Quarum rerum dominium directum retineat ib. § *Religiosus.* Religiosorum privilegia 1190 sq. 1203. Vi dispersus 1204. Specialiter notanda circa religiosos nostræ regionis 1205. Fugitivus, ejectus, sæcularizatus, ad Episcopatum promotus, Parochus 1184. — V. etiam Censuræ latæ etc. Clausura. Irregularitas. Regula.
Regulares proprie dicti, et qui cum Mendicantibus communicant, ad audiendas Confessiones tum *suorum*, tum *sæcularium*, jurisdictionem immediate a Papa, accipiunt 1395. I. Ad audiendas *suorum* Confessiones approbationem simul cum jurisdictione accipiunt a Superioribus sui monasterii, vel Ordinis ; pro *sæcularibus* vero utramque hodie ab Episcopo loci ib. II. Ordinarie non possunt confiteri *extra Ordinem suum* sine consensu Superiorum ; imo in monasterio soli designato a Superiore ib. III. Cui in itinere 1195. G). b). An et quando per suos Superiores absolvi possint a Papalibus ib. c). 2). 1753. q. 1°. q. 2°. R. 2°. Quid de Episcopalibus 1195. G). c). 1). Approbationem Episcopus eis non potest denegare sine causa 1397. q. 2°. Eos approbare potest Episcopus cum limitatione temporis, personarum, aut locorum ib. q. 3°. An Episcopus revocare possit approbationem eis concessam ib. q. 4°. Valide absolvit sæculares ex delegatione Episcopi, sed inscio Superiore ib. q. 7° ; item, sed illicite, invito Superiore, sed ex delegatione expressa Episcopi ib. q. 8°.
Regulares ordinandi sunt ab Episcopo, in cujus diœcesi existit eorum monasterium, nisi etc. 1519. q. 3° ; titulo paupertatis 1522. 2°
Regulæ juris.—Quid, et an vim legis habeant 171. R. ad 1).
Religio.—Qua virtus quid, ante 322, qui ejus actus, ante 330, et quæ vitia ei opposita, ante 334.
Religiosus.—V. Regularis.
Reliquiæ.—Qualis cultus eis tribuendus 325. § *fin.* Sanctorum et Beatorum quotuplici sensu sumantur 327. 1). Quæ dicantur *insignes* ib. 3), et quod earum privilegium ib. 8). Quæ *publico* cultu colendæ ib. 4). Quomodo asservandæ ib. 5). Ubi et quo-

modo exponendæ ib. 6). An et quomodo in processionibus deferendæ ib. 7). Domini, speciatim Crucis, quomodo colendæ ib. 2).

REMISSIO DEBITI.—Ut causa a restitutione debiti excusans 799. 1°. Rationabiliter præsumpta 804.

RES SACRÆ.—Quomodo tales fiant 329. I. Quales esse debeant ib. II. Qua reverentia tractandæ ib. III. Quæ in ordine ad sacrilegium 346. I. 3°, et quomodo sacrilegium circa eas committatur 347. 3°.

RESERVATA VOTA.—Quæ et quæ conditiones adesse debeant, ut sint talia 392. q. 3°. Episcopi nostri et per eos deputati sacerdotes dispensant in voto simplici castitatis et intrandæ Religionis p. LXX. 4.

RESERVATIO CASUUM.—Datur in Ecclesia potestas reservandi certos casus, a quibus inferiores confessarii absolvere nequeant 1400. I. Hæc potestas solis Prælatis jurisdictionem in utroque foro habentibus competit ib. II. Prælati, aut Superiores regulares possunt reservare casus XI. in suo Ordine, vel monasterio, et alia præterea, sed de consensu capituli 1401. q. 5°.

Ut peccatum reservatum censeatur, requiritur, ut sit: 1° interne et externe grave; 2° in sua specie consummatum; 3° certum ex omni capite 1400 III. Afficit immediate confessarium; pœnitentem mediate ib. IV. Ignorantia censuræ ab ea incurenda excusat, non vero ignorantia reservationis 1401. q. 1°. Ignorantia reservationis excusat a reservatione, quando cum ignorantia censuræ conjungitur, si agatur de casibus papalibus; non vero, si de episcopalibus ib. q. 2°. Non potest absolvi subditus alterius diœcesis, licet casus reservatus sit tantum in loco Confessionis ib. q. 3°. Absolvi potest subditus alterius diœcesis, quando peccatum reservatum est in ipsius diœcesi, non autem in loco Confessionis, nisi principaliter in fraudem reservationis se eò contulerit ib. q. 4°.

Absolvere possunt a casibus reservatis de potestate ordinaria: 1) ipsi reservantes; 2) eorum successores in eadem potestate; 3) eorum Superiores 1402. I. Episcopi, vel eorum delegati, absolvere possunt: 1° a casibus papalibus *occultis*, exceptis *speciali modo* in c. *Apost. Sedis* reservatis; 2° a casibus papalibus, etiam *publicis*, omnes legitime impeditos adire Romam ib. II. Aliquando simplex confessarius potest absolvere a reservatis, etiam extra mortis periculum 1403. q. 1°. Quomodo tollatur reservatio 1403. q. 2°. Qui habet peccata reservata et non reservata, *per se* non tenetur in Confessione accusare etiam non reservata ib. q. 3°. Inferior absolvere potest moribundum a reservatis, præsente Superiore, aut alio facultatem habente, si casus sint *pure* reservati; secus, si sint cum censuris reservati ib. q. 4°. Non tamen requiritur Episcopi venia ad absolvendum moribundum a casibus papalibus, etsi facile peti possit ib. q. 5°. An Superior possit absolvere pœnitentem a reservatis, et eum remittere ad inferiorem pro absolutione non reservatorum ib. q. 6°. Non possunt absolvi peregrini a censuris episcopalibus, quas in propria diœcesi incurrerunt, si agatur de censuris ab homine per sententiam particularem ib. q. 7°.

RESPUBLICA.—Cujusque publicum dominium apud nos 612. Fœderatæ dominium 613. 640. Modus ei restituendi 795.

RESTITUTIO.—Quid, ante 713. Necessaria ob solam violationem justitiæ commutativæ *per se*; in re vel in voto 713. 719. 1°. Præceptum ejus primario negativum, secundario affirmativum 714. II; obligans, sub gravi in materia gravi, sub levi in levi 719. 3°, ad reddendum totum, vel, si id fieri nequeat et agatur de re divisibili, ad partem possibilem ib. 2°; ejus autem impletio, si moraliter possibilis sit, regulariter ante absolutionem a confessario procuranda ib. 4°. Quomodo a moribundis exigenda ib. 5°. Radices ejus,—acceptio rei alienæ (V. FURTUM. POSSESSOR BONÆ FIDEI. POSSESSOR MALÆ FIDEI. POSSESSOR DUBLÆ FIDEI);—injusta damnificatio (V. DAMNIFICATOR. DAMNUM),—injusta cooperatio (V. COOPERATOR *ad damnum*. COOPERATORES NEGATIVI. COOPERATORES POSITIVI, et singulos cooperatores sub propriis verbis v.g. MANDANS, etc.) Quantum sit restituendum (V. COOPERATOR *ad damnum*). Is, cui restituendum;—est dominus certus et notus, quoties etc. 782. 1°;—possessor, *ordinarie* saltem, si de re deposita, locata vel commodata agatur ib. 2°;—et quis, si dominus sit dubius, aut incognitus, aut adiri nequeat ib. § *Quid autem*. 784. An restituendum creditori coacto cessionem bonorum facere, an potius ejus creditoribus 783. Quo ordine restituendum a cooperatoribus inter se (V. COOPERATOR *ad damnum*), et quo creditoribus, si omnibus satisfieri nequeat (V. CREDITORES). Modus, quo restituendum, is est, quo justitia violata plene reparetur 791, et hinc restitutio per se non necessario fit palam ib. 1°; nec per ipsum debitorem ib. 2°; nec advertente domino ib. 3°. An fieri possit per simulatam donationem 792. q. 1°. q. 2°. Quis reipublicæ, etc. restituendi modus 795. q. 6°, et quis sæpe recte suggerátur uxoribus, filiis, famulis, operariis ib. 7°, vel quando restitutio facienda est ad causas pias 782 § *fin.*—Cætera quoad modum restituendi V. DEBITA. DEBITOR. Quando restituendum (V. DEBITA). Causæ a restitutione excusantes ad tempus 798; in perpetuum 799.—V. etiam DEBITOR. Restitutio ob damnum in bonis animi (V. BONA); corporis (V. ADULTERIUM. FORNICATIO. HOMICIDIUM. MUTILATIO. STUPRUM. VULNERATIO); occasione militiæ illatum (V. BELLUM. CONSCRIPTIO *ad militiam*. DUX BELLI. MILITES); ob defraudata tributa (V. TRIBUTA). Societati assecurationis, etc. facienda 1040. 2°. Restitutio ob læsam famam (V. FAMA); ob Simoniam (V. SIMONIA); ob læsionem voti paupertatis (V. PAUPERTATIS VOTUM).

RESTRICTIO MENTALIS.—Quid et quotuplex 512. Pure mentali numquam uti licet 513. Improprie mentali uti licet ex justa causa, etiam (sed majori ex causa) cum juramento 369. q. 3°. 514. Excipe 515. 1°. 2). 3). 4). Hinc etc. 374. 9°. 515. 2°. 3°. 4°.

REUS.—Quis, ante 1072. Quando uti possit restrictione improprie mentali 515. 3°.

Coram judice se sistere potest cum certo mortis periculo 462. q. 4°. A quo occidendus 464. 458. 4°. Aufugiens an occidi possit 466. q. 1°. A judice interrogatus an veritatem fateri teneatur 1072. q. 1°. An dicere veritatem, si agatur de pœna ecclesiastica, etsi non sit legitime interrogatus, ne accusator habeatur tanquam calumniator ib. q. 2°. An liceat illi appellare ib. q. 3°; ad suî defensionem revelare crimina occulta testium vel accusatoris ib. q. 4°; fugere vel resistere 1073. q. 5°. q. 6°, etiam cum damno custodis ib. q. 8°. An liceat adjuvare reum in fugiendo ib. q. 8°. An liceat reo declinare pœnam mitiorem justam, sed nondum irrogatam ib. q. 9°.

REVALIDATIO MATRIMONII.—Irriti ob defectum consensus fit renovando consensum ab utraque parte, si neutra consensit; ab una tantum, si alterutra tantum consensit. Renovatio coram parocho non requiritur, nisi nullitas publice innotuerit 1629. 1630.

Si irritum ratione clandestinitatis, consensus renovandus coram parocho et testibus. Si Ordinario ita visum fuerit, secreto fieri potest 1631. Si una pars, sciens doctrinam Ecclesiæ, coram parocho contrahere nolit, procuratorem mittat aut epistolam, et, si neque ad hoc induci possit, obtineatur dispensatio in radice 1632. q. 2°. q. 3°. Si nolunt ad ecclesiam pergere, conjungantur in domo sua ib. q. 1°.

Obtenta dispensatione, utraque pars tenetur renovare consensum, si utraque impedimenti conscia fuerit; si una tantum pars impedimentum cognoverit, speculative una pars tantum renovare tenetur, practice autem ambo, nisi etc. 1633. 1634. q. 1°. Si impedimentum fuerit publicum, consensus renovari debet coram parocho et testibus, etiam, sed non de valore, in locis, ubi non viget Decr. Tametsi; secus, si impedimentum sit occultum, licet contrahentes impedimenti conscii fuerint 1634. q. 2°. q. 3°. Modi renovandi consensum ib. q. 4°.

Dispensatio in radice.—Est abrogatio legis ecclesiasticæ, quæ impedimentum induxit, in casu particulari, conjuncta cum irritatione effectuum ex illa lege secutorum 1635. Convalidat ergo Matrimonium a tempore, quo fuit initum ib. Papa dispensare potest in radice Matrimonii quoad omnia impedimenta juris ecclesiastici 1636. I, modo 1) conjunctio conjugum habuerit speciem extrinsecam justi Matrimonii, sed etc. ib. II. 1°; 2) consensus utriusque perseveraverit ib. 2°; 3) adsit urgens et gravis causa, excepto etc. ib. 3°; 4) agatur de impedimento juris ecclesiastici ib. 4°. In solis impedimentis occultis dari solet ib *Nota*. Obtineri potest et applicari utraque parte illius ignara; non tamen potest concedi, si conjuges, dum contrahebant, cognoverint nullitatem Matrimonii; potest vero, si impedimentum cognoverint, sed non nullitatem Matrimonii 1637. q. 1° q. 2°, quomodo exequenda ib. q. 4°. Facultas Episcoporum nostrorum p. LXXIV. 6.

REVELARE.—Quando liceat crimen alterius 518, vel secretum 541. q. 1°. Impedimenta Matr.—V. BANNA.

REVERENTIA.—Debita parentibus 421. 422, marito 443. 1°, 444. 2°, domino 448. 1°, magistro 451. 1°.

REVOCATIO FACULTATUM.—V. PAROCHUS.

RIGORISMUS.—Quid 62. I. Condemnatus 82.

RITUUM CONGREGATIO S.—Decreta et declarationes 172. 4°. et 1335.

ROSARIUM.—V. CORONÆ.

"ROUND DANCES."—V. CHOREÆ.

RUBRICÆ.—V. EUCHARISTIA, *ut Sacrificium*.

S

SACRA ACATHOLICORUM. — V. COOPERATIO. FIDES.

SACRAMENTA *in genere*.—Quid, quibus constent, quam gratiam conferant, et quo modo 1206. 1208. 1209. Quot et quotuplicia 1207. Mortuorum an secundam, et vivorum an primam gratiam conferre possint, et quibus sub conditionibus 1208. et 1209. q. 3°.

Materia quid et quotuplex 1210. Forma quid 1210. Materia et forma necessariæ ad valorem Sacramenti 1211. I, et extra casum necessitatis moraliter certæ adhibendæ 60. I. 1211. II. 1504. q. 3°. Erga *idem* subjectum ab *eodem* Ministro applicandæ 1211. III. Exceptio 1503 § *Sacerdote* etc. Qualis unio inter utramque requiratur in *genere;*—in *singulis* Sacramentis 1211. IV. Materiæ vel formæ mutatio quotuplex, et quæ invalidet 1212. Quotuplici modo invalidetur forma 1212 post II.

Iterari Sacramentum in dubio circa materiam et formam quando et quomodo *possit* 1213. I;—*non possit* ib. II, et 1214. 3°. 4°,—*debeat* ib. III. *Facilius*, seu contra rationes etiam multo probabiliores, iterandus Baptismus et Ordo 1214. 1°.

Sacramenti simulatio in quo consistat, et quomodo differat ab ejusdem dissimulatione 1232;—an licita 1231. q. 5°. Casus huc spectantes 1233. 4°. 5°. 6°. 7°. 8°.

Receptio Sacramenti *valida* non requirit Fidem vel dispositionem aliquam in recipiente, Pœnitentia excepta 1238. I; nec intentionem in infante aut perpetuo amente 1238. II, et quam intentionem requirat in adulto 1238. III. 1240.—Non requirit attentionem 1239.

Receptio licita et fructuosa Sacramenti—*vivorum* in adulto requirit intentionem, et *per se* statum gratiæ, qui, si absit et agatur de Eucharistia, per Confessionem comparandus 1241. I. 347 3°. 1);—*mortuorum* actum implicitum Fidei, Spei, et attritionem 1241. II. Reviviscunt Sacramenta—quæ, et quid ad hoc requiratur 1242.

Petere Sacramentum quando liceat a Ministro indigno—ob peccatum 307. d). 319. c). 1243. q. 4°;—ob censuram aut inhabilitatem canonicam 1243. q. 5°.

Circa Sacramenta quid ab adultis sciendum 260.

SACRAMENTALIA.—Variæ eorum species 1244. Vis et efficacia 1245, et quomodo fidelibus explicanda 1246. 3. Administratio, et hujus obligatio 1246. 1, ac quo modo fieri debeat 1246. 2.—V. BENEDICTIONES. EXORCISMUS.

SACRIFICIUM MISSÆ.—V. EUCHARISTIA, *ut Sacrificium.* MISSA.

SACRILEGIUM.—Quid, quotuplex 346. I; quantum peccatum ib. II, et quale ib. III. Casus sacrilegii personalis 347. 1°; localis ib. 2°; realis ib. 3°. Probabilius sacrilegium est violatio personæ voto simplici castitatis extra Religionem ligatæ 348. q. 1°; item quodcumque peccatum externum grave luxuriæ, etiam non consummatæ, in loco sacro commissum, imo et desiderium illud in loco sacro committendi; non vero peccata luxuriæ mere interna in loco sacro commissa 348. q. 2°. Sacrilegium est furtum rei sacræ, vel etiam non sacræ, quæ loci sacri custodiæ commissa est ib. q. 3°. An sacrilegium vasa sacra, etc. tangere, et a quibus lavanda corporalia, etc. 349. q. 5°.

SACRISTA.—A Parocho, non ab Ædituis, designandus 626. 5°. Catholicus in templo acatholico 313. 1).

SALUTATIO ANGELICA.—An ab omnibus de præcepto scienda 260.

SARTORES.—An excusentur a jejunio 573. 5°. Quoad opera servilia 417. 4°. 14°. Quomodo peccare soleant contra justitiam 703. 4°. 1081. 6°.

SATIO, *ut species accessionis.*—674.

"SAVINGS BANKS."—Quid de iis 945.

SCANDALIZANTES.—Præcipuæ eorum classes 295.

SCANDALUM.—Quid 290. Quotuplex 291. Passivum ejusdem gravitatis et speciei ac ipsum peccatum scandalizati, excepto pharisaico 292 *initio*; activum ex genere suo grave, et eo gravius, quo etc. ib. q. 1°. R. 1°; leve ex triplici capite ib. R. 2°; est peccatum specie *ad minus* duplex, casu etiam quo alter jam determinatus sit ad peccatum, et sæpe *plures* etiam sive specie, sive numero distinctas continet malitias 293. Hinc in Confessione exponendum etc. 294. Ne scandalum *indirectum* detur, quædam omittenda aut etiam dimittenda, quæ alias non essent omittenda aut dimittenda, quoties nimirum lex charitatis obligare non cesset in casu aliquo particulari 296. Hinc omittenda quandoque minus recta, seu specie tantum tenus mala 297; quin et indifferentia 298; et dimittenda aliquando bona spiritualia 299, et temporalia 300. An et quomodo reparandum 301; speciatim si agatur de scandalo, ob quod quis censuræ subjacet 1672. q. 7°. q. 8°; et an damnum temporale ex scandalo secutum compensandum 753. q. 11°.

SCAPULARIA.—Requisita *generalia* ut quis gratiis spiritualibus Scapularium participet 1791. Materia ib. a). Color ib. b). Forma ib. c). Benedictio ac impositio Scapul. quo modo fieri debeat, et in quorum favorem fieri possit, et quid, si Scap. perdatur, deteratur, deponatur seu abjiciatur 1792. a). 1794. a). A quo fieri possit 1792. b).—Comprehendit facultatem concedendi Ind. plen. in articulo mortis ib. c). Receptio in confraternitatem Scapulari correspondentem an requirat inscriptionem nominis recepti, et a quo fieri possit inscriptio 1793. Gestatio Scapularis qualis esse debeat 1794. Privilegium Sabbatinum Scapulari B. M. V. de Monte Carmelo annexum, et quid requiratur ut quis eo potiatur 1795.

SCHOLÆ.—Publicæ si frequententur a pueris, an et quando parentibus absolutio deneganda 435–439. An et quando magistris in iis docentibus 440. 1°. 2°, vel earum curatoribus (*"members of the school-board"*) ib. 4°. Officium pastorum quoad eas ib. 3°. a). Catholicas erigendi obligatio *per se* gravis ib. b). c).

SCIENTIA.—Ceu notitia promulgationis legis an necessaria, ut lex obliget 118. II. In promovendis ad Ordines 1523. q. 1°.—V. CONFESSARIUS. IRREGULARITAS. JUDEX. MAGISTRATUS. MEDICUS.

SCRIBA.—Quis in tribunalibus 1068. Ejus injustitiæ ib. 1°. 2°. 3°.

SCRIBÆ.—An excusentur a jejunio 573. 5°.

SCRIBERE.—An opus servile 413. q. 1°.

SCRIPTURA SACRA.—Ejus abusus, v.g. verba detorquendo ad vana, etc. est sacrilegium *reale* 347. 3°. 5). Ejus verba non sunt vane, seu irreverenter, usurpanda 360. q. 2°. Ejus lectio in lingua vulgari 1706. II. 3°. 1707. q. 2°. R. 2°. c). Eam imprimentes aut imprimi facientes 1741. 1°. Quales ejusdem versiones ab Episcopis approbari possint 1706. II. 3°.

SCRUPULOSUS.—V. ATTENTIO. CONSCIENTIA. CORRECTIO FRATERNA. INTENTIO.

SCULPERE.—An opus servile 413. q. 2°.

SCULPTORES.—Quoad scandalum 295. 9°.—V. etiam SCULPERE.

SCULPTURÆ.—Eas exponentes quoad scandalum 295. 9°. 1457. 1°.

SECRETARIUS.—V. SCRIBA.

SECRETUM.—Quid et quotuplex 539. Quomodo singulum obliget 540. Causa illud revelandi 541. An grave illud uni vel alteri probo sub eodem secreto manifestare 542; et quid, si promiseris illud servare, etiam cum vitæ jactura 541. q. 2°. Quid de secreto commisso, si interrogeris a Superiore vel judice 541. q. 1°. 543. 2°. 3°. Quid in eodem casu de promisso 543. 1°.—V. etiam LITTERÆ.

SENTENTIA.—Judicis, fundata in falsa præsumptione, an obliget 129. Judicis an necessaria, ut pœnam quis subire teneatur 179.

SEPULTURA.—Licet aliquid accipere et exigere pro terra sepultura nondum benedicta, non vero pro jam benedicta, nisi etc. 356. R. 4°. I. 1°. Quid de praxi hujus regionis ib. II. § *Ex his*, et ad quid apud nos adhibendum pretium pro loco sepulturæ solutum ib. § *Jure nostro.*—Pro actu sepulturæ sponte oblata accipere, et, si consuetudo adsit, etiam aliquid exigere licit ib. I. 2°; sed pro pauperum sepulturæ sive loco, sive actu nihil exigere licet ib. 3°. Ecclesiastica quare quandoque rite denegetur 1698, et quinam ea sint privandi 1699. q. 1°. Mandantes seu cogentes tradi sepulturæ eccⁱᵃ hæreticos notorios, aut nominatim

excommunicatos aut interdictos ipso facto incurrunt excommunicationem, nemini tamen reservatam 1736 ; interdictum vero ab ingressu ecclesiæ (donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint), qui nominatim excommunicatos ad eam admittunt 1751. An morte plexis deneganda 1699. q. 2° ; mimis et comœdis ib. q. 4° ; non-paschantibus ib. *Nota*. 4°. Quid in dubio utrum sit deneganda ib. q. 3°. An apud nos ritus ecclesiastici adhiberi possint in sepultura fidelium, quorum corpora sepeliuntur in cœmeterio non Catholico ib. q. 5°. Regulæ aliquæ pastorales circa sepulturam eccl. ib. *Nota*. 1°. 2. 3°.

SERMONES IMPUDICI.—Mortales ratione delectationis venereæ aut proximi periculi consensus in eam ex parte loquentis 491. 492. 2°. 3°, aut gravis scandali in audiente 491. 492. 1°. 3°, nisi etc. 492. 4°.

SERVITUS ("*Slavery*").—Proprie dicta juri naturæ repugnat 595. R. 1°. Improprie dicta non ib. R. 2°, et ex quatuor titulis fit legitima 596. 1°.

SERVITUS, *ut species dominii*.—Quid 680. Quotoplex 681. "*Right of—support,—drip, light and air,—way,—drain*" ib. Jura et obligationes cum eâ connexa 682. Quomodo constituatur 683, extinguatur 684. Ei affinia—"*Party-walls*" 685 ;—"*Division-fences*" 686 ;—"*Running waters*" 687.

"SHERIFF."—V. "CONSTABLE."

SIGILLUM CONFESSIONIS.—Quid, ante 1489. Datur strictissima obligatio illud servandi 1489. I. Urget semper, etiam post mortem pœnitentis ib. II. Oritur ex *omni* et *solâ* Confessione Sacramentali ib. III. Cessat, si detur licentia utendi scientiâ ex Confessione, et qualis esse debeat hæc licentia ib. IV. Confessio laico vel jurisdictione carenti *scienter* facta inducit tantum obligationem secreti naturalis 1490. 1°. Nulla est obligatio sigilli, si quis non se accusat in ordine ad Sacramentum ib. 2°. 3°. Non datur parvitas materiæ in violatione sigilli, si agitur de revelatione *directa* 1491. q. 1°. Ad sigillum tenetur *primario* quilibet confessarius sive verus sive fictus 1492. I ; *secundario*, qui notitiam Confessionis quomodocunque acquisierit sive ex ipsa Confessione, sive ex mediis ad eam ordinatis ib. II. Pœnitens respectu confessarii tenetur ad secretum *naturale* 1493. q. 1°. Confessarius ex causa sufficienti et caute cum pœnitente potest loqui : 1° in Confessione de omnibus præteritis ; 2° etiam post absolutionem antequam discesserit, vel si postea redierit ; 3° extra Sacrum Tribunal absque licentia nullum verbum proferro licet de auditis ib. q. 2°. Qui legit chartam, in qua scripta est Confessio, obligatur *per se* ad secretum naturale, attamen *sub gravi* ib. q. 3°. Si doctor consulitur circa Confessionem alteri *faciendam*, tenetur tantum ad secretum naturale ib. q. 4°.

Objectum sigilli sunt *omnia* peccata confessa eorumque explicationes 1494. I, et omne manifestatum, cujus revelatio cederet in gravamen pœnitentis vel in odium Sacramenti ib. II. Secus de iis, quæ aliunde scit confessarius ib. III. Sub sigillo etiam cadunt : 1° peccatorum circumstantiæ ; 2° peccata complicis ; 3° pœnitentiæ impositæ ; 4° defectus manifestati ad explicandam peccati rationem 1495. Virtutes *per se* non cadunt sub sigillo, sed etc. ; secus vero de scrupulis, si aliquo modo pertineant ad materiam Confessionis 1496. q. 1°. Idem ac de scrupulis tene de defectibus naturalibus pœnitentis ib. q. 2°. Peccata commissa in ipsa Confessione non cadunt sub sigillo *per se;* quamvis plerumque *per accidens* ib. q. 3°. Qui dicit se talem audivisse in Confessione, non violat sigillum, nisi etc. ib. q. 4°. Idem tene *per se* de eo qui dicit se talem absolvisse ib. q. 5°. Confessarius tradens pœnitenti non absoluto schedulam in testimonium Confessionis, declarare non potest eum fuisse absolutum ib. q. 6°. Confessarius denegans pœnitenti indisposito, et petenti *extra* Confessionem, schedulam Confessionis, violat sigillum ; etiam violat, si agitur de petitione *intra* Confessionem, in iis circumstantiis in quibus dari solet schedula ; secus verò extra has circumstantias ib. q. 8°. Confessarius potest monere complicem, de licentia pœnitentis, vel alium ad complicem corrigendum ; ast ordinarie non expedit petere ejusmodi licentiam ib. q. 10°.

Sigillum violari potest : 1° *directe*, revelando aliquid ad secreta Confessionis spectans ; 2° *indirecte*, dicendo aliquid, ex quo objectum sigilli suspicari possit 1497.—I^a. Reg : *indirecte* violatur sigillum, si pœnitentes vel alii de dictis a confessario ex solâ notitiâ in Confessione habita merito offendi possint ib.—II^a. Reg : In dubio standum est pro parte sigillo favente ib.—III^a. Reg : Nulla est violatio si quis narret peccatum auditum, quin revelet pœnitentem ib. Sigillum indirecte violat : 1° qui unum præ aliis laudans, dicit eum sola venialia commisisse ; 2° qui loquitur de peccato ex solâ Confessione cognito cum aliis, qui id aliunde norunt ; 3° qui dicit, se non absolvisse talem ; eum remisisse ad tale tempus ; nondum expletam esse ejus Confessionem ; 4° qui altâ voce arguit pœnitentem ; 5° qui cum alio confessario loquitur de peccatis alicujus pœnitentis ; 6° qui post Confessionem *paucorum* dicit, se tale audivisse peccatum ; 7° qui narrans alicujus personæ peccata addit circumstantiam cognitam ex solâ Confessione ; 8° qui diceret, se in tali monasterio audivisse peccatum grave ; a fortiori, si diceret in tali conventu talia peccata committi ; 9° qui post Confessionem ostendit se recordari de peccatis auditis a tali ; 10° qui alicujus Confessionem declinaret, eo quod minus bene dispositus accedere soleat 1498. De Communione deneganda, etc. vide 1299. q. 10°. Qui dicit in civitate vel pago gravia crimina committi, frangit sigillum, si agitur de loco augusto 1499. q. 2°. Prædicatores, secluso revelationis periculo et pœnitentium gravamine, uti possunt notitia Confessionis ad loquendum de iis, de quibus alioquin non cogitassent ib. q. 3°. Sacerdos, qui ex Confessione novit sibi parari insidias, fugere potest, si ex tali cautione minime manifestetur peccatum vel pœnitens ib. q. 4°. Superiores ad gubernatio-

nem externam minime uti possunt notitia Confessionis, etsi nullo modo appareat quod ex eâ notitia agant ib. q. 5°. Confessarius uti potest notitia Confessionis : 1° ad orandum pro pœnitente ; 2° ad consulendos libros vel sapientes ; prudenter tamen ; 3° ad se dirigendum v.g. ad rigorem augendum vel temperandum ; ad alios prudenter interrogandos vel instruendos ; 4° ad reformandos proprios mores, corrigendos defectus, ad melius fungendum suo officio ib. q. 6°. In sermonibus, et in tota sua agendi ratione, *prudens* et *discretus* sit confessarius ; frequenter oret ib. *Conclusio.*

SIGNA.—Hæretici materialis 268. q. 1°. R. *ad prim.*, formalis ib. R. *ad sec.* Ordinaria contritionis 1428. q. 3°. Extraordinaria 1474–1478.

SIMONIA.—Quid 350. Quotuplex 351. Quid præcise ad eam requiratur 352. I. Hinc etc. ib. II. et 353. 354. 355. 357. Est peccatum gravissimum, et, si simonia sit juris divini, materiæ parvitatem non admittit 352. III. An restituenda res spiritualis simoniace acquisita 358. q. 1°, et an et cui temporalis accepta pro spirituali ib. q. 2°. q. 3°.—V. JURA STOLÆ. SEPULTURA.

SIMULATIO.—An et qualis sit mendacium 511. 4°. Falsæ Fidei seu Religionis (V. FIDES). Sacramenti V. SACRAMENTA *in genere.*

"SLAVE."—V. MANCIPIA.

"SLAVE-HOLDER."—V. HERUS.

"SLAVERY."—V. SERVITUS.

"SLAVE-TRADE."—V. NIGRITARUM COMMERCIUM.

SOCIETATIS CONTRACTUS.—Quid et conditiones 1013. Invito socio ante tempus e societate recedens ib. *Quær.* Sociorum peccata 1014.

SOCIUS.—In recitando Officio 1123 sq. An adhibendus, si solus non valeas recitare 1131. q. 5°. In contractu societatis.—V. SOCIETATIS CONTRACTUS.

SODOMIA.—Quid et quotuplex 505. 506. 1°. 2°. 3°. Declarandum circa eam in Confessione an fuerit perfecta 506. 1°. 2°, et quis fuerit agens ; non vero circumstantia pollutionis, nisi abfuerit ; nec interrogandum an pollutio fuerit intra vas, nisi de casu reservato agatur ib. 4°.

SOLIDARIA OBLIGATIO *ad restitutionem.*—V.

SOLLICITATIO *in Confessione.*—Quid 1407. Quid *turpia*, ad quæ sollicitatur 1408, et quid si confessarius sollicitanti consentiat tantum ib. § *Confessarius.* Quo actu perficiatur 1409. Qualis nexus sollicitationem inter et Sacr. Pœn. intervenire debeat, ut adsit obligatio denunciationis 1410. Obligatio denunciandi 1411, ejus finis ib, et praxis 1412. Censura in non denunciantes 1739.

SOMNIA.—An fidem mereantur 341: q. 2°.

SORTES.—340.

SORTILEGIUM.—337. 10°. 340. q. 1°.

SORTIS PERICULUM.—V. PERICULUM SORTIS.

SORTITIO.—Quid, ante 1043 ; an licita 1043. q. 1° ; conditiones 1043. q. 2° ; et quid jure nostro ib. *in fine.*

SPECIES PECCATORUM.—V. PECCATUM.

SPECIFICATIO, *ut species accessionis.*—673. II. a).

SPECTACULA.—V. COMŒDIÆ.

SPES.—Quid ; quod ejus objectum materiale et formale ; qui ejus actus ; quæ peccata ei opposita 269. Ejus necessitas 270. I. II. Quando obligat ib. II.—V. etiam DESIDERIUM. DESPERATIO. PRÆSUMPTIO.

SPIRITISMUS.—342. q. 5°.

SPONSALIA.—Quid 1525. Sunt 1° solemnia vel privata ; 2° absoluta vel conditionata 1526. Ad eorum validitatem requiritur promissio 1) deliberata ; 2) mutua ; 3) signo sensibili expressa ; 4) futuri Matrimonii ; inter personas habiles 1525. 1527. I. Idem valent solemnia ac privata 1527. II. Inita sub conditione de præsenti valent, verificata conditione ; de futuro, conditione impleta ib. III. In foro interno dubium de sensu verborum solvitur ex intentione partium ; in externo ex communi acceptatione verborum. Manente dubio, stat libertas ib. IV. Inita ex metu gravi probabilius non valent ; ex levi sunt rescindibilia 1528. q. 1° q. 2°. 853. III. Ficta an valeant 1528. q. 4°. Impuberum vel non septennium *ver se* valent ib. q. 5°. Per internuntium, litteras, procuratorem valent, servatis servandis ib. q. 6°. Obligant ex justitia et sub gravi, tempore determinato ; vel, eo non determinato, quamprimum una pars rationabiliter exigit 1529. I. Constituunt impedimentum 1) impediens ; 2) quandoque dirimens publicæ honestatis ib. II. III.—V. etiam HONESTAS PUBLICA. Ex dissolutis non datur actio in foro civili nisi ad reparanda damna ib. *Nota.* Si quis cum duabus sponsalia contraxerit et cum secunda peccaverit, prior cedere non debet juri suo, licet plerumque id ei suadendum sit 1530. q. 1°. q. 2°. Arrhæ sunt licitæ ib. q. 3°. Pœna iis apposita non est solvenda a juste resiliente, et soluta non potest retineri ; nec probabiliter injuste resiliens solvere debet, licet solutum retineri possit ib. q. 4°. Quid de muneribus ib. q. 5°. Causæ sponsalia solventes præcipuæ : 1) Mutuus consensus : 2) Impedimentum superveniens dirimens jure divino : 3) Electio status perfectioris : 4) Crimen grave alterius : 5) Mutatio notabilis status : 6) Nimia dilatio Matrimonii : 7) Discessus sponsi in terram longinquam, vel etiam in propinquam, animo non redeundi 1531. Pinguis hæreditas uni superveniens non dissolvit 1532. q. 1°. Votum castitatis vel suscipiendi Sacros Ordines : 1) antecedens certo ; 2) subsequens probabiliter solvit ib. q. 2°. Dissensus parentum justus dissolvit ; injustus non ib. q. 3°. Defectus perniciosi vel injuriosi aperiri debent ; alii non ib. q. 4°. Matrimonium subsequens cum alia ea tantum suspendit ib. q. 5°. Sponsalia valida, secutâ copulâ, affectu maritali habitâ, transeunt in Matrimonium præsumptum 1546. 3°. Probabilius valent sponsalia, contracta dum mulier est sub potestata raptoris 1621. q. 2°.

SPONSIO.—Quid, et conditiones 1042. In electionibus politicis multorum peccatorum occasio ib. § *fin.*

SPONTANEUM.—Quid et quomodo differat a voluntario et libero 4.

"SQUATTERS."—674. *Nota.*

STATUS RELIGIOSUS.—Quid 1148.—An et quomodo a Christo 1149. I. Ad ejus essentiam non requiruntur vota solemnia ib. II; nec semper sufficiunt simplicia ib. III. IV. Vocatio ad eum (V. VOCATIO).—V. etiam FILII. PARENTES.

STATUS, *ut conditio fortunæ*.—Bona statui superflua quæ 284. III. Ex iis succurrendum proximo in necessitate quacumque constituto 285. I^a. II^a. (V. ELEEMOSYNA). Juste vel injuste acquisitus an et quomodo excuset a restitutione 798.

STATUS, *ut conditio vitæ christianæ*.—Triplex 1147.

STIPENDIUM.—Famulorum quantum justum 1021. q. 2°. An famulo infirmo aut ante tempus fixum discedenti debeatur 447. 4°. 449. 2°. An legibus nostris debeatur aliquod sine contractu 449. 1°. Pro functionibus sacris an licitum 352. II. Principaliter ob illud functiones sacras obire an simonia 353. q. 3°. Supra taxam exigere an simonia 355. q. 7. Missæ (V. CENSURÆ LATÆ etc. EUCHARISTIA, *ut Sacrificium*).

STUPRUM.—Quid 497. Illud committens tenetur reparare omnia damna puellæ vel ejus parentibus obvenientia 809. III. An violatam sub promissione Matrimonii ducere teneatur 810; et quid, si hæc acatholica sit 811. Ad quid teneatur erga prolem spuriam ib. q. 4°; et ad quid erga parentes puellæ, si hæc libere in peccatum consensit ib. q. 3°.

SUADERE. — Minus malum an aliquando liceat 305. q. 1°.

SUBDELEGATO. — V. DISPENSATIO. JURISDICTIO.

SUBDIACONATUS.—V. IRREGULARITAS. ORDO.

SUBDITI.—Legi qui.—V. LEX. PEREGRINI. PUERI. VAGI. An teneantur obedire in dubio de legis vel præcepti justitia vel honestate, vel de Superioris potestate 65. 3°. 1173. 1664. q. 1°. An superior teneatur de damnis per eos causatis 775. q. 3°. q. 4°.

SUBSANNATIO.—533.

SUBSIDIARII CONTRACTUS.—Qui, ante 1032.

SUFFOCATIO *infantis*.—428. a). 3°.

SUFFRAGATORES.—Restituere tenentur, quoties suffragando efficaciter influunt in damnum alterius 767. I; aut ex officio ad id obligati a suffragio abstinent cum damno alterius 769. q. 3°. Non tenentur, quoties non efficaciter influunt in damnum alterius; aut, seclusâ fraude aut pacto speciali, alium a consecutione boni, ad quod nullum jus haberet, impediunt 767. I; aut suffragium tempestive et authentice revocant; aut bona fide suffragantur, quo tamen casu etc. ib. II. Quid si non desint alia suffragia sufficientia 768; et quid in dubio utrum suffragium fuerit ex prioribus et necessariis 769. q. 2°.

SUICIDIUM.—Illicitum 461. I. II. Indirectum quando licitum ib. III. 463. 5°. 6°.

SUPERBIA.—Notio, malitia, filiæ, remedia 236.

SUPERFLUA.—Vitæ et Statui quæ 284. III.—V. ELEEMOSYNA. RESTITUTIO. STATUS, *ut conditio fortunæ*. Contra votum paupertatis 1163. R. ad 1^um.

SUPERIOR.—Ejus obligationes quoad peccata subditorum 288. 4^tum. Subditorum litteras aperiens et legens 543. 4°. 5°. An teneatur de damnis a subdito illatis et 775. Subditos a statu religioso avertens 1153. q. 3°. Religiosus quid possit præcipere, et quid non 1171. II. III. Exemptorum habet jurisdictionem quasi Episcopalem 1194. II. Hinc debet visitare subditos; potest infligere censuras personales; dispensare cum subditis in . . . . 1195; approbare suorum confessarios ib. G).—V. etiam SUBDITI.

SUPERIORISSA MONIALIUM.—Qualem habeat potestatem 1189. 4°. 5°. 6°. (V. etiam ABBATISSA. IRRITATIO). Hæc et confessarius 1398. *Dico* I § *fin.* Generalis et Episcopus 1189. 4°. Ejus electio ib. 2°.—V. MONIALES.

SUPERSTITIO.—Ante 334.

SURDASTRI.—Quoad integritatem Confessionis 1369. q. 6°. § *Hinc:* . . . 2°. Quoad absolutionem conditionatam 1344. q. 8°. 7°.

SURDO-MUTI.—Parochi circa eos cura 1141. § *ult.* Eorum Confessio 1369. q. 6°. Quoad absolutionem conditionatam 1344. q. 8°. 7°.

SURDUS.—Quoad integritatem Confessionis 1369. q. 6°. § *Hinc:* . . . 2°. Quoad absolutionem conditionatam 1344. q. 8°. 7°.

SUSPENSIO.—Quid 1686 (Ex informata conscientia ib. 1°. Ad cautelam ib. 2°. Quotuplex 1687. *A divinis* quid ib. § *Per suspensionem*. Ejus violatio quando gravis 1688. I^a. *Totalis* quando et quid operetur ib. II^a. *Ab Ordine* quibus privet ib. III^a. *Ab Officio* quid efficiat ib. IV. Resolutiones 1689. An partialis ferri possit pro culpa veniali 1662. 2°. An et qualis communicatio prohibeatur cum suspenso *vitando* 1690. q. 6°. Quomodo tollatur ib. q. 3°; quæ forma adhibenda ad eam tollendam ib. q. 4°; et an sacerdos suspensus absolvi possit a peccatis per simplicem confessarium, antequam a suspensione reservata absolvatur per Superiorem ib. q. 1°. An sacerdos simpliciter approbatus absolvere possit suspensum a censura in articulo mortis, si Superior aut delegatus desit ib. q. 5°.

SUSPICIO TEMERARIA.—Quid 536. 2°. Quantum peccatum 537. III. 538. 5°. 6°.

SUTORES.—Eorum peccata 1081. 6°.

SYMBOLUM APOSTOLORUM.—An sciendum 260.

SYNODUS DIŒCESANA.—An adeunda a Regularibus 1195. E), et an hi ejusdem statutis subjiciantur 1202. N).

SYSTEMATA MORALIA.—Quot et quæ 62. Systema S. Alphonsi (V. ÆQUIPROBABILISMUS).

T

TABERNACULUM.—Quale esse debeat 1300. II. Quænam ab eo removenda ib, et 327. 6).

TACTUS IMPUDICI.—Quales—*vix umquam* a mortali excusabiles 486. I ;—*ordinarie* mortales 488. 5°. 6°. ;—*semper* 486. II. 1° ;—*per se* veniales ib. 2°. 488. 4° § *Si vero*. 7°. *Per se* veniales, *per accidens* non raro mortales 488. § *fin.* Contrahunt malitiam circumstantiarum personæ 486. III. 347. 1°. 2). 348. q. 1°. 496. 1°. 2°. 3° ; loci sacri 496. 5°. 348. q. 2°. R. 2°. Quales *per se* nullum peccatum 486. II. 3°. 488. 4°. Cum bestiis 508.

TANGERE.—Vasa sacra etc.—V. SACRILEGIUM. TACTUS.

TEMPLA ACATHOLICORUM.—In iis quid liceat necne Catholicis 254. 1°. 2°. 4°. 6°. 7°. 313. 1). Iis ædificandis an liceat cooperari 313. 2). 314. 1°.

TEMPUS.—Quantum post promulgationem legis requiratur, ut hæc obliget 120. 121. Tempore legis elapso, an hujus obligatio cesset 136. Requisitum ad consuetudinem inducendam 185 *in fine ;* abrogandam 187. 3°. Implendi voti 386. q. 4°. Eliciendi actus virtutum theologicarum 250. q. 1°. 270. 277. q. 1°. Confessionis annuæ, ex consuetudine, a Paschate ad Pascha 1356. II. Communionis Paschalis jure communi a Dom. Palm. usque ad Dom. in albis ; apud nos universim a I^a^ Dom. Quadr. usque ad. Dom. Trinit. 549. I. Confessionis annuæ, et Communionis Paschalis appositum ad sollicitandam, non ad finiendam obligationem 548. q. 3°. 550. q. 1°. Tempora Jejuniorum 554 ; abstinentiæ tantum 551. II. Requisitum ad præscriptionem immobilium in diversis Statibus nostris 666. Ultimus possessor ad præscriptionem computare potest omne illud, quo res ab aliis bona fide fuit detenta 665. 3°. Breve an liberet a debitis 668. V. PRÆSCRIPTIO. Ordinationis 1523. q. 3°.

TEMPUS CLAUSUM seu FERIATUM.—Quid ; quale ; et quando prohibeat ipsum Matrimonii contractum 1567.

TENTATIO DEI.—Quid, quotuplex et an semper mortalis 345. V. CONCIONATOR. INFIRMUS.

TESTAMENTUM.—Quid 909, et quotuplex 914 *initio*. Qua ratione interpretandum 910. Quis possit testari et quis non 911. Quis possit esse hæres aut legatarius 912. De quibus bonis quisque disponere possit 913. De variis formiis testamentorum practicæ notæ 914. An valeat informe ad pias causas 915 ; ad profanas 917. An hæres ab intestato, qui testatori promisit se certo soluturum esse legata, etiamsi testamentum esset informe, promissione ista teneatur 918. Qua ratione revocetur 919 ; exequendum 920.

TESTIS.—An teneatur se sponte offerre 1074. I. Citatus ad quid teneatur in genere ib. II. Falsus qualiter peccet et ad quid obligetur ib. III. Falsus ex ignorantia invincibili 1075. q. 1°. Scripturam supponens aut adulterans ad supplendos actus perditos, vel ad jus certum prosequendum ib. q. 2°. Casus, in quibus a testimonio ferendo excusetur 1076. q. 3. Quid, si ipse solus crimen noverit ib. q. 4°. Se abscondens, ne citetur, aut post citationem fugiens 1077. q. 5°. Verum celans, quin falsum dicat ib. q. 6°. Duplex de valore requiritur in Matrimonio, ubi viget Decr. Trid., et quales sufficiant 1603.

THEATRA.—V. COMŒDIÆ.

THEOLOGI MAGNI.—57. 1°.

THESAURUS.—Quid 650. Cujus jure naturæ ; universim nostro et Luisianæ ib. § *fin.* Casus 651.

TITULUS.—Juris quid 585. Ad præscriptionem requisitus et sufficiens quid 664 ; quotuplex ib. Pro solo foro externo valet illud : *Pro mobilibus possessio titulo æquivalet* ib. § *fin.*

TITULUS ORDINATIONIS.—V. ORDO.

TONSORES.—An opificium suum Dominicis exercere valeant 415. q. 7°. Non excusantur a jejunio 573. 5°.

TRANSACTIO.—Quid, et an licita 1051.

TRANSCRIBERE.—An opus servile 413. q. 1°. R. ad 2^um^.

TRANSLATIO PASTORIS.—V. PAROCHUS.

TRIBUTA.—Quid, quotuplicia, conditiones ut sint justa 816. 817. An et quomodo in conscientia obligent 818, et an dubie justa 820. 4°. Quinam non sint urgendi ad restituenda fraudata 820. Quinam teneantur ea restituere 821. Quando exactores et præpositi peccent, et ad restitutionem obligentur 822, et an primo loco 823. q. 3°. Cui restituenda fraudata, si restituenda sint ib. q. 4°. Juramentum circa tributa 374. 9°.

TRIDENTINUM CONCILIUM.—Quid de consuetudine eidem contraria 188.

TRINUS CONTRACTUS.—Quid 1015, et an licitus 1016.

TRISTITIA.—De peccato non commisso.—Applica dicta sub V. GAUDIUM, ad quod refertur.

TUTIORISMUS MITIGATUS.—Quid 62. II. Refellitur 84. 74. 75. 88–91.

TUTOR.—Est loco parentum 434. q. 3°. Acatholicorum curam non facile suscipiat ib. § *Animadverte*. Quoad bona minorum 838

TYPOGRAPHI.—An excusentur a jejunio 573. 3°. An labor eorum servilis 412. 1°. Eorum ad pravos libros cooperatio 315. 316. Scandalizantes 295. 2°–5°. Eorum peccata 1081. 8°.—V. etiam CENSURÆ LATÆ etc.

TYRANNUS.—An licite occidatur 466. q. 2°. Usurpationis quomodo peccet ib. § *Peccat sane*, et quæ incolarum erga eum agendi ratio ib. § *Licet nihilominus*. 1717.

U

USUARIUS.—Ejus jura et obligationes 675. §§ *Dicitur :* 2°. *Dicitur :* 3°.—V. USUS.
USUFRUCTUARIUS.—Ejus jura et onera 678. —V. USUSFRUCTUS.
USURA.—Quid, ante 932. Quando licita vel illicita 932. An obliget ad restitutionem ib. IV. An in dubio utrum mutuatarius dederit aliquid supra sortem gratis vel non, possit id retineri 933. q. 1°. An, si mutuatarius dedit ex timore ne alias mutuum sibi denegetur ib. q. 2°. An sit usura, si mutuo des ea lege, ut mutuatarius necessaria sibi in tua officina emat 934. q. 3. An possit in pactum deduci donatio antidoralis ib. q. 4°. Tituli excusantes ab usura, ante 935. Singulos vide loco suo. Quid si mutuo dans nullum habeat titulum 941. q. 1°. De Auctuario V. AUCTUARIUM.
USURARIUS.—An liceat ab eo petere mutuum 819. b).—V. AUCTUARIUM. USURA.
USUS, *ut species dominii.*—Quid 675. Quotuplex ib. § *Dicitur :* 1°. Quomodo cesset 679. Qualis voto paupertatis prohibitus 1162.
USUSFRUCTUS. — Quid 676. Quotuplex 677. Quomodo cesset 679.
UXOR.—Ejus obligationes 443. Peccata in virum 444. 2°. 5°. Ejus obligationes et jura erga maritum lege civili 445. Vota mariti indirecte irritare valet 389. Quoad eleemosynas 286. q. 3°. 608. Quoad sublevandam necessitatem parentum vel filiorum ex priori Matrimonio susceptorum 609. 610. Quotuplicia ejus bona 605. Dotalia quæ jure communi ib. Quæ in Luisiana ib. Parapharnalia quæ ubique apud nos 606. Communia quæ apud nos 607. Quæ in Luisiana ib. An maritus teneatur de damnis ab ea causatis 775. q. 4°. Ejus furtum quando grave 696. q. 2°. R. 1°. An alimenta a viro fure licite accipiat 707. q. 3°. Quis restituendi modus illi sæpe recte suggeratur 795. q. 7°. Ejus contractus 840. Contrahens sine consensu mariti ad quid teneatur 841. Ejus donationes (V. DONATIO). An possit emere et vendere (V. EMPTIO-VENDITIO).—V. etiam DEBITUM CONJUGALE.

V

VAGUS.—Est ille, qui caret domicilio 1614. q. 2°. Duo vagi Matr. valide contrahunt coram Parocho illius parochiæ, in qua actu degunt ; item si una pars tantum est vaga ib. Si ambæ sint Catholici, invalide contrahunt clandestine in loco, ubi viget Trid. ; secus, si una pars sit hæretica 1612. —V. DISPENSATIO. LEX.
VANA OBSERVANTIA.—335.
VANA USURPATIO nominum Dei, Sanctorum, Verborum Scripturæ Sacræ.—V. NOMEN. SCRIPTURA SACRA.
VASA SACRA.—Tangere (V. SACRILEGIUM). Quomodo execrentur 1329. q. 5°. R. 2°.
VATICINIUM.—337.
VECTIGALIA.—V. TRIBUTA.
VENATIO.—An opus servile 414. q. 4°. Ubi licita 643. 644. Quæ Clericis prohibita 1132. 2°.
VENDERE.—An prohibitum Dominicis et Festis 411. III. 412. 3°. 4°. 417. 10°. Juramentum de non vendendo minoris 374. 7°.—V. etiam COOPERATIO. EMPTIO-VENDITIO.
VENDITIO.—V. EMPTIO-VENDITIO.
VENDITIO SUB HASTA.—Quid 999. An licita et qua sub conditione 1000. Est justus titulus vendendi supra summum 967. 5°, et emendi infra infimum pretium 969. Peccata in ea committi solita 1001-1003.
VENDITOR.—V. EMPTIO-VENDITIO.
VENIALE PECCATUM.—Quid, et quænam sint venialia ex genere suo 200. Quænam requirantur et sufficiant ad veniale 201. Quomodo ex genere suo venialia fiant mortalia, et vice versa 204. Quid de eo, qui proponit committere omnia venialia, et sola vitare mortalia 205. An venialia multiplicata efficere possint peccatum mortale 206.—V. etiam GRAVITAS PECCATI. MATERIA. PECCATUM.
VERITAS.—In juramento (V. JURAMENTUM).
VESPERÆ.—An iis assistendum Dominicis et Festis 397.—V. etiam HORÆ CANONICÆ. INDULGENTIA. JUBILÆUM.
VESTES.—Infidelium et sectariorum induere 253.—V. etiam COOPERATIO. "MILLINERS." MULIER. ORNATUS. PARAMENTA. TACTUS IMPUDICI.
VETITUM ECCLESIÆ. — Ut impedimentum Matrim. impediens quid 1566. Generale in triplici præsertim casu habetur : 1) mixtæ Religionis ; 2) ne fiat sine proclamatione bannorum ; nec 3) sine parentum consensu ib. 2°. Particulare quid, a quo, et quo in casu dari possit ib. 1°.
VEXATIO INJUSTA.—Se ab eâ pecunia redimere ob bonum spirituale an simonia 354. q. 4°.
VIA CRUCIS.—Erectionis validæ requisita 1787. Quomodo obeunda 1788. Crucifixus, cui annexæ sunt Indulgentiæ Viæ Crucis 1788. *Nota.*
VIA FERREA.—V. HOMICIDIUM.
VIATOR.—Quando ab abstinentia eximatur 553. q. 4°. q. 5°, et quando a jejunio 577. q. 7°. 578.
VICARIUS GENERALIS.—Quid 1145. Non valet vices agere Episcopi in potestate Ordinis ib. § *Dicitur :* 1°. Constitui nequit sine ulla aut nimium restricta potestate ib. § *Dicitur :* 2°. Ab eo non datur appellatio ad Episcopum, sed ad Metropolitam ib. § *Dicitur :* 3°. 1). Potestatis ejus limites 1146. I, expiratio II. Facultates papales ipsi delegabiles p. LXXIV. n. 8. p. LXXV. n. 4 § *fin.*—V. BANNA. CLANDESTINITAS.
VINUM.—V. EUCHARISTIA, *ut Sacramentum.*
VIOLATIO.—V. SACRILEGIUM. SECRETUM. STUPRUM.
VIR.—V. MARITUS.

VIRGA DIVINATORIA.—341. q. 3°.
VIRGO.—V. PERICULUM.
VIRTUS.—Quid, quotuplex 247. Religionis et ejus actus 323.
VIS.—Impedimentum voluntarii quando 18. 19. Mulieri eam patienti quando imputetur peccatum 20. 1°. 2°. 1454. Ut impedimentum validi contractus vel Matrimonii (V. METUS).
VISITATIO.—Diœcesis 1136. Regularium 1194. I. 1195. A). Monialium 1189. 1°.
"VISITS."—V. CONVERSATIONES.
VITA.—Propriæ conservatio 463—V. etiam DOMINIUM. HOMICIDIUM. SUICIDIUM.
VOCATIO.—Ad statum Clericalem et Religiosum necessaria 1150. 1524. I. An peccet vocatus ad Religionem vocationi non obsequens 1151, et non vocatus statum Clericalem aut Religiosum suscipiens 1152. 1524. II. Signa vocationis religiosæ 1154; ad statum Clericalem 1524. II.
VOLITUM.—Quid, et quomodo differat a voluntario 4.
VOLUNTARIUM.—Quid 4; quotuplex 5. Indirectum quid 6; et quando effectus malus ex eo sequens imputabilis 7. 8. An voluntarium debeat esse liberum, et quotuplex sit libertas 4. 9. Voluntarii impedimenta *ignorantia* 10. 11; *concupiscentia* 12–14; *metus* 16. 17; *vis* 18–20.
VOTUM.—Quid et quotuplex 378. Quomodo solemne differat a simplici ib. 1185. Conditiones ad votum validum 379. Cum errore, cum ignorantia obligationis, vel ex metu factum 380. q. 1°. q. 2°. 381. Dubium an quis votum vel propositum emiserit 381. q. 4°. Quid voveri possit 382. Votum cum fine aut conditione prava 383. q. 2°. Interpretatio voti 384. Quomodo obliget ib; specialiter disjunctivum 387. Non valens integro voto satisfacere 382. Cessatio voti 388;—per professionem religiosam 393;—per irritationem (V. IRRITATIO);—per dispensationem (V. DISPENSATIO);—per commutationem (V. COMMUNITATIO). Vota papæ reservata (V. RESERVATA VOTA). Audiendi Missam per mensem 387; non peccandi 383. q. 3°. Intrandæ Religionis reservatum, dispensabile ab Episcopis nostris p. LXX. n. 4; ad quid obliget 1155. q. 6°; et quid, si ex voto ingressus egrediatur ib. q. 1°.

Ut impedimentum impediens Matrimonii est quadruplex: 1) castitatis; 2) non nubendi; 3) ingrediendi Religionem; 4) SS. Ordines suscipiendi. a) Ligatus voto castitatis semper graviter peccat Matrimonium iniens; et contracto Matrimonio intra primum bimestre nec petere potest, nec reddere debitum; nisi dispensatione, aut, post primum bimestre, irritatione votum cessaverit; eo autem elapso reddere debet, sed non potest petere. Si alter consentit vel amittit jus petendi, a copula debet abstinere. Mortua comparte ad novas nuptias non potest convolare, nisi dispensetur 1568. b) Ligatus voto non nubendi, semper graviter peccat Matrimonium iniens; eo autem inito, debitum reddere potest et petere; quid mortuo conjuge possit, et quid in praxi servandum 1569. c) Ligatus voto ingrediendi Religionem graviter peccat Matrimonium ineundo; et intra primum bimestre sine gravi peccato non potest reddere, nec petere; consummato autem Matrimonio potest petere et reddere. Intra primum bimestre voto adhuc tenetur; imo *per se* etiam consummato Matrimonio, si id potest illæso compartis jure. In praxi expedit dispensationem obtinere 1570. d) Qui vovit suscipere Ordines peccat graviter Matrimonium iniens; et voto adhuc tenetur, si possit obtinere consensum compartis; secus non 1571.

Votum dirimens Matr. est 1) votum solenne castitatis in Religione approbata emissum 1578. I. II, et dirimit non solum contrahendum, sed etiam ratum non consummatum ib. III; 2) votum SS. Ordinibus annexum ib. II; quod tamen non dirimit contractum ib. III. Utrumque dirimit jure ecclesiastico tantum 1579.—V. etiam CENSURÆ LATÆ etc.
VOTUM CASTITATIS.—V. CASTITAS.
VULNERATIO.—Quid ob eam restituendum.—V. et applica dicta sub V. HOMICIDIUM.

INDEX.

	Pagina
Monitum necessario legendum . . .	vii
Summorum Pontificum ac Sacrarum Congregationum Decreta, Declarationes ac Instructiones, ad Rem Moralem pertinentes	ix
I. Series Chronologica propositionum damnatarum in Materia Morum	ix
A. Articuli Joannis Wicleffi, damnati in Concilio Constantiensi .	ix
B. Articuli Joannis Hus, damnati in Concilio Constantiensi . .	ix
C. Propositiones Magistri Petri Oxomensis, damnatæ a Sixto IV. .	x
D. Errores Martini Lutheri, damnati a Leone X.	x
E. Propositiones Michaelis Baii, damnatæ a Pio V. . . .	x
F. Propositiones 5 Cornelii Jansenii, damnatæ ab Innocentio X. .	xii
G. Propositiones 45, damnatæ ab Alexandro VII. . . .	xii
H. Propositiones 65, damnatæ ab Innocentio XI.	xv
Alia propositio, damnata sub eodem Innoc. XI. an. 1682.	xvii
Propositio proscripta sub Clemente VIII. . . .	xviii
I. Propositiones 68 Michaelis de Molinos, damnatæ ab Innocentio XI.	xviii
J. Propositiones 2, damnatæ ab Alexandro VIII.	xxii
K. Propositiones 31, damnatæ ab eodem Alexandro VIII. . .	xxii
L. Propositiones 23, damnatæ ab Innocentio XII. . . .	xxiii
M. Propositiones Paschasii Quesnelli, damnatæ a Clemente XI. .	xxv
N. Propositiones 5 de duello, damnatæ a Benedicto XIV. . . .	xxvi
O. Propositiones Synodi Diocesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VI. Constitutione: *Auctorem Fidei* etc., 28 Augusti, 1794 . .	xxvii
P. Syllabus Sanctissimi Domini nostri Pii Papæ IX.	xl
Addenda ex Encyclica Pii IX., *Quanta cura*	xlvii
II. Responsa S. Sedis ad varias quæstiones Morales	xlix
Q. Epistola Encyclica S. Rom. Inquisitionis adversus Magnetismi abusus	xlix
R. Responsa circa Jejunium et abstinentiam a carnibus . . .	l
S. Decreta de Lucro ex pecunia mutuo data percepto	li
T. Instructio S. Congreg. de Propaganda Fide super Binatione .	liv
U. De Confessione Sacramentali exigenda ab Hæreticis sub conditione rebaptizandis, si convertantur .	lix
V. Declarationes circa Confessarios Sollicitantes	lx
X. Instructio edita jussu S. Congregationis de Propaganda Fide de Conjugiis	lxv
III. Facultates, quæ Episcopis nostris concedi solent	lxx
Facultates Form. I	lxx
Facultates Extraordinariæ C . .	lxxii
Facultates Extraordinariæ D .	lxxiii
Facultates Extraordinariæ E . .	lxxiv
S. Alphonsi Doctrina Moralis . . .	lxxvi
A. Præcipua S. Sedis Testimonia atque Judicia de Morali Doctrina S. Alphonsi	lxxvi
B. De Præstantia et Auctoritate Doctrinæ Moralis S. Alphonsi	lxxxiii
C. Clavis Operum Moralium S. Alphonsi, seu quædam Regulæ ad veras ipsius Sententias discernendas	lxxxvii
Prolegomena ad Theologiam Moralem .	xci

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

Cap. I. De notione actuum humanorum .	1
Cap. II. De principiis actuum humanorum	2
Art. I. De voluntario	2
§ I. De voluntario in genere .	2
§ II. De voluntario in specie . . .	4
De voluntario indirecto, seu in causa	4
Art. II. De libero	6
Art. III. De oppositis voluntario et libero .	6

	Pagina
§ I. De ignorantia	6
§ II. De concupiscentia	8
§ III. De metu	8
§ IV. De vi, seu violentia	9
Cap. III. De moralitate actuum humanorum	10
Art. I. De essentia moralitatis	10
Art. II. De fontibus moralitatis	12
§ I. De objecto	12
§ II. De circumstantiis	12
§ III. De fine	13

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

Cap. I. De conscientia vera, falsa et perplexa	16
Cap. II. De conscientia scrupulosa et laxa	17
I. Causæ scrupulorum	18
II. Signa conscientiæ scrupulosæ	18
III. Damna scrupulorum	19
IV. Remedia scrupulorum.	19
V. Regulæ pro scrupulosis	19
VI. Regulæ pro confessario	20
Cap. III. De conscientia certa et dubia	21
Art. I. De conscientia certa	21
Art. II. De conscientia dubia	22
Cap. IV. De conscientia probabili et improbabili, deque Probabilismo Moderato S. Alphonsi Mariæ de Ligorio	23
Art. I. Notio probabilitatis	23
Art. II. Regulæ ad dijudicandam probabilitatem opinionum	25
Art. III. Materia ad quam se non extendit controversia de usu licito opinionis probabilis	26
Art. IV. Varia systemata circa usum opinionis probabilis	27
Art. V. Probabilismus Moderatus S. Alphonsi	28
§ I. Praviæ notiones	28
§ II. Expositio systematis	31
§ III. Probatio systematis	32
I. Probatio systematis per partes	32
Prop. I. Non licet sequi opinionem minus probabilem pro libertate in concursu notabiliter probabilioris pro lege	32
Prop. II. Concurrentibus opinionibus fere æque probabilibus, in dubio de legis existentia, licet sequi opinionem libertati faventem	33
Prop. III. Concurrentibus opinionibus fere æque probabilibus, in dubio de legis certæ cessatione, sequenda est opinio legi favens	36
II. Refelluntur systemata opposita	37
Conclusio circa praxim probabilismi	38
Solvuntur objectiones	38

TRACTATUS DE LEGIBUS.

PARS I. De legibus in genere.

Cap. I. De natura et proprietatibus legis	43
Cap. II. De auctore legis seu de legislatore	44
Cap. III. De objecto et subjecto legis	46
Art. I. De objecto legis	46
Art. II. De subjecto legis	47
Cap. IV. De promulgatione et acceptatione legis	51
Art. I. De promulgatione legis	51
Art. II. De acceptatione legis	51
Cap. V. De obligatione legis	52
Art. I. De vi obligationis	52
Art. II. De modo satisfaciendi obligationi legis	54
Art. III. De causis a lege excusantibus	56
§ I. De natura eorum, quæ deobligant	56
§ II. De appositione voluntaria causarum deobligantium	57
Cap. VI. De interpretatione legis et epikeia	57
§ I. De interpretatione legis	57
§ II. De epikeia	59
Cap. VII. De dispensatione legis	59
Art. I. De potestate dispensandi	60
Art. II. De causis ad dispensandum requisitis	64
Art. III. De cessatione dispensationis	66
Cap. VIII. De cessatione legis	67

PARS II. De speciebus præcipuis legum. Pagina

Cap. I. De lege naturali et divina . . 68
Art. I. De lege naturali 68
Art. II. De lege divina positiva . . 69
Cap. II. De lege ecclesiastica et civili . 69
Art. I. De lege ecclesiastica . . . 69
Art. II. De lege civili 74
Cap. III. De lege pœnali et irritante . 75
Art. I. De lege pœnali 75
Art. II. De lege irritante . . . 76
Cap. IV. De lege non scripta, seu de consuetudine 77
Cap. V. De lege favorabili, seu de privilegio 80

TRACTATUS DE PECCATIS.

PARS I. De peccatis in genere.

Cap. I. De natura peccati 83
Cap. II. De gravitate peccati, præsertim de peccato mortali et veniali . . 84
Cap. III. De distinctione peccatorum . . 86
Art. I. De distinctione specifica . . 86
Art. II. De peccatorum distinctione numerica 90
§ I. Undenam petenda sit numerica distinctio peccatorum ejusdem speciei 90
§ II. Quinam actus non coalescant in unum actum 90
§ III. Quæ objecta ejusdem speciei non coalescant in unum objectum 94

PARS II. De peccatis in specie.

Cap. I. De peccatis internis 96
Cap. II. De peccatis capitalibus . . . 99
I. De superbia 99
II. De avaritia 100
III. De luxuria 100
IV. De invidia 100
V. De ira 100
VI. De acedia 100
VII. De gula 100
Appendix de ebrietate 101

TRACTATUS DE VIRTUTIBUS.

Cap. I. De fide 103
Art. I. De necessitate fidei . . . 104
I. Quoad actum internum . . . 104
II. Quoad actum externum . . 104
Art. II. De objecto fidei 108
§ I. De necessario sciendis et credendis necessitate medii . . . 108
§ II. De necessario sciendis et credendis necessitate præcepti . 109
Art. III. De vitiis fidei oppositis . 110
§ I. De infidelitate 110
§ II. De hæresi 110
Cap. II. De spe 111
Cap. III. De caritate 113
Art. I. De amore Dei 113
Art. II. De amore proximi . . . 114
§ I. De præcepto amoris proximi in se 114
Punctum I. De præcepto caritatis erga omnes in genere . 114
Punctum II. De præcepto caritatis erga inimicos in particulari 116
§ II. De operibus misericordiæ . . . 118
Punctum I. De eleemosyna . . . 118
Punctum II. De correctione fraterna . 120
§ III. De vitiis caritati proximi oppositis 122
Punctum I. De Scandalo 122
Sectio I. Notio scandali . . . 122
Sectio II. Præcipuæ scandalizantium classes 125
Sectio III. Quænam sint omittenda, ut evitetur scandalum passivum, sive ruina proximi ? . . . 127
Sectio IV. Reparatio scandali activi 129
Punctum II. De cooperatione ad peccatum alterius . . . 130
Sectio I. Notio et divisio cooperationis 130
Sectio II. Moralitas cooperationis formalis 131
Sectio III. Moralitas cooperationis materialis 132
Sectio IV. Resolutiones practicæ de cooperatione, præsertim materiali . . 133

	Pagina
Resolutio I. De cooperatione cauponum	134
Resolutio II. De cooperatione famulorum	135
Resolutio III. De cooperatione opificum et mercatorum	136
Resolutio IV. De cooperatione Catholicorum	136
Resolutio V. De cooperatione civium	139
Resolutio VI. De cooperatione alios invitantium	139
Resolutiones quædam, quæ sub titulis superioribus commode collocari non poterant	140
Monita quædam practica generalia circa cooperationem	140

INDEX.

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

Pagina

DE I. Decalogi præcepto.

Cap. I. De actibus virtutis religionis . 141
Art. I. De actibus virtutis religionis in genere, seu de cultu . 141
Art. II. De actibus virtutis religionis in specie 144
De oratione 144
Cap. II. De vitiis religioni oppositis . 146
Art. I. De superstitione . . . 146
§ I. De idololatria 146
§ II. De vana observantia . 146
§ III. De divinatione . . . 147
§ IV. De magia et maleficio . 149
Art. II. De irreligiositate 150
§ I. De tentatione Dei . . . 150
§ II. De sacrilegio 150
§ III. De simonia 152

DE II. Decalogi præcepto.

Cap. I. De vana usurpatione nominis Dei et blasphemia 158
Art. I. De vana SS. Nominis Dei usurpatione 158
Art. II. De blasphemia . . . 158
Cap. II. De juramento 160
Art. I. De conditionibus juramenti 160
I. De requisitis ad essentiam juramenti 160
II. De requisitis ad liceitatem juramenti 161
Art. II. De obligatione juramenti promissorii 162
App. De adjuratione 164
Cap. III. De voto 165
Art. I. De conditionibus ad votum requisitis 166
§ I. De intentione ad votum requisita 166
§ II. De materia voti . . . 167
Art. II. De obligatione voti . . 168
Art. III. De cessatione voti . . . 169
§ I. De irritatione votorum . . 170
§ II. De dispensatione votorum 171
§ III. De commutatione votorum 172

Pagina

DE III. Decalogi præcepto.

Cap. I. De iis quæ diebus festis præcipiuntur 174
Art. I. De iis quæ generatim diebus festis præstanda sunt . . 174
Art. II. De auditione Missæ in particulari 174
§ I. De iis quæ ad Missam rite audiendam requiruntur . . 174
Punctum I. Præsentia corporis 174
Punctum II. Attentio mentis . 176
Punctum III. De loco debito . 177
§ II. De causis a Missa excusantibus 177
Cap. II. De iis quæ diebus dominicis et festis prohibentur . . . 179
Art. I. De operibus quæ diebus festis prohibentur . . . 179
Art. II. De causis ob quas opera servilia die festo permitti possunt 181

DE IV. Decalogi præcepto.

Cap. I. De obligationibus filiorum erga parentes 183
I. Amor 183
II. Reverentia 184
III. Obedientia 184
Cap. II. De obligationibus parentum erga filios 185
I. Amor 185
II. Educatio 186
A. Educatio corporalis . 186
B. Educatio spiritualis . . 187
App. De parentibus prolem scholis publicis instituendam committentibus . 189
Cap. III. De obligationibus conjugum . 193
Cap. IV. De obligationibus aliorum superiorum et inferiorum . . 194
Art. I. De obligationibus dominorum et famulorum . . . 194
§ I. De obligationibus dominorum 194
§ II. De obligationibus famulorum 195

PAGINA

ART. II. De obligationibus magistrorum et discipulorum . . 196
ART. III. De obligationibus magistratuum et civium . . . 196

DE V. DECALOGI PRÆCEPTO.

CAP. I. De occisione suî seu de suicidio . 199
CAP. II. De occisione proximi . . 200
ART. I. De occisione rei seu malefactoris 200
ART. II. De occisione injusti aggressoris 202
ART. III. De occisione innocentis . 203
§ I. De occisione innocentis in genere 203
§ II. De procuratione abortus . 204
CAP. III. De duello 205
CAP. IV. De bello 206

DE VI. ET IX. DECALOGI PRÆCEPTO.

CAP. I. De peccatis luxuriæ non consummatis 210
ART. I. De osculis et tactibus impudicis 210
ART. II. De aspectibus obscœnis . . 212
ART. III. De sermonibus et lectionibus impudicis 213

PAGINA

CAP. II. De peccatis luxuriæ consummatis 213
ART. I. De peccatis consummatis juxta naturam 213
§ I. De fornicatione 213
§ II. De adulterio 214
§ III. De incestu 214
§ IV. De sacrilegio 214
§ V. De stupro 214
§ VI. De raptu 215
ART. II. De peccatis consummatis contra naturam 215
§ I. De pollutione 215
§ II. De sodomia 217
§ III. De bestialitate . . . 218

DE VII. ET X. DECALOGI PRÆCEPTO . 218

DE VIII. DECALOGI PRÆCEPTO.

CAP. I. De mendacio 219
ART. I. De mendacio in genere . 219
ART. II. De restrictione mentali . 219
CAP. II. De detractione 220
ART. I. De vitio detractionis . . 220
ART. II. De restitutione famæ . 224
CAP. III. De contumelia . . . 226
CAP. IV. De judicio temerario, suspicione, et dubitatione temeraria . . 227
APP. De violatione secreti . . . 228

TRACTATUS DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

DE I. ET II. ECCLESIÆ PRÆCEPTO SEU DE OBSERVATIONE FESTORUM . . 231

DE III. ECCLESIÆ PRÆCEPTO SEU DE ANNUA CONFESSIONE 232

DE IV. ECCLESIÆ PRÆCEPTO SEU DE COMMUNIONE PASCHALI . . . 233

DE V. ECCLESIÆ PRÆCEPTO SEU DE ABSTINENTIA A CARNE EXTRA JEJUNIUM 234

DE VI. ECCLESIÆ PRÆCEPTO SEU DE JEJUNIO ECCLESIASTICO.

CAP. I. De essentia et obligatione jejunii . 235
ART. I. De unica refectione et refectiuncula 236
§ I. De unica refectione . . 236
§ II. De collatione serotina . . 237
ART. II. De abstinentia carnis in jejunio 238
ART. III. De hora refectionis . 239
CAP. II. De causis a jejunio excusantibus 240

TRACTATUS DE JURE ET JUSTITIA.

PARS I. DE NATURA ET PRINCIPIIS JUSTITIÆ ET JURIS.

CAP. I. De notionibus generalibus justitiæ et juris 243
ART. I. De natura justitiæ . . 243
ART. II. De natura juris . . . 245
ART. III. De principiis generalibus justitiæ 246

CAP. II. De præcipuis juris speciebus . 247
ART. I. De dominio 247
§ I. De objecto dominii . . 248
§ II. De subjecto dominii . . 251
Punctum I. De dominio filiorum familias 251
Punctum II. De dominio uxorum 252
Punctum III. De dominio publico et nationali 254

PAGINA

Punctum IV. De collegiis (*Corporatious*) 254
Punctum V. De dominio Ecclesiæ et clericorum . . 255
I. An et quarum rerum temporalium dominium Ecclesia habere possit, et qua ratione id jure nostro agnoscatur 255
II. Quodnam sit subjectum, in quo bonorum ecclesiasticorum dominium directum resideat, et quid requiratur, ut legitime acquirantur ac teneantur . 256
III. Ad quos pertineat bonorum ecclesiasticorum administratio, et qua ratione ea sit gerenda . . 258
IV. Quæ sint variæ bonorum ecclesiasticorum species, et quid hic circa singulas servandum 260
III. De acquisitione dominii . 263
Punctum I. De occupatione . 263
I. Occupatio sedium . 263
II. De occupatione animalium 264
III. De occupatione rerum inventarum 265
Punctum II. De Præscriptione 267
I. Res præscriptibilis . . 268
II. Possessio 268
III. Titulus 269
IV. Tempus requisitum . 269
V. Bona fides 270
Punctum III. De Accessione 271
ART. II. De usu et usufructu . . 274
ART. III. De servitute 275

PARS II. DE VIOLATIONE JURIS SEU DE INJURIA.

CAP. I. De injuria in genere . . . 278
CAP. II. De injuria in specie seu de peccatis contra justitiam . . 279
ART. I. De natura furti . . . 280
ART. II. De causis ob quas furtum cesset esse tale 283
§ I. De necessitate a furto excusante 283
§ II. De occulta compensatione . 285

PAGINA

PARS III. DE RESTITUTIONE.

SECTIO I. DE RESTITUTIONE IN GENERE.

CAP. I. De obligatione restitutionis . . 287
CAP. II. De radicibus restitutionis . 289
ART. I. De acceptione rei alienæ . 289
§ I. De possessore bonæ fidei . 289
§ II. De possessore malæ fidei . 292
§ III. De possessore dubiæ fidei 295
ART. II. De injusta damnificatione . 296
ART. III. De injusta cooperatione . 302
§ I. De jubente 302
§ II. De consulente . . . 303
§ III. De consentiente . . 304
§ IV. De palpone . . . 305
§ V. De recursu, seu de receptante, vel recursum præbente . 306
§ VI. De participante . . . 306
§ VII. De muto, non obstante, non manifestante, seu de cooperatoribus negativis . . 306
CAP. III. De circumstantiis restitutionis 308
ART. I. Quantum sit restituendum . 308
De solidaritate 308
ART. II. Cui sit restituendum . . 309
ART. III. Quo ordine sit restituendum 311
§ I. De ordine restitutionis inter cooperatores 311
§ II. De ordine restitutionis quoad creditores 311
ART. IV. Quomodo sit restituendum 313
ART. V. Quando sit restituendum . 314
CAP. IV. De causis a restitutione excusantibus 315

SECTIO II. DE RESTITUTIONE IN SPECIE.

CAP. I. De restitutione ob dannum in bonis animi 318
CAP. II. De restitutione ob damnum in bonis corporis 318
ART. I. De restitutione ob homicidium 318
ART. II. De restitutione propter stuprum et fornicationem . 320
ART. III. De restitutione propter adulterium 321
CAP. III. De restitutione ob damnum in bonis fortunæ in casibus particularibus 322
ART. I. De tributis 322
ART. II. De damno occasione militiæ illato 325

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS.

PAGINA

PARS I. DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

CAP. I. De requisitis ad contrahendum . 328
ART. I. De materia contractus . 328
ART. II. De subjecto contractus . . 330
§ I. De minoribus . . . 330
§ II. De uxoribus . . . 331
§ III. De civiliter mortuis . 332
§ IV. De interdictis . . . 332
§ V. De alienigenis . . . 332
ART. III. De consensu requisito . 332
§ I. De dotibus legitimi consensus 332
§ II. De vitiis consensui oppositis . 333
Punctum I. De errore et dolo 333
Punctum II. De Metu . . 334
CAP. II. De obligatione contractus . 336
CAP. III. De contractuum modificationibus 338
ART. I. De juramento contractui adjecto 338
ART. II. De modis contractui præfinitis seu de contractibus non puris . 339
ART. III. De conditionibus contractui appositis 340

PARS II. DE CONTRACTIBUS IN SPECIE.

SECTIO I. DE CONTRACTIBUS GRATUITIS.

CAP. I. De promissione 341
CAP. II. De donationibus . . . 342
ART. I. De donatione in genere . . 342
§ I. Quis donare possit . . 344
§ II. Quis possit ex donatione acquirere 345
§ III. Quid possit donari . . 346
§ IV. Quæ forma jure nostro pro valida donatione sit præscripta 346
§ V. Quo modo donatio debeat acceptari 346
§ VI. Quo sensu donatio debeat esse irrevocabilis; et quibusnam in casibus revocari possit . 347
ART. II. De valore donationis sub modo, donationis allectivæ et donationis ob causam falsam . 348
A. De valore donationis sub modo 348
B. De valore donationis allectivæ . 348
C. De valore donationis ob causam falsam 348
ART. III. De successione hæreditaria 349
A. De notione et divisione successionis hæreditariæ . . 349
B. De notione et divisione hæredum 349
§ I. De successione hæreditaria in genere, seu de iis dispositionibus Juris nostri, quæ omni successioni tam legali, quam testamentariæ sunt communes 349

PAGINA

§ II. De successione hæreditaria legali, sive de iis dispositionibus juris, quæ hæredibus legalibus sunt propriæ . 352
§ III. De successione testamentaria, sive de iis dispositionibus Juris, quæ pertinent ad hæredes institutos et ad legatarios 354
CAP. III. De commodato et precario . 358
Obligationes commodatarii . . 358
Obligationes commodantis . . 359
CAP. IV. De deposito 359
Obligationes depositarii . . 359
Obligationes deponentis . . 359
CAP. V. De mandato et negotiorum gestione 359
I. De mandato 359
Obligationes mandantis . . 360
Obligationes mandatarii . . 360
II. De negotiorum gestione . . 360
CAP. VI. De mutuo 360
ART. I. De natura contractus mutui 360
ART. II. De usura, seu de lucro percepto ex mutuo . . . 362
ART. III. De titulis ab usura excusantibus 363
I. De damno emergente . . 363
II. De lucro cessante . . . 364
III. De periculo sortis . . 364
IV. De pœna conventionali . . 364
APP. De montibus pietatis, mensis publicis nummulariorum, et actionibus universim 367
I. De montibus pietatis 367
II. De publicis nummulariorum mensis (*Banks*) 367
III. De actionibus universim . 368

SECTIO II. DE CONTRACTIBUS ONEROSIS.

CAP. I. De venditione et emptione . . 369
ART. I. De emptione ac venditione in genere 369
§ I. De natura contractus emptionis ac venditionis . . 369
§ II. De iis, qui emere ac vendere possint 370
§ III. De merce seu materia emptionis ac venditionis . . 371
§ IV. De justo pretio . . 372
I. Quali pretio per se ex justitia standum sit . . . 373
II. Qui sint tituli, ob quos per accidens supra vulgare pretium summum vendere, vel infra vulgare pretium infimum emere liceat . . 376
§ V. De obligationibus venditoris 380
I. De obligatione venditoris ad manifestanda vitia sive defectus mercis 380

PAGINA

II. De obligatione venditoris quoad rei venditæ traditionem . 383
III. De obligatione venditoris quoad rei venditæ assecurationem (*Warranty*) . . 383
A. De assecuratione contra evictionem . . . 384
B. De assecuratione contra rei vitia redhibitoria . . 385
§ VI. De obligationibus emptoris 385
A. De obligatione principali emptoris 385
B. De duplici emptoris obligatione minus frequenti et accidentaria . . . 385
ART. II. De præcipuis emptionis-venditionis speciebus . . . 386
§ I. De venditione cum pacto redimendi 386
§ II. De venditione jurium incorporeorum 387
§ III. De venditione sub hasta sive de auctione publica . . 387

PAGINA

§ IV. De venditione per proxenetas 389
§ V. De monopoliis 390
CAP. II. De societate et trino contractu 391
ART. I. De societate (*Partnership*) . 391
ART. II. De trino contractu . . 392
CAP. III. De locatione (*Lease*) . . . 392
I. Regulæ locationis generales . 392
II. Obligationes locatoris . . . 393
III. Obligationes locatarii . . 393
CAP. IV. De cambio (*Exchange*) . . 393
CAP. V. De censu 394
CAP. VI. De contractibus subsidiariis, seu de fidejussione, pignore et hypotheca 395
ART. I. De fidejussione 395
ART. II. De pignore 395
ART. III. De hypotheca (*Mortgage*) 396
CAP. VII. De contractibus aleatoriis . 396
ART. I. De assecuratione . . 396
ART. II. De sponsione 397
ART. III. De sortitione, seu loteria . 397
ART. IV. De ludo 397

TRACTATUS DE STATIBUS PARTICULARIBUS.

PARS I. DE STATU LAICORUM.

CAP. I. De obligationibus judicum . . 400
APP. I. De juratis 403
APP. II. De arbitris (*Arbitrators*) . . 403
CAP. II. De obligationibus advocati et procuratoris 403
CAP. III. De obligationibus apparitoris 406
CAP. IV. De obligationibus scribarum et notariorum 406
I. De scribis seu secretariis . . 406
II. De notariis 406
CAP. V. De obligationibus accusatoris et rei 407
I. De accusatore 407
II. De reo 408
CAP. VI. De obligatione testium . . 409
CAP. VII. De obligationibus medicorum, chirurgorum, et pharmacopolarum 410
CAP. VIII. De statu artificum et opificum 411

PARS II. DE STATU CLERICORUM.

CAP. I. De obligationibus communibus clericorum tum positivis, tum negativis 412
ART. I. De obligationibus positivis clericorum 412
§ I. De vitæ sanctitate . . 412
§ II. De cælibatu 413
§ III. De gestatione habitus et tonsuræ 414
§ IV. De recitatione Horarum canonicarum seu divini Officii . 414
Punctum I. De obligatione recitandi 414
Punctum II. De tempore et loco et corporis situ debitis ad Horas recitandas . . 416
I. Quoad tempus . . 416
II. Quoad locum et situm . 418
Punctum III. De modo Horas recitandi 419
I. Quoad ordinem . . 419
II. Quoad pronuntiationem . 420
III. Quoad attentionem et devotionem 422
Punctum IV. De causis excusantibus a recitatione Horarum 423
ART. II. De obligationibus negativis clericorum, seu de iis quæ clericis prohibentur . . 425
CAP. II. De obligationibus particularibus clericorum 426
ART. I. De obligationibus Episcoporum 426
ART. II. De obligationibus Parochorum 427
APP. I. De privilegiis Clericorum . . 430
I. De privilegiis Clericorum in communi 430
II. De privilegiis Episcoporum . . 430
APP. II. De Vicario Generali . . 431

PARS III. DE STATU RELIGIOSO.

Prænotanda 433
CAP. I. De iis, quæ omnibus religiosis sunt communia 433
ART. I. De natura status religiosi . 433
ART. II. De necessitate vocationis ad statum religiosum . . 434

PAGINA

ART. III. De probatione seu novitiatu 436
ART. IV. Professio secundum aliquam regulam 437
§ I. De obligatione servandi vota 437
A. De obligationibus ex voto paupertatis . . . 437
B. De obligationibus ex voto castitatis 440
C. De obligationibus ex voto obedientiæ . . . 440
§ II. De obligatione servandi Regulam 442
§ III. De obligatione tendendi ad perfectionem . . . 443
§ IV. Qua ratione obligationes ex Professione existentes cessent vel immutentur . . . 444

PAGINA

CAP. II. De iis, quæ propria sunt religiosis, qui vota solemnia profitentur . 444
CAP. III. De iis, quæ peculiaria sunt monialibus 446
CAP. IV. De Regularium Privilegiis . . 449
§ I. De Regularium Privilegiis universim 449
§ II. De Privilegio exemptionis . 450
I. Qualis sit exemptio regularium et quid comprehendat . . 450
II. Quid non comprehendat exemptio Regularium . . . 453
§ III. Privilegia Varia 456
CAP. V. De religiosis vi dispersis . . 456
CAP. VI. De conditione religiosorum in provinciis ecclesiasticis Statuum Fœderatorum 457

INDEX.

TRACTATUS DE SACRAMENTIS IN GENERE.

	Pagina
Cap. I. De definitione, numero et divisione Sacramentorum	459
Cap. II. De materia et forma Sacramentorum	460
I. De natura et unione materiæ et formæ	460
II. De mutatione materiæ et formæ	461
III. De iteratione Sacramentorum in dubio de valida applicatione materiæ et formæ	462
Cap. III. De ministro Sacramentorum	462
Art. I. De requisitis ad Sacramentorum administrationem seu de attentione, intentione, fide et probitate Ministri	462
§ I. De attentione Ministri	462
§ II. De intentione Ministri	463
§ III. De fide et probitate Ministri	464
Art. II. De officio Ministri	466
§ I. De obligatione ministrandi Sacramenta	466
§ II. De obligatione denegandi Sacramenta indignis petentibus	467
§ III. De modo Sacramenta conferendi	470
Cap. IV. De subjecto Sacramentorum	471
Art. I. De requisitis ad validam Sacramentorum receptionem	471
Art. II. De requisitis ad licitam Sacramentorum receptionem	472
App. De Sacramentalibus	474

TRACTATUS DE BAPTISMO.

Cap. I. De natura, proprietatibus et necessitate Baptismi	478
Cap. II. De materia et forma Baptismi	479
Art. I. De materia tum remota, tum proxima Baptismi	479
§ I. De materia remota Baptismi	479
§ II. De materia proxima Baptismi	480
Art. II. De forma Baptismi	480
Cap. III. De ministro Baptismi	481
Cap. IV. De subjecto Baptismi	483
Cap. V. De solemnitatibus accessoriis Baptismi, nempe de patrinis et cæremoniis	488
Art. I. De patrinis	488
Art. II. De cæremoniis Baptismi	490
App. De operatione cæsarea in ordine ad baptizandum infantem nondum natum	491

TRACTATUS DE CONFIRMATIONE.

Cap. I. De materia et forma Confirmationis	494
Art. I. De materia Confirmationis	494
Art. II. De forma Confirmationis	495
Cap. II. De ministro Confirmationis	495
Cap. III. De subjecto Confirmationis	496

TRACTATUS DE EUCHARISTIA.

PARS I. De Eucharistia ut Sacramento. — Pagina

Cap. I. De natura et efficacia Eucharistiæ 498
Cap. II. De materia et forma Eucharistiæ 499
Art. I. De materia Eucharistiæ . . 499
I. De materia remota . . 499
II. De materia proxima, seu de usu materiæ requisitæ in ipsa Consecratione . . . 500
Art. II. De forma Sacramenti Eucharistiæ 502
Cap. III. De ministro Eucharistiæ . 503
Art. I. De potestate ministri Eucharistiæ 503
Art. II. De obligatione Eucharistiam dispensandi . . . 504
Art. III. De requisitis ad licitam Sanctæ Eucharistiæ dispensationem 505
Art. IV. De modo Eucharistiam infirmis ministrandi . . . 508
Art. V. De modo S. Eucharistiam asservandi 510
App. De modo quo Eucharistia in his provinciis infirmis ministranda sit, deque ratione eam asservandi . . 513
A. Quoad modum Eucharistiam ministrandi infirmis 513
B. De modo S. Eucharistiam asservandi 513
Cap. IV. De subjecto Eucharistiæ . . 514
Art. I. De obligatione suscipiendi Eucharistiam . . . 514
Art. II. De dispositionibus requisitis in subjecto Eucharistiæ 1° quoad animam, 2° quoad corpus - . 516
§ I. De dispositionibus animæ . 516
§ II. De dispositionibus corporis 518
Punctum I. De jejunio ad Communionem requisito . . 518
Punctum II. De corporis decentia 520
App. I. De Communione frequenti . 521
App. II. De Communione spirituali . . 522
App. III. De prima Communione puerorum 522

PARS II. De Eucharistia ut Sacrificio.

Cap. I. De natura et virtute Sacrificii Missæ 523
Cap. II. De applicatione Sacrificii Missæ . 525
Cap. III. De obligatione celebrandi . 526
Art. I. De obligatione celebrandi ratione sacerdotii 526
Art. II. De obligatione celebrandi ratione officii . . . 527
Art. III. De obligatione celebrandi ratione stipendii . . . 527
Cap. IV. De tempore et loco celebrationis 533
Art. I. De tempore celebrationis . 533
Art. II. De loco celebrationis . 534
Cap. V. De modo celebrandi 537
Art. I. De requisitis ad Missam . 537
Art. II. De rubricis 540
App. De Sacræ Rituum Congregationis decretis et de consuetudine contra rubricas 542

TRACTATUS DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

PARS I. De essentia Sacramenti Pœnitentiæ, seu de ejus natura, materia et forma.

Cap. I. De natura Pœnitentiæ . . . 544
Cap. II. De materia Sacramenti Pœnitentiæ 545
Cap. III. De forma Sacramenti Pœnitentiæ 547

PARS II. De subjecto Sacramenti Pœnitentiæ, seu de actibus pœnitentis.

Cap. I. De contritione 551
Art. I. De contritione proprie dicta 551
§ I. De necessitate contritionis . 552
§ II. De dotibus contritionis . 554
§ III. De efficacia contritionis . 557
Art. II. De proposito 558
Cap. II. De Confessione 560
Art. I. De necessitate Confessionis . . 560
Art. II. De dotibus Confessionis . . 560
De integritate Confessionis . . . 561
§ I. De necessitate integritatis: 1° in genere; 2° de peccatis dubiis; 3° de circumstantiis peccatorum: 4° de peccatis oblitis 561
Punctum I. De necessitate integritatis in genere . . 561
Punctum II. De peccatis dubiis 563
Punctum III. De circumstantiis peccatorum . . . 564
Punctum IV. De peccatis oblitis 567
§ II. De causis ab integritate excusantibus in genere, et speciatim quoad moribundos . 568
Punctum I. De causis ab integritate excusantibus in genere 568

PAGINA

Punctum II. De Confessione et absolutione moribundorum 571
APP. I. De examine conscientiæ . . 572
ART. III. De iteratione Confessionis . 573
APP. II. De Confessione generali . . 575
I. De necessitate vel opportunitate Confessionis generalis . . . 575
II. De modo peragendi Confessionem generalem 576
CAP. III. De satisfactione 577
ART. I. De impositione pœnitentiæ . 577
ART. II. De impletione pœnitentiæ 579
APP. De pœnitentiis utilius imponendis . 581
I. Opera pietatis 581
II. Opera mortificationis 581
III. Pœnitentiæ medicinales . . . 582

PARS III. DE MINISTRO PŒNITENTIÆ.

CAP. I. De potestate Ministri . . . 583
ART. I. De approbatione . . . 583
ART. II. De jurisdictione . . . 585
APP. I. De jurisdictione et approbatione Regularium 589
APP. II. De jurisdictione respectu Monialium 591
ART. III. De casibus reservatis . 593
§ I. De reservatione casuum, seu de principio et natura reservationis 593
§ II. De absolutione reservatorum 595
APP. I. De absolutione proprii complicis in peccato turpi 597
APP. II. De sollicitatione in Confessione 599
CAP. II. De officio Ministri 603
ART. I. De officio Ministri in Confessione 603
§ I. De muneribus confessarii . 603
Punctum I. De officio Patris . 603
Punctum II. De officio Medici 605
Punctum III. De officio Doctoris 606
Sectio I. De scientia confessarii 606
Sectio II. De obligatione docendi pœnitentes . . 608
Punctum IV. De officio judicis 610
Sectio I. De causa instruenda seu de obligatione interrogandi pœnitentes . . 610
Sectio II. De sententia ferenda, seu de absolutione concedenda, differenda, aut deneganda . . . 616
§ II. De agendi ratione cum variis pœnitentium generibus . 617
Punctum I. De iis, qui versantur in occasione peccati . 617
Sectio I. De occasione peccati in genere 617

PAGINA

Sectio II. De occasionibus particularibus 622
A. De iis occasionibus particularibus, quæ, ut plurimum, sunt voluntariæ . . 623
I. De Concubinatu . . . 623
II. De Choreis 625
III. De Theatris . . . 627
IV. De Conversationibus (Visits, Parties, etc.) . . 628
V. De pravis Sociis . . . 628
VI. De pravis Libris et Ephemeridibus 629
VII. De Ludo 629
VIII. De Cauponis . . . 630
B. De illis occasionibus particularibus, quæ, ut plurimum vel frequenter, sunt necessariæ 630
I. De visitationibus adamantium pro Matrimonio contrahendo 630
II. De muliere, quæ propter vim illatam, vel metum incussum patitur suî violationem 631
III. De nonnullis periculis domesticis 632
IV. De periculis puellarum famulatum exercentium . 633
V. De periculis in scholis, collegiis, seminariis, etc. . 633
VI. De periculis in artibus et officiis 634
C. De occasionibus, quæ his præsertim regionibus propriæ sunt 634
Punctum II. De consuetudinariis et recidivis 635
Punctum III. De Confessione puerorum ante Primam Communionem . . . 640
Punctum IV. De Confessione adolescentium post Primam Communionem . . 641
Punctum V. De Confessione personarum alterius sexus . 642
Punctum VI. De Confessione personarum spectatæ conditionis 642
Punctum VII. De Confessione personarum pietatem profitentium 642
ART. II. De officio Ministri post Confessionem 643
§ I. De obligatione corrigendi defectus in Confessione commissos . . 643
§ II. De sigillo Confessionis . . 645
Punctum I. De obligatione sigilli . 645
Punctum II. De subjecto sigilli . 646
Punctum III. De objecto sigilli . 647
Punctum IV. De variis modis sigillum violandi . . . 649

TRACTATUS DE EXTREMA UNCTIONE.

	Pagina
Cap. I. De natura et effectibus Extremæ Unctionis	653
Cap. II. De materia et forma Extremæ Unctionis	653
Art. I. De materia hujus Sacramenti	653
Art. II. De forma Extremæ Unctionis	655
Cap. III. De Ministro Extremæ Unctionis	656
Cap. IV. De subjecto Extremæ Unctionis	657
App. De visitatione et cura infirmorum	659

TRACTATUS DE ORDINE.

Cap. I. De natura et divisione Ordinis	664
Cap. II. De materia et forma Ordinis	665
Cap. III. De Ministro Sacramenti Ordinis	666
Cap. IV. De subjecto Sacramenti Ordinis	668
App. De vocatione clericali	673

TRACTATUS DE MATRIMONIO.

Cap. I. De sponsalibus	675
Art. I. De natura sponsalium	675
Art. II. De obligatione et effectibus sponsalium	677
Art. III. De dissolutione sponsalium	678
Cap. II. De bannorum proclamatione	680
Art. I. De necessitate bannorum	680
Art. II. De circumstantiis bannorum	681
I. Circumstantia temporis	681
II. Circumstantia loci	681
III. Circumstantia personarum, scilicet minorum, militum, vagorum et famulorum	682
Art. III. De dispensatione bannorum	682
Art. IV. De revelatione impedimentorum	684
App. I. De præmittenda inquisitione in impedimenta. — II. De necessaria contrahentium institutione in doctrina Christiana. — III. De Confessione nuptiis præmittenda	685
Cap. III. De natura et proprietatibus Matrimonii	687
Art. I. De natura Matrimonii	687
Art. II. De proprietatibus Matrimonii, scilicet de ejus unitate et firmitate	692
§ I. De unitate Matrimonii	692
§ II. De firmitate Matrimonii	692
Punctum I. De firmitate Matrimonii, quatenus spectat vinculum	692
Punctum II. De firmitate Matrimonii quatenus spectat torum, et de divortio a toro	695
Cap. IV. De materia et forma Matrimonii	697
Cap. V. De ministro et subjecto Matrimonii	697
Art. I. De Ministro	697
Art. II. De subjecto Matrimonii	698
Cap. VI. De impedimentis Matrimonii	699
Art. I. De impedimentis Matrimonium impedientibus	701
I. Ecclesiæ vetitum	701
II. Tempus	701
III. Sponsalia	701
IV. Votum	701
Art. II. De impedimentis dirimentibus	703
§ I. De impedimentis dirimentibus in genere	703
§ II. De impedimentis in specie	704
Punctum I. De impedimento erroris et conditionis	705
Punctum II. De impedimento voti et Ordinis	706
Punctum III. De impedimento cognationis	706
Sectio I. De cognatione naturali	706
Regulæ ad gradus consanguinitatis computandos	707
Sectio II. De cognatione spirituali	710
Sectio III. De cognatione legali	711
Punctum IV. De impedimento affinitatis	712
Punctum V. De impedimento honestatis publicæ	714
Punctum VI. De impedimento criminis	715
I. Adulterium solum	716
II. Homicidium solum	716
III. Utrumque simul	716

PAGINA

Punctum VII. De impedimento disparitatis cultus . . 717
Punctum VIII. De impedimento vis seu metus . . . 719
Punctum IX. De impedimento ligaminis . . . 720
Punctum X. De impedimento ætatis 721
Punctum XI. De impedimento clandestinitatis . . 721
Sectio I. De vi Decreti Concilii Tridentini . . 721
Sectio II. De assistentia Parochi 729
I. Qualis Parochus assistere debeat . . 729
II. Quomodo Parochus assistere debeat . . 732
Punctum XII. De impedimento impotentiæ . . . 732
Punctum XIII. De impedimento raptus . . . 733
§ III. De dispensatione ab impedimentis Matrimonii dirimentibus 734
Punctum I. De potestate dispensandi 734
Punctum II. De causis dispensationis 735
Punctum III. De modo dispensationem petendi . . 738
Cap. VII. De revalidatione Matrimonii . 741
Art. I. De revalidatione Matrimonii irriti ob defectum consensus . 741
Art. II. De revalidatione Matrimonii irriti ob defectum formæ præscriptæ 742
Art. III. De revalidatione Matrimonii irriti ob inhabilitatem partium 742
§ I. De revalidatione Matrimonii modo ordinario . . . 743
§ II. De revalidatione Matrimonii cum dispensatione in radice 744
App. De modo procedendi, si revalidatio nullo modo locum habere possit vel antequam ea fieri valeat . . . 746
Cap. VIII. De debito conjugali . . 747
Art. I. De liceitate actus conjugalis 1° in se; 2° quoad circumstantias 747

PAGINA

§ I. De liceitate actus conjugalis in se spectati 747
§ II. De liceitate actus conjugalis quoad circumstantias . . 748
I. De circumstantiis personæ 748
II. De circumstantiis modi vel situs 748
III. De circumstantiis temporis 749
Art. II. De obligatione actus conjugalis 750
Art. III. De peccatis conjugum . . 752
§ I. De peccatis conjugum per excessum 752
§ II. De Onanismo in particulari 754
Decis. Sacrarum congregationum circa Onanismum 756
Form. Ad postulandas dispensationes . 758
I. Ad petendam dispensationem in impedimento publico, super quo, juxta facultates, possit dispensare Episcopus 758
II. Ad petendam dispensationem in impedimento occulto, super quo juxta facultates vel jure dispensare possit Episcopus, et cujus dispensatio ab eo sine periculo lædendi sigilli peti valeat 759
III. Ad petendam dispensationem ab Episcopo, Matrimonio in bona fide cum impedimento de se publico jam contracto, et super quo, vi facultatum, Episcopus dispensare possit . 759
IV. Ad petendam dispensationem ab Episcopo, Matrimonio in mala fide cum impedimento publico jam contracto 759
V. Ad petendam dispensationem ab Episcopo in impedimento occulto, et quidem cum sanatione Matrimonii in radice 760
VI. Ad petendam dispensationem in impedimento publico, super quo non possit dispensare Episcopus . . 760
VII. Ad petendam dispensationem a S. Pœnitentiaria in Matrimonio contrahendo 760
VIII. Ad petendam dispensationem a S. Pœnitentiaria in Matrimonio jam contracto 761

TRACTATUS DE CENSURIS.

Cap. I. De censuris in genere . . . 762
Art. I. De natura, divisione et conditionibus censurarum . . 762
I. De natura censuræ . . . 762
II. Divisio censurarum . . . 763
III. Conditiones censurarum . 764
Art. II. De principio seu auctore censurarum 767
Art. III. De subjecto censurarum . 769
Art. IV. De absolutione a censuris . 771
Cap. II. De censuris in specie, nempe 1° de excommunicatione; 2° de suspensione; 3° de interdicto . . 774
Art. I. De excommunicatione . 774
§ I. De natura et divisione excommunicationis . . . 774

PAGINA

§ II. De effectibus excommunicationis 775
I. Privatio Sacramentorum . 775
II. Privatio divinorum Officiorum 776
III. Privatio suffragiorum communium Ecclesiæ . . 776
IV. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ 777
V. Privatio jurisdictionis ecclesiasticæ 777
VI. Privatio beneficiorum . 777
VII. Privatio communicationis forensis 778
VIII. Privatio societatis civilis 778
ART. II. De suspensione . . . 779
APP. De depositione, degradatione, et remotione a parochia 781
ART. III. De interdicto . . . 783
APP. I. De cessatione a divinis . . 784
APP. II. De sepultura ecclesiastica . 785
APP. III. De censuris latæ sententiæ in particulari 787
ART. I. De Excommunicationibus latæ sententiæ per Constitutionem "*Apostolicæ Sedis*" sanctis 789
§ I. De excommunicationibus latæ sententiæ Romano Pontifici speciali modo reservatis . 789

PAGINA

APP. AD CENS. II. De indice librorum prohibitorum 792
A. De origine et ratione Indicis . 792
B. Præcipuæ Indicis Regulæ Tridentini jussu editæ 792
§ II. De excommunicationibus latæ sententiæ Romano Pontifici simpliciter reservatis . . 798
§ IV. De excommunicationibus latæ sententiæ nemini reservatis 808
Prosequitur Constitutio "*Apostolicæ Sedis*" . . . 809
§ V. De excommunicationibus latæ sententiæ a Concilio Tridentino inflictis . . . 809
ART. II. De suspensionibus latæ sententiæ 810
§ I. De suspensionibus latæ sententiæ Summo Pontifici reservatis 810
§ II. De suspensionibus latæ sententiæ a Concilio Tridentino inflictis 812
ART. III. De interdictis latæ sententiæ per Constitutionem "*Apost. Sedis*" a Pio IX. inflictis, et Romano Pontifici "*speciali modo*" reservatis . . 813
ART. IV. De censuris, quæ continentur in Const. "*Apostolicæ Sedis,*" absolvendis . . 814

TRACTATUS DE IRREGULARITATIBUS.

CAP. I. De irregularitatibus in genere . 817
CAP. II. De irregularitatibus in particulari 1° de irregularitatibus ex defectu; 2° ex delicto . . 819
ART. I. De irregularitatibus ex defectu 819
I. Ex defectu animi 819
II. Ex defectu corporis . . . 819
III. Ex defectu natalium . . 820
IV. Ex defectu ætatis . . . 821
V. Ex defectu libertatis . . 821
VI. Ex defectu Sacramenti . . 821
VII. Ex defectu lenitatis 821
VIII. Ex defectu famæ 822
ART. II. De irregularitatibus ex delicto . 822
I. Baptismi iteratio atque mala susceptio 822
II. Ordinum usurpatio aut illicita susceptio 823
III. Violatio censuræ 823
IV. Crimina enormia 823
V. Homicidium et mutilatio . . 823

APPENDIX DE INDULGENTIIS ET JUBILÆO.

CAP. I. De Indulgentiis 825
CAP. II. De Jubilæo 833
Conditiones ad Jubilæum requisitæ . 835
DE INDULG. Viæ Crucis, — Crucium, Numismatum, Imaginum, Coronarum, — Confraternitatum, — Scapularium, — altaris privilegiati, — in articulo mortis 838
§ I. De Indulgentiis Viæ Crucis . . 838
§ II. De Indulgentiis Crucium, Sacrorum Numismatum, Coronarum, etc. . 839
§ III. De Indulgentiis Confraternitatum 840
§ IV. De Indulgentiis Scapularium . . 841
§ V. De altari privilegiato . . . 843
§ VI. De Indulgentia Benedictionis Apostolicæ seu absolutione generali in articulo mortis 844

CORRIGENDA ET ADDENDA.

NOTA. — Ubi linea sine addito indicatur, computanda est a supra.

Pag.	*Linea.*	*Legitur.*	*Lege.*
VIII.	5 ab inf.	recentioribus	anterioribus
IX.	1 et 2	Pontificum ac	Pontificum, Conciliorum ac
XIV.	25 ab inf.	beneficarius	beneficiarius
XVII.	12 "	imposterum	in posterum
"	2 "	hoc	huc
XVIII.	10	vita	via
XIX.	7 "	solida	solita
"	7 "	quia modo	quia in ista contineatur amor, qui
XXI.	10	potestationes	protestationes
"	29	pecata	peccata
XXIII.	5	videatur	videantur
XXV.	21 "	quando	quod
XXVII.	16 "	exceptiones	exemptiones
"	3 "	cœrceri	coerceri
XXIX.	18	consequentur	consequenter
XXXI.	3	satis	non
"	14	in	de
XXXIII.	21 "	quæ	quâ
XLIX.	2 "	solicitudo	sollicitudo
LI.	7	diligentur	diligenter
LIII.	15	ab	ad
LIX.	26 "	Baptismum	Baptisma
"	24 "	propterea	propter
"	7 "	fideles	fideliter
LX.	9	Mecklenburg	Mecklenburg
"	13	suæ	seu
LXI.	26 "	in privationem	privationem
LXII.	22	Concincina	Cohchinchina
LXXXI.	5	Seavini	Scavini
LXXXV.	25	auctoritatem,	auctoritatem, sequatur,
LXXXVII.	24 "	aliaqua	aliaque
XCII.	24 "	11°	10°
"	20 "	12°	11°
"	18 "	13°	12°

Pag.	*Col.*	*Lin.*	*Legitur.*	*Lege.*
8	1	19	*simpliciter*	*vere*
11	1	9	regulum	regulam
11	1	19	sunt rationi	sunt rectæ rationi
12	1	6 ab inf.	Objectum—aut fugit,	Objectum moralitatis est id (res aut persona), circa quod actio aliqua *moraliter* versatur
12	2	10	Objecta autem	Ex natura autem sua, seu
15	2	3	*ad majorem Dei gloriam*	*in gloriam Dei*
15	2	7	satisfacit	satisfit
19	2	12 "	*victorias*	*victoriam*
23	2	11 "	PROBABILISMO MODERATO	ÆQUIPROBABILISMO
25	2	26 "	*extrinse*	*extrinsece*
25	2	14 "	antiquorum	antiquiorum
26	2	14 "	potest	debet
26	2	4 "	proprii	proprii (saltem spiritualis)

Pag.	*Col.*	*Linea.*	*Legitur.*	*Lege.*
28	1	24	*Probabilismus moderatus*	*Æqui-probabilismus*
28	21	2 ab inf.	opinionem minus	minus, sed vere,
28	1	9 "	Probabilismum moderatum	Æqui- probabilismum
28	1	8 "	vindicat auctorem, mediam tenere viam atque idcirco	vindicat auctorem præcipuum ac alterum quasi parentem, solum
28	1	4 "	PROBABILISMUS MODERATUS	ÆQUI - PROBABILISMUS
30	1	7 "	L. V.	L. IV.
32	2	5	Moderatus S. Alphousi Probabilismus	Sancti Alphonsi Æqui - probabilismus
32	12	2 "	obligat — In	obligat "— " In
32	2	5 "	" sententia	sententia
32	2	2 "	opposita "	opposita.
34	2	3 "	36 — L.	36. L.
34	2	6 "	Tr. I. c. 3.	Tr. I. q. I. c. 3.
35	2	3 "	L. I.	[2] L. I.
38	1	7	Huscusque	Hucusque
38	1	13	IN GENERE: 1° Regulariter confessarius debet sequi	1° Salva christiana prudentia, regulariter sequendæ
38	1	15	nignas,	nignæ,
39	1	1 "	n. 31	n. 37
39	2	9 "	*Probalismum*	*Probabilismum*
40	1	11 "	Probabilistæ moderati	Æqui - probabilistæ
40	2	26	Probabilistarum moderatorum	Æqui - probabilistarum
45	1	16	*subditi*	*subjecti* . . .
46	1	2 "	L. II.	L. I.
47	1	15 "	omittantur, illi,	omittantur illi,
47	2	27 "	pœnæ	*puræ* pœnæ
47	2	25 "	rescissionis, actuum,	rescissionis actuum,
47	2	3 "	S. A. ib	L. I. 100.
48	1	4 "	155.	154.
49	1	4	XLIII.	XLII.
50	2	13 "	puto, quia manent sub influxu ejusdem legis, seu in territorio moraliter eodem	ita enim postulat æquitas, cum nullum novum onus imponatur extraneo, — et fert praxis.[2]
50	2	1 "	[1] L. I. 156.	[1] L. I. 156. [2] Suarez Bonacina, Th. Mor. D. I. q. 1. P. III. n. 52.
51	2	8	in Sacramento Pœnitentiæ	reservando casus
52	2	20 "	lubito	libitu
53	1	1 "	[2] Ib.	[2] Ib. 141. 142.
58	2	5	a successore	a successore vel Superiore
58	2	6	*a successore*	*a successore vel superiore*
58	2		successori	his

Pag.	*Col.*	*Linea.*	*Legitur.*	*Lege.*
63	2	27	domicilium vel— superiore	quasi domicilium non habeant; dispensari in votis et cæteris, quæ n. 154
63	2	31	Opposita tamen etiam sententia S° Doctori merito probabilis videtur, quia	Contrarium tamen Sancto sat probabile est quoad peregrinos alio tamquam ad itineris terminum advenientes. Quin et pro quibusvis peregrinis *hodie* merito
66	1	26	ab	ob
67	2	2 ab inf.	199	199. L. IV. 846.
67	2	4 "	*Ubi non est auditus, ibi non effundas sermonem.*	*Ubi auditus non est, non effundas sermonem.*
68	2	19	in qua	in quibus
72	2	12 "	S. C. Rituum.	S. C. Rituum, pro decisionibus S. C.
Conc. Thesaurum Resolutionum inde ab an. 1719 quovis anno jussu ipsius Congr. editum, et pro declarationibus S. C. Indulg. collectionem Prinzivalli, quæ tamen hucusque continuata non fuit.				
77	1	10 ab inf.	naturalem aut divinam	divinam
78	1	12	obstriguntur	obstringuntur
79	1	4 "	[2] Ib. et	[2] Ib. III. et
81	2	3 "	[1] Ib. 16.	[1] Ib. 16. 17.
85	2	3	*possidebunt*	*consequentur*
86	1	3 "	[2] L. II. 54.	[2] L. II. 54-56.
86	1	9 "	pigrita	pigritia
87	2	16 "	hæræsis	hæresis
92	2	20	reapsa	reapse
94	1	1 "	39. 40.	40.
94	1	21 "	perverare	perseverare
94	2	21 "	pa rumvelit	parum velit
97	1	15	cum, licet—contrahatur tamen	*Hæc delenda.*
97	1	20	delectatur.	delectatur. *Poterit* igitur confessarius, sed non *tenebitur* de illis circumstantiis interrogare.
97	1	1 2 ab inf.	[5] Ib. A.	[5] H. A. Ib.
97	1	2 "	[4] Ib. 27	[4] Ib. 13.
97	2	4	nuberem Caiæ	ducerem Caiam
97	2	3 "	37.	87.
98	1	8 "	poterit	poterunt
98	2	1 "	Sess. 5.	Sess. 5. 5.
98	2	8 "	*Christi*	*Christi Jesu*
99	1	1 "	6	8
101	1	10	ad rationis	ad violentam rationis
104	1	2 "	Sess. 6. c. 6.	Sess. 6. c. 7.
104	1	20 "	et 6a, 16a	et 16a
105	1	3 "	L. III. 11. 12.	L. III. 12.
105	1	6 "	possit non	possit
108	2	32	nullomodo	nullo modo
109	2	1 "	L. II.	L. III.
110	1	19	261. — *An.*	261. — *Quær. An.*
111	2	16 "	*Ego ero*	*Ego . . .*
113	2	18	1° Datur	276. — 1° Datur
116	2	28 "	communitatis, etc.	communitatis, etc., vel etiam innocentis.
123	1	26 "	passivum, quandoque	passivum quandoque
11	2	2 "	23.	24.
127	1	14	frabicatores	fabricatores
128	1	21 "	*Affirm.*	*Resp. Affirm.*
133	2	6 "	esse	est
135	1	ult.	68 sq.	68.
135	2	4 "	68 et 71.	64-67.
142	1	22	dominum	dominium
142	2	16	*formalis*, dicitur	*formalis* dicitur
144	1	11	Reliquiæ	Reliquiæ
145	1	2	probabilius	etiam
145	1	4 "	L. IV. 1.	L. IV. *in principio.*
145	1	11 "	solicitus	sollicitus
146	1	27	approbatione S. R. C."	approbatione S. R. C.", quæ et Lit. SS. Nom. acquisita videtur.

Pag.	*Col.*	*Linea.*	*Legitur.*	*Lege.*
148	1	17 ab inf.	Supreiores	Superiores
148	2	21	non quærantur, modo fiat excludaturque	non. Consulto tamen fiet excludendusque
148	2	23	335.	335.
149	1	2 "	32.	80.
150	2	ult.	judicorum	judiciorum
151	2	2	36	36. 37.
151	2	7 "	45a	45a et 46a.
153	2	12 "	99	100
154	1	ult.	L. IV. 126. 5.	L. IV. 126. 5. Cfr. Vind. Ed. 2a. T. 1. p. 291. (2).
159	1	2 "	aliud, vero	aliud vero
160	1	11 "	134. 138.	134-138.
161	1	ult.	151.	151 sq.
161	2	"	confessario	Episcopo
162	1	24 "	ingressurum, Religionem	ingressurum Religionem
169	2	9	momine	nomine
171	2	4	256.	256. 257.
171	2	3 "	L. IV. 253.	L. IV. 252. 253.
172	1	4 "	243.	247.
173	1	ult.	*probabiliorem*, habeat.	*probabiliorem* habeat.
175	1	2 "	310.	310. q. 3.
176	1	2 "	quæ, impediat	quæ impediat
176	1	23 "	325.	325. 326.
178	1	4 "	potuerunt, absque	potuerunt absque
182	1	6 "	37	87
182	2	4 "	336.	336. 337.
187	1	6 "	Duplex	Triplex
188	1	11	His enim — imitentur.	Patet ex iis, quæ docuimus n. 293, § *Diximus: Scandalum* habere
188	1	15	*officio*	*officia*
188	2	12 "	spectat	spectet
189	1	17	longius	longius
191	2	6	abbrevatione	abbreviatione
200	1	9 "	382.	382. 383.
203	1	2 "	oblatio	ablatio
203	1	17 "	[4] Exod. 23. 7.	[4] Ib. 393.
203	2	ult.	[5] L. IV. 393.	[5] Exod. 23. 7.
205	1	20	Rem sapientioribus decidendam relinquentes	Priori sententiæ cum cl. medico *Capellmann*[1] ad hærentes,
205	1	27	consulat.[1]	consulat.[2]
205	1	33	expellere[2]	expellere[3]
205	1	18 "	XIV.	XVI.
205	1	inter 2 et 3 lin. ab inf.		[1] De occis fœtus, etc. p. 73 sq.
205	1	2 ab inf.	[1] Tom I. Tr. III. 130. p. 73. col. 2.	[2] Tr. III. 130.
205	1	1 "	2	3
205	2	6	exiquam	exiguam
205	2	22 "	Duellum—pugna	Duellum est periculosa duorum (vel plurium numero parium) pugna
211	1	2 "	417	417. 418.
215	1	27	in violatione	in sola violatione
215	2	4	I.	II.
217	2	15 "	ad	ab
222	1	2 "	974	973
222	1	24 "	nec	nec
223	2	2 "	[1] L. IV. 979. [2] L. IV. 979.	[1] L. IV. 979. 980. [2] L. IV. 981.
225	1	3 "	613. 991.	991.
225	2	2 "	[2] L. IV. 496. 994. [3] L. IV. 496.	[2] L. IV. 994. 996. [3] L. IV. 996.
225	2	ult.	495.	995.
226	1	"	994.	993. 994.
228	1	21	plures, v. g. alicujus cœtus vel communitatis, vel	plures (excepto, ait *Lugo*, de *Just.* D. 14. S. 2. n. 26, si pertineat ad determinatum conventum Religiosorum) vel
232	1	2 "	432.	662.
232	2	2 "	Sess. XIV.	Sess. XIV. c. 5.
232	2	19 "	excusare	excusari

Pag.	*Col.*	*Linea.*	*Legitur.*	*Lege.*
233	2	ult.	Ib.	Ib. 297–299.
234	1	3 ab inf.	Ib.	Ib. 1031.
234	2	ult.	1008.	1033.
236	1	21	rosim	orsim
237	1	26 "	Imo urgebit—abjiciant.	Huc refer Resp. S. Pœn. 21 nov. 1843.[3] — "B. P.

N. exponit usum sumendi mane diebus jejunii, parva quantitate, caffæum aut ciocolatum cum frustulo panis, qui invaluit in multis regionibus, atque etiam in diœcesibus Stat. Unit. Amer. Bor.,... nondum in Canadam fuisse introductum. Quare, ut aliquid certum respondere valeat illis, qui interrogant, an liceat quoque in Canada, dictus Orator supplex rogat B. V., ut benigne dignetur declarare, utrum tuta conscientia tolerari aut permitti possit in memorata regione Canad., ut mane diebus jejunii, parva quantitate, sumatur caffæum aut ciocolatum cum frustulo panis?" "S. Pœn., mature perpensis expositis, respondendum censuit, eos, qui talem usum sequuntur, non esse inquietandos."

237	1	2 ab inf.	L. III. Part II. 1324.	Nouv. Rev. Théol. T. IV. p. 431.
237	2	15	*camp,*	*camp.*
238	1	ult.	[3] Ib. et L. IV. 1027. [4] L. IV.	[3] Ib. 1027. [4] Ib.
240	2	2 "	1041.	1041. 1047.
242	2	ult.	[5] L. IV. 1049. 5.	[3] L. IV. 1049. 7.
243	2	12 "	sumiter	sumitur
250	1	6 "	Ib.	Kenr. Tr. VIII.
250	2	12 "	in urbe—menses	bibliothecarii Congressus ejusdem urbis
250	2	7 "	the Act—Court	Act of Congress, in the year ——, by

A. B., in the Office of the Librarian of Congress at Washington."

257	1	3	præcæteris	præ cæteris
259	2	7	minimum	minimam
260	2	26	stata	data
267	2	5 ab inf.	ab	ad
271	2	10	*præscriptioue*	*præscriptione*
272	2	20	si quæ sint	prævisa
273	2	15	delucide	dilucide
274	2	13 "	constitutur	constituitur
276	2	26	alterutrum	alterum hunc
277	2	15	a) "The	"The
280	2	22	temporum nostrorum	temporis sui
280	2	27	Notandum vero	Nota præterea
284	1	2 "	Ib. n. 20	Ib. q. VI.
288	1	ult.	556.	584.
295	1	19	635.	735.
298	1	19	cis	ciis
300	1	ult.	39. [6] H. A. Tr. XIII. 39.	37. [6] H. A. Tr. XIII. 37.
300	1	2 "	106.	106. 107.
301	1	5 "	Ab	Ad
301	2	6 "	15°	15°. 16°.
301	2	10 "	*Rogerii*	*Pauli*
305	1	13	765. q. 7°	749. q. 3°
305	2	9 "	S. Alph.,	S. Alph.,[1]
305	2	ult.	[1] L. IV. 567..	[1] L. IV. 566. coll. H. A. Tr. XX. 50. [2] L. IV. 567.
305	2	2 "	tur.[1]	tur.[2]
306	2	8 "	ne	ut
310	1	8	multi	*multi*
310	1	3 "	67	67. 68.
312	1	3 "	685.	684.
313	1	2 "	692.	693.
316	1	22 "	liquidam	liquidum
320	2	9 "	711.	811.
332	2	13	ejus	eorum
333	1	2 "	Ib. et n. 172.	Ib. 172.
334	1	2 "	124. 125.	124.
335	2	2 "	177.	76.
337	1	7	promissi	promisi
338	1	7 "	Injustiæ	Injustitiæ
340	2	8 "	etiamsi	etiam si
343	1	23	multorem	multorum
343	2	6	nempe: a) aliqua	nempe: aliqua
344	1	18	donatorio	donatario
346	2	2 "	724.	725.
351	1	25	consequentur	consequenter
355	2	15 "	ligitimatio	legitimatio
355	1	8 "	1°	a)
355	1	13	known No.	known as No.
359	1	26	et	vel
363	1	19	*mutuans*	*mutuator*
363	1	27	*mutues*	*mutuo des*
363	2	10	mutuans	mutuator
363	2	12	"	"
363	2	17 ab inf.	"	"
363	2	15 "	*mutuandum*	*mutuo dandum*
363	2	10 "	mutuans	mutuator
363	2	6 "	mutuanti	mutuatori
364	1	14	mutuans	mutuator
364	1	24	"	"
364	1	12 "	queat	nequeat
364	2	19	mutuans	mutuator
364	2	24	mutuantem	mutuatorem
364	2	30	mutuans	mutuator
365	1	21 "	et alios. — Rousselot,	et alios. 4° Alii ad *æstimabilitatem objecti contractus* recurrunt.[2]
365	2	27	*mutuæ*	*mutuo*
366	1	ult.	101.	93.
366	1	7	*Saving-*	*Savings*
366	2	3	mutuata	mutuo data
366	2	8	mutuandi	mutuo dandi
366	2	12	mutuata	mutuo data
366	2	13	mutuans	mutuator
366	2	14	mutuatam	mutuo datam
366	2	25	remutuando	mutuo dans
366	2	30	remutuet	alteri mutuo det
367	2	ult.	755.	765.
367	2	2 "	755	765.
369	1	22 "	tradendendam	tradendam
369	2	7	ei	ea
378	2	21	examinare	examinetur
379	2	23 "	est, valor	est valor
383	1	13 "	tempus in	tempus recepti in
386	2	12	pasciscendo	paciscendo
386	2	16 "	scil.; quoties	scil., quoties
390	1	23		
390	1	31	noplium	nopolium
390	2	7 "	qæ	quæ
390	2	19 "	tententia	tentia
391	2	12	honum	bonum
391	2	3 "	Peccant	Peccant
392	2	23 "	*Hirer*	*Lessor* or *Letter*
393	1	15	Imo — probaverit	Non tenetur, ne in foro quidem externo, de damnis, quæ subit res locata, nisi probetur ea culpa sua, saltem juridica, contigisse. — 5°
393	1	19		4°
393	1	30	In foro — culpam	Idem valet quoad forum externum, nisi probetur damnum accidisse ex culpa, saltem juridica, locatarii.
393	2	13 ab inf.	*Bauker*	*Banker*
394	1	ult.	852.	853.
394	2	"	839.	840.
395	1	22 "	1031.	1032.
396	1	22	ditione.	ditione (*Respondentia*).
396	2	19	1936	1036
397	1	18	ætatis	ætatis,
398	1	ult.	n. 60. Lacroix, n. 1086.	n. 20.
398	1	2 "	L. IV. 887. Antoine, q. 5.	L. IV. 872. 874. 876. Antoine, C. XI. q. 1°. 4°.
399	1	3 "	876.	866.
400	1	16	8° custodum; 9° artificum	8° artificum
400	2	14 "	causu	causa
405	1	16	*peracta*	*incepta*
414	1	19 "	*nigri*, coloris	*nigri* coloris
415	2	19 "	rectitatio	recitatio
416	2	9	Litanarum dicant illas	Rogationum
416	2	10	Matutinum	Laudes dicant Litanias
417	1	26	2000.	1100.
417	2	19	2001.	1101.
419	1	19	*in omni loco orare.*	*orare in omni loco.*
419	1	ult.	4669.	4669 sub 50.
422	2	8 "	pulica	publica
423	2	21	atentio	attentio

Pag.	*Col.*	*Linea.*	*Legitur.*	*Lege.*
424	2	2	difficili;	difficilis
424	2	8	LXII.	LXXII.
424	2	25	possedebit	possidebit
425	1	13	6°	5°
426	2	9	episcopali sede	diœcesi
426	2	20	aëris	aeris
426	2	9	quaod	quoad
427	1	16	præces	preces
427	1	8 ab inf.	san-	sanc-
427	1	13 "	quæ, in	quæ in
428	1	29 "	Trid. Decret.	Decr.
428	1	28 "	et ut suo loco explicabitur, matrimonio,	, Matrimonio
428	1	23 "	possint.[3] — Consulenda — statuta.	possint, et infantes ab aliena parœcia oblatos *temere* baptizare, cum *facile* a Parocho suo baptizari valeant.[3]
428	1	2 "	117.	117. 227.
428	2	20	exisit	existit
428	2	24	frequentur	frequenter
430	1	15	potest	possunt
431	1	20	certis,	certis, saltem occultis,
431	1	26	Bannorum, publicationibus	Bannorum publicationibus
436	2	28	inquisitios	inquisitos
437	2	10	575	675
438	1	9 "	c. 1.	c. 2.
439	1	12	aliquod	aliquid
439	1	14 "	ea	eæ
441	1	ult.	47.	47. 49.
441	2	ult.	47.	47. L. I. 98.
444	2	14	Pontificum	Pontificem
446	2	4 "	1189. — II.	II.
448	2	8 "	53.	53. 54.
449	2	18 "	1190.	1192.
450	2	7 "	Canditati	Candidati
452	2	3	servatos:	servatos, Regulares:
452	2	6	"nisi excessus — et enormis"[1]	nisi agatur de enormi percussione Clerici.[1]
452	2	8	2° Superiores — reservantur.	2° Ad *dubium*: "An Prælati Regulares post Constitutionem *Apostolicæ Sedis* iisdem privilegiis gaudeant quibus ante, id est, an possint suos sacerdotes absolvere a casibus papalibus in dicta Constitutione simpliciter reservatis?

S. Pœnitentiaria 5 decembris 1873 respondit: Negative, salvis aliis facultatibus, quæ promanant ex Rescriptis particularibus ad tempus concessis.[2]

Possunt tamen Prælati Regulares absolvere, sicut antea, a censuris specialibus, quæ regimen internum sui Ordinis respiciunt; quia in his nihil est a Summo Pontifice derogatum.

452	2	2 ab inf.	De Priv. 100.	Nouv. Rev. Théol. T. VI. p. 61.
453	1	27 "	sui sub-	sui
453	2	10	S. Sedis	S. Sedis, saltem apud nos,
455	2	3 "	c. 9. § ult.	L. V. Decr. T. VII. c. 9. § ult.
457	1	16 "	alteri	alterutri
457	2	22 "	clausurum	clausuram

Addenda pag. 584.

Nota. — 1° Licet Moniales a Visitatione B. M. V. Officium B. Virginis tantum recitent, illæ tamen ex iis, quæ solemniter professæ sunt (vide h. n. V. 1°), ad id sub gravi tenentur, quia Officium hoc loco majoris Officii Romani ipsis substitutum est.

2° In Kaskaskia nullum amplius existit monasterium Monialium a Visitatione B. M. V. Quoties igitur agitur de Monialibus a Visitatione, addita voce Kaskaskia, intelligendæ sunt superstites ex hoc monasterio in aliis monasteriis ejusdem Ordinis degentes et solemniter professæ.

BY THE SAME AUTHOR.

DE ABSOLUTIONE PARENTIBUS,

QUI PROLEM SCHOLIS PUBLICIS SEU PROMISCUIS INSTITUENDÂM TRADUNT, NEGANDA NEC NE,

SPECIMEN.

This pamphlet, which treats of a vital question of our day, has received the approbation of several Bishops.

Price, $0.50.

239.02
K.837

2166

Theologia Moralis /
A. Konings

DATE | ISSUED TO

APR 20 1979

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

2166